ISSEVINI

ONZAGA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

68
A
68
A
6
10 0

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE









Digitized by Google


WALTHERIVS GONZACH. I. MARCHIO MANTVÆ. ET VIC. IMP. PERPETVVS.


OTHBERTVS GONZACH. II. MARCHIO MANTVÆ. ET VIC. IMP. PERPETVVS.


ADHELBERTVS GONZACH. III. MARCHIO MANTVÆ. ET VIC. IMP. PERPETVVS.


THEDALDVS GONZACH. IV. MARCHIO MANTVÆ. ET VIC. IMP. PERPETVVS.


FEDERICVS GONZAGA III MARCHIO MANTVA


FRANCISCVS GONZAGA IV MARCHIO MANTVA


FEDERICVS GONZAGA I MANTVÆ DVX ET MARCHIO MONTISF.


FRANCISCVS GONZAGA II MANTVÆ DVX ET MARCHIO MONTISFERRA

Digitized by Google





ROMA





Digitized by Google

Digitized by Google


GVGLIELMVS GONZAGA III. MANTVÆ DVX ET MARCHIO MONTISFERRATI


VINCENTIVS GONZAGA IIII. MANTVÆ DVX ET MARCHIO MONTISFERRATI


FRANCISCVS GONZAGA V. MANTVÆ DVX ET MARCHIO MONTISFERRATI


FERDINANDVS GONZAGA VI. MANTVÆ DVX ET MARCHIO MONTISFERRATI

Digitized by Google

DOCTORIS
ANTONII POSSEVINI
IVNIORIS
PHILOSOPHI, ET MEDICI
MANTVANI
GONZAGA.

Calci operis addita GENEALOGIA totius Familiæ.



ROMA

MANTVÆ,

Apud Oſannas fratres, Ducales Typographos. M.DC.XXVIII.

Superiorum permiſſu.

Ex dono P. Fran. mea Gonzaga Soc. Iesu.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLO PRIMO
MANTVÆ
ET MONTISFERRATI
DVCI SERENISSIMO.
DVCI NIVERNIEN: RETHELEN: HVMEN: ETC.

DOCT.

ANTONIVS POSSEVINVS IVNIOR PHILOSOPHVS ET MEDICVS MANTVANVS FELICITATEM.

VETVSTISSIMA Familiæ tuæ, & ſparſa Mantuæ, Ferrariæ, Veronæ, Regij monumenta plures iam annos tero DVX SERENISSIME; non gloriam potius, aut pleroſque Scriptorum æmulatus, qui contrarijs ſtudijs diſtrahuntur; ſed veritatis cupidine, quam ſuperfuſus Annorum numerus, adumbrare ſolet, non obruere. Fortior enim eſt, vtque ſecordiâ obliteratur, ſic curâ, ſtudioque reſurgit. Meorum Principum caritate, amore Patriæ (quorum dilectio etiam affectata virtutem habet) generoſo animo indignabar, Stirpis Regię, tot ſeculis in Italiâ regnantis, pace, ac bello iuxta memorandæ exordia aut neſciri, aut (quod ęquè flagitioſum gnaro erat) taceri. Accedebat modicis commentarijs rerum immenſitatem, ac virtutum maximas, Italo idiomate à quibuſdam arctatas; ſimul fraudari Gentes exteras memoriâ magnæ Domus; hanc verò famâ, quam continuâ plurium ætatum vir-

Digitized by Google

tute parauiſſet. Deberi Tranſalpinis Gentibus curam hanc iure credidi; quòd ſplendorem Italiæ addiderint, promouerintque, & profeſſio beneficij conferentis meritum, commendatio virtutem approbat. Metuo Dux SERENISSIME, nè auidius quàm cautiùs intentato hactenus labori acceſſerim, & cum Lyrico, formido laudes tuas, ac tuorum culpâ deterere ingenî. Habuiſſe præ manibus plurium ætatum Annales ſcripto traditos, Principibus ſuis, Patriæque inſudaſſe, præripi Chriſtiano Orbi ingentem gloriam; quaſdam Familiarum (quibus non alia, quàm ex Scriptore ſit commendatio) celebrari, deſiderio denique optimorum adrepſiſſe, excuſationis vice occurrunt. Cæteta mihi ipſi iniquus ſum, vbi tenuitatem ingenij, dictionis languorem, magnitudini rerum confero; niſi pronus ſeruitio animus, & aliquot Annos cura non intermiſſa veniam exprimunt. Erutam è denſiſſimis tenebris vltrà Sexcenteſimum Annum Mantuæ Vrbis apud maiores tuos poſſeſſionem; & huic Cœlo inexpectanti redditam, poſterioresque Dominos prioribus vno filo nexos, ex fide, & vero tradidi. Hoc in opere, ſi quid decoris Præceſſoribus tuis reddidimus, ſi quam maioribus facem prætulimus, ſolicitudo noſtra punctum tulit; & ſatis ſuperque voto meo accidit, ſi proximè expectationi reſpondi. Vnum id felicitati meæ addidit fortuna, quòd SERENISSIMO Celſitudinis tuæ Nomini, quidquid hoc rei eſt, nuncupare contigit; cùm ex te vno quales maiores habueris, aut ſucceſſores optare debeas innoteſcat: Diu enim ſuppreſſum opus certâ Numinis deſtinatione, tibi Princeps optimè reſeruatum eſt. Nempe Regiæ familiæ tuæ, & honori meo intererat, cuius auſpicijs lucem auderet; & fortuna, quæ nonnunquàm prudentiam confundit, euentu optatiſſimo docuit, repentinis, & impræmeditatis caſibus, naturam, ſucceſſionemque, ſponte ancillari. Aberas tu procul Italiæ finibus, non expectatus Mantuanis (adeo tranſitus hic rerum extra cogitationem erat) ſed nec quidem nominatus; cum ego GONZAGAE Domus originem; & tot ante Annos huic cœlo, ac ſolo implantatam nobilitatem, vetuſtiſſimorum munimentorum ductu rimarer, & prior latino Idiomate ſumerem ſacrandam æternitati. Sed dum plenâ funeribus domo diſceptationibus exerceor, & in futurum incertus agendorum reijcior, voluenda dies en attulit vltrò Ducem, cui hæreditario iure Liber nuncuparetur, niſi ſapientiſſimo ac virtuoſiſſimo debitus; quò magnitudini domus, virtutum concentus, quibus creuere GONZAGI congrueret: Non clemenriam, munificentiam, pietatemque congenitas Proauis tuis virtutes proſequor (quas iam magnitudine famæ

ſuper-

ſupergreſſus es,) ſed quibus abſtineas (facili, pronoque lapſu impellentis fortunæ) tacere, proximè ad flagitium accederet; honorem, facultates, vitam ſubditorum dico, vitia ferè regnantibus, tibi ſacra. Adeò nulla domi indigentia eſt, ſi onerandi; nulla licentia, ſi tui corrumpendi ſunt: Nec virtutes irridentur, aut flagitia excuſantur; quia penès bonum Principem, qui non magis conceſſo arbitrio populis, quàm ſibi legibus dominatur, Iuſtitiæ temperantia contendit. Viue Dux SERENISSIME, & animi huius, rerumque agendarum magnitudine, maiorum gloriam, poſterorum decus, Scriptoris, qui iam tua meditatur, conatus peruertere.

Digitized by Google

AVCTOR
LECTORI BENEVOLO

INSTITVTI mei cauſas, occaſionesq́; pluribus apud Principem proſecutus ſum, amice Lector: ea tamen ſuffectura non credidi, niſi paucis te admonitum ad cętera transmiſiſſem. Hiſtoriam Sereniſſimę Familię GONZAGÆ proſequi contigit, cui ſe cõmentantium ſordes, & adornata mendacijs aſſentatio inſeruerant. Illa neglectanè hactenus, an ignorata, non decreuerim; ſed ſatis habui magnę rei ſilentium meę cauſę proficere, vt nobiliſſimo themate clareſcerem: quod niſi fortuna contingat, ſtudio procurandum Horatius monuit. Non vetera, & vulgata ſolùm monumenta M. S. ſed & Archiuorum Italię quędam patuere, veritati ipſa ętate ſuffragatura; quorum monitu opus in hoc ęuum deduxi. Propria Ciuitatum, Gentium, Prouinciarum nomina in latinum terminata plerumq; vſurpaui; ob priſcorum vocabulorum apud recentiores incuriam, & cupidine claritatis. Sed & ſpecies quędam veteris dictionis ſcriptis noſtris illata eſt; ea tamen impetu, non cura irrepſit; & longa eorum aſſuetudine, quę lectione potius, quàm meditatione contagionem relinquunt. Nec profuſus eloquentiam, nec arctatus ſalebras ſectatus ſum; ſed proferendis quę ſenſerim, excidentem calamo ſtylum contuli, in quo candori animi mei veritas reſponderet. Scio in nonnullis pręiudicatę me cauſę inſiſtere (nam ſententijs vbi diutius hęſere intercedere religio eſt) ſed ſi noſtra lydio affricentur, veritatem ſapient; cui etiam multa recentiorum adſtipulabuntur. Illuſtres Patrię familias nec ambitu fecimus, nec ſtudio merſimus; verùm habita ijs fide qui prodiderunt, parem in omnes reuerentiam teſtamur: Nec enim temeritate caruerit, quiſquis contemptu vetuſtatis, aut amore nouitatum, ſeſe alienę libidini raptandum permiſerit. Mantuę Marchionatum ſupra Sexcenteſimum Annum apud GONZAGOS

non

non leuiori inditio, quàm oſtentata ab alijs nobilitas Gentium eſt, probauimus; nuſquàm magis contabundi, quàm vbi Diplomatum fides examinanda fuit. Quod ſupra eam ętatem, licèt ex ingenio ſit, ſuis tamen coniecturis, & argumentis, quę plures Scriptores attulere, non caret; quibus Gentile nomen etiam à poſteritate vſurpatum, Inſignium ſimilitudo, & per manus tradita opinio perſuaſerunt. Comitiſſam Mathildam è Familia GonZaga non niſi exſibilata aure quidam excipient: ſed ſi probationes tolerarint, & quibus è fontibus veritas emanauerit didicerint, in eandem nobiſcum ibunt ſententiam. Neque nouum eſt, pleraq; primo ſtatim contactu aſpera, vbi diutius contrectata fuerint, molleſcere; remq; non ſolùm, ſed & ſpeciem mutare. Id certè me mouerat, vt quidquid firmandę veritati conduceret, congererem; quodq; obijci poſſet proprio volumine eluerem: attamen neque obſtreperis dignitatem reſponſo conciliare, neque fingere mihi hoſtem quem ferirem volui: Prouocari malui, ſic iactum libratiorem futurum credidi, quoties ſe inimicus ad ictum dediſſet. Quod alij voluminibus editis vulgauerunt, alij ſcripto tutati ſunt, nonnulli diſputationibus obtinuerunt, nos ex profeſſo tradidimus; quandocunq; opus fuerit, certiſſimis rationibus (quantum in profundum antiquitatis introſpicere licet) ſolidaturi. In ea ſecula indago noſtra incidit, quę Scriptorum incuria maximè laborarunt: cum Principum, ac priuatorum multa nomina confuſionem, cognominum neglectus obſcuritatem intenderent; cum non Inſignium, non Prouinciarum, non Locorum, non veri nominis, quod è ſacro fonte ſumptum foret, ratio haberetur: cum vniuerſa bello flagraret Italia, inter Pontifices Romanos, & Cęſares ambigens; cum familiarum memoria omnis, ferro, igniq; aboleretur, cum deniq; res literaria, ſub armorum pondere fatiſceret. Nobis itaq; in abdito eluctandum fuit; luceſcente primùm facula coniecturę, inter denſiſſimas ęui tenebras, eaq; ſtatim vaneſcente; niſi ſcripturarum, ac publicarum tabularum adminiculo, in clariorem lucem aſſurrexiſſet. Hac certè cauſa mirum non eſt, ſi in nos inuecti alienę glorię obtrectatores ſunt; qui nullam Europeam Nobilitatem, nullum ingenium ſine Cenſoria nota tranſmittunt. Sed vt nobis dictorum, ac factorum rationes conſtant, ſic depulſis vanitatibus, Vvaltherius ſuis maioribus redditur. Cęterùm omiſſo ęmulatu, mea me potius ſolicitum habuerunt; id enim an cum Sereniſſimę Familię gratia compoſuerim, ambiguus hęreo; cui prędſumpta regia nobilitas decurſu ſeculorum, credi poterat probationis non egere. Vale Lector humaniſſime, & ſolito bonis omnibus officio, ad ſecuturam CAROLI *Primi Ducis noſtri gloriam tradendam, nos inuita.*

Digitized by Google

DOCT.

ANTONII POSSEVINI IVNIORIS

PHIL. ET MEDICI MANTVANI

GONZAGÆ

LIBER PRIMVS.

ROMA

BREVIARIVM LIBRI.

CAVSÆ, ob quas plereq; gentes ſedes mutârunt. Occaſio, inſtitutûmque operis. Scandiæ deſcriptio, vnde Longobardi erupêre. Procerum Regni diſceptatio, annitente Olao perdi inutiles, GONZINGIS fratribus intercedentibus: In hos migrationem ſuadentes, & Duces ſuſceptos, ſors flectit. Prima cum Vandalis decertatio, & victoria. Aſſipetes aſſimulatione Cynocephalorum circumuenti. Mauringia, & Rugilandia deuictæ. Vtriq; Duces finem habent. Agimundus Agionis filius regio titulo ſalutatur; ſed ſecordiâ corruptus, à Bulgaris cæditur. Lamiſſus filius, Godæ deæ oraculo adiutus, nomen Longobardis indit, reprimit Bulgaros. Longobardorum Regum ſeries ad Alboinum. Hic Narſetis Exarchi precibus, parte copiarum Gothos fregit, & Italiæ ſucceſſit, Papia Regni ſedes delecta. Roſimundæ, & Perendei flagitio Veronæ confoditur. Regiæ opes Rauennam aſportatæ: Vtriusq; mutuum veneficium. Clephus à Longobardis ſubſtitutus, ſæuus Rex. Venetiæ augentur. Dum Romam cogitat, à ſuis trucidatur: Diuiſa in Duces Longobardorum Reſpublica, ſed ſtatim ad Reges reducta; & Antharis Rex nominatus; mox Agilulphus, qui ſuos Chriſto addicit. Reges cæteri ad Deſiderium, qui à Carolo magno perditur. Hic Mantuæ CHRISTI SANGVINEM detectum adorat. Stirps Longobardorum reliqua per Italiam; Quos inter GONZINGI, qui GONZAGI, Imperio, obſequio indiuidui ſunt; & Valterius Gonzach Mantuæ Marchionatu donatur ab Othone. Huic Otbertus filius ſuccedit. Eius in

Digitized by Google

Bohemos Imperij hoſtes fortitudo, & diſcrimen. Defuncto ſuccedit Adhelbertus. Hic Gerardo & Corrado fratribus, Proterij filijs, ſibi patruelibus, concedit Gonzagam & adiacentia. Huius in Neapolitano Regno virtus, & in excipiendo Mantuæ Corrado Imperatore munificentia, & mors. Thedaldus filius coniugio accipit Iuliam Eſtenſem. Diui Andreæ templum inchoat. Mortuo Azo ſocero, Ferrariam adiungit. Eius cum Eſtenſibus contentiones. Succedit Bonifacius filius. Mantuanorum in dominum, duce Auogadro coniuratio; Detegitur; Auogadrus fugit Veronam: deprehenſi puniuntur. Bonifacij in Veronenſes indignatio, ob receptum Auogadrum, pugna, & cædes. Illi ſe Auſtriaco dominandos tradunt. Inter Auſtriacum & Bonifacium concordatur. Beatricem Henrici Imperatoris filiam in matrimonium accipit: Et dotis nomine plures per Italiam ciuitates. Veronenſes Auſtriaco rebellant, auxilio Bonifacij ſuperantur. Noua CHRISTI *Sanguinis detectio. Leo nonus, & Imperator conſpecturi Mantuam veniunt. Defuncto Bonifacio, populi, coniugi & filiæ obtemperant. Europæi Principes ſpe talis coniugij à Beatrice ſuſtentantur, ne vim parent. Filiâ iam Imperio validâ, ſe curis abdicat, & Lucæ moritur. Pontificum diſceptatio, Mathilda pro legitimo. Nubit Gothifredo Lotharingo; conſultore Petro Damiano, & Anſelmo Lucenſium Epiſcopo. D. Andreæ templum ornat, & reditibus inſtruit. Henricum Cæſarem fratrem Pontifici aduerſum corrigit, etiam pro veritate arma ſumit; poſtremô ad pœnitentiam impellit. Azum Eſtenſem ſibi iungit ſecundis votis: ſed docta conſanguinitatis à Pontifice, dimittit, ſumitq; Guelphonem Bauariæ Ducem. Remanet vidua, & orba.* GONZAGOS *conſanguineos, quòd ſemper pro Imperatoribus fuiſſent, auerſatur. Mantuani tumultuantur, ſed ab ipſa in ordinem rediguntur. Romanam Eccleſiam hæredem inſtituit, moritur, in templo D. Benedicti inter Padum & Lironem indubitatè tumulatur. Quod quia in ambiguo,* FERDINANDI *Mantuæ Ducis VI. iuſſu, 1613. res examinatur, teſtibus, & coniecturis firmatur; referente in Tabulas Scipione Paſqualio tum Prothonotario, & Refendario Apoſtolico, nunc Caſalenſi Epiſcopo.*

CVM

CVM genus humanum forte, non cupidine gliſceret, id per varias Orbis partes, origo, ac natura diſiecêre: donec vicinorum infeſtatio, ſoli egeſtas, propria inquietudo, & rerum nouarum deſiderium obrepsêre; quæ ſolum vertere, & incognitas ſedes, patrijs faſtiditis, expoſcere coëgerunt. Aderant quippe efferis animis æſtimatione ſui numerus & vires, quæ violentum ingenium, ritusq; barbari ſtimulabant; apud quos, quæ fortia, honeſta; & alienorum oppugnatio, regia laus cenſebatur. Ea, quòd rigidorum animorum propria, indomitis quoq; gentibus, externorum incurſatio familiarior, vt conducibilior viſa. Soli tum incultorum Germani indigenæ crediti: Cæteri, nemo ſuis ſedibus, nemo natali ſolo vti, ſed hûc, illûc, prout vires ac ſors tulerant, euagari, rapere, vti (quaſi id ius eſſet) omnia in armis. Britanni à Saxonis, hi a Scandianis, Galli aliunde aduecti creduntur. Ipſa Italia, totius orbis delicatiſſimo ſinu abdita, Gothorum colluuiem, vti & Hiſpania, excepit, nutrijt, ſeruauit. Nec diſplicet origo, aut excuſatur; tantum ſecordiæ, cum barbarie hauſimus. Cęterùm quibuſdam à prioribus ſedibus, nonnullis à Ducibus, alijs à ſe commentatâ ratione mansêre nomina; interdum cum incultis legibus & externis, propriæ etiam origines excidêre. Documentum à Longobardis, quibus diutius, ſine ritibus, ſine cuiuſquam Imperio durauêre. Nos ſingulorum populorum eruptiones, expeditum armis iter, faciles propoſiti exitus haudquaquam proſequemur; cum in ijs plures cum gloriâ verſati ſint; ſed quam Scandiani ſpecioſiſſimam ſuorum partem Italiæ intulêre (cuius etiamnùm florentiſſimæ reliquiæ, Principis familiæ GONZAGAE ſuperſunt, totius chriſtiani Orbis decori) ſcriptorum fontibus, vetuſtiſſimis monumentis, ſoloq; veritatis intuitu componemus. Nimirum ea eſt veritatis apud Hiſtoricos neceſſitas, vt hoc ipſo commendentur, ſi liqueat; aſpernentur ſi deſideretur. Nobis verò adulatio, extremum ſeruitutis, nec indita eſt, nec iuſſa: Et in exitu libero, labor à potentioribus non imperatus. Errare nobis itaq; non niſi cum totâ antiquitate, aut ſine manifeſtâ notâ adulari non licet. *Inſtitutum, & occaſio operis.*

SCANDIA, quibuſdam Scandinia, aut Scandinauia, Inſula Septentrionalis Oceani veteribus credita, longè, latèq; inter Germanicum & Balthicum, in extremum Septentrionem effunditur, immenſo pelago, à Sinenſibus Indis diſcreta. Sed enim frequentatum regni illius, multis ab hinc annis commercium, poſteritatem docuit, non minus ducentis millibus paſſuum continenti hærêre; quâ extremæ Prouinciæ, Corelia, & Biarmia, magno Ducatui Nouogardiæ continuantur. Tota regio, quod longiſſima eſt, ducentum viginti circiter Germanica milliaria excurrit: In latum centum triginta *Scandiæ deſcriptio.*

protendi traditur. Præcipuæ eo tractu partes, Suecia, Gothia, Noruegia. Non minus latè patentes, etſi aſperitate Cœli, & incolarum raritate infrequentiores ſunt, Boddia orientalis & occidua, Finlandia, Lappia, Biarmia, Finnia, Scrifnia. Adiacent toti illi Oceano frequentiores Inſulæ, incolarum numero, & negociatione eô celebriores, quô magis Balthico, aut Germanico propinquant. Ex quêis præcipuæ Iulandia, quæq; in Daniam porriguntur. Ad inacceſſum fere Septentrionem, & à Regni viſceribus commercioq; diſſitæ, populorum inopiâ nec requiſitæ, nec in votis habitæ, medio pelago importuoſo, & gelu horrido, ſedent Islandia, Groelandia, Fiſlandia: quas nouiſſe, vti extra voluptatem, ita & vſum fuerit. Id tamen in confeſſo, etiam maioribus eſt, magnam eam terrarum partem, & numeroſi populi capacem eſſe: & ſi conſenſus adeſſet, ingentibus conatibus ſuffecturam: vt non immeritò nouum Orbem antiquiores crediderint. Prouinciarum intima (niſi quâ frigoris, & glaciei vis nimia eſt) quamuis præaltis niuibus, frumenti, mellis, ferarum, pomorum, præcioſæ pellis copiam habet, ſuorum vſui, exterorum commoditati reſpondentem. Lacus inſunt plurimi, nobilium piſcatione piſcium, toto Balthico celebres. Nec deſunt flumina: vt non minus nauigio, quàm terreſtri itinere, vniuerſa Regni luſtrari poſſint. Deniq; in extremâ illâ vi frigorum ſuis non caret amœnitatibus: Sed æſtas præcipuè commendatur, tepore, & flatibus Eteſiarum. Niſi quamquam leuia, nec exteris cupita, in patria commendantur. Ne à circumfuſis barbaris (ſeu Moſci, ſeu Tartari ſint; Sarmatas dixêre) dubijs in rebus expetatur, obiectum frigus, diuerſi mores, inuius Oceanus, incolarum fortitudo obſiſtunt: Nec enim cultiori vitâ vſos, adeo & inſtitutis & linguâ, & terrarum, mariſq; tractu diſſitas ſedes optari poſſe crediderim. Qui gentis inſtituta memoriæ mandarunt, vniuerſam olim ſolitudine, & ſecreto vſam, Idolorum cultui deditam, libertate gaudentem, mox admiſſâ Religione emollitam cultiorem euaſiſſe, mutuis officijs mercaturæ, militiæq; aduerſus accolas ſtuduiſſe tradiderunt: proximè Reges tenuiſſe, qui in hanc vſque diem populari potius, quàm libero imperio poſſideant; Priuatas tamen res tractâ dominatione auctas, veram quandam Monarchiæ ſpeciem intuliſſe. Firmatæ enim longiori imperio familiæ ægrè obſiſtas: quòd amicitia, opes, milites, auctoritas tempore accedant, & ſponte ſeruientium increſcant; pronis ad obſequium validioribus, quos infirmiores ſequantur. Hæc de Scandiâ conſenſu traduntur, lubetq; credere; quando nullum eſt ſcriptori ex mendacio pretium; & ſi quædam abnuas, cætera in confeſſo ſint, quibus noſtra innituntur.

Annus erat ſeruati Orbis circiter Quadringenteſimus: Non enim apud
Scandianorũ eruptio. omnes vna ſupputatio (nos calculum à temporibus Agimundi, qui Agionis
filius erat deſumimus: Agimundus enim ſeptem Dormientes inueniſſe
traditur, qui Decio imperante, ſubterraneo ſpecu occluſi fuerant; at eorum
400. detectio in annum Salutis quadringenteſimum quinquageſimum tertium incidit,
tricesimo fermè Theodoſij; quibus autem Scandiani peregrinati ſunt,
fuere ad Agimundum anni circiter quinquaginta) cum populi Scandiæ, con-

nubiorum

nubiorum licentiâ, luxu, longiori quiete, & nullo contra accolas prælio, quibus barbaræ gentes continuè exercentur, in immenſum creuêre. Non arua pabulo, non ſegetes vſui reſpondere, non quingentæ vrbes habitationi ſufficere. Iamq; imminentis index excidij diſcordia metuebatur; ne promptius inter conciues, raptus, & vis erumperent. Inopia enim egentes auidiores facit, nec ſi vrgeat quidquam ſatis eſt, niſi res exuberet. Vna ſpes in bello & viribus ſupereſſe videbatur: Sed longius quærendus hoſtis, quando proxima forti barbaro tenebantur: Nec ex victoriâ, aut quietis, aut in longum ſuffecturi commeatus ſpes erat. Imperij ſumma penès Suionem Daniæ Regem: qui illicitis primùm amoribus Gothorum Regis filiam pacto nuptiarum temerauerat, mox eundem bello & vindictæ intentum debellauerat, & velut in poteſtatem acceperat. Ergo vbi anguſtæ domi res, maior ex futuro metus inſedit; de remedio conſultatum, indicta comitia, dieſq; quibus nobiles, ac inferioris ordinis, de communi cauſâ acturi intereſſent. Aduenêre primates, & quibus aut priuatæ, aut publicæ vtilitatis cura inerat, Nobiles, milites, ruſtici; & per vices cuiuis, quæ idonea tempori crederet, dicendi poteſtas data. Erat ante alios iuuenis, animi feritate, & nobilitate, inter incolas celebris, nomine Olaus; cuius oratio in hunc modum fuit. Ea temporis ac loci conditione premimur ò Rex, vt mitioribus conſultis inſiſtere, non tempus, nòn occaſio permittant, ſed in prærupta, & auditu horrida impellant. Satius equidem fuiſſet me præſtaſſe remedia, quàm oſtendiſſe: ſed nec magnis animis detrectanda, quæ in commune conferant; nec differendum, vbi remedij occaſio dicto citius elabitur. Nulli nos exteri, nullæ gentes conuellunt; ſed domeſticis difficultatibus, inopiâ, anguſtiâ ſoli, cœli intemperie, aduerſa Numina exercent, nec ſinunt viuere. Annonam ab accolis ſumi, flumina, maria, rarum commercium, non temnendæ adiacentium populorum vires prohibent. Et quod altius figit animum, in tantis difficultatibus nequaquam à luxu deſiſtimus. Vberrimam quippe frugum partem potationibus abſumimus: Et quibus vndæ potui ſuffeciſſent, ne ſegetes quidem ſunt ſatis: adeo & copiæ & penuriæ illudimus. Nec ſi his obuiam eatur, ſuperata indigentia eſt, quod nos ipſi nobis oneri, ac impedimento ſimus. Quota pars noſtrûm agrorum culturæ, militiæq; idonea? Tenellâ aut feſsâ ætate quàm ingens numerus? Hi domos replent, bellis inutiles, nobis graues: abſumunt per inertiam longis ſudoribus quæſitas fruges; & queri potius quàm conſulere, impedire quàm iuuare nôrunt. Expeditis & animus & vires tuendi fines, exercendi agros, in dubijs conſulendi. Quin reſecas ò Rex inutiliſſimum vulgus, qui patriæ, qui penatibus, qui Regi ſuo, numerum, non opes, non auxilium parat? Sublatis enim quos ætas humanæ vitæ improficuos reddidit; noſtra nos arua, reſq; familiares enutrient; nec ab alienis ſubſidium, nec inter nos ex neceſſitate diſcordias experiemur. Ipſe me dato conſilio intrepidum deuoueo, ſi nullæ vires meæ, ſi tibi, ſi patriæ grauis, ætate, fortitudine cenſeor. Reſtrinxit plurium animos mœſtitia, ob atrocitatem ſententiæ: conſilium tamen diſceſſione ſolutum, velut receptâ inter proceres

Olai oratio, conſulentis perdi inutiles.

Ceruiſia.

Iborus et Agionus Gonzingi aduerſantur.

Olai relatione, aut decreto firmatâ. Obſtitit tamen prauis conſultis non ſubſecuta, quò minus fœdiſſimum conſenſum, ſubita executio firmaret; Conſilio interfuerant germani duo Agionus, ac Iborus GONZINGI, ſi res communione tractarentur, magnum patriæ momentum; ſin diſcordia inceſſiſſet, & rebus priuatis, ſibi quisq; tetendiſſet, miſcere vulgum, & ad ſeditionem vſq; nouare validi; non minus barbarâ audaciâ, quàm nobilitate, & ſummâ in defectam parentem (cui vocabulum Gambaræ erat) pietate. Hi domum regreſſi, cuncta ad matrem deferunt. Neſcias irâ in auctorem, an maiore in parentem miſeratione ardeſcerent. Nec illa tamen aut animo infracta, aut vllum turbatæ mentis inditium prodidiſſe fertur; Siue ingenitâ fortitudine, ſiue iniquitatem ſententiæ generoſo ſpiritu auerſata, ſiue interceſſionis ſecura. Confirmatos ergò primâ luce filios ad Regem immittit, & quæ expoſituri ſint edocet: firmato ante animo, ſiue abolitio, ſiue nefarij conſilij executio immineret. Coactis vltimæ deliberationi Comitijs, cui Rex de more præerat, admittuntur fratres. Et Agionus acri ipſe ingenio, ætateq; prouectior, veniam dicendi ante alios poſcit. Cui vſpiam mortalium in pace, ſalute, ac viribus neceſſitatem extremam eſſe? Quin prius voce, manu, conſulto vſus, omnia expetiatur, quàm ſedentariam, ac ignauam mortem capeſcat. Cœlum & terras, & immenſa pelagi ſpatia, vſui mortalium à Dijs parata, & in commune poſita; vt fortitudine duce, ſectari vtilia, effugere infeſta liceret. Summam neceſſitatem tum haberi, vbi nulla ſpes, nullum ex virtute auxilium ſuperſit. Proinde inculpatè ac conſultè, cum ijs actum iri, ſi fortium virorum more, in acie, non in ſeptis ac cubilibus; in externorum oppugnatione, non ad patrios focos; in virtute, non in ocio occubuiſſent. Viderit Olaus quâ pietate, quibus moribus ſit; & ſi cum his, parentes quoq; viles habeat, ſibi aliter inſediſſe; certumq; eſſe perire potius quàm cara pignora, & optimè meritam parentem, velut cruentâ ac ſæua in pace trucidare. Eam eſſe naturæ legem cunctis etiam extra anni, ſoliſq; viam ſitis inditam, erga natos, parentes, ac conſanguineos pietate vti; nec in eorum ſæuire innocentiam, qui aut in tempore caritatem reddituri ſunt, aut quorum laboribus innutriti, ad vires & ætatem acceſſerint. Non adeo ſe à Solis curſu remotos, vt humanitatem exuerint; Nec plus malis moribus patriæ, quàm conſilio dedecoris Olaum contuliſſe. Scilicet nos gentes vllæ, ſine vi, ſine armis admiſſuræ ſunt, compertâ morum ſæuitiâ, ac immanibus inſtitutis? Addit nullum certius Regnum ſtetiſſe, quàm quod æſtimatione iuſtitiæ, ac pietatis, non vi, & armis iactum eſt: Et fruſtra ſanguine res patriæ expendi, vbi bonis conſultis, famæ, & gloriæ licet adrepere. Sed noſtræ nos terræ non capiunt, anguſtijs ſoli confuſi intricamur, & diurnis alimentis deſtituimur: Ergo à virtute capiendum conſilium, & totius populi partem eam, quæ nec abſentiâ remanentes infirmet, nec paruâ manu alienis ludibrio ſit, ſorte ducendam; quæ nouas ſedes, noua regna, per vim, per arma, per vulnera inquirat. Sortem ipſi ſibi virtute faciant, remanentes exonerent; qui olim egreſſos pulchrâ inuidiâ, & virtutis æmulatione proſequantur.

quæratur. Superſint innocentes liberi, poſteritatis fundamenta; emeriti ſenes, qui hanc nobis patriam, nos verò patriæ, naturâ, arte, virtute ſeruarunt: Et inter relictos & abeuntes, ea neceſſitudo intercedat, quæ Dijs cara, nobis & vſui ſit, & decori. Dicentis adhuc verba excipit Iborus: Indecorum generi, contumelioſum Regi, non alienos ſolùm, ſed & ſuos lares proprio ſanguine fœdari: Indiſcretam enim eam legem fore, niſi in Regem, vt cædis auctorem flecteretur. Nec id ſæuitiam tantùm, ſed & furorem eſſe, qui parricidas ſit toto æuo exercitaturus. Et ſi pereundum parti populorum, alienis id viribus potius, quàm mutuis vulneribus expedire. Grauem ac dubiam diſquiſitionem futuram, per quam certius innoteſcat, vtilisne, an ſecus ſit patriæ, quiſquis ad cædem deſtinatur. Nec vtilitatem vi & armis, ſæpius iudicio ac conſilio æſtimari, quæ ſenectuti propria. Liberos vbi adoleuerint, optimam educationis vicem parentibus, ac conſanguineis reddituros. Et futuro magis quàm præſenti conſulendum: quandô cunctis gentibus indita ſit cura poſteritatis. Conſtantiam orationis Rex, ac proceres intentione animi, Olaus per inuidiam excepêre. Et erant quos ſpecies, nobilitas, neceſſitudines, ac præcipuè ipſa veritas commoueret. Calamitoſum patriæ remedium videbatur, quod maximam incolarum portionem raperet. Nec enim cœli intemperiem, niſi irritatis Dijs immiſſam, quæ fruges & ſpem ſegetis abripuerit. Fruſtra piaculum eo ſcelere parari, quo Dij ac natura, iuxta lædantur. Alij feſſam ætatem, innocentem pueritiam, bellis laceros, aut morbo tabidos, tamquam per ſcelus perimendos miſerabantur. Hinc pauci prioris ſententiæ executionem, plures abolitionem expoſcere. Rex ac patres rem in medio reliquêre; quoad volutatis rationibus, ſine irâ & ambitu opportunius conſuleretur. Satis iuuenibus viſum, præcipitibus conſultis moram interpoſuiſſe; dum prauæ deliberationis iniquitas, ſanioris conſilij ratione detegeretur. Ad extremùm vicêre, qui ſortiri ſedes maluerant: Et in ſequentem primores gentium, epulo, & ſacrificio, iaciendæ ſorti euocantur. Accurritur ab vniuerſis, quòd artæ domi res, & ingenita animo feritas, rebus nouis accingerent. Et iam in eos quos ſorte ductos compererant, inuidiâ accendebantur. Plures hominum myriades turgido Regno egeſtæ; aggregantibus ſe plerisq;, quos non ſors, non odium, ſed mutuæ cohortationes, affinitates, & Ducum ſpecioſa nobilitas ſtimulabant. Sed lachrymabilis ea ſpecies maximè viſa, cum parentes à liberis, conſanguinei à familiâ, fratres à fratribus æternûm diuiderentur. Vicit neceſſitas, & barbara fortitudo animi magnitudinem conſtantiâ approbauit. Raris enim mortalium maior ſuarum neceſſitudinum dilectio, quàm barbaris habetur: vt potè qui non virtute, aut ratione magis, quàm naturæ impetu ferantur. Suio Regni reliquijs componendis, & annonæ comparandæ, quod reliquum operæ impendit, imminuto regno, & calamitatum gnarus, eòq; promptior. Sed viſum præcipuè, ne frugum adeo ingentem copiam potationibus perderent. Moris quippe Scandianis erat, aquam tritico, hordeo, ac lupulis maceratam, ad certam corruptionem incoquere: mox vbi fæces reſediſſent, ad vomitum & temulentiam, velut per

gloriam

gloriam haurire; veteris Saxonæ originis haud dubiè retinentes. Abitutis deerat Imperator; cuius ductu, ac conſilio, iuſſi pugnas inirent, reuocati conquieſcerent. Ancipitibus enim in rebus, vbi agendi tempora momentum habent, nec longiori conſultationi locus eſt, Duce opus; qui generoſis conſultis addat ex imperio celeritatem. Ergo placato pelago, amnibusq; Herculi, Mercurioq; iuſtis peractis, Duces ſibi Agionum ac Iborum fratres deligunt: Gnari nîl præter dignationem in vtroque deſiderari: quando genere, opibus, conſanguinitatibus, cęteros anteirent, vix Regi concederent; & eſſent toti populo ferociâ acceptiores. Agionus rebus compoſitis, ac in curarum partem aſſumptâ matre (cuius conſilio præteritam ignominiam euaſerant) vbi ſuos valere iuſſit, exercitum omnem maritimo itineri expedit: Et ad Scholandiæ fines totâ claſſe appellit; quâ nunc Pruſcia, ac Liuonia, nec non Pomerania latè patent, obiecto Balthico Scandiam contra. Hic (vt ferè nouis cæptis obſtant plurima) Scandianis Vandali tranſitum armatâ manu negant, niſi vectigal pendere, & in ſeruitutem conſentire voluiſſent. Acerrimo virtutis ſtimulo tactus eſt Agionus, & miſſis oratoribus Vandalos monet, venire ſe victoriæ, & ſi fortuna contrâ vertat, libertati paratiſſimum. Innocuum iter poſcere, aliter aduerſus obſtantes, ferro viam inuenturum. Non enim ſe patrios lares (vbi Principi virò, in pace, ac rerum omnium affluentiâ viuere dabatur) deſeruiſſe; vt ſe totq; ſociorum millia turpi ſeruituti dederet. Nec de bello inter aduerſos dubitatum: Illinc ingenti manu Vandali, hinc non temnendis viribus Agionus, neceſſitatis, virtutis, & cauſæ occaſione validior. Directa vtrinque acies: & quamquam non virtutis, non animi ſuorum pœniteret, appellandos tamen milites cenſuit; vt tum primum imperitare, illi imperio aſueſcerent. Nî vincimus, inquit, ſocij, quæ nos terræ, quæ ęquora excipient? Num ad patrios lares, quibus virtutem polliciti ſumus turpi fugâ reuertemur, vt vel reditu, tamquam degeneres arceamur, vel toti genti ludibrio, ac oſtentui obijciamur? Vna ſalus in virtute eſt; & Regnum, vitam, facultates, honorem in mucronibus gerimus: Aut vincere, aut occidere hac acie certum eſt. Ignauiam quidquid miſeriarum eſt, excipit. Victoriâ Regnum cum exiſtimatione acquirimus; vt famam in cætera profuturam tranſmittam. Plurimum enim intereſt, quæ quis principia ponat, quo incognitus nomine primùm inſigniatur. Nec enim gentes omnes ferro; plures famâ profligantur; & ne viſi quidem, vt ſuperiores coluntur. Vandalos quòd domi aſueuerint ſæuitia fregit, nobis ex inſtituto & neceſſitate virtus accedat. Superent numero Vandali, nos fortitudine tuti, è numeroſo hoſte plura ſpolia contrahemus. Si me victorem in hoſtili ſolo, hac vice ſiſtitis, vobis quidquid belli iure habetur accedat; laborem ac gloriam ex æquo partiemur. Satis ſuperq; votis erit, ſi me duce cuncta præ libertate negligitis. Nec Vandali ſiluêre, ſed ſuos quiſq; hortatus eſt ad virtutem ac patriæ tutelam. Pugnatum militari conſtantiâ quamquam inter barbaros; duraſſetq; bellum atrox, vtriſque luctuoſum in veſperam, niſi Vandalorum equitatus declinaſſet. Inſtitit Agionus victoriæ, fuſos proſecutus ad multum

Agionus & Iborus Duces Scandianorum.

Pugnant cũ Vandalis.

Et fugant.

noctis,

noctis, & ſatietatem. Tum demum recepto milite, è ſuis paucos, plurimos hoſtium ceſos accepit. Recepta quoque ſpolia, equi, currus, arma, commeatus, quæque barbaris vſui, aut decori aſſeruabantur. Clara inter eos populos Agioni Gonzingi victoria fuit, pluriumq; annorum quietem tulit: cum interim circumfuſa barbaries, aucta viribus, Vandalorum exemplo ad res nouas accingeretur. Sed nihil æquè, ac inopia frumenti fatigabat; crudâ hieme ſementem; multitudine abundantiam prohibente. Placitum itaq; omiſſis veteribus ſedibus, Mauringiam inuadere; amœniorem cœlo, glebâ, & ſegete fœcundiorem. Sed Aſſipetes ingenti iuuentutis multitudine tenebant: nec niſi per vim, medio regni iter haberi poterat. Neq; tamen Agionus ad arma ſtatim, & manifeſtum certamen hoſtem pellexit; arte & tempore, obſtantium numerum, ac ſęuitiam, cui ſe imparem rebatur, eludere meditatus. Euulgari toto exercitu iubet, magnam ſe Cynocephalorum manum in armis habere. Horum vires cæterorum mortalium fortitudinem multò ante ire: Non vi, ſed rabie; non audaciâ, ſed temeritate in bella ferri: Vulnerare, occidere, exſugere mactati hoſtis cruorem: Deniq; crudelitatis, nec in defunctos quidem, finem vllum facere. Eo ſe munimine vti; idq; clàm habere, vt viſâ nouâ ſpecie terrerentur hoſtes; & contra ignotos nullâ fortitudine iuuarentur. Facilè id Aſſipetibus perſuaſum, opinione ſeptentrionis, quem inſolitarũ belluarum catherüs fœcundum credebant. Nec ideo tamen ſine bello aditum conceſsêre; aut commeatu occurrere, ſed nec colloquio dignari placuit: Tantùm communi periculo prouiſum, vt jus victoriæ duorum pugnâ quæreretur, Aſſipetûm altero, altero Scandianorum, in certamen adductis. Nemo inter Scandianos erat, qui virtutis periculum propriæ ſalutis diſpendio faceret; torpentibus omnibus fortiſſimi hoſtis aſpectu, qui minitabundus adſtabat, voce, vultu, manu, dari ſibi in quem pugnaret poſtulantis. Iborus Agionis germanus, magnitudine animi ante alios, & fratri virtute par, cum ſummo nomini conceſſiſſet, ingenitæ gloriæ deſiderio, & communi dedecore tactus, graui in reliquos irâ, medio campo ſtetit; arma, equumq; flagitans, & moram famulantium increpans. Vos, inquit, commilitones, promiſſæ fortitudinis immemores, aut ego hodie dexterâ hac, in pacem ac lene ocium vindicabo, aut honeſtiſſimo exitu, cunctorum oculos verecundiâ perſtringam. Adeône priſca illa noſtrorum virtus elanguit, vt in tot millibus nemo cenſeatur, qui prælia profligare, aut temerariam hoſtis audaciam coercêre valeat? Referatis deuicti, & in mancipia tranſlati, fortiſſimæ patriæ, me intra iuuentam publici dedecoris cauſam ſubijſſe. Quid vltra moror diſcrimen meum, incolumitatem veſtram? Nemo aut victoriam acrius præſumpſerit, aut ſi fortuna contra vertat, vitam fortius reliquerit. Prorumpenti obiecêre ſe primatum ſpectatiſſimi: Dedecêre eius victoriæ ſtudio exercitum teneri clamitantes, quæ etiam parta, toti populo per infamiam ſit oneroſa. Nec eò neceſſitatis rem adductam, vt Ducem quo Reſpublica continetur periculo obijciant. Adeſſe ſeruilis conditionis iuuenem, qui pacto libertatis in arenam deſcendat: Honeſtiſſimam illius fortitudine victoriam futuram, & facilem ex cæde iacturam

Cynocephali.

Aſſipetes obſtant.

Singulari certamine concurrunt.

iacturam (non enim bono iure adhuc, & cum fide integrâ agere nouerant.) Concurritur pari arte, armis, animis. Nec diù in ancipiti victoria ſtetit, *Scandiani vincunt.* adacto per Aſſipetis latera mucrone. Accepêre victoriam ſonoris vocibus Scandiani; quamquam Iboro cum mœrore fuit, velut gloriâ interciſſet. Neq; Aſſipetes obſtitere, conceſſo tranſitu, & ad plures dies cõmeatu. Mauringiâ plures annos vſi, bellatorum numero aucti ſunt, vocatâ ad pileum ſeruitute: Quando ne inter barbaros quidem, militiæ decus, liberis ac ſeruis commune erat. Quippe vt apud veteres Romanos, libertas in commune poſita, & per vindictam habita rata erat; ſic apud Scandianos, quæ ſecretorum verborum murmuratione, per ſagittam & arcum parabatur, extra omnem dominorum pœnitentiam, ſui iuris erat; velut qui meruerant, libertatem armis accepiſſent. Aucti numero & ſucceſſibus Scandiani, ſiue Mauringiæ anguſtijs, ſiue inditâ inquietudine, paucos annos immorati, Rugilandiam inua- *Scandiani nouas ſedes petunt.* sêre: Mox Antaibos, Bontaibos, & Burgundaibos (ignota hodie nomina) eodem impetu, eâdem prædæ auiditate populantur; Soloq; diutius inſiſtunt, perpetuâ in Agionem, ac Iborum G o n z i n g o s quos ſibi Duces legerant, reuerentiâ. Creuerat interim quiete, & pace Scandianorum exercitus; & multitudine ac virtute freti, vlteriora meditabantur. Non enim habendi modus eſt; & opes, ſui faſtidium copiâ, & vbertate non pariunt. Siquidem vbi barbari vſu, & neceſſitate expleti ſunt, amęnitati, luxui, libidini conſulere; tamq́ in ſummâ fortunâ futurorum improuidi cępêre; rapto & diuitijs illuden- *Gambaræ mors, & Ibori filij.* tes. Extremâ ſedium mutatione, Gambara ac Iborus natu minor fato conceſsêre: ſupereratq; Agionus non mutato Ducis nomine, extremâ ſenectâ, & vnico filio ſuperſtite: quamquam eſſent in domo fratris liberi, quos ille pari caritate, ac ſuos complexus fuerat. Agionus filium multô ante ad imperium vocauerat, vt non minimam curarum partem capeſſeret, Regni munia delibaret, militiæ ſtrenuum, domeſticæ artis ignarum. Igitur vbi Agionus inſtare vitæ finem videt, conuocatis gentium primoribus, ac filio, his fermè verbis vſus eſt. Quadrageſimus annus eſt commilitones, ex quô votis populorum, ſpei veſtræ Dux adſcitus ſum: Nec enim me extorrem patriâ, accolarum vexatio, inopia, aut neceſſitudinum mearũ faſtidium, egêre; ſed quam cuncti, eandem ego ſortem amplexatus ſum, eaſdem res ſectatus. Medio temporis, quibus laboribus iactatus, quanto ſanguine res communes tutatus ſim, vos, & deuictæ gentes nouêre; & me in commemorandis quæ meruerim, nimium eſſe non decet. Teſtes mihi lixæ, ac calones, non abnuiſſe vti priuatum viles excubias, puluerem ac ſudorem in voluptate habuiſſe: Non vt eo tantùm nomine ſingulorum gratiam emercarer; ſed vt quos imperio, eoſdem exemplo quoque præuenirem. Turpe enim eſt labores, ac diſcrimina à gregario milite detrectari, quæ auidius à duce ſubeantur. Sed finis inſtat: Nec ego vobis extremis appropinquans, aliter quàm bonis conſultis vtilitatem afferre poſſum. Regnum ſtabile tum vos habituros credite, vbi Dijs, ac hominibus grati, rerum familiarium non anxij, in commune conſulueritis. Quæ enim vires, tot populorum concordiam conuellent? Ceſsêre vnitis Vandali,

dali, Mauringi, cæteræq́; gentes; quarum hodie agros exercemus, ceruicibus inſiſtimus. Cędent eidem fortitudini cætera; ſi priſcæ gloriæ memores, cum numero virtutem auxeritis. Agimundo filio non aliud peto, quàm vt communi caritate foueatur; ſi vobis, ſi amicis, imo & hoſtibus, prædeceſſorum veſtigia terere, magnanimitate cum ſocijs certare; & communi vtilitati proficere deprehendetur. Mihi ſatis ſuperq́; præmiorum acceſſerit, ſi nominis mei famam cum gloriâ tenueritis; nec laborum noſtrorum obliti, nec intempeſtiuâ fiduciâ, nimiùm de fortunâ confiſi. Agionem Scandiani æſtiment, non bellorum gloriâ, ſed tot millibus hominum, optimæ patriæ ſeruatis, qui ſine patrono, præcipitibus conſultis cecidiſſent. Nec multô poſt extinguitur, ingenti omnium luctu: manſitq́; apud ſuos æternus, gloriâ, ac famâ virtutum; quas in poſteros tranſmiſſas, cum nomine nepotes acciperent. Gliſcebat interim Scandianorum exiſtimatio, & propriæ tutelæ, & aduerſus accolas formidini. Nemo enim eâ fiduciâ erat, vt rebus partis contentos, nec maiora proſpectantes crederet: quòd fere inſatiabiles in fęlicitate ſint mortalium animi. Cęterùm Scandiani, vt etiam ſpecie inanium firmitudinem oſtentarent, reliquarum gentium ritu, non à Ducibus amplius, ſed à Regibus poſſideri ſpecioſiùs credidêre: vt teſtandæ potentiæ, virtus, numerus, nomina reſponderent. Agimundum itaq; Regio inſigni, parentis, auiæ, proprijsq́; meritis, decoratum; fauſtis populi acclamationibus obijciunt, Regemq; ſalutant. Profuit antiqua GONZINGORVM nobilitas, iuuenisq́; fortitudo & modeſtia, haud quaquam noua. Quippe barbaris aduerſus nobilitatem ſumma reuerentia eſt, & ſi virtus accedat, pronum obſequium; nec animi naturâ feroces, ſeruitutem meliorum aſpernantur. Agimundus latiſsimè patentibus Poloniæ campis conſedit; Regni exordia curâ & vigilantiâ; poſtrema, quæ triceſimum & tertium annum ſpectabant, incuriâ, & deſidiâ proſecutus: conſilij à patre dati immemor, ne nimiâ fiduciâ reſolutus, hoſtibus benè agendæ rei occaſionem aperiret. Iam nec ſoli anguſtia, nec ſegetum penuria fatigabat. Per ſummam quietem, & ſerere, & ſato vti dabatur. Nullus à ſuis, nullus ab hoſtibus accolis metus inerat. Venari, epulari, iocari diurnum; temulentia & crapula nocturnum erat. Ergo propinqui Bulgari, opportunitate ducti, tempus fugandi hoſtis conſpicati, magnâ manu Agimundum ac ſuos, nil tale opperientes inuadunt; ſuperfuſi tentorijs, tugurijs, ac ſaltibus; quibus barbaræ gentes, etiam ad religionem vtebantur. Expediti ſalutem fugâ quæſiuere; domeſticæ rei implicatos, & inualidos ſubitus impetus obtriuit. Rex Agimundus veteris nobilitatis retinens, & mortem ſeruitute potiorem habens, dum retinet ſuos, fuſos colligit, manu, voce ſtrenuus, & in denſiſſimos irruens, occubuit. Filia à Bulgaris in prædam abducta. Lamiſſus filius (adoptatum quidam volunt) venatione longius à ſuis abductus, diſcrimini ſubtractus eſt. Nec Bulgaris animus, aut ſcientia proſequendæ victoriæ; ſed prædâ læti (quod vnum barbaris in voto eſt) bellum pro confecto habuere. Hinc Scandianis ſparſas ſuorum reliquias colligere, in iuſti exercitus formam componere, haud abſimili Bulgarorum incuriâ permiſſum,

Agionis mors.

Agimundus Rex.

A Bulgaris caeditur.

Lamiſſus.

miſſum. Nec diutius expectato, quàm vt in eundem locum coiretur, & prę-lio neceſſaria pararentur, repentinam vim meditantur. Conſulta Oracula, ſpe futurorum; ſed quod Dęmonibus ſolitum, vniuerſa per ambages expediuêre; quæ non Scandianis minus, quàm Bulgaris victoriam promitterent. Belli tamen exitus illis gloriam cum victoriâ tulit: Captæ ex hoſte manubię, abductæ pecudes; terræ, fruges, incolæ victoribus acceſsêre. Huius Oraculi illuſione Scandianis Longobardorum nomen impoſitum, qui de ijs tradidêre teſtantur: quòd ad Deam Godam, tot longis barbis adſtitiſſent. Nam & fęminæ, quô multitudinem & numerum facerent, comas in mentum deflectere, vt nudatâ ceruice barbam oſtentarent, doctæ fuerant. Quidquid ſit de nomine, id vnum conuenit, à longis barbis, nomen genti inditum; raris aliter cómentantibus. Certè qui prius Scandiani, Scandinauij, Hinnuli, Hunni, Gothi dicti ſunt, non prius Longodardi appellati creduntur, quàm Godæ Deæ oraculo iuberentur. Alij ergo Longobardi, de quibus præcipuus auctorum Cornelius Tacitus, aliæ gentes cenſendæ; quando Scandianorum egreſſio, magno annorum numero, priores illos ſit ſubſecuta. Quippe ipſis Auguſti, Tiberijq; Principatibus, non recens, ſed inueteratum, ac formidatum Longobardorum nomen in Oriente erat. Nec ignarus ſum, creditum quibuſdam, mutuâ vtriusque populi miſcelâ, poſterioribus nomen datum; Quod &ſi veri ſpeciem præſeferat; ijs tamen quæ de Longobardis celebres auctores memoriæ mandarunt, non conſonant: Vt nobis vel pugnantia atteſtari aliorum fide oporteat, aut vniuerſa (quod Hiſtoriæ ſoliditatem infringit) in medio relinquere. Ambitio, aſſentatio, odia, ignorantia veri, diuerſitatis ac pugnantium apud Hiſtoricos ſententiarum, cauſam omnem dedêre. Regum ac populorum opera, & longâ annorum ſerie abdita monumenta tempus craſſiſsimis tenebris obuelat, & in claram lucem proferre non ſinit. Proinde vero propiora, quæq; dicto, aut facto ex probabilitate coniecturam habent, pro compertis accipienda. Nos etiam pleraq; multis indubitata proſequemur. Prouinciâ potitus Lamiſſus, plures annos in pace, ac rerum affluentiâ tranſegit. Et aderat pro munimento exiſtimatio, ac fama viri, cui cæteræ gentes ob reuerentiam cedere videbantur. Adeo ſpectata ſemel virtus, acrem ſui opinionem relinquit: Et accipiendis è rumore, prauis, ac honeſtis, haud diſpari facilitate ſumus. Succeſſit (vt ferunt) paternæ hęreditati Lechus, non militiâ minus, quàm domeſticis virtutibus celebris; Sed tantâ ſeueritate morum, vt aliena, &ſi vilia rapere, ſua ad furtum per negligentiam exponere, ordines in bello deſerere, connubia ſegnius agitare, diſcinctum incedere, maieſtatem appellaret. Vnde quamquam non ſublata, mollita tamen barbaries, & mitioribus inſtitutis, ſuper rudem antiquitatem creditur exculta: Manente tamen apud ſuos inuidiâ, velut ademptæ libertatis, quam efferi populi in laſciuiâ præſumebant. Eo extincto, Gildeocus filius, Regnum paulò remiſſiori imperio aliquot annos habuit; parenti diuerſus inſtitutis, & vulgo acceptior comitate; quæ barbaris cognita virtus, aut eblandiens vitium creditur. Hinc amor obſequij erat, velut redditâ gratiâ: & diſci-

Sed reſũpta virtute Bulgari ſuperati

Longobardorũ denominatio.

Lechus.

Gildeocus.

& diſciplinæ qualiſcunque curâ: Sic nec remiſſæ prorſus virtutes, & clàm
ſubrepſit negligentia; nam & raris excurſionibus infeſtabantur, & aduerſus
externa degebant incurioſi. Gedeocus eius filius ſubſecutus eſt, in quo prę- *Gedeocus.*
deceſſorum virtus, tamquàm è radice pullulauit. Is inertiam ac pacem in
malis habens, quę fortia pulchriora iudicabat, nec niſi armis Regna ac Pro-
uincias haberi poſſe credebat. Factâ itaq; in Rugilandiam expeditione, *Rugilandiã occupat.*
dites ac imbelles ſedibus expulit, opibus ac regno exuit, inſeditq; vt ſuo.
Inerant non aſpernendi cętus hominum, & iuuentus; ſi virtutem prætuliſ-
ſent, vſque ad bellum anceps duratura: ſed ipſis & agendorum conſilium,
& in conſilio conſtantia deerat. Id Gedeoco perſpectum, vnde opportuni-
tate ac celeritate vſus, fęlici exitu quod agitauerat expleuit. Non tamen
diuturnum ipſi imperium fuit, ſeu veneficio, ſeu curis, & valetudine impro-
ſperâ finem inuenerit; nam vtrumq; traditur. Translatumq; Regnum in
Claſſonem filium, nomine tantùm, & nobilitate notum. Nec enim aut re- *Claſſus.*
bus contra exteros benè geſtis, aut decorâ & ſecurâ pace; ſed nec pietate
in ſuos memoratur. Quia fatalis regnantibus adulatio, ac voluptas, pronis
audientium, ac mentientium animis eſt: Sunt qui incertis auctoribus, viro
fortitudinem, & militiæ decus adſtruant. Niſi ex ſucceſſore metus, ſcripto- *Tadus.*
rum ingenia falſis, inauditiſq; corrumpit. Claſſum Tadus filius excepit;
qui ſiue gentium inquietudine, ſiue inditâ animi magnitudine, ac vitæ inſti-
tuto, adiacentibus arma intulit: Prædeceſſorum modeſtiam ſegnitiam vo-
cans, & vnâ belli gloriâ clareſcere decorum ratus. Pleriſq; ſuorum, feritas
accepta erat; tamquam Regi annuerent, & expediret. Pugnatum ergô va-
rio euentu, contra Herulorum Regem Ridolphum, modô diuiſis, modô iun-
ctis copijs, interdum & per inſidias: Donec labore, ac frequentibus cladi-
bus feſſus Ridolphus, vniuerſis exercitibus, de ſummâ rerum, periculum fa-
cere ſtatuit; præceps conſilij; lentæ, anxiæq; vitæ intolerans, & pręcipitati,
quàm in longum tracti exitij auidior. Erant qui Ridolpho cunctationem,
ac moras ſuaderent; quando intra munimenta, & in ſummâ commeatuum
copiâ, delaſſare, fruſtariq; procul inuectum hoſtem, & moræ inconſultum
expediret. Sed ille curarum tædio, & quia ſæpius irrito euentu pugnatum
fuerat, totâ mole belli occurrere diſcrimini ſtatuit; ſi pugnæ formâ muta-
tâ, fortuna quoq; partium verteretur; & certiorem victoriam credens, ſi to-
tis viribus quæreretur. Concurrêre hinc inde barbari, & ad diei extremũ
pugnatum eſt, tantâ contentione animorum, vt flagitium in fugâ, vel cum
vitæ pretio crederetur. Ceſſit tamen Longobardis victoria; cuius non mi-
nus fortunam, quàm virtutem accuſare licet; interfecto ante oculos ſuorum
Ridulpho, ſagittæ ictu. Incertus tamen percuſſor, quamuis id primùm cla-
dis initium, & tunc hæſiſſe hoſtes viderentur. Seruorum armorumq; nume-
rum, pecudum multitudinem, fruſtra quis ſectetur. Nouiſſe ſatis ſit, in vi-
ctores more barbaro omnia fluxiſſe: Simul deletam omnem ferè Herulorum *Herulos delet.*
manum, ne reliquiæ nouo bello ſupereſſent. Sed vbi laboribus ex voto ſu-
ſceptis, certam pacem; nîl vſquam turbidum, procul inſidias Tadus putat,

filio ante, ad belli, paciſq; munia exercito, tamquam ſecuritatis munimento, ab Vuaco, fratris filio, intra patrios lares, opem ferente nemine, iugulatur. Cauſæ quæ parricidam mouerint variæ traduntur: Propius vero fuerit, quòd defuncto Vuaci parente, pro vili in aulâ haberetur; & veluti ad ſeruitutem patrui natus, nō officio, non gratiâ coleretur. Acceſſit haud dubiè regnandi amor; cuius ea vis, ille ardor eſt, vt tenebris animum veluti perſtringat, cogatq; pro honeſto haberi, quod vtilitate penſatur. Nec vllius ſceleris deformitas tanta eſt, quam præſumpta indignatio non obliteret: Et vbi mens vni flagitio annuerit, cætera non abnuuntur. Quidam longo exilio profugum Tadum, ad extremum vitæ delituiſſe putant; cùm & Vuacum rerum potiri, & reuertenti minitari perniciem, fama eadem ferret. Indechis Tadi filius, extremâ calamitate ferox; dubia pro certis, periculoſa pro expectatis habens, paternas iniurias vltum ijt, amicorum & clientium paruâ manu, audacioribus, quàm certioribus conſilijs vſus. Non ingenium iuueni, non vires ad exequendum; tantùm fortuna deſiderabatur, cuius in magnis cœptis, ſumma poteſtas eſt. Victo enim Indechi, & deſperatione rerum profugo; nec amplius aut conſilio, aut viribus, tentare fortunam auſo, Vuacus Regno potitus eſt, continuâ pace extra arma, niſi propulſandis aduerſis. Nam Sueuæ gentes, nec fortitudine, nec numero temnendæ; & priſcis etiam Romanis, mutuis cladibus & virtute cognitæ adiacebant. Has iteratis expeditionibus Vuacus primùm ſuis finibus continere, mox etiam tributarias reddere, per ſummam fortunam agitauit. Animo ſors affuit: Rarò proſperâ, ſæpius aduerſâ pugnâ Sueui reiecti, haudquaquàm longam vexationem tulêre; ſed in Longobardorum imperium, corporibus ac fortunis ceſsêre. Superiorem Pannoniam, non minus Iuſtiniani placito, qui tum Romanum Imperium habebat, quàm cæde Ridolphi Regis obtinuiſſe Longobardos, ſunt qui tradant, ſunt qui abnuant. Adijcit Procopius, excitis à Iuſtiniano Longobardis, Herulos deuictos: Mox cladis ſuperſtites, chriſtiani tyrocinij lege imbutos, Pannoniamq; ſub tributo Longobardis traditam; ſiue vacuam cultoribus, ſiue ſuſpectis incolis; & multò ante, Romanum Imperium, Decebalo Dacorum Rege Duce, qui à Traiano oppreſſus fuerat, infeſtantibus. Non minor Vuaco poſteritatis cura fuit: Siue vt domum munimento firmaret, ſiue vt Indechim, ſpe recipiendæ potentiæ excluderet. Hinc iterata connubia, quorum bina in irritum fuêre: Sed frementibus amicis, nec recuſante viro, in ſpem tertiam Salinga Herulorum Regis filia accita eſt; ſpe obliterandæ inuidiæ, & amore quietis poſt labores, qui ferociſſimos etiam animos emollit. Vatharitus filius hoc connubio ſuſceptus eſt: qui præceptam Longobardis pacem, certitudine firmauit. Non enim niſi ex Herulis metus erat; & vbi ſeditioſi, prolem è ſuis ortam accepêre, non abnuêre dominationem, vt propriam, & parentum altero, apud ſuos ſeruatam. Vix infans adoleuerat, & Vuacus è viuis exceſſit, quamuis adepto per ſcelus Imperio, opinione tamen virtutis, & gratâ ſuorum recordatione, quòd diuerſas, acceptaſq; artes conſeruationi contuliſſet;

Tadi cædes.

Vuacus.

Sueuos deterit.

Vatharitus.

Vuacus moritur.

Digitized by Google

liſſet; placabilis ſubditis, & iniuriarum cõtemptor, niſi quæ dominationem carpſiſſent. Ergo de Vatherito haudquaquàm dubitatum, firmatâ domo plurium annorum Imperio, & paternis virtutibus, velut hæreditati mandatis. Reliquit famam ſine experimento, intra iuuentam ereptus, & ſpes nouas. Succeſſit Andoinus turbidis Longobardorum rebus, ob imminentes Gepidos ac Pannonios. Nec ingenium aut vires ſuberant, vix habito Regno, tuendi fines, nedum proferendi imperij. Nam Vuacus, ac Vatheritus, famâ quàm vi ſtare ſuas res ſiſi, plus opinione quàm armis proficere nitebantur. Detexit paupertatem, fractasq; vires occaſio, quæ non famâ, ſed facto eget. Et rapti in præceps Longobardi forent, niſi prudentia ſubueniſſet. Quippe Andoinus iuuentâ ac formâ decorus, eoq; connubio validus, amorem virginis Pannoniæ per aſtum ſimulauerat. Nec illi abnuebant; quòd commune Imperium eo vinculo exiſtimarent. Tractâ igitur, in annum alterum negociatione; nec Andoinus in ſummam, de conſanguinitate tranſigebat: Et interim diſſentionis occaſio, ex conditionum difficultate captata. Itaq; dum vltrô, citrôq; legati permeant; hoc, illudve in gratiam, aut æquitatem condonatur, tempori & opportunitati conſultum eſt: & per ſecretum, velut ea nuptiarum honori pararentur, milites, ſocij, pecunia, commeatus, arma expedita: Pannonijq; feritate, quàm ingenio acriores, capi ante ſe, quàm inuadi ſenſêre. Pugnatum tamen, & mora victoriæ interiecta, quantùm repentinæ virtuti conceſſum: ſed fortuna Longobardis affuit, quæ gentem ſpecioſiſſimæ Orbis parti imperaturam, fato quodam, inter labores ac diſcrimina volutatam, cum victorijs ad gloriam proferebat. Gepidi nihilòminus Longobardos incurſabant, nec Pannoniæ poſſeſſione vti, niſi continuis expeditionibus exerciti poterant. Sed latrocinia & raptus gentibus ſolita accuſabantur; nihil conſenſu actum, & amica omnia iactabantur. Simul Gepidi accuſare exteros, ſe ignaros fateri, & immittere globos militum; vt iniuria, & excuſatio ſimul haberentur. Aduertit ea res Longobardos. Proinde vbi irritas querelas, apertam per ſecreta & ſimulata vim conſpicantur, iiſdem artibus quibus petebantur vſi, delectu habito, & ingenti vi militum Gepidis inuehuntur. Vno velut ictu tranſacta res eſt; quòd vniuerſi de vitâ, Regno, ac facultatibus certarent, nihil à tergo virium aut ſpei eſſet. Iamq; dies in occaſum vergebat, cum obſtinato congreſſu, non Gepidi, non Longobardi cederent; ſed vulnera, ſanguis, cædes, vtrinque paria ſpectarentur. Alboinus Andoini filius, ferociâ equi in medios hoſtes abſtractus, Gepidûm Regis filio fortè congreſſus, militiæ ignarum, virtutis inualidum, præcipitem equo dedit, detractamq; ceruicem, victoriæ ſignum, ad ſuos retulit. Id præcipuè Gepidûm animos attriuit, velut pro Rege decertarent, victoriæ ac gloriæ nulla cura eſſet, nec in fugâ flagitium. Inſecuti Longobardi temerè fuſos acriter cõſectantur, ſpolia contrahunt, paucos quos curſus longius tulerat, non reparando, non meditando bello ſuffecturos, ad vlteriora compellunt. Regreſſus Alboinus certæ haud dubiè victoriæ auctor, parentis, totiusq; exercitus feſtis vocibus excipitur.

Andoinus.

Gepidi hoſtes

Vincuntur.

Digitized by Google

pitur. Quod Andoino æui reliquum fuit, ſecuritatem habuit, delecto hoſte, & filij præſidio; quem magno imperio deſtinari, ſortes, & vſa deuotionibus antiquitas prædixerant. Andoino vitâ functo, receptus Alboinus, auctoritate & fauore ſuorum, Regio titulo auctus. Cenſebantur fortes in hoſtem pugnæ, victoriæ per honorem partæ, erga parentem, proceres, exercitusq; perpetuum obſequium; & formoſæ cicatrices aduersâ fronte exceptæ, teſtimonio virtutis. Hæc in ore vulgi; etiam vetera recolebant; vulgatum olim matris inſomnium; cum grauis vtero, edidiſſe ſe accipitrem, qui illicô cęlum volatu euaſiſſet, ſacramento teſtaretur. Iam infans in ſpem Regnorum eductus, voce, intuitu, præſagium firmabat. Vbi iuuentus affuit, non niſi cum prouectiori, fortioriq;, luctâ, ſaltu, ſagittâ certabat: Impranſus, incęnatus, feſſus ſomno, ac ſiti; venatui, & fictæ per artem pugnæ aſſiduus interat, comitatem non Imperium oſtentaturus. Vbi bellandum foret, prima iuuenis in hoſtes eruptio, tardior regreſſus erat. In obſidionibus cæteris facilia, ſibi ſi quid arduum videbatur, exemplo, & præferendæ virtuti poſcebat. Druidæ quiq; ſacris carminibus vſi, futurorum præſcij agunt, proferendum à iuuene latiſſimè imperium, quod armis ac labore quærendum foret, prædixerant. Cæterùm ipſe magnâ prædeceſſorum Regum æmulatione, & comitatem & fortitudinem hauſerat, tantùm à barbarie alienus, quãtum gloriæ vicinior. Sed quia dignationem addidit petita armis Italia, & pulſi, aut in officium redacti, qui pro Imperatore præſidebant, operæ pretiũ fuerit, ſtatum Europæ prout Cæſari ſuberat, & cauſas mutationum tradere.

Andoini mors. Alboinus filius.

Imperij ſtatus.

Translatum ab Vrbe Româ in Orientem Imperium, certâ ſui ac poſterorum pernicie, in Iuſtinianum abierat, domeſticæ ac militaris gloriæ celeberrimum. Eo ſuperſtite, Germani iure ſuo, Galli ſuis Ducibus, velut pulſo Imperatore vtebantur. Pugnatum contra Perſas euentu vario fuerat: Exacti Africâ Vandali, expugnata Neapolis, quamquam forti Gothorum præſidio firmata: Defenſa Vrbs aduerſus Vitigem Gothorum Regem, duce Beliſario: Quem militiæ gloria, ſui temporis imperatoribus antetulerat. Subſecutum Romæ incendium Totilâ Rege Gotho per vim recepto; rurſumq; pulſa à Beliſario barbaries; munimentis ac milite priſtino decori Ciuitas reſtituta. Medio curarum, & quia grauis in Oriente motus, virtutis egebat, euocatus Europâ Beliſarius, occaſionem Gothis obtulit, Vrbem inuadendi, deſtitutam conſilio ſimul & viribus. Immanitati tamen temperatum, nec veteris feritatis retinuêre. Siquidem ædificari, incoli, & amœnitati quoq; componi voluêre. Didicerant plus lenitate apud ſubditos, quàm ſeueritate profici; & grauem dominationem, quæ ſine curâ ac metu retineri non poſſet. Hinc Imperatori timor geminatus, ne Gothorum ſecuritati, præter arma ac virtutem, etiam ex fide Romanorum fiducia accederet.

Narſetes.

Delectus Narſetes ademptæ quidem virilitatis, virtutis tamen non degener, Italiam, & in eâ militiam curaturus. Datus ſimul exercitus numero ac viribus non temnendus. In commilitium aſſumpti Heruli, Hunni, ac multa Longobardorum millia, quos partis victorijs celebres, eóq; Gothis formidatos

datos

datos rebatur. Compoſitis Rauennæ Imperij rebus proceſſit Narſetes, aut Vrbem obſidione recepturus, aut acie certaturus. Quippe nouis cæptis clareſcere, & famam præcipere, ex vſu præſentium, ac futurorum nouerat. Itinere medio obuium ſe Totila, vniuerſis ferè exercitibus præbuit; illectus claritudine viri, & ne fiduciâ agendorum, aut præſumptâ apud accolas fortunâ, rebus Ducis incrementum accederet. Crediderat rerum ſummã in eo verti, ſi aduentantem Narſetem, primâ acie pepuliſſet, aut ſaltem attinuiſſet. Nec ille congreſſum abnuit, ſed hortatus ſuos, & fortiſſimis ante aciem locatis, acriter pugnari cęptum. Narſeti victoriam ſors, & virtus eadem tulit. Nam dum Totila huc illuc, per manipulos errat incuſtoditus, ſiue conſilij ambiguus, ſiue vt accenderet pauidos, agnitus à Narſetis gregario, confoſſus eſt. Clara ea Narſetis victoria fuit. Capta acceſſu Vrbs Roma, fugati Barbari; & iam quod Italiæ reliquum, fortunam Imperij ſecutum, ad victorem inclinabat: Niſi Teia ſucceſſor Totilæ datus, regnoq́; potitus, contractis opibus ac milite, moram triumpho Narſetis interpoſuiſſet. Exciuerat quoq; Gallos audaciſſimam gentem, ſed ipſis in Cęſarem obſequium intaminatum fuit. Id Teiam impulit, properatâ pugnâ, ſeq́; ac ſuos, in diſcrimen dare; quando contatione res Imperij gliſcerent, ipſe aliunde pręſidium non opperiretur. Ortâ luce, pugnæ ſignum datum; nec ad veſperam dimicationi finis ac cędibus fuit. Sors eadem Totilam, ac Teiam ad bellum traxerat; & vtroſq; idem exitus habuit. Maior Gothorum numerus erat, quàm vt illicô concederent, dilatoq́; in ſequentem prælio, extremum virtutis, ac animorum ſeruabant. Intentior Narſetes, peruigilium, cuſtodias, exploratores curare, intercipere Barbarorum fugam, fouêre ſaucios, hos laude, illos præmijs accendere; & quàm tenues Gothorum conatus forent docêre. Vbi illuxit, primores Gothorum, plus cęſorum ac vulnerum, quàm integri militis deprehendêre. Amiſſo Rege, nil ſpei reliquum: Nec facilem ſucceſſoris in tempore deſignationem, ob procerum ſimultates credidêre. Et aderat citato equo Græculus, cum ferocibus à Narſete mandatis, aut in poteſtatem victoris ſeſe dederent; aut promiſcua internecione vſurum; & ambiguos, & eluctantes eàdem ſæuitiâ habiturum. Illi paruêre. Iuſſi tantùm nomen & arma omittere; ne apud Italos Gothorum vocabulum amplius audiretur, ſed nullo rebellionis metu, in ſocietatem adſciti ijſdem moribus, ac legibus vterentur. Sic Gothorum omnis memoria abolita; niſi fędis per Italiam notis, & teſtimonijs immanitatis adhuc potius, quàm regni poſſeſſi titulis circumferretur. Tenuerant has ſedes, duos & ſeptuaginta annos, à Theodorico Rege inducti. Egerantq́; non vt habituri, ſed perdituri Prouincias, cędibus, incendijs, libidine, auaritiâ exeſi. Pars Italiæ tranſpadana, Gallis fortitudine, ingenioq́; ſimilior, & vicinio eodem nomine vſa, vbi Narſetem inter ancipitia luctari, & Gothos victores ſine clade eſſe non poſſe conijcit, proprijs viribus introſpectis, ſeditionem agitauit; initio apud Inſubres orto. Et Narſetes habitâ de Gothis victoriâ fortior, ſimul famâ ſuperior, celeritate inimicorum aſtus, praua conſilia ante-

Totilam Regem Gothorũ ſuperat.

Et Teiam.

Gothorum nomen abolitum.

Inſubres frenantur.

uertit. Et reddita quies prouinciæ, quamquàm Gallorum auxilijs confiſæ. Relata hæc præcipuè Iuſtinianum lętum habuere; vt quem Oriens delaſſauerat, & cui longius ſita Italia, difficilius obtemperatura videbatur. Ducis ea virtus apud Imperatorem credita, vt alio adminiſtratore contineri poſſe diffideret. Iuſtiniano fato functo, Iuſtinus è filiâ nepos Imperium occeperat; otio, & in malas curas reſolutus, nec vllâ militari famâ. Imperij vis penès Sophiam coniugem erat; cui naturæ, ac fortunæ bona, pro virtutibus cenſebantur. Procul honeſtas morum, & fęminilis decoris ornamenta, verecundia, ſecretum. Neque maritus obuiam ibat, fatali ignauiâ, & iuſtiſſimâ Numinis irâ in res Italiæ. Flagitia Principum, aſtu & æmulatione, domeſtici fouebant; quorum callidiores veterem Sophiæ in Narſetem indignationem aperuerant; & ne erraſſe videretur, quocunq; mendacio tuebantur. Hi ergo Iuſtinum ſuſpicionibus facilem adeunt, inanes metus ingerunt, ac Narſetem conuellunt. An neſcis (inquiunt) Imperator, Narſetis Italiam eſſe? Congeſtas à priuato opes, quæ modum excedant, dominanti formidabiles exiſtant? Commiſſos ſibi exercitus, aut ſpecie neceſſitatis conſcriptos, aut non Imperatoris, ſed ſuæ voluntati aſſueſeciſſe? Nec Italiæ tutelam, ſed rebus ſuis quæſitam? Iam introſpexiſſe potentiam addunt; vtq; honori ſuo Regius tantummodo deſideretur. Imo quando modeſtiſſimè agat, velut per prudentiam ſeditionem facere: Vnde augendarum copiarum, honeſta in ſpeciem cauſa eſt. His auctum, poſſe longius agentem Imperatorem, aut in totum negligi, aut datis, acceptisq; conditionibus pacis, potētiam Regnumq; obtinere. Conferri ab eo Prouinciarum adminiſtrationes: Primates, ac Municipia per Italiam, collatis beneficijs (quæ ab Imperatore accipi par ſit) ſibi, & contra dominum, per gratiam, ambitionemq; firmari. Iam annos aliquot vicem Cæſaris gerere. Nec modeſtiſſimi quamuis, longiusq; ſiti, quàm vt illico prouideri poſſit, immenſam potentiam, diuturnam adminiſtrationem, ex vſu imperantis eſſe. Italos beneficijs obnoxios, Græcis infidos, facilè obſequium rebellione mutaturos. Mittendum hoſti ſucceſſorem; & vel ſuſpectum, vel meritum amouendum. Imo nullius flagitij compertum, longiori dominatione intumeſcere prohibendum: parem ab vtroque, & Imperatore, & Duce vtilitatem. Et Sophia veteris odij memor, facilis inanibus, & animi impotens, haud quaquam cōuicijs abſtinebat. Expediri triremem quàm citiſſimè iubet, cum immiti præcepto, cuius hæc forma erat: Percrebuiſſe toto Oriente, ſummâ Imperatoris inuidiâ, vt victorias, cum ſanguine ac dedecore habitas dehoneſtauiſſet; non ſeruatam erga amicos fidem, ſæuitiâ in ſubditos graſſatum. Et ne ſolitis tantùm ſceleribus vrgeretur, barbaris gentibus conſilia miſcuiſſe, in eorum manus arma traduxiſſe, quæ olim Europam Imperio ſubditam ſint exercitatura. Captatam, aut vltrò oblatam turbarum occaſionem, auidius quàm conſultius arripuiſſe; vt maioribus diſtractum Principem, fallerent ambitio, crudelitas, auaritia. Iam immenſas opes, honeſto & recto non componi. Quòd in præſentem rebus nouis, & turbando Imperio apertè non ſtuduerit, ignauiam, ſecordiam, turbatā mentem

Iuſtinus Imperator.

Prauis conſultorib⁹ ſuſpectum habet Narſetē

Sophia Imperatricis ad Narſetem litera.

accu-

accuſabat. Rediret ergò properè, non virilibus & Regijs curis, quibus impar eſſet, ſed lanarum opificio, inter cętus vilium mulierculařum deſtinatus. Simul Longinus ſucceſſor miſſus, fortitudine ac virtute inferior, ſed vt acrius offenderetur, comparatione deterrimâ. Narſetes animo pariter, oculiſque defixus, obſtupeſcere primùm fęminilem intemperantiam, mox irâ ardeſcere, quòd vxorio flagitio interponi Cæſarea auctoritas debuiſſet, & miniſtri optimi honori conſuli. Ad extremùm minacibus dictis prorumpere; nexurum ſe telam, quam non ignauus Imperator, non iniqua coniunx diſſoluerint. Dictiſq; facta tempeſtiuè addidit. Nam viro rectè factorum conſciẽtia, & vetuſtus in Principem amor obſequij inerat. Quô acrius iniuria accepta: tamquam nullâ cauſâ, ſed libidine, & ne apparentibus quidem ſuſpicionis inditijs peruerteretur. Quippe i cuſari opes, bonis artibus, parcimoniâ, curâq; partas; non laborum, non diſcriminis, non fidei memoriam ſubeſſe, quæ domi cara, nullâ Principis munificentiâ exoluantur. Et quando ſponte omitteretur Prouincia, quâ ſecuritate futurum in ciuitate, fęminilibus placitis obnoxia? Perſpectam Sophiæ inuidiam, vt quæ prauis ac inconſultis ſermonibus conſueuerit atrocia facta coniungere. His actus; & quia nec plura, nec maiora audenti quàm ignauo ſubeunda erant, placuit ſeq; ac Rempublicam in diſcrimen dare, dum præſenti ignominiæ ſubtraheretur. Perſpectæ Narſeti Longobardorum vires, longâ experientiâ erant. Et quia ingentibus conatibus minores vires ſuas nouerat, miſſis ad Alboinum Longobardorum Regem literis, Italiæ pulchritudinem ac diuitias, amœnitatem, vbertatem, populi magnitudinem, in Græcum Imperatorem faſtidium oſtendit: Certam poſſeſſionem, ingentia ſpolia, refert; ſi vniuerſâ virtute hùc verteret. Mox commeatus, pecuniam, militem conquirit, vt aduentantem Longinum arceret Italiâ, aut admiſſum propelleret. Alboinus quamquàm premi ſuos, & continuis laboribus fatigatos videt, regni tamen, ac tanti viri famâ motus, de profectione deliberat, ſpretis difficultatibus, quæ magnis conſultis obſiſtunt. Ne tamen relictus à tergo hoſtis, aut veteri Pannoniæ regno potiretur, aut fortibus auſis obicem poneret, Herulorum defuncti Regis filium magno prælio illectum ſuperat, cęſi caput amputat, deterſoq; craneo, & aureâ crepidine ornato, vtitur pro cyatho, in contemptum. Simul Roſimunda filia abducitur, primam intra iuuentam, patris & aui ſortem, in ſui pręſagium opinata. Accepta tamen poſtmodum, ob formæ elegantiam, in iuſti matrimonij ſpeciem, & cultu regio habita. Percrebuerat interim toto Septentrione, Longobardorum conatus in Italiam verti; nec erat qui obſiſteret, detritis Herulorum opibus, & præſumptâ opinione virtutis. Victoribus addidêre ſe multa Saxonum millia, pari ſæuitiâ, externarum rerum cupidi, ſuarum prodigi. Ducentum alij, alij tercentum bellantium millia tradunt, pręter imbellem turbam. Deduxêre enim in eas quas prius animo ſedes præfixerant, vniuerſam cum omni ſuppellectili familiam; Hunnis velut in vſum conceſsâ Pannoniâ, quam reſtitui ſibi ex pacto ſanxerant, ſi res Italæ pro voto non ceſſiſſent. Interim dum Longobardi itineri accinguntur,

Longinus Exarchus.

Narſetes incitat in Italiam Longobardos.

guntur, Imperator anxius, nec ſatis parato remedio, Longini fortunam opperiebatur; qui iam Rauennam adductus, famam potius, quàm vim adminiſtrationis circumferebat. Narſetes Neapoli agebat, ſi fortiſſimam Italiæ partem in officio continere poſſet, & vná ex Longobardorum aduentu, præſenti fiduciâ. Sed quia proditores ijs etiam quos anteponunt inuiſi ſunt, quomodo victorem Alboinum retinêret, quo conſilio, aut vi, intemperanter fortunâ vſum coërceret animo voluebat. Facilè Imperatorem Italiæ poſſeſſione depelli, ſed quam fidem barbaro Regi fore vbi validior affuiſſet; quam vitæ, opumq; ſecuritatem? Proiectos viri ſpiritus Ioannes eo nomine tertius, chriſtiani Orbis Epiſcopus erexit; nuncians per epiſtolas, totius populi fauorem latè partum: nec minus militem Longino pellendo, & accipiendo regno ſufficere: ducem ſe partibus offerret, dum populus inter vtroſq; ambigit, & opes Vrbis pronæ in cauſam oſtentantur. Nouit vetus dominandi, rem vt erat, non vt dicebatur, & hactenus conſilij varius, animum ad fortunam tranſtulit. Sed nihil æquè bonis conſultis innutritum Narſetem, quàm vocati Alboini conſcientia angebat; & ex eo, metus prædarum ac ſanguinis. Nullum enim feritatis, ac licentiæ modum in barbaro requiras; naturâ & potentiâ, in deteriora trahentibus. Ergo componit ad Regem literas in hunc ſenſum. Summâ Regis caritate illectum ſe, non aliud afflictis rebus præſidiū, quàm à virtute amici credidiſſe: Nec famæ, ſed experimento inſtitiſſe, quando Longobardorum auxilijs fuſos Totilæ exercitus, ante Italiæ oculos ſpectauerit. Pro amore reddendam optimo Principi vicem: Nec enim ſemper eundem rerum ſtatum, aut eadem remedia ex vſu eſſe. Eius in Italiam acceſſum, magnis, & quæ de nouo emerſerint difficultatibus implicari. Adſtare anguſtijs Alpium firmatum longâ militiâ exercitum. Nec tranſitum aliter quàm ſanguine & ſudore emercandum. Prouinciarū intima, congeſtis in fortiora opibus, commeatu, ac imbelli turbâ, imminentes obſidiones irridêre. Volitare apertis campis equitum alas, peditum centurias, & nouo indies milite ſuppleri legiones, ad immortale bellum duraturas. Sibi fluxam Imperatoris inuidiâ poteſtatem, nec in conſilijs ineſſe fidem, pronis iam Italiæ proceribus ad res Græcas; quòd Longinus Rauennæ, ac toti Italiæ, multo & forti milite grauis inſiſtat; pecuniâ & auctoritate, vertendis ad propria cómmoda Italis, & mutandi conſilij potens. Frueretur Rex labore ac ſudore partis; nec ſe, gloriamq; diſcrimini obijceret; aut ſanioris conſilij crederet, dubia & futura, præſentibus & compoſitis ante habere. Se conſilium pro viribus afferre: Nec defuturum (ſi fortuna cæptis affuerit) Regis vtilitati omnem operam impendere. Conſenſu traditur, non pietate, ſed rerum ſuarum ſpe motum Narſetem, pœnitentiam barbari Regis voluiſſe: Tamquam Pontificis, ac Pop: Rom: fauore affuturo ſibi, de Italiæ tutelâ non amplius diffideret. Vtcumque res habeat, ſicut multis annorum ſpatijs abditam veritatem ægrè aſſequare, ita oblatam vltrò potentiam non facilè auerſêre. Cuius inexperto, nedum ſagaciſſimo Regi Narſetis aſtutia patuiſſet: pars tamen prudentiæ credita, ſi ſic ageret,

Et falli pœnitet.

Suadetq; ſubſiſtere.

quaſi

quaſi non deprehendiſſet. Siue Narſetis quoq; æmulatio vitanda, ſiue iiſ-
dem artibus illudendus, quibus petitus fuerat crederetur. Proinde acrius
itineri Alboinus accingi, etiam renitentes ſpe ditioris conditionis illicere. *Quòd Alboinus abnuit.*
Et nouerat tempus id gerendis rebus opportunum, cum Iuſtinus vxoris im-
perio obnoxius procul eſſet; Italiaq; ipſa caput rerum, inter Narſetem ac
Longinum diſſidêret. Mutuis quippe diſcordijs infidam pacem, & nil in
commune ſolidum eſſe poſſe. Nec tamen aduentare ſe Narſeti, aut ſub-
ſiſtere Longino denunciat, dum vtroſq; ficta contatione ludificatur, mu-
tuaſq; illorum ſimultates fouet, aduerſus vtrumq; profecturus. Primo ag-
mine expeditiſſimos accingi iubet, qui montium edita, viarum anguſta,
cęno ac limo fallacia ſuperarent; ne ſequentium virtuti, ſarcinis, multitu-
dini impedimento forent. Arduum ſiquidem fuerit Duci, labore & itinere
feſſum militem, ac nocte iniquo loco habitum, ſi res poſcat, orto die in ho-
ſtem rapere. Secuta mox omnis barbarorum colluuies, mixti equitibus
pedites, iumenta, ſarcinæ, puerorum, fęminarum, ſenûmq; imbelle vulgus.
Alboinus ipſe agmen ducens, & ante ſigna gregario mixtus, vbi alpium ſum
mo inſedit, vnde latus in Italiam proſpectus, apud circumfuſos ita cæpit. *Alboinus in Italiam.*
Si virtus, ac fortitudo æſtimentur, grande momentum eſt ſocij, quod ſoli
inopiâ, patrijs ſedibus exacti, huc illuc locorum ac facultatum indigi diſij-
cimur. Ceſſit iam nobis Septentrio, & qui ne certis quidem laribus, cœli
iniurias arcebamus, Regna cepimus, tenuimus, reliquimus; facto ſemper
ad potiora incremento. Habuimus quoq; inſtrumenta ſeruitutis & Reges.
Et nunc errorum, laboris, pugnarumq; tęderet, niſi vos ante oculos longè
vberrimam poſſeſſionem, ego virtutem veſtram haberemus. Vt nihil arduũ
vobis, ſic mihi nihil vſquam quod communi vtilitati conducat ſatis futu-
rum eſt. Vtriq; menſuram impleuimus, vos fortitudine, ego conſultis: quę
non vt cæteræ mortalium res, vſu atteruntur, ſed increſcunt. En vobis la-
borum metam, pulchra vos expectat Italia, imponite longæ peregrinationi
magnum finem: Et quod hactenus virtute quæſitum eſt, poſſeſſi Regni il-
lius æxiſtimatione, ac famâ ſeruetur. Diſcordant Itali inter Imperatorem,
ac Pontificem; & miles rarus per Vrbes, obedientiâ & concordia, non ſatis
competit: Pandite ergo ſinum, & venienti fortunæ occurrite. Secutus mi-
litum fauor, ſonoris vocibus, futuri præſagio. Salutis annus erat quingen- 568.
teſimus ſexageſimus octauus (alij vel addunt, vel adimunt) cum in Forum-
iulij Longobardi irrupêre. Captæ etiam adiacentes Vrbes, & ex vicinis prę-
da acta. Nec ſæuitiæ temperatum, vt ſi quos res familiares in arma coë-
giſſent, terrore ac exemplo proximorum, in officio haberentur. Obſtitêre
tamen immanitati regiæ, Paulus Patriarcha Aquileienſis, & Fęlix Epiſcopus
Taruiſinus. Ad vlteriora tamen progreſſi, & Forumiulij, & quæ celeritate
itineris præceperant, cuſtodiæ ac præſidio Siſulphi (is Alboini nepos credi-
tur) commiſêre; ne relictus à tergo hoſtis, extrema carperet, aut vlterioribus
intentos detineret. Rari tamen progredientem Alboinum vexauêre; ſeu
formidine nominis, ſeu graui cęli lue, rerûmq; omnium inopiâ fracti. Ipſe

Longinus

Longinus Rauennæ ſeſe continere, modicis copijs in ſubſidium deſcriptis, ſatis credidit. Nec aderant vires niſi ferendæ obſidioni, & trahendæ in longum victoriæ. Accedebat vulgata contagionis fama; quâ facilè excuſaretur ignauia. Quippe neminem adeô humanitatis expertem, vt ſecordię imputet, quæ penuria, morbiq; deliquerint. Firmatæ tamen ciuitatum aliquæ, & inter cæteras Mantua, Patauium, Papia, quibus aut in proprio, aut extero ſpes ſubſidij erat. Plures formidine, in paludes imperuias abditi, barbaros nec oppugnauêre; nec victi, quòd fefellerint, in ſeruitutem conſenſêre. Narſetes ætate feſſus, inanes à Pontifice, ac Proceribus Romanorum ſpes, & maiores Longobardorum conatus deprehendens, ſimul conſcientiâ, & Cæſaris indignatione fatigatus, extremum diem obijt, magnâ gloriæ famâ, ſi ad extremum durauiſſet. Sed animi integrum, traxêre in præceps, odia dominorum, & deſperatio. Firmatas præſidijs Vrbes obſidione cingere Alboinus, ex vſu præſentium haud ratus, Vicentiam, ac Veronam, impetu accepit. Nec enim militiæ aut bello neceſſaria incauti præuiderant.

Narſetis mors.

Alboini progreſſus.

Pari fortunâ Mediolanum habitum. Nam conſilium dederat Honoratus Epiſcopus, ne irrito munimento Regem vniuerſis adſpirantem aſperarent, ac in cędes ac rapinas impellerent. Quæ res ipſis ſalutem tulit. Vt enim ferox in obſtantes, ſic facilis in deditos, mitiſq; erat. Papia tamen & commeatu & milite inſtructa, ferendæq; diutius oppugnationi valida, moram cupitis attulit; & in tertium annum obſidione cincta. Sed quia vno exercitu tot Prouinciæ, tot ciuitates vno Duce adiri non poterant, plures delecti, cum parte copiarum, Alboino ad reliqua belli relicto. Quidam vi, multi ſponte in poteſtatem deuenêre. Seruabat Vrbem Imperatoris nomine Præfectus: qui augeſcente Alboini famâ, Iuſtinum neceſſitatis & temporis, ſeq; Italiâ arceri, nî ſuccurratur, monuit. Hinc abſtracta Africæ legio, quę munimento adſtabat, & frumenti ingens copia, famem ſimul ac metum, ad præſens depulêre. Papienſes longâ obſidione, & frequentatis congreſſibus ſuperati, in barbarorum poteſtatem venêre. Fuiſſentq; ad vnum omnes occidione deleti, niſi portento immobilis equi ſui Alboinus, ſanioris conſilij propoſitum, Chriſtianorum hortatu induiſſet. Cęſum tamen Longini præſidium, ducesq;, quorum virtute, tracta in tertium annum expugnatio fuerat. Hîc Regni ſedem, hîc opes, hîc familiam, & Longobardorum præcipuos locat. Nec amplius in ea Regione Italiæ quicquam ſupererat, quod barbarum hominem, quò minus affluentia ac luxu vteretur, prohiberet. Vbi ſecuritati Papienſium prouidit, Veronam conceſſit; amœnitatem, & curas familiares cauſatus: niſi Rauenna caput Italiæ, ante oculos erat. Secuti abeuntem per officium, & eadem ſtudia, procerum pleriq;, & veterum militum non temnenda manus, in otium ac laſciuiam reſoluti: quæ nimia ac temulenta pax, prouinciæq; vbertas induxerant. Sed nec inter conuiuia ab immanitate temperabatur. Nam Roſimundam coniugem, publico epulo exceptam, occiſi ab eo parentis craneo, per iocum bibere compulit, quamuis & neſciam & inuitam: Cumq; auerſaretur defunctorum irriſus, Alboinus

Papiam Regni ſedem deligit.

dicterium

dicterium addidit, ipſam parenti ſuo combibiſſe. Id primùm Alboini fatum accelerauit: Tacta enim honeſto in maritum odio Roſimunda, in parentis vindictam & ſui ludibrij accingitur; implacabiliter indignata, tamquam potatione, in necem genitoris conſenſiſſet, ipſeq; fato quodam, placari manes ſuos cęde barbari coniugis expoſceret. Conſilio adhibetur Elmegiſſus, & amicitiâ & conſanguinitate Alboino familiaris; ſed executioni deerant vires, & animus. Et quia deſiderium in nobili fęminâ maius erat, anxius ac intentius nitebatur. Quia tamen minus in Elmegiſſo conſtantiæ, placitum ad Perendeum conuertere (Amachildem quidam dicunt) & militari ſcientiâ, & fortitudine omnibus cognitum. Hic paueſcere primùm, Reginæ inſidias ſuſpectari, mox abnuere, poſtremò velut minitari. Et detectus dolus foret, niſi libidine circumuentus fidem domini exuiſſet; haud quaquã ſecuram, ſi voluptas pretium offeratur. Vetus Perendeo cum domeſticâ Alboini ancillâ conſuetudo erat; hanc Roſimunda oſtentato pręmio loco mouet, & in eius vicem intempeſtâ nocte, ſolitis Perendeo furti latebris ſuccedit. Neq; ille laſciuiâ turgens, aut multo vino temulentus altius inquiſiuit, parato vſus, & veterem familiaritatem opinatus, torporeq; reſolutus. Vbi illuxit, manifeſtum facinus, nec aliud quàm ex obſequio fęminæ præſidium videt. Et Roſimunda nõ adeò in queſtus effuſa, quin conſilium, preceſq; admitteret, flagitium & periculum inceſtus docet. Regios enim lares violatos, & ne coniugio quidem Principis abſtinuiſſe. Etiam in vili muliercula, quæ Reginæ famulitio aſſiſtat, contrectatam pudicitiam capitalem eſſe. Proinde dubijs potius, quàm deploràtis inſiſtere, ex præſenti fortunâ Perendeo viſum; ſpondet operam, noxq; deputatur, quæ potu ciboq; diſtentum, inſidiarumq; incurioſum Alboinum, quieti daret. Sub veſperam Rex à coniuge feſtis epulis excipitur; additis in partem lætitiæ pluribus, vt eadem apud cæteros temulentia, nec ſtudio quæſita videretur, machinatoribus doli ſecuritatem offerret. Vix amotis epulis cubiculo ſuccedit Alboinus, eructans crapulam, & nullo futuri metu; quòd nemo barbarorum, maiori caritate & exiſtimatione apud ſuos frueretur. Sed nec vxor tentata; quiâ prudentiam, libidinemq; vinum æquè profligauerat. Sed paulò ante Perendeus, ſecreto ſeſe abdiderat, ſoporatum Regem ſtricto mucrone inuaſurus. Vbi ſomno ſtratum, & vniuerſa ſilentio inuoluta Roſimunda deprehendit, Perendeo necis ſignum dat. Quod ille haut contanter accepit. Perfecto ſcelere magnitudo eius cognita. Nam Alboinus haud dubiè poſſeſſionem Italiæ cęperat, Herulos, Hunnoſq; compoſuerat, par paci, & bello; ſæuitia non ex ſcelere, ſed moribus & naturâ erat; aduerſus quam mitioribus conſultis interdum famam clementiæ occupârat. Munificentia, fortitudo, vires; etiam fortuna affuit, quę rarò ignauos & degeneres comitantur. Tumulatus eſt magno Longobardorum gemitu, & in parricidas inuidiâ. Sed vtriq; abductâ per ſecretum noctis regiâ gazâ, & paratis ante diſpoſitiſq; quæ tempus monebat, Rauennam conceſſerant: Incertum an acciti, promiſſumq; ab Græco homine pretium ſceleris impunitas fuerit. Non

Alboinus Roſimunda inſidijs iugulatur.

tamen

tamen longior ſicarijs vita fuit, nam Roſimunda nouo amore vecors, tol-
lendi è medio Perendei conſilium, cui ante denupſerat, ſecuta; ipſi in bal-
neo lætale virus obtulit: Quod illico agnitum. Tum Perendeus, quando
pereundum mihi, & multandus ſum flagitij quod ambo commiſimus, im-
Ri ipſa perit. proba coniunx, aut de eodem hauri, aut hunc ſinu accipe; (mucronem of-
ferebat). Illa ſumpti veneni ſpem aliquam rata, ſiue vt ſe purgaret, ſiue
præſumptis remedijs munijſſe corpus crederet, intrepidè ſumpſit. Sed cu-
ra vtriuſq; in irritum fuit, paucas intra horas extincti. Feſtinatis exequijs
eodem ſepulchro illati ſunt. & etiamnum Rauennæ tumulus oſtētatur. Hęc
percurrenti, ludibria lectorum animo obuerſantur, quibus pro ſcriptorum
libidine imponitur. Nec enim ignarus dego Gulielmum Camdenum An-
gliæ lumen, in ſuâ Britanniâ tradere, Roſimundæ tumulum in Oxonienſi
prouinciâ collocatum; cum eàdem quæ Rauennæ eſt inſcriptione.

Hac iacet in tumbâ, Roſimunda non roſa munda
Non redolet, ſed olet, quæ redolere ſolet.

Sunt qui Longini aſtu putent inductam Roſimundam, nouo ſceleri; ſpe
connubij & opum, quas illa cæde ac furto coniugis immenſum auxerat, vt
præſidium habitura. Niſi fortè libidini nullus eſt modus, & fęmina ſemel
amiſsâ pudicitiâ, tardè reſumit verecundiam. De theſauro conſtat, quod
Imperatori à Longino miſſum, apud Scriptores conuenit: Documento, quâ
iuſtè, honeſtèq; potentiâ vteretur; niſi pecuniæ auidum Cæſarem ac vxo-
rem, eo vinculo illigauit, vt in poſterũ incautiores falleret. Vertebat quin-
572. genteſimus ſeptuageſimus ſecundus annus, cum vulgato per exercitus Al-
boini exitu, proceres Longobardorum, quiq; militiam curabant, Papiam
Cleſus Rex. conuenêre; vocatumq; ad Regnum Cleſum, è familia Alboini, & clariſſimis
natalibus genitum, vniuerſis præpoſuêre. Nulli Barbarorum Regum, etiam
in pace, ac ſecuritate, maior ſæuitia fuit; Metum inſidiarum, formidinem
flagitioſorum, vltionem, ſecuritatem vocabat. Et cum in plurimos opinio-
ne ſceleris ſæuiret, plus aduerſus perfidos exemplo, quàm caritate profici
iactabat. Caritatem domini, quam non naturâ, ſed electione habuiſſent
barbaro inſolitam, timorem amicis hoſtibusq; iuxta ineſſe ferebat. Sed
breui, & inuiſo Regno documentum poſteris dedit, eôdem metum & inui-
diam incumbere. Prima in Tannetum Cleſi expeditio fuit, quod ſolo ęqua-
tum. Nam magnâ Regis iniuriâ, & obſidionem opperiri, & eruptiones
audêre conceperat. Idem in Forum Cornelij actum: quod dirutum ſplen-
didius in ſpeciem, ac firmitatem reſtituit. Vt eo munimento educi & reci-
pi, qui oppugnaturi Rauennam mitterentur, poſſent. Nam ea præcipuè Ci-
uitas, vt partium Cæſaris validiſſima oſtendebatur. Nec Italiam haberi
poſſe, niſi eâ in poteſtatem redactâ exiſtimabatur. Celſitudini arcis barba-
ro nomine Imolæ nomen impoſitum. Sed Cleſus in deditos, in deuictos
pari crudelitate, plurimos in ſecreta & imperuia (vbi nunc Venetiæ ſpirant
Orbis imperium) coëgit: Quæ Atilæ initijs frequentata, opibus & nume-
ro, non in tumultuariæ multitudinis formam, augebantur. Aderatq; con-
ſenſus,

ſenſus, mutua caritas, & connubiorum agitatio, non fortunâ, ſed tamquam regerentur, & futuræ potentiæ ſemina iacerentur. Nec minus Vrbs Claſſis, haud procul Rauennâ ſita, Cleſum Regem accepit, quamuis validâ manu illic hiemante teneretur. Miſſi quoq; per Italiam cui Roma inſidet, cum fortiſſimis delectibus Duces; plures ſponte in deditionem accepêre; quoſdam temerè congreſſos, aut obſidionem ferre auſos ſubegêre. Iamq; Vrbi metuendus Cleſus imminebat, caput rerum eâ expugnatione peti, & cætera mox acceſſura ratus; nî fortuna Romanis ſalutem, Regis internecione parauiſſet. Gens libera, etſi olim ferox, multis ornata victoris, Italis moribus, cultuq; emollita, tantam in ſuo Rege ſæuitiam non tulit. Quâ origine, & quia priori ſimilis metuebatur, Comitio habito, proximè libertati conſuluêre; Statutis in Regum vicem Ducibus, quorum operâ prouinciæ ſeruarentur, potentia in commune eſſet. Triginta fuiſſe memorantur; quibus indictum, vt auctoritatem modeſtiâ, vires temperamento exercerent. Et obuiam quidem ſæuitiæ numero rectorum itum eſt, vires tamen infractæ. Nouis enim rebus & ſi conſenſu pugnandum ſit, deliberatione ac executione celeri opus eſt. Quòd ſi plures conſuluntur, vix in commune conſentitur; & ſi concordia obueniat, agendorum occaſio elabitur, inutili & corrumpente opportunitates conſultatione. Cæterùm fama nominis valuit, vt vix anno vertente, in poteſtatem tantum oppidorum, receptum à Longobardis ſit, quantum quis itinere terreſtri perluſtraſſet. Feritas tamen in quos pugnabatur, vetere gentis inſtituto ſeruata: Non cæde, non prædâ ſatiati, niſi libidinem ac incendia addidiſſent. Innatabant ſuo ſanguini per Vrbes cadauera; ætate, aut morbo inualidi, tamquam victoribus graues eſſent, iugulabantur. Senes velut conſilio fortioribus adeſſent mactabantur. Addita percuntibus ludibria, & iuſſi parentes filiorum, filij parentum cædes aſpicere. Credebatur non ante finem bello per Italiam fore, quàm gens omnis occidiſſet. Et ex filijs quoque metus erat, ne in pereuntium vindictam adoleſcerent. Ergo ſecuritati excidio populorum conſulebatur. Quidquid agrorum inter Neapolim, Beneuentum, ac Sipontum viſitur, Orientis Imperio adhuc parebat, non inferendo, non trahendo bello validum, ſi Longobardorum vis omnis eô flexiſſet. Sed milites, ac Duces numero diuiſi, vt impares contra ſingulos ſpernebantur. Infregerant quoq; potentiam Saxones, olim expeditionum ſocij, & magnâ opinione fortitudinis, ad ſua dilapſi; quos abire ſedibus, & procul à Longobardorum ſeruitute agere Galli peruicerant; ſecretâ ſpe, abditiſq; conſilijs. Decimum iam annum diuiſi, vicinorum audaciam, non aliâ cauſâ magis increſcere deprehendêre, quàm quòd diſcordia inter Duces Rempublicam carpſiſſet. Sic in vnum totam auctoritatem conferri, pacis belliq; intereſſe rati, de Rege agitarunt. Placuitq; vetus nobilitas, & è Regum domo, defuncti filius, nomine Antharis, ad imperium vocatus. Abolita Ducum auctoritas; quorũ alij ſponte, alij per vim paruêre. Geſta quoq; cum Gallis prælia proſpero exitu (qui pridem deterere vires Longobardorum, auulſis Saxonis procurauerant) & inter-

Occiditur.

Longobardi Duces eligũt

Sed denuò Reges creãt. Antharis Rex.

C

& interpoſitis inducijs pax firmata: Quod Regni reliquum Anthari, com-
Moritur. poſitis domeſticis curis inſumptum. Obijt ſexto Imperij anno: quidam ve-
nenum cauſantur. Cæterûm parando ſucceſſori Duces Longobardorum
diſcordes egêre; ſibi quouis eum honorem per amicitias, ac munera quæ-
rente. Pernicioſam eâ in re diſcordiam iudicantes, Tendelindæ Regis co-
niugi viduæ, ſpectatæ pudicitiæ ac temperantiæ conceſsêre, vt quem illa
maritum delegiſſet, is vxorio nomine Regno quoq; potiretur. Prælatus eſt
Agilulphus Rex. Agilulphus Taurinenſium Dux; nec potior alius iudicatus, ſi proceres ipſi
elegiſſent. Varia tamen cum ſuæ gentis Ducibus fortunâ egit; &ſi ferè
proſperâ; quòd ſingulis opes & amicitiæ, longiori adminiſtratione acceſſiſ-
ſent: Vxoris conſilio vſus, in quâ virtutum commendatio, præcipuè ex pie-
tate erat. Eius quippe ductu, multô ante certato cum renitentibus, exuêre
Idololatriam, ac prauas religiones Longobardi; caſſæ deuotiones, & chri-
ſtianis ritibus imbuti ſunt. Mox delubra reſpexêre: Reddita ſacerdotia,&
Eccleſiarum prouentus, qui victorum Regum fiſco multô ante ceſſerant.
Tum primùm pulſa barbaries viſa,& Longobardi velut incolæ habiti. Ber-
gomenſis Dux ac Beneuentanus, vtriq; ſacramenti contemptores, ſoli in
perfidiâ manſêre; cùm iam cęteri obſequio aſſuiſſent. Vexata per hæc tem-
pora, vnius anni obſidione Vrbs Roma; capta & ſolo æquata Cremona eſt,
vaſtationibus & incendijs ſemper obnoxia. Mantua deditione recepta,
egeſto tantummodo præſidio, & nullâ in ciues iniuriâ, præſagio retinendi;eâ
in ſede Imperij, decurſu ſæculorum. Satis compoſita præſentia videbantur,
niſi Caccanus Bauariæ Rex, auditâ Longobardorum diſcordiâ bellum intu-
liſſet. Et ForumIulij quidem poſt breuem obſidionem, captum eſt, & ſolo
æquatum. Agilulphus ob ſubitum impetum, Prouinciæ Duci Agiſulpho,
ſubſidio eſſe non potuit; parare tamen militem vt ad bellum, prouiſu proxi-
ma quæq; firmare, & Gallos in auxilium vocare properabat; antequàm fa-
ma euerſæ ciuitatis, ambiguos fidei detegeret, & ad innouandum propelle-
Ceditur à Bauaris. ret. Paucis interpoſitis diebus, concurrêre hinc Longobardi, illinc Bauari
(Noricos dicebant) tantâ contentione virtutis, vt ſub veſperam cæſi ac fu-
gati Longobardi, multa hoſtium millia ſuâ ruinâ oppreſſerint. Ingens ta-
men iactura, & metus maiorum Agilulphi animum perſtrinxit adeò, vt non
ſolatio amicorum,non introſpectâ ſuorum virtute,non precibus exercitus pu-
Et moritur. gnam flagitantis erigi potuerit. Secuta mœrorem ægritudo,& mox interitus,
ſiue inediam,ſiue venenum deſtinârit. Idq; ſalutis Sexcẽteſimo duodecimo.
612. Patri ſuffectus Adoaldus,Tendelindæ Reginę matris caritate deuinctis Lon-
Adoaldus Rex. gobardis, & per maſculas, fęminileſq; virtutes, prudentiam, fortitudinem,
pudicitiam, comitatem, quidquid olim armis tueri ob ſæuitiam Regum non
poterant, ſeruante. Id æui,longè miſerrimam Orbi Chriſtiano calamitatem
Mahometus tulit, dolo ac perfidia Mahometis Turcarum anteſignani. Qui ſpecie religio-
nis, vocatos ad libertatem populos, licentiâ corrupit; eô grauiùs, quô la-
tius fuſa contagio. Totum decẽnium nihil Tendelindæ,quod communi vti-
litati conduceret,aut priuatis cõmodis deſideratũ eſt: Pax vbiq; inconcuſſa;

domeſticis

domeſticis concordia inerat; nîl per vim aut ambitum, omnia iure quærebantur. Sed inuidit Italis Fortuna, tantam fęminæ probitatem: Ereptaq; eſt graui morbo; & manſit eius apud Longobardos vetus deſiderium, fructusq; virtutum longa quies. Hanc tamen vt ſuſpectam Longobardi habuêre; & vt futurorum prouidi Regi puero ſubijci, ac tutorum Imperio obtemperare abnuêre. Non ſemper Regna pace, frequenter armis teneri; prudenti Rege opus, qui paci ſit, belloq; paratus; quiq; non alienis conſultis, ſed propriâ virtute prouideat. Nîl tamen regij paratus, detractum puero, ius tantùm Imperij in Arioaldum, Ducum Longobardorum præcipuũ, & ſanguini innexum, collatum eſt. Affuit ſtrenuo viro, par oneri fortitudo; ſed peruicit decertantes animi virtutes, prudentia. Non enim vnquã concurrere armis, aut Rempublicam in caſum dare maluit, vbi causâ agi poſſet. Inter hoſtes diſcordias ſerere, inter ſuos conſenſum ſaluâ maieſtatis reuerentiâ optabat: Continuitq; efferum viribus militem, diſciplinæ obſeruantiâ, & ſuis, & exteris, terrori pariter, & exiſtimationi. Defuncto Arioaldo, Rotharis electione collatum Regnum habuit; vir induſtrius, ſed Religionis errore peſſumdatus: quòd fere per ea tempora Ariani chriſtiani Orbis corruptela percrebuerant. Hinc Martini ſummi Pontificis, in Regem, vt aduerſum, iniquus animus: Et eo ſtimulante Exarchus ad arma ſuſcitatus, qui partem adhuc Italiæ Imperatoris nomine habebat. Haud tamen cauſam exitus ſecutus; cæſi quippe Cæſarei, & octo militum millia deſiderata; cum Longobardorum pauci cecidiſſent. Eodem impetu redacta in poteſtatem Liguria eſt, quæ nonaginta continuos annos, detinere victores, & ſpernere ſuperbiam potuerat. Prolatatis Regni finibus, ne nullis legibus, populorum victrix natio vteretur, conflata & in vſum redacta decreta, quę ſub Longobardorum titulo, hodie voluuntur. Vbi Rotharis finem habuit, Rodoaldus aſſumptus eſt, qui magnæ Tendelindæ filiam Grundberdam matrimonio acceperat; quam etſi non virtutum degenerem, fama tamen differebat proſtituiſſe pudicitiam, & alienæ libidini conſenſiſſe. Sed laceratam mendacio honeſtatem, accuſatoris interitus duello ſecutus, fertur approbaſſe. Huius vix vlla memoria, quamuis quinquênio ſuperfuerit. Nunquam enim Longobardorum magis inconcuſſa pax, Romano Pontifice, ac Imperatoribus Græcis, de Religione continuè dimicantibus. Et quæ per otium & pacem acta, rarus ſcriptor proſequitur, pronis lectorum animis in caſus rerum, & diſcrimina, quibus vt præſentibus, & alienis retinentur. Mox electus Aripertus, qui magnâ acie Conſtanti Imperatori congreſſus, fortunâ eâdem vſus eſt; nemine aut victorem, aut res amiſſas profitente. Pro Cæſare vetus poſſeſſio, & deſidia neglectæ tot annos Longobardorum militiæ; pro Longobardis numerus, & longâ quiete firmatæ vires erant. Quidquid tamen roboris vſu & exercitio ſuberat, luxu, vbertate, temperie cœli frangebatur, nonum iam annum deſueta militiâ ac diſciplinâ. Prioris filius Gundibertus ſubſecutus, qui à Parthari fratre primùm exagitatus eſt, mox vtriq; à Grimualdo Beneuentano Duce, per inſidias oppreſſi, vt Im-

Arioaldus Rex.

Rotharis Rex.

Imperatorios cadit.

Decreta Longobardorũ.

Rodoaldus Rex.

Aripertus Rex.

Gundibertus Rex.

Grimualdus Rex.

perio ſine æmulo frueretur. Ne tamen per ſcelus irrepſiſſe crederetur, & honeſtandæ cauſæ ſuæ, excuſandæq; ſæuitiæ, ſororem Regiam in matrimonium accepit, incertum an inuitam. Magna Regi huic, cum Italis & Lupo Foriiulij Duce pugna fuit, quamuis felici exitu excepta. Mouerant & gloriæ & vindictæ auidum Lupum, præſumpta gentis indignatio, & prærepta vxor, cui forte ſpoponderat. Certatum pariter contra Vandalos ac Sclauos Lupi filio Duce, meliori fortunâ: Coactiq; vniuerſi aut parêre, aut ſedibus patrijs continere ſeſe, nec vlteriora meditari. Hinc Grimualdi magnum apud exteros nomen; & indefeſſus, inuictusq; haberi. Non enim Longobardorum Regum vllus, frequentioribus victorijs res ſuas, ac famam æternitati ſacrauit. Ad victoris exercitus nomen, Roma, Rauenna, quæq; per Italiam Cæſareo voto tenebantur, deditionem facturæ, & victoriam ſine armis conceſſuræ videbantur. Sed in ſummâ rerum proſperitate, cum ſuis acceptus, alienis formidatus, profluente ab ore ſanguine, inter viuos eſſe deſijt. *Moritur.* Debitum ergo paternæ gloriæ, propriæq; virtuti Regnum, Parthari *Parthari Rex.* Ariperti filio delatum. Qui plures annos occiſo à Grimualdo fratre, inops exilium tolerauerat. Variæ hunc cum ſeditioſo Tridentinorum Duce res excepêre: Sed ceſſit fortuna virtuti, & regiam potentiam, decem & octo annos, magnâ nominis famâ retinuit. *Iunipertus Rex.* Iunipertus, qui cum patre octo annos regnauerat, duodecim eo defuncto Imperio potitus eſt: Singulari fortitudine repreſſo Alachis Ducis per Italiam motu; qui Regnum per ambitum, ac ſuperbiam præſumebat. *Luitpertus Rex.* Succeſſit Luitpertus filius; Sed infans, & conſilij indigus, à Raimberto Taurinenſium Duce, regno pulſus eſt. *Raimbertus Rex.* Rebelli & qui per malas artes irrepſerat, ad ſeptem ſolummodo menſes Regnum ſtetit; relicto Aritperto, qui debitum ſibi parentis Imperium fortiſſimè tutatus eſt: *Aritpertus Rex.* fractâ Ducum contumaciâ, qui modò per aſtum, modò per vim, pellere ſedibus dominos, & potentiam inuadere aſſueuerant. *Aſprandus Rex.* Aſprandus pulſus olim à Rege, & hoſpitaliter à Bauaris exceptus, copijs, armiſq; inſtructus, in Italiam redijt, de Regno certaturus; Quando familiaris inuaſio potentiæ & habita, haud diuturna erat. Tertio menſe exceſſit, breui ac improſpero Imperio, quamuis votum expleuiſſet. Filium tamen, cui Regnum ſanguine, *Luitprandus Rex.* ac labore comparauerat reliquit, Luitprandum cognomento. Contumelioſum Orientis Imperio, Pontifici honorificum, Longobardorum nomini glorioſum fuit Luitprandi Regnum, mixtis fortunâ ac virtute, tamquam neceſſitas nexuiſſet. *Rachiſius Rex.* Mox Rachiſius Foroiulienſium Dux, Rex ſtatuitur: Neglecto à Longobardis Hildebrando, prioris nepote, quem mota mens eius, & ignauia peruerterant, vt indignus haberetur, nec ſuffecturus. Hic poſt vexatam obſidione Peruſiam, ſeu Zachariæ Pontificis monitu, ſeu diuino afflatu ductus, *Aiſtulphus Rex.* ſponte Regnû Aiſtulpho ceſſit; Monaſtico ſe inſtituto obſtringens, & commendatâ fratri Italiâ ac iuſtitiâ. Sed iſte ſæuitiâ ac ſuperbiâ, quidquid vnquam inter barbaros immanitatis, in ſuos mores traxit. Rauennam nulli ante Regum conceſſam, deditione habuit: Nec niſi Pipini Gallorum Regis vexatione, cum cæteris Imperij Vrbibus amiſit. Medio venationis,

tionis, cui aſſiduus erat, apoplexiâ ſublatus. Longobardorum in Italiâ Regum ſeriem clauſit Deſiderius; non affinitate, non hæreditario iure, ſed ambitu, ac per vim Imperium adeptus: Quamquam frequentes Regiæ familię proceres, & priorum extra Italiam poſteri, non inferiori nobilitate, ſparſi per Vrbes tolerarent. Huic primùm cum Rachiſio (qui dolore occupati Regni, monaſticum cultum depoſuerat) bellum fuit. Sed rei ſumma Deſiderio, Pontificis in eum fauore ceſſit. Periurio tamen fœdatus, dum Pontificem nullo obſequio veneratur, à Carolo Magno Gallorum Rege, quem Adrianus Papa auxilio euocauerat, & regno, & vitâ exutus eſt. Clades in Salutis annũ ſeptingenteſimum ſeptuageſimum ſextum incidiſſe fertur: Cũ à primâ Alboini in Italiam eruptione, Longobardi ducentum & octo annos Regnum tenuiſſent. Abolita proinde Regum denominatio; gens tamen, & in eâ primarij, Regijs familijs neceſſitudinibus innexi ſuperfuêre; & etiamnum ſuperant, additâ veteri nobilitati, pietate in Deum ac fide. Inerant Duces quoq; non temnendis viribus, qui ſecutis temporibus magno fuere Eccleſiæ Romanæ munimento. Deſiderij filius, cum Imperatoris opibus ademptam potentiam repoſceret, in ipſo conatu cęſus eſt, & finis ſeditioni impoſitus. Cæterùm Longobardorum Regum hiſtoriam arctè libuit præmittere, quandô plures fuſo egreſſu tradidêre. Nec omiſiſſe gratiam operi contuliſſet: Nam à primis Longobardorum Ducibus, cognomenti ſimilitudine, nobiliſſimæ GONZAGAE familiæ exordia proceſſiſſe pro comperto habeo. Nec impoſterum curioſum eſſe de cognomine expedit. Neq; enim Barbaris magna cura cognominum: Quòd nominum aſperitate ac diuerſitate noſcerentur.

Deſiderius Rex.

Longobardorum Regum finis. 776.

Et reliquiæ.

Aperta iam erat Italia, & à Longobardis ad Gallorum Regem, Romanorumq; Imperatorem Carolum magnum Regnum omne tranſiuerat, cum Salutis anno octingenteſimo quarto, Mantuam conuenere Principes viri, obſequio in Imperatorem ac Pontificem, necnon futuris expeditionibus, quas Cæſar in Germanos parabat, opem præſentiâ allaturi. Sed veritatis teſtimonio, motore Numine, totâ Europâ Leo tertius Pontifex, Imperator, Duces, Marchiones, ac longè ſitarum gentium, Legati acceſsêre. Multos quippe ante annos, abditus Seruatoris IESV CHRISTI Sanguis, nec vlli mortalium cognitus, Diuino inſtinctu detectus eſt, & ijs temporibus, quibus & famæ & veritati conſuleretur. Teſtes ſibi proceres vniuerſi Orbis Deus eſſe voluit; euocauitq; ſedibus patrijs, vt contexti forent. Præceſsêre è cęlo miracula, & cęleſtis oſtentatio: Mutis per vota locutio, ſurdis auditio, reſolutis inceſſus, tabidis viuida ſalus reddita. Iam Vrbs Mantua non decore, aut immunitatibus tanto fauori aſueta, plena exterorum erat; quos pietas in ſacroſanctas reliquias, aut fides obtinendæ gratiæ rapuerant. Neque enim vlla cupitis mora; poſcere & obtinere, orare & exaudiri, vouere & accipere in idem erant. Peruaſit ergò primûm Inſubriam omnem, ac adiacentes Mantuæ Ciuitates fama miraculi. In Vrbem alij, vbi Leo Pontifex, Spoletum alij, vbi Carolus Imperator conſederat, tam magna

Italia in Carolum magnum. 804.

Sanguinis Chriſti detectio 804.

allaturi proceſsêre. Hinc viſendi deſiderium, & vera ſeu in fabulam compoſita intuendi. Accurritur procedente Carolo, ac Leone, ab vniuerſis. Multô enim ante, apud Vrbem inter Patres agitato, an teſtibus fides, an famæ veritas conſtaret, mittendos qui viſerent, ac referrent, ſancitum fuerat. Sed nemo Pontifice aptior viſus eſt: Has eſſe Sedis Apoſtolicæ curas; prorſus expedire Papam noſcere, quæ ſit decreturus. Ergo Eccleſiaſticorum numero ſeptus, & vidit, & vt cæteris exemplo eſſet, proſtratus adorauit. Plumbea ſimul Lamina reperta eſt, teſtimonio fidei, olim Sanguini addita; cui inſculptum erat: IESV CHRISTI SANGVIS, vt de importatoris ſcientiâ innoteſceret. Non aſpernandum firmandę veritati inditium, è veteri chronicâ habetur; quod Sereniſſimorum Mantuæ Ducum Archiuo diligentiſſimè aſſeruatur; cuius initium hoc eſt.

Leo tertius adorat Sanguinem Chri Mantuæ.

Carolo magno Pipini Regis filio Imperatore, translato ad Germanos in perſonam eius Imperio, apud Mantuam, hoc eodem loco, hodie Monaſterium cernitur, paruo tunc Oratorio, cum hoſpitali domo, in iam dictæ Vrbis ſuburbio conſtituto, ſacratiſſimum Sanguinem, Domini & Dei noſtri IESV Chriſti, ex ipſius in cruce pendentis effuſum latere, à Beato Longino milite, & glorioſo martyre delatum atq; reconditum, primùm innotuiſſe patribus noſtris tradunt, & authenticæ literæ, & ad nos vſq; ad continuatam memoriam. Admirabilis admodum, & recolendæ huius rei crebeſcente famâ, commoti Imperator, & eiuſdem precibus Beatus Leo tertius à Româ profectus Mantuam, quæſitam, & compertam, tantæ reuelationis fidem, vero dedit teſtimonio, Mantuæ annos natiuitatis Domini circiter octingentos & quatuor. Eodemq; oratorio prꝑter antiquum D. Andreæ Apoſtoli titulum, ſub vocabulo glorioſiſſimi Sanguinis, in nouam & paruam baſilicam conſecratum, &c.

Placuit æternitatis teſtimonio pauca iſta ſubijcere, vt manifeſtæ vanitatis incuſarentur, qui è Cruci affixi marmoreâ, aut ligneâ imagine manaſſe, poſteris cum ignoratione facti, aut mendacio tradidêre. Nos & locum, & memoriam vetuſtate approbatam, & ſacram laminam, rarâ felicitate inſpeximus; ne de re ambiguâ nullâ ſcientiâ ſanciremus. Quæ ingenium oſtentantes, per fallacia rationum proferunt, adeo vana ſunt, vt carpi non mereantur. Non enim minima diuini Sanguinis portio, minus viuidum, integrumq; Seruatorem reddet, aut probam illam ſacri corporis temperiem conuellet, quòd mole ſanguinis in indiuiſibili non conſiſtat. Quod ſi huic, cui pro veritate Pontificum, Imperatorum, Regumq; teſtimonia, & inconcuſſa antiquitatis tot æuitatibus monumenta fidem fecêre, obſtrependum eſt; quid ni Vrbem Romam contumeliâ affecerit, in quâ Sudarium, Crux, Lancea, Scalæ, claui Chriſti Sanguine ſignata aſſeruantur? Vtriſq; certè prꝑter certitudinem ab antiquis, affuit plurium ſæculorum reuerentia, aucto fidelium numero ac pietate; quod veritatem arguit; Nam nugacia illico dilabuntur. An Numinis vis Vrbis ambitu circumſcripta, in alios munificentiam, fauoremq; non exerit? Qui noſtris pugnantia tradidêre, aut ignorantium

tium dicto lapſi ſunt, aut indiſcuſſum ſcripto negarunt quod mox rerum potiti facto ac reuerentiâ teſtati ſunt. Sed non magis vanum eſt, octingentorum annorū fidem in dubium vocare, quàm opinioni obſtupentium eluctari. Ad ſeriem temporum redeamus. Longobardis quibus Ducatus, & per Italiam magnæ dominationes non erant, res tamen opulentæ, & copia pecuniæ, varijs Regni partibus hæsêre, familiares diuitias, veteris nobilitatis recordatione exercentes: Ne pœnuriâ ſordeſcerent, aut ditioribus contemptui forent. Simul fortunæ ludibria & vitantes & obſeruantes, cauti erga pericula, & opportunitatum ſtudioſi. Neq; enim animos poſuerant. Horum alij militiâ pro Imperatoribus Germanis, alij aulicis curis inſiſtere, quidam in Vrbem; in Germaniam alij proficiſci, obſequij in vtrumq; Principem deſiderio. Ea vna ſpes ſupererat ſe ſuper reliquos Prouincialium tollendi, & adrependi veteri dominationi. GONZAGI ſeu veteris originis memores, ſeu belli potius, quàm pacis artibus exerciti, vt nobilitatē faterentur, Othoni primo Romanorum Imperatori è Saxonum Ducum familiâ, Regum, ac Principum latè alumnâ ſeruiuêre: Cum ille armis & conſilio, totius Italiæ iura componeret. Diues, nec minus bello potens Regnum vix præſentibus dominis obſequebatur, adeò minor illi in abſentes reuerentia. Defuncto Henrico patre, haudquaquam dubitatum apud Prouincias de filio, quem nobilitas, & continuæ virtutes, ſui æui Principibus antetulerant. Nemini regnantium triginta & amplius annos, quibus ſummum Imperium tenuit plures ſeditiones, bella, ac victoriæ fuere. Henricum fratrem inanibus facilem, & promptum nouandis rebus acie fuderat. Boitlaum Bohemorum Regem, ad obſequium ac deditionem compulerat; Luitholphum filium, prauis conſultis ad impietatem delapſum, vi redegerat in ordinem, & humiliter veniam poſcenti, Valterij GONZACH interceſſione ignouerat. Debellati quoq; Hungari ſeruire neſcij, & viribus ſtolidè feroces. Perluſtrata Italia, & rebus in eâ compoſitis, diademate inſignitus fuerat, à Ioanne tertio Pontifice. In vinculis quoque habuerat Berengarium, & Albertum filium, ob contumaciam, & inanem audaciam. Iam Roma Benedicti antipapæ ſtudio, & Leonis octaui odio, iugum, & decus ſeruitij exuere conata, obſidione cincta, & capta fuerat. Rebusq; turbatis, & in priſtinum reſtitutione Leonis, religioni, modeſtiæq; ſubuentum. In ius Imperij Romani deductæ ciuitates penè omnes, quas Græcus Imperator, ſpecie potius quàm vi tenebat. Obſtrepente illo carptam dominationem, & nouo Cæſari, nouæ potentiæ, quam Papa contulerit intonanti. Poſtremò ſocius Imperij Otho filius aſſumptus eſt: Vt optimum Principem, non ſua tantùm, ſed filij quoq; fortuna honeſtaret. Sed dum in Italia tuetur parta, & ſuo muneri amota reſtituit, aſſiduis nuncijs à Germanis repoſcebatur. Vrbe egreſſus multos Principum virorum comites habuit, in quos benè nauatæ plures annos operæ causâ, beneficia congerenda erant. Et Viterbij ſubſiſtit, vnde in ſingulas Italiæ partes facilis prouiſus eſſet. Pro Imperio habebatur tota ferè Longobardia, maxima Neapolitanæ ditionis pars, multa per Etruriam ac Liguriā oppida; quæ

Gonzagi.

quæ ſi longè Imperator egiſſet, vix in officio contineri per internuncios potuiſſent. Proinde tempori & occaſioni, conſultius agi creditum, ſi à Ducibus & Marchionibus Cęſareo arbitrio tenerentur: Et eorum præcipuè, quorum ſibi multô ante ſpectata fides experimento erat. Affuturos ſiquidem velut rebus ſuis, viribus, conſilio, auctoritate; & ab ijs Imperatores in tempore habituros pecuniam, militem, commeatus, ſi externis aut ciuilibus bellis illigarentur. Marchioni Ateſtino Marchiam Triuiſanam; Romandiolam, quam Flaminiam dicunt, Comiti Mattiliano, & alia alijs: Sed prę cæteris, ſeu veterem prædeceſſorum nobilitatem, ſeu virtutem ſpectaret, & ergâ Cæſares fidem, VALTERIVS GONZACH animo obſeruabatur; cuius auſpicio maximorum bellorum victor, filij ſuperior, & Italiæ arbiter fuerat. Accedebat viri conſanguinitas (nam Saxonum Ducum neptem Gertrudam matrimonio acceperat) & exiſtimatio, quâ plerumq; Principes, etſi fidos miniſtros reformidant. Hunc è cętu reliquorum nobilium abſtractum, Imperij per Italiam Vicarium & Mantuæ Marchionem eſſe iubet, his penè verbis: Si quanta virtus, & fides tua Valteri, tantâ meâ erga te gratitudine penſaretur, & ipſe indigus Imperij fierem, & potentiam non debitum explerem, collatis in amicum omnibus fortunis. Sed nec in te fortitudine minor modeſtia, nec in me iudicio caritas, vt recipias modica, tradam honeſta: Lacerandum aliàs Imperium, & poſteris meis vanum ſine re nomen relinquendum foret. Quàm longiſſimè ab aulâ Cæſarum amandaris; quòd fides loco non excidat; vt tibi ac Imperio ſerues, quod tu, quod Imperatores ſudore quæſiuêre. Nec pręcario dono, ſed meritis, ſed virtuti, ſed fidei (cui nunquam paria præmia ſunt) vt ſucceſſoribus noſtris olim profuturi, ex vtroq; habeant documentum, quid cum fide recipi, quid cum gratitudine dari poſſit. Decorum quidem nobilitati tuæ fuit Saxonem ſuperinduiſſe ſplendorem; ſed nec Imperio pudor eſt, quem olim conſanguinitate, parem ſummæ fortunæ cenſuerit in partibus habuiſſe. Tibi per nos Cæſarea iuriſdictio, nobis ex te tota Longobardorum gens copulabitur. Vt quamquam à maioribus meis pulſa Regno, meminerit quoties per merita libuerit, poſſe reſtitui. In te quod excuſetur non ſubuenit: Poſteros tantummodo tibi pares virtutis, ac fidei æmulos optamus. Iniuria naturæ fuerit in te contuliſſe, quod poſteris tuis eſſet defuturum. Nos quoq; te ex maioribus, poſteros ex te æſtimamus. Mantuam ac Valterium mutuæ vtriuſq; fortunæ damus, vt medio rerum, Imperio munimentum ex fortitudine, cæteris ſeruitium Principis affectantibus, ex fide ponatur exemplum. Valterius & proſpera & aduerſa, eâdem animi æquanimitate excipere ſolitus, & contra iactantiam firmatus, congruentia tempori reſpondit, & fidei per mores conſtantiam approbauit. Non enim ſe nouis beneficijs nouam fidem, ſed per ancipitia probatam ad extremum ſpiritum, veterem, ſibiq; innatam aduerſus Cæſarem ſeruaturum: Eoq; maximè gaudere, quòd præmia poſt merita, non gratitudo poſt beneficium ſpectentur. Neq; ſecius Regio diplomate Bullâ aureâ appenſa (quod Imperio moris) ſancita donatio eſt: Vt reuerſo


Valterius Gonzach primus March. Mantuæ.

in

in Germanias Cæſari, nobilitas ac tradita dominatio, per totam conſtaret æternitatem. Eius ea forma eſt, quam Archiuo Ducum erutam, hic inſerimus.

In nomine ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otho diuinâ fauente clementiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus. Iuſtitia, æquitas, Regni auctoritas, circumſpecta fides, & ſincera dilectio nos admonent, omnium vtilitati proſpicere, maximè verò conſanguineorum noſtrorum: Et eos propter eorum benè merita, modis omnibus promouere & adiuuare. Ea propter meritis conſanguinei noſtri Valterij de Gonzach annuimus. Et conſiderantes ſinceram fidem, & grata obſequia, quæ Imperio & maieſtati noſtræ exhibuit, & inpoſterum exhibiturus ſit, locupletare ac decorare ipſum, & omnes eius ſucceſſores conſtituimus. Et vt præſenti, & futuræ poſteritati notum ſit, liberalitate Auguſtâ, creamus dictum Valterium Vicarium Imperialem, & primum Marchionem Mantuæ. Quam dignitatem in omnibus eius primarijs ſucceſſoribus, in perpetuum concedimus & ſtatuimus. Donando eis omnia tenimenta, caſtra, rura, villas, & diſtrictus, cum omnibus eorum pertinentijs, iuſtitijs, & omnibus honoribus, tam intra, quàm extra, Imperio attinentibus. Statuentes, ac firmiter præcipientes; vt nulla vnquam perſona, cuiuſuis ſtatus, eminentiæ, conditionis & dignitatis, audeat memoratum Valterium, & ipſius ſucceſſores, & hæredes, in hac noſtrâ conceſſione, creatione, & donatione, impedire; vel ipſis aliquod grauamen irrogare. Quod ſi quis auſu temerario facere præſumpſerit, pro pœnâ in vindictam ſui reatus, auri puri centum libras, dimidium fiſco noſtro, & reliquum, paſſis iniuriam perſoluenda componat. Et vt robur noſtræ conceſſionis, ac donationis perpetuum ac firmum ſit, hoc priuilegium in hac paginâ inſcribi, & ſigillo noſtro aureo muniri iuſſimus. Huius rei teſtes ſunt: Hildebertus Magontinus Archiepiſcopus, Corradus Francorum Rex, Erminius Sueuorum Princeps, Ioannes almæ Vrbis præfectus, Gulielmus Miſniæ Palatinus, Comes Encherius, Vicellus Camerinus, & alij quàmplures. Acta ſunt hæc, annò Dominicæ incarnationis Nongenteſimo ſexageſimo ſecundo, indictione quinta, regnante D. Othone primo Romanorum Imperatore glorioſo, Regni & Imperij ſui anno vigeſimo ſexto. Datum apud Viterbium Idibus Nouembris. 962.

Signum D. Othonis magni Rom: Imper: inuictiſſimi.



Cæterum ignarus non ago Cæſarem Cardinalem Baronium, inter huius anni Hiſtorias referre, vidiſſe ſe in Vaticano diploma Othonis; quo inter reliqua, Mantua Ioanni Pontifici duodecimo dono conceditur. Ego tamen ſummo veritatis aſſequendæ ſtudio, copiam donationis non accepi; niſi vulgatam illam totius ferè Italiæ confirmationem connotet, quàm illico reſciſ-

ſam

ſam (quacunq; id de cauſâ ſit) nôrunt omnes, quibus Ioannis duodecimi mores, & eius eodem & ſequenti anno, cum Imperatore Othone æmulatio, perſpecta ſunt. Quæ vt beneuolo lectori clariora ſint, res altius eſt repetenda. Salutis chriſtianæ Nongenteſimo ſexageſimo primo, Ioannis Papæ duodecimi legatione, Otho Imperator Romam inuitatus, ſequenti anno affuit, ab eoq; diademate ornatus eſt. Inter quæ feſtiuitatis blandimenta, recepit Ioannes confirmationem donationis, Sedi Apoſtolicæ à Carolo Magno D. Petro ac ſucceſſoribus olim præſtitam in hæc verba.

Otho confirmat Pontifici poſſeſſioné Italiæ.

Ego Otho Dei gratia Imperator Auguſtus, vnâ cum Othone glorioſo Rege filio noſtro, diuinâ ordinante prouidentia, ſpondemus atq; promittimus, per hoc pactum confirmationis noſtræ, tibi, B. Petro Principi Apoſtolorum, & clauigero Regni cęlorum, & per te Vicario tuo D. Ioanni ſummo Pontifici, & vniuerſali XII. Papæ, ſicut à prædeceſſoribus noſtris vſq; nunc in veſtra poteſtate atq; ditione tenuiſtis, & diſpoſuiſtis, ciuitatem Romanam cum Ducatu ſuo, & ſuburbanis ſuis, atq; viculis omnibus, & territorijs eius, montanis, atq; maritimis litoribus, atq; portubus, Centum Cellas, Cerem, Bledam, Marturianum, Sutrin, Nepem, Caſtellum, Galliſem, Ortem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Peruſiam cum omnibus inſulis ſuis, Maiore, Minore, Puluéſem, Narniam, & Vtriculum, cum omnibus finibus ac territorijs ad ſupraſcriptas Ciuitates pertinentibus. Nec non Exarchatum Rauennatem, ſub integritate, cum Vrbibus, Ciuitatibus, oppidis, & Caſtellis, quæ piæ recordationis Dominus Pipinus, & Dominus Carolus excellentiſſimus Imperator, prædeceſſores videlicet noſtri, B. Petro Apoſtolo, & prædeceſſoribus veſtris, iam dudum per donationis paginam contulerunt: Hoc eſt Ciuitatem Rauennam, & Aemiliam, Bobium, Cęſenam Forum Pompilij, Forum Liuij, Fauentiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comacchiû, & Hadrianis, ac Gabellum, cum omnibus finibus ac territorijs, atq; Inſulis, terrâ, mariq; ad ſupraſcriptas Ciuitates pertinentibus, ſimul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auximum, Heſum, Forum Sempronij, Montem Feltri, Vrbinum, & territorium Balnenſe, Calles, Luceolis, & Eugubium: cum omnibus finibus & territorijs ad eaſdem Ciuitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinenſe, ſicut à D. Carolo Imperatore anteceſſore noſtro, B. Petro Apoſtolo per donationis ſcriptum conceſſum, ſub integritate item in partibus Tuſciæ Longobardorum, Caſtellum felicitatis, Vrbem veterem, Balneum Regium, Ferentum, Viterbium, Ortem, Martam, Tuſcanam, Suanam, Populonium, Roſellas cum ſuburbanis, atq; viculis omnibus. Itemq; Almus cum Inſulâ Corſicâ, deinde in Suriano, deinde in Monte Bardonis, deinde in Borceto. Exinde in Parma, deinde in Regio, exinde in Mantuâ, atq; in Monte Sylticis, atq; prouinciæ Venetiarum, & Iſtriâ, & cunctum Ducatum Spoletanum, ſeu Beneuentanum, &c.

Ex poſtremis autem verbis, vbi Mantuæ meminit, non clare donatam Mantuam, Parmam, Regium, & quæ ſequuntur elicitur; ſed bonorum pars aliqua,

aliqua, quæ in agro Mantuano, Parmenſi, alijſq; erant, olim Sedis Apoſtolicæ propria, Caroli Magni donatione. Sed eſto Mantua donata ſit, quidni potuit, erumpente odio in Ioannem, eodem die reſcindi donatio? & Ciuitas in amicum transferri? Equidem cęptæ ſimultates eò proceſsêre, vt etiã ſubſtituto Leone, motus Sede Ioannes fuerit, Concilio in Vrbe habito, ob flagitia quæ obijciebantur, ſeu vera, ſeu inuidis fides habita. Neque tamen Synodum commendamus, ſed petuincimus, recens odium Othoni in Ioannem interceſſiſſe, quo inductus potuerit facti pœnitentiam prætuliſſe. Si quid abditi Baronio apertum fuit, quod nos fefellerit, vti ſcire ignoramus, ita verum eſt ſua Mantuanis Principibus iura, non minus quàm Pontificibus fuiſſe, eaq; in præſentem ſeruari; & nos Tullij Petrozanni beneficio (qui tum Sereniſſimo Vincentio ab intimis conſilijs erat) dictam donationem aureâ bullâ appenſâ, vidimus, legimus, & huc inuertimus. Veritati adſtipulatur Valterij & ſucceſſorum continua plures annos poſſeſſio, non proficiente Pontificum vi, non cenſuris Eccleſiaſticis interrupta. Et nos nobiliſſimi per Longobardiam oppidi Inueſtituram diuerſis Principibus conceſſam eodem tempore accepimus; Inuidiam, an prouidentiam dixerim in incerto habeo. Certè inter Mantuæ Annales, nulla per ea tempora Pontificum dominorum mentio, nulla poſſeſſio recolitur; ſed continui nec vexati GONZAGI, longâ ſerie, vſque in Mathildam deprehenduntur. Regreſſo in patriam Imperatore, Valterius conuulſam non ſuã tantùm, ſed ciuitatis quoq; fortunam, legum Imperialium, ad Longobardorum normam (quorum è gente ſe quòq; nouerat) inſtitutis pro virili teſtituit. Prorſus fixum Othoni erat, non omittere caput terum Italiam, niſi compoſitis ante ſeditionibus, & prouiſis quæ tempus monebat publicæ quieti. Longius ſiquidem agente Cæſare, inſoleſcere Itali, quibus aut fortuna, aut amicitia, ſpem rebus nouis offerebat, conſueuerant; & Imperatori procul fuiſſet compeſcendi præſidium. Strenuè præcipuè nauata Valterio opera, recepti in obſequium plures, quidam armis ad obedientiam conuerſi, doctiq; abnuentes, Imperij hoſtes potius odiſſe. Vbi Mantuam reuertit, feſtis populi vocibus excipitur; Non aliud infelicitati temporis, quàm ex Marchionis præſentiâ leuamen, nec aliud tumultuantis patriæ remedium profeſſi: quibus victus & quia nõ parua moles, frenandis ciuium ingenijs ſuberat, Mantuæ ſubſtitit; amicis ac ducibus pleraq; committendo, vbi procul extra Ciuitatem agendum foret. Euntem quoq; Othonem in Vrbem, iræ ac vindictæ nimium. quod reuocatus Ioannes, diem Leoni vt intruſo dixiſſet, comitari voluit: Sed obſtitit nimiæ caritati Imperator, docens non minus Longobardos, quam Romanam Vrbem præſidio egêre: Et omnia à tergo tuta aduerſus inſidiatores futura, ſi præſens amicus, nutantes auctoritate retinuiſſet. Additi tamen à Marchione Cæſareis centum equites, ducentum pedites haſtati: Vt vetus chronica M. S. habet in hæc verba.

Etiam D. Valterius Gonzach Marchio, & Vicarius pro Maieſtate Imperiali Mantuæ, miſit ad bellum Romanum pro Papa noſtro Beatiſſimo Leone, *Valterius mittit Pontifici milité.*

aduer-

aduerſus fautores, & protectores Ioannis expulſi; qui galeatus, loricatus, & pharetratus inſaniebat, minitando Cæſari & ſuis copijs, centum equites & ducentum haſtatos, ſub Duce Volfio Auguſtano. Ex his nemo ferè redijt, poſt mortem Ioannis à diabolo percuſſi, peſte mortui,&c. Index veritati eſt Luitprandus, qui refert Ioannem quadam nocte extra Vrbem, dum ſe cuiuſdam vxore oblectaret, in temporibus à diabolo percuſſum, intra octauum diem perijſſe. Sit ſuus veritati locus. Peſtilentiæ meminit Ditmarus, quique eorum ſæculorum acta tradidêre. Addidit poſtmodum Valterius paucos vitæ annos, eâdem firmitudine animi, & in rebus adminiſtrandis prudentiâ. Sed vbi ſenectâ finem inſtare cognouit, duos quos inter pacis proſpera, & bellorum aduerſa, in virtutem ac gentile decus enutrierat filios, Otbertum maiorem natu,& Proterium; nec non totius Ciuitatis præcipuos, quibus opes, nobilitas, aut ſapientia erat, accerſiri iubet. Simul ad adſtantes conuerſus: Hos, inquit, conciues, quos veſtrûm tutelæ, arbitrioq; permitto, per mutuam caritatem probari,& haberi deſidero. Fluxa ea ciuium fortuna eſt, quæ nullâ in Dominos fide nititur; quæ deſtituta rectore, vulgi vanitati ac nouitatibus inſiſtit. Me Cæſar rectorem vobis impoſuit; vt corrigam, non perdam; ego vos filijs tutores dico,vt collatâ operâ, mutuæ immunitati conſulatur. Num exactis dominis, ſine ſeruitute degetis? ab ijs plus ſeruitur, qui certos dominos, legesq; non nôrunt. Inuadent noui per nouas artes, & titulis caritatem ſubditorum ſpirantibus (certiſſima prædandi vocabula) & veſtra ſimul rapient, & noſtra. Ex concordiâ ſpes omnis. Satis per diſcordias opum, ſât ſanguinis per vulnera hauſtum eſt. Pace opus, & collato in medium conſilio. Si pro Cæſare ac Italiæ veteri poſſeſſione, pro me quoque ac filijs eritis; vbi virtute ac fortitudine, à veterum Longobardorum nobilitate non degeneraſſe noueritis. Tu verò Otberte parentis, fratriſq; affectus indue; quòd in eorum fide,ac virtute ſit poſitum, tueri, aut adimere poteſtatem. Nec rectorem factis, aut dictis tuis, alium quàm res meas, moreſq; præfigo. Iiſdem quippe artibus habiturus es, eandem ciuium fidem, idem obſequium. Cæſares in votis ac Imperium habe, cuius munificentiâ exuti prius à Gallis Italiæ Regno, ſpecie Regni Mantuæ reſpiramus. Supremam verò quæ cunctis imperitat Mentem, ſcelerum ac flagitiorum vltricem, hinc illincq; conſidera. Luxêre defunctum etiam qui non nouerant, tanta illi comitatis & æquitatis cura; ſiue integritati, ſiue id nouæ dominationi, quam filijs quoq; firmabat, conducere crederet. Itali ac Germani, modô periculorum, modô concordiæ medium experti, famam, decuſq; addiderant; & ipſe cum factis virtutem teſtaretur, famam retinebat. Exceptus patris vice à Mantuanis Otbertus eſt; Præſtito ac recepto ſacramento, quo ciues ſibi, ipſe ſe Cæſari ſacrabat, nihil habuit antiquius, quàm commiſſos per amorem in officio, ac mutuâ dilectione retinere: Virtutis autem, ac fidei ſpecimen armis approbare. Præerat tum Imperio Henricus ſecundus, Othonis quarti patruelis ſpectatæ virtutis, per ſecunda primùm, mox per aduerſa. Huic inter Germanos bellanti, illigare ſe, & pro fortunâ

Valterij mors.

Otbertus March. II.

fortunâ bellorum conſortem inſerere magnificum ratus, conſcribit non temnendam iuuentutem, habito in Vrbe delectu; armis, opibusq; inſtruit, & dicto citius, inexpectatusq; aduolat. Extat in M. S. chronica expeditionis huius memoria, cum annus deſideretur. Quæ ſic habet. Populus quoque noſter præbuit mille quinque centum aureos, puri auri, D. Marchioni Otberto pro armis, & viatico ſexcentum militum, quos duxit ad bellum Germaniæ pro Sereniſſimo Imperatore Henrico ob pactũ inueſtituræ Marchionatus Mantuæ; quem felicis recordationis Otho Imperator ſecundus dedit D. Valterio Marchioni ſuo patri, poſt mortem Dominæ Iudith vxoris ſuæ, & matris D. Otberti. Remanſit cuſtos Ciuitatis prælibatus Doctor, & Iudex Gentius de Luca &c. Heribertus eâ tempeſtate Colonienſium Archiepiſcopus, quòd nec voto ſuo, nec vllo officij honore cultus, Henricus Imperium occeperat, res nouas, & Boëmorum Rege ſuppetias ferente, ſeditionem cœptauerat. Siue vt varijs (vt fermè ſunt Regnorum initia) curis illigatum Cæſarem, ad ſui venerationem impelleret; ſiue negando obſequio, ſe proniorem in alium, quem potentiæ deſtinarât, oſtenderet. Scriptæ ad Imperij Principes, totâ Germaniâ literæ, vt in tempore, aut pro libertate, aut moderandâ Imperatoris potentiâ, quæ nimia erat, arma reſumerent. Addebat, iam non ſe vt ſubditos, ſed vt ſeruos ſperni; onera ex libidine, non vſu & neceſſitate imponi: Tradi indignis Prouincias, vt longâ vexatione feſſi Germani, nîl amplius extra Imperatorem habere ſe putent. Satis ſuperq; in Regno virium; ſi quot Vrbes, quot hominum millia, quàm rarum per arces Imperatorias militem æſtiment. Faciendum quidem Cæſarem, ſed qui ſe beneficio, non iure factum meminerit; qui gratitudine, liberæ populorum voluntati reſpondeat. An dandam potentiam, conferendas opes, præſtandum militem, vt his Imperator in patriæ ruinam, ſubditorum perniciem, libertatis publicæ euerſionem incumbat? Regnantibus nomen ipſum libertatis, non minus quàm Germanis in câ natis ſeruitutis inuiſum eſſe. Quæ in ſpeciem decora, intus praua ac fallacia erant; vt ſuperbia viri, & contumax miniſterio animus prorumperent. Henricus vt causâ potius, quàm vi ageret, cũctos edicto admonet, concitũ ſibi bellum, ideoq; ſeditioſis arma inferre; quandò aliter in ordinem redigi nequeant. Nec ſegnius copiarum partem diripiendis rebellium agris immittit. Quod reliquum, ducibus in pugnam tradit. Otberto GONZACH octo equitum alas, Vilprando Saxoni peditum legiones duas, ſibi quod reliquum ſumit. Et compoſito per ſilentium agmine, nîl metuentem hoſtem, pluribus paſſuum millibus noctu ſuperatis, proturbat. Speciosa ea victoria fuit, cum imparatos ac ſemiſomnes, expediti premerent, cęderent, truderent in aperta. Quibuſdam ſaltus latebras præſtitere, alijs fugâ ſalus quæſita. Quos dignitas, aut impedimenta detinuère, ad noctem, vindictæ mactati. Abductæ ſarcinæ, iumenta, & in prædam oſtentata inimicorum oppida. Nec ante proſequi fuſos Imperator deſtitit, quàm Archiepiſcopus, Boëmus, cæteræq; ſeditioſorum animæ ſupplices acceſsêre. Patentibus latè campis, quâ rebellium

D equi-

equitatus inſultabat,concurrêre Otberti alæ, & fronti, lateriq; aduerſorum inuectæ ſunt, ſtragemq; vaſtam intulêre; præcipuâ Italorum virtute,quibus id pugnæ genus ſolitum, & non armorum grauitate inutiles, aut leuitate ad ictus recipiendos parati erant. Et Marchio Mantuanus, quamquàm rerũ ſummam, & fortunam eô verſam cuncti faterentur, conſcientiam facti ſatis eſſe ratus, excuſare potius virtutem ſuorum,quàm quæ meruiſſent fateri maluit. Mox affertur tria equitum millia, ſecreto nemoris abdita, nocturnâ Cęſarearum copiarum quietem turbatura. Nec defore peditem, contractis è fugâ pluribus, quibus deditio reliquorum internecione grauior habebatur. Henricus dat Otberto negocium, & quantum militum vſui fore credidiſſet. Qui vt multitudini ſuorum, laboriq; parceret, mille ac ducentos equites, totidem pedites aſſumit; & verſo itinere Hirciniam ambiens à tergo neſcijs conſedit. Illi reliquias ſuorum opinati, ante cingi ſe ac vulnerari, quàm inuadi ſensêre. Pulſos latebris, & nullo Duce per campos pallantes inſequi partem equitum iubet, cauere ſpolijs, ſpernere captiuos, cędibusq; inſiſtere imperans. In meridiem fuſi. Vbi recepti victores,& quidquid ex hoſte habitum militi conceſſum, ad Cæſarem reuertêre; anxium amici, ac ſuorum fortunæ; nam virtutis ſecurus erat. Aſſiduo pro Cæſare Otberto, & diutius apud exteros contante, Gentius (quem pręfectum Mantuanis Iudicem habuimus) tamquam impunè graſſari, abſente Marchione liceret, dilapidare ciuium fortunas, & leuiſſima quæq; ſcelerum, maieſtatem interpretari cœpit. Ciues proximè libertatem habiti, & aduerſam Iudicis moribus, Otberti comitatem experti; condonare primùm offenſas, mox conqueri, poſtremô etiam oratores ad Domi um mittere conati ſunt. Sed ille modô queſtibus, modô excuſationibus, dolores expoſcentium per literas præueniebat; eluſitq; conatus Ciuitatis interceptis legatis, & procul Vrbe iugulari iuſſis. Sed maius flagitium erat,quàm vt falleret. Nam vbi nec reduces, nec Marchionem meminiſſe vident,omnia conſcelerato facilia reputantes, ad extremum deprehenſo crimine, medio foro parricidam obtruncant. Et ne ſeditionem ęptauiſſe cæde ſicarij viderentur, miſſis epiſtolis Otbertum facti, cauſæq; admonent, vtq; Ciuitas datis legibus innoxiè agat, docent. Marchio cognitionem diſtulit, arduam prouinciam ſumi ratus,ſi cætera fidi, atroces iniurias,æquiſſimâ vindictâ requirentes, peruerterentur. Neque tamen certus percuſſor differebatur; ſiue in turbâ obſtrepentium ægrè notatus; ſiue cęlari culpam libuit, quæ certius, & maiori ſpe veniæ, ab vniuerſis excuſanda erat. Vix conquieuerant turbatæ Germaniæ, cum Robertus Gallorum Rex, nullis certis cauſis, ſed quia temeritatem, perfidiamq; ſuorum ſecutus ferebatur, in Cæſarem mouit. Sed inuenêre ea tempora, Henricum partæ victoriæ bono, militiæ, animi, ſociorumq; ſecurum. Vt ferè ex rerum initijs fortuita ad certam gloriam, & virtutes ad ſpem futurorum trahuntur. Iam progredi hoſtem certi nuncij attulêre; Præmiſſusq; Otbertus, quâ Gallo iter erat, cuncta vaſtationibus, igniq; fœdauit. Turbati aquarum fontes, & quidquid vſui erat, aſportariq;

Pugnat pro Imperatore in Germania

Et proſperè.

Mantuani Gentium iugulant.

Gallus in Cæſarem.

Otbertus præuenit.

poterat,

poterat, ad ſuos miſſum. Cætera incendijs corrupta, ne hoſtes fruerentur. Affuit Imperator aduentati Gallo, expectatione celerior. Et ne hoſtili ſolo diutius immoratus, commeatuum inopiâ fatigaretur, ad arma conclamatum. Nec pugnam Galli abnuêre; ſeu præſumptâ victoriâ, ſeu præruptâ gentis audaciâ. Pugnatum in multam diem incerto euentu, donec tractâ in meridiem dimicatione, victoriam Galli concederent. Ductor copiarum Otbertus, ſanguine hoſtium, & puluere fœdatus, ſemet & exercitum ſibi creditum reduxit; idem victoriæ teſtis, & vberrima pars gloriæ. Cæterûm cũ inter diſcordes, duraturum ad menſes bellum videretur, Otbertus vt Cæſarem armis, ſic conſilio Gallos iuuit. Acceptâ enim & datâ fide mutuâ, profectus in hoſtium caſtra, diſertè proſecutus Germanorum cauſam eſt: Addiditq; de pace præceptum, Gallo vtile, ſibi ac Imperio magnificum; vt vires, ius, fortuna Imperij Cæſari adeſſet, & immotam per reliquas Prouincias pacem, quarum militem copioſum, poſſe bellum iuuare, ſi primus impetus non ceſſiſſet. Plus in viro auctoritatis, quàm eloquentiæ erat, & placuit nobilitate. Nec mora eodem medio ſancita inter vtroſq; pax, ac quies depulsâ æmulatione reddita. Proterius interim Mantuæ tolerabat, intra fratris lares, ſed procul adminiſtratione rei tantum familiari proſpiciens: Et metuens ne Gentij vindex, ciues aſperaret; quos cætera obſequentes, & reuerentes Principis familiæ agnouerat. Quamuis enim Senatus publicum curaret, Proterius tamen conſilio adſciſcebatur; nec niſi conſenſu vniuerſa tractabantur. Vallata per id temporis Vrbs muris, ductæ foſſæ, aggeribus firmata munimenta, aduerſus incurſiones hoſtiles, quæ olim familiares, præſentiâ Dominorum rarius audiebantur. Non enim abolita cladis ab Hungaris acceptæ memoria erat; turbidâq; Germaniâ, infida vicinorum quies ſuſpectabatur. Quîn incerto auctore aduentare Cæſarem ferebatur. Nec tamen obſtaculum velut hoſti parabatur (vt qui motis cardine portis excipiendus erat) ſed vt vis quâcunq; irrumpens propulſaretur. Accincto itineri Henrico, Boëmus Rex impedimento fuit; opes, amicitias, militem, Prouincias ſibi inutilia reputans; niſi nouandis rebus, & inferendæ iniuriæ deſeruirent. Tracti in partes Dalmatæ, Poloni, Moraui; quiq; tum barbaris inſtitutis ius in armis habebant, nullâ honeſti curâ. Imperator quamquam aſſiduis bellis feſſas legiones, rarumq; ſub ſignis militem deprehendit, cedere tamen inſultanti hoſti flagitium putans, Otberto qui indiuiduus aderat, curam conſcribendarum copiarum, equitiſq; mandat. Habiti per Prouincias delectus, integratæ Legiones, ſuppletus milite, commeatu, armis exercitus: Et dictâ die non procul Herciniæ ſaltibus (quæ Boëmiam ambit) adeſſe iuſſus. Otbertus vetus militiæ, & conſilij certus, infeſtum equitem, toto Boëmiæ Regno effundit, per hoſtile ſolum, non intra Imperij viſcera, arma, rapinas, incendia, vaſtationes admiſſurus; capturuſq; experimentum an deprehensâ vi, ac vindictâ, ſanioribus acceſſiſſent. Modico interuallo ſecutus Cæſar, cæteriq; exercituum ductores, maiori apud Germanos nomine, eôq; celebrati. Imperatori ac Ducibus, viſum quidem contatione fatigare Boëmũ;

Vincuntur

Medium ſe pacis offert.

Iterũ pro Imperatore cõtra Bohemũ

quòd commeatus ſocijs longo bello ſufficeret, Boëmus emendicato, ac pauco quamq́ domi eſſet vteretur. Nec enim ingentibus exercitibus, arctus ager cibos, pabulumq́; miniſtrat. Sed ille viribus ac numero ferè par, laceſsere aduerſos, propius ſuggredi, & ad conferendas manus totis exercitibus prouocare. Quæ temeritas Cæſarem conſilio dimouit, Otbertumq́; dextro lateri, cũ tribus equitum millibus, octo peditum inſiſtere, ſiniſtrum Germanis ducibus ſeruare iubet. Medio agminis recepta impedimenta, ac ſarcinæ; frontem ipſe iuſti exercitus ſpecie inſedit. Monuerant prudentiores, ſpem victoriæ plerumq; potiores peruertere; & belli errorem quemcunque, cũctorum perniciem accelerare. Ergo vbi ita prouiſum, quaſi metueretur, datum pugnę ſignum. Boëmus dum componit ſuos, virtutis ac cauſæ admonet, quòd amiſsâ pugnâ, ſpes omnis elaberetur, intentior. Hanc vicem eſſe dictitans, quâ libertas, facultates, Prouincię vertantur. Numero Cęſareos ęquari: nec virtutis pœnitere. Meminerint Imperatorijs caſtris, auri, ac ſuppellectilis maiorem, quàm virtutis molem: Eamq́; pręſenti neceſſitati vberrimè ſuffecturam. Se Imperatoris ſæuitiâ, ſuperbiâ, auaritiâ in bella tractum; quòd Imperium velut hęreditate habitum, alienę potentię oblitus exerceret. Elatum quòd paucos Germanorum, non iuſtis armis obtriuerit, quòd Gallis ęquus pace abſceſſerit. Alias ſibi vires, alia arma, potiorem cauſam eſſe. Nec à tergo nudatas prouincias, aut præſidij indigas, hoſtibus obijci. Supereſſe iuuentutem, quæ fractis rebus occurrere, & pugnam redintegrare poſſit. Quamquam tanto exercitui, tot armatorum millibus, nulla neceſſitas ſit alienæ virtutis. Inuadere non inuadi crederes, tanta rebellibus in pugnam audacia. Concurritur ancipiti Marte; & inſolitâ gentibus contentione animi, ad noctem vſq; dimicatum. Otbertus ducis, & gregarij munere functus, dum ſuſtentat inſtantes, aut pulſos inſequitur, ſiniſtrum brachium, ſagittæ ictu transfigitur. Tandem poſt multum vulnerum, ac ſanguinis, tenebris & ducum imperio pugnæ exempti ſunt. Non Boëmo cenſere ſuos, aut ſparſos fugâ repetere inſedit; ſed pari firmitudine animi, orto die, pugnam oſtentat; quamquàm ſuorum non temnenda clades, animo obuerſaretur. Nuſquam Henrico ſalus & exiſtimatio in ancipiti magis, quâ hac pugnâ viſæ; Otbertumq́; licèt vulnere inualidum, pugnæ ſe tamen denuo accingentem, ſic appellat: Cernis Marchio, Boëmum propoſiti contumacem illâ niti, inſtaurare prælium, inhiare victoriæ: Proſperis benè vti cuiuis ſententia inſedit, mihi etiam aduerſis. Dum igitur laceris, dubijsq́; rebus, non conſulto magis, quàm viribus occurro, ac in diſſimilitudinem mei, mutatâ veſte, in denſiſſimos irruo, tu hoſtili lateri ſolitâ virtute inuehere: Vt ſi non vincimus reſpiremus tamen, diuerſione inimici impetus, & modò certaminis. Mihi certum eſt hoc impetu vincere, vel honeſtiſſimè occumbere. Secuta Cęſaris & Otberti virtutem fortuna, quam vterque ſibi parauerat; & quamquam non ſine clade ſuorum, fugati hoſtes, & campo exuti ſunt. Par apud vtroſq; militum iactura, par cędes fuit: Niſi gloria potior vitâ credita: Sunt qui Boëmum victorem credebant, ſi virtute, Ducibus hoſtium

Et vulneratur.

Imperator vincit.

hoſtium æmulus, non ante ſeſe ex acie recepiſſet, quàm Cæſarei regreſſi, terga nudauiſſent. Sed quæ formido Duci, eâ & militi fuit: Auxitq; Otberti conſtantiam deformitas exitus, & geminatus ardor pugnantium. Ipſo belli medio, Otbertus nouo vulnere, in necem ferè ſauciatus, equo corruerat, ſed famulantium humeris impoſitus, & dedecus quàm mortem formidans, ſupra vires nixus, tumultui ſubtractus eſt. Vbi artus refrixere, fuſo ſanguine, & ſecuto dolore, maior expectatione hiatus in pectore deprehenſus, qui intima peruaſerat. Imperator amici caſu, totusq; exercitus indoluit: languentis tamen lętitiâ ſubleuati, quòd ſalutem, & quæ vſquam domi cara in victoriâ haberent. Interim dum Boëmus, quiq; ſeditionem in Cęſarem cępitauerant, nouis legionibus firmare fractas, & iteratâ pugnâ fortunam belli experiri meditabantur, & Imperator imminentibus proſpicit, Otbertus cōualeſcit. Totâ vitâ tamen exanguis, & facie in pallorem albente teſtatus eſt, quantum vitalis ſpiritus egeſtum foret. Fama vulnerati Marchionis, ad hoſtes primùm, mox Mantuam delata, quamuis recordatione gloriæ molliretur, grauiter tamen accepta: Vno vulnere læſum dominum, & iugulatam Rempublicam querentes. Hinc frequentes ad eum procerum literæ: Rediret ad ſuos, Patriæ, rerumq; ſuarum tutelæ exoratus accederet. Nec receptæ preces forēt, niſi compoſitis ante ſeditionibus, Boëmus, cæteriq; contumaces Imperatori ſuo procubuiſſent. Diſcedentem Otbertum magnâ demonſtratione caritatis Cæſar proſecutus, fertur interrogaſſe, an ſolidato vulnere abiret, & an partes adhuc indoleſcerent: Reſpondit Otbertus, nullam ſanguinis fuſi iacturam, nec dolorem vulnerum ſentire, ſi pro Imperatore tolerarentur. Quo reſponſo, & quia certus obſequij Cęſar erat, prorupit in lachrymas. Vbi Mantuam attigit, occiſi Iudicis nulla memoria, nec de percuſſoribus anquiſitum; ſiue quòd iuſta cędis cauſa, ſeu continuatione obſequij piaculum eluerant; ſiue Proterius excuſauerat. Leues tamen Veronenſium, ac Cremonenſium cum ſuis de finibus diſcordias, per comitatem & grata officia ex voto expediuit. Nam & facilè mutuô indignabantur, & ſiue vicinio, ſiue inuidiâ, promptè ad iniurias labebantur. Verſus hinc ad familiares curas, paternas facultates, fratri, filijsq; pro dignitate diuiſit: Senatui Mantuano ſua iura, ſuos redditus attribuit. Quantum fiſco, quantum ærario penderent, in tabulas retulit, ne quid eo erepto ambigeretur: Henrici quoq; placito ſanciri omnia viſum, vt libertas populi, & Marchionis in ciues ſuos imperium cum modo, cognoſcerentur. Ad extremûm languore virium, & plus nimio fuſo in prælijs ſanguine fatigatus, diem extremum obijt, vt ferunt Milleſimo. Nec enim alia facti memoria, aut temporū ratio ſubeſt, vetuſtâ chronicâ res potius, quā tempora proſequente. Sic illa. Poſt diſceſſum Mantua D. Archiepiſcopi Moguntini, & D. Ioannis Comitis, Dominus Otbertus, quaſi ſine morbo mortuus eſt, & ſepultus ab D. Adhelberto filio ſuo, in templo Sanctiſſimæ Trinitatis, in capsâ cipreſſinâ, cum cruce argenteâ, gladio, & baculo. Requieſcat in pace, &c. Aliquot poſtmodum lineæ madore corruptæ, in vnam lituram abiere. Relictus à parente

Otbertus ſauciatur.

Et conualeſcit.

Otbertus redit Mantuā.

Otberti mors 1000.

 Adhel-

Adhelbert' Marcb: tertius. Adhelbertus filius, ac Protherius frater in ſpem ſecundam, ſi quid filio fatò eueniſſet. Paucos poſt dies ſecuta Protherij mors, cum Corradum ac Gerardum filios Adhelberto nepoti commendaſſet. *Proteri ſi- tus.* Cæterùm Adhelberti vxor tacitis cum Corrado ac Gerardo contentionibus ardeſcere (vt peruicaciæ ſunt fœminarum, in mariti conſanguineos odia) coniugem in patrueles concire, temerario auſu præſumpſit. Longè habendos dictitans, vt contentionum tolleretur occaſio. Poſſe in diſſitos & pietatem, & officia conſanguinitatis exerceri. In Ciuitate, potentiæ & auctoritati ſe ingerere, dominij partem ſe iactare, & Marchionis placitis iniquos ſe præbere. Seditionem hanc haud dubiè eſſe, vſque ad ſanguinem & cædem, niſi occurratur duraturam. Intutam eſſe regnantium familiaritatem, periculoſam cohabitationem, fallaces blanditias. His motus Adhelbertus, ſuſpicioni ac pietati medius, volutare intra ſe cœpit, vt neceſſitudini & caritati, ſaluâ honeſti & æqui curâ prouideret. Leues diſcordias gratiâ & amore ſupprimi; ſi adoleuerint, capitales inimicitias euadere. Et familiæ quieti, optimè ſeparatione conſuli. Ergo accitos iuuenes ſic interpellat: Mantuæ Marchionatum, & adiacentium populorum dominium, quod mihi parentis Otberti hæreditate, Ciuitas & Imperium, vos patrueles ſummo nomine conceſſiſtis, in nullam veſtrû iniuriam habitum hactenùs, eſſe nouiſtis: Eandem vobiſcum in Ciuitate potentiam, etiam qui abnuerant, fuiſſe deprehendêre. Domeſticas ſimultates, & muliebres contentiones negligi, quàm exerceri; irrideri quàm proſequi decet: Ne fœminarum odia caritatem mutuam diſſoluant, aut dominantium amicitiam corrumpant. Tutorem me vobis patruus, fidei & conſtantiæ meæ certus impoſuit. An ego probatam hoſtibus fidem, conſanguineis & amicis fallam? Proinde bonorum partem, pro fortunæ conditione concedo: quæ me officio exoluat, vos eximat timori; Satisq́; ſit nobilitati, vſui, exiſtimationi. Vobis agrum Gonzagam, noſtro cognomento celebre, ac Lendinariæ, quæ veſtro pridem vſui à patre meo deputata ſunt, in perpetuum habenda concedo; cum iuriſdictione ac reditibus annuis, ſuffectura expenſis, ac fortunæ veſtræ. Mutuus amor diſtantia confirmabitur. Reſponſum ab vtroque eſt, vt ſe paratos quæcunq; concedantur recipere, ſic nihil poſcere, ne modeſtiam vrgere, aut abnuere conceſſa videantur. Iam verò ne conceſſio antiquaretur, aut illius verſo annorum numero memoria intercideret, ſequenti diplomate res ſancita eſt, quod incorruptum ſic habet.

Adhelbert' concedit Gerardo & Corrado patruelibus, partē bonorum. In nomine Dei, & Domini noſtri Iesv Christi. Regnante in Italiâ Henrico primo, Dei gratiâ Rege Romanorum, anno Regni eius ſeptimo, die quintâ menſis Aprilis, Indictione nonâ. Ego in Dei nomine Adhelbertus Gonzach Marchio Mantuæ, qui profeſſus ſum ex natione meâ lege viuere Longobardorum, do, trado, & inueſtio, atq; confirmo in feudum per-
1009. petuum, honorificum, Corrado, & Rozono, & Gerardo fratribus de Gonzaga præſentibus & recipientibus, militibus, & parentibus meis; ſibi, & hæredibus ſuis, omnes domos & terras, cultas & incultas, aquaticas & boſchiuas,

uas, prata, paſcua, venationes, & piſcationes, & omnes alias poſſeſſiones, & honores, quos & quas habent, & tenent, & hinc retro habuerunt & tenuerunt, & habere conſueuerunt, in Gonzaga, Poleſino longo, & Guardagnaga, & eorum territorijs & confinijs: Et etiam totam Inſulam Lendinariæ, cum omni honore, & iuriſdictione, & ſignoratico ipſius inſulæ. Ita tamen, quòd nec dicti Corradus & Gerardus fratres, milites parentes mei, nec eorum hæredes, propter hanc cartam, aliquo tempore; nec mihi, nec hæredibus, nec prohæredibus meis, teneantur innouare, vel facere aliquam fidelitatem, ſeu aliquod iuramentum præſtare. Sed volo, & iubeo, quòd ipſi fratres & eorum hæredes, ſint fideles amici, Domini mei Regis Henrici, ſicut ego ſum. Si quis verò de meis hæredibus, aut prohæredibus, vel aliqua magna, paruaq; perſona, hanc cartam præſentis dati, ac huius meæ inueſtituræ, & confirmationis infringere, aut mutare tentauerit, ex parte Dei ſit maledictus, & cum Iudâ traditore in inferno ſit eius habitatio. Et ſimiliter in hoc ſæculo, in indignationem Domini mei Regis, ſciat ſe incurſurum. Hanc enim cartam Albertino de Carpo, notario Curiæ meæ, dedi ad ſcribẽdum, atq; ipſum rogaui. In quâ ſubtus confirmans teſtibus obtulit roborãdum. Vnde duæ cartæ per me Albertinum notarium ſcriptæ ſunt, vno tenore. Actum in Rocca Carpineti feliciter. Adelbertvs Marchio dator. S.S. Signa manuum ⊞ ⊞ Guidonis, & Alberti Comitum de Gemolâ, qui profeſſi ſunt lege viuere Longobardorum; Præſentes rogati teſtes. Ego Albertinus de Carpo Notarius Curiæ, ſcriptor huius cartæ, poſt Rogationem factam, compleui, ſcripſi, atq; dedi.

Certè cuicunq;, etiam ſuperficie tenus, conceſſionem hanc inſpecturo, inceſſuram dubitationem neſcius non ſum, temporis rationem non reſpondere: Nos Hiſtoriæ claritati conſulturi, quæ lectorem ſuſpenſum habere poſſent, diſpungemus. Et quidem licet conceſſio, ſub Henrico ſecundo fuerit, non tamen ideo minus veritatis habet, quòd ſub primo facta referatur: Secundus enim Henricus, non primus in Italiâ regnauit. Quod vt innoteſcat, res altius repetenda. Albericus Marchio Hetruriæ, Ioanni Pontifici, ac Romanis infenſus, non temnendam Italiæ partem Imperio habebat. Sed cum ſuis, & ſociorum viribus minus fideret (inuiſum enim ſuperbia, & ſæuitia reddiderant) accerſitos Hungaros Italiæ intulit, maiori ciuitatum ſuarum, quàm Romanorum malo. Nam ditiores in prędam, inopes in ſeruitutem tracti; exhauſta opibus Hetruria, & quidquid ſpecioſum offerebatur, ad barbaros abijt. Hi mox pactâ pecuniâ, Berengario Italiam tradidêre, magnâ Apuliæ ac Calabriæ parte, ob internas Pontificis ac Romanorum diſcordias, potentibus exteris vſurpatâ. Horum Italiâ exigendorum, Guidoni cuidam Romano onus iniunctum: Sed vt ſunt intemperantes in fęlicitate mortalium animi, partam contra infideles victoriam, Guido in Pontificem malè vertit; Italiæ Regnum iam ſpe præſumens; & honeſtioribus cõditionibus, Campaniã, nauatæ operæ pretium requirens. Nec multô poſt, Ridolphus Burgundiæ Dux, potius alius Princeps, quàm alij mores, copijs,

animo,

animo, & interioribus Longobardorum viribus fretus, Italiam irrupit. Longobardi ſparſi per Prouincias, quamquam vno nomine, ac Rectore non vterentur, validi tamen, & fortiſſimi prouincialium degebant. Nec ſpem exitus fruſtratus eſt, totamq; Longobardiam ſui iuris, ſpoliato Berengario fecit; Imperatoremq; ac Regem ſe dici iuſſit; vſus pace, ac Italiâ ad triennium. Interim Berengarius exuti à Ridolpho Berengarij nepos, Hungarorum virtute, quorum fidei ſe crediderat, inſtructus, Salardo Duce, contra Ridulphũ in Italiam venit: Et menſibus aliquot per rapinas actis, Vgo Arlenſiũ Dux, Papienſibus auxilio magnâ manu acceſſit, & Italiæ præcipuis Prouincijs iugum poſuit. Diſtrahebatur interim Henricus primus, Dalmatarum, Hungarorum, Bauarorum, & Boëmorum ſeditionibus. Nec de Italiâ cogitandi ob domeſticas Germanorum diſcordias conſilium erat. Quæ certa & ſumma ratio eſt, cur Henricus in Adhelberti diplomate nominatus, primus in Italiâ Regnans dicatur. Porrô momentum non habet, quòd Corradus, & Gerardus fratres, non GONZAGI, ſed de GONZAGA appellantur: Quippe ſic veteribus cognomina indebantur; & in præſentem nobiliſſimi Germanorum, locorum quibus imperant nomina aſſumunt. Imo recentiores eiuſdem familiæ Principes, quos Gonzagos fuiſſe non ambigitur, ferè nõ Gonzagi, ſed de Gonzaga appellantur. Ad rem reuerto. Plura fratres Corradum ac Gerardum angebant: Receptas à patrueli ſuſpiciones, quas mala coniunx impreſſiſſet; minus quàm pro portione conceſſum; & poſſeſſioni immiſſos, vt in Vrbe nîl ipſis reliquum, niſi æmulatio ſupereſſet. Sed quia inani queſtu potentioribus obſtrepitur, ſiluêre. Adhelbertus quidem, vbi in vtroſq; Gonzagam reiecit, paci Ciuitatis, & delendæ cum vicinis ſimultati aſſiduus erat. Gerardus verò, relicto Gonzagæ fratre, & firmandis rerum ſuarum initijs, appropinquanti iam Italiæ Henrico obuius preceſſit. Nam domo diuiſi, gloriam ac fortunam ſeparatâ ſe habituros nouerant. Sopitis enim per Germanias rebellium nationum motibus, & pace Imperio ad tempus partâ, de Italiâ, ac Vrbe viſendâ conſultauerat, vbi Imperij diademate inſigniretur: vt dato ante virtutis, ac meritorum experimento. Habebat Henricus coniugij ſociam Grundegundam pietate ac pudicitiâ, ſanctiſſimarum ad fęminarum morem, ſtudijs mariti & patriæ vtilitati benè compoſitam. Huic petiturus Italiam, rem domeſticam, & ſi quid abſentiâ ſui turbarum emerſiſſet, curandum tradidit. Paratis impedimentis, conquiſitâ pecuniâ, deſcripto milite, magno agmine Mantuam primò inuiſit. Aduentantem Cæſarem per officium, & mutuam caritatem Adhelbertus Marchio, regio cultu excepit. Spectabatur nobilitatis Mantuanæ longa ſeries, Senatus, ac primatum ingens numerus. Ipſe Adhelbertus pro limine Vrbis claues Cæſari obtulit, poteſtatis, & dominij teſtimonio. Et tactas primò Henricus Adhelberto tradidit. Confirmatum dubio procul inueſtituræ Diploma, ſed nobis in præſentem videre non licuit. Nec enim niſi volente Cæſare, & tot armatorum millibus ambito, Mantuæ dominium, Marchioni, aut hæredibus manſiſſet. Mox in Vrbem profectus, clerum, ac Benedictum

Quod illi iniquè ferunt.

Gerardus ad Imperatorē.

Qui primò Mantuam.

cctauum

octauum Pontificem obuium habuit. Sed ante quàm hoſpiti ſuo valediceret, vt gratitudinem oſtentaret, Marchionis precibus, ciues Mantuanos liberè vti agris ad Hoſtiliam voluit; quorum cauſâ frequentes cum Veronenſibus altercationes fuerant. Sic Chronica M.S. etſi confuſè.

Imo etiam campos Padenſes, qui verſus Hoſtiliam, & ad Veronam vergunt, ciuibus Mantuanis aſſignauit, iubens id ratum eſſe in perpetuum. Et ſimul Veronenſibus donauit pedagia, quæ ſoliti erant antiquè perſoluere Dominis Imperatoribus. Anno Milleſimo decimoquarto, &c. *Conceditq; ciuibus agros ad Hoſtiliã.* 1014.

Huius conceſſionis vi, an in præſentem Mantuani agros poſſideant, vel nouo iure aucti, transactionum aliquam præferant, neſcius ſum. Quamquam & Hoſtilienſes, & adiacentes villicos Veronenſes affectu, Mantuanos metu dici, acceperim. Sumptâ ab Henrico Pontificis manu Coronâ, ditato clero omni, Populo Romano immunitatibus donato (neq; enim Principis aduentum inanem, ſed quæſtuoſum ſubditis eſſe debere fatebatur) non parua moles ſupererat, ob Barbarorum ferociam, qui totâ Campania vagi, Capuam quoq; in poteſtatem redegerant. Et Pontifex orauerat, ne Germaniam ante repeteret, quam purgata ſicarijs Italia laxius reſpiraret. Indiuiduum ſe Gerardus Imperatori per vniuerſam Italiam præſtitit, Cæſareas curas, & ſi quid turbidum, aut operoſum ſuberat, ad ſe trahens; ſeq́ue communi bono, inter ſudorem ac miniſteria volutando, partem Reipublicæ faciens: Ne vano nobilitatis, ac proauorum nomine vſus, ſegnitiem, & degenerem maioribus ſuis animum præferret. Et occaſio oſtentandæ virtuti in promptu erat; nam Barbari audaciâ, minisq; conſpicui, vltrò inferre manipulos, & vrgere Cæſareos iam Campaniam ingreſſos, temerario auſu præſumpſerant. Peditum, quod Henricus ſub vexillis habebat, cura Gerardo conceſſa; iuſſus itineri pariter ac bello inſiſtere, quando anguſta viarum, & gnara hoſtibus, inſidijs obſeſſa crederentur. Pugnatum non vno prælio contra hoſtes. Et quamquam multo Imperialium ſanguine, quod tamen formoſius eſt, Barbari ſiue pacto, ſiue per vim, totâ Campaniâ pulſi ſunt; & liberam Imperio poſſeſſionem reliquere. Sic creditum: Nec enim Arces receptui, aut Vrbes ſibi ſeruauerant, quarum opibus reſurgerent. Niſi campo potitus hoſtis, & libero egreſſu pabulum, ac minas in arbitrio habens, ſuperior eſt. Gerardus formoſo mediæ frontis vulnere, gloriam fortitudinis, Mantuam ad ſuos retulit. Adhelberto per æmulationem, pulchramq; inuidiam, cicatricem reprobante. Sed Gerardus, quòd nullus amplius adulationis quæſtus eſſet, liberè proloqui, ac patruelis ſecordiam accuſare; cũ accepti beneficij, auiq; immemor, ſegne otium languori prætexeret, & functos merito carperet. Qui longius à pugnâ agunt, immunes vulnerum, eôq; gloriæ, victis obſtrepunt, & cruentatis victoribus: quaſi virtutis commendatio, maior ſit apud integros & ignauos, quàm ſtrenuos & ſaucios. In fatis Henrico erat, quietem voto, laborem exitu habere. Tenebat Bubaganus Græcorum ſeditioſorum Dux, in extrema Apuliâ, continentis & litoralis Prouinciæ, multa opida: Iſq; commeatu, armis, milite firmatis, quod minimum tutari partas

Gerardus in Campania pio Cæſare.

Vbi vulneratur.

res,

res, & olim latiùs Italiæ imperare agitabat. Chriſtianiſſimum Cæſarem, mouerat, contumax gentis potentia: Nec expedire ratus, maioribus inhiantem in tuto relinquere; & metuendum ne vbi ad ſuos reuertiſſet, hoſtis à tergo irrumperet magnis exercitibus (facili & breui freto copias ſuggerente) Apuliam inuadit. Certauêre pro laribus ac focis; quô enim pulſi ſedibus Græci reciperentur, ignari erant. Sed Troia in deditionem accepta; quia parum præſidij in Duce erat, exuti munimentis, & Ionium vltra, in veteres locos diſiecti ſunt. Præſagio reliquorum vna Vrbs fuit, ſedes bello nô electa, ſed condita, velut propugnaculum aduerſus Italos. Vanus oſtentatione Dux, cui nomen famamq; contulerat, reliqua bello neceſſaria ſubtraxerat. Niſi cura quoq; defuit, quòd famâ munitionis contineri poſſe crederet. Sed apud prudentiores, belli ſedes, collato ſtudio, extra metum ſiſtitur. Inania, & in ſpeciem compoſita, vti tradere fidem infringit, ita conſenſu ſcribentium, neq; pro miraculo inuenta recensêre noſtri muneris eſſe credimus. E viuis ereptus Benedictus, Romæ & in Germaniâ Henrici officijs omnibus cultus, poſt vndecimum Pontificatus annum, Epiſcopo cuidam, nigro equo inſiſtens, fertur apparuiſſe; arctèq; præcepiſſe, vt ingentem pecuniæ ſummam, à ſe per auaritiam & ſordes ſecreto abditam erueret, & in egentium vſus erogaret: Sed & locum docuit, & in quos munificentia conferretur. Paruit Epiſcopus, ſiue Numine, ſiue miraculo motus: Humo, ac macerie celatum aurum effodit, & in egenos nullâ parſimoniâ effudit. Mox per nocturnam quietem, grates à Pontifice benè nauatæ operæ ſibi agi videt. Addunt Epiſcopum formidine ac portento horruiſſe, reiectoq; ornatu, ac poteſtatis inſignibus, Monaſticæ vitæ inſtituto ſe obſtrinxiſſe. Quieſcebat interim ſueta tumultibus Germania, ſilebat Italia, Cæſarq; voti compos ad ſuos regreſſus, paci & quieti per otium aſſiduus erat. Nec Adhelbertus etſi fidum Imperium, ſecurum Marchionatum, opes in vſum, luxumq; ſuppeterent, fœdæ ac ignauæ ſe quieti dedit; ſed vbi filijs ac conſanguineis prouiſum vidit, Diuino cultui, animum, operamq; intendit; defuncto iam Henrico, & Corrado ad Imperiũ adſcito. Nam Vrbe in ipsâ, Sacroſanctæ Trinitati templum, vná cũ coniuge Adelaidâ extruxit, ornauit, dotauit. Eiusq; Priuilegium videre eſt, ſub annum Milleſimum trigeſimum tertium. Monuit me Illuſtriſſimus Comes Chieppius, vbi nunc Diuæ Barbaræ, Gulielmi Ducis munificentiâ templum aſſurgit, vetus illud fuiſſe. Et recenti pietate tecta antiquæ Religionis monumenta. Verſæ mox ad inopes erogationes: Et puellæ inopiâ domeſticæ rei, libidini potentiorum expoſitæ, conſtitutâ dote, periculo exemptæ ſunt. Per eadem ferè tempora Boleslaus Poloniæ Dux, Regijs inſignibus, & nomine vſurpato, diſcors Imperatori agebat. Nullas in Poloniâ partes Imperio, nullam Corrado in Regem poteſtatem iactans. Vt fere ſubditorum potentia, vbi nimia eſt, excutit iugum, nec côferentis, niſi ex vſu meminit. Defuncto vitâ Boleslao, ſecutus conſilium Muſiconus; quòd paternis conſultis certam ineſſe fidem crederet; & ſpe tumens, hoſtilia manifeſtè induerat. Quippe nollebat magnis Prouincialium amicitijs,

Henricus Græcos fugat.

Viſio Benedicti Papæ.

Adhelbert⁹ extruit Templum S. Trinitatis.

1033.

amicitijs, hæreditate, virtute, habitum Regnum, alienæ potentiæ donum accipere. Sed dum vires ſuas, Corradi magnitudinem ex æquo & ſacto æſtimat; pauefcere, minitari, detrectare pugnam, ac tandem rerum deſperatione præceps, ad conſanguineum ſibi, & ſeditionum, turbarumq; ęmulū Valtericum Boëmiæ dominantem, confugere; auxilij, quàm impunitatis cupidine. Fluxa hoſpiti, & quantùm tempori conduceret, fides inerat: Nam quidquid virium habuiſſet, in irritum caſurum, multò ante præuiderat. Itaq; ſibi Boëmiæq; conſulturus Valtericus, promiſſis Polonum onerat: Seu vi, ſeu minis, ſacturum ſe Cæſari, per æquas conditiones, neceſſitatem pacis. Non enim præferocium gentium bellis implicato expedire, nouis difficultatibus occurrere. Hæc palàm; per ſecretum, fides cum fortunâ hoſpitis exceſſerat. Ergo ad Corradum componit epiſtolas, quarum ſenſus erat: Recentibus ſe meritis, nouam amicitiam quærere: vt nullâ præteritorum memoriâ, pares inuicem gratiâ & officio conſerentur. Habere ſe intra domeſticos parietes Muſiconem; quem conceſſurum ſe, vt capto Duce, victoria ſine ſanguine, triumphus ſine labore habeatur. Nulla vſquam generoſi Principis animum iniuria, altius perculit: Proinde iuſtis armis iuſtas cauſas proſequi, & perfidiæ nullam gratiam habere, clâm Muſiconi ſignificat. Polonus Boëmi proditione anguſtis rebus ſuis, & Cæſaris magnitudine illectus, miſericordiam potius, quàm manifeſtam perniciem experiri ſtatuit. Nec longè agentem Imperatorem, & bello neceſſaria parantem, inexpectatus adiungit; genibuſq; aduolutus, ſic orſus eſt. Si paternæ voluntati obtemperaſſem, ò Rex, & errori meo cauſa, & veniæ certa erat. Sed nunc primos belli motus, gentium mearum immania conſulta, meam libidinem ſecutus, vt ignoſcas orare potius, quàm ſperare audeo. Tuæ vtilitatis, ſiue Regno, vitæq;, ſiue pœnæ reſeruas, eâdem conditio, honos ex clementiâ æternus, & teſtis clementiæ ero. Honori tuo, noſtro errore incrementum addidimus: quandô glorioſius ſit, ſupplices per amorem, quàm per vim domitos Reges oſtentari. Corradus nobilitate viri, ſimul viciſſitudinis humanæ memor, ſupplicem regio honore habitum, & gratitudinis certiori vinculo obſtrictū, ad ſuos remiſit. Opportuna Poloni modeſtia in tempore fuit: Nam Italiam meditanti Corrado, hoc vnum profectionis impedimentum erat. Quo amoto, diuerſorum ordinum Principes affuêre, itineris comites, alij famâ exciti, alij viſendæ potentiæ; quidam pietatis commendatione. Nec dilata expeditio; quòd quarundam ciuitatum tumultus, quibus Mediolanum fomes erat, audiretur: Velut Imperio contendere, & extra obedientiam agere vellent. Primùm Mantuæ conſedit, ab Adhelberto & exceptus, & milite, ac pecuniâ auctus. Neceſſitas an vſus cauſam errori dederit, ambigo; vt pauperiores à Principe pecuniam velut cum flagitio poſcant: Principes à ſubditis, tamquam iure requirant. Ducenti equites, octingenti pedites fuere, collatis ſingillatim ſtipendijs, ne obſequium Marchionis, Cæſari oneri foret. Maioris pariter auxilij ſpes oſtentata, ſi certandum foret. Quippe Germano Imperio vires omnes potentiamq; ſeruari. Paucos dies Mantuæ

Corradus reconciliatur Polono.

Mantuam venit.

Augetur milite à Marchione.

Corradus

Corradus immoratus eſt; ne tempore, rebellium conatus gliſcerent, aut cōſilia per multam quietem miſcerent; magniſq; exercitibus ſeptus Mediolanum contendit. Rigore opus credebatur, pœnitentiæ, punitioni, & exemplo. Semel etenim clementiam experti, & relapſi; aſperioribus egere conuincunt. Itaq; abacta hoſtilibus agris præda; villarum nobiliſſimæ ſolo æquatæ, ſeges omnis detrita, vt damno ac clade monerentur, inutilem contumaciam, apud præpotentem Dominum, præ ſeruitio eſſe. Nec diſpar Mediolanum exitus manebat; niſi protectum Numine, & vltio ſcelerum in futurum reiecta foret. Cum enim Corrado, magnitudine potentiæ, & obſeſſorum ignauiâ facilè eſſet, nobiliſſimam ciuitatum Italiæ, ceterarum rebellium exemplo in perniciem dare; & promptus ſeuerioribus eô accederet, ab Archiepiſcopo Colonienſi, cui ob pietatem, & rerum experientiam plurimûm deferebat, inhibitus fertur. Reſtitiſſe ſibi quippe ſacris operato Diuum Ambroſium; & præceptum omittendæ obſidionis addidiſſe; nec luendorum flagitiorum tempus illud, aut coërcendorum Mediolanenſium docuiſſe. Paruit Corradus: quæ tamen licentiâ belli, & hoſtilibus excurſibus direpta fuerant, in comites abiêre. Hos inter, ditata Mantua, Verona, Mutina; & agreſte vulgus rapinis expletum eſt. Paucos poſt menſes, Mediolanenſium legati Mantuam, iniurias queſti venêre, repetituri adempta, quæ quis agnouiſſet, aut profeſſus foret: Sed obſtrepente milite, eaq; diſcriminum pretia teſtante, redière irriti, apertis odijs erga raptores: Statimq; indignationem reddidiſſent, niſi vicinio Cæſaris, & metu peiorum ſubſtitiſſent. Qui iam compoſito agmine Romam perrexerat, vt aureâ Imperij coronâ, multô ante ſibi debitâ, à Ioanne viceſimo (alij viceſimum primum dicunt) Eccleſiæ Dei Epiſcopo inſigniretur. Morum in populo licentia, & mortalium deploranda conditio, quæ ſummis lætitijs aduerſa, doloribus gaudia confundit, inter Germanum ac Romanum militem ſeuit acres diſcordias; quas mutuô ſanguine ad ſatietatem vſq; expleuêre. Quidam diuerſitatem morum ac ſermonis, alij inſolentiam cauſantur. Proxima occaſio è ludicro certamine fuit, cum tectis mucronibus hinc Sueuus, illinc Hetruſcus artem militarem oſtentant. Secuta rixantes propinquitas, amici, ac natio, dum in belli formam totis legionibus concurreretur. Pro Imperatore quamquam proprius miles, & belli domitor externi; proceres quoq; gentium ſuis numeris ſtipati, in ſpeciem ac tutelam viſebantur. Ante alios Gerardus, qui debiti in Cæſares memor (& ſi biennij interregno dilatâ electione) aſſiduuſq; per officia, & Electoribus neceſſitudine acceptus, ſeq; reſq; ſuas ſuſtentabat: Sequebantur trecenti levioris armaturæ equites, quòd è domo eſſent, validiores; & inter nouiſſima ſecuriores; necnon in Imperatorem Ducis ſui animo. Itaq; non pace magis, quàm in confuſione rerum, magno viro vſus, inſoleſcentem Romanæ Vrbis populum, clade graui coërcuit; nec enim officijs aut formidine, modeſtiæ meminerat. Accepto certè à Cæſare conſternationis nuncio, Gerardum ſeruare itinera, vallare domum, & patrio ſermone aduerſus terrorem, ingerere ſuis ſpem mandauerat;

Mediolanenſes recipit.

Gerardus Romæ.

hærente

hærente Germano, quòd apud alienos non manus, non ductores ſatis competerent. Ergô minitabundus irrumpentes Romanos, inclinantes Germanos primûm retinuit; mox velut ad opportunitates ſeruatâ irâ, aduerſos impulit. Sed vbi plus cædium, minus contumaciæ deprehendit, quamquam irritatus, ac iuſſus inſiſtere, reduxit victores ſuos: Maluitq; approbaſſe ignauis vires, quàm impendiſſe. Imperator auerſus à conſilijs belli, cum virtutem commendaſſet, modeſtiâ delectatus eſt. Reſpexit reliquas quoq; Ciuitates Italiæ: Eoſdem enim tumultus, pari cauſâ ſectatas, decretis grauibus, & pecuniâ multauit. Adempta etiam ſuſpectis arma, ne paratæ vires præſidium nouandi haberent. Vertit poſtremò in Germaniam; & patriæ, & quietis deſiderio. Sed Mantuæ dies aliquot immorari, munificentiâ, pietate, caritate Adhelberti ac conſanguineorum coactus eſt. Et Marchio abeuntem Principem ne proſequeretur, pari ac Gerardus officio, vix Cæſaris imperio ſiſti potuit: Cùm ille gratitudinem, fidem, beneficia, gratiam; hic exſoluta omnia, & non poſſe omitti ciuitatem fateretur. Data etiam remanenti mandata quibus tumultuantes, ante perfectum ſcelus opprimerentur. Nam coacta deditio; & domini abſentia, aſperatura gentium vulnera credebâtur; apud quas non magis iniuriæ memoria, quàm connatum Germanorum odium, acerrimis ſtimulis animos lancinabât; velut Itali cæterorum dominatores, turpi flagitio ſubditis deſeruirent. Cæterûm Cæſar egreſſu ipſo, contra Sclauos, ac Pannonios arma ſumpſit, comite Gerardo Gonzach; qui Germanos Reges in cultum delegerat, certus ſpes ſuas, non alio adminiculo niti poſſe. Vtriq; populi ceſsêre, non minus ſceleris conſcientiâ, quàm Imperatoris celeritate; dum nutant, ambigunt, cõſultant, circumuenti. Supererat Sueuiæ Dux, qui Corradum vndiq; difficultatibus illigatum, Germaniam ægrè curaturum ſperauerat, & in tempore libertati ſtuduerat. Ipſe tamen conatus initio cęſus eſt; Et Prouincia in eius fratrem officij ſtudio, & rebellium voluntati iniquum, iubente Imperatore translata. Gerardo gloriæ fuit, præueniſſe motus hoſtiles, oppreſſiſſe cœptantem rebellionem, & eâ acie quâ Mantuani dimicauerant, fatalem Sueuo ictum proceſſiſſe. Eſt qui facinoris lauream Saxoni equiti, eſt qui incerto percuſſori tribuat. Sed ille conſcientiam facti ſibi ſufficere ratus; & cum de ſuis vulgaretur apud amicos, inter infidos ambigeretur de auctore. Mantuanus qui decoris æmulatione, incautius, & locum, & tempus, teſteſq; admiſſæ cædis offerebat, clâm donatus à Marchione eſt, & ad ſuos redire iuſſus; ne velut oſtentationi ſeruaretur: Adeo nobili viro, ſæuitia etiam cum victoriâ inuiſa fuit. Adhelbertum interim Marchionem, graui ac præcipiti valetudine conflictari, certi nuncij in Germaniam detulerant: Vltimuſq; ſcientium Gerardus fuiſſet, niſi eum præcepto inuiſendi Cæſar docuiſſet. Nec tamen inſolens viro in patruelem pietas, aut extincta animo cauſa offenſionum erat: niſi illinc naturam, hinc virtutem æſtimes, & vtroq; ſtimulo pulſum. Antequàm patriam attigiſſet, vanam fuiſſe formidinem, & valetudinem in melius verſam accepit. Cæſaris tamen aduentum Mantuæ opperiri ſtatuit; quòd

Et in Pannonia pro Imperatore.

Gerardus Mantuam.

breui affuturus diceretur. Cauſa erat ſeditio, ac Ciuitatum tumultus, quæ
pati externum Imperium nequiuerant, quamuis ad tempus ſiluiſſent. Equi-
dem maior vis fuerat, quàm vt Adhelbertus, aut deliberantes opprimeret,
aut profeſſos coërceret. Similis Mediolani audacia communi neceſſitate
trahebatur, vt ſemel lueret, quæ toties peccauiſſet. Simul Corradus ſecurâ
à tergo Germaniâ, magnâ vi properabat; & cupiditate gloriæ, quam etiam
ſapientes nouiſſimè exuunt; & deſiderio vindictæ, quam contumacia, & ſæ-
pius tolerata iactantia accelerabant. Itaq; inexpectatus aduenit: Nam capi
& diripi ſe potius rebelles quàm inuadi ſensêre. Maior Mediolani cura ſu-
berat, quod milite, commeatu, pecuniâ fretum, & conſcientia læſi Principis
anxium habebant; vt tutelæ vias tentaret, pœnitentiam nō præferret. Vſus
Corradus fortunâ, ac victoriâ, ſupra ſpem ſuam, aut hoſtilem formidinem.
Impetu ſiquidem receptum. Nec tamen promiſcuè omnes in pœnam tra-
cti; in ſolos conſiliorum & ſeditionis auctores, communi exemplo animad-
uerſum eſt. De Bulcano celebri viro pauliſper dubitatum: Se enim ciuium
conſenſu in arma tractum, parentes & conſanguineos fidei ſuæ vim intuliſſe;
nec obſequij pro patriâ tantam vigilantiam, quantam ſecretæ ſecordiæ con-
ſcientiam habuiſſe. Sponte an coactus, cum conſtantiâ retinere plures li-
cuiſſet, in perfidiam lapſus foret, haud multum intereſſe viſum. Pleraq; in
metu excuſari, quæ re integrâ commendentur: ſic communem pœnam ſu-
bijt. Supererat officij in Pontificem oſtentatio. Ergo Romam profectus
Corradus, & voto ſuo, & ciuitatum Italiæ, quæ fidem tenuerant, ſatis egit.
Mox nullis amplius ſeditionibus diſtractus, Gerardo Mantuæ relicto, in Ger-
Corradus Imperator moritur. maniam reuertit. Sed graui morbo æger, expleto Imperij decimo quinto,
finem habuit. Paucis ante menſibus Adhelbertus è viuis exceſſerat: Prin-
1039. ceps, in quo ſi comitatem excuſes (quæ nonnunquam vitio à ſeuerioribus da-
Adhelberti Marchionis finis. tur, plures virtutibus annumerant) non eſt quod accuſes. Totâ vitâ in ege-
nos profuſus, in domeſticos facilis; grauis, ac inexoratus in ſuos, ſi licentiâ
deliquiſſent. Solatus patriæ iacturam Thedaldus eſt, Adhelberti filius: Edu-
ctus intra iuuentam à patre, quiq; niſi virtutes hauſerat: Sed militiæ inex-
pertus, pacis & pietatis artibus, ante alios fuit. Nec fortitudo aberat, ſi
armis tranſigendum fuiſſet; ſed ſummâ quiete rerum; & patruo Gerardo
pro Cæſare bellanti, ſatis honori ac debito actum credebatur. Nam pars
vna domus in Ciuitate; alia apud Germanias curabat: E quâ reddita for-
tuna, & ſpes miliorum erat. Thedaldum hunc, Adhelberti filium veteres,
Thedaldus Marchio. & antiquitatem ipſo ſtilo præferentes donationes duæ fatentur, apud Ferra-
rienſes. Quarum prima ſic habet.

In nomine Dei, & Sanctorum. Nouerint futuræ ætatis vniuerſi, qualiter excelſus Dominus Thedaldus, quondam D. Adhelberti, Mantuæ Marchionis filius, ex ſuæ præſcripto voluntatis; ne fides & dilectio ſuorum ſubditorum, pręmio ſibi debito fraudetur, quòd liberâ & generoſâ donatione, cedit, & cōcedit religioſo viro Heluindo de Cremis, tenutam, & poſſeſſionē, ſitam in loco cui vocabulum Cauallariæ, ditionis Mantuanæ, iuxta ſua confinia.

A latere

A latere dextero eſt, Iudex Andreas de Viris. A ſiniſtro, matrona nobilis Anna, quondam Domini Gaulij. In ſubtus paludes arundinum. In ſupra via publica. Idq; facit pro animæ ſuæ ſalute, quæ carior eſt omni theſauro abſcondito. Debebit verò & tenebitur, dictus Reuerendus Heluindus, offerre Deo perenne ſuffragium pro eius animâ. Inſuper D. Thedaldus vult vt dicta tenuta & poſſeſſio, ſit & eſſe debeat omnium ſucceſſorum dicti Heluindi, cum eodem onere. Ad gloriam magni Dei, & Sanctorum Andreæ Apoſtoli, & Longini martyris Chriſti. Amen. Actum in Mantuâ, nempe primo die Februarij, de anno Domini milleſimo quadrageſimo ſexto. Regnante glorioſo Imperatore Henrico, anno eius Regni ſexto. In præſentiâ teſtium infraſcriptorum, rogatorum, vocatorumq;.

Ego Bartolinus Mangonus Iudex. S.S.

Ego Iuliettus Vogadinus miles. S. S.

Ego Philippinus de Turribus miles loricatus Domini Thedaldi. S.S.

Ego Paolinus Negronus, publicus, & magnifici D.Thedaldi March: ſcriba, rogatus hanc cartam donationis publicaui manu meâ, & ſigillo, & teſtes ſupradictos ſubſcribere feci in meâ præſentiâ.

Signum Domini Thedaldi Marchionis.



Signum Paulini Nigroni notarij.



Altera donatio eſt in ſequentem formam.

Ego Thedaldus Marchio Mantuæ, Excelſi Adhelberti, itidem Mantuæ Marchionis filius, præſentibus Aloyſio conſanguineo meo, Iacobino Torello, & milite Paulo Ciappo Pincerna, dono & concedo liberum ius, & dominium Villæ, quàm habeo in loco Podij, ad lacum Bunij, dominij noſtri, vnà cum omnibus boſchis, paſcuis, venationibus, & piſcationibus. Nec non cum ripatico & libero tranſitu, frumenti, vini, fęni, palearum, lignorum, & armentorum, nobili militi Carolo Bonifacio, militi & amico meo, & patris mei Adhelberti, in guerris Italiæ, & ad Mediolanum. Idq; pro mercede laborum ſuorum. Ita vt eam villam, ipſe, & eius poſteri legitimi & naturales, quos habet ex matronâ ingenuâ, Eliſabeta, teneant, poſſideant, & habeant in ęternum. Equidem quia Mantuæ habitat, decet eum habere vnde arma & equum prouideat; quia iam factus eſt ciuis, & familiaris meus. Et in fidem hanc cartam donationis, meâ manu ſignaui. Anno domini noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo quadrageſimo nono, decima Decembris. Regnante glorioſo Henrico Imperatore, anno Regni ſui nono.

Ego Thedaldus Marchio.

Ego Aloyſius manu mea. S. S.
Ego Iacobinus Torellius. S. S.
Ego Paulus Ciappus miles. S. S.

Vtriusq; donationis autographum apud Illuſtriſſimum Tullium Petrozannum, erutum è Ferrarienſi aliquo Archiuo (niſi pretio habitum eſt) & vidi, & eius permiſſu huc inuerti. Vt haud dubia ſucceſſio, lectorum animos ſatiet; nec narrationibus diuerſa docentium diſtrahatur. Superſedendum huic labori erat, niſi certiſſimę ſucceſſioni, quicunq; magnę Eſtenſis familiæ monimenta congeſsêre refragarentur. Sed vt nos Eſtenſem nobilitatem Mathildæ commendatione non egêre,ſic nec GONZAGOS alienam gloriam in ſe trahere, pro comperto habemus: vtriſq; ſuâ mole nixis.

Thedaldi vxor Iulia Eſtenſis. Thedaldo Marchioni, ſi non primis, ſecundis certè votis ceſſerat Iulia Eſtenſis, Ferrariæ Principis filia, quâ cum ſummâ concordiâ plures annos egit; numeroſâ prole ornatus, ſi ſuperſtites habuiſſet. Liberum Thedaldo fuit, tacentibus ſeditionibus domi foriſq;, & quieſcente Imperio, cuius motu Mantuani Marchiones agitabantur, Ciuitatis vtilitati ac decori prouidere, & officijs pietatis proferre famam. Et quia ſuperabant opes, prouiſum à coniugibus, ne egeni, pupilli, innuptæ virgines, viduæ, peregrini, ſacris initiati, quiq; alienis largitionibus ſuſtentantur,ínopiam experirentur. Sed ante alia celebre toti poſteritati futurum extructum eſt Monaſterium D. Benedicti,in agro Mantuano,inter Padum ac Lironem amnes (poſterior Zara vulgò dicitur) additis campis, qui ſuſtentandis Religioſis, excipiendis pauperibus, dotandis virginibus ſatis eſſet: Tantâ oſtentatione potentiæ, vt cætera Vrbis, adiacentiumq; populorum, præ hoc vno vileſcerent. *Monaſteriũ D.Benedicti.* Quòd tamen pleriq; inſtitutionem in Bonifacium filiũ reijciãt,placuit monuiſſe, in Archiuo magni illius Cœnobij, aſſeruari, cœptę munificentiæ memoriam. Cuius inſerendæ labore ſuperſedimus; ne magnitudini operis, quàm veritati ſtudere videremur. Et res adeo clara eſt, vt ſi quis intendat, meritô vanitatis accuſari poſſit. Nam alij ambitione, alij Principum amicitijs, quidam in Dominantes odio, plures rerum ignoratione fatiſcunt: quiq; ſuis erroribus ambitioſi: Nec quæ nullo authore habuêre,poſteritati cõmittere negligunt; tenuemq; Hiſtoriæ lucem, commentis & interpretationibus offuſcant. Nos ſolidam certamq; ſcientiã per veteres ſcripturas, aut Principum,Cæſarumq; Diplomata, eorumq;quæ controuertuntur, donationes ac tranſactiones, ſectati ſumus; infracti veritatis profeſſores, nec corruptelę obnoxij. Vt antiquitatum ſtudioſo, per ea innoteſcat, quanta veri ſpecie, intus fallacia, pro ſacroſanctis recipiantur; & quàm leuis vero fides, poſſumdato in contraria animo, accedat. Non enim inani coniecturâ, anicularum recordationibus, Canoſſinis, Aequicolinis, Pineis traditionibus, ſed nec ſcriptorum vlli ſuffragamur

ſragamur, niſi veteres membranæ, Principum, ac locorum Archiuâ, atq; adeô in cenſuram vocata veritatem approbent. Sereniſſimis Gonzagis Principibus, ſatis nobilitati viſum, ſi nomine noſcerentur; nec ſcriptorum ingenia pretio quæſiuêre. Noſtrum aliorumq; laborem iniuſſi ſubiuimus: Et an accepta diligentia futura ſit, ignoramus. Hæc dicere libuit, eorum errori confutando, qui Thedaldum hunc, alienæ familiæ addicunt. Et tamen Adhelberti filium, clarè Diploma donationis monaſterio D. Benedicti conceſſæ, vt & alia ſupra memorata, fatentur; Adhelbertus verò Otberti, hic Valterij filius, non vno teſtimonio clareſcunt. Si quis maiores Gonzagos, Canoſſas, Eſtenſes, aliove nomine circumferat; aut à poſſeſſione dictos, aut alios eſſe crediderim. Et quidem Canoſſas, nunc auctâ fortunâ Marchiones, & Veronenſes patritios, quamquam non vno inditio, eo tamen præcipuè Gonzagos eſſe crediderim, & domo auulſos, oppidum eo nomine in partem accepiſſe; quòd Gentilitia Illuſtriſſimæ illius familiæ inſignia, eadem quæ Gonzagis communia fuiſſe, vel ipſorum teſtimonio habuerim: Scutum nempe ſex tranſuerſis lineis diſtinctum, flauo nigroq; variantibus. Quæ nunc circumferuntur, an poſſeſſionis arma ſint, adhuc inquiro: Nam Mathildæ ſectari ſuperuacuum eſt; nec enim ijs quæ Ferrariæ circumferuntur, paria viſuntur. Et inter decertantes etiam Maleſpini Principes occurrant. Neq; cum Eſtenſibus vtriſq; ſimilitudo inſiſtit. Cæterùm Thedaldus Ciuitatem per mutuam caritatem, domeſticaſq; res curabat; arbiter inter diuerſos, ſi quid diſcordiarum acceſſiſſet. Sed quantum ille in egenos largitionibus, tantùm rerum ſuarum incremento prouidebat Deus, acceſſione bonorum. Nam ijſdem ferè temporibus, Azus Iuliæ pater, Thedaldi ſocer, morte præuentus eſt, non aliâ prole ſuperſtite, cui Ferrariæ dominium hæreditate obueniret. (quippe Regna ac Prouinciæ in filios hæreditate tranſibant) Et tollendis inter nexos ſanguine diſſentionibus, Iulia multò ante à patre, rerum ſuarum hæres dicta fuerat. Nec tamen teſtamēti tabulis voluntas firmata, ob celerem, nec expectatum finem. Supererant tamen Ferrariæ Azij Eſtenſis neceſſarij; ſed qui longius temporum beneficio à familiâ receſſiſſent: Acriores petendæ dominationi, quò magis per iniuriam, & nullâ iuſti æquiq; curâ. Angebant quoſdam aſportandæ diuitię, quibus domus illa immenſum viguit: Alij dominationem exterorum exoſiā, quibuscum aſſiduis ob limites diſquiſitionibus cōtenderant habebant. Ergo in cōmune conſuluēre; quòd nemo priuatis cōmodis, eam ſibi Ciuitatis gratiam crederet. Pecuniæ & Principis domus decora, multò ante præuiſâ diuiſione, cuſtodiæ potentiorum mandantur: Per ambitum & amicitias ad dominationem adſpiratur. Ad extremū vis parata, ſi Thedaldus opes vxorias armis requireret, aut ſtudia Ciuitatis in Azij conſanguineos minus inclinarent. Thedaldus quamuis causâ quàm vi, conſilio quàm armis, debitam Iuliæ vxori Ferrariam repeteret, ſelectiſſimos tamen militum, Bonifacio filio tradit; iuſſo pro finibus, quid Ferrarienſes pararent opperiri: ſed ſecreto noctis vti, ne manifeſtum bellum eſſet. Addit ſolitâ ſibi comitate ad

Thedaldi Socer moritur.

Eſtenſes tumultuantur.

Sed Thedaldus occurrit.

Ferrarienſium proceres epiſtolas, his pœnè verbis: Non ſe illico hoſtilia induiſſe, auditâ Soceri morte, quamquam & viribus & causâ fretum; ſed tueri tantùm ſuâ, & populi Ferrarienſis modeſtiam experimento quæſiuiſſe. Indolere optimi conſanguinei iacturâ; nec ſe aliam quàm coniugis dilectiſſimæ voluntatem, proſperis & aduerſis ſectatum. Plures iam annos aſuetum caritati & reuerentiæ ſenis; nec licet defuncti, dum vita ſuppeditet deſiderium abſuturum. Eas eſſe mortalium viciſſitudines, vt aduerſa in certis, proſpera in dubijs habeantur. Nec ipſi Ferrariæ imperium per ambirum, aut auaritiam, ſed ſoceri pietatem, vxoris amorem, mutuo populi obſequio requiſitum. Ad temeritatem proximè accedere, cupiditatem, vaſtas ſpes rerum accuſare in eo, cuius beneficio mors, & fortuna coniurârint. Iam verò nouum non eſſe per coniugia hæreditates accipi; his potentiam ac regna tranſigi; euerti longis dominationibus firmatas familias, & ſæpe in hoſtes fortunas abire. Se multò ante dediſſe Mantuanis, dediſſe accolis teſtimoniũ æquitatis, ac iuſtitiæ. Et ſeneſcentem aucto Imperio, inſoleſcere neſcire, cui modum paucis ab illinc menſibus, communis mortalium neceſſitas poſſit imponere. Bonifacium Canoſſæ pridem impoſirum, vt aſſuerudine regnandi, certus adminiſtrationis, paternam iuriſdictionem reciperet. Nihil in ſe conferri, vt exterum, ſed eiuſdem ſanguinis & caritatis. Imo Ferrarienſibus additis Mantuæ viribus, conſulrum iri, aduerſus Germanorum motus, Italis ciuitatibus, ſæpius cum damno expertos. Proinde deponerent contumaciam, & rerum ſuarum bono ex honeſto proſpicerent. Legatus vbi modicam literis fidem videt, minas intenrat: Et ſi armis de poſſeſſione certandum ſit, promptum iam, & vaſtationi ac rapinis paratum militem oſtendit. Iam verò non ſuo, aut amicorum conſilio tantùm Thedaldus, ſed & Summi Pontificis arbitrio vti voluit. Mirrit è filijs Corradum, qui debitam ſibi Ciuitatem iure doceat; ſuam modeſtiam, conſanguineorum Azij turbas, & auaritiam exponat; oretq; generis humani parentem, vt diuerſos componat, nec ad arma Italos proceres ire permittat; quæ miſeram patriam, exrernorum libidini ſemper expoſitam conuellant. Se ſuaq; Pontificis ac Sacri Collegij arbitrio permittere; quando viribus & cauſæ iuxta confidat. Reperit in Vrbe Corradus Azij conſanguineos, ſibi pecunia & precibus, Ciuitatem & potẽtiam properantes. Feſtinationem, & præoccuparam querelâ gratiam quæſtui vertebant; non quòd apud integros valerent, ſed quòd opinarentur; veteri aulæ morbo, & ferè corruptis obnoxiæ. Hi Pontifici veterem Eſtenſium poſſeſſionem Ferrariæ, populi deſideria, anguſtas res ſuas, in Romanum Epiſcopum obſequia memorant: Nec præſenti aut futuro abſtinent, per eandem operam, ſi quæ Gonzagi delinquerant, aut deliquiſſe credebantur, inculcanr. Iniquum cenſeri diſtrahi regna connubijs, & fortes viros, fœminę imperio addici. Pontifici nullum ex mulierculâ, quæ vanis conſulris diſtraharur, dubijs in rebus præſidium futurum. Et coniugem inhiare dominationi, non amicitiæ. Nec quod ditionis ac potentiæ egens olim præſtitit obſequium; id iam ciuitatis ac diſtrictus Ferrarienſis acceſſione

Quæritur apud Pontificem.

ne

ne, validius reperturum. Inſitum mortalibus eſſe, rerum incremento, non virtutes, ſed ſuperbiam induere. Cogitaret Pontifex quem voto cęteris ante ferret. Vbi electione erratum ſit pœnitentię locum non futurum. Magnis hæc contentionibus audita. Nec deerant qui Eſtenſium cauſam miſerarentur; aut ſublatis Germaniæ ſeditionibus ſpem ab Henrico haberent, ſi Pontifex Imperio diuerſus, ſtatuiſſet. Plures cauſæ honeſtate ducti; nec Imperatorem quod iure detur, abnuere credebant: Et Thedaldi vulgata honeſtatis ac modeſtiæ fama, augebat commendationem: Quique pro Ciuitate erant, vt comitatis ac munificentiæ præcipuum non aſpernabantur. Ergo Eſtenſes irriti diſceſsêre; & Ferraria Thedaldo ac coniugi in poteſtatem decreta. Sunt qui Pontificem litis arbitrum, ſunt qui Iudicem dicant: vtriſq; coniecturâ, neutris certâ ſcientiâ ductis. Arbitrum dicunt, quòd Eſtenſibus credant, Ferrariam Imperatoris munificentiâ datam: Iudicem verò, quòd Caroli magni munere, totam Italiam Romano Pontifici conceſſam velint; & ad Gonzagam Mantuæ Marchionem deuolutam, poſt Azij mortem fuiſſe: Nocuum credidit Thedaldus differre paratis: Et dum Ferrarienſes in officio, Pontifex pro ſuo voto, miles in armis erat, partam dominationem, poſſeſſione accepturus Ferrariam proficiſcitur. Iam territorij limitibus excepturi Dominos, proceres occurrerant. Pro ciuitatis ſuburbijs Senatus obuius, tamquam officio ductns proceſſerat. Rari quibus opes, aut nomen celebre, domi manſere; ne reliquis properantibus, ſoli abnuiſſe obſequium viderentur. Nec ſe Thedaldus, auctus potentiâ opibuſq;, diſſimilem ſui ſubditis præſtitit, ſed in omnes comitatem, beneficijs ac fauore teſtatus eſt. Multa ciuibus, multa nobilibus, plura Eccleſijs pietati pariter & famæ conceſſa. Bonifacius natu maior, modo Mantuanis adeſſe, modo Ferrarienſibus oſtētare ſeſe, & ad ſpem meliorem per munificentiam cunctos erigere. Sed inueteratum populo Ferrariæ, aduerſus veteres dominos ſtudium, cauſam rebus nouis, ac turbarum dedit initium. Oppreſſi tamen primo impetu qui ſeditionem cęptauerant; & continendis in officio recenter habitis; certior per timorem ratio comperta. Sed & præſidium eâ regione impoſitum, cui Caſtrum Thedaldi nomen eſt; vt fido milite permixtus Ferrarienſis populus, modeſtiam & fidem in ſuos dominos retineret. Verùm vti prauus populorum animus, ægrè beneficio corrigitur, ſic in caritatem pronus, officio conſeruatur. Anceps ac periculoſa dominatio eſt, vbi ſubditorum mores, per ſimulationem eſſinguntur, ſuſpectis inuicem Domino ſubditiſq; & vindictæ inhiantibus. Iam Thedaldum vires per ętatem, & continuas curas deſerebant. Qui vbi appropinquare ſe ſupremis vidit, Bonifacium paternâ caritate, per honorem cui inſiſtere Principem deceat, precatus eſt, magno animo Rempublicam capeſſere; nec Mantuanis, aut Ferrarienſibus fidere: ſingulos facilitate, vbi in ſui reuerentiam cō ſenſiſſent, proſequeretur. Fratrem filij loco haberet; & Cæſari, nec non Romanæ Eccleſiæ Epiſcopis, come obſequium præſtaret: eoq; ipſo Caſtro, quod Ferrarienſi ditione ad Padi ripam ſtatuerat, extremū diem expleuit. Nulli vnquam

Thedoldo Ferraria decernitur.

Poſſeſſionē occupat.

Ferrarienſes ſeditioſè agunt, ſed reprimuntur.

Thedaldus moritur.

vnquam exercituum Duci ſtudio artium militarium maior, quàm huic, quiete & Ciuilibus virtutibus, ex prudentiâ, æquitate, comitate, munificentiâ, gloria parta eſt. Circa huius Principis exitum, annorum ratio non reſpondet: Imo in lubrico magis inſiſtunt, qui aut Corrado, aut Henrico Impp. exceſſiſſe tradunt. Mantuani, quiq; veteri poſſeſſioni Ferrarienſes acceſſerant, Bonifacio ſacramentum dixêre; quos amor, & ſolitorum Principum caritas illexerat, læti: Cæteri timore & per turbas, nullâ vnquam ſpe ſuſtentati. Augebatur interim Marchionum Mantuæ exiſtimatio; nec vires ſpernendæ erant, Mantuano ac Ferrarienſi agro, ſub Imperium accepto: Et longâ pace quæſitis opibus, non tutandis ſolùm quæ acceperant, ſed proferendis quoq; finibus validis, niſi vis maior aliqua obſtitiſſet. Cæſar ac Pontifex, haud dubiè maiores habebantur: Horumq; ſtudio amicitiæ diligebantur, in debitum ſimul & gratiam. Mantuæ non vna familiâ erat, ſi ſupremum nomen excipias, quæ vires ſuas æſtimare, & maiora ſolitis agitare auderet.

Bonifacius Marchio.

1040. Ergo ſub finem Corradi qui anno fuit Milleſimo quadrageſimo, dum Germania de futuro, per Italiam ſparſi Duces ac Marchiones, de prolatandis finibus conſultant, Pontifex inter ſuos non ſatis tutus, Bonifacius Ferrarienſes vt fidei nouos ſuſpectos habet, grauis Mantuæ ſeditio in caput domini exarſit, cui non incolæ ſolùm, ſed exteri quoq;, ſiue inuidiâ in Principem, ſiue neceſſitudine rebellibus connexi nomina dedêre. Quippe proauorum feri mores, adhuc in poſteris radices, ac cogitationum ſimilitudines habebant. Germani tumultibus agitabantur, vt honeſtâ conditione, pax, libertasq; accederet: Et Italiæ nullæ ſeditiones ſine præmio. Satis videbatur ſpecioſo titulo, vim alienam, ſua iura, pietatem in Deum, conſanguineorum dilectionem prætexere; cætera armis parabantur; nec victores magis, quàm victi rationes dabant: Dites, & inualidi in prædam, egeni in ſeruitutem deſtinabantur. Sic quibus Mantuæ aut detritæ res familiares, aut quibus copia luxum ſpoponderat, in vnum conuenêre; vel ſatietatem profuſis expenſis quæſituri, vel diuitijs addituri potentiam. Deligitur rebellium dux, prauisq; & honeſtis iuxta facilis Philippus Auogadrus, cui paternæ opes decoræ, cæteris inuidendæ erant; niſi plus iuſto & viribus popoſciſſet. Huic animus ſubitis conſultis, & impetu promptus, efferebatur nobilitate natalium, affinitatibus, libidine dominandi, quàm nulla vnquam ratio compeſcuit. Sed iuuenem Mantuanæ claritudinis eximium, ciuibus ac vicinis iuxta carum in præceps agere, prauisq; cogitationibus ac diſcrimini obijcere nemo audebat; ne ſpes dubias auerſatus, cædem Marchionis abnueret; aut tractatum longo ſilentio facinus, ſuæ impunitati conſulturus, proferret. Hunc eaſdem curas animo verſantem, nec ſociorum conſcium, vice omnium Thomas Becius per officium inuiſit: & longius ſermone tracto, ad potentiorum licentiam, abditas ſpes, crudam ſeruitutem deflexit. Seruire ſe quidem; ſed in Dominis tirannidem, in conciuibus peruicaciam odiſſe: Apud ſuos pietatem, potentiores modum, pares modeſtiam requirere. Ea corrupto ſæculo, & aſuetudine ſeruitij haberi non poſſe; niſi vis

Mantuani in Bonifacium rebellant.

Duce Philippo Auogadro.

manife-

manifeſtior acceſſiſſet. Mox in Dominos atrocia cominatus fidem conſcientiæ aucupatus eſt: Tamquam nullâ ſpe veniæ, ſtabiles in perfidiâ conſpirarent. Dedit immatura ætas, imprudentiæ documentum; nec ſatis honeſtis cauſis, voluntatem iraſq; detexit. Fortuna pro virtute fuit, quòd Thomas non exploraturus, ſed perſuaſurus acceſſiſſet. Philippus vbi detectam perfidiam, & plures ſuis votis annuere videt, ſecretæ domui Thomam inducit; vt ipsâ ſolitudine egereret animos, & voluntatem ſceleri paratam in medium daret. Sparſos toto Mantuano agro Gonzagos, Caſtrum degentis nomine, pignus æterni ſeruitij, & Ciuitatum præcipuas obtineri. Tractos in ſeruitutem, aut datâ pecuniâ, aut per obſequia Ferrarienſes. Nihil in Ciuitate veteris decoris, vtilitatis, commodi; quod imperitantium voluntati non ceſſerit: E Socijs Dominos, è Dominis Tyrannos euaſiſſe; Milite domum, milite Senatum, ambiri, quanto minus, quàm obſideri? Iam verba voceſq; ciuium, aut caritate ſuorum, aut inconſultô lapſas, in crimen ac maieſtatem verti: Dignitates ac Magiſtratus, ijs quidem qui meruerint dari; ſed nullum niſi ex flagitio meritum. Proinde exuerent ignauiam, & fortitudine ac causâ freti, repeterent per ſcelus ereptam libertatem. Longè Cæſarem ac Pontificem: Et ſi armis certandum ſit, ineſſe ciuibus ac amicis vires: Nec exterum auxilium à Dominis aliter, quàm tractu temporis haberi poſſe. Moram in hoſte, impetum in ſuis vtilia. Communicata perfidorum conſilia, & deliberatio in vitam Principis habita, artam amicitiam fecêre; velut atrocia miſcuiſſent. De conſcijs tantummodo agitatũ; quorum ope, ſi quæ vis opponeretur, ſecuri forent. Deſcripti itaq; Mantuani primùm, mox exteri: quiq; ciuibus, imperium Bonifacij auerſantibus, affinitate aut amicitiâ iungebantur. Potiſſima in Veronenſibus ſpes auxilij: Quòd magnam iuuentutis manum, armorum ac pecuniæ numerum obtuliſſent; gerendis rebus incitamento. Trahitur in partes Ciuitatis cuſtos, quiq; portarum ſeruator à Marchione dictus fuerat; vt immitti hoſtiles copiæ intempeſtâ nocte, ſummo ſilentio poſſent. Sed dum inter conſcios vltrô citrôq; literæ permeant, nox facinori deſtinatur, de percuſſore ambigitur, inter tot qui coniurationi nomina dederant, eô rumor increbuit, vt ſeditio Bonifacio detegeretur. Hunc domeſticis negocijs immerſum, & tacitas curas præſciæ mentis agitantem, magna & horrenda delaturus Albertus Andreaſius interpellat. *Deteguntur ab Alberto Andreaſio.* Admiſſus, ſeriem perfidiæ ordine detegit, ſeſeq; inter conſcios temeritate credentium, facili proditorum opinione, non animo fuiſſe. Quidquid conſilij amicitiæq; miſcuerint, in Principis ſui ſalutem flexiſſe: Nec detegi fraudes potuiſſe, niſi ſcirentur. Caueret itaq; fatalem noctem; & ſi plura ſcire aueat, habito in cathenis Thomâ Becio eruptura. Nil ipſi neſcium: hominis enim fluxum ingenium, ſententiæ peruicax, verbis ac nugis fœcundum, miniſteriũ rebellioni obtuliſſe; ſocios conſcioſq; delegiſſe; non aliâ causâ (vt ferè perditi ac prærupti) quàm vt magno facinore clareſceret; & dum voti potiretur, nullâ honeſti curâ. Sed nec ſatis in Auogadro mentis: Intumeſcere cuicunq; ſpei, animo deijci nullâ causâ:

Siue

Siue ingenitâ ignauiâ,ſeu iunctâ ſceleribus formidine. Obſtupuit dicto Bonifacius, & generoſo odio tactus eſt. In hoſtes ſiquidem, quiq; per ſpeciem pietatis ſæuitiam exercent, parari ſimilia ex ratione: Sibi nullam iniuriæ cõſcientiam eſſe; nec immanitatem aut ſuperbiam obuerſari. Cœperatq; vt non ſui anxius ab amico vitæ ſuæ rationem exigere; ſi quam odijs cauſam, aut occaſionem ſeditioni dediſſet. Sed ne agendi tempora conſultando conſumeret, Becium miſſis ſpiculatoribus, rapi in carceres iubet, adeo properus, ac flagitij manifeſtus, vt conſciorum præcipui, detectæ perfidiæ metu dilaberentur. Auogadrus Veronam; cæteri vt ſors tulit euasêre, irrito facinore ac impunito, neſcij futurorum. Becius nullâ animi firmitudine, vbi quæſtioni per tormenta admouetur, ſe ac ſocios edidit; delatis conſanguineis, fratre, ac intimis amicorum. Eô magis mirari Bonifacius, tanto ſceleri conſilium, nobiles ac plebem dediſſe; & non mores ſuos videbat, ſed potentiam odio haberi. Capti ergo & in cuſtodiâ habiti, quos Becius, quique ſe ipſos detulêre. Iam ne manifeſta cognitio eos quoq; detegeret, quos inſontes Bonifacius voluiſſet, intra priuatos Marchionis parietes inquiſitum. Et intuta Senatus præſentia videbatur, in quo ipſo frequentes amicitiæ, & in Auogadrum multorum ſtudia erant. Cæterùm non vindictæ potius, quàm in reliquos exemplo, Becius, ac conſcij ſeruilibus pœnis affecti ſunt: Lætâ Ciuitate, quòd conſceleratis è medio ſublatis, Principis optimi incolumitati conſultum foret. Manebat tamen apud perfidos Auogadri memoria; quem Veronenſes auerſo in Mantuanos animo, & affinitate, vti ſui ſanguinis fouebant. Et qui Marchionis publico edicto, rebelles & extorres vnâ exceſſerant, in pompam & contemptum totâ Vrbe obequitabant: Securitatem, vires, pecuniam, animos oſtentantes. Bonifacius modeſtiæ, & ſancitæ olim cum Veronenſibus amicitiæ memor quamquam armis & apertâ vi, ſeruos ſuos coërcere poſſet, dandum tamen clementiæ & æquitatis experimentum putans; vt totius Italiæ proceribus conſcientiam, Cæſari ipſi cauſæ honeſtatem approbaret, ex Veronenſibus per literas, Auogadrum, conſciosq; requirit. Tumultuantes nulli vnquam Reipublicæ vtiles; ſi in proprijs, audentius in alienis, ſeditiones ac turbas ſuſcitaturos. Eos foueri ex vſu Veronenſium non eſſe; quando inſtabilis ea libertas ſit, vbi ſcelera impunita ſunt, facinoroſis aſylus conceditur. Sed & accolas vicinosq; Principes (quorum amicitiæ vtiles) nullâ propriâ vtilitate à ſuis auerti, & ad iniurias prouocari. Sceleribus modum ineſſe; vt tegi quædam, alia defendi, in plurima animaduerti expediat. Nec niſi à conſcijs aut fautoribus, parricidia tueri. Non ſe Veronenſium libertatem conuellere. Sed cauſam ſuam, ſuas iniurias proſequi per modeſtiam. Vitare proximorum diſcordias, vim, & arma horreſcere; nec auxilio vocare exteros, vt multorum cæde, vnius aut alterius flagitio occurratur. Fidere ſe populi iuſtitiæ, quo cum plures annos in pace tranſegiſſet. Et accepti officij parem gratiam, redditâ operâ præſtiturum. Auditæ Bonifacij literæ, Veronenſium animos turbauêre: tamquam aut alienæ voluntati parêre, aut iniquiſſimam cauſam, publicâ contumeliâ

fouere

Auogadrus fugit. Becius capitur.

Et cum quibusdam pœnas dat.

Bonifacius Auogadrũ à Veronenſibus requirit.

fouere cogerentur. Victa dubio procul iuſtitia; quam ambitus,ſua cuiq; libido effringunt. Præcipui enim Veronenſium Auogadro conſanguinitate illigati,dedi virum in certam perniciem abnuebant. Et Marchio pacto impunitatis accipere, nullis precibus induci potuit. Hinc indignatio; mox minæ, poſtremò vis erupit: Nam contractum militem in iuſti exercitus formam, Veronenſium agris vaſtandis, & agendæ prædę immittit. Sed Veronenſes euentus præſcij, omnem ex agris commeatum, pecudes, & rurales opes Ciuitati intulerant. Haud ſegnius expeditos equites pro limitibus ſtatuunt; euerſis ante villis, & fœcundis campis, igni ferroq; tranſcurſis, ne quid hoſtibus cederet. Marchio &ſi iuſtis belli cauſis, ad arma & vim acceſſiſſet, dandum tamen ſpatium pœnitentiæ exiſtimans, aduerſis diſcrimina præliorum, per nuncios exponit: Expedire liberis, nullâ ſeruitute, & incolumes res ſuas, quàm per cędes,ac rapinas poſſidere. Nondum aciem oſtentatam, & euerſos agros, vaſtatosq;. Modica rerum turbatarum exordia, informes exitus excipere: Nec benè tot innoxiorum virorum cædes,tot incendia,vnius parricidæ incolumitate penſari. Infenſis hæc tamen animis accepta, & oppoſitis manipulis concurrère, magnis animis. Pugnatum irâ ac contumaciâ potius, quàm virtute: Et quamquam infracta Matuanorum virtus, acri tamen hoſtium vi excepti ſunt: donec flexo in veſperam die, Veronenſes de fortitudine ac conſtantiâ remitterent. Bonifacius eô acrius victoriæ ac vindictæ inſiſtere, nutantes cædere, proterere fugientes, deditos vinclis coërcere,quorum magnus numerus. Nox finem labori tulit. Miſſi tamen qui pauidos, & receptos munimentis Ciuitatis, velut obſidione cingerent, nec aduectum commeatum importari ſinerent. Habitus pariter Mantuę ac Ferrariæ delectus,& ſuppletus nouâ iuuentute exercitus. Equitum expediti inſultare clauſis, omnia infeſta reddere, & quæ aſportari poſſent, rapere; cętera igni corrumpere iuſſi. Quod militum ſub ſignis erat,ad arctandam Ciuitatem conuerſum. Præceperant animis Veronenſes periculum; miſerantq; ad Ducem Auſtriacum, fędus, & auxilium orantes, aduerſus vim Mantuanorum. Ille inter ſpem ac metum dubius, modò Mantuanorum virtuti, modò Veronenſium cauſæ fauere, opportuna tempori eloqui, congruentia vtriſq; perſuadere. Sed artis iam rebus, vbi pro muris hoſtis, cuncta camporum ad victorem ceſſerant, miſère Veronenſes qui nouas preces, nouas conditiones deferrent; ſi Bonifacij hoſtis,imperio eximerentur, Ciuitatis poſſeſſionem, Duci vltrô offerrent. Vicit nobilem, & paratum virtuti Ducis animum, cupido regnandi: Exuta æquitas, & honeſti cura. Nec Veronenſium potius, quàm propriæ vtilitati feſtinus aduolat; metu cōcordiæ inter dimicantes. Receptus Veronæ Auſtriacus; vt fidei ſacramentum à populo accepit, pacem cum Bonifacio,captiuorum reſtitutione pactus eſt, & præſidium diſcedens immuniuit: Relicto adminiſtratore, qui pro Auſtriacis Principibus fungeretur. Turgentes enim bellorum initijs Germaniæ, & forte Imperij metu, illico ad ſuos redijt. Manifeſtum fuit Veronenſes in Bonifacij poteſtatem ceſſuros, ſi res ex æquo, inter vtroſque contro-

uerſa,

Illi negant.

Bonifacius in Veronẽſes.

Eos cædit.

Confugiunt ad Ducẽ Auſtriacum.

Et Dominũ recipiunt.

Auſtriacus, & Bonifaci⁹ concordat.

uerſa, non aliorum viribus tranſacta foret. Honora nihilominus inter Auſtriacum, ac Marchionem Mantuanum pax ſancita eſt; datumq; poſteris Bonifacij, vt magnis inimicitijs pares crederentur. Gnari temporum, occaſionumq; non fruſtra tradidêre, nî exteris opibus, Veronenſes protecti, & ſub tutelam recepti fuiſſent, totius Longobardiæ poſſeſſionem, eâ victoriâ, potuiſſe in Mantuanos abire. Exceſſerat ante Corradus Imperator, fortunâ ac virtute celeberrimus; pacatâ quidem Germaniâ & Italiâ, ſed vtriſq; occaſioni intentis, ſi domeſtico aut externo motu, locus nouitatibus aperiretur.

Henricus Imperat. Quamquam enim Henricus Corradi filius, viuente genitore, Rex Romanorum dictus, paternam potentiam per virtutes eaſdem ſectaretur; ſe tamen excluſos electores crediderant, tamquam Cæſares quos hæreditas non firmabat, electio ſub alio nomine declararet. Placitum tamen obſequi neceſſitati. Non erat quod in Henrico excuſandum foret: Nobilitate, potentiâ, opibus, imperatoriâ virtute, multis veterum par, pluribus melior viſus fuerat. Ergo ne meritis iniuria fieret, vnanimi electorum voto Imperator eſt ſalutatus. Nihil Bonifacio iucundius, nihil ex voto magis accidit; vel quia pares virtute nectuntur, vel quòd multô ante, priori coniuge cui Richilda nomen erat, defunctâ, Henrici filiam Beatricem deperiret. Sed & de connubio inter vtroſq;, tacitis conditionibus actum fuerat; aut ignaro, aut ſimulante patre: Non enim conſenſu traditur. Henrici & Bonifacij mutuam caritatem euentus detexit. Puella præter nobilium fœminarum virtutes, quas cum lacte hauſerat, formæ commendatione celebris erat. Et iam tum pater, quamuis fortuna nō reſponderet, iungere Bonifacio agitauerat. Sed ne in magnis Imperijs aſueta filia, Mantuæ ac Ferrariæ anguſtijs cluderetur, ſeu vtriuſq; amore, & rerum ſuarum in Italiâ munimento, in dotem Mutinā, Regium, Parmam, ac Luccam aſſignauit (alij plures addunt). Hinc magnus haberi Bonifacius, & per Italiam formidabilis credi, tot Ciuitatum ac populorum acceſſione; cui Cæſareus fauor faſtum addidiſſet: Poterantq; liberi, ſi qui ſuperfuiſſent tali coniugio, Italiæ & adiacentium populorum dominio adſpirare. Sed obſtitit fortuna magnis auſpicijs, ne minus poſſe crederetur. Interim Henricus amore filiæ, caritate Bonifacij, omnis moræ impatiens, regio cultu ac decore ſponſam deduci Mantuam iubet. Aderant Principes viri, miniſterio in Cæſarem, ſtudio in Bonifacium illecti. Ipſe domi ſeſe continuit, nuptijs ac ludis inſtruendis neceſſaria paraturus. Nec enim Principibus de Italiâ certaturis, arma Bonifacij leue momētum erant, proſpera vel aduerſa. Sic Pontificis, Galliæ Regis, Ducum Auſtriæ, Bauariæ, ac Lotharingię legati, & qui officio præuenerant Venetæ Reipublicæ, ſuorum Principum lætitiam teſtati ſunt. Ipſe ſponſæ obuius, Mantuam aduentanti, & præmiſſo nobilium comitatu, qui duces itineri, ac ornamentum eſſent, pro muris Ciuitatis coronâ caput euinxit. Mox conuiuiorum ac ludorum apparatibus principi more, tota Ciuitas perſtrepuit. Præſcripti totius populi ac exterorum lætitiæ, menſes duo: ne quid principi ornatui deeſſet. Et vbi finis fuit, quiſq; læti ad ſua dimiſſi ſunt; Vbi Ciuitatis frequentiam,

Bonifacius Beatricem vxorem ducit.

tiam, Principum comitatem, familiæ ſplendorem, auctâ etiam commendatione proſecuti ſunt. Nec enim in alium finem iſta comparantur à potentioribus,& ſingulorum relatione clareſcere res ſuas nôrunt. Quòd comitas, munificentiâ, obſequens animus, vim virtutis, faciem potentiæ habeant. Coniuges caritate mutuâ, pietatis ac iuſtitię ſtudio,annos aliquot impendêre: Horumq; res geſtas,pro ratione temporũ(quæ decurſu ſęculorum incerta eſt) compendio proſequemur. Maiorum enim, poſterorumq; virtutes mutuò ſibi decus addunt; nec bene prioribus poſteri, niſi morum ſimilitudine nectuntur. Pulſum ſupremâ ſede Benedictum nonum, ſuffectum Siluestrum eo nomine tertium, reſtitutum decori priorem, datum Pontificatum Gregorio ſexto, extra operis noſtri inſtitutum ac propoſitum fuerit. Pudet Romanæ maieſtatis munimenta, per nugas, ſeditiones, ac peruicaciam conuulſa, recenſere,& dolori noſtro & dedecori. Sed inuiti occaſionem admittimus: Non enim aliter temporis ratio conſtat, quàm ſi Pontificum ac Imperatorum annalibus conferatur, eoq; calculo cætera deducantur. Diuiſerant Eccleſiaſticæ opulentiæ redditus, ſchiſmate diſtracti Pontifices, & ſuam quiſq; ſibi ſedem delegerat, animo vtinam non compoſito aduerſus reclamantem conſcientiam. Frequentabatur vulgi ac cleri ſtudijs, provt hunc aut illum in cultum delegiſſent, Lateranus, Vaticanus, Viminalis, tantâ populi in diſcordias conſtantiâ, vt non diſſentire, ſed ab vno eodemquè regi crederes. Neque Imperator obuîam flagitio procedebat, altius obtritâ chriſtianâ diſciplinâ, quàm vt honeſtis conſultis acquieſceret. Sed nec vlla per arma ſpes ſalutis erat; horrentibus Italis Germanorum incurſus; & Germanis frequentes expeditiones, quas iteratis cladibus funeſtas didicerant, auerſantibus. Italiæ proceres, quibus Cleri contentiones familiariores, & Pontificum dimicationes perſpectæ, in propria commoda,ſuum quiſq; fouebant. Hinc inter domeſticos ac conſanguineos rixæ,vſq; ad excidium durauêre: Quædam eò vſq; progreſſæ ſunt, vt Europæ vires omnes exciuerint. Afflictis temporibus Beatricis Bonifacij vxoris partu, modica lætitia interpoſita; tamquam parentum virtutes, totius Italiæ bono ſpectatę, in ſucceſſores forent abituræ. Quippe duos ante mares enixa, immaturè amiſerat. Ergo maius ex femellâ (cui Mathildæ nomen impoſitum) ſolatium, præſagio futurorum acceptum eſt, vt docuit euentus. Libet ſi quid memoriâ dignum in tempore occurrit, noſtro huic labori inſerere, redintegrandis lectorum animis; ne eodem ſemper filo ducta narratio, tædium ſui moueat: Et nos traditi acceptiq; non aliam fidem requirimus. Anno Milleſimo quadrageſimo quinto, inter ruinas Vrbis repertum cadauer, humanâ ſtaturâ maius, quod temporis iniuriam vix ſenſerat, cum lampade æterni ignis: Simul plumbea lamina depoſiti fidem atteſtata, in hæc verba: FILIVS EVANDRI PALLAS, GIGAS. Præſtabit pro arbitrio fidem, qui ſcribentium conſenſum introſpexerit; abnuent qui compertum habent, ſolitos fuiſſe Romanos ſuorum cadauera igni abolere. Quatiebatur interea Chriſtianus orbis ſolitis ſeditionibus, nuſquam fida pax; Henricus ſuis ſuſpectus,

Schiſma in Pontificatu.

Matildæ natales.

1045.

Pallas Euãdri repertus Romæ.

F velut

velut per ſummam licentiam Imperium exerceret, Romanorum diſcordia, mutuis ſimultatibus enutrita, etiam ignauos, iiſdem artibus, in libertatem attollebat. Neq; ſecius Itali ſuas vires, paratos ad gloriam animos proſpectabant. Ergo Veronenſes tædio Auſtriaci Ducis, ac Rectoris ſibi pridem impoſiti, vnanimes ſeditionem ſuſcitauêre; quô plurium culpa eſſet, & ex eo minor vindictæ metus. Pellitur ciuitate Gubernator, non ſine conuicijs: Et Reipublicæ ſpecie iactata libertas; minori prudentiâ quàm audaciâ. Nec enim ſi Auſtriacus ſolitis ſibi viribus affuiſſet, arcendi Domini conſilium in certo ſuberat; ſed communi malo, ſalutem quâcunq; viâ meditabantur. Graues Principum iræ, & acceptæ aut creditæ iniuriæ memoria, tardè obliterantur: & ſi taceantur, acriùs recrudeſcunt, leuiſſimo quoq; incitamento. Nondum Bonifacio exceſſerat erga Veronenſes, pro Auogadro conſcijsq; parricidij iniquus animus: Et addebat ſecuritatem, paucos ante annos, cõtracta cum Auſtriaco amicitia; quæ longinquitate, & nullâ rixarum occaſione coaluerat. Mittit ad Ducem qui res nouas, perfidiam, contemptum ſui domini, quem ſponte delegiſſent, in Veronenſibus accuſarent. Magnam, nobilitate ac plebe refertam ciuitatem, non longo tempore concordiam habituram; tractis in contraria ciuibus diuerſitate ſtudiorum, ac conſilij. Nec conſtantiam apud ſceleratos eſſe, ſed anxia omnia. Temeritate non viribus ſolitos conſternari; & mox parem celeritati induere pœnitentiam. Magnis proinde viribus exurgeret; Vrbem amicitijs & fęderibus nullis fretam, ſeditionis ſtudio fatiſcentem, quâ in planiciem Alpes funduntur adgrederetur; ſe in tempore numeroſo milite ſuppetias laturum. Non ſuâ causâ, ſed in Ducis vindictam arma illaturum. Nec præmium laboris poſcere, dummodo ipſe rebellium potiretur, parricidæ, ſi qui eo aſylo vſi ſunt dederentur. Placuit Auſtriaco Bonifacij conſilium; neque beneficium remittere voluit; vt dubijs rebus ſuis, parem & ipſe in amico operam crederet. Non longè Italiâ Auſtriacus aberat: Properè ergò exercituum duces, delectus habere, militem itineri accingi iubet. Vix menſis exceſſerat, & iam per Veronenſium agros ſparſi Germani obequitabant, locumq; Caſtris ceperant: parte aliâ Mantuani Bonifacio Duce, planiciem obſedêre: Non villarum amęnitati, non agreſtium caſis, non ſatis pepercêre. Ferro igniq; vaſtata omnia, abductum pecus; iumenta militum vſui ceſſêre. Quæ aut onere, aut copiâ, moram capitis afferebant, igni conflagrata. Nulla in Auſtriaco, maior in Bonifacio, erga obſeſſos pietas. Hic vulgarem iniuriam, ille maieſtatem lęſam ſæuitiâ proſequebatur. Veronenſes quamquàm deplorati & in certâ pernicie, auſi tamen ſunt, orandi auxilij causâ, legatos Brixiam mittere, per auia; eôq; incuſtodita. Sed Senatui plebiq; imperitabat Ioannes Martinengus, quem patronum delegerant ciues; ſumpto ante iuſtitiæ pietatiſq; documento. Hic Veronenſium legatos, nullâ cuiuſpiam iniuriâ, in Senatum admitti, audiriq; voluit: non enim ex eo neceſſitas concordiæ erat. Philippus Auogadrus parricidio, & prauis conſultis Mantuæ famoſus, communem Veronenſium apertè, ſuam ſecretô cauſam proſecutus eſt.

Veronenſes Auſtriaco rebellant.

Bonifacius inſtat.

Vtriq; in Veronenſes.

eſt. Eâ ſe fide poſcendo auxilio veniſſe, quâ Brixiani à Veronenſibus per domeſticas anguſtias, excipi vellent. Rem non cum Dominis ac Senatu (quamquam id morte acerbius) ſed cum exteris eſſe; nec de obſequio aut ſeruitute, ſed de tirannide queri; non tributa, ſed direptiones deprecari; nec familiaritatem, ſed ſtupra, adulteria, vim, armis proſequi. Non ſuas tantùm, ſed vicinarum quoq; Ciuitatum, eaſdem vices, eandem iniuriam metuere; & per arma, eadem facinora vltum eſſe. Notam Auſtriaco Brixianæ Ciuitatis opulentiam; ſed & vires ſuſpectas, quas vicinorum ope frangere meditetur. Non enim tot gentibus, prudentiâ, fortitudine validis, apertâ vî, nullis iuſtis cauſis arma inferre velle; ſed temporis beneficio vti, dum aut diſcordijs infirmatæ, aut ſepti potentiorum virtute, externo, non ſuo ſanguine, victorias acquirat. Brixianis documento & exemplo Veronenſes eſſe. Capiendum proinde conſilium, & memoriâ recolendā cerui, equiq; fabulā; vtquè poſterior hominis auxilio adſcito victor, æternam ſeruitutem ſeruierit. Præcipuam in Mantuano potentiam; non vt Auſtriaco morem officio gerat, ſed vt ſpecioſo titulo ſuas libidines, ſua iuſſa vlciſcatur. Si Veronenſes oppreſſerit, & Brixianis, & Auſtriacis imminere. Quis etenim parato regnandi deſiderio abſtinuerit? Integris Veronenſibus, nullum Brixianis, ex amicorum potentiâ metum. Sibi paruas domi vires; quæ ſua tueri tantùm, non etiam aliena inuadere meditentur. Toti Italiæ expedire, ſingularum Vrbium propria iura eſſe, ne libidine validiorum infirmiores abſtrahantur. Communi ſecuritati prouideri, ſi nemo, eô diuitiarum ac potentiæ acceſſerit, quæ accolis metuenda, exteris ſuſpecta ſit. Deniq; Italorum animis ingenitam ſuorum caritatem: quæ vt exteros communione diſiungit, ita mixtam dominationis ac vindictæ cupiditatem, proferret dignoſcitur. Martinengus cui ſumma auctoritas, multô ante penſitato, an aſſenſus maiorem Reipublicæ vtilitatem, an interceſſio plus damni foret allatura, vice omnium reſpondit. Nullâ vnquam ſibi Auſtriacum, aut Mantuanum iniuriâ cognitos, ſed mutuis officijs, pari gratiâ, eam coaluiſſe amicitiam, quam reſcindi leuibus cauſis non deceat. Laceſſitos Mantuanos ſeditioſorum intempeſtiuo fauore; Auſtriacum non armis, ſed Veronenſium palam hortatu, ciuitatem primò cōtra externam vim defendiſſe, mox in pace tenuiſſe. Cogitarent, iniquè plecti accolas, eorum quæ ipſi admiſiſſent. Nec Italis aut Germanis auerſos animos eſſe; quandô Pontifices, quiq; ſua diſtrahi, per iniuriam queſti ſunt, ſæpius Germanorum auxilium & fidem, fuerint experti. Mantuanum Brixianis, aut alienis non imminere, Imo ſi fors ferat, ſe obſequio paratum; & in amico præter ſolitam ſibi caritatem, etiam præſidiū habiturū. Conſulerent proinde rebus ſuis; nec peruicaciâ, cęteras rixarū immunes Ciuitates cōſilijs turbarent. Regreſſi Veronā Oratores, dolore ac irâ ciuiū animos affecêre: quòd nec ab alijs quidē Vrbibus, oratū auxilium accepiſſēt, ſiue deſpectus id, ſiue odiū eſſet. Perſpecta Auſtriaco ac Mātuano Veronenſiū cōſilia erant; quô acrius ac validius properata obſidio fuit, ſpe certā victoriæ. Extremū malorū diſcordia ciuibus acceſſit.

Qui Brixianos auxilio orant.

Hi renuunt.

Nec enim in vanis, ac inanibus, ſi res ſecus vertant, conſtantiam & firmitudinem deprehenderis. Itaque pacis conditiones victoris arbitrio permiſſæ. Sed non accepta deditio; & vt iure belli caderent prædictum. Irrupêre Auſtriaci, quâ collis molliter tollitur, Mantuani per aduerſam planitiem. Direpta militum inſolentiâ tota Ciuitas, cæſi qui obſiſtere parabant, pollutę domus ſtupris. Nec ſacris abſtinuêre militari licentiâ ac libidine, omnia in fortunâ & armis habendi. Niſi ſacris quô plus opum, & minus præſidij, eô minor reuerentia eſt. Sed & totâ ſparſi Ciuitate, nobiles viri in contumeliam ac vindictam trahebantur. Tria millia fuiſſe traduntur, quos Auſtriacus in vinculis habuit: Decreueratq; in omnes, ſeruili more animaduertere; ſed obſtitit inexpectatâ pietate Bonifacius; & triſtiſſima quæque Ducem agitantem, impulit ad mitiora. Non tamen impunitate donati; ſed ſeditioſorum exemplo, truncatis naribus omnes fędati, vt diuerſitate noſcerentur. Lenius cum plebe actum; quam potentiorum auctoritate abſtractam, & imperio impulſam acceperat. Certè plebis inanis plerumq; rumor eſt, ſuâq; ſponte reſidens, niſi exemplo, conſilioq; efferatur. Simul Vrbi leges & mores, quibus inuiti vterentur impoſiti: Datusq; Præfectus, ſuetus aſperioribus; vt pęnâ coërcerentur, quos præmia & comitas non retinuerant. Bonifacius abeūtem Ducem comitatus eſt: Redijtq; in patriam, amicitiæ potentioris ſecurus, & hoſtium ſpolijs ditatus. Auogadrum ac rebellium nonnullos Mantuam abductos, quidam volunt; & cunctis ſecreto carceris gulam laqueo fractam. Alij fugâ elapſos referunt, quod proximè veritati accedit. Quippe deploratis Veronenſium rebus, ne in pretium concordiæ victori Domino dederentur, ſuſpectari poterant; tamquàm mali occaſio, & ſufficiens piaculo materies. Redditâ Italiæ pace, & nullis vicinorū in Mantuanos iniurijs, ſupremi Numinis in Ciuitatem pietas, ſacratiſſimi CHRISTI SANGVINIS detectione innotuit, plures annos in incerto habiti. Imminentibus enim Italiæ Pannonijs, Salutis anno circiter 903. religionem profeſſi, ſpes Vrbis ac populorum in tuto credentes, quamquàm ſolo æquatâ Ciuitate, ſi CHRISTI Sanguis ſeruaretur, illum effoſſâ humo condiderant. Quibus è medio ſublatis (ſeu bello, ſeu fato contigerit) res in ſilentium verſa; nec quo loco abditus foret inquiſitum. Credebatur tamen intra muros eſſe; quod publicæ, priuatæq;, propriæ ac exteræ ſcripturæ, necnon tranſmiſſa ad poſteros memoria (quæ ſæpe plus quàm Annales viget) ſupereſſent. Sed nulla loci coniectura: Credere tantùm irrita ſpe licebat. Quâ ſede tegebatur, Adhelbertus quidam ſanctitate, & oculorum tabe notus degebat; Beatricis munificentiâ, trahere æuum ſolitus, & diurna alimenta precario expedire. Huic quartâ die Martij, Milleſimi
1048. quadrageſimi octaui, per inſomnium Diuus Andreas, ſeſe canitie conſpicuum, cruciq; innixum obtulit; & ad Beatricem ire iuſſit; doceretq; vicinū agrum effoderet, reperturam humanæ ſalutis pretium, quod nullo cultu, neſcientium greſſibus calcaretur. Obtemperat Beatrix (nam & Numine, & miſelli hominis pietate vrgebatur.) Nec tamen, longo licet ſtudio, & accele-

Vi recipiuntur.

Chriſti Sanguinis detectio.

Digitized by Google

acceleratâ operâ, aliud quam humus egeſta eſt, ducto altè ſpecu, quo ingens terræ vis effoſſa. Qui religione illecti, ſponte aut iuſſi, humum ſubtus vertebant; vt principio ardentes, ſic diutius irrito conatu poſtmodum faticati, cum nullo inditio futuræ ſpei laſſarentur, deſtitêre. Adhelbertus irriſui, ac contemptui habitus eſt, quaſi ignoratione, aut ſtultitiâ crediidiſſet. Ciues ipſi Beatricem publico, ac ſecreto lacerabant; quòd facilis in vanitatem, & plebei hominis promiſſa fuerit: Celari conſilia opportuiſſe; vt diſſimulatione propoſiti, ſi fefelliſſent, excuſaretur. Cœcos quô magis extra lucem, rerumq; formas agunt, eô frequentioribus ac inanioribus ſpectris colluctari; inſanientis, nugantiſq; animi conatus, per notas ac certas res, non intercipientibus oculis. Illa tamen firmata hortatu meliorum, Adhelberti inſuper ſacramento fidebat. Calendis Aprilis, eadem ſancto viro per ſomnium monita: Iubetur ad Beatricem reuertere, & quod quæſierat certo certius reperturam docêre. Illa quòd minimo diſpendio, magnæ rei periculum faceret, eodem horto terram, pluribus locis effodi iubet, nullo ſacri SANGVINIS inditio. Hinc contemni, deludi, excludi Adhelbertus, & ſomniorum repertor dici, omnemq; fortunæ culpam ſubire. Tertiâ Maij ſopitus Adhelbertus, eundem Diuum, humanâ ſpecie maiorem adſtantem videt, primûm ſecordiæ improperantem, mox iubentem Beatricem doceri, ardua rerum non niſi placato Numine delibari. Proinde votis, vigilijs, ac ſupplicationibus Ciues inſiſterent, Epiſcopus clero comitante accederet; & quâ parte ſolum tremere viſum foret, laboraret: Habiturâ Mantuam, atq; adeo Italiam omnem Dei Opt: Max: beneficio, minimæ diligentiæ, ſumma præmia. Agnouit Princeps fœmina, neglectis religionibus, irritos mortalium conatus eſſe; proinde ieiunio, ſupplicationibus, in egenos largitionibus plus ſolito inſiſtit, & comitante Epiſcopo, hoſpitalis domus horto, certiori ſpe ſuccedit. Illico agri pars quæ Reliquias tegebat, concuti ac intumeſcere viſa; quod fidem Adhelberti approbauit; erutuſq; eſt, longo annorum tractu, deſideratus Mantuanis Theſaurus, & abditus: cuius in aduerſis, certum ſubſidium experimento didicerant. Columna erat, cuius ſuprema, impoſito marmore claudebantur. Intus Pixis, cui binæ vitreæ ampullæ ſuberant. Harum altera ſacroſanctũ Sanguinem, ſpongiam altera ſeruabat. Sed & lamina plumbea reperta, manifeſto cum titulo. IHV CHRISTI SANGVIS. Seriem euentus proſequi libuit, è vetuſta chronica M.S. quæ Archiuo Sereniſſimorum Mantuæ Ducum aſſeruatur. Ea inter cætera ſic habet.

Loco verò ſanctiſſimo aperto, & ſacratiſſimo Sanguine D. N. IHV Chriſti reperto, tota facies cœli reſplenduit; vt omnes qui aderant perterriti mirarentur, & admirati magno pauore perterrerentur. Alijs verò multis clericis & laicis, qui propè, & qui longè ſunt eiuſdem Ciuitatis finibus, & locis, viſus eſt ſplendor eiuſdem ſanctiſſimæ lucis. Dignè & iuſtè euenerunt talia, in tali Sanguinis IESV Chriſti reuelatione: Quia cunctorum peccatorum noſtrorum tenebræ fugatæ ſunt in ipſius effuſione. De infirmorum

& languentium curationibus, quas oculis noſtris nos ipſi vidimus; & in illo euntes & redeuntes, orationis causâ, dicere audiuimus, non poſſumus per ſingula replicare; quia ſine numero videntur conſtare. Innumerabiles cęci illuminati ſunt ibi, in virtute Altiſſimi Dei, claudi exilientes ambulauerunt, ſurdi auditu illis reddito, pſallentes in laudem Dei audiuerunt. Dęmones fugati ſunt, ab obſeſſis corporibus; & curatio præſtita eſt, qui aderant paraliticis omnibus. Eodem tempore, ſequenti proximo die ſancto Paraſceue, conuenerunt illuc Epiſcopi, & clerici, & innumerabiles populi; qui vndiquè concurrerunt, & oſtenſum Sanguinem Domini noſtri IESV Chriſti viderunt, & videntes, ſalutare & adorare meruerunt. Quanta & qualia ibi acta ſint miracula, nullus mortalis ad integrum numerum euoluet ſententiam: Sed pro certo & procul dubio, nos ibi eramus, & ſub teſtimonio Chriſti affirmamus, quòd vbicunq; venerunt, debiles, & ęgroti, & fidem Dei habentes, reſtituti ſunt priſtinæ ſanitati; quocunq; venerunt triſtes, rediere gaudentes; qui venerunt impij & iniuſti, redierunt iuſti & pij. Adueniente autem die Dominicæ Aſcenſionis, conuenit illuc pœnè vniuerſus populus, vtriuſq; ſexus Italiæ regionis: Affuit & ingens multitudo Aquitanorum, Tuſcanorum, Venetorum, Aquileienſium, Taruiſinorum, Patauinenſium, Vicentinorum, & de vniuerſis Italiæ Ciuitatibus. Inuentus ibi, talis ac tantus, & tam ineffabilis populus, quòd viſui hominum, nec plura videntur ſyderum aſtra, nec ſufficerent tantæ turbæ, trium milliariorum vndiq; caſtra. Vix quiſquam ſpiſſante turbâ potuit procedere greſſu. Cumq; vniuerſus populus, videndum & adorandum expectaret, redemptionis noſtræ pretium, egregius Delericus, Sanctæ Eccleſiæ Tridentinæ Epiſcopus, cuius vita ſacratiſſimis pollebat virtutibus, & pietatis rutilabat artibus, cum electo Clero ſuo, & cõmiſſo ſibi populo ſubueniens aderat, huic ſancto ſpectaculo: Et Nouarienſis Eccleſiæ Præſul, Paſtor, & ipſius Mantuanæ Ciuitatis prouiſor, & Pontifex Martialis: qui videntes tantæ gentis multitudinem, pertimuerunt multum, propter minoris ſexus & ætatis homines; ſupportantes conculcari ſub pedibus maiorum hominum, ſi illo die oſtenderetur deſideratum redemptionis noſtræ pretium. Et talia pertractantes inuicem locuti ſunt. Et talibus verbis Bonifacium & Beatricem allocuti ſunt. Nos verò non præſumimus hodiernâ die, reuelari vel oſtendi ſacroſancti Sanguinis factum ſubitò, quia maximè pertimeſcimus, multam minoris ætatis & ſexus cateruam, inſpiſſante populo perire. Induciæ dentur vſq; in craſtinum; & dum videamus declinare & abſcedere vulgum, & minorem populum, tunc precemur ſupplices Dominum, vt digni habeamur videre ſalutare, & adorare ſalutiferum Sanguinem Domini noſtri IESV Chriſti. His dignis & iuſtis conſilijs, acquieuerunt Bonifacius atq; Beatrix. Poſtquàm autem huiuſcemodi conſilij & pertractati ſermo, aures tanti conuentus perſonuit, murmur magnum tumultuantis populi factum eſt; ita vt cuncti dicerent, variè & falsò hæc omnia eſſe diffamata, & causâ auaritiæ, & adipiſcendæ pecuniæ deſiderio eſſe propagata. Quem ingentem tumul-

tumultum, & murmuris rumorem, ſagax Delericus præfatus Epiſcopus, ſagaci alloquio mitigauit; & mitigando omnem incredulitatis ferocitatem tranquillauit & ſedauit, & ſedando, quamobrem tale conſilium factum ſit, apertè & enucleatè indicauit. Illuceſſente autem ſequentis diei aurorâ, ecce præſentes præfati Epiſcopi, qui aderant, Sacerdotalibus veſtimentis corpora ſua exterius ornabant; mentes autem & corda, & purâ confeſſione, & elemoſinarum largitione interius decurabant. Et accedentes cum alio adunato Clero, vnde antea translatus, ſed ibidem reconditus eſt, opperuerunt locum ſacroſanctum; & cantantes & pſallentes Domino, ſuſtulerunt pretioſi Sanguinis eius Theſaurum. Quo ſublato gaudentes & exultantes, laudes dignas frequentabant. Et Miſſarum ſolennia celebrarunt: & celebrantes in medium populi tanti gaudij ſalutem, foris, & expectantis educebant; & ſignantes & ſanctificantes, & corroborantes adſtantem plebem, Regem omnium Sanctorum benedicebant. Quanta autem, & quàm innumerabilia ſigna, atq; miracula, ibidem eâdem horâ, Dominus omnipotens oſtenderit, nullus numerus comprehendere valet. Quia ſicut ibi in loco reuelati, & oſtenſi Sanguinis miracula claruerunt; ita circumcirca in omnibus Mantuanis finibus, per vineas, & campos, per ſiluas & prata, curati ſunt languores infirmorum omnium; qui huic ſacroſancto ſpectaculo, & conuentui approximare potuerũt. Diſcordantes, ad pacem omnes ibidem redierunt: & cunctis debitorum illorum offenſionibus indulgentiam optauerunt; & optantes cuncta debita dimiſerunt. Recondito autem Theſauro pretioſi Sanguinis, & ritè laudabiliter celebratis & completis tam dignis officijs, Clerus & populus remeabant ad propria, glorificantes, & laudantes IESVM Chriſtum Dominum noſtrum. Hæc autem reuelatio, & oſtenſio Sanguinis Domini noſtri IESV Chriſti, ſimul & ſpongiæ vnde potabat, facta eſt quarto Idus Martias.

Hæc è vetuſtiſſimo M. S. quod ægrè & non niſi cum labore aſſequare, inſerere libuit; vt qui Sereniſſimæ familiæ, perſpectum totâ Europâ dominium, ac nobilitatem proſequimur, ea non negligamus, quæ memoriam præpotentis Dei, & Ciuitatis Principis honorem intercidere non ſinunt. Cæterùm ſacroſancto Sanguine reperto, diù dubitatum eſt, quâ ſede ſtatueretur, honori ſimul, ac ſecuritati. Nec enim is erat templorum ornatus, qui Ciuitatem ac Reliquias deceret. Viſum proinde in Baſilicam D. Petri inferri, dum Bonifacius voti reus, templum regio ſumptu, mediâ Vrbe, huic vni religioni ſiſteret: Id illico cęptum, D. Andreæ gloriæ, quem redditi Sanguinis auctorem acceperat; dataq; templi cura religioſis viris, qui Diuo Benedicto reſpondent, vitæ inſtitutis, & ſanctimoniæ longiori aſuetudine ſpecimen apud vniuerſos dederant. Cæterùm ingentis molis vaſtitas, imperfecta diù ſtetit, etiam poſt Bonifacij obitum, dum Franciſcus & Ludouicus Marchiones, nouum incrementum, maiorum exemplo conferrent. Henricus interim Imperator, quamuis Lotharingi indomita gens, negocium faceſſerent, & per Germaniam ſemina diſcordiarum iacta ambi- *Templum D. Andreæ.*

ambiguus euentuum exciperet; ſchiſmate tamen Eccleſiæ, & tumultuanti-
bus Italis præcipuè angebatur: tamquam motâ Italiâ, cætera Imperij nu-
tarent. Viſum conciliandæ paci, in omnes Prouincias, bellum per Duces
inferri, vt vindices flagitij ſpectarentur, & metu ſaltem admonerentur, Ita-
liam tamen & Vrbem Romam præſentiâ egêre. Itaq; milite ac commeatu
Henricus Imp. Mantuam. adſcito, per mediam Longobardiam ac Hetruriam formidabilis incedens,
Romam tenuit. Vſus primùm conſanguineorum Bonifacij ac Beatricis
hoſpitalitate. Qui ſparſos per agrum exercitus, alimentis; Dominum in-
ſuper muneribus deuinxêre. Conuocato plurium Epiſcoporum cœtu, quos
penès non minus, quàm voto ſuo Pontifices dici volebat, Benedictus, Sil-
ueſter, Gregorius ſedem primariam iactantes, æmuli, & diuerſi; ſeu ſponte,
ſeu iuſſi, dignitate exutâ, in ordinem priſtinum rediêre: Omnium loco ta-
men, qui conuulſam Eccleſiæ poteſtatem redderet, auctoritate ac pruden-
1049. tiâ firmaret, electus Clemens ſecundus: Quod in annum Milleſimum qua-
grageſimum nonum incidit. Huius auſpicio Henricus Imperij coronâ
inſignitus eſt (qui nunc mos aut contemnitur, aut negligitur). Ergo
vbi nemine obſtrepente compoſita præſentia vidit, & omiſſos per Germa-
niam ſecretos hoſtes tumultuari accepit, redijt in patriam. Sed quamquã
inteſtinis bellis prouecti, ac parum fidi, pluribus Italiæ Ciuitatibus potiren
tur (nec enim vllâ ſęculi corruptelâ maior audaciæ licentia fuit) audito
ſchiſmate malè inter Clerum conueniret; & Germania fatali gentis inquie-
tudine fatiſceret; euulgata tamen Diuini Sanguinis Mantuæ aſſeruati fa-
ma, Europâ omnem peruagata eſt; viſendiq; deſiderio accendit. Quippe
morũ licentia pietatem omnem non exuerat. Nec Henricus, cũ Mantuano
Henricus Imp. Mantuam vocatur. tranſiſſet, Ciuitatem tetigerat; & opinio veritatis tempore gliſcebat. Itaq;
licèt conſenſui referentium non diffideret, rara tamen & in miraculum
compoſita, non illicô recipere, prudentiam iudicans, Bonifacij ac Beatri-
cis literis excitus, maiorem dicto veritatem, & miraculorum inſolitam ma-
gnitudinem deprehendit. Literarum forma erat: Veniret, & viſis diuinis
Reliquijs obſtupeſceret, ceterisq; fidei neceſſitatem faceret. Se ipſos ægrè
annuiſſe; ſed cœleſti clementiâ refertâ Italiâ, ante oculos innumeram lan-
guentium multitudinem reſtitutam, vim animo feciſſe; vt ne ſuſpicioni
quidem locum ſupereſſe putent. Addunt literarum & plurium Epiſcopo-
rum fidem, quòd Dominum coram habere voluptati, Cæſarem Mantuam
accedere ornamento foret. Nec ſuper facto ingenia ſiluêre, alijs verita-
tem, opinionem alijs affectantibus: quod minus gratum in vulgus, Mar-
chionum quoq; edicto prohibitum eſt: quòd ſimilia à populo credi, à Pon-
tificibus inquiri deceat. Ceſſerat interim fato Clemens, & Damaſus, te-
nebatq; primariam ſedem Leo Nonus, doctrinæ ac ſanctitatis ſpectatæ.
Ad hunc ab Imperatore miſſæ literæ, conſilium itineris requirentes. Nec
enim vlla Chriſtiani Orbis pars, inſcia agebat: Se haudquaquàm inanibus
paratum; nec quod ignarum vulgus perſtrepat, ſtatim pro comperto habe-
re: Nam ſi pleraq; ſimilium exigantur, non rem, non auctorem conſtare.

Hæren-

Hærentem aliæ Beatricis literæ perpulêre; quibus fatebatur, tardius euulgatum arcanum, ne cauſæ ſuæ, ſpecioſo & inani titulo adeſſet. Ciuitatis enim (quam à Cæſaribus, licèt per merita dono habuerit) honorem, conſanguinitatis ſuſpicionem nexam habere: Maluiſſeq; alliciendo Imperatori caritatem, non ſacrorum opinionem præualuiſſe. Proinde & ſuorum, & certi miraculi viſendi ſtudio Mantuam veniret; oculatus ac coram, quæ Europa omnis circumferat, inſpecturus. Delatæ literæ nutantem Imperatorem ac Pontificem peruicêre; vt ſeu vero cultui, intereſſent; ſeu falſo præſentes occurrerent. Dictâ die Cæſar magno Germanorum Principum comitatu, Pontifex numeroſo Prælatorum cœtu ſtipati affuêre. Vrbs & iuxta ædificia, etſi lato ambitu patentia, vix aduectos excepêre; ſed pleriq; anguſtijs conflictabantur. Illico in rem quæſitum à Pontifice, tantâ contentione animi, vt aduerſus crederetur. Sed erat in ſtudio maiori, fides certior: & cenſuræ rigor proferebat claritatem. Vniuerſa in publicas tabulas redacta; vulgatumq; nihil in pietatem, nihil in oſtentationem inuentũ. Certum verumq; ſanguinem: tantùm è tenebris erutum; reſtitutionem amiſſi eſſe, cui ducentos ante annos Carolus Imperator teſtimonium feciſſet. Leo Pontifex (nam templum adhuc in faſtigium non excreuerat) mediâ plateâ, circumfuſo populo omni, & adſtante Imperatore, ſacris operatus, Ciuitati, exteriſq;, elato ſacratiſſimo Sanguine benedixit. Sed quia nimia vis populi, ſitu & commeatus anguſtiâ, Vrbem plus opinato onerabat, ne quis iniuſſu Domini remaneret cautum eſt: Et Leo in Vrbem, Imperator in Germaniam reuertêre; ab vtriſq; Sanguinis particula aſportata. Habuitq; Cæſar donec inter viuos ageret indiuiduam. Hanc extremum ſpiritum agens, Balduino Flandriæ Principi, amicitiæ teſtimonio cõceſſit. Hic Iudith filiæ dono dedit, quæ poſtmodum Angliæ Regi denupſit. Ea vt maiori cultu haberetur Monaſterio Vingarthenſi ſeruandam contulit. Nec plura comperimus, gliſcente eâ in gente ſuperſtitione, prauiſq; ritibus; quæ totum Regnum (olim haud dubiè Religionis ornamentum) & quidquid veteri pietati compar, in præceps rapuêre. Quod Mantuæ relictum eſt, tot ſæculorum duratione, ſummâ veneratione habitum, in præſentem maiori adhuc cultu ſeruatur: Immutato arcano, auctoq; luminariũm numero VINCENTII Ducis munificentiâ. Interim quòd D. Andreæ templum ſtruebatur, magnis Bonifacij largitionibus in faſtigium tollebatur; Religioni oſtentandæ, ac fortè potentiæ: & Beatrix domeſticis curis, & ciuitatum adminiſtrationi, pro marito (cui ſimilia præ Diuino cultu viluerant) fungebatur: Ipſe quoq; vrbanum rebatur, acceptam ab vxore potentiam, eius arbitrio agitari. Milleſimo quinquageſimo ſecundo, aduerſa valetudo Bonifacium è viuis abſtulit; relictâ vxore, in quâ par nobilitati virtus, & cætera ad hanc formam erant. Cæterùm vulgatum, & Annalibus quoque Principum inſertum rumorem meminiſſe pretium eſt; vt ſuus ſit veritati locus, nec res pro comperto tradita, negligentiâ vileſcat. Carlottus nomine (Veronenſem aliqui, Ferrarienſem quidam putant)

Leo nonus Mãtuam & Christi Sanguinem verũ approbat.

1052.

Bonifacij mors.

putant) Bonifacio acriter indignabatur; quòd fratrem pro Veronenſibus pugnantem, & rebellionis manifeſtum, ſeruili ſupplicio affeciſſet. Ergo occaſionem vindictæ, manifeſto licet diſcrimine ſectabatur. Nec diutius dilata res, ſed Bonifacium venatui intentum, haud longè oppido D. Martini, miſſo per ſecreta telo, quod veneficio ante corruperat, medium tranſfecit. Captus illico parricida, & Mantuam deductus, veritatem per tormenta, conſcios non edidit. Et licèt ab Auogadris flagitium haberetur, fruſtra tamen quæſtiones vſurpatæ. Tumulatus eſt in D. Petri Baſilicâ, quòd templum Diui Andreæ inchoatum, nondum iuſtæ moli aſſurrexiſſet. Eiusq; in hodiernum Epitaphium viſitur, incompto antiquitatis teſtimonio, ſed valido.

HIC IACET DOMINVS BONIFACIVS ILLVSTRIS MARCHIO, ET PATER SERENISSIMAE DOMINAE MATILDAE. QVI OBIIT 1052. DIE VI. MAII. INDICT. V.

Defuncto Bonifacio, quòd maſculæ ſtirpis infans extinctus foret (ſeu dolo Cæſaris, vt egreſſa ſemel Imperio potentia reuerteret, ſeu vi mali) ſola Mathilda ſupererat, primam intra iuuentam, magnitudinem animi maiorum ſuorum æmulata, formâ, ac opinione potentiæ, Principibus cupidini, ac cultui oſtentata: Nam ſiue coniunx, ſiue fortunæ ſocia, res eô flecti videbantur, quô illa vertiſſet. Nec tamen Beatrix viginti & amplius annos, defuncto marito quæ Mantuanum dominium tenuit, quæſtibus irritis ſexum, doloremq; teſtata eſt; ſed fortitudine ac conſtantiâ (quibus inter ancipitia & ardua, locus ac fides eſt) ſeſe virilibus curis accinxit. Magna certè ea moles erat, cum Mantua, Ferraria, Parma, Mutina, Regium, Lucca, Patrimonium, pars Picentûm (Marchianos dicunt) & cuncta Vrbibus adiacentia oppida, eiuſdem potentiæ eſſent, viduæq; imperio regerentur. Et licet ſubditæ gentes, vix virilibus artibus frenari ſolitæ, Marchioniſſæ virtute modeſtè agerent; ipſæ tamen diuitiæ, vt manifeſtiores, ſic magis inuidendæ erant. Henricus etſi neceſſitudine illigatus, Reges, & vicini per Germaniam Principes, facilè muliebre faſtigium dirui poſſe crederent; apertâ vi tamen abſtinebant; non magis pudore flagitij, quàm odij metu. Sed per occultas & magis fidas amicitias, miſcere conſilia, illicere promptiſſimos ad iuſſa, occaſioni inſtare, modò decus Imperij, modò ignauiam incerto titulo obijcere. Fœminæ tamen virtute, & conditione temporum, ſtudia inhiantium irrita ceſſêre. Ipſa ad Principum ſummos expediri legatos iuſſit, mutuũ obſequium, amicitiamq; offerens: Se, coniugi calcatam in rebus adminiſtrandis viam, eandem fidem in accolas, parem caritatem in ſubditos oſtentaturam. Italiæ pacem, inturbidas Germanias, viribus & conſilio curaturam. Eſſe ſibi filiam nulli Regum minorem (ſi nobilitas, ac paternæ, maternæq; opes æſtimentur) cuius connubio multorum pax coaleſcat: Siue meditaretur, ſiue eo pignore, flagitij ac violentiæ meditatores, mutuâ æmulatione deluderet, & vtroq; ſibi ſecuritas eſſet. Addidit & dictis fidem,

Beatricis aſtus, vt Prĩcipes Europę ſuſtentaret.

fidem, oppreſſos infidelium armis Calabros milite tutata eſt, tumultuãtem in Vrbe Clerum auctoritate, Lotharingos, cum vicinis veteres ſimultates, & iura limitum repetentes conſilio firmauit. Dictis factiſq; eius, magna ex nobilitate, potentiãq; exiſtimatio; nec enim paruum Beatricis nomen per Europam erat, quæ Imperatore genita, ſoror eius qui rerum potiretur, & Auia Regum, Ducumq;, ingenti apud omnes veneratione habebatur. Iam Romani Pontifices, per aduerſa, opibus; per proſpera, officijs, fęminæ pietatem experti, totis viribus nitebantur, Viduæ imperium aduerſus dominationem affectantes, nõ minus ſuo, quàm iuſtitiæ bono firmare. Equidem non aliud aut vi, aut vicinitate fidelius, tutiuſq; ac certius præſidium, Sedi Apoſtolicæ nouerant: Quæ nunquam tantùm reuerentiâ ſubditorum adoleuerat, vt perfidorum petulantiâ non agitaretur; & quam ſi non exteri, interna ſaltem potentia, & Cleri æmulatio diſtrahebant: Adeo facili pręuaricatione, vt vix ſummâ quiete temporum, ſchiſmate careret. Sic Beatrix ſuo pondere, alienis adminiculis ſecura, ſimul probitate ac prudentiâ Mathildæ filiæ, procul à formidine, ſed intentior, agebat. Præcipuâ in Lucenſes caritate erat, quos comitate, ac munificentiâ antehabitos, velut ſui ſanguinis fouebat. Ergo tenendo imperio, & maximis quæq; tractandis parem filiam Mantuæ relinquens, in Hetruriã perrexit; cœli intemperiem, curas aſſiduas, & quietis deſiderium obtendens. Sed amor filiæ præualebat; quam aſueſcere dominationi, vtile, decorumq; crediderat. Nec ſolari omiſerat; ſed modô præſentiâ inuiſens, modô per literas adiens, exercitam inter prudentiam, pietatemq; detinebat. Diſcordantem filiæ animũ; Damiani, cæterorumq; iuſtitiæ pro filiâ adminiſtratorum ſimultates cauſari, ſuperuacuum eſt; quando cætera mutuam in extremum caritatem atteſtentur. Aliquot annos immorata, victus, cœliq; mutationem non tolerãs, finem Luccæ habuit. Mathilda parentis fine accepto, quamquàm inſolabiliter indoleſceret, paucos tamen luctui dies inſumpſit, firmando animo, & capeſcendo ſtrenuè Imperio comparata. Ademptum ſibi fidum, proximumq; conſilium, nec multum ſecuritatis in conſanguineo Cæſare nouerat: quem auidum dominationis, ac famæ malæ contemptorem (nam pater extremum diem clauſerat) acceperat. Certè maiorum odia in liberos abeũt; & ſi potentia vlciſcendi adſit, rari validiores modeſtiâ & temperantiâ commendantur. Miſerat pridem, qui ipſum in Germaniâ agentem, maternæ valetudinis, plures annos tractæ admoneret; & ille licèt non conſilio, non ingenio Mathildæ opus eſſe cognoſceret; Petrum tamen Damianum (qui mox ipsâ procurante albo Cardinalium adſcriptus eſt) in ſubſidium iuueni delegauerat. Virtutem etſi viuidam in fœminâ facilè elanguêre, & aſſiduis adminiculis, ne labori ſuccumbat egêre ratus. Niſi obſeruatorem factis, dictiſq; eius miſerat; nec eâ, quâ vſus Damianus eſt, pietate. Gratum celebris viri acceſſum, vtile communione ſecretorum conſilium, decoram iuuentæ ſuæ præſentiam, ætatis ac morum commendatione credidit Mathilda; habuitq; inter intimos amicorum; concordiæ cum Romanis Pontifici-bus

Beatrix Hetruriã petit.

Et moritur.

bus ac Cæſare, medium. Vix inter obſtrepentes turbas, & ſeditionum immania, acceſſerat Henrico Cæſari, breuis, nec abſoluta quies. Angebatur nihilo minus fortiſſimus Princeps Mathildæ caſu: quæ ipſo flore ætatis, parente deſtituta, magno dominio, paulô minus, quàm precario deſeruiret. Simul Pontificum ſchiſmata, exercitæ frequentibus bellis Imperij Germanici Prouinciæ, generoſum animum conuellebant. Omnia ex pietate credita; quamquàm ſecuta tempora, ſimulationum falſis vſum Cæſarem docuerint. Accedebat reputatio cęleſtis iræ, nuſquam hactenus in eũ modum manifeſtæ. Annonâ totus Chriſtianus Orbis, ad ſordidiſſimam neceſſitatem conflictatus fuerat: Neque externorum ope prouidere dabatur, colluctantibus fatis, & eâdem apud omnes indigentiâ. Terræ motu obrutæ Vrbes, & ignes inter ruinas emicare viſi. Etiam ſpecies armorum & concurrere armatæ acies, patenti cœlo, per ſummum noctis ſerenum ſpectatæ. Anxia præſentium ac futurorum Imperia, ſecuta morum licentia (vt ferè, quo maiora calamitatũ vrgent, minor eſt cura virtutis, maior impunitas flagitiorum) quâ rapta, per vim, quæ prętio vix habebantur. Fatigatum Henricum decimo ſeptimo Imperij anno, ſimul omnia hæc inuaſerant, nullâ ſpe remedij; & feſſâ ætate, ad fortes deliberationes inualidâ. Cumq; nullâ humanâ ope, nullo cœleſti fauore ſubueniretur, tędio & curis ſuperatus, extremum ſpiritum reddiderat; filiorum quidem caritate tactus, ſed Beatricis ac Mathildæ pręcipuè; quarum curas (vbi pulsâ ęmulatione, rationi locum dedit) inter primas habuerat. Relicta ab eo vtriſq; ſuprema mandata, ſcriptorum pleriq; tradidêre: Diuino honori inſeruirent, proximum Cæſaribus ſanguinem obſequio continuarent, Pontifices ac Italiam in pace haberent, alienis quærendis ne ſe perderent, ſua tantùm ſeruarent, Venetos nec negligenter, nec anxiè colerent (ſuſpecta ſeni, magni Senatus prudentia erat); deniq; ſucceſſorem ſi liberi defuiſſent, ex voto & ratione inſtituerent: Adeſſe quippe Mantuæ, & Gonzagæ nobiles è familiâ neuerat, Marchionibus ſummo tantùm nomine concedentes; quibuſq; nobilitas, virtus, merita in ęquo erant. Incidêre hæc in annum Milleſimũ quin-
1057. quageſimum ſeptimum; nono fermè ante Beatricis exitum. Excepit Henricus quartus Imperium, matris adminiſtratione, annos aliquot, cum decore ac famâ vſus. Vt ferè miniſtrorum gloria, Principibus imputatur; quòd benè eligendo meruerint. Quamuis auctâ cum ætate licentiâ, multum claritudinis imminuerit; quòd rerum vniuerſa in Dominum referrentur, optima ad meliores traherentur: Non enim tantâ vilitate ſerui ſunt, vt ſe auctores errorum, ſubleuando Principi fateantur; & ſi pręſentes aſſententur, abſentes non fallunt. Mathilda interim Gothifredo Gibber Lotharingiæ Duci denupſit. Qui tertium iam annum in virgine, natales, formam, opes, potentiam deſiderabat. Nouerat illa, puellam nullâ curâ, nullo cuſtode habitam, vbi adoleuiſſet, ſi non integritatis aut pudicitiæ, famæ adminus iacturam facere; nî matrimonio illigaretur, cuius pręſidio toleraret. Quidã inter Gibberi patrem, & Beatricem, matrimoniũ interceſſiſſe volunt, Martini

Mathilda prima nuptiæ.

à ſecretis

à ſecretis Mathildæ monumentis. Sed vt nullum viro nomen, ſic Mantuanis Annalibus hoc deſideratur. His ipſis temporibus, Nicolaum Secundū Pontificem, Romani habuêre. Coactâ enim Synodo, cui Cardinales, & Epiſcopi plures; pro Imperatore Mathilda ac coniunx fungebantur; Benedictus per ambitum & malas artes, occupatum Pontificatum abiurauit; & in Nicolaum libera poſſeſſio translata. Cæterùm grauis Eccleſiam diſcordia exercuit: Schiſmate enim tot Pontificibus aut dictis, aut exactis; Chriſtianus Orbis ſine rectore, Principes huius illiusve ſtudio, vulgus & clerus, honorum aut vtilitatis auidi, ſeditiosè agebant. Ergò capiendo remedio dies dicta; & reduci in Vrbem Nicolao, nouus ad Lateranum conuentus indictus eſt. Qui manifeſtam electionis poteſtatem obſtrepebant, altius petito principio; de ſe, ac rebus ſuis, de ſalute ac honore agi dicebant: oportereq; eum, qui omnibus leges dicturus ſit, ab omnibus eligi, ne pro ſuſpecto habeatur. Fidelium omnium cœtum, non Collegio Cardinalium, ſed toti Clero, plebiq; ineſſe: Quotam Reipublicæ partem Cardinales eſſe? An pietate, doctrinâ, meritis, tot inſignes Epiſcopos, tot nobiles Abbates ac Prælatos, tamquam impares arcendos? Si non à corpore, cur ab electione ſeparentur; quorum fidei, prudentiæ, & doctrinæ, quantum roboris in Eccleſia eſt, innititur? Sed & Cardinales pauciores eſſe, quàm vt arbitrio totus Orbis obtemperet. Promptiores in officio futuros, qui electionis partem habuiſſent. Contra à prudentioribus dicebatur, multitudinem confuſioni eſſe. Si inter paucos plerumq; non conuenit; quomodò multorum millium ſententias reſponſuras? Habere quamcunq; Chriſtiani Orbis partem, aut Cardinales, aut paratam per merita viam, quâ & honores ſperare poſſint, & olim pars electionis cenſeri. Nec excludi Epiſcopos: Quippe Cardinalium multis ineſſe Epiſcopatus; Horumq; operâ poſſe nationes, velut per Nuncios (eorum quæ à communione fidelium requirant) vota concipere. Paucioribus conſtitutam Rempublicam, vitandæ confuſioni. Nec plus multis hominum millibus, quàm ſexaginta ſpectatæ doctrinæ, & pietatis Cardinalibus, prudentiam & conſilium affuturum. Prorſus per cœtus, turbas, & multitudinem quæri diſcordias, ſchiſmata, & odiorum materiam. Ambitioni & gratiæ, ob multitudinem, corrumpi Cardinales non poſſe; ſi qui perſuadeantur, impellantur, plures in officio manere. Sed ſpectanda alia, Pontificis deſignationem, tot integros, & è melioribus adſcitos, Supremi Numinis curam erga res humanas. Potior hæc ratio credita; ſancitumq; manſuro ad æternitatem Decreto, creandorum Pontificum ius, nullum apud Clerum, ſed ſolos Cardinales eſſet. Sic qui impoſterum eo officio decorati ſunt, veluti ſpiritualis Imperij electores, exiſtimatione, auctoritateq; in præſentem valuêre. Diſceptantibus, & conſenſui meliorum aduerſis Gothifredus ac Mathilda obiecêre ſeſe; & elatos faſtu, aut cōcordiam nolentes, præſentiâ, prece, comminationibus retinuêre; non vt pars eligentium, ſed pietatis, in Sedem Apoſtolicam adminiſtri. Vis præcipuâ in Gallis & Germanis erat: Hos Mathilda, illos Gothifredus flexêre; non magis

Schiſma circa electionē Pontificum.

Cardinalib' electio Pont. deſtinatur.

Fauente Mathilda.

opinione potentiæ, quàm generis caritate. Quamquam manifeſtę vires, & miles ad manus eſſent exprimendi quòd Pontifex imperaſſet ab inuitis validę. Defuncto Nicolao, communi voto, ſucceſſerat Alexander ſecundus, prudentiâ ac pietate toti Chriſtiano Orbi commendatus. Sed in fatis erat iactari Italiam, nec plures annos in quiete haberi. Gilbertus enim qui pro Imperatore Italiam præſens curabat, ingenio concitatior, ferendis diſcordijs ſagax, nec temnendæ auctoritatis, apud ſeditionum auidos, Henricum iuuentâ imprudentem per literas docuit, ſpretam Cæſaris maieſtatem ab Italis, nullo Imperatoris voto electum Epiſcopum, contra vetus inſtitutum; Imo etiam futuro Decretis prouiſum, vt in perpetuum arceretur. Proinde exturbandum ſede intruſum, & arbitrio Principis alium dicendum, qui exiſtimationem Imperatoriam ſecum ferat; addatq; Dignitati munimine maieſtatem. Agneti Imperatoris matri, nihil vnquam acerbius aures confodit, quàm deſciſſere ab Eccleſia filium; & malis conſultoribus vſum, trahi præcipitem in abrupta. Hoc enim diſcordiarum initio, & prauis præceptis imbuto iuuene, immortalium bellorum ſemina enutriri: Annitentibus Italis & Clero per vim, per ambitum, tueri iura credita; Nec in tempore deforre Pontificibus Germaniam, pietate in Religionē ſummâ; quæquè & ſeruitium oderit, & filij licentiam. Valuêre tamen flagitioſa conſilia, & fęminiles curæ, tam arduis peruincendis impares notuêre. Sic Baſileę non Imperatoris iniuſſu, multorum Epiſcoporum Synodus congregata. In quâ Candolus Parmenſis Epiſcopus, Longobardorum contumaciâ vſus; aſtuq; quo Epiſcopatum ante præcęperat, Pontifex declaratur. Prona in ſacrilegum, Ciſalpinorum fermè omnium ſtudia fuêre: Quos ante donis & promiſſis oneratos, impulerat exuere in Romanum Clerum obſequiū, & ſeditionem agitare. Mathilda licet marito minor, potētiâ tamen, & auctoritate ſuperior; pietatis, paterniq; moniti memor, pro Romano Pontifice, atq; adeo pro veritate, accepto tumultus nuncio, in armis fuit: ſi repens cōſternatio celeritate opprimeretur. Conſcripta iuuentutis manus, quæ retinendo Cæſari, ſi per temeritatem proruipiſſet, ſatis erat. Et plus viriū ac conſilij acceſſiſſet, ſi GONZAGOS longâ affinitate illigatos, in curarum partem cōuocaſſet. Sed oderat Gothifredus cōiunx velut læſos, abreptâ hæreditate; Et Mathilda pronior in Pontifices; nec ſpes prolis exceſſerat. Pontifex, inter ſuos malè tutus, & ab Cæſare metuens, cui Candolus depugnabat, promiſſum à Mathildâ auxilium orabat. Parari enim ab Antipapâ Candolo, ac Gilberto exercitum acceperat; & iam Bononiam vtroſq; iuſto cum milite veniſſe. Miſſi quadringenti equites, peditum tria millia Ioanne Caſtelbarco duce; & vt Pontificijs in Vrbe copijs iungerentur, imperatum. Nec enim adeo pietatis ac modeſtiæ expers ſæculum illud fuit; vt deſtitutum Paſtorē vniuerſi vellent, interq; diſcrimina, & erumnas eluctari. Contrà Candolus, vbi ſatis virium, & ſpei reliquum in ſecuro, fauore Imperatoris videt, per Hetruriam properus, famæq; celerior, Campo Neroniano, Vaticanum iuxta conſedit; facturus periculum, an auſuri nocturnam eruptionem Romani forent, vel de rerum ſummâ deliberaturus.

Indignatur Imperator.

Candolus.

Contra Pontificem.

Mathilda propugnat Pont.

Nec

Nec abnuebat vniuerſi exercitus diſcrimen, commeatuum inopiâ (nam quidquid frumenti, in Vrbem Pontificij importauerāt) ſtudio ſuorum, metu Imperatoriæ voluntatis; cui ob prauitatem cauſæ, & ætatem, diu fidere non licebat. Nam per eaſdem artes, quibus ipſe Pontificatum acceperat, vim, pecunias, fauorem, nouerat & cęteros Imperatoris voluntatem emercaturos: Et in arduo difficilium rerum exordia eſſe; vbi monſtratum iter, plures exemplo inſiſtere. Meliori fato Pontificis conſilia procedebant. Lateranum ipſe inſederat, Vaticanum Mathildæ coniunx: qui nouo delectu Mantuanorum, & Hetruſcorum equitum alâ, robur inexpectatum etiam præſentiâ partibus addiderat. Hic tolerandum obſidium ad breue tempus, ex vſu ratus, firmare Ciuitatem præſidijs, inferre commeatus, expedire arma, militem in diſciplina habere. Neq; enim vires Romano, Dux tantûm deêrat, qui conſilio prouideret. Sed moram Gilbertus non tulit, deſiderij impatiens, & anxius futurorum. Impetuq; in Vrbem facto, à Longobardis quos miſerat Mathilda, obiectum latus ſeruantibus, ſtrenuè reijcitur. Pugnatum tamen in noctem; & licet victoria multo ſanguine ſteterit; infirmitatem ſuam tamen Candolus introſpiciens, & reliquo exercitui conſulturus, *Candolus reuertit in Longobardiam.* præcipitato itinere Longobardiam petere coactus. Milleſimus ſexageſimus ſecundus annus erat. 1062. Reputabat infelix per ſecretum ſuas iniurias; & honeſti ſpecie, vicinos Principes, ipſumq; Cæſarem ſupplex auxilio vocabat. Sibi neſcio & inexpectanti, delatam ſummam poteſtatem ab Imperatore; cuius iuſſis, non minus, quàm tot Epiſcoporum flagrantiſſimis precibus obſecutus ſit. Non ſuam tantùm, ſed ſpectatiſſimorum Præſulum, ſed Imperij cauſam agi; quos ipſe per pietatem, eruditionem, prudentiam, Epiſcopos, ac Cardinales delegiſſet. Belli initium apud Alexandrum fuiſſe; vt poſterior nominatus, priorem locum per vim haberet. Deniq; plus in Cæſareis, quàm Italis, & iuris & virium eſſe. Mouêre hæc Germanorum Principum nonnullos: Nec tamen vltra miſerationem viri proceſsêre: Vt fere proniores ſolatio deiectis, quàm auxilio ſumus. Gilbertus tamen viuidam operam intulit, collectis in centurias ac manipulos, quos inopia, & licentia raptabat. *Gilberto auxiliāte redit.* Et iam non tumultuaria manus, ſed validus in ſpeciem ac numerum exercitus viſebatur. Non enim corruptis temporibus, conſceleratorum inopia eſt. Sic Candolo comite, multa millia paſſuum, nocturno ſilentio emenſus, & iuſſos latebris ſiluarumq; ſecreto per diem agere, anno ſequēti Vrbem repetijt. Aduenitq; inexpectatus; & luceſcente die, irrupit in Leoninam; quam defenſoribus nudatam, obſiſtente nemine; & Vaticanum poſtremô agreſſus, pari felicitate accepit. Prouecto die obſideri Ciuitatem, capta aſſenſu mœnia, Vaticanum teneri, Pontifici ac Mathildæ coniugi, fama eadem tulit. *Leoninam capit.* Ineſſe fraudem haud dubiè creditum; & non adeo exteros infides, vt qui coram adeſſent, non inſoleſcerent. Armari tamen quinq; hominum millia iubentur, & futuri ambiguo Gilberto inuehi. Certatum ipſis viarum anfractibus, pro laribus ac vitâ, vario primûm euentu (Nam initia vtcunq; proſpera, animos Candolo dederant) mox manifeſtâ Romanorum victoriâ.

Sed capitur. Quippe Candolus Cincij Vrbis Præfecti filij aſtu captus eſt; nec niſi tercentum argenti libris, precio libertatis acceptis, & carcere, & Vrbe egredi permiſſus. Per fidos tamen & adhuc deliberantes, pacem certis conditionibus quæſierat. Nec aliud repertum, quàm vt tollendis ambagibus, & firmandæ per Italiam concordiæ, Epiſcoporum ac Patrum concilium indiceretur.
Concilium Mantuæ. Illic de rebus ſtatuerent, & iudicio, conſenſuiq; obtemperaretur. Delecta ergò præ cæteris Ciuitatibus Mantua eſt: Idq; commeantium commoditati, vbertati ſoli, Mathildæ honori datum: Quæ prouiſis tanto hoſpitio neceſſarijs, Regio apparatu Alexandrum Pontificem, Imperatricem Agnetem, reliquoſq; Imperij proceres excepit. Inerant Concilio vniuerſi Epiſcopi Longobardi, multi exterorum, ingens Patrum numerus: Quos decus Vrbis, Mathildæ fama, Pontificis viſendi amor illexerant. Hic totius cœtus aſſenſu Alexandro Pontificatus adiudicatus eſt; magniq; honoris nomine habitum, quòd GONZAGAE familiæ ſtudio ſchiſma iugulatum eſſet, & ne gloria alteros ſpectaret, intra dominij viſcera. Rauennates Epiſcopum Gilbertum, prius ſupplicem habuêre: cauſæ Candolus ſuccubuit. Neq; ideo tumidos ſpiritus, aut peruicaciam exuit; ſed Pontificio faſtu, in omnem vi-
Gotifredi finis. tam (quæ breuis obtigit) vſus eſt. Gothifredi Mathildæ coniugis finem, quidam in hæc tempora reijciunt: alij abnuunt; nec longiori indagine, in præſentem manibus incidit, quod expleat. Mathildam certè per hæc tempora, marito viduatam conſtat; quòd in laborum partem adſciuiſſet Anſelmum, doctrinæ ac ſanctitatis famâ, mox Lucenſem Epiſcopum, poſtremò (vt
Hippolitus Doneſmontus. magnâ curâ aſſecutum ſe credit Hyppolitus Doneſmontus, Franciſcani inſtituti Theologus, de Religione ac Patriâ optimè meritus, nunquam interiturus famâ Orbis monumentis) Cardinalem; Alexandri Pontificis ſecundi Decreto. Nulli ab hoc connubio liberi fuêre; quamquàm ſummâ cari-
1065. tate, annos aliquot conuixiſſent. Creditur Annus fuiſſe Milleſimus ſexage-
Henricus inſoleſcit. ſimus quintus. Henricus interim, coalitâ tempore audaciâ, ætate, ac ſcelerum licentiâ corruptior, nil illicitum ſibi, ſed ſummæ fortunæ honeſta omnia rebatur. Et amicorum ſi qui integri (quod aulæ laſciuienti vix obuenit) ſordido miniſterio, vniuerſa mœrentes laudabant; corrupti etiam ſectabantur. Neque tamen certum eſt, adulanteſne Principem, an Princeps honeſtis alienus, ſeruos corrumpat. Hinc iniurius in ſuos, infenſus exteris, Pontifici iniquus agere. Simul coniugi caſtiſſimæ, cui nomen Berta, Othonis Marchionis filiæ, repudium non alio nomine quàm ſatietate dicere parabat: Niſi flagitij deformitas, Papæ comminatio, & exiſtimatio (quâ Regna ſeruantur) nec non ex conſanguineis metus obſtitiſſent. Sciebat non toleraturos Germanos proceres, conſcelerati Principis mores; & hinc fœcundã ſeditioni belloq; materiem fore. Matilda, ætatem ac ſexum ſuper auſa, Cæſari modò minas cœleſtis iræ, modò ex ſubiectis formidinem intentabat: Sed prauis moribus per adoleſcentiam inſtructo, malis conſultis obnoxio Principe, omnia in irritum cadebant. Et quando alienis proficua eſſe non poterat, domeſticis implicata negocijs, ciuium ſuorum pacem, Diuinum cultum pro-

mouere

mouere ſatagebat. Diui Andreæ Baſilicam, aliquot ante annos, à maioribus ſuis cœptam, & honeſtè ditatam, nouis inſuper priuilegijs ornauit, apparatu ac reditibus inſtruxit. Extat Priuilegium conceptis verbis in eodem Mantuano Archiuo; nec demonſtratione in re opus, cuius veritatem, præſentia ac præterita monumenta præferunt. Non enim vnâ largitione expleta nobilis liberalitas eſt, ſed dummodo cultui Numinis impenderentur omnia; ſtrenuè erogatum. Idem Fraſſinoræ, Canoſſæ, ac Piſis executa (cui imperitaſſe apud pleroſq; reperio) vitatam omni ſtudio gloriam, æternam habuit. Iactatam Eccleſiam, & hinc libidine morum, illinc ab Imperatore laceram, excepit regendam Gregorius eo nomine ſeptimus, ante Pontificatum Ildeprandus: Eccleſiaſticæ libertatis haud dubiè aſſertor; quiq; non minus edicto, quàm exemplo præfuerit. Is cognitâ Imperatoris præuaricatione, & animum flagitio quàm diſciplinæ paratiorem; ne cæteri Principes potiorem ſecuti, minus in officio haberentur, aut quidquid boni veteriſq; inſtituti obſoleſceret, Henricum fortunæ ſuæ mole tumeſcentem, miſſis epiſtolis debiti & honeſtatis admonuit: Caueret modeſtiæ ac iuſtitiæ fręno decuſſo proſequi, quorum reputatio ignominiam, & præpotentis Dei iram acceleraret. Meminiſſet hinc Deum vltorem, illinc ſubditorum ingentem numerum, impium Principem auerſaturos: quæq; non ſponte ac ſtudio, ea concepti olim ſacramenti, & datæ Deo fidei memor ſectaretur. Non aliam totâ Germaniâ tumultuum cauſam audiri, quàm in Deum pietatem, in ſubditos ſpretam caritatem. Nec Saxonem pro finibus magis, quàm ob deſpectum Pontificem arma ſumpſiſſe. Scelerum peruicaciam ac tolerantiam, acriori vltione ſuperos penſare. Sibi quidem Imperatoris Eccleſiæ primogeniti pręcipuam curam, ideoq; mitibus primûm, mox aſperioribus pœnitentiam acceleraturum. Amoueret proinde iniquos conſultores, quos ipſe beneficijs Eccleſiaſticis ab alijs intruſos, anathemate demonſtraturus ſit; Sediq; Apoſtolicæ debitum comitate obſequium præſtaret. Non ante ſedandos iri tumultus, quàm pacato Numine; tum Romanum Pontificem, bellorum paciſq; ſocium ſperaret. Se non aliter caritati in filium, & officio in commiſſum gregem ſatisfacere. Redditæ Francofurti literæ, neſcium modeſtiæ ac diſciplinæ Imperatorem aſperauêre, vt in inconſulta prorumperet: Poſſe beneficia per Germaniam arbitratu ſuo, & pęnas pro voluntate præſcribi. Imo Pontificem expendere debuiſſe, quod iter nouiter acceptæ potentiæ ingrederetur: Quando ſuam quoq; voluntatem, ſuum in electione votum expectari par fuerit. Qui Româ aduenerant, quò minus audaciæ pœnas luerent, iure gentium protecti ſunt; irriti tamen & eluſi reuertêre. Gregorius validioribus inſiſtendum, prædeceſſorum exemplo didicerat: cuius accuratiſſimis monitis, Henricus interdum excitatus, nunquam reuocatus fuerat. Differre ergo vlterius, & Chriſtianam Rempublicam diſtrahendam, conculcandamq; omittere, ſoporem & ignauiam iudicabat. Lateranum conuocantur Patres; docentur mollibus conſultis, & indulgentiâ in Cæſarem, plures annos peccatum. Prælatos Germaniæ, Bene-

Mathilda D. Andreæ templum auget.

Gregor. Septimus Henricum peruicacem reprębendit.

ficiorum negociationi inſiſtere: iubere Imperatorem; accipere populum, nullo perſonæ, aut officij delectu regendas Eccleſias. Miſſos à ſe legatos, malè, inhumaniterq; habitos; & parum à contumelijs ac cæde abfuiſſe. Itaq; communi voto, diris deuouentur, qui pecuniâ emercati Beneficia fuerant, & Eccleſiaſticis cenſuris ad deferenda impelluntur. Sed in primis ab Eccleſiæ communione, ſegregandus Cæſar ſtatuitur, nî reſipiſcens ſaniora capeſciſſet. Neq; tamen obtemperatum; quòd Pontifici, inferendo bello, vires non eſſent. Nam vbi deſit iubentis potentia, pro arbitrio acquieſcitur. Quòd in Henricum eâdem celeritate non animaduerteretur, obſtitit Mathilda, concilij tempore Vrbi aſſidua, per preces, per lachrymas, & quâ apud omnes exiſtimatione erat. Accedebat Anſelmus Lucenſibus tum â Pontifice impoſitus; quem Epiſcopatum, cum antea malis artibus, & neſcio Pontifice, Cæſaris dono habere potuiſſet, aſpernatus fuerat. Hic cùm Mathildam conſilio, prudentiâq; iuuaret, Pontificem orabat, ne feræ gentes, ſæuitiâ remedij offenderêtur. Iuuentam, & præpoſtera in Imperatore præcepta cauſari, quàm malum animum poſſe; acceſſuram ætati modeſtiam; vt concordante ſibi Pontifice, & ſuis, & exteris, pacem velit datam. Et hæc quidem Romæ apud Gregorium agebantur. Henricus ſumptam aduerſus Romanum Pontificem contumaciam, ferocius amplexatus, Decretis diſſentire manifeſtus, literas intercipere, calumnijs inceſſere, obſtinationi quàm pœnitentię paratior videri. Nec ideo dubitatum amplius in Vrbe, ſed anathemate notatus: Vt quem paterna monita non reduxiſſent, grauiora reuocarent. Et deplorata iuuenis correctio, primùm licentiâ, mox per dolum ac fraudes detecta eſt. Certè publicam vim inferre, nec ipſi quidem ſatis in tempore videbatur; ne per totam Italiam conclamaretur ad arma, & contra Germanos & Italos ſimul bellandum foret. Secretum ſceleri quæſitum: cuius extimulator acerrimus, iuratus Eccleſiæ hoſtis Gilbertus Archiepiſcopus traditur. Facti ſeriem ità diſpoſuit. Erat in Vrbe Cincius Patritio genere; quem nobilitas & opes iniurijs facilem, & conſilij præcipitem reddiderant. Huic Gilbertus Cæſaris in Papam odium, nutantem Germaniæ in Romanos fidem, exponit, ſuum diſcrimen promittit: Seueritatem feritatem, morum compoſitionem triſtitiam, ſanctimoniam ſimulationem appellabat, (quæ pro arbitrio inſectantium, virtutibus ferè nomina imponuntur.) De proprijs ſimultatibus tacuit; ne paterent inſidię. Proinde amoto Pontifice, opulentiores res ſuas, & apud Henricum maiorem gratiam futuram docet. Accingeret ſe facto, & pro certo haberet, vti conſilium ab audaciâ; ſic ab euentu, opes, potentiam, fauorem, latè quæri. Nec abhorrebat peruicax animus, quocunq; flagitio dominationi adrepere. Facile verſuto Archiepiſcopo fuit, ciuium Romanorum turbidiſſimum impellere, & nouitatibus facilem caſibus obiectare. Nocte mediâ, cum Servatoris natali Pontifex ſacris operaretur, inuadit Lateranum Cincius, ſacrificantem Altari abſtrahit, catenas inijcit, populo ob metum dilapſo, in priuatum carcerem rapit, ſpe retinendi, dum Cæſar ordinem futurorum, internuncio Gilberto,

Henricus ex communicatur.

Gilbertus fouet.

Gregoriũ in Vinculis habet Cincius.

per-

perſcriberet. Securum ſe ciuium rebatur, nec auſuram plebem, magnis cõſanguinitatibus illigato refragari. Mathilda cuius tutelæ pax Italiæ, Pontificum reuerentia honori ſeruabatur; vt certa ſacrilegij; & Gregorium per ſummam iniuriam detineri accepit, paucis amicorum, pluribus è familiâ ſumptis, perfidi Cincij domum intrat, effringit carcerem, ſolo æquat, igni ferroq; ſæuit, cæde promiſcuâ vtitur. Tanta conſternatio Cincij fuit, vt non obijcere conſcios, non in publicum prodire, tantùm fugæ ſtudere voluerit. Sed nec fido milite ædes ambiuerat: Siue violentiæ diffideret, ſiue ſcelerum magnitudo iudicium peſſumdat. Atrocia impetu ferè admittuntur; rara ſi conſilium addatur, approbantur. Actæ à Romanis Mathildæ gratiæ; & magnæ potentiæ, maius nomen acceſſit: Cuius validis pro Eccleſiâ conatibus, generis humani hoſtis, Henrici temeritate obſtitit. Quippe violentiæ ac petulantiæ indomitæ, Synodum Vormatiæ procurante Moguntino haberi iubet: Miſſi in Vrbem, qui Gregorium eiurando Ordini accerſirent, aut abnuentem, Imperio vrgerent; Cardinales ac Præſules conuocarent, & cum immiti mandato ſententiam actorum obſignarent. Riſêre Patres inſolentiam; ipſeq; Pontifex vulgato Lateranenſis arcano, Henricum anathemate notatum, indignum Imperio, ſolutos ſacramento Electores, ſuæ ſpontis ſubditos declarauit. Magna pars fiduciæ in Pontifice, iuſtitia cauſæ, & innocentia erant: Sed non minus ex Mathildâ ſolatium. Quæ Sedis Apoſtolicæ beneficio, opes, ſubditos, & dominationem, pignus voluntatis obtulerat. Nec deerant per Italiam, Campaniam, Calabriam, Hetruriam, ac Galliam Principes, qui tutelæ (præcipuè ſi in Cæſarem vis pararetur) promptos ſe oſtentarent. Mouêre Imperatorem, non facinoris memoria, ſed metus diſſentionis; per Saxoniam continuæ dimicationes; nec pax ſcelere quæſita, ſecura referebatur. Aderant ab Anſelmo, & honeſti ſtudio concitis epiſtolæ, per diuerſa, communem Reipublicæ ſtatum, ſeditionem, Imperij diſcrimen memorantes. Accedebant Electorum accuratiſſimæ preces; & vice omnium, mixtæ lachrymis Mathildæ literę: Miſereretur ſuorum, Imperij, ſociorum: Saltem curâ ſui tangeretur. Irritam vim, in Deum, in Eccleſiam; Infelici vitâ, præmaturo interitu, & poſt exitum perennibus cruciatibus, piari ſimilia. Recoleret ſe chriſtianiſſimis parentibus genitum, affines omnes precum ſocios, Imperium in Germanos Pontificum beneficio translatum, cum alij per Europam ferendo oneri ſufficerent; nec Regium Diadema aliter quàm Papæ manu haberi poſſe. Exueret ferociam & nobili ſummiſſione, gloriam omnem (cui tantopere ſtuderet) honeſtaret. Nec enim indecorum, ſubditum præpoſito, patri filium ſubijci, à quo reijci nequeat, decertante iuſtitiæ pietate, & peruincente. His permotus Henricus, quamquàm indomitum animum in melius flexit: Et cum Pontifice per legatos actitato, ſpondet ſupplicem ſe affuturum. Vix elatum, potentiorem aliter, quàm orando flexeris: & Imperator precibus libens ceſſit, quas (ſors fuit) offerri geſtiebat. Gregorius, licet iuſtiſſimis cauſis, inexorabilem ſe pręſtare poſſet, nequaquam tamen ſeueritate vſus eſt; ſed aduentanti Cæſari,

Mathilda liberat.

Henricus reſipiſcit.

ſari, teſtimonio caritatis, obuius proceſſit. Ille vix Apenninum tetigerat, & magnis exercitibus ſeptum, tamquàm non ad pacem, ſed bellum Italiam ingredi, certi & aſſidui nuncij detulêre. Pontifex hærere primùm; nullam enim Vrbi ſecuritatem, tot legionibus nihil imperuium, nec in multitudine ac caſtris fidem, aut pietatem haberi nouerat. Mox recollecto ſpiritu, Mathilda per aduerſa optimè merita, ſui anxium, caſtro Canoſſæ, non ſine militum numero, ac firmo præſidio imponit; quòd Arx munimentis murorũ, & commeatu, quamuis longæ obſidioni ſufficeret. Aduenit Henricus, nullo hoſtilis animi, omnibus pœnitentiæ inditijs. Quippe hyemis medio, fuſâ per tempeſtates ingenti niuium copiâ, intectis capite ac pedibus, veniam in præteritum poſcens, pro foribus ac vallo Canoſſæ ſtetit. Verè & aduentantis, & modi causâ, oppidum æternitati ſacrandum. Gregorius quòd pœnituiſſe Cæſarem crederet, facilis indulgentiæ acceſſit. Et prçuiâ vtriuſq; reconciliatione, ille in Vrbem, hic in Germaniam redijt. Compoſitas res, & cruenti belli auulſa ſemina, Mathildę conſilio ac viribus, vniuerſi tradunt; manſitq; toti Italiæ venerabilis duratione ac famâ virtutum. Gonzagos, inter has turbas æmuli & Mathildæ familiares carpebant; quòd eo concuſſi Orbis motu, Villarum ſtudio illecti delituiſſent, non Imperatori, non Pontifici; ſed nec Mathildæ illigati. Ignauiam alij, plures ſuperbiam interpretabantur; quod cognitum ipſis rumore vulgi, nec tamen inſtituto deceſſêre; faſſi decertante inuidiâ ac iuſtitiâ, illinc Cæſare, hinc Pontifice, nihil medium fuiſſe: In hoc pietatem, illo merita, & apud vtrumq; debitum obſequium retinuiſſe; ne cum vni hæſiſſent, alter læderetur. Neq; ſe arbitros, aut diuerſorum Iudices; & honori conducere, ſi negligentiâ quàm iniuriâ accuſentur. Non primum Henricum fore, qui perſpectâ apud Romanum iuſtitiâ, & irarum cauſis abolitis, retineat in fautores partium, acerbam indignationem, ac in tempore proferat. Aequitatem nemini diſplicêre, ſed adiudicantes exoſos eſſe; etiam pro hoſtibus haberi, ſi quâ gratitudine teneantur. Deniq; apud potentiores, quidquid nôlint, pro iniuriâ eſſe; ius, faſq; libidine decerni. Hæc palam: Secreto rebus ſuis intendere, & quod temporis publicis curis impendendum erat, in domeſtica negotia reuocare. Anſelmus propriæ vtilitati (cui per ſanctimoniam ac pietatem tantùm inhiabat) incumbens, ſedato inter Cæſarem ac Pontificem tumultu, abdicare ſe Epiſcopatu, & Monaſtico inſtituto obſtringere ſatagebat. Sed optimus animarum cuſtos, conſilij certus, in dubijs medius, à ſummo Pontifice coactus eſt, acceptam ſemel dignitatem proſequi, nullo meriti diſpendio, maiori commendatione: Dum quod prohibitus non aſſequitur, voto tenet; & incumbit officijs caritatis. Simul Mathilda fidiſſimo viri conſilio vſa, domi ſibi ſubſidium, & plus in aperto proficere hominem, quàm ſacrâ æde clauſum perſtrepebat. Namq; per ea tempora Religionum ſectatores, non aulas Principum, non Vrbes frequentare, non ſe ſpectandos offerre, non clauſtris egredi; ſed ſupplicationibus, & ſtudio ſacrarum literarum intenti, eo ipſo efferri, quòd fallerent. Ergo Mathildæ iuuentutem, facilem turbari Italiam

Henricus ſupplex Pōtifici.

Gonzagi carpuntur.

Illi negligũt.

liam,iniquos Pontificibus Cæſares,ſuam ſenectam,accolarum auaritiam reputans; non aliud Mathildæ commodo, & exiſtimationi reperit, quàm ſi denuô nuberet: & famæ ſtudio intenta Princeps fœmina, non abhorrebat per honeſta, pudicitiæ, imperioq; conſulere. Itaq; Azio Eſtenſi iungitur, vt mariti potentia (nam Ferrarienſis pars non temnenda obtigerat) ac ſua, ſubditis præſidio, alienis, & inuidis terrori eſſet. Equidem Azij conſanguinei obnixè petierant,vt in Thedaldum delata matrimonio Ferraria,præſenti connubio in veteres dominos rediret. Paucos tamen menſes immorata,electum coniugem omittere, ob affinitatis vinculum, Gregorio Pontifice imperante iubetur; apud quem amicitiæ, honeſtate & æquo æſtimabantur. Ipſa Auiam Eſtenſem Iuliam habuerat,quæ quarto(vt referunt)gradu Azium ſpectabat,tertio Mathildam. Extat Pôtificis Epiſtola in hæc verba.

Mathildæ ſecũda nuptiæ.

Pontifex irritas ducit.

Gregorius Epiſcopus,ſeruus ſeruorum Dei, Mathildæ ſalutem,& Apoſtolicam benedictionem. Qualiter teſtibus & ſacramentis in præſentiâ noſtrâ probatum ſit,te habuiſſe virum conſanguineum Azonis,te etiam & Azonem Marchionem, in quartâ propinquitatis lineâ conſanguineos eſſe; qui eidem cauſæ interfuerunt, poterunt tibi referre. Vnde quia Azonem Marchionẽ, ſacramento conſtrinximus, nullam deinceps ſine licentiâ noſtrâ, maritalem tecum conuerſationem habere: Tibi etiam ex parte D. Petri præcipimus,vt à cõſortio, & cohabitatione ſuâ omnino te auferas: Et de perpetrata iniquitate, ita dignè pœniteas, quatenus gratiam Dei valeas recuperare: & tanti, tamquè turpiſſimi inceſtus infamiam declinare. Quòd ſi fortaſſe, præindicium te pati exiſtimas; & teſtimonia atq; ſacramenta, de conſanguinitate veſtra, improbare poſſe confidis, damus tibi audientiam, in proximâ Romanâ Synodo: Vbi Deo auxiliante, neque ad dexteram,neque ad ſiniſtram, in executione iuſtitiæ declinabimus, ſed quod iuſtum eſt, ſtatuemus. Datæ Romæ x v i i j. Calend. Ianuarij. Indict. x i i j.

Id autem incidit in annum 1 0 7 5. Quidam hoc plures addunt. Mirari hoc loco ſubit, præpotentium fidelium, erga Sedem Apoſtolicam obfirmatum obſequium; cui poſteritas in malos mores corrupta, non reſpondet. Non enim Azius & Mathilda, aut lædi ſe queſti ſunt, aut audiri petiêre: Sed illico in ſua digreſſi velut præteritorum immemores, dedecoris famam aboleri obedientiâ credidêre. Sed in ea tempora Pôtificis integritas,& vtriuſq; coniugis virtus inciderat, vt nec ille cupere,nec hi aliud velle, quàm quod cum honore eſſet,auderent. Nec de inanibus res erat: Nam Azio magnum per Italiam Imperium, & ſpes maiorum; Mathildæ coniunx è thoro, ac cõplexibus auellebatur. Cæterùm quæ quis per iuuentam vitia induerit, ætate mediâ vix exuerit, ſi praua conſilia, & honeſti ſpecie, vtilitatis opinio accedant. Eô minus mirum eſt,Henricum Cæſarem præcipitibus hæſiſſe; vbi per quietem inter ſuos, & exterorum diſcordias (quæ Pontificis reconciliatione habuerat) pecuniam, militem, & per beneficia, amicitias introſpexit. Itaq; ſuperbire ipſe, aut faſtu elatis, quamuis rerum ſuarum diſcrimine præbere aures inſtituit. Iactabat à ſe promiſſa Pontifici, quæ integrâ maieſtate,

1075.

Henricus Imperator ad vomitũ.

ſtate, & ſaluâ Regni reuerentiâ, ſeruari non poſſent. Nec ſimilium vota rata eſſe; vt quæ ius Pontificum, Imperij auctoritatem, multô anteierint. Prouentus Eccleſiaſticos, non niſi à ſupremo Principe accipi par eſſe: Vt ſubditis æſtimatione officij ac obſequij innoteſcat, ab eo tantùmmodo, cui ſummam fidem præſtiterint, præmia imminere; aut in reos pęnas. Si firmandis Romanis Epiſcopis, quantô magis conferendis Epiſcopatibus, apud Cæſarem ius eſſe? Non minus cupiditate & metu agitatus, vbi vires ſuas, & promptam conſilio manum videt, aduerſus Gregorium reuerentiam, & in Deum pietatem abijcit. Mox Eccleſiaſtica conferre, adimere, immutare, nullo meriti, aut perſonarum delectu. Ditiores per raptus, & prædas, cęteri per negotiationes promouebantur. Cuicunq; ne dum prudentiſſimo Seni, expreſſæ olim obedientiæ vanitas patuiſſet, & malo exerciti Imperatoris, in flagitia reuolutio. Ne tamen præterita pęnitentiâ abolita, in crimen retrahere videretur, placidè prius Cæſarem erroris admonet: Dedecere Principem, quæ non inuitus, ſacramento execratus ſit retractare: Deû vltorem crederet: Fruſtra viribus aut potentiæ fidere; quæ fluxa, præſenti Numinis irâ euaneſcunt. Concordiæ malorum, nullum pondus, nullam rationem conſtare. Eam eſſe conditionem flagitij, vt tedio ac faſtidio ſui obſoleſcat. Nec quemquam eô perfidiæ veniſſe, vt ſaltem ſpecie virtutum commendari nolit. Reſipiſceret proinde; eâdemq; in emendationem celeritate properaret, quâ ſcelus agitauerit; niſi res ſuas perditum iri vellet; hînc hominibus, illînc ſuperis, cauſæ iuſtitiam proſecuturis. In eandem ſententiam literas à Mathildâ accipit, quibus docebatur, parari per Germanias rebellionem, transferri iam voto Imperium; & Gallos, Italos, Hiſpanos, Germanos accingi, niſi obſequeretur. Ille quòd nullâ acie, niſi victor exceſſiſſet; quòd paranda alijs, ipſe multo ante habuiſſet; quod animum, qui beneficijs illecti fuerant, promiſſis, ac ſpe onerarent, falſum renidens vultu, vtraſq; accepit; Dimiſſis quidem qui detulerant, ſed perniciem comminatus, ſi eâdem audaciâ rediiſſent. Pontifex in Cæſare propoſiti inſtabilitatem, impatienter ferens; ſiue vt muneri ſatisfaceret; & ne Germani perfidiam in Domino inultam, approbarent, contumaciam ſequerentur, Henricum, conſultores, & Prælatos, iniuſſu Pontificis electos, graui anathemate ferijt: ſic plerisq; redituram mentem opinatus; nec fefellêre. Nam turbata illicô Germania, & in res nouas, nouis ſtudijs flexit. Subditi Principesq; ſacramento exoluti, in nouum Imperatorem inclinauêre. Ergo in Rudolphum Saxoniæ Ducem, conſenſu Electorum translatum Imperium; multum reclamante Henrico, Pontificem cauſam ſeditioni dare; & ſubditos Regno Principes, ſpecie pietatis, ad rebellionem vocare. Valuit tamen antiquus rigor; & ſancti ſenis exiſtimatio, conſilij rationem approbauit. Ciuitates per Longobardiam, olim Cæſaris arbitrio habitæ; vt fictam pœnitentiam, & per fraudem machinamenta compoſita accepêre; ſiue inſitâ pietate, ſiue Mathildæ impulſu, Pontifici ſe ſuaq; permiſêre. Et Gregorius quamquam nouiſſet, ſponte ſuâ Rodulphum, ſacramenti in Germaniâ vinculo

Et excommunicatur.

Rudolphus Saxoniæ Dux eligitur.

vinculo effracto ſummum Dominium habuiſſe, Regiumq́; inſigne poſcere:
Non tamen illicò annuit; vt ſpatium Henrico pœnitendi offerret, & vt à
ſeueritate ad clementiam regreſſus eſſet. Neq; aſperitatis opinio in vulgo
placebat; quòd Eccleſia, piæ matris nomine ac factis iuxta vteretur. Sed
cum magnis exercitibus Henricum, Germaniæ, cleroq́; præcipuè, qui Pon-
tificis literis paruerant, imminere acciperet; vt gliſcentis mali impetus re-
tineretur, Rudolpho Imperij coronam per legatos mittit: Vt quiſnam Im-
perij potiretur noteſceret, & famâ æmuli Henricus modeſtior ageret. Quod
in annum ferè Milleſimum ſeptuageſimum nonum incidit. Indurue- 1079.
rat exacti Cæſaris animus, ſiue aſperitate remedij (cui apud magnos
Principes rarus locus eſt) ſiue potentiæ ſuæ æſtimatione: quòd ſpectatæ for-
titudinis filium, pecuniam, commeatus, multò ante parauiſſet. Nec per ſe-
cretum amici deerant, auxilia ſuggerentes. Itaq́; retinendæ in Italiâ maie-
ſtati, Henricum filium mittit, animi ac corporis viribus inſignem; æmula-
tione paternæ gloriæ, plus opinione acrem: Sed cauſæ fortuna non affuit.
Licèt enim Mathilda, non Pontificis, non cæterorum curas omiſiſſet, ſua
tamen præſidio firmauit, Papam tutata eſt; & deſcripto milite, in Henricũ
filium, fœminæ auſpicijs pugnatum eſt, ſed ſine victoriâ. Et pater vbi vi- *Mathilda pro Pont. ſed ſuperatur.*
ctorem filium, Pontificis ſpes irritas, Mathildæ ſtrage cognouit, acriùs cœp-
to inſtitit, arma in rebelles, arma in Rudolphum mouens. Neq; ille ſecor-
diâ torpebat, ſed collectâ iuuentute, firmatis præſidio arcibus, Henrico ob-
uius proceſſit. Concurrêre totis exercitibus Imperatores, & pugnam nox *Imperatores cõcurrunt dubio Marte.*
diremit, neutris inclinantibus; quòd odijs ac peruicaciâ in æquo eſſent.
Sed paucos poſt dies, vbi ſparſas, attritasq́; vires recolligere, & ſi quod ali-
bi ſubſidium, adiungere licuit, eodem impetu, iiſdem animis in pugnam re-
diêre. Nec iam de Imperio milites, ſed veteres iras egerentes, de ſalu-
te dimicabant. Excepit tamen nox fatigatos, cæde, ſanguine, & nul-
lius præſumptâ victoriâ. Henricum ante ſeditionem adſcitum Imperio, plu-
res, ac validiores comitabantur. Ipſe decoro aſpectu, generoſitate inſignis,
ſanguinis ac vulnerum non metuens, Germanis placebat. Et licèt Ponti-
fex populorum calamitatem miſeratus, multa de pace interieciſſet; non ta-
men receptæ ab Henrico conditiones, quòd vel acie vincere, vel ſaltem ana-
themate feriri Rudolphum vellet. Quæ cum non ſuccederent, de bello agi-
tabat, non abnuente æmulo diſcrimen; Henrico animo & viribus meliori;
Rudolpho, numero, & cauſâ. Pugnatum acerrimè, nullâ vitæ, nullâ ſan-
guinis curâ: quòad contumaciâ dimicantium, Saxones qui Rudolpho ade-
rant, quorumq́; virtute diu pugna ſuſtentata fuerat, inclinauêre. Henri- *Mox Henricus ſuperat.*
cus vbi adeſſe conatibus fortunã videt, hactenus manu ſtrenuus, eôq́; con-
ſpicuus, inſiſterent cædibus iubet; captiuos non alio vſui reſeruari, quàm vt
denuò rebellent, & bellum internecione gentis patrari teſtatus: Victoribus
quidquid prædarum ceſſurum pollicetur; Sibi ſolam gloriam; decusq́; quæ-
rere tam exercitæ militiæ. Rediêre Henrici manipuli, ad veſperam cædi-
bus & prædâ ſatiati. Nec multò poſt affertur, dexteræ manus vulnere, quod
in

Caſo Rudolpho.

Armatusq; Italiam irrũpit.

in acie Rudolphus acceperat, tantùm ſpirituum, ac ſanguinis egeſſiſſe, vt paulô poſt, finem habuerit. Magno id applauſu apud victores acceptum eſt; & viri, theſaurus, arma, Henrico acceſsêre. Cæterùm ne ſolidis tantùm ſtudijs, ſed etiam inanibus noteſceret; conuentu triginta Epiſcoporum in Germaniâ acto, Gregorium Pontificatu moueri, & pro intruſo ac ignaro exercendi, haberi voluit. Subſtitutusq; pari veſaniâ Gilbertus, fax Italiæ, Rauennæ Epiſcopus, non vno flagitio notus: Quiq; fidem, pietatem, iuſtitiam, & quibus Pontifici ornatus comparatur, in potentiâ crederet. Hinc faſtus, ſuperbia, præſumptio cauſæ Henrico addita. Et quando priora ceſſerant, maioribus accingitur, quaſi virtutis, ac fortunæ ſecurus. Nomen irreptitio Pontifici, Clementis tertij impoſitum. Seditioſi, ac in meliorum excidium parati deliguntur (quorum nuſquàm inopia eſt;) Accurrêre qui iam fortunam fidemq; decoxerant, & quibus non niſi inter turbas, & raptus ſpes erat: Latronum globos, non milites diſciplinâ nexos cenſuiſſes. His ſeptus Imperator Italiam irrumpit. Et ne Pontificis aut Mathildæ promiſſis verterentur ſequacium animi; minusq; ſucceſſibus fiderent, teſtatus eſt: ipſos Ducem ac Regem ſuum ſequi, cui plures ante annos ſacramentum dixerint. Nec enim occultis inimicitijs, Papæ inuidiâ, Mathildæ auxilio, aut Italorum aſtu, certis Germanorum hoſtibus, ſupremo nomini ſe accerſitum: imo totius gentis conſenſu Cæſarem dictum; Nullâ vi, non ambitu, non pecuniâ, ſed nec vllius iniuriâ. Si Pontifex iniquum ſibi Imperatorem, Germaniam infidam putat, cur profana ſacris inuertit? cur non per arma vim illatam vlciſcitur? Scilicet deeſſe ſeditioſos, & fęminam quę ſordido miniſterio, presbiteris famulatur? Si quid præter votum ac voluntatem accidit, Diris & Cenſuris deuouêre, vt actorem pariter ac reum agat, auctoritate nocendi, quâ pollet. Sibi cum aduerſo, non causâ, non conſilio, tantùm armis Imperatoriam dignitatem tueri conceſſum. Prorſus inſitam Romanis Epiſcopis eam licentiam eſſe, per quam non purgare, ſed nec cognoſcere obiecta liceat. Paraturum ſibi Imperium non accedere: nam multô ante volentibus ipſis habuiſſe: Et donec eos pręſens intueatur, in eorum manibus potentiam, & ius Imperij tenere; ſed vt Cæſarę maieſtati per vindictam; laboribus ac inopiæ militum, per prędas ac ſeditioſorum ſpolia ſatis fiat. Si ſe victorem in Italiâ, vt ante in Germaniâ præſtitiſſent, manubias ipſorum fore, agros, Ciuitates; cædium ac ſæuitiæ modum ipſos daturos. Deniq; in vindictâ, gloriam & opes habiturum: Vt exteri nouerint, nihil Gregorio intentatum, quô Regnum, potentiam, vitam, decus Imperij mergeret; ipſum iniurias, & immodicas eius ſpes pepuliſſe. Conclamatum ab exercitu omni, apud quem non aliud ius quàm Ducis erat, ſpiritum potius quàm fidem ommiſſuros. Simulq; Italiæ inducti, imbuendis cæde ac prædâ manibus; quô magis futuro fiderent: inſerti quoq; manipulis veterani, qui diuitias Pontificis, opes Vrbis, Mathildæ pecuniam, velut in præmium oſtentarent. Celeritati ac violentię hoſtium, impares Marchioniſſę vires erant: Habuitq; ſatis, tueri ſua, ne primo impetu, obiectæ Ciuitates

vim

Digitized by Google

vìm omnem,cladem'q; exciperent. Properatum tamen à Germanis in Vrbem, vt belli ſedem excinderent; & quòd Cleri opes, auaritiâ congeſtæ,immenſum excreuiſſe dicerentur. Ipſe Gregorius, longâ iam tertij anni obſidione fractus (quamquàm Robertus Viſcardus,Appuliæ ac Calabriæ Dux, magnâ manu auxilio accederet,) Vrbem deſerere, & Salernum ſe recipere coactus eſt. Quidam &ſi regreſſum in Germaniam Henricum, metu Viſcardi dicant, prius tamen vidiſſe Pontificem ſolo æquatam Ciuitatem referunt: Hinc Henrico, illinc Viſcardo,rapinis, prædâ, & incendijs graſſantibus. Mathilda viribus tot exercituum inferior, ſuorum tutelæ intenta, pars cladis Italicæ non fuit. Nec Gonzagi Marmiroli tolerantes,aut Cæſarem ſecuti, aut ſedibus exuti leguntur: niſi fide perſpectâ vaſtantem hoſtem attinuêre, aut pactâ pecuniâ longius auertêre. Quamquam adiacens Ciuitati ager, militum vſui ab Imperatore ſepoſitus, excidio euerſus, & in ſolitudinis ſpeciem redactus ſit; non priuato odio; ſed quia Mathildæ erat. Intactum Marmirolum,& Lendinaria velut per pacem exculta,animo Marchioniſſæ non excidêre: cùm reliqua, dira vaſtitas, & belli turbo ſubuertiſſet. *Germani omnia vaſtant, præter bona Gõzagorum.* Et quia nihil ſceleris nimium in hoſtem flectitur; crediti ſi non pecuniâ, conſilio adminus Germanos iuuiſſe: Expoſcente Flauio Bonacolſo,cuius camporum honos omnis, igni ferroq; ceciderat. Apud infenſos iſta; neceſſitudine aut caritate nexi, licèt diligerent, inuidebant: Et vel inuitis, in curiâ; foro, cætibus, propriæ ærumnæ, aliena commoda excidebant. Accuſem an commendem in incerto habeo; prudentiam, aſtum'q; non diſcreuerim. Id in confeſſo; effuſis tot hoſtium legionibus in vicina, nec imminuiſſe Gonzagos, nec auxiſſe fortunam. Gregorius interim,ætatis, ac vexationum tædio ſuperatus Salerni occubuit, magnâ ſanctitatis opinione, & Eccleſiaſticæ libertatis deſiderio, Anno ſalutis Milleſimo octuageſimo 1085.
quinto. Cæſari ſatis viſum colligere ſuos, Vrbem vt hoſtilem excindere, ditari rapinâ Legiones, Gregorium ſede ſupremâ exigere: Vt victoriæ ac triumphi famâ Saxones tumultuantes ad obſequium verterentur. Sed inuicta gens, nullis Imperatoris proſperis animo fracta cõſtantiam odij retinuit, iteratiſq; congreſſibus quamquam victa, ſibi famam, Henrico honorem comparauit. Sunt qui victis ab Henrico Saxonis, in eadem tempora, eius in Italiam aduentum reijciant: Vbi plures annos immoratus, aduerſus partes, magno diſcrimine conflixit: Sed & Mathildam, Mantuanâ, & Ferrarienſi ditione, per vim exuiſſe. Quamuis refectis exercitibus, poſtremô fęliciter, ciuitatum reciperatione pugnauerit. Præcipua inter Imperatoris filium ac Mathildam caritas erat. Ille ab Imperatore patre, rebus Italiæ impoſitus in ſpeciem paternos animos, per occulta ac certiora, Papam & Italiæ fauorem induerat. Sed cuncta vulgo manifeſta, Cæſarem quoq; non fefellêre. Hinc habitus à patre ſuſpectæ fidei Corradus. Nec tamen in eum aſperiora molitus eſt, quàm per aperta erumperet. Erat Imperatori natu minor filius Henricus; patris ſtudio, ſiue naturâ, ſiue aſuetudine officij commendatior; quem ante Franconibus Ducem impoſuerat. Hunc

coactis Electorum quibuſdam Coloniæ Romanorum Regem dici; per ambitum ac amicitias procurauerat: Vt eum tumultuanti fratri, velut potiorem obſequij nomine oſtentaret, aut errantem æmulatione reduceret. Sunt qui Electores abnuiſſe conſiliũ, ſunt qui peruiciſſe Cęſarem tradant. Corradum nîl tale ſuſpectantem, præceps nuncius è Germaniâ aſſequitur proniora docet, & Parentis ſtudia, in Henricum fratrem. Ille Mathildam, proxima conſilia, quid facto opus ſciſcitatur. Irritatum quidem à ſe parentem, ſed cauſam odio, rationem, & in Deum reuerentiam fuiſſe, quæ multô ante pater exuerit. Genitori quidem naturâ, ſed in primis Numini obſequium deberi. Neq; tamen apertam vim hactenus oſtendiſſe; vt minus offenderet. Diſſimulatum tantummodo; cum obtemperaſſe ſceleſtum; abnuiſſe decorum erat. Mathilda bono Corradum animo eſſe iubet, Deo ac cauſæ fidere; ſe laborum ac diſcriminum ſociam offert, nec in tempore Vrbanum Pontificem, qui tum rerum potiebatur defuturum. Et reſpondit; miſſo enim Legato, pauentem futuro Corradum, paterno metu depulit; & quantum ſpei ſubſit edocuit. Sic nequaquam de bello dubitatum, ſi Cæſar Italiam, aut filij vindictam agitaſſet. Præueniendos ciuitatum animos, quæ Cæſarij iuris in Italiâ erant, ex vſu præſentium creditum. Nec illis pro Henrico votũ, ſed præſtito ſacramento, Corrado acceſsêre. Id iure fieri creditum: quando Cæſar tot Pontificum, tot Conciliorum decretis, exactus communione fidelium, in eâdem perfidiâ maneret. His ferè temporibus, Pontificis ac familiarium placita, ſecuta Mathilda tertijs ſe nuptijs illigauit Guelfoni Bauariæ Duci, Anno, vt creditur, Milleſimo nonageſimo. Extat ſub hunc annum Diploma, teſtimonio facti in hanc formam.

Mathilda tertiæ nuptiæ 1090.

Guelfo Dei gratiâ Dux & Marchio; & Mathilda Dei gratiâ ſi quid eſt, Cum Mantuani à nobis petierint, vt oneribus aliquot leuarentur; & vt beneficijs afficerentur, quibus à maioribus noſtris fuerant ſpoliati. Ob eam rem, nos Ciuitatis fide perſpectâ, omnia tributa eis remittimus, hoſpitia condonamus, vtramq; ripam Mincij, Olij, Tartari damus: Per ditionem noſtram tutos ire, Vectigalium & ripatici immunes eſſe iubemus. Mantuę v. Calend. Iulij. Indict. xij. Anno Milleſimo nonageſimo.

Et quidem cum Mantua, mox Cæſareę potentiæ acceſſiſſet, iiſdem immunitatibus ab Imperatore donata, ſingulari Diplomate legitur; cuius mentionem habet Sigonius, ſub annum Milleſimum nonageſimum primum. Id me fugit, etiam in Vrbe, eorum temporum acta curioſius inquirentem. Niſi Imperio ad breue tempus potitum credamus; cum diutius Mathilda legatur tenuiſſe. Habebat interim Regio titulo Corradus Italiam, & Nonum annum Imperij expleuerat; vel annuente Cæſare, & obſtrepente; vel filio, copijs, amicitijs, pecuniâ ſepto congredi non auſus. Satiſq; ratus ſi comminationibus, præcepta miſcendo, ſpeciem Imperij retinuiſſet: Nam ſi vim paraſſet, filiumq; audentem depræhendiſſet, manifeſtior iactura erat. Sed iuuenis languore animi (vbi parentem auerſum, prelatum fratrem, inimicos Germanos ſuos; & in Pontifice ac Italis plus ſermonum,

minus

minus virium videt) extinctus eſt. Magna hîc rerum, temporumq; confuſio occurrit; ſi Germanos auctores Italis componamus: & Mathildæ hiſtoriam, rationi temporum aptemus. Sed difficile eſt vltra quingenteſimum annum benè verſari, & noſtros Annales conſenſu manifeſto, externis contendere. Rerum certiſſima proſecuti ſumus, quibus a calculo annorum fidem non quærimus, ſed M. S. monumentis. Non inuiſum Corradum Mathildæ fuiſſe comperior; potuiſſetq; ſi ſuperfuiſſet, hæredem inſtitui, conſanguinitate, ac obſequio; non auerſante Pontifice,& prono in eum populorum fauore. Henricus, quem Romanorum Regno decoratum à patre habuimus, per bonas artes, & ſecretam Principum amicitiam; auctoritatem, viresq; comparabat. Cum enim parentis perditiſſima conſilia excepiſſet, meditari nouam in Italiam irruptionem, conquiri arma, deſcribi militem,in Sedis Apoſtolicæ excidium, & Eccleſiaſticæ libertatis iacturam; fidiſſimis ſe amicorum Principum obſtrinxit. Videtis, inquit, ſocij, vt nullo pietatis in Deum, nullo obſeruantiæ in ſummos Pontifices ſtudio, ſæuiſſimus pater Italiæ, atq; adeo Romanæ Vrbis ruinæ, denuò immineat. Nulla vſquam afflictis populis è bello quies, non expeditionum finis: trahuntur in perniciem amici, ſi deſit hoſtis. Et tamen, non niſi magnâ Numinis iniuriâ, fœdera violari, temni pacta, negligi ſacramenta poſſunt. Certè nobis pietas imputari non poſſit,ſi vires ſceleri accomodauerimus. Quîn obſiſtimus iniquis cęptis, & in deteriora præcipitem retinemus? Nobis facilè, Pontifici nunquam conciliabitur; quem odit è nomine;& cum plures habuerit,neminem tamen ex voto. Paſqualis ſecundus qui tum Epiſcopatum Eccleſiæ, ſummâ ſanctimoniâ ſeruabat; Mathildam frequentibus literis, tutelæ, & honeſtiſſimi tot annos tituli admonebat: Ne fluctuantem inter diſcrimina Romanam Sedem, medio neceſſitatis deſtitueret. Illa firmatum ante epiſtolâ ſenem, quidquid per Italiam virium Henrico Cæſaris filio pollicetur: Vt neſcium quietis,inimicum pacis Imperatorem coërceat. Germaniæ diſcordes agebant; tracto in partes Cæſaris Auſtriaco, ac Boëmo. Pro filio; Saxo, ac Bauarus cenſebantur. Accedebant inferioris ordinis Principes, magnum rei momentum, fidi an infenſi. Nec minor in Clero vis; Epiſcopi, Abbates, & ſi qui Eccleſiaſticis reditibus dites, & præſtare poſſe credebantur, & expectationi reſponderant; promiſerantq; periculum accomodaturos. Leuibus primùm, & tentandis animis potius, quàm irritandis viribus, contentionibus inter partes actum: quibus non gloria,non victoria integrè haberi poſſet. Sed aſſiduâ dimicatione vtriq; ſtimulati,vniuerſorum exercituum diſcrimen opperiebantur: Nî Auſtriacus cauſæ iniquitatem auerſatus; & nocturno ſilentio cum ſuis regreſſus, Boëmo dediſſet exemplum, & cæteros dedecore proditionis exoluiſſet. Imperator vbi fidiſſimis deſeri ſe; & nudari ſuorum latera vidit; electis equitum ſtipatus elabitur; totâ Germaniâ profugus, arma in filium, arma in coniuratos poſcens. Sed aſſiduis bellorum incurſibus delaſſati, quietem tam exercitæ militiæ orabant, neq; finem in iiſdem laboribus eſſe vellet. Henricus filius ſiue domi-

Henricus patri diſcors.

nandi cupidine (nam id quoq; traditur, quòd nulla in parentem contumacia, quamquam honeſtiſſimo titulo benè excuſetur, & quâ nemo opinione bonus, vbi ſpes inceſſit, abſtinuit) ſiue pietatis & cultus in Pontificem deſiderio, Concilium Moguntinum obſtrepere, inculcare, orare, cogere; Et peruicit. Nam vtriq; cætera diſcordes conuenêre. Quærendam enim ab Vrbe veniam; & dandum à Cæſare pœnitentiæ inditium quod ſperni nequeat, qui pro Henrico filio aderant, teſtabantur. Sed & moras literis, ac reſponſis nectere, implere conuentus ſeditioſis rumoribus, apertè Imperatorem carpere, commendare filij honeſtatem, vbi reconciliationis metus eſſet; deniq; in occulto hortari ſenem parentem, vt ſe metu grauiorum lapsâ ætate, communi vtilitati ſummoueret; cæderetq; filio ſummam rerum, quam paucos ob ſenium annos, nec in pace foret habituros. His alijsq; permotus, quando vna hæc ſalutis ſpes, extremis malis erat, filio ab arce, Coronam, Orbem, *Sibiq; Imperij inſignia tradi cogit.* Sceptrum, enſem, & ſi quæ alia Imperij inſignia tranſmiſit. Nec fictâ modeſtiâ recepit Henricus, ſed pro Comitijs protulit; Electorum arbitrio permittens, quod ſummâ vi quæſiuerat. Placuit in ſpeciem officij reuerentia; & cunctorum voto Imperator eſt acclamatus. Parentis tamen honori datum, vt Imperium ceſſione traditum, non inuito extortum diceretur. Vix concilio exceſſerant Principes; & iam Henricum parentem, dati Imperij pœnitentia cœperat. Nec enim vetus regnandi, & primâ ab infantiâ Dominationis auidus, quamquàm ſenior deſiderium depoſuerat: Et exemplo didicerat potentiæ pares, facto indoluiſſe. Sed Sylla Romanorum ciuium, *Mox ipſum facti pœnitet* Diocletianus Imperatorum obuerſabantur, vt ceſſioni faciles, ſic & pœnitentiæ. Recolebatur animo, procuratæ olim filio potentiæ labor; Germania ac Italia victorijs peragrata, preſſi Electores, in ordinem Saxones, & cæteræ ſeruientium animæ reductæ. Ipſe ſummâ magnitudine animi, obſequi neſcius, & contumeliæ inſolens, per dedecus ac deriſum oſtentari dedignabatur. Accedebat violatum à filio ſacramentum, & præſumpta apud rebelles cauſæ iuſtitia. Nec ignorabat ſpecioſo Religionis titulo, Principatum à filio & Parricidium quæſitum; ſimul honeſti ſpeciem objici, vt non vis, ſed fas eſſe videretur. Iactata hæc apud familiares primùm, mox apud cæteros quos obuios ſors obtulerat, & lamentis, querelis, paternâ indignatione repetita, multos conſilium, quoſdam arma præbere compulerunt. Vbi viſus eſt ſui miſericordiam mouiſſe, acrius ſingulorum animos adgreditur; ſuam munificentiam, ſui Imperij licentiam (quæ vulgo grata) reminiſcitur; & ſpem maiorum ſi reſtituatur offert. Quinimo Galliarum Regem, Lotharingiæ Ducem, & Ciuitatum liberas pleraſq; adiungit, iniuriam (vt ferebat) bello propulſaturus. Filius, periurium Patris, Eccleſiaſticas cenſuras, arma in amicos, Pontifices, conſanguineos mota, laceratam Italiam, Vrbem ſolo æquatam, Germaniam militari licentiâ hauſtam; & quando iſta non ſufficiant, voluntate conceſſa Imperij inſignia, tranſmiſſa, deceptos Electores, ſubditos, ſeipſum referebat. Nec armis opus, vbi cauſâ agi poſſit, futuris populorum Comitijs. Non tamen parentem, non amicos partium permouêre

permouêre, quô minus perfidia prætextui ſumpta, quæſitæ vltrô ſpoliandi parentis occaſiones crederētur. Creuerantq; vt numero, ita viribus, magno & diuturno bello ſuffecturi. Sed detritam Germaniam, exhauſtos belli ſumptibus annuos prouentus, ambiguos ſeruitutis incolas, ſors expediuit. Cæſari namq; valetudo atrox inceſſit, quæ perniciem paucis diebus intulit, vtinā non animo. Mathilda certis exploratoribus, qui apud ſenem curabāt, pari bellum; & ſi filius ceſſiſſet, vertendam in Italos fautores peſtem acceperat; & haud dubiè deſignari ſeſe, vt minus meritam, & opibus, auaritiæ victoris exercitus ſuffecturam. Itaq; non filio Henrico minus, quàm rebus ſuis ſollicita, pro limitibus Veronenſium, plura hominum millia in armis ſiſtit. Inſideri Appenninum legione Hetruſcâ iubet, & ad Canoſſam fortiſſimos quosq; ſtatuit. Mittit pariter, qui Iuuenem Imperatorem, & virium & amicitiæ moneret; nec pauescere turgidos hoſtium animos, ſed fortitudine ſolitâ contra ire. Se opes, ac ſubditos omnes impendere communi neceſſitati paratam. Ille licet propria vi, & Germanorum armis proficeret, quantum ſibi tamen Mantuanæ Principis fauore, acceſſionis eſſet gnarus, cùm patriam in ambiguo haberet, Italiam inter ſecura recolebat. Paulô poſt affertur Henricum ſenem fato functum, & abolita ſemina diſcordiarum; licuitq; exercitæ per diſſita ſexui miniſteria Principi mulieri, reſpirare. Quibus à morte ludibrijs magnus virtutibus Imperator, vrgente, aut permittente filio iactatus ſit, horrore animum ſauciant, & ſucceſſoris gloriam, turpi notâ deſignant. Sacroſancta parentis reuerentiâ eſt, quâ etiam infenſum, contumelijs aut iniurijs laceſſere flagitium habetur: Sed ferenda ira, & ſi non aliter, fugâ vitanda eſt. Gerardus GONZAGA, non vt magnum Imperio momentum adderet, ſed teſtandæ fidei, pro veteri Henrico erat; quantum pro fortunâ licuerat, comitatus. Sed eô minus apud prudentiores commendatus, quòd cum hactenus abſtractus à turbis, ac feſeliſſet, & ſua ſecreto tutatus, tum irritare potentiorem, manifeſto excidij metu voluiſſet. Habui præ manibus fragmentum antiquæ ſcripturæ, Milleſimum centeſimum ſextum atteſtantis; quâ die 9. Aprilis Gerardo commeatus liberi tranſitus per Alpes decernitur, cum militum centuriâ ab Henrico quarto Cæſare. Nec tamen vnde locorum eruta ſit deprehendi. Sed hæc, licet minima, cæteris exiſtimationem addunt, manifeſtâ nobilitatis, & in Cæſares obſequij coniecturâ. Quippe eiuſdem anni Auguſto, mors ſenis Imperatoris contigit, vt Germani annales atteſtantur. Nec ſiluit in tempore Mathilda, illatam (vt ferebat) iniuriam; ſed cum Gerardum ac Corradum fratres, hæreditate ſibi debitâ depuliſſet, cauſam addidit, auerſum ſibi ac Pontificibus animum, iuratamq; Cæſaribus, quamquā inteſtabilibus fidem. Paucis à patris exitu menſibus, Henricus Italiam animo concepit, quam Imperio adiungere, ſeditionibus preſſam componere, ſui muneris nouerat. Mathildam quoq; ſuſpectabatur, memoriâ Corradi fratris, & metu alieni à Germanis animi. Triginta millium delectu habito, binio inceſſit: Vt hûc, illûc ferens arma, ſublatos inani ſpe cohiberet. Nouaria vanitatem teſtata, ſine viribus inſoleſcens; capta, direpta, & cremata eſt;

Cæſarq; bellū parat et moritur.

Gerardus Gōzaga pro ſene Imperatore fuerat.

Nouus Imperator in Italiam.

reliquaſq́; bellum meditates exemplo docuit, quid cum potentiori facto opus eſſet. Nec enim vllæ per totam Longobardiam vires erant, quæ accinctum bello, elatumq́; fortunæ ſuæ mole Imperatorem retinere poſſent. Sed Mathilda, Germanæ fidei, minus id temporis fidere docta, cum forti milite, ſeque ac ſua ambiuiſſet, diu hærêre Henricum, futuri ambiguum perpulit. Nec enim magni amnes, gelu, ac niuibus horrens iter, ſine ſanguine ſuperari poterat. Intima quoq́; obſeruantes exploratores, arcta quæquè munimentis, ac diuiſo milite inſideri; non commeatus (quos Mathilda Vrbibus inuexerat) ſuffecturos, & fluxam populorum fidem referebant: Nec minus Nouariæ excidium diſplicuiſſe, tamquàm propoſito documento ſæuitię. Cauſa ſuſpicionis Mathildæ, ex comitatu Cæſaris erat, quem paci aduentantem, tot armatorum millia ſuſpectum reddiderant. Ergo ſecuritati ſuæ Henricus, exercituumq́; commodo expedire credens, tranſitum per legatos, & amicitiã requiſiuit; datâ tamen fide reuerentiæ in Pontificem, & in Italos omnes (ſi armis abſtinuiſſent) caritatis. Non enim ceſſura Mathilda erat niſi cautum Eccleſiæ foret.

Liberum iter petit à Mathildà.

Illa quòd Vrbi ſatis prouiſum crederet; Cæſari maximarum rerum ſpem ingerit; ſi modeſtiam & pietatem, erga ſe, Pontificem, Italiæ Vrbes habuiſſet. Sed veteres inter Germanos & Italos diſcordiæ, alienauerant pridem animos; & difficilè videbatur victoriæ temperare, vbi rapinis, cædibus, vindictæ, inter infenſos occaſio inceſſiſſet. Mittit interim Imperator, qui Apennini ardua, quô mitius adirentur, ferro complanarent; Mox ſecutus toto cum exercitu, Florentiam venit; vbi labore itineris, & ſarcinarum pondere feſſum militem, plures dies in quiete habuit. Demùm in Vrbem properatũ, non minori prædarũ, quàm Diadematis amore; cuius ſe deſiderio teneri, velato ad tempus odio iactauerat.

Sæuit in Vrbe.

Quæ capto Paſquali euenêre cædes, incendia, in Cardinales ac Clerum contumeliæ, pro templis & domorum porticibus dimicationes, ſtupra, ſacrilegia, fieri potius quàm recoli decet. Et Mathilda opinione eluſa, feram licet, acrem tamen operam Pontificis immunitati impêdit. Et hæc quidem inter potentiores Italiæ, & Germaniæ Principes agebantur. Quibus tenuiores fortunæ, non in prædam, non in excidium deſtinabantur. Non enim quod ex ipſis deſideraretur erat; & inopiâ tuti, nec alienis inhiabant, nec alios inuidiâ euocabant. Hoc ordine Gerardus ac Corradus fratres, Gonzagi erant, quos anguſtæ domi res, innominatos centeſimum fermè annũ tenuerant, niſi Gerardus ſuper fortunam auſus partem ſe ciuilium bellorum feciſſet. Maioribus enim ſuis agros ad Gonzagam, & Lendinariã Adhelbertus Marchio conſanguineis in partem conceſſerat, vt ſupra meminimus. Hi per proſpera, per aduerſa volutati, nec data amiſerant; nec auxerant fortunam; inter potentiores medij; tantùm à ſpe incrementi, quantùm à ſeruitute differentes.

Gerardus & Corradus Gonzagi.

Sed inueterata mortalibus conſuetudo eſt, non pace, non bello, eorum memoriã præferre, qui magnis licet natalibus illuſtres, potentiâ non valeant. Quô minus mirum nobiliſſimos adoleſcentes, nullo nomine fuiſſe: annitente Mathilda ſpes eorum infringere; ne penſitato ſibi teſtamento opponerentur. Quod iuuenibus cognitum;

ſed

ſed pars obſequij, & cum ſpe vtilitatis erat,ſi neſcire fingerent; & claritatem natalium in occulto haberent. Itaq; Mathildam vbi ſenio confectam, immenſas opes, quiete, aut cenſibus Prouinciarum auctas, Pontifici ornando deſtinari vident; ne rebus ſuis deeſſe,aut finem optimæ Principi deſiderare viderentur, Bondenum conuenêre; vbi curis & tumultibus vacua Mathilda, frequens erat. Hîc Gerardus tempus ſermoni orans, ab immiti fœminâ excipitur: Siue conſcientiâ erubeſceret, ſiue vim metueret. Nam promptos iuuenes ad iuſſa Gonzagi habebant; neq; odio Romanorum Epiſcoporum, Ciuitates ad Padum ſatis Dominæ fauebant. Nec Gerardus conſtantiâ excidit,ſed ſic orſus eſt. Centeſimus fermè annus eſt Mathilda, ex quo maiorũ arbitrio, ne domeſticis ſimultatibus, vniuerſa familia exerceretur, Mantuâ velut exacti,agros ad Gonzagâ,ac Lêdinariam in partem accepimus. Medio temporis quantum per fortunas ac vires licuit,Marchionibus conſanguineis, Auus, Paterq; noſter, ſeruitio & honori fuere. Iuſſi in Germaniam Imperij neceſſitatibus profecti, fuſis opibus & ſanguine, genus & pronum voluntati animum prætulimus. Sed rarô celebris virtus eſt, quam fortuna comitetur. Pro laribus ac focis vitam impendimus. Nunc auctis numero ac liberis, merſo per bonas artes cenſu, vna ſpes in tuâ conſanguinitate, ac munificentiâ ſuperat. Claris maioribus genitos, tui ſanguini illigatos, tuis fortunis innutritos,ab inopiâ defende: Quando longè lateq; protractis Imperij finibus, largitione minimâ, pietatem, & in Romanum Epiſcopum liberalitatem non conuellis. Neq; te in paupertatem munificentiâ detrudimus;ſed traditis quorum fulgore perſtringeris, & nobis cõſanguineorum ſeruorumq; fidiſſimis, aliquid ſplendoris addes,& te onere leuabis. Erubeſcimus nobiles & inopes ex tuis eſſe; & ſi quando occaſio obueniat, pro deſiderio non poſſe reſpondere. Pontifex affinitatis gnarus,& Principes Chriſtiani orbis, nec excuſandam ducent, tuam in nos pietatem; & commendabunt caritatẽ. Mathilda firmato proximè ad contumaciam animo; quòd Gonzagos omnes, Imperatoribus indiuiduos,numquam ſibi pro Pontifice affuiſſe diceret, reſpondit: Agnoſcere ſe quidem paternæ ſtirpis reliquias, ſanguine, moribus, inſtitutis, ſed tamen ſtudijs aduerſos; quando contra Henricos bellantem nullo obſequio coluiſſent. Oportuiſſe longius petitos acciri Damianos, & Anſelmos; connubijſq; frequentioribus, quàm pudicitiæ ac honeſtati conducere crederetur, dare operam; ne protector præſentium, aut futurorum hæres in incerto foret. Et tamen laborum ſuorum ac expenſæ, præcipuam in eos partem abijſſe: Si recens defuncto Henrico miniſterium, quo viuentẽ aſperauerant,recoluiſſent. Quippe vltioni paratum,& armatas legiones trahentem in vindictam, repreſſum à ſe, vt honeſtis conditionibus,& ſpecie pacis innocuum iter requireret. Quod publico honorificum, ſibi quoq; vtile; cum aliter meruiſſent,eueniſſe. Frequentibus expenſis, pace ac bello,vtquè non exterorum ſolùm, ſed ſui quoq; ſanguinis ſecura ageret, ſibi nullam aut modicam pecuniam eſſe. Non enim eò immanitatis proceſſuram fuiſſe, vt per affinitatem iunctis, paulô ante Rocham Teniberti, accepto prætio concederet.

Precibus Mathildam adeunt.

Sed fruſtra.

Digitized by Google

cederet. Sed neceſſitate inductam; vt diſcrimini bellorum, & Cæſarum auaritiæ prouideret. Vrbes, oppida, & ſi quæ poſt ſuprema remanſerint, pridē ex parentum voluntate deſtinaſſe; quorū placita vice legis obſeruet. Oportuiſſe vtrumq; ex Cæſare nauatæ totiēs pro Imperio operæ mercedem poſcere; non ab ijs quorum cōmodis iniqui, longâ contumaciâ fuerint. Abſceſsēre iuuenes, nec impoſterum aulicis immixti, Mathildæ voluntatem præſentiâ vrsēre: Seu pudore repulſæ, ſeu metu contumeliæ; ne deſiderare vlterius viderentur. Nec tamen ſordidâ paupertate conflictabantur; vt qui agros ad Gonzagā, Lendinariam, Rocham Teniberti; & agros omnes ad Marmirolum poſſiderent. Sed lacerabat animum reputatio, maiorum ſuorum tot oppida, tot Vrbes, ſorte ſeu virtute partas, in externos, nunquam redituras abire. Tamquam non virtus, non ſanguis eſſet, quæ deficiente Mathildâ ſubſtituerentur. Hinc queſtus, & interdum minæ; & ſi ſubſidium conatibus offerretur, certa ſpes futurorum. Rocham Teniberti, Salutis Anno Milleſimo centeſimo ſeptimo, vt ex ſequenti authentico videre eſt, datâ Mathildæ pecuniâ acceperant; in hanc quæ ſequitur formam.

Vtriq; fratres emerant Rocham Teniberti ab eadem Mathilda.

In nomine Dei, & Saluatoris noſtri IESV Chriſti, Anno ab incarnatione eiuſdem, Milleſimo centeſimo ſeptimo. Duodecimo Cal. Ianuarij; indictione decimâ quintâ. Conſtat me Mathildam Comitiſſam, filiam quondam Bonifacij Marchionis, quæ profeſſa ſum, lege viuere Salicâ, accipere, ſicut & in præſentiâ teſtium manifeſta ſum, quòd accepi à vobis Raignerio, filio quondam Raignerij, & Gerardo, & Corradino Germanis filijs quondam Belanchorij, Argenti denariorum bonorum, libras viginti, de monetâ Lucenſi: Finito pretio, ſicut inter nos conuenimus: Ideſt pro quartâ portione, de Rochâ Teniberti, iuris mei, omnia quæ habere & detinere viſa ſum in eâdem Rocha, & eius circumiacentijs, ad eandem Rocham pertinentibus intus, & extra: ſicut mihi obuenit ex parte Lotharij, & Vnifredi, & Magnifredi germanis, filij quondam Magnifredi, de loco Machignano, per cartam venditionis nominaturæ, tam caſis & ædificijs, quam pratis & vineis, & boſchalijs, rupis, rupinis, & paludibus & montibus, & planis, tam molendinis, & piſcationibus & vſibus aquarum, aquarumq; ductibus, & omni iure, &c.

Signa  manuum.

Iaſo de Bibianello, & Reinerius eius, pro Priore, & Rochecherius de Gonzaga, & Vincentius de Bondeno, rogati ſunt teſtes.

Veteris ſcripturæ huius lectione, fateor ingenuè me in coniecturam venire non potuiſſe, eos de quibus loquitur Gerardum, & Corradinū fratres, Gonzagos fuiſſe: Sed ſors obtulit quod in obſcuro erat. Nam portio illa Rochæ Teniberti, quæ in agro Regienſi nunc Tininberga dicitur, magna lite agitata eſt pro Gonzagis: Decretumq; eos Gonzagos fuiſſe; vt proceſſus

non

non Regij ſolùm, ſed & in Mantuano Archiuo aſſeruati clarè docent, Quinto poſt Mathildæ obitum anno; nempe Milleſimo centeſimo viceſimo. Tenuêre poſtmodum Gonzagi vt ſequens tranſumptum habet apud Regium. 1120.

In nomine Domini IESV Chriſti, Anno Milleſimo centeſimo octuageſimo octauo, Regnante glorioſo Federico de Sueuiâ, anno eius Imperij vigeſimo ſexto. Sit clarum, quòd nobilis miles Luiſinus de Roſſis ſoluit in auro optimo ponderato ad ſtateram curiæ lib. quindecim, pro pretio quartæ partis, & portionis iurium & ſignoratici Rochæ Tenimbergæ; quam illi cedunt & vendunt, Paulus, & Ioſephus patrueles de Biatiano, de Rangonibus. Concedentes ſupra dicto militi Luiſino, omnia iura, paſcua, boſchos, molendinos, & ripaticos; quos & quas ipſi Rangoni, habuerunt & tenuerunt, in ſocietate Abramini, & Philippi de Gonzaga, longo ante tempore. Inſuper dicti venditores petiuerunt licentiam à dictis Abramino & Philippo, vendendi & concedendi dictam partem & portionem, ipſis Rangonis; & habuerunt illam cum ſubſcriptione teſtium. Equidem ego Criſtophorus Nigrius in præſentia teſtium rogatorum, feci hanc cartam manu mea, & ſignaui.

Signum mei Not. Criſtophori C. N.

Mantuani ingenito omnibus Principis familiæ deſiderio, vbi Gerardum ac Corradum videri ſolitos, prorſus Vrbe abſtinere; nec feſtis quidem diebus prodire vident; vanis primùm rumoribus, exactos Marchioniſſæ conſangnineos, ab hæreditatis ſpe pulſos veteres dominos, quos in delitijs plures annos habuerint, vt poſt Mathildæ iam iam defecturæ obitum, impotentium alicui ſubijciantur: qui ciues vt alienos, & externâ caritate infectos, conuellant, queſti ſunt: Mox palàm obſtrepere; nec miniſtrorum Dominæ auribus abſtinere, tamquam Imperantis ignari. Enimuerò ętatem Dominæ tranſiſſe, non labori, non curis ſufficere. Indigere Patriam contra exteros Duce, qui non ſenio fractus, non conſueti neſcius, non externis moribus corruptus, per firmatam multos annos caritatem, ſuis conſulat. Ità non minus Gerardi ac Corradi causâ, quam Comitiſſæ deſtinatis irritati, in commune deliberarunt; quando ſuis imperiū nolit permittere, nec quidem alienis parêre. Conſilium excepit falſus de Mathildæ obitu rumor, quem illa ſolitudine, aſſiduo decubitu, & cuncta curarum auerſata, aut in miniſtros reijciens, fouebat. Et iam pro ceruicibus habere inſuetos dominos videbantur. Ergo vt cuicumq; ſpei anteirent, (forte fœminæ ſatietate) ſumpsêre arma, iuuentutē delegêre, & veterem Comitiſſę Riuaroli poſſeſſionem, longius à Mœnibus bellum habituri, inuasêre. Mathilda vbi Mantuanos rebus nouis ſtudere accepit, quamuis effæto corpore, reſumpſit animos, eò magis irritata, quòd quos illa patronos delegiſſet reijci, ſperni ſenectam ſuam, foueri quos illa exuiſſet, intellexit. Itaq; magnam militum manum, quos illa dubijs & ſeditionibus exercita, promptos voluntati habebat, tumultuantibus obijcit. Et primo quidem impetu Riuarolum receptum eſt; & Mantuani non ſine vi, modeſtiæ & obſequij admoniti. Fuêre qui Corradum ac Gerardum Gonzagæ tumagentes, capeſcere occaſionem hortarentur; nec ſibi ipſis deeſſe, vbi veterem familiæ

Mantuani Mathildæ rebellant.

Sed opprimũtur.

familiæ potentiam periclitari, adeſſe conſcios, & eadem deſiderantes, auxilioq; paratos, anum inter focum ac lectulum torpeſcentē vident. Gerardus congruere quidem fortunæ ſuæ, gratum maioribus, poſteris cum commendatione futurum, ſi imperium ſucceſſione hæreditariâ, ſi continuatione familiæ haberetur, reſpondit; Sed nec Religionem atterere, nec vim meditari, nec pietatem in veterem dominam proijcere velle. Satis ſuperq; contigiſſe, quô transfuſam à maioribus nobilitatem tueri, nec ſordidâ inopiâ contaminare liceret. Quidam conſilio apertè pietatis ſpeciem, intus prudentiam ineſſe opinabâtur. Nec enim extinctâ Principe alios, quàm Cæſarem & Pontificem Dominationem affectaturos, quibus impares eſſent, nouerant. Et ſi vtriq; ſiluiſſent, auſuros Ciues iactare libertatem, paucos ante menſes tam irritè, quàm inconſultò tentatam. Diligi æquitatem Gonzagorum: Quod ſi fortunam Principem capeſſiſſent, odium ac inuidiam reddi. Haud dubiè res in arduo erat, Poltronis, Arlottis, Caſſaris, Auogadris, Bonacolſis, obſeruatoribus; forſan & æmulis. Iam Mathildam vires, iam vita deſerebat; nec tamen impetus animi, quo etiam futuro proſpiciebat, elanguerat. Sed vbi lentâ plurium menſium ægritudine conflictata, ſupremis appropinquare ſe vidit, accerſitos potiſſimos ſuorum, quos penès rerum cura erat, ſic fertur allocuta. Septuageſimum annum ingreſſa ô amici, finem rerum ac viciſſitudinum accipio; fortitudine in aduerſis, pietate in egenos, fide in Romanum Pontificem, caritate in ſubditos, maioribus meis non indigna. Nec id iactantiâ refero; quòd rectè factis dictiſq; meis, alios teſtes, alia quàm per fluxam gloriam præmia requiram; ſed vt vitæ veſtræ, futurorum exemplo reſeruer. Principum mutatio frequens, quamuis Regno non conducat; ſæpius tamen vulgo accepta eſt; quòd ſeueritas, diſciplina, odia, amores in poſteros non abeant. Pontificibus ſeruietis, quos nulla cauſa reiecerit. Nec enim aut meâ aut veſtrâ prudentiâ, ſed Diuino afflatu electos accipietis, & ad longè maiora deſtinatos. Bono melior aut par ſuccedet: Malus rarô eueniet; quòd auaritia, laſciuia, odia, ſæuitia, religioſo rarius incidant. Sed nec in Principibus qui continuatione dicuntur, vna eademq; probitas perſeuerat. Cupidines alius, alius inanes ſpes, multi libidines ſectantur, quæ cum Domino ſeruos in abrupta trahunt. Et quando non niſi è malis habendus delectus foret; ſi minor iniquitas aſſumeretur, benè eligeremus. Gerardi ac Corradi fidem, quos obijci cogitationibus meis ſcio, nec accipimus nec abnuimus: Vtroſq; Imperio, nec immeritò remittimus, qui pro Corradis & Henricis Cæſaribus, non opibus, non ſanguini pepercêre. Sunt illis agri & oppida, ſubleuandæ inopiæ ſuffectura. Nec enim vires nouandis rebus, & turbis ſuſcitandis addi, cum ratione fuerit; Neq; ſeditioſos Cæſares per Italiam fas eſt habere; vt nec ſeruitia & militem, publicæ quieti aduerſa. Multa à Pontificibus habuimus, quæ reddimus duplicata. E familiâ nemo, fidem, ſeruitutem, aſſiduitatem, immuneratam obijciet. Debito ac conſcientiæ benè conuenio: Neq; extremæ voluntati meæ, obicem poni volo, non enim occurrit, quod apud Principes ac ſubditos excuſē. Ab adſtantibus reſpóſum

eſt

eſt breui & incerto murmure. Et mox extinguitur, Iulij 24. Salutis anno Milleſimo centeſimo decimoquinto: Aetatis ſeptuageſimo; quidam vnum aut alterum addunt vel adimunt. Defunctæ cadauer, ad Diui Benedicti templum, quod in agro Mantuano, inter Padum ac Lironem viſitur, delatum eſt: Sic illa dum in viuis eſſet præceperat. Ibiq; indubitatò tumulata, ſpecioſo cum titulo.

Mathilda moritur. *1115.*

Apud D. Benedicti tumulatur.

Stirpe, opibus, formâ, geſtis & nomine quondam
Inclita Mathildis hic iacet, Aſtra tenens.

Dum facti recentis memoria vigeret, bonorum nemini tumulo fides abrogata; donec ſæculorum decurſu, veritate antiquatâ, Piſani ac Lucenſes dubitauêre. Non vt claritati refragarentur, ſed magni nominis Comitiſſę, caritate; & tamquam Matris ac filiæ, venuſtâ coniecturâ, eandem ſedem probarent. Sors ambages expediuit, ſalutis Milleſimo ſexcenteſimo decimo tertio; cùm Magni Hetruriæ Ducis exercitus, Monferratenſe ſubſidium pro ſuo Domino agitans, eô loci, in Mantuano agro conſediſſet. Quatuordecim hominum millia, Franciſci Principis Hetruſci ductu, inerant; Mixtiq; totius Italiæ proceres, quos ſuorum Principum amor, & belli ſtudium in Sabaudium turbantem compoſita rapuerant. Nouerat Ferdinandvs Mantuæ ac Montisferrati Dux, tũ Cardinalis; falſam apud Piſanos traditionem, & ſpes inanes. Et ne amicus populus diutius luderetur, ſubditi extra litem eſſent; Scipionem Paſqualium, Prothonotarium Apoſtolicum, nunc in meritorum partem, electum Caſalenſem Epiſcopum, eô delegauit; iuſſum collatis quæcunq; fidem vero poſſent adſtruere, publicas additis teſtibus tabulas formare. Tempus, ætas, effigies, inſignia, M. tradita monumenta in cenſuram iuêre. Nec fuit quod obijceretur: Tractatum corpus, deniq; celebri recognitione, futuro ſæculorum decurſui prouiſum. Additi certiſſimæ fidei teſtes, Princeps ipſe Franciſcus Medices, exercituum Tuſcorum Imperator Blaſius Capizucca, Marchio Franciſcus Maleſpina, Comes Marcus Antonius Maluezus; & prȩter nonnullos nobilis illius Cȩnobij alumnos, vulgus promiſcuum. Ipſe cum his curis totus intenderem, & contrectaui, quod ambigebatur, & teſtis iuratus interfui. Dvx ipſe, ſpecioſo titulo pietatem teſtatus; vt totâ æternitate rei fides eſſet, laminâ plumbeâ ſeriem ſic complexus eſt.

Magna illa Comitiſſa Mathildis; Quæ integrâ etiamnum domo ſuâ, Gonzagorvm Mantuæ Marchionum, quingenteſimum ante annum ſeriem, inofficioſè teſtata, auctaq; Romanæ Sedis potentiâ cluſit; diu ambigua, procerũ Italiæ teſtimonijs recognita; Scipione Paſqualio Prothonotario Apoſtolico ea in tabulas referente; Sereniſſimi Ferdinandi S. R. E. Diaconi Card. Mantuæ VI. & Montisferrati IV. Ducis ſtudio; & pietate vſurpatâ, quæ Romanos Pontif. hæredes ſpectabat, ſic componitur. Chriſtianæ ſalutis 1613. Iunij 18.

Obierat illa 1115. Iulij 24. Aetatis 70.

Imperator Henricus, Poloniæ ac Saxoniæ ſeditionibus illigatus, Mathildę finem

finem Francofurti accepit. Gaudebat ſublatam è medio, fortiſſimę mulieris potentiam, Pontificum tamen res adauctas; & acceſſione Prouinciarum inualuiſſe ægrè ferebat; quibuscum aſſiduè depugnabat. Romanæ Vrbis Epiſcopus & Primates, Cardinales ac vniuerſus clerus, & ſi cum vtilitate Sedis Apoſtolicæ, grauiter tamen Comitiſſæ exitum tulêre: Vt ferè caritate ac virtute præcipuos, cunctis vtilitatibus antehabemus. Manſitq; fœminæ nomen, etiam hoſtibus celebre, decurſu ætatum. Corpus illi decorum fuerat; Intuitus maieſtatis ac venuſtatis mixtus. Aderat quippe grauitas morum, nec deerat comitas, eodem aſpectu pulchritudinem & imperium præferre. Prætioſæ veſtis, ſolutæ matrimonio nulla cura, quamuis nobili, & dignitati propriâ vteretur. Fœminarum erga liberales artes induſtriam, primâ adoleſcentiâ ſuperauit. Nec deerat facundia, ſeu præmeditato, ſeu ſubito agere incidiſſet. Perſpectum illi Gallicum, Germanicum, Græcum, Latinum, Italicum, Hiſpanicum idioma erat. Sed politioris literaturæ cura præcipua. Miſſis legatis non aliter, quàm ductu ſuo reſpondit. Nulla adeo grauis deliberatio ingruit, vt alieni conſilij eguerit: Quamquam doctrinâ & experientiâ celebres in familiâ habuerit, firmando animo, & approbandis conſultis. Nihil illi tot annos, quibus dominata eſt, obuenit, quod non comitate, liberalitate, prudentiâ, ſummo candore animi proſequeretur. Pro ſuis, pro exteris, quos auxilij egenos nouerat, aut ob iuſtitiam diuexari, nec ſumptibus, nec operæ pepercit. Et ſicut immenſi reditus, tot Ciuitatum, ac Prouinciarum non deerant, ſic nec illa Pontificibus, quos temporum licentia agitabat. Inter coniugia, mariti voluntati optimè compoſita, in cœlibatu iuxta probatâ firmitudine. Familiam omnem, quæ numeroſa erat, ita legibus compoſuerat, vt Monaſticum à Curiali inſtituto vix diſcerneretur. Liberos è triplici matrimonio nullos ſuſtulit; nec eorum deſiderio inhiauit; ſeu fortuna, ſeu Numen prouidiſſent. Per ſummam potentiam, nunquam ſuperbiâ; per aduerſam fortunam nunquam conſtantiâ excidit; infracta per turbas, immota per res ſecundas. Diuitię quæ abundè ſuppetebant, inter ſocios, ſubditos, amicos, & Sedis Apoſtolicę ærumnas effuſæ. Iam tot cœnobia, Caſtra, Villæ, Pontes, totâ Italiâ extructa, fortunam, & animi magnitudinem clarè docent. Vt nulla multis ante, aut ſecutis temporibus Princeps fœmina occurrerit, quæ Mathildæ virtutes æmulata, par famâ fuerit. Summam in Deum pietatem, ſatis teſtata eſt; Diplomatis enim quæ illi plurima, donationibus, priuilegijs, immunitatibus vulgata ſunt, non aliud, quàm ſalutiferæ Crucis imaginem, ſequenti formâ, humilitatis inditio, impreſſit.

M A	T H I L-
D A	D E I
G R A	T I A
SIQVID	E S T.

Magnæ

Digitized by Google

Magnæ mulieris vitam vulgaturo mihi, ſcio obtrectabunt innumeri; Præſumpta vulgi opinione, & tamquam admiſsâ, quæ illam ab Eſtenſibus, Maleſpinis, aut Canoſſis deducit. Nemo enim, cum Thedaldum Mathildæ Auum, Azij Eſtenſis filium proferat, & hinc longam maiorum ſeriem, vnquam Gonzagorum meminit. Nec nos quidem Sereniſſimæ familiæ nobilitatem ab vnâ fœmina deducimus, aut leui hac commendatione, claritudinem illam arbitramur. Sed quod hactenus vniuerſi aut fide narrantium, aut opinione acceptum tradidêre, nos non niſi M. S. monumentis, & fide ſingulorum lydio approbata compoſuimus; indubitatis, ſuffragantibusq; coniecturis. Quis enim tot ſæculis diſſitam veritatem, teſtibus omni exceptione potioribus, reduxerit? Libuit pariter ſcripturarum aliqua proferre; ne gratis iactare ſecretum, aut temeritate procurrere videremur. Quid verò, conſenſu traditis, minorem exiſtimationem adſtruit, quàm Scribentium varietas; eo ipſo apud prudentiores refragatura? Neq; numero & multitudine laborant, ſed hac ipſâ in contrariâ diſtracti fatigantur. Quidam etiam virginitatem affingunt, maiori pietate, quam rerum peritiâ. Malum enim Punicum, non Caſtitatis ſymbolo, ſed regni; pro inſigni habebat; vnâ voce additâ SEMPER. Quam ego vſurpatam ab Eliſabetha Angliæ Reginâ, deprehendi. Quaſi ſe ſemper coronatam fateretur, aut plurium populorum Reginam. Equidem diuerſorum populorum vnionem; & gentium ſocietatem Punico denotari ſatis liquet. Cui verò aptetur decentius ſymbolum, quàm Mathildæ, quæ tot populorum, tot gentium dominatrix, vnâ coronâ Regni inſignibus in extremum ſit vſa? Similia pro eligentium arbitrio, & proferendo ingenio reperiuntur, effinguntur. Nec ſi qui diuerſis oſtentandis eodem vſi ſunt, ſubeſt exempli neceſſitas. Aut quę Sabellicus, Platina, Volaterranus conſenſu habent, præ ſimilibus nugis vileſcent. Comperior certè addendæ virtuti iſta addi, ab ijs qui honeſtandæ Comitiſſæ ſtudio, eandem mecum viam terunt; nec diſplicet caritas; Sed acceptior quæcunq; gloria cum veritate eſt; nec temnenda laus in fœminâ, quæ Matrimonio ac cœlibatu probata, vtrinq; meruit famæ æternitatem.

Digitized by Google

DOCT.

ANTONII POSSEVINI IVNIORIS

PHIL. ET MEDICI MANTVANI

GONZAGÆ

LIBER SECVNDVS.

BREVIARIVM LIBRI.

HENRICVS contumax in Pontificem, inuiſus ſuis eſt, quos fictâ pœnitentiâ eludit. In Vrbem delatus, elapſo Paſquali, rapinis & igni ſæuit. Archiepiſcopum Mauritium Antipapam dici iubet. Saxones pro legitimo Pontifice certantes opprimit. Reconciliatur Callixto ſecundo. Peſtilentia ingens; eius dolore Henricus moritur. Mantua ſe in libertatem adiudicat; mox Mutinenſibus, & Regienſibus bellum mouet. Aemulorum Imperij Lotharius vincit; In Italiam veniens, Mantuæ recipitur, & ciues Priuilegijs ornat. Pugna Mantuanorum cum Cremonenſibus, & pax. Corradi Cæſaris in Turcos bellum per Aſiam infauſtum. Longobardiæ ciuitates ſeditionem agitant. Aduentus Federici Imperatoris. Mantuani benignè habiti. Vaſtatio Mediolanenſis agri, & Dertonenſis. Cæſaris Romæ Coronatio. Mantuæ excipitur, ciues immunitatibus donat. Andreaſij. Pontificis reconciliatio cum Gulielmo Siculo: Federici Imperatoris indignatio; pax interpoſita; reditus in Italiam. Mediolanenſis deditio, agro prius omni, ferro, igniq; fœdato. Iterum abſente Cæſare rebellant. Mantuani immotæ fidei. Cenſuræ ab Alexandro in Federicum; qui acie à Mediolanenſibus vincitur. Sed refecto exercitu agrum euertit, & ad deditionem cogit. Mantuani Priuilegijs ornantur, ob benè nauatam contra Mediolanenſes operam. Longobardorum noua contra Federicum ſeditio, quæ Mantuanos trahit; quòd Antipapam Victorem recipere nollent. Federicus in Italiam, ignoſcit Mantuanis, à quibus copijs augetur. Clades Romanorum ad Tuſculum. Roma capta. Alexandriæ

initia. Clades Imperatoris à Mediolanenſibus; Qui tandem Alexandro reconciliatur. Saladini contra Chriſtianos in Palęſtiná progreſſus. Cauſa quá Federicus eó perrexit. GONZAGI, *redeunt Mantuam. Mantuanorum cum Ferrarienſibus & Veronenſibus pugna. Sordellus Domicellus Mantuanus. Lacu Vrbs cincta. Nouæ Pontificis & Imperatoris contentiones. Diſceptantibus de Imperio Philippo & Othone; pro illo* GONZAGI, *pro hoc Sordellus. Defuncto Philippo, ad Othonem Guido Gonzaga pro Ciuibus orator miſſus, gratus eſt. Otho Marmiroli; Mantuanorum in eum liberalitas. Gonzagi Saxonûm Jmperio fidi. Mantuani Pontes curant, & pro diuerſis agri finibus Arces locant. Gonzagi multarum Ciuitatum arbitri. Federici Romæ coronatio; eius in Sedem Apoſtolicam odium. Vnde in Reges Siculos, ius Regni Hieroſolymitani. Sordelli & Beatricis Ezellini ſororis nuptiæ. Peſtis Mantuæ. Cæſar Aucutus Mantuanus, Poteſtas Mediolanenſium. Fęderati in Federicum pro Pontifice. Eius ſimulatio. Mantuani ab Imperatore diuiſi. Denuò reconciliantur, & Priuilegijs ornantur. Iterum Pontificis causá ſecedunt; Federicus agrum vaſtat; Henrici filij tumultus. Clades Mediolanenſium qui rebellauerant. Gonzagorum bona ab exercitu Cæſareo excinduntur. Peſtis Italiæ Guelfi & Gibellini. Mantuæ Epiſcopus ab Auogadris occiditur. Conſciorum cædes. Ezellinus Mantuano adſpirat, ſed irritè. Mantuæ ſitus, Tribus; pax cum vicinis. Gonzagi rebellionis à Patriá, in Senatu accuſati; & damnati bonis. Obizus Eſtenſis Mantuam prece, præmio, aſtu poſcit, ſed fruſtrá. Proditores fugati. Albertus Gonzaga Epiſcopus Hipporediæ. Gonzagi à ſuis ciuibus reuocati, loco confiſcatorum bonorum, alia recipiunt, ad extremum etiam prædia ad Marmirolum. Senatus Mantuani ius, in duos abit, Bonacolſum & Zanacallum.*

HEN-

HENRICVS per hæc tempora, habito Moguntiæ conuentu, magno Procerum comitatu, res ſuas, Pontificis odia, maiores quàm Papam deceret ſpes queſtu & execratione recenſuit. Fuiſſe hactenus Cæſaribus liberum, tueri ſua; & obſtantes Principes, conſilio vel armis retinere; Nunc auctâ Mathildæ teſtamento potentiâ, ex libidine imperare: Ridere Cæſares, ac Germaniæ vires vt in Italiâ minores negligere. Audita hæc raram occulti pectoris vocem elicuêre. Inerant quippe qui neſcirent, irritatum contumaciâ Paſqualem, carcere & rapinis per Vrbem prouocatum; nec ſpreto eo, cætera ex deſiderio proceſſura; ideoq; iuſtas Cæſaris querelas credebant. Alij morum ſui Principis gnari, contra dicebant; debere Cæſarem vt rebus ſuis, Germanorum Italorumq; vtilitati conſulat, ſupplicem, ſancti ſenis iram obſequio lenire. Se quidem ſacramento ſolutos; ſed id quoq; honori Imperij, & Cæſaris gratiæ condonare, vt eluſam ſæpius fidem denuô experiri velint. Nec enim ſeruari Domino promiſſa poſſe, qui multô ante Chriſtum exuiſſet. Henricus vim ſubditorum, & propoſiti conſtantiam introſpiciens, ſeruiendum tempori videns, quamquam aſperioribus inclinaret, dictis ac promiſſis, multorum animos expleuit. Simul quia frequentes à Corrado Gonzagâ literæ afferebantur, quibus paratos bello Italos, nî pœnitentiam prætuliſſet, monebat; per occulta aggerere opes, conſcribere militem, ſubditos vi, aut minis coërcere, parare amicitias, & nihil in vulgum efferre: Vt ſi qui obſtitiſſent, incautiùs opprimerentur. Quę ſecuta ſunt tempora docuêre, intempeſtiuâ caritate vſum Corradum; dum quamquam ſecretò profert, oſtentatq; Imperatori pericula contumaciæ, offendit pudore, ac veritate. Apud Principem ſententiæ ſuæ tenacem, correctionis inſolentem improficua coërcitio eſt; non ipſi, non danti opportuna. Niſi, dum ſibi odium parat, auget domini peruicaciam; non alienis documentis inſtrui, non exequi niſi ſua volentis. Germani libertatis præ cæteris ſtudioſi, Principem paternis vitijs infectum execrati ſunt; tacitis primùm ſermonibus, mox publicis queſtibus; & miſſis ad amicos, ſociosq; diſcrimirum literis, Coloniam, vbi cætum indixerant, tenuêre. Vbi, quòd irritæ preces, vanæ admonitiones eſſent, de re ſeriô, & cum rigore decreuêre. Mittitur Legatus ad Cæſarem, qui populorum conſulta doceat; & niſi ſumma deliberatio, pœnitentiâ reuocetur, iunctis viribus, pro ſuâ libertate, pro Sedis Apoſtolicæ immunitate, arma ſumpturos. Nec Henricus neſcius degebat, vniuerſi negocij finem in eo verti, ſi concordia ipſi & Pontifici interceſſiſſet. Sed abhorrebat generoſus animus, vlli mortalium ſupplicem adſtare.

Corradus Gõzaga Imper. corrigit.

Germani Coloniæ contra Imp.

Dum tamen ſuorum vires, & paratos vltioni ſubditos videt; velut neceſſitate expreſsa, in medium dedit per manifeſtos codicillos; ſe Italiam Vrbemq; inuiſurum, miſſurum qui Pontificem officij gratiâ venerentur; ſpondeantq; mandatis Eccleſiæ obtemperaturum. Satis ſuperq; gloriæ Paſquali acceſſurum, ſi Germanorum Regem, Romanorum Imperatorem, ſupplicem, pedibusq; aduolutum acceperit. Placuit Germanis operiri viri maximi conſulta; nec armis promiſſam pœnitentiam remorari. Ille magno exer-

Ipſe in Italiã

citu comitante, Italicæ expeditioni potius, quàm itineri ſe accingit; Dum literis, ac pollicitationibus, tumultuantes conquieſcunt. Auxêre numerum, qui per obſequium, quiq; per occultas ſpes turbatis rebus fortunam ſuam præſumebant. Sed & frequentes ab Vrbe literæ afferebantur, diſcordare populum ac Clerum; & Præfecto Ciuitatis vulgi voto non accepto, armis plebem ac Paſqualem diſceptare. Ergô oblatam occaſionem auidiùs amplexatus, maximis itineribus Romam nuncio citius aduolat: Cùm interim per nuncios detinere Pontificem, inculcatis precibus ac promiſſis niteretur. Ille fidem totiens mentitam formidans, præceps in Appuliam receſ-

Pont. in Appuliam.

ſit, Gulielmi Ducis fauore vſurus. Vltioni enim quàm promiſſioni propiorem Henricum properare, qui comitabantur, admonebant. Ingreſſus Vrbem per ſpeciem amicitiæ, hoſtilia factis exercuit: teſtatus ſuâ iniuriâ exceſſiſſe Pontificem; vt amicitiam profeſſum, ac ſacramento obſtrictum, exteris, quiq; fraudium ignari erant, infenſum declararet. Quâ enim contumeliâ irritatum, aut quibus armorum cauſis Gulielmum hoſtem ſupplicem acceſſiſſe; niſi diſcordiarum deſiderio pax in Cæſare diſplicuiſſet. Hæc obten-

Imp. Vrbem irrumpit.

Spoliat.

tui ſumpta; licet fugæ cum ratione conſuluiſſe Pontificem exitus docuerit. Ditiſſimi enim & Papæ proniores in prædam, vaſa auro argentoq; ſolida per Eccleſias, in lucrum deſtinantur. Sæpe rapinis ſtupra, ſtupris incendia miſceri iuſſit: vel nullo conſcientiam fatente; vel auctorem ſibi eſſe conclamante. Cæterùm exauſtâ Vrbe, aſportatis diuitijs, ac Pontificio apparatu, Henricus nec proximis quidem Vrbi pacem eſſe voluit. Siquidem Papæ ar-

Vicina ſubigit.

bitrio habitæ Ciuitates, & oppida, armis occupata; & militi in rapinam excidiumq; monſtrata. Omnibus ærumnarum cauſa diuitiæ, & in Pontificem obſeruantia. Neq; vexatio aliter, quàm ſacrilegio & ſcelere deprecari poterat. Imperator, Paſqualis ludibrio ac contemptui, quamquàm prius in Vrbe coronatus, denuô ab Archiepiſcopo Mauritio, Imperij diademate inſigniri voluit, ſplendore Regio, vt cauſam flagitio affingeret; maiorq; Pontificis neglectus oriretur. Expletus demum ſanguine ac prædâ, Longobardiã feſtinus acceſſit: Confirmandæ Prouinciæ ſtudio; & quòd Germanos, Saxonumq; Ducem, rebus nouis apertè ſtudere accepiſſet: Tamquam nullâ iniuriâ exui obediẽtia, in Cæſarem poſſet, multô ante anathemate famoſum; & reiteratâ perfidiâ, Pontifici ac toti Germaniæ periurum. Diſceſſu Henrici audito, Paſqualis in Vrbem redijt, ſolatio potius, quam vtilitati. Nam vbi res aduerſæ vrgent, Principis recepti ac miſerantis præſentia, leuamẽto eſt. Sed dum diruta ſacrorum reſtituit, egenos ſubleuat, cunctos auxilio &

con-

conſilio recreat, è viuis eripitur. Mutato Pontifice, (nam Gelaſius ſecundus aſſumptus fuerat) Henrici tamen prauitas, haud quaquàm in melius verſa eſt. Nouerat eum, qui ſuaſore Numine Petri Sedem eſſet habiturus, ſimulatæ deteſtationi flagitiorum, aures non accomodaturum: Nec tamen liberam ſibi Imperij poſſeſſionem, niſi amico Pontifice, eſſe poſſe. Ergo futurorum ignarus, eoq; contemptor; dum in ſpeciem, ſe anathemate ſolutum conſtaret, ſatis futurum Germanis credidit, qui ſeruitium prophani Principis auerſabantur. Simul de nouo ſcelere; cui non ſemel Parens exemplum dederat, cogitat. Aggregatis enim, qui Pontificem Gelaſium, proprijs ſimultatibus inſectabantur; quiq; miniſterio Cæſaris, res ſuas auctum iri confidebant, Mauritium Archiepiſcopum, à quo ante Coronam habuerat, Pontificatu donat: Seq; ab anathemate abſolui, & quæ Imperio poſſederit addici iubet. Iam ne ficta, aut in mendacium compoſita viderentur; per vniuerſam Germaniam ſcribuntur literæ, abdicaſſe ſe Pontificatu, & fugiſſe Gelaſium: quod per malas artes præceperat, & conſcientiâ ſcelerum, ne coram ab Imperatore deprehenderetur: Suffectum Patrum & Cardinalium voto Mauritium; qui cauſam Imperij, res Germaniæ, maiori caritate ſit curaturus; abſolutum Imperatorem, confirmatum Imperium, deniquè vtroſq; vt in ſummâ pace omnibus conſulere. Non iam amplius apud ſeditioſos & rebelles, pietatem, & Summi Pontificis cultum excuſationem habitura, nî ſupplices ſeruituti & obſequio adfuerint. Et Cæſar vt famam ſceleris præueniret, præceps in Germaniam redijt, cogendis ad reuerentiam Saxonis; quorum validior & manifeſtior contumacia erat. Strepebat tota Germania ſub Cęſaris reditum, nouis armorum apparatibus; ſtrictâ ac compoſitâ acie reducem Imperatorem excepturi, non fauſtis nominibus. Sed & Imperator magnis exercitibus, inter ſuos, & amicorum ſequaces conſcriptis, formidabilis affuit; tantâ exiſtimatione potentiæ, vt non niſi grauitati indignationis, celeritate officij præcurriſſent, veniam largiretur. Parte aliâ rebelles (ita Cęſar vocauerat) ſiue Numine, ſiue effringendæ ſeruitutis deſiderio, indefeſsè munitiones ſtruere, aggerere commeatus, arma, militemq; conquirere, & futuræ dimicationi diſponere. Vtriſq; cauſæ ſpecioſus titulus, exitus pro Imperatore fuit; domitis latè Saxonis, & multis ſeditioſorum millibus ſub Imperium acceptis. Iamq; Gelaſium fato functum, per bonas Artes, & libera vota eligentium aſſumptus, Callixtus ſecundus exceperat; non minori fortunæ, quàm ſanctimoniæ opinione. Fluctuabat tamen diuerſis animorum motibus Italia; Germaniæ nutantes inter Cæſarem ac Pontificem mediæ erant; poteratq; ſperari bellum, victis ac uictoribus iuxta calamitoſum; nî Moguntinus Archiepiſcopus, quiq; priuatis rebus ſuis alieni, pro communi erant, interceſſores ſeſe obieciſſent; additis & minis & precibus, prout opportunitate valuiſſent. Induruerat peruicaciâ ac victorijs Henricus; videbaturq; operoſa pax in Principe, qui hactenus omnia armis expediuiſſet: Animo tamen multa obuerſabantur, quæ vel moras necterent, vel difficultates aperirent. Ipſe Archiepiſcopus accepto ſecreto, paratiorem

1118.

Mauritium Pont. creari iubet.

Digitized by Google

Imp. ab Archiepiſc. Moguntino corrigitur. tiorem bello Cæſarem, ſic fertur allocutus. Infœlix Regnum Imperator, tot annos geris; quod armis, ſanguine, rapinis, incendijs, tuo aduerſorumq́; æterno metu ſeruandum eſt. Nec potius alienos reducis, quàm tuos deteris, tua perdis, ſæuis in proprios. Illi opes, conſanguineos, facultates abſumunt, tu ſubditos vireſq́; conuellis. Rara per Vrbes iuuentus, vacui cultoribus agri, nudata nobilibus viris Comitia ſpectantur; tuo magis quàm illorum malo. Nec numerum militarem, & bellantium multitudinem æſtimes; hæc frequentia ciues imminuit, & miſerâ deſolatione agros dehoneſtat. Sed & iniquam cauſam, per vim, per arma proſequeris; non alia memoriæ rerum geſtarum vilitate, quàm ſi perdas. Non enim licèt hoſtibus victor inſiſtas, præter expletam vindictam, aliud in quæſtum retrahis. Vectigalia, quibus Reſpublica ſuſtentatur, raro negociatore intercidunt, imminuuntur; tributa, cultus agrorum negliguntur. Vbi fueris inimicorum ſuperior, habiturus es omnia, ſed lacera, ſed exhauſta; ſi victoria apud hoſtes fuerit, etiam infamiam conſumes. Et tamen bellorum exitus incerti, & finem rerum, Deus in occulto ſeruat. Quantô ſalubrius, & conducibilius, Prouincijs, & Cæſari, poſſidere vniuerſa florentia & intacta? Quo animi motu, quâ tranquillitate, collectā vi pecuniam, cū execrationibus, diriſq́; exolutam recipis? Eſt certè qui ſimilia nollet, potius ſibi egenus, alijs acceptus, quàm diues & inuiſus. Quîn, vitam ſpiritumq́; inter aduerſos, per medias inſidias, & infenſos trahere, miſerrimum eſt: quodq́; nec Imperio conducat. Minimo negocio emercanda fiducia; vt vim, pecuniam; militem, & ſi quid Regnantibus in voto eſt, tutè habeas. Quîn non tuorum, ac tui te miſeret Imperator? Iſti vitæ iacturam, tu fortunæ, ſalutis, famæq́; incurris. Deum optimum maximum, cuius nutu tanto Imperio præſides, armis per ſummam ingratitudinem, oppugnas. Pontificem Romanum omnium officio, electione, ac caritate parentem opprimis: cui obſequium præſtare, ex ſacramento, vnicâ Cæſarum gloriâ cenſetur. Hinc Conſtantinis, Carolis, alijſq́; quorum potentiam ſucceſſione habes, decus immortale quæſitum. Et tamen nouerant, Religionis id munus, non Regni eſſe. Expergiſcere tandem, & cogita, ſecundam fortunam, per ſcelus ac ſacrilegium, haud diuturnam eſſe. Eam ſtabilem, firmamq́; toto æuo videri, quæ fauore Numinis, & rectè factorum conſcientiâ paratur. Ipſe communi cauſæ medius accedam, precibus, auctoritate, amicitijs. Sine proſequamur honeſtiſſimo titulo, quod nobis facilem quietem, veterum obliuione facinorum, tibi gloriam, & imperium cōfirmet. Tacuit Imperator: Et quem vis, ac minæ non flexerant, mollis oratio, viri prudentia, & exiſtimatio mutauêre; totumq́; negocium amico permiſit, de *Ille annuit.* cuius caritate non ambigebat. Mittuntur in Vrbem ad Callixtum, Imperatoris ac Germaniæ Principum Legati, pacem, concordiam, & Vormatienſe Concilium orantes. Forte per eos dies Callixtus miſeriarum ſui æui ac diſcriminum pertæſus, ieiunijs, largitionibus, ac ſupplicationibus publicè indictis, cœleſtem iram deprecabatur; cum affluêre Legati, debitâ in Sedem Apoſtolicam reuerentiâ, ſupplici Cæſari, veniam; & tot ſeditionibus finem,

cum

cum lachrymis poſcentes. Nec auerſatus eſt Pontifex. Horrebat quippe diſcordias, & ſæpius inteſtinis ſeditionibus vaſtatam Vrbem; & Italiam pęnè deſolatam, paternâ caritate miſerabatur. Addit Germanis, Legatos Vormatiam; datis præceptis, quibus in Principes, ac Electores, ſeu pace, ſeu bello vterentur; Tantâ æquitate ac manſuetudine; vt non alio cæpti motus temperamento egere viderentur. Excepti Cæſaris iuſſu Legati more Regio, & ſummo honore habiti; teſtandæ pœnitentiæ; & quàm pacatè mutationem promitteret. Apud hos pleno Comitio Imperator, deteſtatus præterita; & in futurum ſacramento adſtrictus, Callixtum legitimum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum agnouit. Ciuitates, oppida, & agros, non minus aſtu, quàm vi Clero erepta, reſtitui placuit: Eligendorum Prælatorum ius omne, illius arbitrio permittit; ſeque Eccleſiam Romanam pro virili tutaturum impoſterum ſpondet, veniam in præteritum poſcens. Hæc in Vrbem citis equis, anxio Callixto delata ſunt. Qui fuſis per genas lachrymis, ſenili lætitiâ ac pietate, Deum in cuius manu corda regum ſunt, proſtratus adorauit. Et ne optimè ſentientem Imperatorem, & pœnitentiæ ſecurum, diuturnâ expectatione frangeret, ſolemni diplomate indulgentiam teſtatus eſt; conceſſo etiã per Eccleſias Germaniæ indulto, eligendi ſibi Prælatos, cum aſſiſtentiâ Cæſarum; quos vtriq; idoneos credidiſſent: Dũmodo non ambitu, non pecuniâ, non vi, Eccleſiaſtica libertas imminueretur. Acceptus toto Regno fauſtis ominibus, & effuſâ lætitiâ, tantæ concordiæ nuncius, priſtinam gentium incolumitatem reſtituiſſe viſus eſt. Vnde exquiſitior iubilus fuit; tamquam non ſolùm præteritis, ſed & imminentibus calamitatibus remedium acceſſiſſet. Sed & annus ipſe pro ſacro habitus, quòd honori eius tantum fauorem Numina contuliſſent. Eratq; Milleſimus centeſimus viceſimus ſecundus. 1122.

Et Papæ conciliatur.

Iiſdem temporibus Callixtus contra Burdinum, qui Sutrij Pontificatum Gregorij nomine exercebat, expeditionem habuit; captumq; Antipapam (quamuis impunitate permiſsâ) quod vitæ reliquum, intra Monaſticos parietes tolerare coëgit. Demùm Pontifex, magnâ pace, & cum Henrico concordiâ clarus exceſſit; Subſtituto in locum eius Honorio ſecundo. Vexata interim Germania & Hollandia, Gallorum armis; quamuis victoria apud Cæſarem fuerit. Sed & dira lues, totum regnum peruagata, tertiam viuentium partem ſuſtuliſſe fertur: Certâ Dei vindictâ; cuius indignationem Schiſmata, ſeditiones, Cleri oppreſſiones, ac Summi Pontificis deſpectus irritauerant. Henricus ipſe curarum tædio, tot pereuntium dolore ſaucius, vitæ finem accepit: cum aſſiduis gemitibus, præterita flagitia deteſtaretur, & debitam futuro pœnam deprecaretur. 1125.

Hẽrici mors

Vir haud dubiè, fortitudine animi, prudentiâ proſperis & aduerſis commendatus: niſi peruicaciam in Pontifices, ſuo ac ſuorum damno plures annos ſeruauiſſet. Sed famoſum, inuiſumq; Imperium, honeſto fine ſigillauit; dignus ob id, qui ob caſus bellorum atroces, toties peruagatam victori exercitu Germaniam, & Italiam, ſimul conſanguinitate Mathildæ, quamquàm extra inſtitutum, fuſius ſit traditus. Mantuani dum inter Callixtum ac Henricum diſceptaretur, licentiùs egêre, quàm

Mantuani insanit.

quàm vt meminiſſe Imperatoris crederentur; rebus ſuis occaſione ac opportunitate conſulentes; modò Pontificem, ſpecie pietatis, modò Henricum titulo gratitudinis ſectati. Sed inconſultum obſequium, facilis in hunc, aut illum lapſus teſtatus eſt. Quippe Dominos ex ſuis vtilitatibus, amicitias ex vſu deligebant: Poterantq; vbi potentiores cõcordiâ tranſegiſſent, validiorẽ vindicem licentiæ opperiri. Sed victorem Cæſarem formidabant, quem etiam causâ fortiorem crediderant. Ergo vbi conueniſſe Pontifici, & præ manibus integrum militem habere vident, ſortis ſuę ambigui, de remedio cogitauêre. Chriſtophorus Arlottus, quem natales, & nexæ magnis affinitatibus amicitiæ, ciuium reliquis antetulerant, retinendam contumaciam, & vſurpatam ſemel libertatem, pertinaciter tutandam pleno Senatu conſulebat. Nam & pecuniam, & commeatum, & munimenta ciuitatis, & accolarum eadem in commune ſtudia oſtentabat, attollebat; & ab ſæuo Principe, ſi illicô dederentur, infirmitatis argumento, extrema quæq; paſſuros. Neq; promptam poſſeſſionem Cæſari futuram docebat; quòd, ſi arma Italiæ intuliſſet, reliquos, atq; adeo Pontificem ſuſpicioni paratos, ad tutelam concordiâ prouocaret. Pluribus modeſtia placebat, & inepta tempori petulantia reprobabatur. Quos inter Stephanum Gonzagam comperior; pro Ciuitatis ſalute, nec minus Imperatoriæ maieſtatis exiſtimatione, deditionem, & miniſterium conſuluiſſe; ne hoc vno aduerſo Cæſar præualeret, & apud alios officium profeſſos peruicacia, quàm iuſta libertas accuſaretur. Indulſiſſe vanitati Henricum, miſſis oratoribus reperio, ſed pecuniâ ciuitas multata, & menſes aliquot an Imperator conquieſceret, in ambiguo habita. Aſſiduis bellorum incurſibus, longaq; Pontificum ac Cæſarum diſcordiâ, poſt Mahildæ exitum, Longobardiæ Ciuitatum plurimæ, ſeſe in libertatem aſſerere auſæ fuerant; quòd in legibus parum præſidij eſſet; ſiue quòd omnia per vim, & arma tractarentur: Simul turpe videretur, quod aliæ proprijs viribus attentaſſent, non exequi. Sic Mutina, Regium, Mantua, rebus ſuis, nullius placito aut ductu conſuluêre. Nam eâdem ſeruitute, iiſdem legibus ſub Mathilda habitis, facilè fuit de ſtatu decernere, & promiſsâ viciſſim operâ, fines libertatemq; tueri. Sed vbi proprijs quiſq; vtilitatibus, minus publico intentus eſt, promptè diſcordiæ inceſsêre, quæ inter Mutinenſes ac Regienſes, vetuſto fœdere illigatos, & Mantuanos potentiores, eoq; aduerſos, vſq; ad bellum exarsêre. Tumultus ex eo cauſa; quòd vtraq; Padi ripâ Mantuani vterentur, nullo alterius admiſſo iure. Idq; ſibi proprium Mathildæ, ac Cæſarum donationibus iactabant. Et erat procul iniuria; Nam vtriuſq; Diplomata, ad manus noſtras venêre; quæ Archiuo Boëmię, ac Mantuanorum Ducum, in præſentem ſpectantur. At Mutinenſes ac Regienſes, cœlum, & aquas communes à naturâ mortalibus datas, fluminum promiſcuas nauigationes; & medium inter vtroſq; Padum terminum poſitum; qui vel nullius, vel vtriuſq; ſuâ è ripâ eſſet teſtabantur. Ergo Mantuani, abolita vetera gentium iura, & conſenſu populorum, datum ſummis Principibus arbitrium; quorum placito, flumina, ripæq; vſurpentur, vt certi cauſæ perſtrepebant.

Arlotto con ſultore libertatem tuentur.

Stefanus Gonzaga refragatur.

Imp. diſſimulat.

Mantuanorum cũ Mutinen. & Regien. diſcordiæ ob Padi ripas.

Hinc

Hinc Mutinenſes & Regienſes conuocato conſilio ad vim conuertêre,quando inanibus Mantuani non ceſſiſſent. Miſſi tamen vltrô, qui Donationum exempla oſtenderent: ne causâ minus, quàm armis poſſeſſionem tutari velle viderentur. Mutinenſes reclamabant, fruſtra à Mantuanis Cæſarum dona proferri, aut in vſum trahi priuilegia, quæ ſeceſſione ab Imperatore, & vſurpatâ libertate, pridem amiſiſſent. Itaq; duas pro ripis Arces extrui, arcendis Mantuanis ex vſu credidêre, vt nexa agro ſuo ripa, tutè in poteſtate haberetur. Nec dilata executio: Et ne medio operis Mantuani cupitis moram afferrent, miles conſcribitur, deputantur redemptores, neceſſaria parantur, locis opportunis diſponuntur: Vt ſi opus eſſet, alij operam, pugnam alij capeſcerent. Mantuani vbi vim illatam, & effractum amicitiæ fœdus vident, ſibi non defuêre. Auxilio Brixiani conuocati; quorum mutua in longum amicitia fuit: Additoq; Vrbano milite, non aſpernanda manus deſtruendis Arcibus ſemicæptis inducta. Sic Mutinenſes ac Regienſes, operi maximè, minus ſuorum tutelæ intenti, inexpectato hoſte inuaduntur. Pugnatum non fine ſanguine; dirutæ tamen à Mantuanis Arces, & mille ferè hoſtium captis, cæteri ſtrenuè dimicantes pro vallo ac foſſis oppetiêre. De facto congruit: Rem ab alijs in aliud tempus reiectam huic loco inſerere libuit; quòd hoc primum libertatis apud Longobardiæ Ciuitates initium fuerit; multos ante annos, ſubditis Mantuanis, Mutinenſibus, ac Regienſibus, Mathildæ, Patri, Auoq;. Calculo annorum ſuffragantur, Honorij ſecundi Pontificis epiſtolæ, ad has Ciuitates ſcriptæ, pro Monaſterij D. Benedicti, in agro Mantuano immunitate. Datæ Pontificatus anno ſecūdo; Salutis Milleſimo centeſimo, viceſimo ſexto. Quo tempore liberas fuiſſe, neceſſe eſt. Nam alieno Domino ſubditæ, arbitrio ſuo vſæ non forent. Henrico Cæſare vitâ functo, plures quos potentiâ, opes, nobilitasq; tollebant; ambitu, precibusq; locum procurabant. Vetus Patrui gloria, ſpem Imperij offerebat, Corrado Sueuiæ, & Federico Franconiæ Ducibus: Nam Henrici nepte geniti, maternam nobilitatem, paternâ æquabant, paresq; magno nomini credebantur. Leopoldus Auſtriæ Dux, non diuitiarum, non auctoritatis minor, eandem potentiam vt debitam proſpectabat. Carolus Flandriæ Comes, veteri familiâ, & conſilij certus, ſuas vires, ſuam nobilitatem oſtentans; non ſe aduerſum Pontifici, aut Germanis Principibus inuiſum ferebat. Præcipua vis in Moguntino Archiepiſcopo, magnæ exiſtimationis viro, & Germaniæ Primati erat: quem ab vltimo Henrico malè habitum, & vinculis plures menſes arctatum, conſtabat Henrici nepotibus minus æquum futurum. Nec id Præſuli ad vindictam ſatis videbatur, nî futuro quoq; proſpiceret, votumq; Imperio daret, Principi, qui Henricis infenſus, poſteros quoq; eius æmulatione proſequeretur. Aderant familiares, conſiliorum, ac occaſionis gnari, qui ſtirpem hoſtilem inſectarentur, monerentq; caueri, partem vindictæ, à maioribus in ſucceſſores tranſmiſſæ. Oblatus ſimilia agitanti Lotharius Saxoniæ Dux, fortitudine animi, & potentiâ Imperatoriâ, qui plures annos Henricos exercuerat. Nec quamquam victus, animos, contumaciamq; depo-

fuerat,

Hi Arces ſiſtunt.

Mantuani demoliūtur.

1126.

ſuerat, ſed refecto exercitu, bellum anceps Cæſari ac Principibus,eius fortunam ſecutis meditabatur. Hic creditus concepta olim in Henrici fautores Principes odia retinere (quæ potentibus æterna ſunt) & ad cauſam facere, ſi nouis meritis gratiam, Principemq; aucuparetur, ambiguum futuri ad Imperium vocando. Ergo vbi coacto cętu Electorum, de nouo Principe eligendo actum eſt, & officio & auctoritate potior Moguntinus ſic locutus fertur. Non hic mihi primus dies Patres conſcripti, fidei & conſtantiæ eſt; ex quo annuente Numine, primatum Germaniæ vobis dicentibus, ſum aſſecutus. Teſtis mihi factorum, dictorumq; conſcientia, Patria ipſa, & Italia; quorum fœlicitati gratulatus, ſeditione abſtractus ſum: Teſtis Vrbs Roma, precibus, nuncijs, epiſtolis non ſemel adita, cum pacem Imperio, non bellum probarem. Et nunc Dei clementiâ in res Germaniæ, Henrici impotentiam, peruicaciam, odia euaſimus. Quæ ne in hæredes ſanguinis tranſeant, iure metuo. Poſt multum ſudoris ac laborum, tandem conquieuimus; Imperio ac Pontifice conuenientibus. Nec id diuturnum fuit; ſed veterem, & plurium annorum portentoſam ſeditionem, pax annua vix excepit. Curandum nobis, vt communi bono, in multum æui procurrat. Enimuerò, qui nam conatus turbare Germanias, aut diſcordias ſerere poterunt, ſi vnanimes libertati ac conſenſui ſtudeamus? Galli, Poloni, Itali, quiq; pacem noſtram laceſſere auſi, vindictam temeritatis experti, deliteſcunt; tantò minus futuris nouitatibus intenti, quantò ne præteritorum memoria recolatur magis formidantes. Corradum ac Federicum: illum Sueuiæ, hunc Franconiæ anguſtijs ſeptos, Imperio inſtare nouiſtis, ambitu, ac ſpe inani: Et quod gloriæ præcipuè obſiſtit, inuiſo nobis & exteris, maiorum nomine. Nec cæteros Germaniæ proceres animi, vireſq; deſtituunt. Hoc attentius ſpectandum, per bonas artes Imperia apud æmulos, an per flagitia quærantur: Cauendumq; ne electus Cæſar, Parentum conſanguinitate, prauos mores reducat; & in ea quæ tot annos miſeram Germaniam exedêre relabatur. Decorum eſt admiſſa ſcelera caſtigare; pulchrius prouidere ne peccetur. Solida, nec vllis aduerſis concuſſa pax Regno obueniet, vbi Summis Pontificibus conuenerimus. Hinc pietatis ac prudentiæ certiſſima opinio. Eum in pace retenturum obſequium cenſeo, quem bello & armis ſtabilem in officio deprehendimus. Pro Pontifice, atq; adeo pro pace noſtrâ, nec ſibi nec ſuis Lotharius pepercit Saxoniæ Dux; nec ſuperatus ex toto fidem, aut deſertus à ſuis fortitudinem exuit. Huic ſpecies Imperio digna, Patriæ caritas, obſequium in Romanum Epiſcopum; deniq; in Henricos aduerſis odijs inuiſos indignatio, commendationem addunt. De Auſtriaco ac Flandro taceo; quando nominatus Lotharius, ſingulorum ſtudia ac deſideria, ad deſperationem conuertit. Facilè Archiepiſcopo fuit, pronos & gnaros melioris allicere; communiq; Electorum voto, Lotharius Imperator dicitur. Auſtriacus ac Flander primi iuſſis paruêre; Corradus ac Federicus apertè defecêre; collecto milite & ad bellum tracto. Nec alia conſilij ratio, quàm quòd poſtpoſitos ſe per inuidiam, & velut impares exercendi crederent. Hinc plures

Lotharius Imp.

menſes

menſes, inter fratres ac Lotharium acriter certatum, non ſine diſcrimine: Nam Corradus, vt virtuti ac potentiæ exiſtimationem adderet, etiam Imperatoris titulo vtebatur. Sed & Longobardiam exercitibus inuaſerat, Ciuitatumq́; pleraſq́;, pro Imperio habitas aſtu ac vi in partes traxerat: Relicto in Germaniâ fratre, qui Lotharij progreſſus interrumperet, tueretur q́; parta. Honorius Pontifex, cùm ciuiles diſcordias, ad extremûm Vrbi metuendas, literis, præceptis, pollicitationibus deprecaretur, fruſtra laborauit; Ciuitatum Longobardiæ pleriſq́;, cauſam alienam vt ſuam tuentibus; addétibusq́; conſilia, ac vires vtriſq́;, provt inclinauiſſent. Mantua ſemper pro Cæſaribus, nec Saxonis Principibus infenſa, etiam Lothario miſerat iuuentutem; acciueratq́;; oſtentata potentiâ, & reliquis, illuc ad ſeruitium inclinantibus. *Mantuani fidi.* Gonzagi, propria in Saxones ſtudia, quàm Ciuium placita ſectati, & ipſi fauere voluntati, admonere, hortari, quæq́; firmandæ potentiæ ex vſu erant proſequi; quòd præcipuè Honorij conſulta præpediuit; qui precibus aſſiduus, nihil in ſummam proficiebat. Quippe vi opus erat; nec inter indignatione inuiſos, verbis tranſigebatur. Sic ſiue causâ, ſeu milite melior Lotharius, ad obſequium fratres compulit; per Germaniam Federicum, mox Corradum totâ Longobardia proſecutus; nîl tutum, omnia infenſa reddens: Donec acceptâ in præteritum veniâ, ſupplices affuêre, cum futuro cauiſſent. Id Gonzagorum fortunam præcipuè extulit. *Et Gonzagi.* Nam ſi Corradus præualuiſſet; furor ac vindicta in vniuerſam familiam, cum excidio vertiſſet. Iuuiſſe enim Lotharium conſilio, & opibus; & ambiguos Prouincialium impuliſſe, ne fratres reciperent, dicebantur. Regredienti in Germaniam Lothario, ſpecioſum fuit, Ciuitates quæ Imperio nomina dederant, viſere; ac comitate & officio iuuare. *Lotharius Mantuę.* Mantua potior viſa, quæ licet libertatem iactare auſa, & oblita Cæſarum videretur; nobili tamen Imperij titulo vtebatur, forſitan in præſidium. Ergo ſe, ſuaq́; victori permiſêre. Sed ciues, ne præteritis quidem Dominis obnitentibus, ſua iura, velut ſoluti ſeruitio retinebant; Intus liberi, in ſpeciem ſubditi, & quantum decori ac tutelæ erat profeſſi. Exceptus eſt Lotharius, eâ demonſtratione lætitiæ, quæ Cæſarem decebat. Et ille amęnitate, cultuq́; Vrbis commendato, vbi Mathildæ ac veterum Dominorum indulta proferri iuſſit, vniuerſa firmauit; auxitq́; immunitates, quòd recenti ſeruitio promeruiſſe diceret. Idq́; Tertio Cal. Auguſti Milleſimi centeſimi trigeſimi tertij. 1133. Is, multô ante longè lateq́; fuſam Legum immenſitatem (quâ nunc maximè laboramus,) peritiſſimis arctandam, & ad formam minus operoſam, reducendam mandauerat. *Legum copiâ arctat.* Nam copiâ, diuerſitate, atq; adeo confuſione Populi fatiſcebant. Nouerat enim corruptiſſimâ Republicâ plurimas leges, & multitudine miſeros circumueniri. Teſtimonio reuerentiæ accepêre inter reliquos Mantuani, & in longum tenuêre: Donec ætas remitteret curam, & noui Domini, noua iura reducerent. Erepto Lothario Corradus Imperium accepit. *Corradus Imperat.* Qui dum aducrſus Saxones magnâ contentione decertat, oblatam diſcordiarum occaſionem, Longobardiæ Ciuitates, auidè accepêre. Neq; ſatis manifeſta belli cauſa pręferebatur:

ſed mali mores, oſtentata aut viſa inter furentes arma, & neglecta turbarum licentia, multos extulerant, vt pacem, velut degenerem nollent. Vetere Mathildæ, ac Henrici donatione Olij Fluminis vtraq; ripa, Mantuanis priuilegio ceſſerat. Cremonenſes nobili amne, quo cludebantur, non niſi alienâ licentiâ, vti ſe poſſe, implacabiliter lamentabantur. Nec tamen ratio ſuberat, & errori color quærebatur: Medium vtriſq; Fluuium, à ſolis Mantuanis poſſideri; cùm natura terminos communes eſſe voluerit. Et miſêre qui liberam aluei nauigationem, non per modeſtiam, ſed tanquàm iure requirerent. Reſponſum à Mantuanis, ſe conſuetudine & cauſâ agere; nec nouâ vi, aut fraude poſcere: antiqua, tot annos, tot Dominorum conceſſionibus addicta proſequi, nulla cuiuſpiam iniuriâ: Et paci ac concordiæ paratos, eademq; Cremonenſibus, ſi res ſuas æſtiment conducere. Illi manifeſtâ indignatione rediêre. Et quando prima non ceſſerant, ad vim conuertuntur. Magno impetu, & properatâ expeditione, vaſtati Mantuanorum agri, abductæ pecudes, acta omnis generis præda; velut in antiquos hoſtes pugnaretur. Neq; enim Ciuium annalibus maior hactenus clades recolebatur; quòd non igni, non ferro, non ſæuitiæ, materia ſuperfuiſſet. Nunciata hæc Mantuanis, cunctos non dolore vt credebatur, ſed amore vindictę, lętitiâ affecêre. Gaudebant illatis armis, oblatam aduerſus Cremonenſes, proferendorum finium occaſionem. Nec enim inferendæ iniuriæ, compoſiti & ſuis contenti acceſſiſſent: Mœrebant tamen quòd per arma tueri ſua, inter vicinos & fœdere illigatos cogerentur. Igitur quia pernicioſa mora, raptoq; conſilio opus erat, fortiſſimam iuuentutem ad arma vocant: Et Duce Roberto Arlotto, quem primâ è nobilitate delegerant, militiæ veterem, Cremonenſium finibus irrumpunt, magno agmine. Viſum Duci, belli ſedem excindere, nec vbi magno facinore opus ſit, prædâ & laſciuiâ, ſparſum militem corrumpere. Cremonæ ſiſtit, machinis bellicis, & multo armorum apparatu metuendus; quæ ante prouiderat. Cremonenſes Mantuanorum obſidionem flagitij reputantes, habito conſilio, diuiſiſq; agminibus, aduerſos inuadere ſtatuunt; Siniſtrâ alij, alij dexterâ; iuſſo equitatu, vbi fatigatos hoſtes credidiſſet, in medios inuehi. Mantuani dum quidquid virium Vrbi inerat, in aciem deductum opinantur; & dimicationis ardor accenditur; reſeratâ Ciuitatis portâ, quæ hoſtes proſpectabat, Cremonenſium turmis inuaduntur. Illi licèt ſub diſciplinâ habiti, inopinatæ tamen inuaſionis ignari, obſtupuêre. Quô maior dimicatio, & plus virtutis additum. Pugnatum ad noctem non ſine cædibus & ſanguine; donec peruicaciâ virtutis, & quia eâdem irrupturi metuebantur hoſtes, Cremonenſes ceſsêre: quod ipſis ſaluté tulit, auxilio ſuorum quàm maturimè regreſſi: Nam è turribus, ac mœnium editis, acri fœminarum vlulatu reuocati ſunt. Sub meridiem certè, inclinata Mantuanorum acies viſa; cùm longâ dimicatione fractos, recentes, nec expectati oppreſſiſſent. Et Arlottus ſiniſtri agminis diſcrimine audito, eô properauerat. Sed vbi redditus ſuis locus, & Cremonenſes tardiores ad pugnam videt, clade ſuorum euocatus, abripitur in medios,

Cremonenſiū cum Mātuanis pugna Olij fluminis cauſa.

Cremonenſes ſe in Ciuitatē recipiunt.

dios,

dios, vbi labor & conſternatio maior erat, clamitans: Hæcnè Ciues virtus eſt, quam parentibus, liberiſq; ituri aduerſus hoſtes ſacramento ſpopondiſtis? Timidiſſimos Italorum formidatis, toties exciſos, tot ignium, tot cædium reliquos? Quæ vos caſtra, quæ mœnia, fugatos cæſoſq; recipient? Plus itineris, vulnerum, ac laboris profligatis, quàm victoribus ſupereſt. Mihi certum eſt compendio, vel decus ex victoriâ; vel famam honeſti exitus comparare. Simul in medios irrupit: Et ſecutus militum ardor conſtantiam Ducis. Nam inſtantes primùm retinuêre, mox in fugam vertêre. Clarus Daneſius, nobilitatem,nec degenerem maioribus virtutem teſtatus, incautius ætate ac ferociâ equi receptos inſecutus, intra mœnia proceſſit. Circumfuſi hoſtes deditionem poſcebant; ille affuturum ſibi comitum auxilium; nec clauſas à tergo portas opinatus, telis vniuerſorum confoſſus eſt. Neq; inultus cecidit, ſed hoſtium cruore decorus, cumulo occiſorum additus. Didicêre Cremonenſes experimento, imparem ſibi cum Mantuanis pugnam, & externi auxilij egere. Lodienſes ſibi vicinos, prece ac donis fatigant, communem cauſam capeſſerent; mutuam operam (ſi quando fors tuliſſet) opperirentur. Illi nullo proprio odio, ſed vt ad rapinam, tribus peditum millibus, quingentis equitibus affuêre: Mantuanamq; ditionem, latè populati, flagitijs ac ſanguine fœdarunt. Quod à Cremonenſibus intactum fuerat, vt longius ſitum, Lodienſes corrupêre; ſacri ac profani iuxta auidi, quæſtum non Religionem diſtinguentes. Modicæ domi res Mantuanis erant; nec is numerus, quo Cremonenſibus congreſſi, ſimul irrumpentes Lodienſes ſuſtinere poſſent. Ipſi eò plures incubuerant, quòd magni ac ditis agri famâ,plus prædæ præſumerent. Brixiam proinde à Mantuanis legati deſtinantur; vt olim fortunæ ſocij, etiam aduersâ tangerentur. Aduenêre amicitiæ ſecuri, & inuenti in armis, equites mille, tria millia peditum. Dux Mantuanæ iuuentutis Arlottus, vt vaſtari campos, & diteſcere rapinis Lodienſes accepit, incenſis per quæ expugnatio parabatur, vt properantibus Brixianis obuius de futuro deliberaret, Mantuam reuertit. Vtilis acceſſus viri fuit: Magnâ enim Mantuanæ iuuentutis manu ad Cremonam bellante, multi ceciderant, plures multato per vulnera corpore, impares nouæ expeditioni erant. Inſecuti Cremonenſes cũ Lodienſibus ad Vrbis muros Caſtra metati ſunt. Medio noctis, exploratores adueniſſe Mantuanis Brixianos, habitũ Ciuium delectum; animoſq; reſumpſiſſe, detulerunt. Sic Cremonenſes longius ab Vrbe digreſſi, ad ſextum lapidem ſubſtitêre; ad fines vſq; proceſſuri,niſi metum,& ſpeciem fugæ credidiſſent. Inſecuti illicò Mantuani, quòd obſidione omiſsâ, minus conſtantiæ apud hoſtes vidiſſent: Et haud multum diſtantibus locis conſêdêre. Hinc vicinio Caſtrorum, frequentes ac tumultuariæ pugnæ, tranſmiſſo per vices milite, vt imbuti odijs, irritatiq; æmulatione; alacriores in tempore vniuerſi concurrerent. Neq; enim eductæ acies; ſed medio campo inſultantes,caſtra ſeruabantur. Prorſus Mantuanis inſederat, oblatam quamcunq; dimicandi occaſionem arripere; & totis ante viribus congredi, quàm leui victoriâ elatum, & alieno

Lodienſes pro Cremonenſibus.

Brixiani pro Mantuanis.

inſultantem hoſtem, diutius intra viſcera habere: Quòd ſiue victor,ſeu pulſus foret, diram campo vaſtitatem inferret. Virtuti, animoq; addenda prudentia erat, vtendum peritiâ viarum, vſu camporum; & nocte intempeſtâ imparati inuadendi: dum ignoratione locorum, ſeſe intra Vallum ac foſſas continent,ipſo tenebrarũ obſcuro metuentes. Iuuit Mantuanos nox, lunæ radijs,& ſereno illuſtris. Et quô maior ac formidabilior impetus foret,

Cremonenſes inuadunt.

diuiſis copijs,vtriq; hoſtium lateri inuecti ſunt. Exciſæ munitiones, oppreſſi vigiles, obrutæ foſſæ, priusquàm ad ſemiſomnes,& velut in ſummâ rerum ſecuritate poſitos,fama excidij perueniret. Temnendum ſemper, nunquam negligendum hoſtem, nec adeò deteri, vt non olim exurgat,didicêre. Itaq; armis per confuſionem arreptis, cum non ſequi ſigna, non imperia accipere poſſent, interdum è ſuis metus, ſecuritas ex hoſtibus occurreret, rumor & trepidatio obſtarent, ipſis Caſtrorum portis ac biuijs, confuſi, in cumulum mactabantur. Etiam inanibus formidinem Arlottus incuſſerat: Nam truci clamore, Tubarum, cornuumq; concentu perſtrepere omnia, & victricem inimicorum Mantuam vbiq; proclamari iuſſerat. Neq; tamen ſine Mantuano ſanguine pugnabatur. Nam globus Cremonenſium, cui ſe

Romani ſtrenui.

Romanorum militum quingenti, è Germaniâ, vbi apud Cæſares ſtipendia meruerant, addiderant, incerti quô tenderent, & ferro ſibi viam aperientes, deſperatione fortiores,oblatos acriter ceciderant; & ſi geminatus numerus, ardorq; ſociorum fuiſſet, multum diſcriminis Mantuanis adeundum fuerat. Luceſcente die manifeſtior cædes fuit, & maior opinione deprehenſa. Nam quoſdam Euripi ſuperſtagnantes obruêre, plures à ſaucijs oppreſſi,cæno ac vulneribus confecti ſunt. Ergo quos fortuna belli campo non ſparſerat, ſine armis, ciboq; collecti, & tot ſociorum excidio, ſuâ miſeriâ, attoniti ac defixi hærebant; victorem hoſtem cædi inhiantem proſpectabant. Brixiani ac Mantuani circumfuſi, ſtricto mucrone ſignum ſæuitiæ opperiebantur. Niſi Dux pietatis & clementiæ gloriâ mollitos, recipi deditos & inermes imperaſſet. Sed tum demùm miſeratio ſucceſſit, cum fœditate exitus, & vulnerum copiâ, vitæ potius, quàm ſubſidij egere viderentur. Dum captiui, ac præda diuiduntur,languentes, cæſiq; amici requiruntur; paganus proximâ ſiluâ inconditi & magni murmuris ſonum audiri retulit; peditum globum obſediſſe. Miſſi qui vera, ſeu falſa eſſent coram intuerentur. Ergo vbi quingentos Romanos, totidem Cremonenſes, contumaciæ, quàm precibus proniores eſſe cognitum,proceſſit Arlottus,Quadringentis equitibus ambire ſiluam iuſſis, ne quod effugium eſſet. Illi viſo hoſte erupêre Romam intonantes; & paratis Mantuanis excipiuntur: Plus hîc laboris habitum,

Sed victi.

nec enim recipi, aut conditionibus pacis accedere perſtrepebant. Sic addita virtuti ira; & ad vnum omnes oppreſſi; cum quem vnuſquiſq; pugnans

Romanorũ ager.

locum delegiſſet, ſaucius corpore texiſſet. Inditum loco nomen, facti memoriâ; & in pręſentem Romanorum ager appellatus; Nunc (Romanoro) corrupto veteri idiomate, vulgus vocat, quintum ferme ab Vrbe lapidem, Burgofortum contra. Clara ea Mantuanorum victoria fuit; ſeptingentis

enim

enim ſuorum deſideratis, Mille fermè vulneratis, Tria millia & ſeptingentos hoſtium perijſſe cognitum. In ſeruitutem abducta quatuor millia: Quos inter viri illuſtres, & præcipuâ nobilitate erant. Prædæ, armorumq; numerum, vix aſſequare: Nam & Mantuanis nuper excurſionibus exhauſtis, acceſſerant vniuerſa hoſtilium copiarum impedimenta, ſarcinæ, commeatus, diuitiæ; tamquam vnum in locum ac ſecuritatem victoribus aggerata. Sed tùm demum honorus, & populi acclamationibus exceptus triumphus eſt; cùm longo captiuorum ordine, victi victoresq; procederent; locum pugnæ, & ferociſſimos certantium iactantes. Neq; opus teſtimonio erat, fatentibus qui trahebantur. Tum amiſſa dominis reddita, agnita iumenta, receptum pecus; & in vindictam præteritorum oblati qui deliquerant. Brixiano equitatui multum gloriæ fuit: quem aduerſos ordines turbaſſe, & pauentẽ alam Mantuanorum reſtituiſſe conſtitit. Et reddita publicè gloriâ, apud ciues & exteros; ne Mantuani tantum ingratitudinis hauſiſſe crederentur, vt abnuerent, per quos profeciſſent. Creuit & apud exteros Mantuanorum exiſtimatio, & virtutis æmulos reuerentia: quòd animis ac numero, magnis expeditionibus ſuffecturi crederentur. Cremonam res amiſſas, cæſam ſuorum manum, plures in vinculis haberi, recepta à Mantuanis ſpolia mẹſtus nuncius attulit. Clauduntur fora, iuſtitium indicitur, gemitibus templa, belli execrationibus omnia complentur. Alij fratrem, alij conſanguineos lamentantur; quidam auctores diſcordiæ diris, & piaculo deuouebant; pauci de remedio conſultabant. Et eô ſegnior deliberatio, quò minus ſpei, plus confuſionis erat. Præcipui ciuium, cum expeditionem vi, aut conſilio adiuturi, diſcrimen obijſſent, Mantuæ in vinculis, ſuorum calamitatem, ſuas ærumnas, maiores, quàm eorum quos hoſtis abſumpſiſſet perſcribebant, oraturi auxilium à ſuis, non laturi. Mediolanenſes tandem excidio, ac precibus victi, quòd ipſi erga Mantuanos inuiolatam amicitiam retinuiſſent, medij pacis acceſsêre. Quæ ægrè compoſita; elatis victoria Mantuanis, & pignore tot illuſtrium; contrâ Cremonenſibus conditionum aſperitatem diu deprecantibus. Rerum ſumma fuit; ceſſuros Cremonenſes Mantuanis, Olij fluminis (vt quondã erat) vtramq; ripam: Nec vllum ius nauigationis niſi conceſſione vſurpaturos: Sed & in tantæ victoriæ memoriam, eâ Ciuitatis parte, ad quam Caſtra Cremonenſes iecerant, Propugnaculum portæ inſidens, hinc inde trianguli formâ extructuros: cæmento, latere, aquâ, è Cremonenſi agro delatis. Quod illicò executioni mandatum; dimiſſis captiuis omnibus; & centum nobilibus dum promiſſa exoluerentur, obſidum nomine retentis. Hoc inter Mantuanos ac Cremonenſes bellum, alij aliò reijciunt. Nos recentiorum memoriam ſecuti, tempori huic aptauimus, quo frequentes inter liberas Longobardiæ Ciuitates rixæ ac bella euenêre. Cæterùm Corradus hæc vt leuiora reputans, ſeptimum annum componendis ſeditionibus abſumpſit. Satiſq; habuit monuiſſe per literas, ne armis diſceptarent: poſſe vtroſq; iuſtitiæ (ſi cauſa ſubſit) confidere. Cremonenſes etiam ſubſidium orabant; crediturq; Imperator, de tranſmittendo milite dubitaſſe,

Pax vtrinq;

Sed vniuerſæ Italiæ, negligentia Domini, pro ſalute fuit: ſolitis Germanis
exercitibus non ante conquieſcere, quàm fractis æmulantium viribus, am-
borum fortunis explerentur. Pingui dimicationi ac in longum tractæ, ma-
cilentam breuemq́; concordiam præualere, documento non vno dedicimus.
Et moderandam eam vim animorũ, quæ diſpendioſam victoriam facit, ad-
dit cedentibus, ob prudentiam. Vbi à domeſticis malis requieuit animus,
generoſo ſpiritu Cæſar tactus, Turcarum in Aſiâ progreſſus, indignè ferens,
interrumpere pro virili agitauit. Præceſſerant accuratiſſimæ Lucij Pontifi-
cis preces; nec non Diui Bernardi exhortationes, quibus Ludouicum Gal-
liarum Regem, cæteroſq́; Proceres inuitabat, nutanti Hieroſolymorum Re-
gi ſuppetias ferre. Monebat, ad flagitium, quàm ignauiam viciniùs acce-
dere, ſi Princeps chriſtianæ militiæ, à longè proſpectaret, opprimi eodem
nomine alios, & florentiſſimorum iura Regnorum, in Barbaros abire. Er-
1147. go ſe Corradus itineri accinxit, iuſtis cum armis: Cui ſe æmulatione pie-
tatis ac obſequij, Sueuiæ ac Lotharingiæ Duces; Flandriæ & Auſtriæ Co-
*Corradus cō-
tra Turcos in
Aſiam.*
mites ſocios addidêre: Et ante alios Guelfonus, qui introſpectâ magnitudi-
ne operis, turbare Germanias omiſerat; ſeque commilitio, magnâ ſuorum
manu iunxerat. Vniuerſus exercitus centum quadraginta hominum mil-
lia fertur expleuiſſe. Quos inter curruum, ac equorum ingens numerus, Li-
xarum ac calonum copia cenſebantur. Expeditior itineri via, per Auſtriam
Emanuel Imperat. perfidus.
ac Pannoniam viſa: Et exceptus Bizantij, ab Imperatore Emanuele, origi-
nis ac fidei Græcæ. Progreſſus ad vlteriora Imperator, magnâ commea-
tuum inopiâ conflictatus eſt: Nam Græcus fidem luſerat, quâ ſe abundè
omnium neceſſitati ſubuenturum ſpoponderat. Sed docuit experientia,
plus Hæreticis odij in Romanam Eccleſiam; quàm Gentilitatem eſſe: Et in
Germanis Regibus Imperatoriam maieſtatem, Græcos, perfidiâ, & occidui
Orbis negligentiâ, capitaliter odiſſe. Vbi hoſtiles Prouincias Corradus in-
ceſſit, per occultum noctis, Duces itineri, dilapſi ſunt (ſic à Græco in man-
datis habuerant) vt locorum ignari, indefenſi, ac inulti, in perniciem dede-
rentur. Sed & farinæ, diurniſq́; alimentis, quæ à perdito hoſpite, datâ pe-
cuniâ acceperant, gypſum miſceri imperatum; vt veneficio turgidi, ac inæ-
diâ hauſti, è medio tollerentur. Tot anguſtijs conflictatum Imperatorem,
rerum agendarum pernicies, diſcordia excepit; vniuerſis qui ſimul aderant,
variè de remedio diſſerentibus. Cumq́; famem propulſare nullâ ratione
poſſent, conſcij malorum Barbari, & haud dubiè à proditore moniti, ma-
gnis copijs ſuperfuſi, etiam neceſſitatem pugnæ attulêre. Facile fuit expe-
ditis, & calamitatum belli gnaris; ſiti, itineris moleſtiâ, ac fame confectos
proterere. Et quamuis bidui pugnam fortiſſimè noſtri toleraſſent, victo-
riam tamen ad extremùm ceſsêre: aucto indies Barbarorum numero, &
multis Chriſtianorum audentius dimicantibus, internecione mactatis; &
plus viginti millibus in ſeruitutem abſtractis. Vix Legiones duæ, celeri
fugâ, ſeſe cum Cæſare cladi ſubtraxêre; & Nicæam delatæ, ſparſos ſuorum
recepêre; Ludouicum Gallorum Regem operientes, dum ille lectis exer-
citibus,

citibus, Chriſtianorum reliquias à clade ſeruaret. Iacturę pars Mantuanos
quoq; afflixit: Nam octingentos pedites, ducentos equites, è ſuis lectos ex- 1147.
peditioni Mantuani deſtinauerant; de duce non conuenit; è toto numero *Mantuani*
nemine recepto, qui caſus rerum, ac ſuorum finem ex vero proſequeretur. *pars exercitus in barbaros.*
Pietas & in Principem obſequium credita; ſi nomini chriſtiano ſuppetias
ferrent, apud Syriam, communi dedecore laboranti. Ludouicus per literas
certior, & eos qui fugâ euaſerant, ſiniſtri exitus Corradi, magnis itineri-
bus ſuperato Bizantio, in Aſiam aduolauit. Huic ſe Imperator omnium
indigus adiunxit. Sed cum Cæſareæ maieſtati indecens cenſeret, ſine mi-
lite ac pecuniâ, quæ bello amiſerat, ſatellitem Regium agere, fictis in ſpe-
ciem cauſis, de reditu cogitauit. Hiemauit Bizantij; vt collectis denuò vi-
ribus, maiori exiſtimatione ac robore, appetente æſtate reuerteretur. Scri-
bebatur interim totâ Germaniâ miles, quiq; cladi præteritæ ſupererat fu-
turo bello diſponebatur. Vt ceſsêre niues, & ſub dio agere copiæ potuêre,
Corradus valido cum exercitu, Syriam inuaſit; Vbi Regis Hieroſolymitani
ac Ludouici ſententiâ, de obſidendâ Damaſco, conſultatum. Sed obſtitit
magnis conſultis fortuna. Quippe in eaſdem miſerias iterum reuoluti Chri-
ſtiani, caſumq;, quem ante Corradus, experti ſunt. Regreſſi Hieroſolymas,
de reditu in Patriam deliberauêre. Non enim impulſore Deo, mota in Bar- *Infelix expeditio Chriſtianorum.*
baros arma credebantur, quæ adeo ſiniſter exitus excepiſſet. Sed & Guel-
fus ipſe, olim hoſtis, mox amicus, & ſeditionem voluens, in Germaniâ ob-
ſtabat; quô relicto in Aſiâ Cæſare, reuerterat. Id dubium Corradum impu-
lit, omiſsâ Orientis ſpe, de Regno & Imperio cogitare, cui hoſtis implacabi-
lis exitium minitabatur. Vt tetigit Patriam, turbata à Guelfone omnia, de-
ſcriptum in Cæſarem militem, comparatas tractando facinori amicitias
comperit. Vindictâ tamen abſtinuit, ſupplice rebelli; & intercedentibus,
qui vtriq; neceſſitudine iungebantur. Iam exciderat animo Syria, quietè
Germania agebat, per Italiam nullæ turbæ, niſi quas Rugerius, vtriuſq;
Siciliæ Rex ſuſcitabat. Hic vbi de inuiſendâ Italiâ Corradum meditari ac-
cepit, facinoroſo inſtituto, toti poſteritati deteſtando, ſua, quæ non iure
habuerat, tutari agitauit. Erat in Cæſaris aulâ Medicus, veteri miniſterio
Imperatori familiaris. Hunc Rugerius magnis muneribus emercatur, vt
Dominum veneficio perderet. Ipſi ſedem ſecuram, amęnos Campaniæ
ſinus pretium flagitij promittit. Medicus cui cuncta inerant, præter hone-
ſtum animum, gnarus talia cum periculo incipi, ſed ingentibus præmijs
compenſari, fidem vendit, operamq; promittit. Itaq; incautum Corradum,
frigidæ potu in mortem affecit, Milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecun- *Corradi mors.*
do. Veneni vis manifeſtior fuit quàm vt falleret. Et cùm innocentia, pie- 1152.
tas in Dominum, męſtitia, eludere ſuſpiciones poſſent, conſcientiâ tamen
ſtimulatus, vt in ſecurum, Neapolim, ad parricidam Rugerium ſe contu-
lit (vt ferè crimina ſibi ipſis piaculo ſunt) Vbi, quia proditores, & memo-
riâ, & metu inuiſi ſunt, Tyranni iuſſu, debitam pœnam ſubijt. Animus
erat, à ſimilium narratione abſtinere; & Mantuanas res ſerie annorum pro-

ſequi

ſequi: Sed quæ notatu digna euenêre, ſubleuando lectori cum vtilitate tradi credidimus: ne ſemper minoribus intenti, faſtidium moueremus; aut Cæſaribus, Italiæq; memoranda, aliena à Gonzagis crederentur. Sed hi Imperatorum placito ſuperant, & rerum Imperij euentus, familiam quoq; tangunt. Ipſa temporum ratio magis in promptu eſt; ſi atrocium recordatione exigatur. Per hæc ferè tempora Gonzagi Mantuano tolerantes, caritati in Cæſares, amori Patriæ medij, in ancipiti degebant: Quando vulgi ſtudijs inſerere ſeſe, carpebat nobilitatem; & abſtinere communione, augebat inuidiam. Parum erat ſuperbiam, odium, contemptum ſuorum interpretari; niſi hæc eadem in Imperatores flecterentur; & eruditè proditores accuſarentur. Quòd non ciuibus ſuis, non Dominis inter anguſtias, præſtò eſſent. Et refutare arduum, tot reclamantibus, & toties accuſatis hâc vnâ causâ. Itaq; Milleſimo centeſimo quadrageſimo octauo, miſſus familiæ nomine Albertus (parentes ignorantur) fuerat; indubitatè è Gonzagis; vt Patriæ ſuſpiciones elueret, & diſijceret apud Cæſarem obſtrepentes. Inuenit Albertus, Carlottum Bonacolſum, ſuorum ſtudio, Francofurti apud Corradum, ſuas ſpes modeſtè, Gonzagorum modeſtiam ſuperbè inſectantem. Qui vbi detegendæ perfidiæ æmulum vidit, præceps ad ſuos reuerſus eſt, vim metuens; aut ab Imperatore vindictam. Albertus nobilitate ingenita; & quia ſeipſam veritas effert; quibus calumnijs Mantuæ, quibus contumelijs in Aulâ agitati conſanguinei falsò ſint executus, ad ea vertit, quorum recens flagrabat inuidia; & erat manifeſtior excuſatio. Nemini ſiquidem ignotas Cæſarum ac Pontificum ſimultates, Longobardiæ Ciuitatum diſſentiones, Guelforum amicitias: Et tamen penè exactos Patriâ Gonzagos, quòd pro Imperatoribus dicerētur, quantò minus quàm contra Religionem? Auctoritatem minasq;, & paratam à Domino vindictam tumultuantibus comminatos, vt cauſæ niterentur. Non militem, non pecuniam rebus nouis, non conſilium commodauiſſe; honeſtius omiſiſſe quàm offendiſſe iudicantes. Sed diluta hâc quærelæ parte, manebat fama potentiæ, & auctæ plus nimiò pecuniæ: Quæ vt cætera vana deſpiciens, quantum agri, quantum ex Cremonenſibus ac Patrijs copijs detrimenti accepiſſent proſecutus eſt; vt ſponte ſuâ excuſatio ſequeretur; & cur Aſiaticam expeditionem, non ſeruitijs, non præſentiâ iuuiſſent. Veterum quoque memoria reducta; vt rebus integris, pro Germanis Cæſaribus, non opibus, non ſanguini pepercíſſent. Addebat magnorum beneficiorum vim; & vel apud Barbaros gratitudinem ſolitam referebat: Idq; tantâ animi ac ſermonis conſtantiâ, vt recepta libertas, excuſatiq; fuerint. Sublato Corrado, dicendi noui Cæſaris causâ Francofurtum Electores conuenêre: Et quamuis Corrado filius ſupereſſet, virtutem tamen, quâ Principem valere opus eſt, ſectati, Federicum conſenſu dixêre, qui Sueuiam Ducis titulo habebat. In eo Cæſare nihil erat, quod non Imperatoriam maieſtatem deceret: Munificentia, opes, potentia, nobilitas, rei militaris peritia, ſumma in agendis rebus prudentia: Quem barbæ rubore conſpicuum, Aenobarbum appella-

Gōzagi apud Mātuanos & Cæſarem accuſati.

Se purgant.

Federicus Aenobarbus Imp.

appellabant. Is vbi ſuſcitatos inter Germaniæ Duces tumultus compoſuit; & ſatis prouiſum paci credidit, Italiam in votis habuit; Longobardiam, præcipuè, quam nouis rebus ſtudere, & plus debito libertati inſiſtere compererat. Imperatoris enim abſentiâ, eò temeritatis euaſerat, vt ne minimam quidem obſequij ſpeciem, quæ ſeruitutem teſtaretur, præſtare vellet. Vis omnis in Mediolanenſibus erat: Qui populi frequentiâ, diuitiarum aggeſtu, amicitiarum ſecuritate, Cæſaream ſe quidem potentiam, ſed in libertate colere profitebantur; minis quàm obedientię propiores. Pari crimine notati Mantuani: Qui bellare ſoliti; & eandem Cæſaris, quam Cremonenſium vim rati, occaſiones proſpectabant. Auxit inuidiam Ioannis Caui Cæſarei Legati inſolentia: qui nullo ſeruientium aut meritorum delectu, obſequium, obedientiam, ac patientiam perſtrepebat: Et tamquam cum rebellibus ageretur, tollere iura, infringere immunitates, negare Cæſarum indulta; ad extremum perniciem Ciuitati comminari. Mantuani (&ſi magna Legati exiſtimatio) iniuſſu Cæſaris pleraq; admitti ſuſpicati, per Claudium Aucutum miſêre querelas; teſtati aut libertatem cum modo, aut excidium malle. Nec tamen reſponſo Cæſar Ciues dignatus eſt; ſed vt pares cæteris perfidiâ, in vltionem reſeruati. Inſtante Aucuto, vt Imperator aliquo affectu perrumperetur; non aliud peruicit; quàm diluendi criminis copiam futuram; cum de rebellibus Longobardis quæſtiones habitæ forent. Properabat interim Imperator, omnis moræ impatiens: Sed paruis copijs, ea pars Italiæ adiri non poterat. Habiti proinde delectus; & magnis exercitibus in vnum coactis, dicto citius Alpes tranſcendit. Cognitum id Mantuanis: Qui (nauatæ operæ Mediolanenſium memores, cum aduerſus Cremonenſes certarent) ne amicus populus excinderetur, miſêre Nuncium, Cæſaris aduentum, & opportuna tempori conſilia deferentem. Reſponſum ſolitâ contumaciâ. Ergo ne cum ſocietate perfidiam quoq; induiſſe; & famæ rerumq; ſuarum malo, obſiſtere Domino viderentur, miſêre denuò ad Imperatorem Legatos, Fauſtum Poltronum, Iordanum Merulam, Flauium Cicionum, qui ſe, ſuaq; arbitrio permitterent. Cæſar commeatu imperato; & iuſſis ciuibus amicitiæ rebellium renunciare, fauore proſecutus legatos, ad ſuos dimiſit. Sed & Ioannes Cauus, quæ per vim & turbas Priuilegia detraxerat, redditurum ſe ſacramento profeſſus eſt; fidemq; liberauit, vt Patriam attigit. Mediolanenſes vbi adeſſe præ foribus Federicum, & ſe in reliquorum culpam peti deprehendêre, præter opinionem ſanioribus acceſsêre: Et placandũ ante Principem ex vſu rati, legauêre nobiliſſimos ciuium, obſequiũ, & ingentem vim pecuniæ offerentes, ſi parceret lapſis; & demonſtratione amicitiæ, Lodium ac Comum ſibi ſubijci imperaret. Federicus vultu renidens, & iactato vertice, orationis imprudentiæ, ſic fermè reſpondit. Seruitium vos Regi veſtro præſtaturos, & ſemper credidi; & ſumpturus experimentum accedo; ſi pacem, quàm bellum probabitis. Vos alijs; alios vobis nullâ causâ ſubmittere ſuperſedeo. Sit veſtrum ac illorum par conditio, eadem libertas, Imperij libidine temperanda. Diuidite turbidos, quique

Mantuani queruntur de legato Imp.

Mantuani ſuã cauſam ſeparãt à Mediolan.

Et ſe Imper. dedunt.

prauis

prauis conſultis vos vindictæ ac periculo obtulêre. Seruire Imperio iuxta libertatem eſt. Deliquiſtis vos, illi modeſtiam retinuêre; vt nec vos beneficijs decorare; nec illos iniuriâ proſequi ſit animus. An leges creditis vos Domino daturos, & non niſi ſub conditione obtemperare? Abſceſſere legati, & quid Federicus pararet Ciuibus ſuis retulêre. Qui ſiue recenti metu, ſiue multò ante deliberaſſent; & iniquâ petitione, ſeditioni cauſam prętexiſſent, ſocias Ciuitates Aſtium ac Dertonam ſuæ fortunæ miſcuêre: Vt Mantuanum agrum Cæſar inceſſit, promiſſi commeatus à Ciuibus, nullâ parſimoniâ miniſtrati: Data pecunia; & iuuentutis pars, quæ præſens famularetur, reliquorum muneri ſatisfaceret. Ingreſſo Mediolanenſem agrum Imperatori, neq; per officium obuij fuere legati, nec commeatus miniſtrati; ſed nec Vrbis męnia (vt rebatur) patuêre. Ille conſilij certus, vniuerſam Regionem flammis, ferroq; vaſtare, prædam abigere, Oppida in ſpeciem ac munimentum condita, ſolo æquare; Aſtium ac Dertonam, quòd obſidionem cogitaſſent, diruere; deniq; diram vbiq; vaſtitatem relinquere. Qui eorum temporum memoriam poſteritati tradidêre, non arborem fructui, aut ſpargendis vmbris ſeruire ſolitam manſiſſe, armentorum ne veſtigium quidem ſuperfuiſſe, Villas deniq;, quibus referta Prouincia eſt, velut per laſciuiam euerſas meminêre. Docti Mediolanenſium exemplo Papienſes, muneribus, & obſequio ſibi, ſuiſq; impunitatem parauêre. Obſideri Mediolanum non placuit, niſi ſumpto prius in Vrbe Diademate,& accitis maioribus viribus; vt victoria ſine labore eſſet. Vbi Romam ventum; quamuis ab Adriano honorificè exceptus, & Imperij coronâ ornatus eſſet, pugnatum tamen inter Ciues ac Cæſareos; incertum mutuis odijs, an irâ in Pontificem: cui implacabiliter iraſcebantur; ob motos ordine Senatores, quos Cæſar impoſuerat. Poſt multum vulnerum, finis cladi impoſitus: Et quia omiſſa Germania tumultuabatur, ad ſuos vertit, ſumptâ in Italiâ vtraq; coronâ formidabilis. Cæterùm medio itinere Mantuam delatus, omni officij & caritatis genere exceptus eſt à Senatu; commeatu, pecunia, ac milite contra ſeditioſos inſtructus. Suſpectum Cæſaribus, non ſolùm Mediolani, ſed & Mantuæ, Senatus nomen erat. Siue libertatem præferrēt, ſiue ſpecioſo titulo in ſuperbiam populi tollerentur. Id expreſſum non inuitis, vt edictis Cęſares præſcriberentur, in hanc formam: cuius videre eſt exemplar, ſub annum Milleſimum centeſimum quinquageſimum quintum.

Mediolanenſis ditio malè habita.

Imp. Mātuæ.

In honorem & gloriam Dei, & Mariæ matris, nec non S. Longini Martyris. Sciant Ciues & Ruſtici Ditionis Mantuanæ, quod in Senatu habito die 9. Nouembris, authoritate Sereniſſimi Cæſaris Friderici, iubentur omnes, ferre in Ciuitatem, Frumenta & Legumina, quæ collegerunt in campis, aut ab alijs emerunt, &c.

Cum Imperator Mantuæ conſediſſet, Ciues conſcientiâ ſecuri, & pro eo ſtrenuè nauatæ operæ, indulto ſe aliquo, in fidei teſtimonium, ornari ſupplices petiêre. Nec abnuit Imperator; ſeu præmio virtutis, ſeu deſiderio conſtantiæ. Id tale fuit.


In

In nomine Sanctæ & indiuiduæ TRINITATIS. Fridericus Diuinâ clementiâ, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus. Imperiali honori congruit, & ipſa ratio ſuadet; vt fidelibus noſtris ampliorem gratiam, & dilectiſſimis fauorem impendamus. Illis præcipuè in quibus, plurima argumenta fidei claruerunt; Et vſq; ad hæc noſtra tempora, venire fęliciter meruerunt. Eapropter, tam futurorum, quàm præſentium fidelium nouerit ætas, quæ interuentu, & petitione, fideliſſimi Principis noſtri Graxendonij Mantuani Epiſcopi. Qui fidelitatem præclaram, nobis & Imperio magnificis exhibuit obſequijs, preces fidelium noſtrorum Mantuanorum, Auguſtalibus noſtris auribus admiſſimus; & ſecundùm Priuilegia noſtrorum anteceſſorum, quæ diligenter perſpeximus, cunctos Arimanos in Ciuitate Mantuæ, ſiue in Caſtro, quod dicitur Portus, ſiue in Villis, quæ nominantur Sanctus Georgius, Cipada, Formigoſa; ſeu in Comitatu Mantuano habitantes, cum omnibus eorum hæreditate & proprietate; paterno, vel materno iure; & in omnibus rebus communibus quæ ab eorum parentibus poſſeſſæ fuerunt, & eorum acquiſita, vel acquirenda; nominatim Silua Arimanora, Carpeneti, Sacra, Septinenti, ſiue per cætera loca in Comitatu Mantuano adiacentia, piſcationes quoq; in fluminibus, & paludibus, ſiue ſcriptionis titulo aliquo, quod iuſtè & legaliter eis pertinet; cum familijs vtriuſq; ſexus, ſeruis & ancillis, libellarijs, precarijs, & cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus, per huius noſtri præcepti paginam, prout iuſtè & legaliter poſſumus, eis conceſſimus, & corroborauimus: Scilicet vtraſq; ripas Fluminis Tartari, deinde ſurſum vſq; ad Flumen Olij, de aliâ parte foſſa alta, de aliâ parte Eccleſia Sancti Fauſtini, in capite, Variana. Et deinde ſurſum vſq; in Aggrigiam maiorem; eâ videlicet ratione concedimus eis omne Toloneum, & Ripaticum, quæ pro negocio exercentur, in Garda, in Lageſe, & in ſummo lacu, vel in Brixianâ & in Ferrariâ, vel in Comacchio, & in Rauennâ, ipſi, ſuiſq; filijs; ac homines qui illorum causâ laborantes negociantur, licentiam habeant poteſtatiuè negociandi, per iam dicta loca, abſq; omnium hominum contradictione, vel publicâ functione, vel alicuius Tolonei, vel ripatici reditu. Inſuper Palatij noſtri, apud Monaſterium Sancti Rufini conſtruendi poteſtatem eis concedimus. Albergariam quoq; nouæ & veteris Ciuitatis, vt circundata eſt muro, & omni iure eis remittimus. Ita vt nullum Caſtrum, ſeu ædificium, à vobis, vel veſtris ſucceſſoribus extruatur. Præcipimus quoq; vt liceat dictis fidelibus noſtris Mantuanis, ſecurè ire & redire, ad omnia mercata, ſiue per terram, ſiue per aquam, in Imperio noſtro vbicunq; voluerint, abſq; alicuius moleſtatione & Tolonei exactione. Hæc omnia ſupradicta Mantuanis omnibus, qui nunc ſunt, & adhuc futuri ſunt, iuſtè & legaliter concedimus, ſaluâ per omnia Imperiali iuſtitiâ. Si quis ergo Dux vel Marchio, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Comes, Vicecomes, parua vel magna perſona, huius præcepti noſtri paginam, in aliquo violare præſumpſerint, Mille libras auri optimi componat, mediam Fiſco Imperiali &c.

Ciues ornat priuilegijs. 1158.

Signum

Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris inuictiſſimi.



Ego Raynaldus S. Palatij Imperialis recognoui. Acta ſunt hæc, Anno Dominicæ incarnationis M. C. L VIII. Indict. VII. Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore Sereniſſimo, Anno Regni eius VIII. Imperij vero IV. Datum in territorio Regienſi, apud Suzariam XII. Calend. Aprilis.

Inſtituti rationem poſcere duximus; quando Mantuanorum Principum nobilitatem abs radice proſequimur, ad alia quoq; diuertere; ne Ciuitatis ac Ciuium ſi quæ certiſſima nobilitas ſubeſt, communis rei damno ſileatur. His namq; temporibus, & multò ante, ſuperſtite Gonzagâ domo, rerumq; potiente Mathildâ, quæ paternam ac maternam potentiam in alios tranſtulit, eò vſq; Andreaſij, auctoritate, opulentiâ, & ſtabili in potentiores fide profecêre: vt primi ſubditorum, Ciuilem fortunam ſupergreſſi, iuriſdictionem, & in neminem hactenus egreſſam Dominationem fuerint conſecuti. Neç Corradus ac Gerardus Gonzagi, Mathildæ longâ maiorum ſerie nepotes, quamuis plura tenuerint, formoſo Comitum titulo vſi leguntur. Ipſa Mathilda Regium ſplendorem æmulata, auguſtiori modo imperare noluit; ſed patre Marchione, Comitiſſam ſe dici ſatis habuit. Andreaſios quidem ſolos Ripaltæ eo titulo imperaſſe ſatis conſtat. Certè Trumannus & Albertus Germani, Ripaltam, Friderici de quo agimus munere in feudum accepêre Salutis Milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto: Comiteſq; dicti, cognomen & validos nobilitatis progreſſus, in poſteros tranſmiſêre. Et Mathilda crediderat, cum Guelfone coniuge, pares magnæ fortunæ Andreaſios eſſe, Ripaltæq; poſſeſſionem ſpeciali Diplomate conceſſerat. Haut minus Otho ſecundus, & Federicus ſecundus Cæſares, Andreaſiorum poſſeſſioni conſuluêre, ſuo quiſq; priuilegio & ſubſtitutis in hæreditatem liberis ac nepotibus, ne ſucceſſor in incerto foret. Hinc aucta poſteris familia, & in eum numerum euecta, vt Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo, maſculæ ſtirpis Ducentum triginta & vnus numerarentur; vniuerſi in Ripaltæ ius vocati. Cæterùm deuolutâ Ducenteſimum ferme poſt annum, à Cæſaribus ac libidine ciuium, ad veteres Dominos Gonzagos Mantuanâ Vrbe; nihil hactenus Andreaſij Imperatorum Decretis obtinuerant, quod Marchiones Mantuæ ſubſecuti non approbauerint: Additis immunitatibus; vt ſplendidiſſima familia, communia onera non experiretur. Nos ſingula, vetuſtiſſimis originalibus commiſſa, integerrimâ fide coniunximus. Nec ſi quos præter neceſſitudines, etiã virtutibus celebres, familia poſteris addidit, in

in tempore ſilebimus. Ad cœpta redeo. Reuerſo in Germaniam Cæſare, ſolitæ, & quia abditæ, grauiores inter Gonzagos, & Bonacolſos ſimultates, Vrbem fermè in præceps traxêre. Hi apud ciues potiores, illi etiam exteris commendati; vtriq; magnis affinitatibus nexi, diſcordes æmulatione agebant. Nec ratio ſuberat: niſi quòd iure crederetur, quod aduerſos vrſiſſet. Gulielmus vtriuſq; Siciliæ, facto prius, quàm nomine Rex, cū Pontifici iniquus pacem turbaret, etiam Longobardos ſeni infenſos reddere ſatagebat. Populis ad libertatem proximè videbatur; ſi intus ſecuri ac inconcuſſi, alienis licet diſcordijs agitarentur. Abſtinuiſſe ſecordiam dicebant. Nec Mantua; quamuis minore nomine Regias ſimultates auerſata eſt, ſed & Ciues ipſi, inter Regem ac Pontificem medij, diuiſi ſententijs digladiabantur. Bonacolſi pro Romanis, Gonzagi pro Rege erant. Et quod ſecretò, & clam diſſeminatis opinionibus, Gonzagi, non publico vterentur; acrius Bonacolſi, & tamen irriti nitebantur. Teſtante apud Senatum Iulio Caſtelbarco, errare vtroſq; diſſentionibus, Gonzagos etiam ſecuritate vti. Quippe manſurum Gulielmo Regnum; nec Pontificem Bonacolſis gratificaturum: Docuit exitus fuiſſe conſilijs prudentiam. Inimicitijs vtriuſq; non prouectis Gonzagis, non auctis potentiâ Bonacolſis; & laceratâ Ciuitate. Cæſaris in Germaniam reditus, grauis primùm Papæ viſus; vt qui Vrbanis ſeditionibus exercitus, quamuis ſanctimoniâ, vi tamen parum valeret. Et Gulielmus hominis quietem conatu omni corrumpebat; eratq; armis opus, vt finibus inſultans hoſtis arceretur. Multa vtriq; euenêre, quæ mutuò inuiſos, ſanioribus conſultis imbuêre. Ergo hinc inde agitato: quando iam ſuſpectus Cæſar, & parum ſpei externæ ſupererat, non aliud viſum, quàm ſi ſepoſitis odijs, in commune conſulerent. Cōmunes vires ſuffecturas, externis iniurijs propulſandis. Ita ſupplicem Gulielmum, Pontifex vtriuſq; Siciliæ Regem denunciat: Conceſſis quibuſdam, quæ non ante habuerat, pignori futuræ amicitiæ. Federicus vbi inter æmulos conueniſſe, & Regem vires ſibi, præſidiumq; tali amicitiâ quæſiuiſſe videt, palàm lamentabatur, foueri hoſtem, admitti Tyrannum, Regnorum inuaſorem donis ornari: Se fruſtra ſuſpicionibus petitum, vt Pontificis fidem, obſequiumq; abnueret: Et cum tantum inani queſtu, proferret indignationem, vertit ad præcipitia, quibus offendi quàm maximè ſenem opinabatur. Prælaturas ſuo iuſſu accipi iubet, Epiſcopatus indignis offert, excludit Legatos; Deniq; nihil omittit, quo iram, contumaciamq; teſtaretur. Mediolanenſes Pontificis ac Cæſaris diſcordias, nutrimentum perfidiæ credidêre; ideoq; apertè iam Imperij iugum excutere; vicinis qui in officio perſtiterant bellum inferre, congregare opes, commeatus, militem deſcribere,, nullo metu, etiam profeſſione contumaciæ auſi ſunt. Miſêre quoq; ad Mantuanos Paulum Corium Oratorem, qui flagitioſam amicitiam componeret, offerretq; pecuniam, quâ ſe aduerſus Germanos exercitu munirent. Statim Bonacolſi voluntati acceſſerunt, niſi Ciuium reliqui Caſtelbarco internuncio, Gonzagos conſuluiſſent. Illi tum rure agebant; reſponſumq; minimam ſe Ciuitatis partem, ſed pęnè

Bonacolſorū & Gonzagorum ſimultates.

Gulielmus Rex Pontifici reconciliatur.

Federici Imper. & Papę ſimultates.

auulſam communione reliquorum; proinde nec trahere, nec duci velle. Quietem in primis optimæ patriæ cupere; aut cum ratione, & pro Dominis bellum. Flagitiorum magna ac ſpecioſa initia; ſed quæ illicò reſidant; inhiantibus qui nomina dediſſent, vtilitati; labores ac pericula auerſantibus. Infirmioribus quòd conſenſu abripiantur ignoſci, ſed Senatum, nobilitatemq; pro omnibus luere. Fidem quam Cæſaribus vouerint, niſi ſacrilegio abrumpi. Proinde introſpectâ fœditate decernerent; ſe Imperium tueri non poſſe, nec velle laceſſere. His Mantuani certiora capeſſiuêre. Et tractâ in longum dilatione reſponſi, rerum tranſitus obſeruauêre, documento agendorum. Secuta mox Papæ ac Cæſaris reconciliatio, Federicum in Italiam traxit, iniurias vlturum, & vindictæ in deſciſcentes accinctum. Iunxêre ſe Cæſari per officium Principes Germaniæ; nec miles numero & viribus temnendus erat. In commilitium recepti Cremonenſes, antiquo in Mediolanenſes odio, & deſiderio excidij, cui inſtantiſſimè ſtuduerant. His auctus Cæſar, aſſiduis incurſibus, modò Vrbem quatere, modò ſocios hoſtium pacto præmiorum illicere, non Villis, non agris parcere. Et Cremonenſes futurorum prouidi, Imperatorem vrgebant, vt ſedem belli, cauſam tumultuum excinderet. Supplices tamen recepti; & grauiſſimis conditionibus obſtricti ſunt; quas nemo duraturas aſperitate crediderat. Imperator receptis obſidibus, & Caſtris eâ regione præſidio firmatis, nullo belli in Italiâ metu, in Lotharingiam abſceſſit. Vix conquieuerant, ſæuitiâ Cæſaris irritati Mediolanenſium animi, & maiori impetu eruptione factâ, fidas Imperio, ſibiq; viciniores Ciuitates inuaſêre. Parta præda, exciſæ Villæ & captiui non aliâ causâ, quàm quòd pro Imperatore forent, abducti. Nunciata hęc Cæſarem properato itinere in Italiam redire compulerunt; In ſeditioſos nullâ pietate pugnatum. Cremonenſes mutato conſilio, & potentiori obſtare auſi, ſiue viribus Mediolanenſium, magnis in ſpeciem fiderent, ſiue Mantuanorum odio, pacto ſeruitutis, excedere Patriâ, & ſua alienis cædere iuſſi ſunt. Sed inſtabat hyems; nec humentibus locis exercitus haberi, aut vis frigoris in aperto tolerari poterat. Sic Mediolanenſes in futuram vltionem dilati, & deſtinati. Mantuanis omnia meliora erant. Nam ſtabili in Cæſarem fide; & intutam Ciuitatum hoſtilium amicitiam, nec in longum potentiam illis, aut concordiam futuram prouidi, Germanos opibus, & commeatu iuuêre. Tranſijtq; vniuerſus exercitus, tantum Mantuani agri & innocuus, & ſolâ pietatis, ſocietatiſq; profeſſione deuinctus. Gonzagi Marmiroli Cæſarem ac multos procerum Germanorum excepêre; eò alacriores, quòd omnibus obſequij conſcientia eſſet, nec teſtibus aduerſus aliter ſentientes indigerent. Sed Bonacolſi etiam pecunijs amicitiæ Gonzagorum obſtantes perrupêre; vt fidi crederentur. Defuncto Adriano Pontifice, Alexander tertius ſuffectus eſt, non ſcientiâ, non ſponte Federici, qui ſibi electionis partem, ſaltem in ſpeciem poſcebat. Hinc ſimultates, & iuſſus Victor Alexandro æmulus, & à paucioribus nominatus, Pontificatum præferre. Querebatur Alexander, apud Imperatorem Schiſmatis occaſionem; nullo

Mediolanenſes à Mantuanis nō adiuti

Illi ſe Federico dedunt.

Gonzagi Federi. Imper. Marmiroli excipiunt.

nullo iure vſurpatam Sedem, & vt flagitij ignarum Cæſarem auxilio vocabat. Siue crederet, ſeu fingeret, quò promptius obtemperaret. Sed vanitatibus eluſus, certam in Friderico fraudem agnouit. Victoremq; ſola Imperatoris gratiâ valere deprehendit. Qui ne contumaciam apertè proferret, aut odia ſpecie pietatis carerent, conuocatum Papiam Clerum, paucis annuentibus, quibus haud dubiè vis inerat, Pontificem vulgari iuſſit. Præſtitiq; vt legitimo reuerentiam, ac diu in partibus habuit: miſſis in Germaniam, qui recipi, & debito cultu proſequi imperarent. Alexander quòd potentiam Principis, certum Prouinciarum animũ non niſi ſpiritualibus armis euinci poſſe cognoſceret, coactâ in Vrbe ſynodo, Cęſarẽ fideliũ cętui exemit; & quòd iam iam vindictæ properum affore crederet, in Gallias ad Ludouicũ Regem ſe contulit. Imperator ac qui Germanorum Principum cum eo erant; Alexandri cenſuram ridere viſi. Nec enim niſi ex iuſtitiâ crediderant Victorem à ſe ſupremo loco impoſitum: Et nullâ ſpe futurum, vt Alexander Pontificiæ Sedi redderetur. Tranſactâ ſummo ſtudio hyeme, & in vnum coactis viribus omnibus, Fridericus Mediolanenſium oppugnationi animum intendit: Magnâ enim contumeliâ, Imperij conatus, ciuitas vna, tot menſes videbatur ſpreuiſſe. Medio inter Mediolanum ac Papiam ſitu, Coracium Arx à rebellibus tenebatur, aduerſus Cæſaris vires. Quæ cum auxilij egeret, nec niſi Mediolano ductis copijs ſeruari poſſet, miſſi qui tuerentur, & ſi pugnandum foret, auderent. Campi medio Fridericus ſtetit; viam, & quidquid agri intererat, velut in ſuo habens. Miſêre milites, qui liberum tranſitum requirerent: Nec enim eò ſe peruicaciæ proceſſiſſe, vt obniti præſenti Domino, & arma inferre audeant. Quod vbi negatum tamquam neceſſitate in aciem proceſsêre. Diem integrum ferè pugnatum eſt; & multo vtriuſq; militis ſanguine: Ad extremum Cæſar victoriam conceſſit. Inde regreſſus Papiam, relictiſq; ſuorum pluribus millibus, quos proſecuti hoſtes, aut captiuos obduxêre, aut dimicare auſos ad vnum cecidêre. Victoriam Italorum nemo, Germanorum plures tradidêre; quibus abrogare fidem, ſine ratione eſt; nullo mendacij pretio. Audita per Germanias Cæſaris aduerſâ pugnâ, nec fregit animos, nec proceres ab officio reuocauit. Nouum enim militem Cæſari ſuppetias miſêre; vindictam & prædam præſumentes. Quibus inſtructi Imperiales, alterum annum obſidione Vrbem cinxêre. Quidquid Mediolanenſi agro ornatus exciſum; dirutæ ædes, in ſacra ac profana iuxta ſæuitum. Et quia, longius obſidium, in vicinos quoq; vis illata. Soli Mantuani intacti hoſtibus, ſeruatæ Imperio fidei præmio fuêre. Mediolanenſes continuis excurſionibus fatigati, vix pro muris ac portis, hoſtilem impetum ſufferre, aut arcere irrumpentes poterant. Plures ferrum, multos fames abſumpſit. Nec enim prouiſi commeatus, tot menſes ſufficere, aut noui importari potuerant; totum biennium vallatâ exercitibus Vrbe; vt egredi nemini liceret; niſi circumfuſa arma & cuſtodes fefelliſſet. Erat Vrbis Archiepiſcopus, qui licet ſeditionis initio bellum ſuaſiſſet; vbi tamen præualere Imperatorem, tantum ſanguinis fundi, fame multa

Federicus Imperat. excommunicatur.

Ad Coraciũ caditur.

 millia

millia perire cognouit, execrari peruicaciam, & deditionem proponere cæperat. Nec ſiluerant Mantuani; nam congruentia tempori ſuaſerant, vt bono publico deſeruirent, nec obſtinatione potentiorem irritarent: Integris rebus ſpem veniæ; vbi ſanguis cædesq; promiſcuè obueniſſent, ne peti quidem poſſe; quòd beneficium in inuitum non conferatur. Ille additis Mantuanis in partem conſilij; ſic proceres fertur allocutus: Si fortunam cauſa haberet optimi ciues, aut virtutem veſtram par exitus exciperet; bellum potius, quàm pacem probarem. Sed viduata habitatoribus Ciuitas, vndantes noſtro ſanguine riui, fuſi paſſim totâ Vrbe milites, per inediam, per vulnera, miſeratione animum conficiunt. Iam tot emeritorum ſenum, tot innoxiæ ætatis,ac imbellis ſexus millia, fame ac tabe abſumpta, quamquàm mihi ipſi non timenti, pietatem exprimunt. Futuro proſpiciamus, quando præterita,deliberationem,non correctionem admittunt. Nec enim vires; ſed nec animus nobis ſuperſunt, ferendis quotidianis incurſibus: Quòd foris vulneribus, intus pęnuriâ abſumamur. Cæſarei camporum adiacentium beneficio, rebus noſtris ad luxum exſatiantur. Nobis nîl reliquum eſt, quàm virtutem cum alimentis perdidiſſe. Nec aliunde detritæ fortunæ noſtræ auxilium ſperamus, quòd victori exercitu, & Vrbes, & longius ſitæ Prouinciæ teneantur. Dediti fortitudinem non imminuimus,ſed calamitati cedimus; & reſumendorum armorum conſilium, in aliud tempus reijcimus. Dura neceſſitas,deplorata ſalus impellunt. Si qui caritatem oſtentant, conſilium fortitudinis, conſtantiæ, magnanimitatis ingerunt, ipſi tuti, & ſatij: Sed non militem, non commeatum tranſmittunt, quibus deſtituimur. Contumaciâ noſtrâ in ſubſidium,laboribus in ſecuritatem vtuntur: ſiquidem his miſerijs noſtris attineri Imperatorem, & longè ab ipſorum finibus auerti norunt. Conciliatum & ad ſua regreſſum reformidant. Nî deditione victoris ſæuitiam præuenimus, cædi, rapinis, incendio deſtinamur. Atq; vtinam belli iure liceret cadere. Perire tantùm licet; poſtquam ſpem omnem virtutis conſumpſimus. Idem ſapientiores exteri; & ante alios prudentia vſi Mantuani conſulunt: quos ſpectatores alienæ calamitatis, & cladenoſtrâ ditatos intuemur. Conſilium in tempore datum,accepêre qui aderant, & deditio, cum ſpe veniæ maturata. Fridericus, & ſi ſeditionis, acceptæ olim cladis, contemptæ potentiæ, fuſi ſanguinis memoria, ad vindictam ſæuum in morem traherent; Satis tamen pœnę ſumi arbitratus eſt; ſi ſpoliata Ciuitas, excidio dederetur, ſalute conceſsâ, quibus præter ſpem eueniſſet. Nulla alia ſpecies,maiori pietate adſtantium animos affecit. Diruta mœnia, ſolo domus æquatæ, ſacræ ædes incendio vaſtatæ, vetera Vrbis ornamenta, in contumeliam excisa. In honorem quoq; ſæuitum: quòd ſatis indulgentiæ conceſſum in ſalute videretur. Iam ſummâ in veneratione habitæ ſacræ reliquiæ, inter victores diuiſæ, & aliò aſportatæ ſunt. Quorum celeberrimæ, trium Magorum corpora, in præſentem Coloniæ aſſeruata, Archiepiſcopo acceſsêre. Nec licet promiſsâ impunitate, ciues omnes euasêre. Plures per occultum cæſi, alij tormentorum vi ab-

Mediolani excidium.

ſumpti

ſumpti ſunt; quòd per fraudem auitas opes, & congeſtam ſecreto pecuniam abdidiſſent. Qui vindictæ ſuperfuêre, inductâ Mediolano vaſtitate, vicinis campis, acceptâ licentiâ conſedêre, ruſticis caſis, & tugurijs raptim extructis: Idq; Salutis Anno Milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſecundo. Nihil 1172.
totâ Longobardiâ reliquum erat, quod ſpes Cæſaris poſſet infringere; deletis Mediolanenſibus; quiq; ſubſidio eorum arma contulerant, Bononienſibus, Placentinis, Brixianis, Cremonenſibus. Ditatus vniuerſus exercitus tot Ciuitatum ruinis: Et in Cæſaris ærarium, magna auri, argentiq; copia congeſta. Cæteræ Ciuitates, aut per obedientiam integræ, aut peruicaciâ notæ, in ordinem redactæ, Victoris Antipapæ arbitrio permiſſæ. Præcipuâ Mantuanorum fide; quos in commilitium adſcitos, & ſtrenuè pro Cæſare nauantes, indultis ac priuilegijs multô ante donauerat. Bonacolſi qui diſſentionum initio Pontificem perſtrepuerant, conſuſi, vt prauè conſuluiſſent oſtentabantur: Contra Gonzagi, iuuiſſe Patriam; & niſi monitis affuiſſent, perditam iri innotuit. Priuilegium hac formâ habitum.

Mantuani à Federico Imper. priuilegijs ornãtur.

Federicus Dei gratiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus. Tantæ clementiæ noſtri Imperij dignitas fuit, quæ fidelium ſuorum votis, & precibus, aures benignitatis nunquam negauit: ſed cum omni fauore, & plenâ gratiâ atq; dilectione, ad omnimodam ipſorum voluntatem, benignũ omni tempore inclinauit aſſenſum, ſicut ipſarum rerum effectus frequenter declarauit. Nos enim conſtantiam fidei, & fauorem amoris, fidelium noſtrorum omnium Mantuanorum, circa honorem Imperij, & noſtrum diligentius conſiderantes, eorumq; multa & præclara ſeruitia, in memoriâ & præ oculis noſtris habentes, quæ ipſi bonâ fide, & alacri deuotione, ſemper Imperio exhibuerunt, quòd etiam à noſtrâ fidelitate nec pretio nec promiſſionibus vnquam receſſerunt, ex noſtrâ Imperiali largitate & clementiâ, interuentu etiam, & petitione venerabilis & dilecti noſtri Epiſcopi Mantuani Garſendonij; quem circa nos ſemper fidelem inuenimus, ea beneficia, quæ in ſequentibus declarantur, prædictis fidelibus noſtris Mantuanis, cum omni beneuolentiâ concedimus & donamus. Fictum Regalium centum librarum, & ipſa Regalia eis remittimus, & amplius non repetemus. Expeditionem Romanam, & Apuliæ, Siciliæ, & Calabriæ, ſimiliter eis remittimus. Expeditionem quoq; & guerram, contra Veronenſes, & Venetos, Paduanos, & Vicentinos, ſimiliter eis remittimus. Promittimus etiam, quòd nec nos noſtri habitationem faciemus in Ciuitate Mantuæ, vel in Epiſcopatu, ad faciendam guerram ſupradictis Ciuitatibus, contra voluntatem communis Mantuæ. Statum quoq; & honorem Mantuæ, & bonas conſuetudines quas habebant, ante introitum in Italiam, ſeu poſſeſſiones ab eis poſſeſſas eis conſeruabimus. Ciuitatem Mantuæ & ſuburbia, non deſtruemus, nec deſtrui permittemus, ſed illæſa conſeruabimus. Et ſi aliquando contigerit ipſos Mantuanos intrare guerram pro nobis contra Veronenſes, & contra prædictas Ciuitates, eos iuuabimus, ſicut bonos fideles: nec ſine ipſis pacem vel concordiam faciemus. Et hæc tria extrema capitula inferio-

ra, Colonienſis Archiepiſcopus Raynaldus, & Otho maior Palatinus, ſacramento ſuper Euangelia firmari fecerunt. Quòd à nobis debeant obſeruari. Huius teſtes ſunt, R. Colonienſis Archiepiſcopus, Otho maior Palatinus. Henricus Marſquelius de Granbach, Corradus Pincerna, Rodingherius Camerarius, Rodulphus Mantuanus Cameræ Imperialis Iudex. Hugo Azonis, Henricus Sigifredus de Sanctâ Agatha. Datæ Papiæ apud S. Saluatorem VI. Calend. Iunij. Sicut Raynaldus Colonienſis Archiepiſcopus iurauit, ita Chriſtianus Imperialis aulæ Cancellarius iurauit. Præſentibus teſtibus Comite Lanteneo Maluicio, & Angelo Sacri Palatij Iudicibus, & Adhelandro, anno 1165. Indict. xij.

Prius quàm Federicus Priuilegium meditaretur, miſerant Mantuani oratores Papiam, quibus inter cætera poſcebant, ne bellum adiacentibus facturus, Mantuam ſedem deligeret. Quippe militaris licentia, & ius per turbas corruptum metuebatur: Ne belli tempore, raptus, iniuriæ: & quæ in pace atrocia, per ſeditiones leuia creduntur, experirentur. Vtq; grata per quietem Principis, ita inuiſa bellantis præſentia eſt. Sed multo auro ciues in commune coacto, Cæſarem pecuniæ indigum peruicêre. Facti gloria pęnès Bonacolſos fuit, qui rem in prælijs arduam attentari, & Principis ſui auaritiam munere detegi, magno conatu in Senatu conſuluerant. Abſtinuerant Gonzagi; magnitudinem animi, nobilitatemq; è ſuis, apud Dominum metientes. Sed ſi bellum ingruat, nihil vnquam pecuniæ ſatis eſt; & tum ſufficit, vbi abundat. Quo nomine recepti Mantuani, tamquam ſupplices orarent, ac dono darent. Puduit etiam inter inopiam beneficiorum venundatio, nominis fœditate. Diſtracto ad externa bellis Imperatore, ſua Germaniam quoq; ſeditio perditum ibat. Secutis enim Cæſarem, totius fermè Regni primoribus, cuncta per Miniſtros exercebantur, lucro & quæſtui, plus quàm ſub ſeuero Domino conduceret, intentos. Breuem enim fluxãq; occaſionem parandæ pecuniæ rati, oblatis auidiores erant(nî, ambitu, pecuniâ omnia peruia) ditiores pro melioribus habiti; & ſæpè tamquam opes flagitium eſſent, in prædam abrepti. Vulgus, cui nullum niſi ex legibus ſubſidium eſt, vix tributa tolerare, famem, ſitim, laborem, cæteraq; belli mala pati: Hinc queſtus, & vno Imperatoris reditu ſpes remedij. Angebant conſternatos prouinciæ animos, manifeſtæ inter Magnates diſſentiones, quę ad iuſtum bellum vſq; exarsêre. Comes Palatinus Tuingenſis, & Bauariæ Dux, priuatis odijs infenſi, prætextu limitum in armis erant. Cæteri hunc aut illum, prout in vtroſq; odio, aut amore ferebantur, ſequebantur. Pugnatum ſæpius euentu ambiguo, captiui abducti; & pro finibus etiam, obſidiones Arcium tentatæ. Imperator, modicis initijs, graues exitus, iunctis hinc inde auxilijs ſequi ſolitos, & res Imperij conuelli tali contentione ex ratione putans, in Germaniam citis equis aduolauit. Nec tamen bellantibus arma interpoſuit; ſed præcepto ne bello decertarent, ſe cauſam ex æquo cogniturum promiſit, magniſq; difficultatibus, ſeram tandem pacem impoſuit. Deſæuiſſe tantos rerum motus in Germaniâ, ſummam

Federico

Federico vtilitatem tulit. Vix enim exceſſerat Italiâ, & iam inter rebellionis ſocios ad arma conclamabatur. Mediolanenſes, Placentini, Brixiani, Cremonenſes, Veronenſes, ac Veneti, malè ab Imperatore habitę Ciuitates, in commune conſuluerant, vt Principem ipsâ in pace ſæuum, bello trucem, legibus inuiſum, publicis ceruicibus depellerent; ſeq; vel cum ſalutis diſcrimine, libertati addicerent. Rigor, & inſueta gentibus decreta diſplicuêre. Sed honeſto titulo opus erat. Viſumq; Alexandri Pontificis partes, contra Victorem Antipapam promouere: Quamquam inuidiâ in Cæſarem peccaretur. Mantuani quibus officium ſaluâ religione ſeruabatur, nullo Victoris ſtudio, Imperij tamen decus tutati pro viribus ſunt: Et Cæſar non minores prudentiæ, quàm armorum vires exiſtimans, quando de Pontifice dimicabatur, conatu omni Victorem, vt rerum ſummum, à Galliæ Rege, Boëmię, & Scotiæ haberi procurauit. Sed obſtitit nequitia; ne quod per ſummam iniuriam, id pacto fidei ab omnibus haberetur. Miſſus tamen Luccam cum milite, vt præſens Italiæ, deliberantes alliceret, corruptos in fauorem, retineret. Hic vexationis impatiens, & metu futurorum (iam enim Alexander per amicitias, auctoritate ac potentiâ gliſcebat) graui morbo circumuentus exceſſit. Sed oportebat eligi ſucceſſorem, ne prætextus deſineret, cui Federicus inſtiterat. Et voto Prælatorum, qui comitati Victorem fuerant, Paſqualis ſubrogatur. Huic non eadem apud Imperatorem gratia. Protectus tamen eſt, tamquam cauſæ approbator. Innatum homini eſt, raro honeſto, plerumq; vtili inſiſtere, cui ſtatim ſpecies affingatur. Cæterùm quæ Alexandri Pontificis cauſam præferebant Ciuitates, frequentibus literis orabant; rediret in Vrbem. Multa aſpectu, & præſentiâ componi, quæ inter abſentes vix armis obtineantur. Oſtentare ſe Pſeudo Pontificem: & vulgus ignarum, ex conſtantiâ & firmitudine, cauſam iudicare. Nec enim plura ab ignaro requiri; ſed præſentiam, conſenſum, voces approbantium ſufficere. Abſceſſuros plurimos, vbi ipſum per honeſtas artes aſſumptum, ſummumq; generis humani rectorem vidiſſent. Additæ & à Galliarum Rege preces; quas cauſa, aut obſecrationes Italorum elicuerant. Ille quamuis rebus dubijs, & diſcrimini ſe obijceret; ne tamen optantibus deeſſet, aut cauſæ diffideret, Romam venit. Firmatæ animis Ciuitates, eius præſentiâ ſunt; & futuro cum Cæſare bello alacrius accinctæ. Federicus etſi ſimulatione iræ, & ſpecioſo titulo vim tegeret, magnis tamen exercitibus ſe vallauit, & irrupit Italiam. obuios per officium, Ciuitatum Legatos habuit, comiterq; exceptos eluſit: ignarum ſe ſocietatis rebellium, & bellici apparatus ſimulans; ſed tempore erupturus in vindictam, & vetus meritumq; odium redditurus. Facilis Principi, apud coactos, ſimulatio eſt: Sed non prudentiam, non vtilitatem habet, niſi imponat, amittitq; nomen ipſum, niſi fefellerit. Iam verò ne vis hoſtilis mole vnâ ingrueret, diuidit copias: Pars in Hetruriam contra Alexandrum miſſa, reliquum ſibi Anconam oppugnaturo adiunxit; quod illa Imperatoris Græci partibus fauiſſe crederetur. Mantuani debiti memores, & certo in Imperatores obſequio, aduentantem quin-

Itali Imper. rebellant.

Mantuani in fide.

gentorum

gentorum peditum auxilio, pro fortunâ Ciuitatis iuuêre. Dati nullo pretio commeatus, oratusq; Cæſar tutelam Vrbis aduerſus accolas, & vim militum ſumere. Gonzagi nullo celebri facto memorantur; laceſſiſſe ſecretum crediderim; ſi quid laudatum Ciues executi forent, ſibi imputantes; aduerſa in ſeparationem reijcientes. Et tamen ægrè crediderim, nobiliſſimam familiam, eo rerum motu, innominatam tot tradentibus fuiſſe. Niſi maius Senatus nomen, & Bonacolſi obruêre memoriam. Mediolanenſes interim, ſitu Vrbis exacti, & ruſticis tugurijs velut precariò tolerantes, queſtu & lachrymis, vndiq; auxilium poſcebant. Nec defuêre qui arma, pecuniam, & paci belloq; neceſſaria conferrent. Nota omnibus Federici ſæuitia;& (ſi ſors tuliſſet) parem fortunam, à ſuperbiſſimo hoſte opperiebantur. Paucos intra annos, quæ ante ſolo æquata Ciuitas fuerat, ſi non decori, priſtino tamen robori reuixit; propugnaculis, foſſisq; aucta, incolarum frequentiâ magnæ & difficili obſidioni reſtituta. Premebatur Ancona aſſiduis inſultibus: Et ne vires omnes Cæſaris illâ erumperent, diuiſæq; vires hoſtium, facilius tolerarentur; viſum Romanis aduerſus Tuſculanos, qui pro Cæſare erant, obſidionem parare. Pontificij exercitus plus quàm triginta millia cenſebantur. Sed parum fortunæ, (quidam virtutis referunt) apud Eccleſiaſticas copias deprehendit poſteritas; deficiente belli diſciplinâ, nouo ſemper delectu, & Pontifice pacis non diſcordiarum ſtudioſo. Obſeſſi vim hoſtilem conſpicati, Cæſarem per literas docent, quo diſcrimine Ciuitas eſſet, addendumq; præſidium, vt uis ingruens ſuſtineri poſſet. Miſſa Germani exercitus Viginti millia; bello pridem exercita, iuſſaq; diſtractum hoſtem in inſidias trahere, & mox incautum circumuenire. Ergo oppugnationi potius, quàm ſecuritati Romanos intentos acriter inuaſêre. Illi veteris gloriæ retinentes, conatu omni, non incolumitatem, ſed victoriam quærebant. At Germanis cum obſtinatione certantibus, & ſimul effuſis Tuſculano copijs, quæ prius vix tolerandæ obſidioni ſuffecerant, omnes ferè ad internecionem deleti. Sunt qui Cannenſi ab Annibale cladi hanc comparent; magnitudine, & effectu. Vbi de Germanorum victoriâ Romam delatum, & tot Ciuium millia perijſſe; clauſa fora lugubri iuſtitio; alius fratrem, patrem alius querebatur: Iamq; Vrbis excidium inſtare; & tot miſeris ciuibus, vix reliquum diem vnum lamentabantur. Alexander Pontifex, &ſi amiſſis rebus arduum ſit, ſpei inſiſtere; ne tamen Romani frangerentur aduerſis, aut prorſus futuro diffiderent, auctoritatem precesq; miſcebat. Federicus accepto fauſti belli nuncio, relictis ad Anconam qui obſeſſos premerent, nouis copijs Romam pergit, gnarus expugnatâ Vrbe, cæteras in obſequio futuras. Et Pontificem Alexandrum anguſtijs & neceſſitate victum, promptius Germanis ſuis ſatisfacturum. Vix ſeſe Vrbi oſtentauit, & Vaticano potitus eſt, quamuis Pontificijs propugnantibus. Elapſus Alexander in Vrbem ſe recepit, cuius tutelæ plura hominum millia collegerat. Cumq; parum ſuis fideret, Tiberi delatus, in Calabriam enauigauit; miſſis à Gulielmo Rege Triremibus, quibus periculo eximeretur.

Romanorum clades ad Tuſculum.

Federicus Vrbem inuadit.

Papa fugit.

Fortuna

Fortuna Vrbi pro virtute fuit. Cum enim vim hoſtium ac numerum ferre non poſſent, graui aëris contagione Cæſareus exercitus, & Vrbs Roma corrupta eſt. Exceſſerat certamen virtutis; fuſiq; paſſim per vias ac fora, nullâ caritate iuuabantur. Sublata è medio multa hominum millia traduntur; quos peſtilentia non magis, quàm iuncta morbis inedia oppreſſit. Non enim accedere, curare, fouere, hortari ad ſpem quiſquam audebat. Interciderat generis humani commercium, metu diſcriminis, & parato exemplo piorum. Imperator, quiq; rebus ſuis, cęli mutatione conſulere properabant, in Hetruriam abiuêre. Relictis tamen, per quos Romani, aſſiduis incurſibus fatigarentur. His ferè temporibus Paſqualis in Schiſmate Papa, ſeu communi morbo, ſeu ſenio è viuis exceſſit; cunctorumq; Imperio ſeruientium votis, Callixtus ſubſtitutus eſt, mutato nomine, eâdem perfidiâ. Sed Germania Cæſarem præſentem habere ſolita, diutius abeſſe non ferebat; non ſeditionibus quidem, ſed precibus reditum extorquens. Ille præſidio firmatis quæ præceperat, relicto per varias Italiæ partes milite; qui vbi opus foret, mutuam operam impenderet, in Germaniam reuertit: Relictis ſæuitię ac feritatis exemplis; vt futurorum documento, ſic barbaræ impietati propioribus. Mediolanum, quæq; in Imperatorem rebellionem parauerant Ciuitates; non ſatis contumaciæ credidêre, ſi petitis auxilijs, ſe ſuaq; præſidijs firmaſſent. Ad maiora conatus verſi; viſumq; Ciuitatem extruere, quæ Papiam, ac Dertonam inter, motus hoſtiles compeſceret; & editiori loco, quàm vt facilè ſuperaretur. Statim de loco, habitatoribus, nomine conuenêre. Cum enim Alexandri cauſâ, ſe Imperatori aduerſos, & iuſto titulo contra damnatum arma ſumpſiſſe profiterentur, Alexandriam dici voluere. Nouæ ciuitati, magna illico habitantium acceſſio facta; vt vix altero à muñimentis anno, quindecim hominum millia apta bello cenſerẽtur. Dedêre in Ciuilitatem nomina, Placentinorum, Cremonenſium, Lodienſium, Nouarienſium, Bononiẽſium plerique; & facultatibus in pecuniam redactis, partem familiari vſui, publico aliam impendêre. Per Longobardiam vagi Mediolanenſium Legati, conſilio, prece, vniuerſos conuocabant, ſoli vbertatem, munimenti robur, ſecuritatem aduerſus Cæſares iactantes. Se tutores fautoreſq; offerre. Nec enim aliud à Ciuibus requirere, quàm vt vitam, honorem, lares clauſi tectiq; tuerentur. Ad famam nouitatis Mantuani quoq; euocati ſunt. Nec defuêre, præter abiectos, è nobilibus qui properarent. Adeo recentia veteribus antehabemus. Hos inter, Poltroni, Auocati, Bonalli (quos Bonellos ſuſpicor) Paueſij, Fontanulæ abiêre. Et maior erat migratio, ſi Gonzagi conſilium laudaſſent, aut exemplum Bonacolſi præbuiſſent. Sed Patriæ amor vtroſq; retinuit; hos vt citò ac breui, illos vt poſtmodum & diu imperaturos. Longobardorum licentia, atq; adeo Regia potentia Imperatorem Germaniâ exciuit. Indignè acceperat Mediolanum non ſua tantùm tutari, ſed proficere, reſtitutis munimentis, militem, pecuniam, commeatũ, intuliſſe. Et quò maior Imperij contemptus eſſet, nouas Vrbes nouo milite firmaſſe. Ergo ſolitum ſibi exercitum in Italiam rapit; rapinas ac vindictam præ-

Alexandria extructa.

Habitata etiam à quibuſdam Mãtuanis.

præſumens. Per Mantuanum agrum multa Cæſareorum millia traducta, vt Padanam planitiem obſiderent; nec tamen præter alimenta(quæ etiam modeſtiſſimi, belli tempore requirunt) aliud quęſiuêre. Milite tamen partes iuuiſſe non comperior; ſiue amore veri Pontificis (qui precibus aſſiduus miſerationem ſui mouerat,) ſiue ſic Cæſar imperauerat, quòd amicos onerari noluiſſet. Sed in eo tamen deliquerat, quòd in exercitu plus externi, quàm ſui militis haberet, eſſetq; bellum non ſuo, ſed alieno arbitrio temperandum.

Imp. eam oppugnat.

Henricus quippe Saxoniæ Dux, anathematis formidine (vt traditur) aut militiæ ſatietate, ſeu parando ſibi Imperio, Federicum Alexandriam totis viribus oppugnantem, & iam victoriæ ſecurum, alia prætexens deſeruit; ſecumq; quindecim hominum millia, quæ ſui Principis auſpicia ſequebantur abduxit. Transfixit Imperatoris animum Saxonis peruicacia; quod non precibus, non communi neceſſitati acquieuiſſet; & in tempore rebellaſſet, aut vocatum auxilium opportunitati ſubtraxiſſet. Coactus enim paucitate ſuorum Cæſar, obſidionem, mox militiam ſoluit: Et in Germaniam per diſcrimina & caſus, etiam priuato homini indigna ſe recepit. Vix in tuto fuit, & iam Henricum Saxonem mouere compoſita, & ad arma Prouinciam ſuſcitare affertur. Fortuna Imperatoris fuit, Henricum ſuperbiâ & arrogantiâ intumuiſſe, vt cæteris Regni proceribus inuiſus eſſet. Nam partim ſuo, partim amicorum exercitibus Cæſar, fidentem, nec Saxoniæ metuentem inuaſit; & feſtinato incurſu, quidquid Henrico parebat in ſeruitutem accepit. [illegible]iati perfidi Ducis Prouinciæ, ijs qui Imperatori ſedulo operam præſti[illegible]terant ceſsêre; victoris arbitrio, & ſecuto ſingulorum ſacramento, perpetuę obſeruan[illegible] in Regem Romanum. Cęterùm vt victoria quamquam ſanguine habita, ſemper in quæſtu eſt, ita Federicus auctus Imperio, amicitijs, pecuniâ, milite formidabilis, denuò in Italiam redijt; veterem iniuriam, & contemptui habitã maieſtatem intonans.

Federicus iterum in Italiam.

Certiore tamen conſilio, & meliori euentu Mediolanenſium conatus procedebant; addito Numine, quo contra Sedis Apoſtolicæ hoſtem pro Italiâ fortiter dimicabãt. Vbi enim Cæſareus exercitus, ac Mediolanenſis in aciem educti, & ſignum pugnæ datum, inualuêre hoſtes, & amiſsâ Imperij Aquila eſt. Quo viſo cum pro viribus intentus Imperator, recipere vexillum niteretur, mediâ acie, vnâ cum equo concidit. Id Germanis conſternationem tulit: Cæſum enim Imperatorem credidêre. Hinc manifeſta pro Mediolanenſibus victoria; & Germani ad veſperam, ſatietatemq; trucidati. Attamen per obſcurum noctis, flexuoſo incertoq; itinere, Cæſar ad ſuos primùm, mox Papiam peruaſit. Vbi ſparſæ belli reliquiæ, nouo è Germaniâ milite auctæ ſunt, maiori quàm antea numero. Obſtitit Fortuna prauis mortalium conſultis: Et cum bellum Mediolanenſibus Germaniſq; iuxta periculoſum renouari poſſet, ſalutarem dexteram intulit. Aderant Imperatori Principes viri; quorum alij iuſſu, alij per obſequium comitabãtur. Sed præ cæteris auctoritate ac conſilio Moguntinus Archiepiſcopus, etiam coniugi Regiæ acceptus, animum aſperioribus pronum, ad mitiora conuertit. Vbi enim virtutem hoſtium, cauſæ æquita-

Ad Mediolanum cęditur.

æquitatem, præteritæ pugnæ infęlicem exitum attigit, flexit ad victorias, quas nunquam integrè, aut ſine ſanguine partas recenſuit. Promptam illi non Germaniæ, ſed & Italiæ poſſeſſionem fore, ſi viribus cauſa accederet; aliàs metui contagia, ſeditiones, hoſtiles incurſus. Nec arduo opus; agnoſceret Alexādrum Eccleſiæ Dei primatem; compoſitisq; cum eo rebus, cætera mox affutura. Datum rei experimentum, Henricis, Corradis, ſibiq; per Italiam, per Germaniam bellanti, proſperis, & aduerſis. Federicus magnitudine animi quâ ſemper viguerat; vbi conſilio non vi, precibus non ſeditione, pietate non arrogantiâ, orari voluntatem vidit, facilis acceſſit. Miſſi in Vrbem Legati, Pontificem vexationum ſatiatum, pacis deſiderio languentem reperêre. Nec ſuperbiam, faſtumq;, ſed erga Cæſarem miſerationem, & tot armatorum millia, pietatem induerat. Simul conſultatum de remedio, ac modo. Et ne Cæſar vbi ſeuerius ageretur, mutationi facilis, ſemel placita pro irritis haberet, ſors obſtitit. Per eadem quippe tempora Imperatoris filius, vi, animoq; Parenti non degener, Venetorum conatus, qui pro Pontifice erant oppreſſurus, claſſe ingenti Adriaticum inſederat. Veneti Sedis Apoſtolicæ ſtudio, ante mortales omnes, cauſæ & virtutis ſecuri, obuios ſe Treuicum, magno contra apparatu prebuêre. Triremium ac nauium, quibus miles ac tormenta vehebantur, numerum proſequi, extra ſcientiam & fidem eſt. Pugnatum in Germanos fœlici euentu. Nam plures hoſtilium nauium, inter cædem, fugamq; obrutæ: Militum innumeros mare hauſit, plures in captiuitatē abducti. Et Federici filius, perniciē quam ſeruitutem, ac dedecus mallens, dum facto dictoq; conſpicuus, hos retinet, illos impellit, Ludouici Cornelij Ducis Venetum fortitudine preſſus, & è medio ſuorum abſtractus eſt. Hunc velut obſidem, Regio licet cultu habitum, componendæ inter vniuerſos paci Senatus detinuit. Pontifex quamquam ſecundis rebus ſuis caſum annuere, & ſortem ſibi æquam, Cæſari aduerſam agnouit; moderandum tamen fortunæ cenſuit; ne ſucceſſu elatus, minus Numinis fauori daret, aut inſoleſcere crederetur. Id ſolùm ex auctoritate decretum, vt Cæſare ad concordiam acceſſuro, non Papia, ſed Venetiæ deligerentur: Vt vel in ſpeciem, ipſe obſequio dignitatem, Cæſar modeſtiam præferret. Sunt qui Senatus faſtum accuſent, quaſi mediâ Vrbe, præſentem Pontificem, & Imperatorem ſupplicem intueri voluerint, vtriuſq; deſpectu: dum præualere Alexandrum, & ſuorum viribus victum Federicum oſtentare geſtiunt. Quæ in caſum iacta, ab æmulis, auerſantibuſq; potentiam, vulgata ſunt; vt inuictiſſimi Senatus maieſtas, nec quidem ob merita in Deum, ac Sedem Petri benè audiret. Tamen victa inuidiâ eſt; & ſi linguæ ſileant, facta teſtantur. Accepit conditiones Federicus, & Venetias profectus, Senatus, Pontificiſq; comitatem præſens commendauit. Mox ſolidam cum omnibus pacem inijt; tractis in beneficij partem Longobardiæ Ciuitatibus, quæ bellum auſæ fuerant, & Alexandri iniurias vltum iuerant. Reuerſo in Vrbē Pontifice, & Callixto Antipapâ ijs quibus nitebatur ſubſidijs deſtituto, facilis Schiſmatis abolitio fuit; falſo errore, & pœnitentiâ

Venetorum victoria contra Henricũ Federici filiũ

Federicus cõcordat Alexandro Põt. Venetijs.

ſacramen-

ſacramento firmatâ. Mantuani inter amicos, hosteſq; medij ſilentio omiſſi; quòd fugientem Imperatorem deſeruiſſent, rerumq; omnium egentem, nullo officij genere coluiſſent: Niſi etiam Ciuitatum Italiæ fortunam ſecuti, occaſioni ac tempori ſeruiuêre. Et quamquàm ſine fide illaudata prudentia, deteſtabiles rerum ſucceſſus creduntur; ſpecies tamen veri, & cauſæ oſtentatio inter turbas, aut non accuſant, aut excuſant. Suberat Diuini cultus reputatio, & amor quietis; quibus vrgentibus, non ſine virtute eſt, leuibus erratis indormire; dum maiora pluribus commoda ſequantur. Bonacolſos eo nomine commendarem; niſi ſæpius in Pontificem contumaciâ, quàm miniſterio memorarentur. Gonzagos ſileo, quos neſciri voluiſſe certum eſt; cùm magnum partibus augmentum eorum acceſſio collatura foret; ſi profitendi animus acceſſiſſet. Hæc & ſimilia naturæ, rerumq; intuenti, in certo iudicium inſedit; poſſe apud mortales concedente Numine aliquid fortunã: vt ancipitia conſulta boni exitus, proba ſiniſtri ſubſequantur. Equidem Gonzagi, magno in Imperium flagitio ob negligentiam ac neglectum accuſabantur; quòd validi retinendis impellendiſq; Ciuium animis, quò ipſi flexiſſent; conſilio tamen temperauerint; & intacti, inoffenſiq; tam diu fefellerint; quoad oblatam vltro potentiam recepêre. Eodem animi motu, Pontifices, Patriam, Cæſarem, elatos aut depreſſos intuebantur; breui colloquio inter Ciues, longo inter ſuos ſecreto vſi. Reuerſus in Germaniam Federicus, conceſſam omnibus pacem, ſtudio quietis proſecutus eſt. Nam ſiue ætate minus ardens, ſiue bona pacis introſpiciens; nec aliorum otium interrupit, armiſq; decertantes, auctoritate deterruit, vt cauſæ ſiderent: Tamquam ſatisfactum officio non eſſet, ſi ſibi ſuiſq; æquus, erga alios ſollicitus, non foret. Et ne poſteris quidem diſcordiarum ſemina ſupereſſent, partitus Imperium in filios eſt; præſcripto, quas cuiq; Prouincias habendas relinqueret; quibus forent iura dicturi. Nec tamen ſolida pax Imperio, niſi Italicarum Ciuitatum motu ſedato ſperari poterat. Has componi, & in votis haberi, ex vſu fuit. Indicta proinde conuocatio à Cæſare Conſtantiæ. Amicorum & aduerſarum olim Vrbium legati affuêre. Mantuani alieni diſcriminis ſpectatores erant; cum periculis impermixti, obſequium in Cæſarem profiterentur. Cæterarum omnium vice Mediolanenſes, vbi admiſſi, communem Italiæ ſtatum ſic excepêre. Si nullæ nos cauſæ Imperator, arma ſumere, aut effringere ſacramenti reuerentiam impuliſſent, longè ab hoc cætu, tuâ præſentiâ, pudore, & conſcientiâ abſtinuiſſemus. Sed quæ honeſta à prædeceſſoribus tuis (quorum virtutibus ac potentiæ inſiſtis) approbata, communis Italiæ ſalus, Pontificis Maximi obſeruantia, & animos & vires dedêre. Nec enim nos iuſti, rectiq; arbitri ſumus. Superiorum imperare eſt, noſtrûm obſequij & obedientiæ gloriâ, obtemperare. Iuſſi, fidem exuimus: Tuorum in nos ſæuitiâ, Rectorum auaritiâ, prægraues leges, deſperare remedia coëgêre. Nec ſi paruiſſemus viuere, ſed perire erat; ſublatâ omni libertate, in quâ enutriti per opportuna miniſteria, imperio accepti eramus. Vbi longius Imperator agat, difficilis honeſto

Gõzagi apud Cæſarem accuſati negligentia.

locus

locus eſt, nec præſidium longinquum in promptu habetur. Si quid Ciuibus noſtris iuris, indultu & gratiâ Cæſarum obuenit. Nec quâuis minimâ cauſâ Domini quies turbatur: Et ſi querendum eſt, citius adeſt auxilium, quàm nuncietur neceſſitas. Non id certè quod poſcimus Imperij maieſtatem imminuit. Tui ſumus; Te dante Prouinciam, Vrbesq; regimus: Tibi pecuniâ & milite, vbi opus eſt, preſtò ſumus: Facultates Principi noſtro in expenſas, liberi in ſeruitium quæruntur. Ipſe Pontifex, indubitatam iuſtitiam profeſſus, Romanis ſuis ſuos Conſules, ſua iura permittit. Nec tamen Imperio ſolutos dices, qui quod habent Pontifici acceptum referunt. Sic & nos, cæteræq; Italorum Ciuitates, reditus, iuſtitiæ adminiſtrationem, libertatem, non indita, ſed data; non vſurpata, ſed à Cæſaribus accepta iactamus. Iniuſtæ cauſæ rarò bonus exitus. Horreſcimus præteritorum memoriâ, cladesq; aut noſtræ, aut alienæ, animum ſauciant. Si interdum, non ſemper tamen aduersâ fortunâ pugnauimus. Atq; vtinam amico Principi, naturali Domino, eas vires præſtitiſſemus, quas diſcordiâ perdidimus. Conſilium prauè ſumptum, ſecuta pœnitentia eſt: Nec tu Cæſar benignius ignoſcis, quàm nos amarius indoleſcimus; aut maiori indulgentiâ Priuilegia concedis, quàm nos gratitudine recipimus. Hoc quoq; in tuam gloriam cædet, eos ad ſumma vexiſſe, qui ingenuè beneficium profiteantur. Rari magnitudinem gratiæ aliter, quàm ingratitudine perſoluunt. Et tamen iuſtitiā beneficij gratitudo approbat, beneficiū clarius ingratitudo facit. Si nos, noſtris legibus, & inſtitutis, quæ maiores tui ſanciuêre, viuere permittis, fatebimur, ac referemus gratiam, per mutuam operam. Si prohibes; conuellis, laceras, tua perdis; ſeu viceris, ſeu perdideris. Quæ ſumma imperantibus obueniunt, id per pacem habent, obedientiam, ſeruitutem. Nam ſi bello impetantur, iam reluctantes ſubditi docent, ſubeſſe, nolle: Nec imperat, qui turbatur, ſed cogit, & eluctatur. Nos Ciuitatum Italiæ vades ſumus, & conſcientiam fidei obſidem ſiſtimus. Annue Domine, & Imperij honori, Italiæ commodo, Pontificis Maximi reuerentiæ; nos, noſtraq; tibi, per beneficium ac benignitatem ſerua. Legatorum modeſtia, pronum iam pietati Cæſarem permouêre, vt mitius decerneret, communiq; Italiæ bono plura concederet, quibuſdam conniueret. Et vtraq; à Cæſare ac Legatis medio ſacramento ſancita ſunt: Videbaturq; quantum humano iudicio introſpiciebatur, optimè quieti conſultum. *Imp. concordat ciuitatibus Italiæ.* Secundo poſt anno Federicus denuo in Italiam, vnâ cum Hērico filio venit. Rarus aderat miles, plus nobilitatis: Nihil per vim admiſſum, ſed omnia pacificè tranſacta. Et Mantuę primum, mox Mediolani celebri pompâ exceptus eſt. *Easq; inuiſit* Grata Principibus Italiæ, Imperatoris comitas fuit; quòd aliâs ſæuus ac ſuperbus, ſanguine ac rapinis inceſſerat. Additum quoq; communi lętitiæ, quòd Gulielmi vtriuſq; Siciliæ Regis filia, Henrico Imperatoris filio denupſit, vt non à Pontifice, non ciuitatibus Longobardiæ, non deniq; à Rege metus ſupereſſet. Cum Mantuæ diutius reſediſſet, *Et præcipuè Mantuam.* etiam inuitis præteritorum recordatio obrepebat. Neq; tamen excuſauêre Ciues negligentiam, aut ille cauſas requiſiuit: oblitum præteritorum credi-

M diſſes.

Digitized by Google

diſſes. Bonacolſi Senatorum præcipui indiuidui erant; ſecreti ob modeſtiã Gonzagi. Quo licuit illos parare obſequio & muneribus gratiam; ſimul æmulos amoliri; niſi etiam carpsêre. Tenebat Apoſtolicam Sedem Vrbanus, Cæſari acceptus facilitate morum: Nihil vſquam turbidum, quod amicitias reſcindere, aut poſſet ferere diſcordias. Sed aliunde mœſtitiæ occaſio inceſſit. Paleſtinam ferè omnem, Saladinus aſtu, armiſq; receperat, Hieroſolymaſq; ipſas, fracto Chriſtiano nomine, in ſuum ius traxerat, ſalutis Milleſimo centeſimo octuageſimo ſeptimo. Vrbis opulentiſſimæ caſum, ſecuturæ videbantur Prouinciæ, quæ adhuc à noſtris habebantur; Tyrus, Sidon, Cæſarea. Nunciata clades exquiſitiſſimo chriſtianorum dolore accepta. Sed præ cæteris Clemens tertius, qui tum Pontificatum habebat, multis cum lachrymis, miſeris Orientis reliquijs auxilium orabat. Maximè celebre viſum eſt literarum exemplar, quas Guido Rex poſtremus, in Europam miſerat, in hæc ferè verba. Communem iacturam excepturi Principes viri temperate à lachrymis, & in vicem gemituum ſuccurrite miſerrimis: qui vitam per aduerſa, per infeſta, inter hoſtes, aut malè fidos trahunt. Totius nominis hoſtem, ſuccincti & omnium egeni, nocte dieq; è propugnaculis aſpicimus. Imperium (ſi quod erat) opes, deniq; vitam, honori Religionis impendimus. Sed irritos conatus noſtros, anguſtæ res, vires hoſtium reddidêre. Nec ex virtute ſpes eſt, niſi noſtram, veſtramq; cauſam capeſſitis. Munimenta Vrbium, tarò ſuper milite ſeruantur; plures fuſo ſanguine, maiorum noſtrorum famæ, ac memoriæ, qui hoc nobis Imperium quæſiuêre, parentarunt. Et ſi qui cladi ſuperfuimus, vulneribus & inopiâ conflictamur: Miſerabiliores, quàm quos fortiter pro Chriſto dimicantes, eadem acies & vidit, & abſtulit. Decretum quidem omnibus mori eſt (non enim aliter, in ſæuiſſimos hoſtes, quidquid nobis ſupereſt abibit) ſed decrepitorũ contumelias, infantium, ac fœminarum ſeruitutem deprecamur: In quibus nihil eſt, quòd ſubſidij ſit, aut perfidis pietatem inſtillet. Sed & captiuitatem noſtram Barbari aſpernantur; odio generis, etiam ſeruientis; & tamquam extinctis, finis bello imponatur. Ipſe precariò impero; non mihi, at tot infœlicium curæ. Non enim ea nobis vis, ij proceres ſuperſunt, qui ſpecie Reipublicæ, præcipiti fortunæ poſſint obſiſtere. Vix è milite Senatum deſcripſimus; Adeo omnium indigi, vitam quàm gloriam ſuſtinemus. Nec conciliandæ pietati, aut fictis in pompam incumbimus. Hieroſolymæ olim Regni ſedes, & Europæ victricis monumentum, ad alios translatæ ſunt; cum populo, armis, commeatu. Nos infœlicis fortunæ, reluctantia exempla; obſeſſi quàm liberi; clauſi quàm tuti; deſperati, quàm metuendi, ſeptis murorum incubamus; ne circumuolans hoſtis, quidquam aut negligentiâ ſolutum, aut temeritate occaſioni peruium deprehendat. Suſpicione ipſa bellum nutrit; vt qui per acies non pereunt, labore ac vigilia hauriantur. Adeſte Principes, iraſq; ciuiles, in perniciem communis inimici conuertite. Nec deerant per Paleſtinam, Europæ Principibus affinitate nexi, qui in eandem ſententiam, plura & feruentia perſcriberent. Motus his Clemens, addit literas,

Saladinus Hieroſolymis potitur 1187.

Guidonis Regis Hieroſolymitani Epiſtola.

teras, legatos inſtruit, neminē Chriſtiani Orbis Principem negligit, quem non prece, ac præmijs oſtentatis, ad ferendum auxilium inuitet; Federicum præcipuè, quem vergente ætate, annos aliquot in pace exactos, immenſam pecuniam, numeroſum militem in Regno habere nouerat, Europæ, Aſiæq́; iuxta formidabilem. Augebat ſpem omnium, quòd Imperatori liberi adeſſent, in quos Imperij curæ flecterentur. Nec minus Principes viri, eccleſiaſtico, aut domeſtico cenſu validi, opibus ac milite, Cæſaris conatus adiuuêre. Sed & extra Imperij vires, magnis claſſibus, ſuppetias tulêre Galliæ, Anglia, Dania, Holandia, Friſia, Piſæ Oceano validæ; & ante alios Veneti, nec non Gulielmus Rex vtriuſq; Siciliæ. Delatus Conſtantinopolim *Federicus Cõſtātinopolim* Federicus, fœdere cum Iſaacio Imperatore Græco, icto; magnis itineribus Palæſtinam aggreſſus eſt: Salutis anno Milleſimo cẽteſimo octuageſimo nono. *1189.* Sed cuncta viarũ armis expedienda erant: Quòd Iconiam, ac Ciliciam barbaræ gentes obſiderent, inueterato erga chriſtianos odio. Niſi Græcus promouit inſidias, & quos maiores fraude aggreſſi, dolo proſecutus eſt: Silent auctores, viget ſuſpicio. Superata tamen non ſine bello montium anguſtia; quos incolæ ſaxis, arboribuſq́; obſepſerant, & inſultante milite ſeruauerant. Diſiecto agmine fanatico, in planiciem miles deductus. Tum primùm, auſi inimici, oſtentare aciem, magno prælio fuſi ſunt: noſtriq́; virtutem, illi formidinem auxêre. Et licet plures dies, velut conſilij ambigui Chriſtiani cuncta camporum tenerent; non auſus tamen hoſtis terga aut latera laceſſere; quod illi moris, quoties aſtu, quàm virtute concurrit. Hinc petitâ Armeniâ, quædam deditione, plures bello Ciuitates expugnatæ. Abducta ingens præda, & diuitijs auctus exercitus. Mox opulentiâ ſoli, & præteritorum quæ benè ceſſerant memores, nec futura pauescere, nec diſcrimini cedere, nec quamquam ingentem barbarorum multitudinem formidare. Rex Hieroſolymorum *Et in Palæſtinam.* Ptolæmaide egreſſus, quiq́; Chriſtianorum Principum obſidione vallati, Palæſtinam adhuc tenebant, in iuſti exercitus formam medijs campis coïerant, aut hoſtibus congreſſuri, aut amiſſarum Vrbium fidem, conſtantiamq́; armis tentaturi. Creſcebat interim auxiliorum numerus, appulſis diſtantium Regum Claſſibus, tutâ maris nauigatione; ipſiſq́; incolis *Augetur auxilijs.* proſperâ actæ rei famâ animos reſumentibus. Sed obſtitit cœptis fortuna, & victoriam in manu habitam corrupit, infelici euentu, & miſerrimo Federici Imperatoris fine. Cum enim æſtiuo ardori eluendo, ſupra fidem alto ac rapido ſe flumini commiſiſſet, hauſtus eſt, prius quàm occurrere periculo familiares poſſent. Quidam Diuinam vltionem interpretantur, & Eccleſiaſticas Cenſuras; quas rarò conſcelerati ad extremum vitant. *Federicus moritur.* Et quamquàm Henrico filio vniuerſi illicò acceſſiſſent, operam, obſequium polliciti; noua tamen Chriſtianos Principes diſcordia lacerauit, & ſpes communes irritas reddidit. Decertabant Guido Rex, Herfrandus, & Corradus Montisferrati Comes, cui Regnum deberetur. *Chriſtianorũ diſcordia.* Quòd defunctâ Sibillâ Guidonis coniuge, cui dos Regnum fuerat; omnibus habendæ per licita, & abrupta potentiæ voluntas inceſſiſſet. Cæterùm coactos exercitus Germanorum, ac reli-

quorum; quos grauis lues exercuerat, quis finis habuerit in tempore reddemus. Reuerſo in Germaniam Cæſare, quod bonis artibus, clementiâ, & munificentiâ, ſingulorum animos quæſiuiſſet, multos annos Italia, ſecurâ pace vſa eſt. *Mantuani Imperio fidi.* Mantuanis nîl antiquius fuit, quàm Imperij ac Cæſaris reuerentiam ſeruare, tutari res ſuas, aliorum diſcordijs nec inſeri, nec ſubſidium ferre. Et quamquam populi arbitrio omnia agerentur, Cæſareis tamen legibus ſuus honos, & inconcuſſa auctoritas erat. Non ſeruitium, non libertatem crediſiſſes; adeo vtriq; non diſſimiles, vt in ſpeciem tantùm liberi crederentur. *Gonzagi.* Gonzagi quos Regienſi præcipuè territorio vſos diximus, opibus ſupra ciuilem conditionem aucti, veterem prædeceſſorum claritudinem præferebant. Nec ipſi ſibi deerant, quidquid enim agrorum ac Villarum exponebatur, oblatâ pecuniâ coëmebant. Tamquam potentiam tacitè, auctoritatem publicè pararent. Haud minus inanium ſtudio ſolliciti, ædium, ſeruitutis, veſtimentorum cultu, tantum priuatis potiores ſeſe oſtentabant, quantùm ſciebantur. Sed quia Gonzagæ oppidi agri, campiq; adiacentes, tantæ fortunæ impares, & anguſtiores erant, non omiſsâ veteri poſſeſſione, Mantuam regredi viſum; vt nullâ amplius Mathildæ æmulatione vexati, quâ pulſi fuerant; antiquæ recordationis caritate, ijs ſe ciuibus adderent, quibus olim imperaſſent, & quos eſſent imperio habituri. Accedebat villarum deſiderium, quibus in Regienſi expleri non poterant, egeno ſolo, & culturæ neſcio; cum Mãtuanus ager, opulentiâ, vbertate, riuis, in quaſcunq; villas minimo negocio funderetur. Nec deerant qui accerſirent, viuâ apud omnes Dominorum memoriâ, & licet in abſentes continuâ pietate. *Mantuam vocantur.* Alijs parum accepta libertas erat, quæcunq; Gonzagos excluſiſſet. Ipſi maieſtatem & comitatem ita temperabant, vt non minus diſtarent à Dominis, quàm proximè ad ciues accederent. Hinc firmiorẽ amicitiam, quam caritatẽ, & reuerentiam nutriebant. Ne tamen ſanguis Regius, ſordes ac vulgum oleret, *Marmirolũ emunt.* Marmirolum ſex millibus paſſuum ab Vrbe cum adiacentibus campis mercati ſunt, magnâ pecuniæ vi inſumptâ; vbi aſſidui, facili in Ciuitatem regreſſu tolerabant. Manſit tamen apud omnes è veteri Gonzagæ poſſeſſione memoria, vnde dictos credidêre, quamuis loco ab ipſis nomen inditum multos ante annos foret. Niſi antiquiſſimarum familiarum Cognomina, non haberi; Principum exemplo decori eſt; Quibus, Saxonia, Sabaudia, Auſtria, Lotharingia, Bauaria, & deniq; quidquid vetuſtam nobilitatem, nexamq; potentiam habet, cognomina dedêre.

1189. *Corbellinus de Gonzaga.* Anno Milleſimo centeſimo octuageſimo nono, Corbellinus de Gonzaga memoratur, notiſſimâ tranſactione cum Mantuano Epiſcopo, & Campitellij incolis; huiuſq; hæredes, magnâ lite præuiâ, ſeſe aduerſarijs componunt, Dominorumq; titulo appellantur. Id illi ætati inſolens, niſi ciuilem ſtatum multò anteceſſiſſent. Idq; anno Milleſimo centeſimo nonageſimo tertio, ſtabili ſemper agrorum ad Gonzagam, ac Marmiroli poſſeſſione (quamuis in hæc vſq; tempora multa cum agnatis diuiſiſſent) quæ vt propria, & antiquitatem atteſtata, domi retenta eſt. *Iacominus Bonacolſus Corbellino Gonzagæ diſcordat.* Dignum annalibus reor, quod inter Iacominum Bonacolſum,

&

& Corradinum Corbellini filium certamen inceſſit in Curiâ; dum veteres leges, aut quibus occaſionem ſors dediſſet, conſenſu firmantur. Et ſitu & inſtitutis, & Cæſarum fauore ſecura Mantua, ab externo incurſu videbatur: Et quando vniuerſa belli incendio flagrarent; Pontifice, Imperatore, Venetis, ac Mediolanenſibus aſſiduè dimicantibus; multis quibus niſi in pace ſpes; & per turbida nullum præſidium eſſet, Mantuam habitaturi conuenerant. Recepti eâ oſtentatione pietatis, quâ fiduciâ acceſſerant. Et iam connubijs miſceri, Senatum ingredi, bono publico vti, vt non exteri cęperant. Id Bonacolſum altius penetrauit, quàm vt ſileret: Non Patriæ ſtudio, ſed quia nobilis, inopsq; Veronenſis, ditem Mantuanam connubio acceperat, puellâ ac parentibus non aduerſantibus; quam ille facultatibus inhians, ſibi præreptam ægrè tulerat. Dicebanturq; ſententiæ; ne Peregrinis ius in Ciuitate eſſet, néue exteri coniugia agitarent. Domeſticas opes ciuium, domi retinendas, communicandamq; fortunam. Decorum Patriæ eſſe ſi impermixti, eoq; non inquinati, germanam nobilitatem ſeruauiſſent, quam aduenæ, diuerſitate morum, ac genere impares peſſumdent. Contra Corradinus, ſe quoq; longius aduectum; non tamen dedecus Mantuanis intuliſſe; & Bonacolſos rure aliquo exactos, vbi Mantuæ conſediſſent, ciuilitatem induiſſe. Orandam fortunam, vt plures accedant; creſcatq; Ciuitatis magnitudo, ſuis ornamento, accolis terrori. Et quia potior Corradini ratio viſa; eò acrius Bonacolſus niti, quaſi vim pararet. Corradinus ſtricto mucrone obuius, tractumq; in præceps, & iam vulnere ſaucium, excedere curiâ, & raptim dilabi compulit. Non tamen ſecuta ciuium diſcordia, ſed ſeruata odia & in longum iacta, quæ in tempore promerentur. Corradinus Marmirolum profectus, anxium futuri Bonacolſum, & cæteros partium reliquit, expleuiſſetne indignationem; an grauiora meditaretur. Vbi abeſſe Corradinus viſus, iactantior Bonacolſus, excidium familiæ hoſtilis, amicisq; perniciem minitari cœpit, ſatellitio viliſſimorum ſeptus, & plus armorum, quàm animi præferens. Gonzaga profundo ſilentio vſus, incomitatusq; ridere ſuperbiam, & deſpectui habere. Nec quamuis à conſanguineis admonitus, ſeruitijs ſe ambire, obtemperauit: Vnde plus indignationis apud hoſtes conciuit, quaſi vilitate negligerentur. Defuncti Federici Imperatoris fama, Aſiam primùm, mox & Europam omnem peruagata eſt: ſed ante alios à Germanis amarè accepta; quòd fortiſſimus Cæſar, immeritò, & infelici exitu, dum pro libertate, pro fide, ſui ſanguinis prodigus, communi hoſti bellum infert, medio victoriæ curſu cecidiſſet. Quibus imminuta mens erat, etiam Pontificem accuſabant; quòd tot Reges, tot exercitus, caſibus, & diſcriminibus obiectaſſet, aduerſo ſemper Numine, & repugnante. Pars ſolatij fuit relictum proximæ ſpei Henricum filium; multò ante Regio Romanorum inſigni decoratum, ætatis validæ, virtutisq; ſpectatæ; quiq; ferendis curis & oneri ſufficeret. Huic gentis placito, ſacramentum, iubentibus Electoribus dictum eſt; & fauſtis ominibus Cæſar ſalutatus: Milleſimo centeſimo nonageſimo primo. Inerat iuueni prudentia, eloquentia, liberalitas, *Henricus Imper.* forti-

Digitized by Google

fortitudo, ſpecies Imperio digna; nec deerant vires: Sed vbi poteſtatis iniuria acceſſiſſet, paulùm commotior animus, propiorq; vindictæ. Sunt qui, curarum tędio, frequentius venatui ſtuduiſſe credant; hincq; ſeditionũ ſemina erupiſſe; tamquam nugis dedito Cæſari, poteſtati impunè ſubditi ludificarentur. Colonienſis enim, quiq; ipſi per amicitias obſtricti Comites ac Primates erant, odio (vt ferebant) acceptæ iniuriæ, dicto parere; & deſignatum ab alijs Imperatorem recipere abnuebant. Sed facilè à venatione, ad bellum tranſitur: niſi vires deſint; domitique minimo negocio rebelles; horumq; exemplo cæteri modeſtiæ admoniti quieuêre. Vbi cuncta domi compoſita, nec diſcordiarum fomitem ſupereſſe comperit, de Italia cogitauit, deſiderio ſumendi à Pontifice diadematis; tamquam id Cæſaribus ſolitum, firmitatem Regno afferret. Vt tetigit Italiam per ſummam modeſtiam inceſſit; quò iuſtitiæ ac pietatis famam aucuparetur. Celeſtinus Pontifex, atq; adeò Vrbs Roma, grauiter Tuſculanos ferebant: ſiue memoriâ cladium, ſiue amore libertatis, ſiue proprijs ſimultatibus, ad iniurias properaſſent. Nec tamen Tuſculani in poteſtatem trahi quamuis iteratis congreſſibus poterant, eminentia loci, commeatuum copiâ, & ciuium frequentiâ ſecuri. Ergo Henricus admonitos & recuſantes, Pontificis obſequio, vt merito cauſam daret, Tuſculanum obſidione vallat. Qui ciuitatem curabant, vbi nullam in viribus ſpem vidêre, Cæſari permisêre. Et Germanus miles, officium præſtiturus, vel vt inueteratum in Italos odium expleret, maximis ſæuitiæ exemplis in miſeros vſus eſt. Inermes, inutiles, infantes, barbarè mactati; Ciuitas ſolo æquata; non ſacris, non profanis condonatum, quîn cuncta igni vaſtarentur. In Vrbem reuerſus, ſiquid è Tuſculano ſupererat, Pontificis arbitrio permiſit. Imperij quoque Coronam recepit; ſimulq; Siciliæ vtriuſq; Regnum, certis ſub legibus, quod Tancredus illegitimè poſſidebat. Demum Cæſar Neapolim, magno cum exercitu obſidione cinxit: licet Regio milite inſtructam. Cætera enim quâ Campania proſpectat, hûc illûc fuſi exercitus voluntate ac libidine tractabantur. Et iam de Neapoli metuebatur, niſi fortuna, pro virtute Regijs fuiſſet. Fructuum enim (quibus prouincia immensùm abundat) liberaliori vſu, grauiq; cœlo, tanta Cæſareum exercitum lues corripuit; vt decem ferè hominum millia tabe perierint. Sic nolenti expreſſa diſceſſio, & Regnum Tancredo ſeruatum. Regreſſus in Germaniam Imperator, nouis ſe copijs, ac milite inſtruxit, renouandæ expeditioni, cuius deſiderio flagrabat. Nec Germani Principes obuiam conſulto ibant: quòd honeſtiſſimo titulo, dante Pontifice ac impellente, Regnum illegitimè poſſeſſum, latroniq; auulſum, Germanorum gloriæ adderetur. Non minori quiete Syria habebatur: In quâ non vno prœlio, multa Saladini ac Chriſtianorum millia cæſa ſunt: Ereptâ barbaris Tolęmaide, cæteriſq; litoralibus Ciuitatibus, vnde commeatus, & auxiliarium claſſium apparatus excipiebantur. Sed quod immenſos exercitus, linguis ac legibus diuerſos, in ſolidam amicitiam coïre non ſinit, noſtris quoq; paratam iam victoriam eripuit. Initium inter Gallos ac Britannos diſcor-

Roman.

Vbi coronatur.

Paleſtina conditio.

diæ

aliæ ortum: Quòd nemo alteri parere, nemo in commune conſulere, niſi ſuorum ductu volebat. Circumſpexerant quippe proprias vires; & niſi Numina affuiſſent (proh ſcelus) ſacro in Regno, pietatem profeſſus, & vindictam contra ſacrilegij obnoxios, in ſinu ferens exercitus, cæde mutuâ, calcatam Deo Prouinciam, ante ora inimicorum, ſanguine ſuo commaculauiſſet. Sed abſcedens bello Gallus, præcipua æmulationum ſecum tulit. Et quamuis Hieroſolymæ, poſt iteratos congreſſus, in Chriſtianorum poteſtatem non venerint; acquiſitis tamen, maior vis; & munimenta circundata ſunt; minora tamen, quàm tot exercituum acceſſus initio motus promiſiſſe videbatur. Appetente Vere Henricus Imperator, vtriuſq; Siciliæ Regni deſiderio æſtuans, forſitan & vrgente Pontifice denuò in Italiam, milite ac pecuniâ, quàm à Rege Angliæ dono acceperat, inſtructus redijt: Præmiſſis qui aſpera montium amolirentur, ardua complanarent, vaſta implerent, commeatus aggererent, obuiasq; Ciuitates, deditioni paratas reciperent. Ipſe maioribus viribus nec moræ, nec deſiderij patiens, immenſis exercitibus ſequebatur. *Henricus in Italiam.* Tum primùm exciti velut ſomno Mantuani, profiteri ſeruitium, & collatâ operâ Regi ſuo adeſſe, malo reliquorum coacti ſunt; concedi Regios reditus, immunitates onerum, & quamcunq; libertatem, non niſi, vt promptiores miniſterio in tempore adeſſent, ignari. *Mantuani pro Cæſare.* Accepêre à Iacobo Horthmanno literas (is Cæſaris ſecretis aderat) quibus; nullum in pace pecuniæ vſum, ſed tantùm per bella Imperatoribus monebat. Non poſci quidem; ſed nec expedire vt orari velint. Satis ſuperq; meritorum populis accedere, ſi obtuliſſent; & officium valere, vbi irrequiſiti affuiſſent. Id verò ante alia Reges malle; quòd ſponte oblata, donationes; petita vim ſapiant. Proinde non opperiendas preces, ſed proueniendas: Et ſi orari poſcant, neceſſitatis conſcientiam ſatis eſſe. Quando enim bellum ſine pecuniâ proſperè illatum? Iuſtitiam cauſæ certiorem eſſe, quàm vt armorum Germaniæ motus excuſentur. Hæc in ſpeciem valida, Bonacolſi potentiam affectantes, & intimæ Regis gratię adrepentes promouebant. Sic viginti aureorum millia Florentiæ, Mantuani Senatus nomine, Imperatori deſtinata. *Soluunt viginti millia aureorum.* Et vitatq Mantuano agro, Cæſaris copiæ, Ferrarienſi delatę ſunt. Exitus docuit benè Mantuanos Horthmanno paruiſſe; ipſo tranſitu vaſtato Ferrarienſi, & hoſtiliter villis populatis. Ad famam aduentantis Cæſaris campania omnis victori acceſſit; docta quarundam Prouinciarum experimento, quæ defenſionem meditatæ, dirum in modum hauſtæ, ciuesq; promiſcuè ferro interempti fuerant. Tancredus quoq;, paulò ante è viuis ereptus, relicto paruulo filio, cupita Cæſaris maturauerat: Et Ciuitatum Regni plurimæ, quamquàm ferendæ menſes aliquot obſidioni validæ, nullo tamen deforis auxilio; nec Principum delectu vllo, res, fortunas, animas, diſcrimini obijcere nolebant. Quòd infans Rex, nulla inter tutores concordia, & cauſæ iniquitas diſuaderent. Sic Neapolis, Appulia, Calabria in deditionem venêre: Cæſarq; traiecto, quod inter Italiam ac Siciliam eſt freto, improuiſos populos deprædendit; magnaq; Inſulæ parte, ſolâ famâ potitus eſt. *Regno Imp. potitur.* Cata-

niam

niam Principes viri, quiq; Infanti Regi fidem dederant, magnâ manu ſeruabant. Eô profectus Imperator, totam aciem in prælium miſit, quod Siculis volentibus fuit: Tamquam diuiſi facilius, quàm vniti opprimerentur. Magno itaq; ſanguine Cæſari victoria ſtetit; multis ſuorum deſideratis; & ad noctem ancipiti pugnâ conflictatus. Ad extremûm fugati Siculi, Ciuitas impetu capta, ſolo æquata, Incolæ nullo delectu, ſenésne an pueri, mares an fœminæ, trucidati. Rari in captiuitatem abducti; niſi quibus auro argentoq; ſalus libertasq; comparata. Id ſolitum Cæſari, quem ſæuitiæ proniorem diximus: Et forte ſeueritas in bello, miſericordiâ potior eſt; aut id præcipuè è paternis moribus hauſerat. Cæterũ timeri per aſpera, non diligi Imperatorem contigit. Hinc ſecreta conſilia, Procerum coniuratio, & datum à multis perimendi Principis ſacramentum, & bello & pace iuxtà formidabilis. Primi nomina flagitio dedêre, qui beneficijs expleti; mox qui per iniuriam dilati, vt immeritos, reiectos ſe arbitrabantur: Acceſsêre quos rerum nouarum ſtudium, aut in Dominum odia ſtimulabant. Sed multitudine coniuratorum affluente, & reiectâ in tempus aliud vltione, poſtremò deliberatio detecta eſt. Principium è Regia domo fuit. Calaber quidam viliſſimis cubiculi miniſterijs inſeruire ſolitus, partem ſe parricidij fecerat: Sed dum ſuum ſcelus, torquentem conſcientiam ſeruilis animus experitur; ſimul cupidine impunitatis, quæ magnos conatus infringit, aut ex proditione mercedem opperitur; cubantem Cæſarem aggreditur; vultu ac conſtantiâ vocis intrepidus, coniurationem ac ſocios edit: Et niſi illico opprimantur, certam ex morâ perniciem oſtendit. Horruit Imperator; preſſo tamen metu, & ſingulorum nomina edoctus, mittit qui velut opprimendo bello, cunctos in vincula abripiant. Quæſtio de ſingulis habetur: Aliqui ſponte confeſſionis gloriam amplexi; quibuſdam, tormentis veritas expreſſa eſt: Et exemplo perfidiæ, cuncti ſæuum in morem trucidati. Id verò Henrico, & ſalutem, & reuerentiam tulit: Quippe nec aperto, nec ſecreto, aditus ad nouandum erat; vniuerſis terrore defixis. Nec multò poſt omni Inſulâ potitus eſt; Panormo Cæſarem admittente, vbi Regia Gaza erat. Demum receptis obſidibus, vbi ſatis futuro cautum vidit, in Germaniam redijt, Imperij ſui anno quinto; ſalutis Milleſimo centeſimo nonageſimo quinto, plenus gloriâ, & nullis vnquam ſeditionibus per Germaniam pace turbatâ. Pars copiarum per Mantuanum agrum Benaco in patriam tranſmiſſa. Et velut nullo officio Cæſareos iuuiſſet, rapinis, ac incendijs graſſata eſt. Nec id vt offenderent, ſed ne ſæuiora in Gonzagos Marmiroli degentes auſi, diſſimilitudinis ratio reddenda foret. Bonacolſos ac Arlottos, cum prædam oſtentaſſent, etiam pecuniâ flagitium in conciues emercatos ſatis liquet. Nam iiſdem artibus expreſſa veritas, nec tamen auctoribus imputata; quòd non illud vltionis tempus eſſet. Quo tempore Imperator terrâ mariq; potitus, vtramq; Siciliam exercitu tenebat, velut diſtracto & longius agente Principe, Longobardiæ Ciuitates quoq; mutuis ſeditionibus tumultuabantur. Ferrarienſes certare de finibus primi ruſtico con-

In eum coniuratur.

Res detegitur.

1195.

Mantuanus ager carpitur.

Digitized by Google

congreſſu cœpêre. Mox confluentibus quibus id negocij ſuſpectum, & ſi vincerentur, intollerabilis iactura erat, in iuſti exercitus formam increuêre. Mantuani non exteris metuendi, & nullis ſuſpicionum cauſis ſecuri, ingenti per agros acceptâ clade, ad vltionem prouocati ſunt. Ne tamen vim inferre, aut libidine quàm cauſâ turbare Italiam viderentur; queſti per literas apud Cæſarem, & ſarciri damna datis arbitris petiêre. Ille maioribus implicatus Ciuitatum dimicationes, vt leuiores neglexit; aut parum profuturo remedio prouidit. Mantuani vbi nihil per modeſtiam profici, ſed aperto bello ſua diripi, & hoſtiliter à Ferrarienſibus haberi vident, Duce Iacomino Căpedulo, fines inimicorum, armatâ manu irrumpunt. Ferè acceptæ iniuriæ, non niſi maioribus redduntur. Diruta à Mantuanis oppida, innatantes Pado Moletrinæ in præceps actæ, abducta iumenta, & captiuorum magnus numerus; ſtatimq; ſeruilibus miniſterijs appoſitus. Viribus, & armis fidẽtes, viribus, & armis attriti ſunt. Sed Celeſtinus Pontifex; nõ duarum Ciuitatũ damno potius; quã metu; ne additis amicitijs eodẽ bello, tota Italia conflagraret; mediũ ſe minis ac precibus inſeruit: Profeſſus cauſam ſpectaturum; & non niſi ex æquo iudicaturum; deponerent rixas, in perniciem mutuam ituras; nec mallent, ſanguine & vulneribus, quàm iuſto æquoq; ſua retinere. Reddita vtriſq; præda, & Ciuitatum quieti conſultum, arbitro Pontifice; quem Iudicem Mantuani, non niſi Patriæ, ac Cæſaris iniuriâ admiſiſſent. Sed noua diſcordiarum exordia, fœcunda contentionum ætas protulit. Veronenſes veteris cum Mantuanis odij, cædium, excidij, & prædarum memores, vbi eos Ferrarienſium gentis validæ diſcordijs attineri vident, occaſionem benè agendæ rei auidiùs quàm conſultius captauêre. Cum enim diſcordias componi prorſus diffiderent; Sors, & Pontificis induſtria inſperatò præualuêre. Inuenti ergo Mantuani in armis, & aliquot menſium belli vſu exerciti. Nullâ tamen prudentiâ vitari, inexpectati Veronenſium inſultus potuêre. Et quamquam eruptionibus virtus approbata; clade tamen acceptâ malè habiti, & intra mœnia compulſi ſunt. Mox vbi ſatis virium conſerendæ pugnæ viſum, eodem Duce Veronenſibus inuehuntur. Nec ij licet animo & virtute inferiores, pugnam abnuêre. Et poſt multum cædium ac ſanguinis Mantuano pulſi, & fugâ ſibi conſulere coacti ſunt. Inſecuti victores prædam recepêre, ac magno captiuorum numero, velut triumphantes in Vrbem rediêre. Dum vtriq; & proprijs viribus, & vicinorum accitis auxilijs nouæ pugnæ accinguntur, redux Imperator ab Appuliâ affuit. Iuſſosq; conquieſcere, inducijs ad certum tempus compoſuit. Nullæ per hæc bella Gonzagorum partes erant: Nec Veronenſes Marmirolum, turbidis irruptionibus infeſtauerant. Et aſpernabatur regius animus, ciues viliſſimos ſuæ fortunæ ſocios; & longius vtriſq; dimicantibus, neglecti & intacti, victoribus ac victis degebant. Aliorum tamen ruinis augebantur, pecuniâ, amicitijs; quibus in tẽpore ſummâ prudentiâ, & magnâ exiſtimatione vſi ſunt. Nec enim nobilibus, fortibusq; viris, Ciuitas vacua, aut nullæ potentiorum domus inerant. Eâdem quippe æmulatione nominis, & gloriæ, proximè ad Gonzagos,

Mantuani reddunt iniuriam.

Veronenſes in Mãtuanos

Infœliciter.

Vtriq; ab Imperat. componuntur.

Mantuani nobiliſſimi.

zagos accedebant, Caſtelbarchij, Poltroni, Arlotti, Zanacalli, ac Bonacolſi: Horumq; ad nomen, non ciues ſolùm, ſed & primates Italiæ interdum excitabantur. Sed Caſtelbarchis maiores natales, quàm animi ac vires ſuberant. Satis enim videbatur Gonzagos conſanguinitate illigaſſe; eorumq; fortunam, quocunq; rerum euentu ſequi: Principatus & ſuperbia longè erant: potius quòd Gonzagis cederent, quàm vt impares crederentur. Sed

Sordellus. tum temporis omnes in æquo præter Sordellum erant. Qui Mediolano oriundus, Goiti tamen & natus & eductus; magnis opibus, & certioribus conſilijs in ſpem potentiæ attollebatur: Non aliâ maiori fiduciâ, quàm quòd Gonzagos æmulos non experiretur: Siue non eſſent, ſiue prudentiâ ſimularent. Qui Marmirolum Gonzagi tenebant, priuatis rebus ſuis, ſibi quiſq; tendentes; nec ſpem dominationis, nec diuitias oſtentare, ſed habere malebant: Quòd vtrumq; cauſas ſeditioni dare; & magnis conatibus officere crederent; ſuſpicaci Vrbe; & ciuium aliquem Dominum metuente. Valla-

Gonzagi Marmirolum muniunt. tum tamen Marmirolum, foſsâq; cinctum ab ijs eſt; quaſi aduerſus Veroneſes præſidium parauiſſent. Hoc in ſpeciem; cæterùm, vt dominationem loci, præſidio firmarent. Iam verò aſſiduis vicinorum excurſibus, Mantuani melius ſe ſecuritati conſulere credidêre; ſi Ciuitatem ſitu validam, arte quoq; redderent inacceſſam. Mincius qui nitidiſſimo alueo, & aquarum

Lacus Mantuanus. copiâ, ad Septentrionem Vrbi præfluebat, anguſtiori vado, facilè tranſmeabilis, oppoſitis excurſui, molibus, in Lacum fuſus, firmitudinem Vrbi daturus videbatur; Sed pluribus conſilium diſplicebat. Ergo conuocati Ciues, accerſiti qui rei bellicæ vſu, etiam prudentiâ valebant; & res in medium prolata. Qui negligendum opus iudicauerant, deſiderium latebrarum, & ſpeciem formidinis perſtrepebant. Solutiores quippe ad cuſtodiam Ciues futuros, ſi lacui, ac ſuperfuſo ſtagno curam delegaſſent. Nullum certius Ciuitati præſidium, quàm virtutem; & indormire armorum exercitio, conſtantiam ſuis, metum exteris facere. Porrò non ſemper induſtriam, animos, viresq; ſufficere; ſed obſidentium peruicaciâ, pelli ſedibus incolas, quas magno labore parauiſſent: & tum deploratum præſidium è virtute eſſe; vbi alienis munimentis freti hoſtes, ciues foras exegiſſent. Partiendas excubias, & ſuſpicio ab inimico docenda: Vt fortiſſimis pectoribus, propugnaculum contra irruentes obijciatur. Ex aduerſo dicebatur, nullâ iniuriâ virtutis, artem benè cæptis addi, & ab induſtriâ ſubſidium peti. Nec ideo cuncta, negligentiâ tranſmitti; ſed paucioribus vigilijs, minori milite, Ciuitatem tutò committi poſſe. Tenendam nihilominus in exercitio iuuentutem; vt ſi ſors ferat, nouerit intrepidè pro Patriâ dimicare; quæ etiam munimento, caſum pugnæ hoſti ademerit. Deniq; nec ex grauiori aëre, quem ſuſpenſus amnis incraſſaſſet, plus damni ciuibus, quàm ob continuas excurſiones hoſtium acceſſurum. Ad extremum ſi quid de vigore animi, extra propugnacula congreſſuris, amiſsâ fiduciâ intercidere videatur, pro laribus ac muris ipſa firmitudine alacrius reſumpturos. Quâ vtilitate ab hoſtibus, Ciuitas capta haberi poſſit, eâdem Ciues ſecuros reddi, quòd ægrè

per-

perdatur. Poſterior ſententia valuit. Sic obiectis molibus, retenta aquarum vis, creuit in immenſum; redditaq; Vrbs inacceſſa, & circumfuſâ palude impenetrabilis. Sed & commeantium hinc inde vtilitati Pontes impoſiti; qui Ciuitatem continenti illigarent: Ne aut ſemper nauigio opus eſſet; aut cum difficultate commeatus importarentur. Paucos ante annos, Corbellinus & Abraminus fratres Gonzagi, ſupradictorum longâ ſerie nepotes, agrorum ad Gonzagam, ac Marmiroli domini, teſtes nominantur, in celebri inueſtiturâ, quàm ab Epiſcopo Mantuano, Campitellij domini conſequuntur: nempe Milleſimo centeſimo octuageſimo nono; quam nos inter manus habuimus. Et haud dubiè potiſſimi nobilium, in teſtes magnæ tranſactionis vocati ſunt. Clariori coniecturâ, eorundem fratrum nobilitas ac ſucceſſio habetur, ex aliâ vetuſtiſſimâ ſcriptura, quam ego Regij inſpexi. In quâ Corbellus, & Guiſcardus Gonzagi, vel fratres, vel patrueles eorum, qui primi habitaturi Mantuam venerant, agnoſcuntur. Et Gerardus Corbelli filius, tamquam ſtrictiori affinitate, tutelam filiorum dicti Guiſcardi recepit. Hos inter quidam Iacopinus nomine, cæteris è familiâ Gonzagis, pretio ceſſit, quidquid iurium & camporum in agro Marmiroli habuerat. Huius veritatis fidem habet, Inſtrumentum, quod in Archiuo Ducum Mãtuæ, ſub annum Milleſimum centeſimum nonageſimum tertium, Indictionis vndecimę, habetur. Eos certè quorum ad manus cura hæc noſtra venerit, tædio ſimilium offendendos haud ignarus ſum; ſed obſcuritati temporum veritatis deſiderio, quidquid hoc moleſtiæ, Auctori condonabunt: ne ex voluntate, non ſcientiâ, ſimilia exponere dicatur. In his equidem certam inconcuſſamq; fidem ſectamur; quòd non ætas ſolùm ſcripturæ, ſed carta, & caracter adſtipulentur. Operæ pretium fuerit (quamuis ſeries parentum ignoretur) vetuſtum Matrimonij Inſtrumentum, antiquitatis & familiæ commendatione huic loco inſerere, quo Abraminus quidam Gonzaga, & Marta item Gonzaga iunguntur; dicta dote, & ſponſalibus paratis. *Pontes.*

Gloria Patri, Filio, & Spiritui Sancto, Ad honorem ſanctorum Geruaſij & Leonardi. Nouerint ad futuram ætatem omnes, & vniuerſi; quòd hodie Nobilis miles Abraminus de Gonzaga, & pudica fœmina Marta de Gonzaga, per hoc publicum ſcriptum à me Notario factum, & in præſentiâ teſtium infraſcriptorum, ſe mutuò ſumunt, & eligunt in maritum & vxorem; cum ſint parentes in quinto gradu; nec ſit opus licentiâ Domini Papæ. Proinde ſpondent ambo ſimul viuere & filios & filias procreare, ad honorem Dei, in bonâ pace, & concordiâ, vt ſint vnus ſpiritus, & vna caro, cum vna voluntate. Dominus autem Abraminus, promittit, quòd ſtatim ſolutâ ſibi dote, & pecuniâ; ſuam ſponſam ducet ad domum ſuam; & cum Reuerendi Patris Iacobi Parrochi licentiâ cum illa ſemper conuiuet, abſq; rixâ, & contentione. Sponſa autem promiſit ſuæ dotis nomine, dare ſponſo ſuo Abramino, Florenos auri boni centum, & libras quinque monetæ Imperialis de argento bono & ſincero, pro ſuâ dote. Etiam promiſit illi dare Poſſeſſionem quam habet in Villâ ſua Cortis, cum Bouibus, & Vaccis, & omni

Digitized by Google

ni ſupellectili, quæ eſt ibi. Etiam totum vinum quod eſt in Cellâ,& ſunt Metretæ quadraginta ſeptem. Etiam Armillas auratas, & torquem de bono auro, quod habet ad cinctum. Etiam omnes veſtes, & quæ ſunt in domo ſuâ. Quæ omnia dat nomine dotis, vt oſtendat cor viro ſuo; & faciat illum dominum omnium rerum ſuarum. Quæ omnia ſcripta ſunt à me Paulino de Flauijs notario, glorioſi Imperatoris, Regis noſtri Henrici. Anno Imperij eius Sexto. Dominicæ autem natiuitatis Mille & centum nonaginta ſex.

Ego Bertolinus de Carpo fui præſens.

Ego Andreas Spinedulus fui præſens.

Ego Luiſinus filius Iudicis Paulotti fui præſens.

Inſtrumentum hoc Petrozanni aduerſarijs inſertum ad verbum reddidi: quod rudis antiquitas, nobilitati fidem adſtruat.

Porrò toties agitatæ, inter Longobardiæ Ciuitates diſcordiæ, cunctas fermè in arma traxerant: Sic Patauium Veronenſium ac Ferrarienſium motus ſecutum, nullâ iniuriæ querelâ, Mantuanos graui vexatione exercuit. *Patauini in Mantuanos.* Expedita enim arma, adſcitus miles, coëmpti commeatus: Deniq; metu ac feſtinatione omnia turbata. Placuit Senatui mittere Patauium, qui belli cauſas noſceret; moneretq; poſſe ſine armis ſedari animos, ſi cauſæ odiorum noſcerentur. Id præcipuè dicebatur, irritatos Mantuanos, vim Ferrarienſibus ac Veronenſibus reddidiſſe; pugnarum initia apud illos fuiſſe; & ſæpius abruptam pacem. Non potuiſſe longè ſitos Patauinos, armis aut temeritate offendi. Sic retentus impetus;nec vltra minas proceſsêre. Fortè vtreq; Ciuitates, conſenſu quàm pugnâ, ſua componi malebant. Prudentiâ tamen, & magnis viris opus credebatur: Qui vt, nec ſeueritate aſperarentur animi, nec facilitate iura Mantuanorum conuellerentur, profeſſione mutui officij,medij acceſsêre. Delectus rerum arbiter Sordellus, non minoris apud ſuos, quàm Patauinos auctoritatis;quiq; Cæſari notus, etiam Venetis commendatione pietatis integritatiſq; acceptus erat. Hîc ſibi Corradum Gonzagam, conſanguinitate ac fide probatum, in ſocium, partemq; curæ delegit, quemq; acceptum Patauinis nouerat, nec Patriæ iniquum: Vt inter diuerſos & infenſos, ſolida pax & concordia coaleſceret. *Conciliantur* Hi Patauium profecti, non alias diſcordiarum occaſiones, quàm æmulationem gloriæ, & bellandi deſiderium comperêre. Nec ſponte tractos, ſed prece ac præmijs illectos. Annitentibus Veronenſibus, quocunq; rerum ſuarum diſpendio Mantuanos excindi, in vindictam præteritorum. Ferrarienſes ſubſidium potius, quàm indignationes conuocauerant. Sed vbi tumultus reſedêre,nouos motus auerſabantur. Ergo Sordellus ac Corradus, vſi in tempore prudentiâ, quæ vtramq; Ciuitatem nullâ iniuriâ in arma traxerant, compoſuêre. Et tranſacta res Patriæ vtilitati,honori Gonzagorum ceſſit. Extat quoq; in Mantuano Archiuo, ſcriptura delegatæ vtriq; auctoritatis, Milleſimo cêteſimo nonageſimo nono, octauâ die Iunij. Meminêre Patauini Annales M.S. quos Sabellicus & Volaterannus, cum fide ſecuti ſunt. Nos temporum rationem, non niſi cum erroris periculo certam præferre poſſumus:

quòd

Digitized by Google

quòd à diuerſis hæc aut illa, in hunc aut illum annum reijciantur. Fortè
præcedenti æſtate Henricus Imperator, de reditu in Italiam cogitauerat;
vt Palęſtinam nouis copijs viciniùs tutaretur; in quam delectum, reciperan-
dis Hieroſolymis traduxerat; Siue vt Siculos & Appulos, nouo Regno ina-
ſuetos, præſentiâ retineret, ſiue vt Pontifici gratificaretur; aut tumultuantes
Italiæ Ciuitates in officio haberet. Didicerat maiorum exemplò, niſi ob-
temperantibus Italis, pacem Orbi Chriſtiano eſſe non poſſe. Et quamuis
Ciuitatum rixas, turbandis omnibus ſatis eſſe; cæterarum modeſtiam non
ſufficere. Hinc maior cura, & velut in ſtudium ſui vigilantia. Vbi Medio-
lanum attigit Imperator, cum coniuge ac infante filio Romanorum Rege *Imp. in Italiam.*
electo, mox in Vrbem, poſtremo Meſſanam conceſſit. Iuuit Cæſaris præſen-
tia, ne turgeſcentes in ſeditionẽ Italiæ Ciuitates, vlterius bello concurrerent.
Vniuerſa per ſummam quietem habita, & futuro optimè prouiſum videba-
tur, ſi per fortunam, & longius Cæſaris æuum licuiſſet. Anno enim Mille-
ſimo centeſimo nonageſimo octauo, cum venatione plus iuſto incaluiſſet,
& per noctem viridanti prato indormijſſet, ſoli frigiditate ac humiditate læ- *Eius mors.*
thalem morbum contraxit; quo etiam extinctus eſt. Sed his omiſſis ad Pa- *Sordellus.*
triam redeo, ac Sordellum, qui gloriam adauxit. Non enim nobiliſſimæ
Gonzagæ familiæ, ingentibus virtutibus partam gloriam, conuellit; ſi eâ in
Ciuitate, cuius Diuino fauore perpetui rectores Principes deſtinabãtur, fuiſ-
ſe alios quoq; nobilitate ac fortitudine celebres viros tradiderimus. Si enim
electione, eò potentiæ deuenêre, neceſſe eſt inter optimos, & ex optimis
fuerint aſſumpti. Sordellus cuius ſuprâ mentionem habuimus, præter du-
ctam à natalibus nobilitatem, quâ Gonzagos claritudine æmulabatur, in-
genti corporis vi, non ſtolidè, ſed cum ratione adeò ferox erat, vt morta-
lium nemo, totâ Italiâ congreſſum ſuſtineret. Atqui frequentes Ciuitatum
ſeditiones, & continuus armorum vſus, plures erudierant, belli quàm pacis
artibus celebriores. Sordellus conſenſu Ciuium, ac temporum conditione
inuitatus, quamquàm liberalibus primùm artibus, operam non perfuncto-
riam impendiſſet; mox tamen armorum ſtudio intentior, ſuos & exteros
transgreſſus eſt. Principibus, grata ſimilium virorum cura erat: quòd ęquis
armis, æquis locis concurrerent; raroq; victoria, niſi fortiori cederet. Nunc
eminus bellici inſtrumenti fragore, licet ſtrenuus & validus, ab ignauo, &
inerti ſuperatur. Iiſdem temporibus Rugerius Appuliæ Rex, Leonellum
quendam (origo vilitate ignoratur) militaris diſciplinę peritiſſimum, in par-
tibus, & inter domeſticos habebat: non aliâ causâ, quàm quod Italorum
fortiſſimo ambiri ſe crederet. Et diſpendij pretium erat, ſtrenuiſſimis cin-
gi, fortiſſimos viros commẽnſales oſtentare; ijs ſeptum in publicum progre-
di. Ergô vbi Sordelli famam excepit, velut alienæ virtutes ſuis detraherent;
aut Sordellus celebratior, Regium ſplendorem imminueret, Leonellum
Mantuam, vt recuperandæ gloriæ mittit. Iubetq; ſingulari certamine Sor-
dellum prouocare, nec niſi victorem ad ſuos reuerti. Paret Leonellus, tam-
quàm fortunam in manu haberet; aut Sordellus eſſet ex famâ victoriam

conceſſurus. Rex interim magni exitus impatiens, pugnæ finem opperitur, vano rumore, ſimili vanitati deditus. Vt Mantuam Leonellus venit, & Sordellum obuium habuit, temeritate ingenitâ, fortiſſimum iuuenem ad certamen vocat: Eâ ſe causâ acceſſiſſe, vt Regi ſuo, Mantuanisq; Ciuibus, neminem armis Leonello parem, aut congreſſum toleraturum approbaret. Renidens Sordellus inutilem laborem primùm, mox apertè nullis honeſtis cauſis petitam dimicationem aſpernatur: Nec ſe in pugnam, niſi laceſſitum properare, nec amicitiam, niſi ratione reſcindere, ait; Obniti contra ille, nec ſe niſi victorem, aut victum receſſurum profiteri; id à Rege ſuo mandati habere. Victus peruicaciâ Sordellus: Quando, inquit, illaceſſito mihi certandum eſt; nec irritum, & nemini profuturum laborem ſubterfugere conceditur, ſciant exteri, ſciant Ciues mei, conſuetudini & inſtituto vim illatam: Quòd aduerſus amicos nunquam vim tulerim, ſed pro Patriâ ſolùm contra hoſtes dimicauerim. Dies & locus dicitur, futuroq; certamini vtriq;

Eius cum Leonello certamen.

comparantur. Vt deputatus dies illuxit, Sordellus à Ciuibus, Leonellus à ſocijs in arenam armati, paribus vtriq; armis deducuntur: Suſpensâ Ciuitate omni ac ſollicitâ, quòd nullâ causâ, duo fortiſſimi iuuenes, extremo diſcrimini committerentur. Primus aperto campo equeſter inſultus fuit. Eo Leonellus Sordellum ferire quidem, non impellere potuit; ſed Sordellus, lanceâ per ſummam vim in hoſtem protensâ, præcipitem æquo deiecit, & velut permiſſurum victoriã, ſolo afflixit. Qui vbi pudore & ictu amiſſos ſpiritus collegit, denuò in certamen ſtricto enſe proceſſit. Sordellus pedeſtrem hoſtem conſpicatus, ac ſine clipeo; equo & ipſe diſſiluit, & pari armorum genere in pugnam ſe tulit. Magna vtrinq; ars, ingens victoriæ deſiderium, fortitudo ac vires impendebantur: Mox tamẽ poſitam in dubio victoriã Sordellus ſuam fecit, deuicto hoſte, & preces vitæ offerente. Quæ à victore conceſſa, iniuncto onere, Galliæ Regis inuiſendi, à quo Sordellus, eâdem causâ, ardentiſſimis literis aduocabatur: Vt eo teſtimonio Rex virtutem coniectaret; quam ne hoſtis quidem confeſſione corrumperet. Licuit gliſcente otio, ſimilibus nugis per Italiam ſtudere; dum Henricus ætate ac potentiâ validus, vim Imperij pacemq; ſuſtentabat. Sed vbi finem habuit, omnia in præceps acta. Palæſtina, Italia, Germania, ſeditionibus exarsêre: Vbi enim formidati Cæſaris reuerentiâ ſoluti, parum in legibus præſidij eſſe; plus per vim, quàm obſequium ac modeſtiam acquiri cognitum; erupêre diutius ſuppreſſa deſideria, & habendi ac proferendi poſſeſſa amor. Quæ vt etiam Gõzagos, ac fortunæ eorum deſtinatã Ciuitatem Mantuanam exercuerint, ordine trademus. Fine Imperatoris accepto, grauiſſimè Palæſtina afflicta eſt; fortiſſimis ante exercitibus contra barbaros inſtructa: Quorum omnium exitus, auſpicijs Cæſaris habebatur. Qui bello Principes inerant, domeſticis ſeditionibus metuentes, reditum ad ſuos properauêre. Quamquàm deſeri ſe, & barbarorum ſæuitiæ relinqui Chriſtiani incolæ quererentur. Hinc multo ſanguine parta, ſtatim amiſſa, & arbitrio infidelium, miſeræ noſtrorum reliquiæ creditæ. Innocentius Pontifex, Cæſaris metu ſolutus, per

vim

per vim apertam, Ciuitatum plurimas, ab Henrico Sedis Apoſtolicæ iuriſdictioni auulſas recuperauit. Imperatrix ſibi, paruoq; filio Siciliæ vtriuſq; Regnum ab ipſo firmari, magno quamuis labore obtinuerat: Quòd Innocentius tempori, & occaſioni ſeruiens, ita alienis ſtuderet, vt ſua non obliuiſceretur. Philippus defuncti Cæſaris frater, Imperatricis fęminiles artes deſpiciens, atq; adeo nepotis infantis caritatem exuens, in Germaniam profectus, etſi tutorem ſimularet, Imperio ſtudebat: Ita ætatem, conſanguinitatem poſcere rebatur; nullâ nepotis iniuriâ, quem infantiâ tantæ moli imparem nouerat. Vbi Prouinciam ingreſſus eſt, donis, precibus, minis inſiſtere; parentem, fratremq; Cæſarem intonare; deniq; auxilia conquirere, vt ſi modeſtia improficua eſſet, ad vim conuerteretur. Contra vbi infantem olim Romanorum Regem dictum Imperio arceri Otho Henrici ſuperbi filius agnouit, & potentiam ex libidine quæri; nec generis, nec fortunæ inferior, eaſdem artes penès eoſdem exercuit; vt præualeret. Electores ſtudijs diuerſi, vtrumq; Imperatorem nominant: Quamquàm ipſorum nemini vota ſufficerent. Imperatrix amore filij impatiens, poſtquàm Siciliam Pontificis voto accepit, ad Electores Germanos, literas cum lachrymis miſit, quarum hic ſenſus erat. Nulli mortalium perfidiam decori, minimè Germanis eſſe, qui fidei nomine glorientur. Electum ſemel Cæſarem, nullâ parentis, nullâ ſua culpâ reijci: Nec præter innocentiam ætatis, accuſari aliud poſſe. Id ipſos proſpicere debuiſſe, cum Regem dixêre. Sed & filij pueritiam, Electoribus potentiam addere, vbi eorum arbitrio plura committi par ſit, quàm ſi firmus ætate Cæſar, omnia ex voto peregiſſet. Se paratam Germanorum Procerum dicto, rebus conſulere. Illi fidei, & ſemel dati ſacramenti meminiſſent; quæ niſi per ſummum ſcelus violari poſſint. Sîn minus vocare vltores Diuos, celerem vindictam imprecari, & facinoris auctores Diris deuouêre. Non toleratura Numina, profanorum Principum audaciam. Aderant quoq; qui ſpecie honeſti, eadem præſentes referrent: Docerentq; ſi ſalus Germaniæ, & Italiæ quæreretur, eâ electione ſtare, quæ omnium voto contigiſſet. Contra Principes Germani, extortam inuitis Electoribus Cæſaris nominationem; ſe coactos Regem dixiſſe; non Patriæ, non Italiæ, Imperatorem infantem conducere referebant. Nemini defuncti Henrici vim, ſuperbiam, ſæuitiam ignota; vtq; diſſentire capitale fuerit. Maturâ, ac rebus gerendis validâ ætate opus; vt Imperio ex reuerentiâ, maieſtas accedat. Siciliæ poſſeſſionem à Pontifice datam, non ſine Imperij inuidiâ; & futurum qui in tempore repoſcat. Nec ex iuſto æquoq; permiſſum, vt ſuis firmandis, plures Italiæ Ciuitates, Pontifici, velut in pretium cederent. Sic eluſa Imperatrix; cunctæq; Germaniæ vires in duos abiêre, Philippum ac Othonem. *Imperatores æmuli.* Sunt qui Bertoldum quoq; Turingiæ Ducem nominatum velint; ſed raram ipſius memoriam, breuis ac fluxa potentia reddidêre. Magnum in Pontifice momentum erat, quem ille Cæſarem approbaret, quem gratiâ, fauoreque proſequeretur. Notum id Imperatoribus; ideoq; literis ac nuncijs amicitiam, fœdus orabant. Pronior tamen in

Othonem Innocentius, cui vetus Saxoniæ Ducum in Sedem Apoſtolicam reuerentia, & Sueuorum Principum contumacia, perſpecta erant. Ipſi quoq; diſparibus meritis apud ſuos attollebantur, deprimebanturue. Philippum ſpecies, comitas, benignitas, prudentia, munificétia commendabant. Otho, vi, temeritate, effręni audaciâ, ſuperbiâ malè audiebat: Tamquam defuncti parentis retinens, nullâ propriâ virtute. Sed cardo negociationis in Pontifice erat. Quippe cum per eoſdem ferè dies, vterq; Diademate inſignitus eſſet; mox Otho Cardinalem Legatum ſibi fauorabilem conſecutus, graues quoq; in Philippum cenſuras obtinuerat. Philippus innocentiâ (vt rebatur) ac benignitate fretus, ſimul ſe magnis exercitibus inſtruxit; & per literas acceptæ iniuriæ (ſic ferebat) Pontificem admonuit; orauitq́; reuocari quæ non meruiſſet. Toti Europæ fidem ſuam in Romanos Pontifices notam eſſe, quam Imperio non exuerit; ipſum verò nullâ causâ mutatum, hoſtilia induiſſe. Maiorum ſuorum crimina, ipſi non eſſe imputanda; niſi virtutes quoq; conferantur; quas paratus ſit nobili æmulatione reſtituere. Satis Pontifici accedere, ſi comi obſequio promptum Cæſarem habeat, nec ſibi, nec vlli mortalium iniurium. Proprias Othonis ſimultates, armis decernendas: Nec Eccleſiaſticam vim inferendam, vbi electione de Imperio decerni poſſit. Innocentius non fictis cauſis (id enim credebatur) nihilo mutatus, Othonem fauore prætulit, cauſamq́; apud Germaniæ Principes edicto aperuit. Sed plus in Philippi virtute ac famâ, quàm Othonis robore munimenti fuit. Sæpius enim acie victus; & ad extremùm fugâ in Angliam ſaluti conſulere coactus eſt. Nec tamen Germania, quamuis cõpetitorum altero exacto, in pace, ſed metu præſumpti belli in armis erat. Periculum à Pontifice, ex Othone, ijsq; qui initio Imperij, per vim Philippo acceſſerant. Viſum proinde, publicam quietem habere, ſi exoratus Pontifex, diſcordias expediuiſſet. Secuta ergo concordia in hanc formam. Philippus Imperio ſolus potiretur, Otho acceptâ Philippi filiâ, Rex

Philippus præualet. Romanorum cenſeretur; & defuncto ſocero Imperium haberet; Philippi neptim, Pontificis nepos acciperet, Ancona, ac Spoletum dotis nomine traderentur. Pax vniuerſis, conditiones non omnibus placuêre. Etiam Pontifex ſiniſtrâ apud quoſdam famâ erat: Velut nuptiæ ac Prouinciæ in domum tractę, pretium Imperij fuiſſent. Auaritiam quidem carpere, non ſacrilegium poterant. Quis enim paratis ac licitis non vtatur? Cæſar dare poterat, Pontifex accipere. Neq; facilè dictu eſt vtrumq; deliquiſſe. Sic compoſitis præſentibus, modica pax interceſſit, Philippus enim Decimo

Moritur. Imperij anno, à ſicario Comite, qui per ſpeciem officij Bambergam vene-

1208. rat, occiſus eſt; Salutis Milleſimo ducenteſimo octauo. Porrò dum Germania inter Imperatores decertantes ambigebat, vtriuſq; fauor, per amicitias & obſequia quæritur, Ciuitates Italiæ, haud maiori quiete agebant: Quibuſdam Philippum, alijs Othonem poſcentibus. Nec ſolùm Ciuitates ipſę inter ſe, ſed ſingularum primates, quemq́; prolibito commendabant. Inter Mantuanos eadem diſcordia; Sordello Othonem, Gonzagis Philippum prę-

ferenti-

ferentibus. Potior Sordellus creditus; quòd Bonacolſos in partibus haberet; non honeſti ſtudio; ſed ne Gonzagi, inueteratâ commendatione Cæſaribus accepti, aut inter ciues potentiam nanciſcerentur; aut ipſis dominationi adſpirantibus, aduerſi forent. Inſigne viſum vtriuſq; certamen, frequenti Senatu habitum. Sordellus enim, ſeu ambitu, quo valebat; ſeu Othonis potentiam animo præſumens, ſic præfatus eſt: Vetus mihi Patres conſcripti obſequium in Pontificem, in Cæſarem, in Patriam eſt; non vtilitatis, non potentiæ expectatione, ſed intuitu honeſti. Nec Senatus noſtri voto Imperatores fiunt: Quem tamen iure dictum accipimus, veneratione proſequimur. De iiſdem Germani digladiantur. Quantò pulchrius fuerit, iudicij veritatem oſtentaſſe, vbi minor profitendi neceſſitas? Othonem par Electorum numerus Imperatorem fecit, ac Philippum. A ſuis non minus Diademate inſignitus, pari ſacramento deſignatus eſt. Pontifex, qui rebus dubijs ſummâ prudentiâ occurrit, electionem approbat, Philippum reijcit ab Imperio, ſed & à fidelium communione. Nec diſquirere quibus cauſis, quo nomine agat, noſtrum munus eſt; obſequij reuerentiâ laudamur. Si tamen & nos conſilij cauſam inquiramus, occurrent maxima Saxonum in Chriſtianam Rempublicam merita; Sueuorum contumeliæ; illos pace & iuſtitiâ, hos ſæuitiâ differri; hos ſuperbiâ, illos benignitate viguiſſe. Deniq; illi ſeruitutem, ac miniſterium præſtemus, qui per nullius iniuriam Imperium; ſed Electorum, ſed Pontificis nominationem accepit. Philippus paruulo nepote proiecto, hac ſolâ causâ ad faſtidium accuſetur. Guido Gonzaga, ne Cæſarem quem in votis habuerat, exuiſſe videretur; eò præcipuè, quòd rarus in Senatu; tum fortunâ, amici defenſio occurrerat, excepit. Communi Germaniæ iudicio acquieſcendum; nec Mantuanæ Ciuitatis arbitrio tantũ negocium ſtare. Obſequendum tamen, & deuouendam ſeruitutem vni, qui cum ratione habiturus Imperium videatur, nullâ alterius iniuriâ. Raras eſſe Cæſarum electiones ſine vi, ſine armis: Si iudicij pondus abſit, decernere plerumq; fortunam. Et minores tutius honeſtiusq; eſſe à fortunâ trahi, quàm obniti & trahere. Pontifices neceſſitate ductos, ſæpius indignos Imperio approbaſſe. Nec in Philippo hæreſim, aut peruicacem animum accuſari. Vim metui prædeceſſorum, qui tamen varient. Multos magnitudine rerum, ad ſanctiora accedere; quoſdam inſoleſcere; raros iiſdem moribus agere. Nec tamen à ſe Othonem obtrectari, aut imparem eum Regno credere. Laudare vtrumq;, Philippo accedere, quem benignitate, caritate in ſuos, potentiâ futurum Imperatorem non ambigeret. Iam verò Ciuitati ſignificatione opus non eſſe: Satiusq; fore, è tempore beneficium captare, quàm improficuæ & ancipiti deliberationi ſe credere; quâ poſtpoſitus, contumeliâ irritetur. Reipublicæ ac ſingulorum cauſam ſeparandam: Poſſeq; hos Othoni, illos Philippo accedere; ſed nihil in commune ſanciendum, quòd irritâ oſtentatione cunctos abripiat. Placuit Senatui opportuna tempori ſententia: Et eo præcipuè Guido prudentiâ commendatus, quòd quem notiſſimis flagitijs deſignare potuerat, ſaluâ exiſtimatione reieciſſet. Nec

Sordellus Cõzagis diuerſus.

tamen peruicit, quin prona in Othonem Ciuitas ſtudio partium accenderetur. Guido ſatis officio, ſatis cauſæ feciſſe ratus, Marmirolum redijt, ruſticationis prætextu; ſed ne communione conſilij inficeretur. Securius ſibi ſuisq; putans, ſi nullo in Othonem, nullo in Philippum affectu, gratiam aut odium mereretur; honeſtiusq; putans negligere, quàm pertinaciâ propoſiti læſiſſe. Nec Otho vbi Imperium adeptus eſt, fide Gonzagorum in Philippum irritatum ſe, aut minus promptum, ob nauatam operam oſtendit: Siue iram occultans, ſeu vniuerſos excuſatos credens, ſi dum Philippus rerum potiretur, ſimul cum ipſo fortunæ ceſſiſſent. Guido tamen primùm Philippo, mox Othone aſſumpto, tamquam domeſticis curis attineretur, ſe populi præcipitibus conſultis ſubtraxit. Velut maiori quiete ageret ſecluſus à turbâ, quàm ſi vulgi vanitatibus miſceretur. Quæ mox ſecuta ſunt tempora, Gonzagos optimè & prudentiâ, & caſu vſos docuêre. Parricidio Imperatoris accepto, inter gaudium ac dolorem medij, Itali Germaniq; hæsêre. Prout hunc aut illum propriæ ſpes, odia, amicitiæ efferebant. Magis in aperto dolor. Nec enim quamuis ferociſſimo, optimi Principis cædes, non in acie, ſed in geniali thoro; non apertâ vi, ſed per fraudem illata, grata eſſe poterat. Et Otho, ne velut præreptum Imperium improperaretur, proditorem acriter conſectatus eſt, ademptis ante opibus, vt famæ exiſtimationiq; iuxta conſuleretur. Plurima enim in Fiſcum ceſſêre; aliqua amicis conceſſa, auertendæ inuidiæ, & munificentiæ nomini comparando. Sed fictæ virtutes exitu patuêre: non iuſtitiâ ſed ſæuitiâ vſi; dum in diuites prædâ, in abiectos contumeliâ graſſatur. Hinc occaſio odij: & veterum morum æſtimatione, recentia flagitia, ſimulatæ virtutes innotuêre. Per Italiam Otho honeſtiori famâ egiſſet, niſi miſſæ ab eo ad Ciuitates epiſtolæ, ſuperbiam, immanitatemq; retexiſſent. Non enim recentem, ſed antiquam poſſeſſionem Imperij præferebant, in hunc ſenſum: Redditum ſibi Imperium, quod prædeceſſori, per modeſtiam conceſſiſſet; quodq; iniquo Numine annos aliquot geſſiſſet. Et quamquam conſenſu dictus ſit, nec olim ſibi vota aut fauorem defuiſſe, niſi acceptam iniuriam publicæ quieti condonaſſet. Placuiſſe ſolitudinem; ne Prouinciæ caritate ſui, ſemel acceptis armis, ad extremam perniciem bello inſiſterent. Sed nec toleratam abſentiam. Voluiſſe Pontificem, coactum Philippum, honeſtiſſimo nomine ad Regnum vocare. Et ne pœnitentiæ locus eſſet, ſancitam coniugio pacem: Vt quod alij electione, ipſe hæreditate & meritis habuiſſe videretur. Miſereri quidem Soceri infelicem caſum; ſed ita ſuperis viſum Chriſtiano Orbi expedire; Sublatamq; è medio turbarum materiem: ne publico malo, tantũ negocij tranſigeretur; & vt ſcelus paucorum ſanguine piaretur. Nec enim intruſi Principis, è cætu fidelium exacti, ſeditioſorum votis accerſiti, ſuperbiam durare vlterius potuiſſe. Non expectanti ſibi deuolutum Imperium, nullis armis, nemine obnitente; vt cœleſtis fauor, generis humani deſiderium, conſenſu haberetur. Seruarent priſcas leges Ciuitates Italiæ; adeſſent obſequio, & benè actorum præmia opperirentur. Satisfacturum ſe Philippi, ſuisq;

Otho Imp.

ſuisq́; partibus. Longobardiæ Ciuitates, aliæ rerum nouarum ſtudio, quædam officio legatos tranſmisêre, miniſterio, & adulatione certantes. Sors Mantuanorum in Guidonem Gonzagam ceſſit. Quem vniuerſi licet Vrbe abſentem deſignauerant. Prudentiores aſtum Sordelli, fraudem Bonacolſorum interpretabantur. Quaſi conſcientiâ, & inimicitiâ, apud gnarum ſtudij Othonem accuſatus, præſens ad pœnam ſiſteretur. Id Guidonem non fefellit, certum conſilij, & promptè oblatam excuſationis occaſionem acceptantem. Simul vt ſe Patriæ vtilitati paratum oſtenderet, Francofurtum profectus eſt; quô aſperioribus pronum Cæſarem, oratione leniret, reuerentiâ mitigaret. Nec ignara Othoni, Guidonis erga Philippum fides. Eoq́; acceptior profeſſio pietatis, & ingenuitas fuit, quâ ſe, ac eaſdem ſpes ſecutos excuſauit, pronos commendauit. Non tibi, non Germanis tuis (inquit) Cæſar, firmati Imperij nuncius, quàm Mantuanis acceptior fuit; quos Regno vetus obſequium illigauit. Quippe ciuiles diſcordiæ, Germanis Italiſq́; iuxtà periculoſæ: Et ſi turbæ Germaniæ inceſſerint, non poſſunt Mantuani, tamquam in otio ac ſecuritate, alienas clades ſpectare. Vna eademq́; cauſa hos illoſq́; commouerit. Datus ex iure Cæſar ipſo nomine quietem repromittit. Sed & ex nobis præter obſequium, nîl aliud eſt quod ſperetur. Non promouendo, non excludendo Imperatori vires inſunt. Et ſatis locum noſtrum impleuimus, ſi paruimus. Ambiguis Cæſaribus, rebus noſtris maius, quàm in Germaniâ diſcrimen. Aegrius illatam iniuriam propulſamus, facilius opprimimur. Huic tamen, vel illi accedere, conſenſu litigantium cogimur. Quantoq́; minus virium habemus, tantò magis formidamus, ne imprudentes, ab eo quem ſors vocat diſſentiamus. Pontifex qui Italiam, antiquâ poſſeſſione, & arbitrio præſumit, vicinior, Cæſaribus auctoritatem dat, adimit. Nec qui longius diſſiti res ex famâ metimur, niſi monſtratum Imperatorem accipimus. Vtinam inuictiſſime Cæſar, habitum conſenſu Imperium, diuturnum teneas: Ne dubitandi occaſio quietem tuam, vota noſtra interrumpat. Tibi Ciuitas ante Imperium etiam obſequebatur; nunc cum te iure habere nemo dubitet, an futuram in partibus non credis? Cum inter Proceres Germanos quis honeſto titulo Imperator eſſet, dubitaretur, & nos pars Imperij minima hęrebamus. Sublatus erroris metus promptiores nos reddet. Ego cæteriq́; Gonzagi Imperatorum munificentiâ, ciuilem conditionem ſupergreſſi, pro Philippo fuimus, erimus pro Othone; nunc quàm olim paratiores, quòd certi dominantis agamus, prius ambigui. Neq́; tamen aliter quàm conſilio demeruimus apud Philippum: Non pecuniâ, non milite partes iuuimus; & ſi dubitas, non potuimus. Deniq́; non Philippum potius, quàm Imperatorem coluimus, quem Pontifex, quem fortuna extulerant. Experimento doceberis, an par obſeruantia nobis commendationem, an accuſationem addet. Cæſar miti reſponſo, & ingenio ameno, Patriæ fauorem, ipſi ſuiſq́; ſolitam apud Cæſares gratiam, pollicitus eſt. Reuerſuſq́; ad ſuos Guido expectatione maior, cunctorum acclamationibus excipitur. Quæ Othonis Imperium ſecuta ſunt tempora,

Guido Legatus Ciuitatis ad Imper.

pora, frequentius Gonzagorum mentionem habent. Vel quia manifeſtior *Otho in Italiam.* in Cæſare fauor, aut quòd potentia aucta ore vulgi promptius efferatur. 1209. Cæterùm Otho compoſitis Germaniæ rebus, Anno Milleſimo ducenteſimo nono, itineris Italici, ac à Pontifice ſumendi Diadematis anxius, ordinum Germaniæ aſſenſu, opibus ac milite inſtructus, per Tridentinam vallem Imperij Ciuitates non inuiſit potius, quàm irrupit. Noti ante Imperium viri ſpiritus, & parata vltioni mens erant: Quamquam rectè æſtimanti, nulla memoria crederetur. Vbi Veronam attigit, opperiri cæteras copias, partemq; Bononienſi agro tolerare iuſſit, ſuſpenſâ omni Italiâ, quò tanti apparatus bellici, & altiſſimè reconditi ſecreti vis foret eruptura. Mantuano pacatiſſimus inceſſit; ſeu modeſtiæ ſuorum daturus experimentum, ſeu diuerſis cauſis, odijsq; diſtractus, vt exitus docuit. Et quia fidei Gonzagorum certiſſimus, apertè nobiles viros peruertere, integrâ famâ æquitatis, non poterat, reperit fœdiſſimum modum; vt fauoribus, ac ſpecie gratiæ obrueret. Etiam impoſſibilium cupitor Guido Gonzaga erat natalibus, vſuq; ſplendorem Regium æmulatus; quo oratore paulò ante Mantuani, magnâ Patriæ gloriâ vſi fuerant. Ergô vicinum Cæſarem præſentiâ recolendum iudicans, Veronam proceſſit, inuitatumq; hoſpitio accepit. Nec Imperator abnuit, *A Gonzagis Marmiroli excipitur.* ſed ingenti Principum virorum comitatu, Marmiroli decem integros dies conſedit. Et Guido gloriam facultatibus ante habens, non ſibi, non Principibus defuit. Inſumptum eâ munificentiâ, quicquid longâ parſimoniâ quæſitum fuerat, & multo ære alieno contracto, ſatisfactum expenſis. Nec erubuit indiſcretiſſimus Imperator, vbi rem familiarem hoſpitis exauſit, etiam auxilia poſcere. Data à Guidone pecunia; quantùm per anguſtias & ſumptus conceſſum. Cumq; diuitias nobili largitione profudiſſet, de veteri tamen nobilitate, ac exiſtimatione nihil imminuit. Bonacolſi, quique ſecretò Gonzagorum hoſtes; publico fallebant, illorum gloriam fraude quæſiuêre. Dum frequentes Marmiroli Cæſarem inuiſunt, liberalitate hoſpitis abutuntur. Expulit tandem Othonem verecundia; & elapſus, Bononiæ ſubſtitit; Diuiſis per plura loca exercitibus; vt ſi bellandum foret, præſidiarijs primùm, mox & auxilijs vniuerſi incumberent. Itaq; ad certam diem, cum ſuorum mandatis, Italiæ Ciuitates Imperio ſubiectas, Legatos Bononiam expedire, pecuniam, militem ſpondere, ac fidei ſacramentum ſubire imperauit. Mediolanum, Cremona, Papia, Verona, tum temporis validiſſimæ, & incolarum numero tutiſſimæ cenſebantur. Optaueratq; Imperator perfidiam, cauſam rapinis ac cædibus: Sed illæ tantâ animorum æqualitate obtemperauêre, vt præter Cæſaris expectationem, vniuerſæ obſequio paratæ adeſſent. Data pecunia quæ poſcebatur, fidei obſides oblati, miles promiſſus, additi gratuiti commeatus. Imperator haud quaquàm omnia pro voluntate, aut potentiâ egit: Satis Imperio ac ſibi eueniſſe ratus, ſi in officio ſaltem metu perſtitiſſent. Relictis nihilominus per quos *Mox in Vrbe* coërcerentur, qui turbas ſuſcitaturi credebantur, Romam venit. Vbi Innocentius Pontifex, caritatis in Othonem certiſſimæ, Regio Diademate

ipſum

ipſum, magnâ Vrbis lætitiâ decorauit. Exercitus extra muros tendere iuſſus; ne permixtus plebi inſoleſceret. Minus tamen paruit; ſed per Vrbem fuſus, dum caſtrenſi licentiâ, eadem in Ciuitate quæ in bello concedi putat, Romanos vindictę properos irritauit. Cæſus Imperialium magnus numerus; & cæteri Vrbe pulſi ſunt. Otho preſsâ ad tempus irâ, vim diſtulit. Laborante Pontifice ne dolo aut iuſſu, tantum internecionis perpetratum opinaretur. Ille nullo affectu perruptus, amoris aut odij nullis certis inditijs oſtentatis, Innocentium, an perſuaſiſſet ambiguum reliquit; abducto milite omni; & Mediolanum ſumendo in poſterum conſilio delatus. Senatus ac ciues Regio apparatu, profuſo luxu Othoni adfuêre. Nullum famulitij munus omiſſum, quo fidem & conſtantiam, teſtari licebat. Nec Cæſar per ſuperbiam, aut contumacem animum, obſequentes recepit: Nam Ciues priuilegijs aucti, firmata Vrbis vetera inſtituta, ſpesq́; maiorum oſtentata, ſi ſtabiles in officio manſiſſent. Pecuniæ tamen vndiq; conquiſitæ; tamquam appetente vere, contra Barbaros pugnandum foret: Vnde ſpecies honeſti, & ſcelerum excuſatio. Magnis quoq; amicitijs (quas munificentiâ aut ſpe parabat) inſtitit, quòd trahendis in voluntatem Ciuitatibus, Magnates prę-ualerent. Vbi primùm induci Apennino miles potuit, Verno afflatu ſolutis niuibus, & aperto expeditionibus itinere Hetruriam inuadit. Per quam cum numero & viribus formidandus incederet, Ciuitatum pleraſq́;, Sedis Apoſtolicæ iuriſdictioni ſubditas, ſuas fecit. Multa hominum millia Anconitano agro, & accipiendis in deditionem oppidis immiſit; tanto impetu ac celeritate; vt oppreſſis non minus, quàm Pontifici improuiſus adueniret. Sed cùm Mediolano excederet, affuit Ciuitatis Mantuanæ nomine, Cæſarinus Bonacolſus, cum centum equitibus leuis armaturæ, quadringentis peditibus; non diſtincto; ſuòne, an ſuorum, pro Cæſare, an contra Papam properaret. Neque tamen fraus feſellit, veteri eoq́; cognitâ familiæ in Sedem Apoſtolicam irâ; & datis in tempore exitialibus conſultis. Nec mirum, quòd tyrannidem patriæ, & latius fuſam dominationem meditaretur, quæ integra Pontificis gratiâ, haberi non poſſe introſpexerat. Sic vt excuſatius offenderet, iram ſimulauerat; & vt honeſto quopiam officio commendaretur, Imperatori ſe adminiſtram profitebatur. Cęſar interim Neapolitani Regni ſpecioſiſſimas Vrbes, aut exurebat, aut ſponte deditas, præſidijs firmabat. Tenebat tum Regnum, Romani Epiſcopi conceſſione Federicus, quem Imperatore genitum; & primam intra iuuentam, mater, conceſſoris tutelæ crediderat: Affueratq́; plures annos Pontifex paternâ curâ. Ergo laceſſitum Regnum, Innocentij animum grauiſſimè perculit: velut irarum ac vindictæ cauſas, ob admiſſam in Germanos ſuos, mediâ Vrbe cædem, in Pontificem ignarum ac innoxium finxiſſet. Nullo tamen nomine Federicum adoleſcentem, iniurium Imperatori eſſe potuiſſe, aut alienæ potentiæ inhiare: Solitæ ſibi tamen modeſtiæ inſiſtendum putans, quem prius iteratis epiſtolis, denuò miſſis legatis, iuſtitiæ admonuit: Cauſas bellorũ excindi poſſe ſi docerentur: Sibi haud dubiè aliquid imputari; nec id nouum, quòd Imperatorum iniu-

rijs

Papam oppugnat.

Augetur copys à Mantuanis.

rijs expoſitus facilè accuſetur. Fingi iras,vt ex libidine alienis incurreretur. Sed Federicum Regem iuuenem, Papæ conceſſione, & tutelæ datum; nec animo, nec factis obſtare potuiſſe. Cæderet Regno, nec ſibi nec Cæſaribus debito; & hoſtilia detraheret; niſi ſe communem cauſam, grauioribus pro-
Ille minatur ſequi vellet. Irriſit Otho: & non intermiſſâ expeditione, totius Regni potitus eſt; nullo alio iure, quàm quòd aduerſus innoxium, & nullius flagitij compertum, ſubitis armis præualuiſſet. Contumelioſam Pontifici, iniquam Regi Federico, calamitoſam toti Italiæ Cæſaris peruicaciam, credidit Innocentius; putanſq; aſperioribus locum eſſe,tranſgreſſum ad illicita Othonem, (quæ nullo colore excuſari poſſent) anathemate ferijt; quod Italiâ, Germaniaq; euulgari iuſſit. Detraherent perditiſſimo Principi obedientiam, & ſacrilegum auitâ poſſeſſione exigerent; nouoq; dicendo Cæſari, quàm citiſſimè adeſſent. Non defuêre Germanorum Principum aliqui, quos Eccleſiaſticæ cenſuræ,aut vetus in Othonem odium commouerent. Præcipui turbandis rebus, Moguntinus, ac Treuerenſis Archiepiſcopi, Boëmiæ Rex, Lanthgrauius Turingiæ, Dux Auſtriæ: Quiq; per occulta non magis eijci Othonem, quàm quemcunq; alium eligi malebant, veterum ſatietate ac faſtidio, mutationis deſiderio. Otho vbi ductu Pontificis Germaniam Imperij ſedem tumultuari, ac nouandis rebus, plus opinione inſiſtere cognouit, poſitis vbiq; præſidijs, ne vtrinq; hoſtes erumperent, in Patriam euolauit. Mantuani Duce Bonacolſo ad perfidiam vſq; agitati, ſuis ſedibus reſedêre; & expeditionis, & cauſæ odio; & eò maximè bellum aduerſati; quòd fine
1212. Gonzagis militaſſent. Imperator non diutius expectato, quàm dum Norimbergam coïretur, de bello ſeditioſis inferendo decretum extorquet. Ipſe præceps in armis,hûc illûc facem præferens tranſuolabat. Cõtra Germani honeſtiſſimo nomine, ac Pontificis auctoritate freti, vt partibus Dux eſſet,cuius auſpicijs bellaretur,Federicum vtriuſq; Siciliæ Regem, Cæſarem nominant; legatos mittunt, qui accipiendo Imperio aduocent, & tenellam, magniſq; conatibus imparem ætatem ,conſilio firment: ſimul doceant,olim ſibi debitum Imperium, cui per annos non ſuffecerit, iam robuſtiori ſponte offerri. Sciret electum ſe ante Philippum & Othonem: Et quando ille iugulatus, hic excluſus ſit; ne dubitaret magnæ ſe fortunæ committere: Conſilio & auxilio, affuturos Germanos & Italos; Pontificem ne tum quidem eius tutelam exuiſſe. Decimum octauum annum Federicus expleuerat: Et quamquam magnitudine animi tranſgreſſus ætatem fortiſſima quæq; nen pauefceret; Othonem tamen, amiſſam Calabriam, & Appuliam reputans, Imperium formidabat. Nutantem erexêre Gallorum Regis epiſtolæ;quibus ſe Othonem oppugnaturum, nec ipſum tot aduerſantium populorum arma toleraturum monebat: Indueret viriles animos,& vocantem fortunam ſequeretur. Paruit: mens enimà metu, ad ſpem tranſierat. Viſum tamen infirmo, ac parum ſido milite ſeruatam Appuliam & Calabriam ante recipere. Sic Romam primùm, vbi à Pontifice fauorabili caritate exceptus, mox in Germaniam delatus eſt: Superatis in itinere difficultatibus, quas Othoni

per

per Longobardiam obſtrictæ Ciuitates parauerant. Mantuani diu in ambiguo fuêre. Quòd Mediolanum quoq; pro Othone eſſet; minoris potentiæ ac nominis pro Federico. Sed id maximè Gonzagorum fortunam extulit; quòd diſtractus vterq; Cæſarum inteſtinis diſcordijs, Italiam omnem profiteri non coëgiſſet. Ea enim pro vili habebatur, vbi de Germaniæ Regno lis eſſet; imo & neceſſitate acceſſura. Vetus quædam, à primo vſq; Marchione Valtherio Gonzach, inter poſteros eius & Saxones neceſſitudò erat. Sic illum Regio diplomate Otho primus, cum Mantuam conceſſiſſet, appellauerat. Hinc prona poſterorum Valtherij in Othones voluntas; & dum per cauſam, & vires licuit ſtrenuè opera nauata. Gliſcebat interim per Germaniam, potentiorum opibus Federici auctoritas; magno prælio ſuperato ac pulſo Othone, quod aduerſus Galliæ Regem præſumpſerat; incerto vindictæ, & auertendi à nouo Cæſare, auxilij deſiderio. Semel elapſam fortunam ægrè reduxeris. Otho tot aduerſis conflictatus, tædio curarum, æmuli impatiens, in Saxoniâ fato functus eſt: irritis queſtibus amiſſam potentiam, vulgi odium, præſentem miſeriam deprecatus; adiuuante nemine, ſed nec ſolante, quòd anathemate ictus, cunctorum caritate excidiſſet. Sic quies Italiæ, pax Germaniæ, & Summis Pontificibus reuerentia, ad breue tempus comparata. Sed me Cæſarum diſcordiæ, longius ab inſtituto flexêre: Nec tamen medio filo interrumpenda narratio, aut diuerſa intexenda erant: Quippe tracti Imperatorum fortunâ Mantuani ac Gonzagi ſemper ſunt; partemq; ſe Imperij fatentur, & ratio temporum hoc vno calculo examinatur. Ad Mantuanos redeo, quando Ciuitatis progreſſus, Sereniſſimæ familiæ honori profecêre. Nec continuæ Ciuitatum, Pontificum, Cæſarum, ac Principum Germaniæ contentiones, pari ſemper affectu excipiuntur: Nã varietas legentium animos detinet, & ab atrocium, quæ plerumq; occurrunt meditatione auertit. Ciuitatẽ planam ſitu, quamuis in muro ac foſſis, ſatis tutelæ habere videretur, frequentia tamen per Italiam prælia, & inter vicinos dimicationes effecerant, vt nihil tutum, niſi quod inexpugnabile, nihil ſecurum crederet, niſi quod ſine præſidio ſeruari poſſet. Repertum ergo plures ante annos fuerat, vt Mincius Boreali parte, modico alueo præfluens, obiectis molibus intumeſceret, ſtagnumq; imperuium hoſtibus obijceret. Sic ex ſitu, & viribus Ciuium ſperabatur: non expenſam, non laborem aſpernantibus incolis, vbi in Patriæ vtilitatem, ac ſecuritatem impenderentur. Id olim obiectu aggeris ſatis prouiſum videbatur. Sed vtilitati quoq; conſulendum cenſuêre; vt eodem opere, præſidium & quæſtus haberentur. Ingentibus itaq; muris Pons extructus, cuius media, Fluuio exitum per anguſtias præberent; vt vis aquarum arctata, maiori impetu decurreret. Eius pars terendis frugibus, pars trabibus in aſſeres ſecandis, pars lanarum purgationi, etiam conficiendæ papyro alia ſepoſita. Et vt tot eruptionibus, Fluminis exilitas ſatis eſſet, non quouis arcu egreſſui libertas data; ſed arbitrio opificum, obſerari ductus aut reſerari placuit; exhauriendæ aquarum multitudini, aut congregandæ, prout vſus expediret. Rarum & maximis

Gonzagi pronis in Saxones Impp.

Federicus Imp.

1213.

Pons Molendinorum.

Vrbibus

Vrbibus par opus, tum inceptum, Milleſimo centeſimo nonageſimo octauo, abſolutum eſt; tot annorum expenſâ,ac labore : vt eodem loco inſculpti verſus clarè docent. Rectores Nouem erant, qui tum Ciuitatem & adiacentia curabant. Hos inter quendam Agnellum cognomine comperior : Nec tamen familiæ ſuæ primum crediderim, quòd inter nobiles, & longa decora præferentes, interq; Federici primi, & Henrici quarti miniſteria tres alij occurrant ex Agnellis : Eorumq; longa ſeries, veteris Hetruſcæ nobilitatis decus referens; cum Piſas imperio teneret, apud Mantuanos recolatur. Hos inter pace ac bello celebres, induti Patriæ caritatem, veteres ſedes obliti, familiam Mantuano propagarunt. Qui traditam à maioribus nobilitatem, ciuilibus, equeſtribusq; ſtudijs decori, in poſteros tranſmiſêre. Duratque fecunda optimorum Ciuium familia; etiam Comitatus, & non niſi in ſpectatiſſimos egreſſas dignitates compræhenſa. Eâdem Gente in plures domus diuiſâ. Cunctorum à Piſarum Dominis continuam, nec interruptam tot ſæcula ſucceſſionem, viuo è fonte, & vetuſtiſſimis M. S. accepimus. Quibus omnibus, re in cenſuram vocatâ, VINCENTIVS multos poſt annos Mantuæ Dux, auctâ ſtirpis fortunâ, & Comitatu adſcito, teſtimonium Regio Diplomate tulit. Sed nec illa commendationis alienæ indiga; & referre iniuria eſt; vulgi famâ; claritudine ſuâ, noſtræ memoriæ ſuperior. Interpoſita aliquot annorum pace, alijs quoquè vſibus Ciuitas ornata. Nam porta Aquæducij (Aquęductum vetuſtiores dixerant) quæ nunc Perdellæ eſt, in ampliorem formam extructa; & ad inſtar munimenti, magnâ murorum mole elata eſt : Idquè

Agnelli.

Porta Perdella.

1242. Milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo: Vt verſus è marmore, rudem antiquitatem referentes atteſtantur. Sed & aquarum vi detritis munimentis, Anno Milleſimo ducenteſimo quinquageſimo, à Burato Ciuitatis rectore, nouus murus erectus eſt, quo iacta olim moles firmaretur. Non alio teſtimonio opus, quàm quod ea tempora, ibidem, è marmore Pario ſtatuêre. Cæterùm Ciuitatis ornatui, vſuiq; ſatisfeciſſe, haudquaquam contenti, externa quoq; pari fortitudine, ac prudentiâ proſecuti ſunt. Cum enim intuta Cremonenſium, Veronenſium, ac Ferrarienſium amicitia foret, totâ ditione Arces impoſitæ, apud limitum opportuna; non tutandis ſolùm finibus, ſed & hoſtilibus incurſibus propulſandis. Sic Burgofortum, decem ferè millibus paſſuum ad Padi ripam, extructum eſt : Magna agri pars inter Olium ac Padum fluuios, ingenti foſsâ incluſa, in ſpeciem inſulæ; Aduerſus Ferrarienſes Bondenum captum, munitumq;, & præſidio firmatum. Gonzaga, celebre ex familiæ nomine oppidum, Regienſi ditioni ſubtractum, & in Mantuanam translatum eſt : Non æſtimantibus Gonzagis, qui tum Marmiroli agebant, cuius ditioni ſubeſſent; ſi bona apud familiam forent; & vtrobiq; ciuili conditione haberentur. Caſtilionem Mantuanum, quamquàm obnitentibus Veronenſibus, bellumq; minitantibus; & ſitu, & mœniû incremento communiuêre. Quâ verò in Padum excurritur, vbi Oſtilia nunc Mantuanorum, omnibus retro ſęculis Veronenſium Imperio ſubdita;

Arces per Mantuanum

ſita

ſita eſt, Serrauallem erexêre. Ne agri pars vlla, hoſtibus peruia, aut incuſtodita foret. Hæc publicè honora, ſecretę ciuium æmulationes corrumpebant. Nec difficile iudicium erat, haud longam communionem fore; ſed vniuerſam potentiam in Tyrannorum aliquem abituram. Præter celebres, & cuicunq; nobilitati pares, octo familiæ erant, de genere auctoritateq́; decertantes. D. Petri Plateam Bonacolſi, ac Groſſolani tenebant, illorum in Gonzagos, horum in Guerrerios ædes abiêre. Ad Diui Martini templum, Poltroni, ac Arlotti degebant; Illorum domus Caprianorum; horum, Striggiorum vſui ceſsêre. Datum quoq; Ponti nomen, & retinet in præſentem. Ad templum Diui Iacobi Caſaloldi, nunc Cereſarei aut Cæſarei; & Riuenſes (nunc Sanctæ Vrſulæ Cœnobium Virginum eſt) habitabant. In Quarterio maiori (ita Vrbis reliquum appellabant) Zanacalli, & Gaffari, tendebant: Vbi pridem Caloroſi vaſtas ædes, & incongruos anguſtiæ Vrbis hortos tenuerant. Itaq́; vbi diuitias, & receptos aut omiſſos in Patriâ honores ſinguli æſtimant, modò æmulos inſectari, modò obloqui, & Rempublicam arbitrio tractare. Quibus languidiores animi, nec pares contentioni vires erant, quacunq; diſceptantes allicere, & velut in partes abire; non ſocietatis, ſed vindictæ deſiderio. Caloroſi impetum, audaciamq́; potentiæ addiderant; nec vt pares eſſent, ſed vt anteirent, nitebantur. Gonzagi cæteris potiores abſtinere diſcordijs, ridere certamina, non ſuperiorem, non parem vllum admittere. Sic eluſi & deſtituti, non ſubſidio magis, quàm conſilio acrius vrgebant. Et quando irrita, ſine vi indignatio eſt, etiam ne conciues præualerent, exteros dominos accire maturabant. Claudij Caloroſi, Ioannis filij id ſcelus fuit. Qui tegendæ flagitij turpitudini, modò Mediolanenſibus, modò Veronenſibus Ciues ſuos ſubijcere agitauerat. Sed plus apud Patriam gloriæ, honoriſq́; fuit; quàm vt exteros, quâcunq; conditione admitteret: Et cum mutuò infenſi, inuiti eodem fermè cœlo vterentur, ſtudio tamen libertatis, & amore Patriæ, ſe potius ac ſua excindi, quàm irrumpere nouos dominos voluêre. Luceſcente die, Claudius adacto per viſcera mucrone, haud procul Ponte Maſſariorum (qui nunc corrupto nomine, Della Maſſara) exanguis repertus, & ad ſuos delatus eſt. Cumq́; eo loci miniſterio Vrbis dediti agerent, & magna Caloroſorum Mantuæ familia eſſet; proprio, affinitatumq́; fauore valida; non tamen de flagitio inquiſitum. Adeo etiam ſuis inuiſa ſeruitus, & mors in pœnam iuſtè irrogata videbatur. Sublato iuuene, potentioribus familijs tecto ad tempus odio, & illectis ambitu, Andreaſijs, Caprianis, Caſtelbarcis, Agnellis, quiq́; opinione potentiam habebant, quies; ſecura pax non acceſſit. Gonzagis, etſi in hoſtem, publicè ac priuatè infenſum, pro merito conſultum foret; accepta tamen iniuria non fuit; pernicioſaq́; reipublicæ, modo & exemplo credita. Communia hæc Mantuanis erant; ſed Gonzagis propria laus, ex Pontificis commendatione acceſſerat, multos ante annos; dum plena contentionibus Italia digladiatur. Præsbitero, Cleroq́; omni Sauiolæ, cum Pariſio de Rimusâ, nobili viro, longâ contentione, de agrorum limitibus, lis inceſſerat: Iudices in

Mantuanæ familiæ nobiliſſimæ.

Claudij Caloroſi facinus.

Pons Maſſariorum.

cauſâ, Eccleſiæ maioris, & S. Proſperi, Præpoſiti, aduerſus Pariſium decreuerant. Hic ſeu crederet, ſeu Præpoſitorum fidem lubricam, aut malè tutam agnoſceret, in Vrbem profectus, Innocentio Pontifici ſingula expoſuit; orauitq; per codicillos, nobiliſſimos, ac quos Pontifex integerrimos crediidiſſet delegari, quorum placito lis dirimeretur. Ille multum ante volutato, non alios potiores, quàm Martinum & Albertum Gonzagos reperit, quorum prudentiâ aduerſi componerentur. Sic vtriq; nobili commiſſione res delegata; & ab his, altercantibus concordia interpoſita. Extat in præſentem, Pontificis Innocentij Diploma, ſub Annum Milleſimum ducenteſimum ſeptimum. In quo ſpectabiles, inſerto etiam Sauiolæ libello, appellantur. Crediderat Italiæ Ciuitatum iudicio, quæ eoſdem Gonzagos inter litigantes Patauinos, ac Vicentinos admiſerant; nullis decertantium auſis turbare, quæ tanti rerum arbitri compoſuerant; fueratq; anno Milleſimo centeſimo nonageſimo nono. Idem Albertus Gonzaga in Appuliam miſſus à Pontifice, vt ſummâ quâ apud omnes auctoritate erat, reliquias Cæſarianarum factionum Sedi Apoſtolicæ conciliaret. Quod & obtinuit. Federicus vbi amotum æmulum vidit, nimiâ fortuna fatiſcens, denuò Aquiſgrani, coronâ Imperij ſe inſigniri voluit: Tamquam noua deſignatio, præteritas ſimultates obliteraret. Et ne in Pontificem, cui vitam, Regna, honorem debebat, ingratitudinis notaretur, Comitatum Fundanum dono habendum dedit; cum ipſe prior vniuerſum Neapolitanum Regnum accepiſſet. Addit celebre votum, ſi pax Imperio obueniſſet, Hieroſolymas repetere, & aduerſus barbaros inuaſores arma tractare; toties chriſtiano nomini dedecori & infamiæ ſumpta. Animus nobis erat, ſtatim anteire, & Gonzagis Mantuaniſq; tantùm inſiſtere, quorum honori inſudamus: ſed ea magnarum ſub Federico rerum incurſatio fuit, vt ſileri nequeant. Ex plurimis, pauciora deligemus, quæ lectorem aliò non vertant. Irrepſerant Eccleſiam hæreſes, ac pernicioſa dogmata; quibus reprimendis, non aliud certius remedium Innocentius repererat, quàm ſi generale Procerum Concilium cogeretur. Illud in Vrbe indictum, Prælatorum, Epiſcoporumq; magno cætu. Et cum exitiabiles ſuperſtitiones exploſæ forent, ad Chriſtianorum in Palæſtina caſum, animos cuncti conuertêre. Propoſiti ſacrarum Indulgentiarum theſauri, quibus Chriſtiani Principes, ad ſtrenuè nauandam operam inuitarentur. Promptiſſimos ſe Germani, titulo pietatis ac Religionis præbuêre. Primusq; Imperator Hieroſolimitanę Crucis inſigni ſumpto, cæteris exemplum dedit. Secuti Brabantiæ, Giulich, Morauiæ Duces, Comes Palatinus Tubingenſis, Marchio Gandaui, Comes Haſſarij, Dux Lemburgenſis, Archiepiſcopus Moguntinus, pluresq; nobilium, quibus priuatæ opes, aut Eccleſiaſtica potentia erat. Creditus quamuis longo & difficili bello ſuffecturus exercitus. Acceſsêre & ipſi ſtudio pietatis, Angli, Galli, Hiſpani, Veneti; tanto belli apparatu, vt iam debellatum videretur. Cęterùm vetuſtæ Genuenſium ac Piſanorum diſcordiæ, moram cupitis afferebant: Cum validis vtrinq; claſſibus concurrerent, imperium Mediterraneum

Papa ac Gonzagis iudiciũ

Parata in Turcas expeditio.

neum foret; nec his populis amicitiâ nexi, facilè in vnionem conuenirent. Ergo componendis vtriſq;, licet irritâ operâ Innocentius Peruſium ſe contulit, vbi longo Pontificatui ac laborioſo, per vigilantiam, ac pietatem habito, morte finem poſuit. Suffectusq; Honorius tertius. Hic (vt fertur) prophetico quodam vaticinio inductus, ſuis temporibus Hieroſolymas ad Chriſtianos reuerſuras credens, literis ac comminationibus Federicum Cæſarem Orientis expeditioni accingi imperauit; & niſi voto ſatisfeciſſet, Cenſuras addidit. Ille ſeu ſic rebus conduceret, ſiue innatâ ignauiâ torpeſceret, præueniri ſe ab exercitibus Germanis paſſus eſt; velut domeſticis ac Regni curis diutius attineretur. Iamq; annus Milleſimus ducenteſimus viceſimus 1220. appetebat, cum Federicus deſcripto milite, & paratis impedimentis, in Italiam primùm, mox Romam venit. Primi Mantuani onere ac fauore cogniti: Quòd medio itinere ſiti, & officijs commendati, quamquam aliò properantes Dominos inuitarent. *Federicus Mantuam.* Sed plus contentionum ac ſuperbiæ, apud Ciues, quàm potentiæ erat; publico ac ſecreto machinantibus nobilioribus, quę cum libertate, priuatas quoq; res mergerent. Dati tamen milites ſeptingenti; & ſtipendio annuo inſtructi, Cæſari bellanti conceſſi. Philippum quoq; Gonzagam reperio, Cæſaris auſpicia, ductu ſuo ſecutum; ac quinquaginta comitibus pro fortunâ (quæ tum erat) partes iuuiſſe. *Philippus Gōzaga.* Aduentantem Imperatorem Italiæ, celebriores Ciuitates, regio apparatu excepêre; addidêre pecuniam ac commeatum, quo magis opus eſſe deprehenderant. Romę non minori cultu ab Honorio exceptus eſt, ac Regio Imperij inſigni decoratus. Vbi hæc ex voto proceſsêre, vertit ad alia: Pluresq; per Hetruriam ac Campaniam Vrbes, Pontificis Imperio ſepoſitas, ſuas eſſe voluit: Credente nemine, ad eam perfidiam duraturos Principis animos: quòd conceſſi Regni, & ſummâ caritate exercitæ tutelæ, nomine; nemo vnquam Imperatorum, plus Apoſtolicæ Sedi debuiſſet. Nec hic ſacrilegij finis. Plures Epiſcoporum legitimè electos ſuſtulit, nouos ex libidine impoſuit; & Eccleſiaſticis reditibus, arbitrio vſus eſt. *Federici peruicacia in Pōtificem.* Mouêre hæc Honorium, qui miſſis literis ac legatis, habitam ſummis Pontificibus cum fide tutelam, datum matris precibus vtriuſq; Siciliæ Regnum, paratum Imperium ſimilibus improperarent: Hancne pro paternâ curâ fidem exoluere? Hac obſeruantiæ formâ, præter ius omne, veteri tutelæ ſatisfacere? Quæ in Chriſti hoſtes expenſæ, & conatus inſumendi erant, in Chriſti Vicarium torquere? Egregium Cæſarem, ſtrenuũ Ducem, quem ſui milites ad bellum inuitent, ab impietate dehortentur! Ille occupatas Ciuitates ſui iuris, & per Siciliam conferendorum beneficiorum auctoritatem perſtrepens, minitantem dira Pontificem, magis magiſq; prouocabat. Non minor ob irritos Chriſtianorum in Oriente conatus, Pontificis animum mœror perſtrinxerat. Nam fatali noſtrorum in Palæſtinâ infęlicitate, ſiue diſcordiâ, ſiue malis conſultis, dum Hieroſolymæ pacto haberi, & reliqua Regni poſſunt; temperare fortunæ, aut expleri neſcij Chriſtiani, à Rege Aegypti, inter accreſcentis Nili receptacula, armorum, ciborum, atq; adeò terræ indigi, redditis Ciuitatibus ali- *Chriſtiani ab Aegipti Rege pulſi.*

quot, ſalutem quam fortius proieciſſent,pacti ſunt. Hinc dolor, & diffidentia, cunctos res ſuas repetere,& in Germaniam redire compulit. Ignaui vbi reuertêre, cum fortunam,aduerſa Numina,Duces, neceſſitatem incuſaſſent; ſuperbiam, infamiam,ſæuitiam tacuêre. Sed non in pompam formati queſtus de Federico erant; tamquam ipſe præſentiâ vertere ſuorum fortunam in melius potuiſſet, auctis viribus, ſublatâ diſcordiâ, quâ res noſtræ corruerant, & dato in reliquos Europæ Principes, pietatis ac fortitudinis exemplo. Referebantur quoq; veteres erga Pontifices ſimultates,non admonitionibus non cenſuris emollitæ, videbaturq; ſolus in eorum facinorum piaculum accuſari, quæ plures ſimul admiſerant. Sed ille nihilo mutatus, coacto Herbipoli Primatum Germaniæ conſilio; Henricum filium, vndecimum annum natum, Romanorum Regem,per ambitum, ac pecuniam dici obtinuit. Acſi etiam futuris in Papam diſcordijs, hæredem, executoremq; deſtinaret. Ioannes Bregno Hieroſolymorum Rex, indefeſſas preces per literas & oratores afferebat; quibus Chriſtianorum Principum æmulationes deprecabatur;ſuas res, imo communem cauſam in præcipiti eſſe,niſi auxilio preſto forent oſtendens: Tempore barbaros inualeſcere, ſibi non aliam, quàm in celeritate ſecuritatem; orare, obteſtariq; promiſcuum Chriſtiani nominis amorem, pietatem in Deum, ac fidem,mutuũ obſequium, ne ſe prædam inimicorũ,quàm obſtrictum beneficio vellent. Sed vniuerſa torpente Cæſare in irritum cadebant. Ergo præſentiâ magis ſe profuturum credens, immunitis præſidio Ciuitatibus Romam venit: Et à Pontifice paternâ caritate exceptus eſt. Nihilominus quòd Imperator negligeret, modica ſpes Orientis erat: Adeo quidquid præſidij, aut detrimenti ſuberat, è Federico manebat. Peruicit Pontifex vt Hieroſolymorum Rex, cœlibi Federico, vnicam quàm habebat filiam coniugio locaret: Additâ ſpe Regni, vbi ipſe fato conceſſiſſet. Nec Imperator auerſatus eſt. Ille ſpe auxilij ſollicitus, hic Regni. Velut mutuâ operâ, cuiq; potentia & vires accederent. Vix propoſiti certior Federicus, properatis è Germaniâ literis accitur: Sponſalia per ſummam lætitiam celebrantur. Et Pontifici cuncta à Cæſare promiſſa,quæ conciliandæ gratiæ,& diſſoluendo Anathemati ſatis videbantur. Monitum hoc loco Lectorem volumus, Corrado ex his nuptijs ſuſcepto, totiq; eius poſteritati, quæ Siciliæ Regno potita eſt, titulum Regni Hieroſolymorum acceſſiſſe, hæreditario iure, & in ſucceſſores translatâ potentiâ. Vt coniugij potitus eſt Federicus, ſoceri regnum pro ſuo habens; Deo, Pontificiq; promiſſam in Barbaros expeditionem, plus integrum biennium diſtulit; Incompoſitas res Imperij,anguſtiam pecuniæ, rarum qui nomen bello daret militem cauſatus. Hinc nouæ cum Honorio contentiones; annitente Sene ſeruari, quæ ſacramento, & nullius impulſu ſpopondiſſet. Henricus Federici filius olim Rex Romanorum dictus, tamquam ſuppetias patri, & auxilium conferret, eodem anno plures Germanorum Principum,eidem voto illigauit: Ferox iuuenis, & belli amore flagrans. Quidam id ab eo ſeriò actum volunt; vt ſi pater abnueret, filius cum ſpe Imperij exequeretur. Annus erat Milleſimus ducenteſimus

Hieroſolymorum Rex Romam.

Hieroſolymitani Regni ius.

mus trigeſimus, Italiæ præcipuæ Ciuitates iure ſuo nixæ, Cæſari per ſolum 1230. obſequium habebantur. Inter quas Mantua, municipali lege vſa, ſpeciem libertatis, formam Reipublicæ præferebat. *Mantuani ſpecie liberta tis vſi.* Cum bellum in exteros ingrueret, mole vna vniuerſi concurrebant. Vbi ſolida pax affuiſſet, priuatis contentionibus diſtrahebantur: reddendis iniurijs, aut oſtentandæ virtuti. Nec minore ambitu domi tumultus quàm foris bella proferebant; naturâ ita geniti, vt tamdiu potentioribus eluctarentur, donec mutuò detriti, ſeruitutem potioris acciperent. Patauium Ezellinus habebat, multâ & ſecurâ pace, ad Regias opes euectus, intentusq; proferendæ Dominationi, *Longobardiæ ſtatus.* vbi exteros diſſentionibus conuelli accepiſſet; doli non erubeſcens, pecuniæ non auarus (quibus Regnum potius) & potentiâ aboleri infamiam opinatus. Mantuæ Sordellus, quamquam nobili genere, inferioribus tamen natalibus, Ciuiles curas, & velut Patriæ arbiter agitabat. *Sordellus arbiter Mantuæ.* Supra Senatum fuiſſe non reperi; quòd omnia iuſſu eius, procerum conſilio tranſigerentur. Sed Ezellinus id ſolùm fortunæ ſuæ deeſſe querebatur, quòd Sordellum familiarem, & inter proximos non haberet. Facilem vocanti Sordellum futurum amici retulére; licet Patriæ adminiſtratio otium longius non permitteret. Itaq; miſſis epiſtolis iuuenem, videre & videri auidum, accerſit, & aulæ ſuæ inductum, præcipuo loco habet. Ad viri nomen plures adiacentium Ciuitatum concurrêre, quos fama virtutis illexerat; quoſdam & comes virtuti inuidia. Germanus nobilis Auſtriacus, corporis animiq; fortitudine ante prouinciales ſuos, nî Sordellum duello vinceret, vilem ſe credens, Patauium venit; ipſiq; priuatum certamen indixit. Hic ſe non niſi iuſtis cauſis in arma ferri, nec lædere aut lædi velle reſpōdit: orauitq; parcerent vtriq; ſanguini & vulneribus: nec vitæ prodigentiâ ſibi diſpendium, cæteris oblectamentum offerrent. Germanus eâ ſe causâ veniſſe, nec niſi victum aut victorem abſceſſurum profitetur. Sordellus vbi concordiæ irritam operam, contumacem pugnæ hoſtis animum videt; arma, equumq; poſcens in campum fertur: Suſpenſis omnium animis, quis exitus, quæ fortuna foret pugnam exceptura. *Singulari certamine Germanum ſuperat.* Seu ratio, ſeu virtus fuit, Germanus pacem ac vitam orare, pacto ſeruitutis coactus eſt. Læto præ cæteris Ezellino, qui amici incolumitatem in quæſtu habebat. Sed Sordellum per proſpera commendari, non ſatis erat, niſi per aduerſa ſolidæ virtutis ſpecimen præbuiſſet. Erat Ezellino Beatrix ſoror, formâ & honeſtate, priſcis fœminis comparanda. Hæc viſo ſæpiùs Sordello; dum virtutem, nobilitatem, ſpeciem, ſecum ipſa animo reputat; *Eius amore Ezellini ſoror accenditur.* ſenſim incaleſcere, mox æſtuare; ad eſtremùm gemitu & ſuſpirijs Nutricis fidam operam implorare. Se nubilem, nec niſi parem iuſtis nuptijs recepturam. Et quamquam Sordello pecuniæ minus, plus tamen virtutis eſſe; cuius gratiâ deceat multa condonari. Eâ ſe ætate agere, quâ honeſtis amoribus incumbere, & deligere ſuæ vitæ ſocium liceat. Fratres nunc belli aduerſis, nunc pacis licentiâ, caritatem ſororiam exuiſſe. Accederet, congreſſum, ac tempus ſermoni oraret: Nec pudicitiæ metueret, quam cum lacte hauſiſſet; & niſi cum vitâ ſit neglectura. Nutrix flecti fa-

 cilis,

cilis, & amori puellæ, citra prudentiam indulgens, cum ſanioris conſilij inanem operam cerneret, Sordellum occultò aggreditur, amoris in Beatricẽ monet; precaturq; per nocturnas tenebras, incomitatus accedat; non aliud quàm colloquium obnixè poſci. Ille non iuuentâ minus, quàm Ezellini amicitiâ pauidus, abnuêre primùm, demùm (vt faciles ſunt florentis ætatis animi, vbi amor ſubrepſerit) affuturum ſe pollicetur. Iamq; hora deputata aduenerat; & Sordellus conſcientiâ, timore, diſcrimine perculſus, foribus ſecretis appropinquans, adeſſe ſe Nutrici nunciat. Panduntur fores; & inuitus furto ſi paruiſſet, aut vilior illi honeſtas, amici exiſtimatio fuiſſet, admittitur. Cæptus à Beatrice ſermo, qualem pudicitia, amorq; dictauerant. Se prouecta ætate, nec in ſuis quidquam, quod Sordello deſit reperiri; ſi veræ diuitiæ, fortitudo, virtuſq; æſtimentur. Pecuniam quanta ſeruando decori ſufficiat, contigiſſe. Proinde ſtatuiſſe, aut forti manu morti oppetere, aut Sordelli coniugio potiri. Si matrimonia à viris arbitrio ſumantur, cur inferiorem fœminarum conditionem eſſe? Expedire maritos ab ijs eligi, quibuscum totam vitam ſint toleraturæ. Sibi in ſortem ceſſiſſe, vt puellã licet (quod illi ætati, ſexuiq; rarum eſt) nullo monitore, ductu proprio optimè elegerit. Hærentem tandem, & reſponſi dubium gemitibus interturbat, quos mixtos lachrymis, & dolore euicta geminabat. Sordello Patriæ decus, amici reputatio, Virginis pudicitia obuerſabantur: Ne quamuis procliui in voluptates ætate, memoriam honeſti exueret. Cui vnquam mortalium, in parata & ſecura, tantùm conſtantiæ obuenit? Itaq; pietatis, honeſtatiſq; medius, bono animo Beatricem eſſe iubet: ſibi eius memoriam toto æuo caram fore; nec alias nuptias, alia vota tractaturum, ſi fortuna cæpta ſecundaſſet, pollicetur. Suæ nobilitatis, fortunæ, fratrum reminiſceretur: Quæ domi cara, apud exteros honorifica recenſet: Temperandam prudentiâ cupiditatem; nec in abrupta (vbi facili inſiſtere liceat) properandũ. Suas fortunæ, ſuas tempori, ſuas amicis partes relinquendas: Affutura conſilio vniuerſa; ſi Numina non auerſentur. Inſtare illa, prenſare manũ, orare fidem, intempeſtiuam ſapientiam, importuna præcepta dicere; deniq; promiſſionem coniugij flagitare. Sordellus modò obniti, modò ambiguè reſpondere; ad extremum vbi victum ſe conſtantiâ, & conculcatas rationes videt, ſpatium deliberationi precari: Spem tamen obijcere; ne vel repulsâ iuuenem aſperaret, vel plus iuſto fidentem relinqueret. Ita ancipiti periculo exemptus, ne præſentiâ alienas ſpes, ſua diſcrimina foueret, Mantuã acceptâ ab Ezellino licentiâ reuertit; cum res familiares, Patrię curas, ſuorum preces obtenderet; ne quo indicio conſcium fratrem ſororiæ temeritatis redderet. Haud quaquam Sordelli abſentiâ; & in flagitium præceps Beatricis animus conquieuit; quò minus ſecum ipſa volutaret, quæ parauerat; & cupitum ſibi finem, per honeſta, per illicita ſectaretur. Et quando nullis querelis locus, factoq; opus erat, vt reſpiraret; Nutrice ac fidiſſimis ſeruorum in tutelam ſumptis, & virili habitu, in diſſimilitudinem ſui compoſita, Patauio elabitur, Mantuamq; per itinerum diuortia proficiſci-

tur;

tur; quò falleret inſequentes; & infenſas latronum ſpes, quorum eâ regione frequens occurſus erat, eluderet. Nec illa Sordelli domum, ſed Luiſini Caſtelbarci delegit; quòd iunctum ſanguine, haud diſcordem voto, & honoris tutorem credidiſſet: Adeo in ſummâ audaciâ, pudicitiæ, honeſtatisq; meminerat? Caſtelbarco, Ezellinus neceſſitudine illigatus ferebatur. Qui puellæ audaciam conſpicatus, vbi fugæ cauſam, & quid pararet accepit, ſumpto Sordelli aſſenſu Patauium conceſſit. Ezellinus à fido ac ſecreto conſanguineo monetur, Beatricis filiæ deſiderio accedere: nil honeſtati fugâ detractum; puerilia cætera; pudicitiam tantùm virilem fuiſſe; impotentiam incuſari poſſe, cui Sordellus ipſe indignetur: Nam temeritatem fœminili violentiâ, nullo eius conſilio proceſſiſſe. Proinde æſtimatione honoris, ac ſilentio omnia expedienda. Ille vbi Sordellum, non vltra deſideria iniurijs proceſſiſſe, nec contrectatam ſororis verecundiam comperit, nil moratus vtrũq; miſſis amicorum præcipuis Patauium vocat. Sordello comites multi ſe Mantuanæ nobilitatis præbuêre; tamquam amori Sordelli, honori patriæ nuptiæ concederentur. Expletis lætitiæ oſtentationibus Mantuam regreſſi ſunt, fidei & caritatis exemplo. Hinc maior votis ciuium haberi Sordellus, Patriæq; arbiter, etiam apud exteros circumferri. Nullo facti certo monimento. Sed quia Ezellini neceſſitudine, ſimul famâ ingens erat, ſpecioſa effinguntur; credibilia, quod à vero vix diſſideant. Abſtractam patrijs laribus virginem, & hoſpitium flagitio contaminatum quidam tradidêre; non alia facti claritate, quàm quod vulgatum nullo auctore acceperint. Certè quot annos conuixerint, quos liberos ſuſtulerint; ne Mantuani quidem Annales prodidêre: licet breui æuo Beatricem, & ſuorum dolo circumuentum Sordellum alij accuſent. Milleſimo ducenteſimo viceſimo quarto, Brixia inſolito terræ motu adeo concuſſa eſt; vt pleræq; Ciuium ædes in præceps tractæ, plura viuentium millia afflixerint. Sed in ſolido ſita Ciuitas, eò validius quò inſolentius conflictata eſt, cauſæ magnitudine. Ea clades Mantuanis, & honori fuit, & fuiſſet diſpendio; ſi modeſtia Brixianorum ſubſidium miſſum recepiſſet. Legati enim qui ſolarentur, Albertus Caprianus, Federicus de Caſtello, iuſſiq; Reipublicæ cenſum & priuatas etiam opes offerre. Metu reuerſuri mali, plures Mantuam conceſsêre; auctaq; amico populo Vrbs; amplior, ſpecioſiorq; aſſurgebat. Sed dum Mantuani laborantibus accolis plura offerunt; illi proprijs viribus, vniuerſa executi, reuixêre. Reſtituta mœnia, poſitæ denuò ædes quæ corruerant, vicini in communionem accerſiti. Excepit hyems iniquo cœlo, & graui lue Brixianos populata; quæ eò acrior quò breuior, & in Mantuanos abijt. Quippe horrentibus frigore ac niue campis, cum minor ex aëre contagionis metus eſſet, lues debachata eſt; nec ante apertum tepore cœlum de ſæuitiâ depoſuit, ſuſtulitq; duodecim ferme hominum millia; nullo delectu, aut ſecuritate; cum iuuenes, aut ætate feſſi, pari impetu, eâdem occaſione raperentur. Auxit immanitatem deformitas exitus; cùm non vnâ morbi ſpecie, non promiſcuis affectibus laboraretur; ſed intra eoſdem penates, cum plures eriperentur, nemo

Vtriusq; nuptiæ.

Mantuani Brixianis opem offerunt

Peſtilentia.

nemo ſocium languoris experiretur. Origo luis à capite, ſed hos ſuffocatio, illos ſenſus ac ſpiritus interceptio, quoſdam tremores artuum, alios fuſâ aluus rapiebat. Morbi diuerſitas conſternationem auxit; Medicorum nemine gnaro præſidij, nec ſuffragante experimento, quod rari ſimili exitu occumberent. Vbi tardum irritumq; ſubſidium Artis, conclamatum voto Numen, peſtilentiæ finem impoſuit (vt ferè non ante cœleſti fauori intendimus, quàm humana præſidia fefellêre.) Sic indictæ totâ Vrbe ſupplicationes, ad ſacras ædes peruigilia, CHRISTI Sanguis, alliciendis mortalium animis & vrgendæ Religioni in propatulo locatus; ad extremũ largitionibus in egenos flagitia piata. Addita inſolens ferè erga languentes pietas, Medici curæ ſingulorum delegati, ingentibus pręmijs oſtentatis, & è publico fomenta, Sic pecuniâ expreſſa caritas, & ciuium ditiores ſibi magni operis multam dixêre. Vt lues ceſſit vix vlla belli memoriâ ſupererat, inter neſcios & inualidos; poteratq; domi gloria pacis artibus, quam bellicâ fortitudine

Etiam Marmiroli.

parari. Marmirolum contagio vaſtauit, adeo fœdâ pernicie, vt deſtitutum incolis videretur. Humentes locos, ac flatus Auſtrales cauſabantur: Et morbo & cœlo (ſeruatis Dominis Gonzagis) venia conceſſa: reliquorum incolumitas aut excidium in vili habitum. Sed Mantuanis non ab internis ſolùm, verùm ab externis quoq; decus accedebat. Mediolanum totius Longobardiæ ſpectatiſſima Ciuitas, numero, fortitudine, oppibuſq; habitantium, retinere Imperatores ac profligare ſolita; quæq; tempeſtate belli euerſa, paucos intra annos, proprijs viribus ornatior aſſurexerat, internis diſcordijs, ad cędes vſq; proceſſerat. Quas cum ciuium modeſtiores, Archiepiſcopus, ac Sabaudius; illi mutuâ caritate, hi auctoritate excindere plures menſes niterentur; nîl aliud effecêre, quàm vt rei difficultas magis magiſq; eluceſceret. Imperator Federicus id in primis acerbè ferebat: Nam totius Prouinciæ tumultum, ad vnius Ciuitatis motum formidabat: qui Germaniam quoq; turbaret. Et quia vulgus plerumq; rectorum ingenia ſequitur, opportunum tempori credidit, ſi Poteſtatis nomine, ſed prudentiæ, & ſapientiæ famâ celebrem, Cæſarem Aucutum Mantuanum imponeret: qui

Cæſar Aucutus Mantuanus Poteſtas Mediolani.

diſſidia excinderet, paci redditos, in quiete ſeruaret. Vbi affuit, populi ſimultates erupêre. Nobilitate ac plebe ſeorſim actitante, & apud nouum Rectorem, ſibi factiſq; gratiam parante. Sed magna viri gloria, per raras, & apud miniſtros incognitas fermè virtutes erupit: Reiecta quippe munera, pulſi adulatores, Aulæ dehoneſtamenta, mimi, ac paraſiti fugati: Ius publicè redditum; accuſatores falſi, aut contumeliâ manifeſti, Talione coërciti: Poſtremò concordia, officio & velut amore partium tentata. Sic Principis expectationem, Italiæ fidem, promiſſam modeſtiam non eluſit: deditq; experimentum, plus in magno nomine interdum, quàm magnâ nobilitate virium eſſe. Sancitæ inter diſcordantes pacis teſtimonium, è veteri ſcripturâ accepi, quàm ex Mediolanenſium Annalibus qui ea tempora proſecuti ſunt, tradidère. Sub annum Milleſimum ducenteſimum viceſimum quartum, Turriani ac Vicecomites, ciuilia primùm diſſidia agitauerant, de

finibus

finibus agrorum litigantes. Mox (vt facilis eſt ab auaritiâ ad odia tranſitus) inimicitias protulêre. Illi Lampugnanos, hi Arcimboldos traxêre; & additis vtrinq; affinitatibus, in numerum accreuerant: Potiores tamen opibus Turriani; & nobilitate antelati, Vicecomites vt impares temnebant. Neq; his abiecti natales, ſed veteri claritudine celebres, minus tamen pecuniæ erat. Quòd vbi deprehendêre, quod ſumma adminiſtrationum Turriani haberent, quibus minoris nominis arcebantur; populares ſe profeſſi ſunt; vt plebis ſtudia allicerent, & ſe munimine firmarent. Vulgus nouitatum auidum, & ſi Ductor offeratur, tolli ac deprimi facile; alienas iras, ſuam cauſam credidit. Ergo Turrianorum quæ apud Senatum decreta eruerant, pro irritis haberi, ſua vota profiteri, nec aliter quicquam in commune ſanciri poſſe, etiam vim oſtendere, & per officinas arma diſponere; vt negocio ac inimicitijs incumberent. Nouit Aucutus, nec benè Senatum plebi dari, nec quieturos inferiores, niſi Turriani deponerentur; poſtremo opus Vicecomitibus eſſe, vt ſi vis pararetur, ſubſidium ad manus eſſet. Ergo exauctoratis nobilibus, & camporum diſcordiâ compoſitâ, vtriq; conquieuêre. Plebs ſine duce, ſuam infirmitatem, & irritos conatus depræhendens, quæ alieno tumultu auſa fuerat, ſponte omiſit, vt indita eſt iuſſa. Et hæc quidem Aucuti commendatio eſt: ſed breui æuo functus, famam duraturæ in longum prudentiæ reliquit. Tanta principiorum reputatio eſt, ſi cum virtute iaciantur. Mediolanenſes ſilebant potius, quàm quietè agebant; faciles ſumendis inimicitijs, ſiue accolarum petulantiâ. Omnia enim armis expediebantur, abſente Cæſare; & dum pecunia pacta redderetur, iuſtitiam arbitrio Ciuium permittente. Itaq; Mediolanenſes, vt aſſiduas Cremonenſium ac Parmenſium turbas accepêre, condita pridem odia & amorem belli protulêre: ob tentatos ab vtriſq; agrorum fines, & tumultuarias rapinas. Et quia longè præſidium erat; ac inter ſuos ſuſpenſus Imperator, impunitatem contentionibus, cauſaſq; offerebat, ad arma conclamatum. Poſt multum ſanguinis ac vulnerum, diſſidio auulſo, pace compoſiti ſunt; Iudice inter diuerſos Cariſſimo Gonzagâ, quem Cæſar delegauerat, vt parem negocio, cauſæ impermixtum, & Ciuitatum exiſtimatione laudatum. Hunc Cariſſimum, Parmenſes Annales, magnum virum pacis artibus fuiſſe teſtātur; & præ cæteris legum peritiâ celebrem. Quod rarum illi æuo, bellicis tumultibus, & turbis immerſo: quo ferè Scientiarum ſtudia langueſcunt. Nam otio & quiete ſapientia indiget, rixæ ac bella dant animos, & ad arma vocant; Dum hæc in Italiâ geruntur, primum noui Gregoriani Pontificatus in Germaniâ Paſtorale munus auditur, grauis, & ſeuera admonitio: Redderet Imperator Sedi Apoſtolicæ per vim detracta, & votum orientalis expeditionis, tot annos ludificatæ & irritæ, facto exequeretur. Additq; formidabiles Cenſuræ niſi certam ad diem paruiſſet. Federicus apertis odijs cum Gregorio certare, nec decorum, nec ex præſenti vtilitate ratus, paratum ſe nauigationi reſpondit, exceptis tamen maris caſibus: Et quò famam ſimulationis, & inuidiam criminis auerteret, transferretq; in vana & ſæpius incu-

Cariſſimus Gonzaga.

incuſata; totâ Germaniâ deſcribere militem, aggerere pecuniam, conquire-re auxilia Duces iubet, filiumq; accelerato itinere Brunduſium properare; vnde facilis appulſus, & paratum in Syriam iter erat. Paruêre vniuerſi, eâ promptitudine, vt miles, pecunia, commeatus, auxilia, Principes viri, ante præfinitum tempus affuerint. Agendi interim tempora Imperator; per Siciliæ amęnitates conſumebat: Diem ex die trahens, aut curas, cauſasq; prętendens, conſilij tamen (vt exitus oſtendit) certus, & rerum orientis ſollicitudine poſtpoſitâ. Cuncta hæc gnara Pontifici, tolerabantur tamen. Nec deerat frequens literis monere; quæ nullo vſui miſſæ ſunt. Secutus æſtiuus ardor, mortalium copiam, dum ſtagna ac fontes incolunt, fructibusq; (quibus Prouincia diues eſt) ad luxum abutuntur, è medio rapuit. Pauci Mantuanorum, imperio ad militandum acciti, rediêre ad ſuos; ſed eâdem fermè omnes neceſſitate abſumpti. Pars præcipua fortunæ Lanthgrauius Turingiæ, fato conceſſit. Hic magnam auri vim reliquerat, quam militum ſuorum vſui, in plures annos deſtinauerat. Id Cæſarem impulit, vt dicto citius, Brunduſium adnauigaret; nec enim oriens aut barbarorum oppugnatio obuerſabantur: Sed ne Principis defuncti hæreditate alius potiretur; aut ne publica res alterius peculatum, quàm Imperatoris experiretur. Deſcripta pecunia, arma, impedimenta, commeatus: tamquam admiſſo ſcelere aliquo Fiſco acceſſiſſent. Nec veritati fama pepercit, euulgato arcano, & per hoſtes quoq; celebratâ infamiâ. Gregorius amiſſum incuriâ militem, elapſam benè agendæ rei occaſionem, per literas queſtus, legatum addidit, cum mandatis; exequeretur quæ cæpiſſet, quæ ſpopondiſſet; nec vniuerſam Europam ſtultâ morâ ludificaretur. Fedcricus ſolitis ſibi artibus inſiſtens, tumultuariè collectum militèm, nauibus imponit; certus quâcunq; cauſâ regredi; & niſi offeratur ſimulare. Vix triduum alto immoratus, eoſdem in portus delatus eſt; tempeſtates, ventos, impedimenta cauſatus; & (quod impium credebatur) aduerſa Chriſtianorum deſtinatis Numina. Non tulit ludibria Gregorius, ſed Anathemate in Cæſarem fulminato, cunctos ipſius obedientiæ exemit. Et ſeu dolore culpæ, ſeu pudore dedecoris, Imperatrix, Regis Hieroſolymorum filia mortem obijt, relicto filio vnico Corrado. Paucis ante Honorij exitum diebus; cum Federicus perfidiæ, Pontifex promiſſis Cæſaris inſiſterent; nec hic humilitate, ille indulgentiâ flecteretur, inter vtrosq; tacita pridem odia, publico emersêre. Parante Cæſare Ciuitatum ac Principum amicitias, quibus Pontifex impar eſſet; & Pontifice vndecunq; ſubſidia conquirente. Primus Imperator acto Cremonæ conuentu, Conſulum totius Prouinciæ; cauſam ſuam ſic fertur executus. Perſpecta mihi virtus & prudentia veſtra ciues eſt, ex quo dicentibus Electoribus Imperio, & vtriusq; Siciliæ regno, veſtrâ amicitiâ fruor. Par fidei expectatio: Nec enim crediderim Principem à vobis deſeri, quem tot annorum ſpatio, non vi, non iniuriâ noueritis. Obnititur Epiſcopus Romanus, & libertatem veſtram Imperij munere habitam, tamquam iure repoſcit. Sed & ipſe precariò impero: Quòd Regna, imperia, inſtituta, vitam, ſuæ potentiæ donum velit.

Federicus excõmunicatur

velit. Infęliciſſima ea ſeruitus eſt, quæ neſcijs imperare præſtatur. Diſtrahunt, lacerant, expleri neſciunt. Non enim Pontifices dominationem à naturâ, ſed in ſenio accipiunt: Priusq́; deficiunt, quàm regere aſueſcant. Quidquid ipſis potentiæ, Cæſarum liberalitate habuêre; & in primis quam iactāt Italiam. Hos tamen vt barbaros temnunt, eijciunt vt alienos, nullâ beneficij memoriâ. Imperatores à natalibus docti regere, nec tamen ante accerſuntur, quàm plures annos, proprijs in dominijs exercitati didicere formam imperandi. Nec ſi Pontifici vos ſubditos eſſe oportuerit, liberi idcirco agetis; ſed per vim, per cenſuras, grauiora quàm armis deuicti experiemini. Quîn potius Regem veſtrum, antiqua, & proxima libertati inſtituta ſectamini? Mihi certum eſt, ex ſubditis, ſeruitutem ſolo nomine requirere; quidquid vtilitatis habetur, in commune ſtatuere; vt par donationibus, alij non inopi militiâ ſuis fruantur. Pauca mihi reſeruantur. Nam ſplendorem, comitatum, ædificationes, et ſi quæ Principum fortunam tangunt, vt habeantur, exoluuntur. Libertatem veſtram ſartam tectam ſeruabo. Cuiuis etiam inexperto ne dum prudentiſſimis Senatoribus Cæſaris aſtus patuiſſet, & praua in Sedem Apoſtolicam voluntas. Ne tamen inuiti annuerent, aut inſcijs Ciuitatibus, quarum vice conuenerant, quidquam ſancirent; tempus deliberationi orant, & feſtinatum reſponſum promittunt. Inter has raræ, nullâ æqui & iuſti curâ, in Cæſaris verba iurauêre: Plures contumaciam & Cenſuras horruêre. Quas inter, Mantua, Taruiſium, Verona, Patauium, Mediolanum ſecutæ ſunt. Et vt facilius in commune conſuleretur, Comitia Veronenſi agro indicuntur; quibus Ciuitatum primates intereſſent. Poſtmodum quia locus non placuit, Mantuam tranſlata negociatio eſt, vbi fœderis Chyrographum obſignauêre, & in ſacramentum conuenêre; Se nemini Pontificis hoſti ſuppetias laturos. Additum quoq; Senatus Conſultum: Quoſcūq; haberi pro hoſtibus, qui Imperatori è cætu fidelium detruſo paruiſſent: Nec vni ciuitatum licere, aut literas, aut legatos ad Cæſarem deſtinare, niſi id reliquarum omnium conſenſu tranſgeſſet. Præterea ne locus pœnitentiæ foret, pro inimicis eos haberi decreuêre, quibus ita ſancita diſpliciuiſſent; Demùm generali Conſulum omnium aſſenſu, nullos aduerſarum ciuitatum ſuis præpoſituros; aut è ſuis ijs daturos ſpopondêre. Vt nihil reliquum videretur, quò minus amicitia, & Sedis Romanæ tutela in ſecuro eſſet. Cæterùm cum legatis & epiſtolis Cæſar, ruptum fidei ſacramentum, quereretur; viſum ſingulis, per nuncios Imperatorem moneri, eorum quæ grauia admiſiſſet; & quàm honeſtâ causâ, vniuerſæ non contumaciam, ſed fidem in Deum tuerentur. Miſſus Bonamontus Mantuæ Iudex, Ciuitatum fœderatarum placita, ſic fertur Francofurti retuliſſe. Quidam Brunduſij per ea tempora Cæſarem fuiſſe volunt. Non ſibi aut ſuis nouum, quo Cęſarea maieſtas obſequio, quo nomine colenda ſit; & prius ſpiritum quàm fidem amiſſuros: Quòd honoris, quàm vitæ, apud ipſos maior ratio habeatur. Sic iuratum, ſic ſtatum rerum ſuarum poſcere. Et iam non recentem, ſed inueteratam conſtantiam experimento, erga tot Cæſares oſtendiſſe.

Mantua Federico aduerſa.

Oratorem ad Federicum mittunt.

Pon-

Pontificem Romanum, ſi antiquo Italiæ iuri, tot annorum ſpatio firmatis inſtitutis obnitatur, ſi Ciuitatum libertatem in dubium vocet, ſi Cæſaris potentiam iniquè deterat, pro hoſte habituros. Sed in præſentem, nec vim, nec ambitum, nec dominationis cupiditatem protuliſſe. Repoſcere ab Imperatore, à Ciuibus, id genus obſequij, quod illi ab omnibus debeatur. Nihil à ſe per arma tentatum, quô minus in fide viuentibus quies eſſet. Proinde non aliam à ſe obedientiam opperiri, quam cui innutriti, plures annos in officio manſerint. Meminerit Imperator, quo Sedi Apoſtolicæ nomine, quâ gratitudinis ſpecie teneatur; quod hinc Regnum, Imperium, coniugem, opesq; habuerit. Nec enim ſuetos Italos, niſi Pontificis decreto firmatos Imperatores accipere. Et Germanos memoriâ recolere debuiſſe, quot cladibus eâ cauſâ certatum in Italia ſit, conſtantiâ pari, in proſperis & aduerſis. Obſtringi Principi ſuo, ſed & Pontifici. Nec quidquam, niſi quod ille cenſuerit, pro honeſto haberi. Addereq; conſilium, vt exoratâ Sede Apoſtolicâ, Regnis & Imperio conſultum velit. Poſſe ab Othonibus & Henricis ſumi agendorum documenta. Quòd cuncti tum infęliciſſimè egerint, vbi Pontifices per æmulatum & rixas abiecêre. Imo mutuâ concordiâ plus Cęſaribus, quàm ipſis acceſſiſſe. Auditus Bonamontus ſummâ comitate, ſpem retulit, poſſe Federicum paci annuere, & ſanioribus accedere. Quamquam abeuntem monuiſſe dicatur, Ciuium ſuorum, & quorum cauſam ſuſcepiſſet, agnoſcere ſe magnos animos, qui de libertatis ſtudio fateantur. Tamen placere pietatem, & ea amplexaturum, quæ cum honore & exiſtimatione crediſſet. Nec deſiſtebat Gregorius accerrimis præceptis Imperatorem pœnitentiæ admonere, & abiecti toties voti accuſare. Se promptum mitioribus, ſi ſupplicem, ſi obſequentem accepiſſet. Federicus ſiue id ſolum rebus ſuis præſidium, ſiue ſolitas ſibi artes agitans, de pacis conditionibus cum

Hic conditiones pacis cũ Põt. tractat.

Pontifice conuenit. Magnaq; ſuorum manu, pluribus amicorum millibus comitatus, in Palęſtinam, fęlici nauigatione conceſſit. Ad Imperatoris aduentum accurrêre; qui Chriſtiani nominis ſtudio, & ſpe auxilij, firmitudinem præſumebant. Aegypti Rex, non tam propoſitam, quàm à Cæſare oblatam concordiæ formam accepit. Nec tamen præcipiti aſſenſu, aut magno rerum ſuarum diſpendio tranſactum. Conceſſæ Hieroſolymæ, Nazareth, aliaq; nullius momenti oppida. Quibus receptis, ſpecies quidem victoriæ & quæſtus, nulla tamen futurorum ſecuritas ſuberat. Quæ munitiſſima Regni erant Soldano permiſſa; vnde torpentibus, aut recedentibus Chriſtianis; bellum reſurgeret. Mutuò conceſſa dicebantur, vt exitus docuit. Aucta Federici ſimulatio magno in ſpeciem applauſu; dum Regio diademate inſigniri ſe iubet; & totâ Europâ euulgari, Regnum Hieroſolymorum, non hæreditate, non titulo tenus, ſed virtute partum. Componit pariter ad Pontificem literas, verborum magnificas, rerum vacuas. Petitam à Soldano pacem conceſſiſſe; quòd ita Chriſtianorum rebus expediret; habitas Hieroſolymas, ſumptum diadema, ac per Prouinciam multa oppida; ne res in mendacium compoſita videretur. Decennij indutias armorum

pactas;

pactas: Quòd exhauſti incolæ, imminuti numero, non breuiori annorum decurſu reſtituerentur. Omiſſurum quidem recenter parta; ſed fido ac numeroſo milite, futuro periculo conſulturum. Et cum voto, promiſſisq; ſatis egerit, detraheret acres Cenſuras; & ſe Sedi Apoſtolicæ reconciliatum, toti Europæ per literas denunciaret. Gregorius receptas Hieroſolymas, ſumptum diadema, ſancitam pacem, vanitatis incuſans; quòd opprimi Rex Aegyptius, haberi Regni munitiſſima potuiſſent, firmari certiori ac ſecuriori modo recepta ex hoſtibus, licuiſſet; Federicum nec voto, nec in Sedem Apoſtolicam debito ſatisfeciſſe pronunciauit. Et vt facto, quàm dicto, ad iniurias pronum Cæſarem præueniret, conſcripto milite, plura Regni Neapolitani oppida Pontificibus olim debita, recepit. Vbi etiam vim, & ſua per abſentiam conuelli, grauioribus Papam inhiare Imperator videt, ſociorum præcipuos claſſi impoſitos in Italiam reducit, odij & vindictæ reddendæ certiſſimus. Vix Appuliam infeſtis armis attigit; & qui Pontifici fauerant, conſilium mutauêre. Delatæ in potentiorem Prouinciæ. Sed nec Cæſari ſatis viſum ſua recipere: eodem exercitu, quæ Gregorio tenebantur inuadit; & potioribus Eccleſiæ Ciuitatibus, per vim ac iniuriam potitur. Nihil inacceſſum aut tutum, ab oppugnantibus erat; tantumq; ſub Imperium trahebatur, quantum expedito, diurno itinere excurri poterat. Neq; tamen ea Germanorum virtus, ſed Italorum formido erat. Hi parati cuicunq; ſeruituti, & non adeo pro Pontifice fidi, quîn exterum admitterent: Illos metus hoſtilis, & fluxa incolarum in contrarios Dominos fides acriores reddiderant. Sed dictu mirum; quem nec clades ingentes, nec fortiſſimi exercitus obiecti terruerant, is mediâ in fęlicitate, moderandum fortunæ curſum cenſuit: Et miſſis legatis Gregorium ad clementiam flexit, ſuam modeſtiam, ſuas vires teſtatus. Paratum ſe reſtitutioni ſingulorum, quando receptis Hieroſolymis, multò ante voto reſpondiſſet. Celebres Longobardiæ Vrbes, inter quas Mantua, pro Pontifice in armis erant. Et quamquam magna pars agri, hoſtili exercitu teneretur, perſtitêre tamen Mantuani in fide: potius obſidionem ingenti rerum ſuarum damno toleraturi, quàm omiſſâ causæ iuſtitiâ, Cæſari ob metum acceſſuri. Et Gonzagi pro Cæſaribus indefeſſi, multò ante Marmirolum cuncti receſſerant: ſeu quòd debellando Imperatori, non vires, tantùm irritandi eſſent; ſiue vt in Orbis decertatione, medij agerent. Id Bonacolſis, imo & Senatui iniquum creditum; velut laborante Patriâ otium campeſtre laceſſerent, & inter expenſas ac diſcrimina volutatam desererent. Fruſtra Scandinauiam, ac obliteratam pridem barbariæ memoriam obſtrepi, natis ac eductis intra ea męnia, patribus, & auis, quæ ſummo periculo conflictata, ſubſidium oret. Nonnulli mollius interpretabantur; non odium aut auerſionem, ſed ſtudium ruris, & fugam contentionum, ſecretum illud appellando. Eliottus Zanacallus acriùs inſtabat: & veterem familiæ nobilitatem quam faſtu in conciues teſtarentur, referebat. An, inquit, ignorationem, metumq; credimus? longior ſeparatio à communione eſt, quàm vt Villarum ſtudium accuſetur. Rarò in Vrbe viſos,

Gonzagi negligentia accuſantur.

Ab Eliotto Zanacallo.

& manifeſtâ nobilium iniuriâ, illicò receſſiſſe. Nolle prorſus Gonzagos, vt vnam Patriæ familiam cenſeri, niſi reliquas arbitrio cõtineant. Non Rectores, non Sindicos, non Præfectos eſſe velle; non annonam, non iuſtitiam curare: Quòd plures ſimul fungantur. Arbitros populorum, & pacis inter potentiores medios eſſe, non abnuere; quaſi apud ſuos nemo ſit potior. Sed demus etiam modeſtiam eſſe; & velut toto cęlo amotos, hunc concuſſi Orbis motum, qui etiam vltra Europam proceſſerit, non excepiſſe: An flagitium abnuent qui tuentur, ſi vocati ac rogati ſeueritatem retinuerint? Sic licet conditione ciuili maius, quid eſſet (nam cæteri aderant) mitti placuit, qui labantem Patriam, imminentem Vrbi inimicum Cæſarem docerent. Reperti fundendo in riuos Amni Mincio, cùm vniuersâ familiâ intenti. Et reſponſum, dolere Ciuitatis caſum; neq; ignorari ab ipſis potuiſſe prædationes, incendia, militarem petulantiam, qui id ipſum, quò minor pars Mantuani populi, eò grauius experti ſunt. Cęterùm ita Ciuibus, ita rebus ſuis conducere; vt diſſiti ac ſeiuncti, in commune, non damna, non vtilitates conferant. Abſumpto rure ſuo vnum in Ciuitatis incolumitate ſolatium fore. Regreſſi qui venerant, neglectum detulerunt. Et Senatus (in quo Bonacolſi ambitu valebant) iram retinuit, in tempore redditurus: Quod fidiſſimi Gonzagos monuêre; non vt obtemperarent; ſed vt cautius amicitijs ciuium vterentur. Cæſareus exercitus, toto Mantuano fuſus, nobiliſſimæ ac munitiſſimæ Ciuitatis excidium abnuebat: Et Federicus Imperator, non vno exemplo fortitudinem ac fidem incolarum doctus, precibus, conſilio, promiſſis, ſibi & Imperio firmare ſatagebat. Mantuani contrâ, ſe ad extremum ſpiritum, pro Eccleſiæ libertate dimicaturos, nec Imperio nomen, niſi annuente Pontifice daturos, referebant. Quæ magnâ flectendi Federici cauſa fuit; Obuerſabatur animo amicæ Ciuitatis fides, tot ſæculorum decurſu approbata. Nunc non odio, non libidine, non alieni Imperij ſtudio ſeceſſionem facere; vt dubitari non poſſit, eôdem caritatem ac conſtantiam incumbere. Et Pontifex hoſtium robore ac fortunâ, tot ciuitatum incommodis, ſuorum precibus victus, libens concordiæ acceſſit. Illicò reddita Sedi Apoſtolicæ, quæ in Germanum abiuerant: ſingularum damna, immunitatibus & pecuniâ ſarcita: Imperatorq; ipſe in gratiam receptus eſt. Cæterùm ne ſecreta odia fouere, aut in tempus recondere, aduerſus Mantuanos indignationem Cæſar videretur; nobili Priuilegio pietatem in Deum ac Pontificem, proſecutus eſt, hoc fere ſenſu. Doctum ſe veteris Mantuanorum erga Cæſaream maieſtatem fidei; Et quamquam ſeducti, & conſenſu in bellum tracti ſint, reſipuiſſe tamen, & veri obſequij, ſibi ſuiſq; præſtandi, fidem ſacramento obtuliſſe. Non ſe recentia, ſed antiqua merita ſpectare: Proinde concedere Ciuitati, Portoria, Pedagia, Tributa, tam Vrbis, quam agri totius: Necnon ſolitas immunitates, ac libertatem. Præterea liberum eligendi Rectoris ius addere. Idq; prima Octobris Milleſimi ducenteſimi trigeſimi ſeptimi, Indictione vndecimâ. In Caſtris ad Goitum, agri Mantuani. Illicò recepti Gonzagi, leuiori flagitio nomi-

Pont. & Federicus concordant.

Imper. Mantuanos indulto ornat.

1237.

nominati, quòd partes non iuuiſſent. Imo meritis in res Imperij datum, quòd præcipiti in rebellionem Patriâ, ipſi officium ſeruauiſſent. Minor tamen nobiliſſimæ familiæ fortuna erat, quàm vt, ſi ſeruijſſet, in pretio; ſi obſtitiſſet, in curâ haberetur. Trahebatur hûc illûc potentiorum armis. Et quia in magnis ſeditionibus, leuis meritorum ratio eſt; ideo, cum ius faſq; ſectarentur, plerumq; abripiebantur; euentis quibus Sors, pro libidine moderatur. Iam in Ciuitate æmulationum auidâ (tot potentioribus & Principatum meditantibus) ſi pro Pontifice decertaſſent, apud Cæſares; ſi pro Cæſare militaſſent, apud Romam impietatis arguebantur. Difficilè equidem verſari eſt, vbi etiam virtutes vitio dantur, crimina ridentur; & qui iudicant infenſi ſunt. Magnos Imperij ac Italiæ motus quos ſciri expediat, & Gonzagorum actis illigatos proſequimur, obuiâ diuerſitate, quæ plerumq; commendationem habet. Federicus Imperator ſic ſancitis præſentibus; ne longâ abſentiâ, aut populis, aut Henrico filio (quem Regem Romanorum dici voluerat) cupido nouandi incederet, in Germaniam reuertit. Nec enim deerant qui Cæſarem monerent, cauere filij inſidias: Quippe adſpirare dominationi, & plures iam in partibus habere; vbi occaſio patuiſſet, conſilio armiſq; affuturos. Vt Germaniam tetigit, haud occultæ Henrici filij artes erupêre. Dataq; Imperatori cauſa, conquerendi, prouidendi, & violatam fidem, gratitudinemq; conclamandi. Prauis præceptis, & iniquitati cauſæ, rara conſtantia eſt. Non enim proprijs, non amicorum viribus adiutus, coactus eſt Henricus, Siciliam petere, & Vicarium paternum, eo in Regno agere. Id ſeditioni Pater crediderat ſuffecturum; ſi turbidorum Dux auulſus, longius à ſocijs amandaretur; nec mutuâ contagione inficerentur. Sumpſit quoq; Cæſar Regis Angliæ ſororem coniugio, vt externo ſe præſidio vallaret; & rebelles domeſticis difficultatibus vrgerentur, ambientibus formidarent. Ita licet per Italiam publicè quies crederetur, qui tamen Cæſarem in cultum delegerant, manifeſtè Pontificijs aduerſabantur. Sed plures Ciuitatum neglecto Imperatore, in Pontificis verba iurauerant. Contumaciæ titulus ab impietate, & conuulſa Vrbium libertate petebatur: quam prædeceſſores Principes dediſſent. Ergo Federicus, motu audito, ſibi ſolitis exercitibus, ne tempore inualeſceret, in Italiam reuerſus eſt. Nec procul Veronâ conſedit; quam Pontifici fauere, & fœderatorum exiſtimationem proferre nouerat. At illi ſeu laboris impatientiâ, ſeu metu excidij; & quia ex obſequio libertatem ſperabant, quam ſeditione quæſitam, amiſerant; ſe ſuaq; Imperatoris arbitrio permiſêre. Mox delatus Cæſar Mantuam, Ciuitatem ne attigit quidem, ſed toto agro ferox incedens, rapinis, vaſtationibus, incendijs, hoſtili animo, perfidiam (vt vocabat) ſociæ Ciuitatis vltus eſt. Quos fortuna victori obiecit, ſarcinum oneri, lixarumq; miniſterijs in contemptum deſtinati: Non opes, non nobilitas obſtabant; quò minus, vt inteſtabiles luerent. Mantuanorum aduerſis, Cremonẽſes admoniti, paruêre: Quod tamen illis impunitatem non tulit: Sed cum cędibus temperaretur, cætera hoſtilia exercebantur; querente nemine ſæuitiam

Federicus in Italiam.

Mantuanum vaſtat.

ne merita redderentur. Menſes aliquot immoratus, donec paratis quæ tempus & cauſa monebant, in Brixianos vertit. Capta inopinatò Ciuitas, tectis ignis immiſſus, barbaro more in miſerrimos ſæuitum. Mantuani interim munimentis ac foſſis, nec minus alluente lacu tutari ſeſe, clam importare

Mantuani obſeſſi.

commeatus, expedire arma; velut deploratâ clementiâ (cùm in deditos immanitate Germani vterentur) nunquam improuiſo egredi, noctes dieſq; in timore agere, partiri vigilias. Quòd vicinus hoſtis, & præſentiâ & abſentiâ, aperto ac per dolum, extrema minitaretur. Vbi quicquid herbidi ac frondoſi populatus exercitus, nudatamq; tellurem, nec vllo habitantibus vſui vidit; ne difficili Ciuitatis vnius obſidione retineretur, aut gloriæ fama intercideret, metùſve crederetur, vim in Taruiſinos tranſtulit. Qui ſeptis murorum, & iuuentutis virtute confiſi, ne pacta quidem honoræ deditionis accipere voluêre. Cum iam extremum res ſpectaret, paria metuentes Patauini, qui conſilium ac pericula accomodaturos polliciti ſe fuerant, deſperatione proiectos erexêre. Nihilo modeſtius Henricus Imperatore genitus in Siciliâ agebant. Hic licet abſens, fœdere tamen cum Mediolanenſibus icto; & reliquis Italiæ Ciuitatibus communicato conſilio, Germanorum Principum proceres ad ferendas ſuppetias, per nuncios & epiſtolas ſollicitabat. Tum primùm deploratas res ſuas Federicus, & omnia in præceps rapi, niſi nouis rebellium cæptis obuius fieret, introſpexit. Non ſecuriorem tamen, aut breuiorem viam credidit, quàm ſi Romanorum Pontificem Gregorium, quem toties eluſerat, precibus aggrederetur. Nouerat ſenem optimum, maximis flagitijs vix offendi, minimâ pœnitentiâ ſuperari. Hunc obnixè rogat, Filij ſuperbiam, & coniurantium conatus opprimere: Eius in parentem iræ, nullum honeſtum nomen eſſe: Cęteros non cauſę, non rationis gnaros, eô properare, quó à potioribus ac deterioribus trahuntur. Interponeret iniquis conſultis auctoritatem; quam toties ipſe expertus ſit, prout ſors tuliſſet, ſibi aut proficuam, aut aduerſam. Gregorius multò ante Federici mores doctus, pœnitentiæ ac ſceleri æquè paratum depræhenderat; ne tamen honeſtati deeſſe, aut flagitio, res ſuas, aliorum commoda promouere videretur; mittit in Germaniam Legatos, per quos dubitantibus notum foret, iniuſta Henrici in parentem arma cenſeri; ſimul qui conſcribi militem, aut rebellium Italiæ Ciuitatum auxilio mitti prohiberent. Valuit Senis auctoritas. Nam quæ Henrico motore agitata fuerant reſedêre; deſcriptæ rebus nouis legiones, dimiſſæ ſunt. Nec tamen Federicus, niſi amoto turbarum initio, finem bello, aut tumultuanti Germaniæ fore credidit: Quòd inquietudine, & Regni deſiderio æſtuaret, nec ſuperſtitem parentem toleraret; Securius viſum ſpecie caritatis illectum iuuenem compræhendere, & arctâ cuſtodiâ detinere, donec futuro proſpiceretur. Miſſi audaciſſimi, qui cæteris officij ſtudio additis Henricum nil triſte opperientem cathenis onerarunt, & Appuliæ quâdam Arce, ſecretâ cuſtodiâ detinuêre. Vbi cum deſertum ſe, nec officij ſpeciem vllam, ſed nec vitæ ſecuritatem agnouit, oratâ ſæpius miſeratione per nuncios, poſtremò has addidit ad parentem literas.

Mereri

Mereri ſe nouiſſima, quòd contra filiale obſequium, amantiſſimum parentem armis inceſſiſſet; quòd turbatâ Germaniâ præmaturam dominationem, nec debitum ſibi Imperium ambiuerit; quòd æmulos maieſtatis conſilio ac milite iuuerit; & pœnitere. Orare tamen per fortem illam naturæ legem, ne ſceleris memoriâ potius, quàm pietatis inſiſtens, exueret clementiam. Sibi datâ veniâ duplicandum obſequium, & gratitudinem; bis datâ vitâ, & cum meruerit non adhuc ademptâ. Voluntatis ſpecimen ſumeret, quòd incuſtoditus, inermis, pœnitentiæ quàm peruicaciæ ſimilior, fuerit deprehenſus. Daturum ſacramento fidem, in Pontificis manibus; quam ad extremum ſpiritum ſit ſeruaturus. Non ſe filiorum primum eſſe, qui deliquerit, aut mutato conſilio, in melius flexus fuerit; & ſumptum, poſteris exemplum tranſmiſſurum. Meritiſſima quidem pauescere; ſed ſeruiles manus, quas odium quàm iuſtitia, crudelitati imbuit, deprecari. Cædere Imperio; & eo ſecreto miſerrimam vitam toleraturum, quam ſibi Pater deſtinaſſet. Similia Gregorio, ſed cum Parentis inſectatione tranſmiſſa, Federicum non latuêre: Filijq; animum, diſciplinæ, obſequij, gratitudinis ignarum deteſtatus, vitâ indignum credidit. Quidam oblato veneno perijſſe, alij morbo abſumptum tradunt. Verſæ poſtmodum Cæſaris vires in Ducem Auſtriacum, quem præ cæteris operam filio commodauiſſe, & traxiſſe alios in arma cognouerat. Capta Vienna, & pulſus Auſtriacus: Vnde Imperatori vires, & exiſtimatio creuêre. Fœlicitati eius nil aliud accedere poſſe videbatur; quàm ſi Mediolanum cæteræq; rebellium Ciuitates, per Italiam, ſub Imperium traherentur: & in hæc vltione expletâ, bellum vniuerſum vno velut ictu concideret. Illæ ſeruitium non abnuebant, ſed conceſſam à prædeceſſoribus libertatem, nullâ ſuâ culpâ eripi, imponi iura noua; & miniſtris delegari, qui ſæuitiâ ac auaritiâ cunctos lacerent, non vano rumore lamentabantur. Contrà Cæſar, veteri iuri olim derogatum, quòd bello amiſerint; nec ſub alijs conditionibus pacem conceſſurum, quàm quas ipſe dixiſſet, reſpondebat. Quibus artibus olim immunitatem acceperint, ijſdem in poſterùm habituros. Sed longo experimento opus, vt Dominus conſtantiam agnoſcat. Et quia cuncta per Germaniam ſummâ quiete habebantur, valido exercitu conſcripto, & Corrado filio rerum adminiſtrationi impoſito, in Italiam venit. Primi Patauini Cæſareis viribus impares ſe dedidêre: Et quamquàm mollius habiti, ſtatutis tamen & legibus, pro arbitrio Imperatoris arctati ſunt: Quæq; longo quondam obſequio conſecuti fuerant, in pœnam flagitij amiſêre. Multò ante Pontifex, Federici in Italiam aduentū, & conſilia præuiderat. Imminutâ enim Ciuitatum fide, & aduerſis fœderibus offenſum nouerat; quod olim pluribus ad ſe miſſis epiſtolis queſtus fuerat: metuebatq; ne potentiori exercitu irrumpens, veteres iniurias, præſentibus damnis vltum iret, pari in rebus ſuis ſæuitiâ ac fortunâ. Deligit Legatos, qui non procul Italiâ agentem, precibus & auctoritate retinerent; aut ſaltem traditas olim leges, conceſſa priuilegia à Federico Auo, Mediolano, cæteriſq; partes ſecuti Ciuitatibus, ſeruari orarent. Id ſe ex iuſtitiâ poſcere

Federicus iterum in Italiâ

communi quieti : Et ſi gratiæ opus, meminiſſet quibus Sedis Apoſtolicæ (cuius formidantes conceſſione vterentur) beneficijs, Regno Siciliæ, Hieroſolymorum, Imperio potitus ſit; quâ auctoritate tumeſcentes Germanias, tumultuantes Italiæ Vrbes, rebellantem filium in ordinem redegiſſet. Auerſatus conditiones pacis Federicus eſt, quas ipſe non impoſuiſſet. Et vt bellum mole vnâ ingrueret, vaſtatō Brixiano agro, in Mediolanenſes mouit; quos recens contra Federicum Auum eius victoria extulerat. Nec exercitu minori erant; quem visâ Cæſaris irâ, ſuis amicorumq; opibus conflauerant. Leuibus primùm excurſionibus certatum ; dum vltrô citrôq;, pedites equiteſq; permeant: Mox toto exercitu concurſum Crotonienſi in agro. Pro Mediolanenſibus Petrus Tiepolus belli Dux aderat, militari famâ inter Venetos clarus. Imperator vbi ſuos ordini ac pugnæ compoſuit, nobilitate ingenitâ, & detractâ capiti galeâ, quò magis noſceretur, pro tumulo ſic orſus eſt. Breui & quæſtuoſâ militiâ commilitones, finem laborum, pretium itineris accipitis. Hac acie quidquid in Longobardis virium, ſi fortiter egeritis, deteretis. Nec procul opes & theſauri, quæ veſtræ virtuti cedere, & deſidero & iubeo. Pro vobis ergo dimicate, vobis ſtipendium præfigite, quod illicò poſt victoriam capiatis. Nam ſi vincitis, & oneri, & copiæ impares, vix prædam aſportabitis. Iuſtiſſima nos cauſa bello induxit : Germanis Imperatoribus ſeruire, & obſequio adeſſe reſpuunt, elati victoriâ, quam aduerſus Auum Federicum, à fortunâ, quàm à virtute habuerunt. Obliti ſcilicet ſolo æquatæ Ciuitatis, toties vaſtati agri, tot inſepultorum ciuium, tot fuſorum; quibus præcariò ſolitudines colere permiſſum fuerit. Nec ſiluit Tiepolus, libertatem Italiæ, ſæuitiam Cæſaris, Pontificis fauorem obſtrepere: Vtq; contra ius omne, pacta ac indulta prædeceſſorum effringere, & extorquere priuilegia meditetur. Notam Principis perfidiam, qui toto Imperio Pontificem, fidem, ſubditos, atq; adeò filium vilia habuerit. Non aliud ſpei quàm in virtute eſſe, niſi crudelitas & immanitas barbara commendentur. Datumq; mox pugnæ ſignum. Primi in prælium iuêre Germani obſtinatione animorum, & certi perire potius quàm pedem ex acie referre. Plures horas certatum ambiguo Marte, donec Italis auxilijs præſidio Germanorum miſſis, belli facies mutata eſt : Sic Mediolanenſes flexêre. Vrgebat Cæſar inſtarent cędibus, ſatis victoriæ prouiſum, non item vltioni; ſimul quò plus cæſorum, eò vberiorem prædam oſtentabat. Illi fugientibus conſiliunt, denſo agmine medios cingunt, & magnâ ſtrage complentur vniuerſa. Paucos vinculis coërcent, quos labor & perdendi tædium, in ſerum diei traxerat. Nobilium plurimi, vnaq; Tiepolus, non virtute, non dolo fugam inuenêre; ſed vincti ad Cæſarem adducti ſunt: omnes latronum ac ſeditioſorum more, ſæuiſſimum in modum mactati. Quidquid prædæ militibus ceſſit; reuerſuſq; Cremonam Imperator, ſaucios fomentis, fatigatos quiete, vniuerſos præmio ſolatus eſt. Ad famam victoriæ, plures rebellium Ciuitatum ſeſe dedidêre, acceptâ veniâ; & in commilitium adſciti, iam enim ira deſæuierat. Pontifex vbi miſerabilem Mediolanenſium caſum excepit; ne

deplo-

deploratis nullum præſidium foret, acres in Cæſarem cenſuras totâ Italiâ, & Germaniâ euulgari iubet: Sæuitiam, auaritiam, aduerſum Sedi Apoſtolicæ animum incuſans. Et quia victorijs & viribus inſtructus Cæſar, ſimilia ridebat; conſcribit militem, Venetoſq; fœdere communi obſtringit; interpoſitis totum decennium inducijs, bello, quod in Genuenſes tractabant. Dum tamen vltrò citròq; literæ permeant, claſſis paratur, miles deligitur, conquiruntur impedimenta, victor Federicus in ſolo hoſtili Caſtra ponit: Sparſoſq; milites quò latior populatio fieret, Venetorum ditioni immittit. Multa ferro, atq; igni abolita; ingens præda abducta, & Ciuitas velut obſidione vallata. Scilicet quæ Pontifici quærebantur, multò ante Federicus parauerat; futuri prouidus, & conſilij ſecurus. Didicêre prudentiores Principum, condito intra vaginam enſe non minitari; ſed fouere iras, donec reddere promptum ſit. Apud fœderatos lentum obſequium, fides lubrica, parum pecuniæ; & ne iacta per metum ſocietas diſſolueretur, formido erat. Mantuanus ager, quamuis excidio datus; & vniuersa licentiâ militari abriperentur, Ciues tamen fœdus Sacramento firmatum, ingenti rerum ſuarum damno retinuêre. Nec Cæſar oppugnationem Vrbis auſus eſt; ſiue negligeret, ſiue reliquis acceſſuram confideret. Augebant dubitationem fides ac munimenta; quæ illicò ſuperari non poterant: Credebatq; tot viribus vnam Ciuitatem obſiſtere, parum exercitui ſuo gloriæ afferre. Gonzagorum campi, præcipuè ad Marmirolum, per odium & laſciuiam hoſtilem vaſtabantur. Non pecori, non ædificijs, non arboribus Germani pepercêre. Quæ in proprios vſus vertere non potuerunt, igni abſumpſêre; ne quid ſupereſſet. Præcipua indignatio ex eo erat, quòd Mantuanæ Ciuitatis Gonzagi clariores, cæteros exemplo admonerent, quid facto opus eſſet; poſſentq;, ſi Ciues conſilio acceſſiſſent, plures aduerſus Cæſarem flectere. Id ipſi ante præuiderant, Vrbiq; intulerant commeatum, arma, familiam, ſatis in nomine præſidij ſibi fore credentes. Imperator relictis Ezellino copijs, quibus Longobardorum conatus frangerentur, maiori exercitu in Hetruriam contendit, etiam Vrbi Romæ excidium comminatus, niſi dicto paruiſſet; Piſiſq; conſedit. Vbi cum miniſtros præliorum, quiq; partes iuuentute, & pecuniâ fouerent, inquirit; magna illa & toti Italiæ perniciem minata peſtis orta eſt, Guelforum, ac Gibellinorum. His Cæſarem, illis Pontificem ſectantibus. Sunt qui illa Ducum nomina opinentur; ego Furiarum. Sed vtcunq; ea ſe res habuit, certum eſt diſſentionis & factionum cauſam, in ſolo nomine fuiſſe. Diffuſa pernicies vniuerſam Italiam, cladibus, ſæuitiâ, perfidiâ fœdauit. Ciuitas Ciuitati contraria; Prouinciæ Prouincijs aduerſæ erant. In familiâ non filio ac patri, non fratribus conſenſus, non conſanguineis eadē voluntas ſuberat: Vrbes excidio, domus incendijs hauriebantur: Tamquam propria crimina in alijs perſecuti, ſemet abſoluerent. Nec fallere dabatur; ſed expreſſa voluntas, ac profeſſio erat, colore, inceſſu, habitu, in ſerijs ac ludis, profanis & ſacris; domeſticis & externis diſtinguebantur. Venetiæ ſolitam ſemper prudentiam retinentes contagione caruêre. Mantua ſe partem

Federicus excommunicatur

Mantuanus ager vaſtatus.

Et Gonzagorum.

Guelfi, & Gibellini.

tem Reſpublicæ fecit, communi ſcelere admiſſo: Quò minor reliquis, & inualidior, tamquàm honorem æmulata, acriùs enixa eſt. Vrbs ipſa, non procul agente Cæſare, apertè nefarios ritus induerat. Rariq; Guelfi, plures Gibellini, cenſebantur. Non aliâ diſcordiarum causâ, quàm quòd libertas morum, licentiam turbarum haberet; & quòd conſceleratis non niſi inter incerta ſpes eſſet. Gregorius contrâ, excindere ſeditioſum inſtitutum, tutari Vrbem, Chriſtianos Principes auxilio vocare properabat. Sed miſero omnia in irritum cadebant; vaſtatâ inſuper Italiâ, ac Siciliâ, & ingenti clade fugatis Genuenſium nauibus, quæ nouo conſilio, Prælatos, & Epiſcopos Romam tranſmittebant. Ergo cum acceptę ſtragis, tot captiuorum reum, ſe indefeſſis gemitibus appellaret, dolori per ætatem impar, finem habuit.

1241. Salutis Milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo. Communi Italiæ malo, Gonzagorum quoq; res, aliquot ante annos conuulſæ fuerant. Gonzaga, Villanoua, Marmirolum: Quæq; his in locis armenta, ſegetes coloni fuerant, excidio perierant. Obſuit familiæ nomen, & apud Cæſarem nihil ex ratione æſtimantem, præſumpta ingratitudo. Et quamquam, non milite, non pecuniâ Mantuanos iuuiſſe dicerentur; quòd tamen in Ciuitatem ſe recepiſſent, plusq; ſecuritatis apud hoſtes quàm dominum crediſſent, crimini dabatur. Etiam non potuiſſe, flagitium erat: Iuſſi quippe per literas, hortari ciues, ne perdi ſua, ſed recipere Federicum pietati paratum vellent; quòd non peruiciſſent, accuſabantur. Sed in eos mores Gonzagi inciderant, quibus non iuſto, non honeſto, niſi vtilitas monuiſſet, locus eſſet.

Per eadem fere tempora, grauis Ciuitatem Mantuanam ſeditio, & inter proceres diſcordia inceſſit, ingenti flagitio infamis. Cum enim externo hoſte ac milite ambiri, ſpecioſiſſima Villarum dirui, & toto agro prædas agi, ſatis Mantuanæ calamitati non videretur; ipſi ſe mutuis contentionibus ad perniciem afflixêre. Auocati & Agnelli, vtriq; nobiliſſimo loco nati, de agri cuiuſdam limitibus diſſentientes, cæteros affinium in partes traxerant, aut amicitijs illigatos. Et quamuis Ciuium plures, lites componere, & pacto compromiſſi dubia expedire niterentur; nullo tamen vſui fuêre; dum contumaciâ ſe ac ſuos, nec non afflictam vexationibus Patriam in præceps rapiunt. Eccleſiæ Mantuanæ Guidottus Epiſcopus præſidebat, ſanctimoniâ & pietate ſpectatiſſimus. Hic communem Reipublicæ caſum miſeratus; quando odia in populi perniciem itura videt, modò precibus, modò auctoritate tumeſcentes coërcuit, comminatus niſi rixis deſtitiſſent, Eccleſiaſticas Cenſuras. Gonzagi ciuili conditione potiores, ſimul mole ſuâ, nullo externo fauore nixi, vbi conſilia aſpernari à ſeditioſis deprehendêre, nobilitate inditâ, eripuêre ſe decertantium multitudini. Rarus illis erat in publicum egreſſus; frequentiam cætumq; ſalutantium procul arcebant; & ſecreti abditiq; agebant, velut communione contaminarentur. Auocati impetu res tranſigi, & ex voto cupitis inſiſtere honorificum rati, ſpreuêre præcepta; & quidquid ab Epiſcopo, conciliandæ paci parabatur, neglexêre. Ille impenſius, pro ſuis ciuibus niti; & quando Agnellorum cauſa potior vide-

Auocatorũ & Agnellorum ſimultates.

vide-

videretur, tutari, fouere, docere veritatem, Auocatosq́; , quiq́; ipſis facto aut conſilio aderant iniquitatis admonere. Verſum hinc in Epiſcopum odium, & explendæ vltionis occaſio quæſita; cum incuſtoditus, ac conſcientiæ ſecurus, vix vno alteròve comitante Vrbem obambularet. Sed atrociori, & maiori ciuium inuidiâ, coram oculis vniuerſæ Ciuitatis viſo flagitio, ad fraudem vertêre; ſi exequerentur & fallerent, conſultius iudicantes. Ergo medio noctis, ſacris precibus expletis, cubantem Epiſcopum obtruncant. *Auocati Epiſcopum occidunt.* Orto die manifeſta cædes, certus percuſſor; Nam lumen inferens clericus, & vulnere deterritus, Sicarios etſi perſonatos agnouerat. Horruêre primo auditu Ciues immanitatem: Mox vbi parricidium auctoresq́; innotuêre, Agnelli, quiq́; cauſam per manifeſta, per occulta fouebant, in ſacrilegos irrupêre. Eodem impetu abrepti Poltroni, Zenzani, Daneſij, Caloroſi, Viſdominij; qui pro Auocatis aut aderant, aut credebantur. Pars inaudita, non ſine prudentiorum inuidiâ iugulata eſt, pars Vrbe exacta, domus ſolo æquatæ, facultates ſingulorum publico addictæ, & perpetuo exilio fautores multati. Vt ferè ſubitis furoribus, non ordo, non ius, ſed nec merita cuiuſquam æſtimantur. Vicina Epiſcopali domui Gonzagorum erat; quam magnus ſeruorum numerus, & nobiliſſimæ conſanguinitates ambiebant. Hi flagitij certiores, non in Agnellos, non in Auocatos proniores, communem fortunam mereri, pacem voto concupiſcere, de nemine queri, Ciuium deniq; bonis, quæ ſub haſtâ publicus Actor cogebat, abſtinere; pari in omnibus conſtantiâ, & morum ſimilitudine. Quod alij ſuperbiam, modeſtiam alij appellabant. Secutæ etiam adiacentium populorum literæ, leniora perſuadebant. Sed iam de coniuratis actum fuerat; nec ſemel Fiſco petita redduntur; ne erraſſe videatur. Quidam etiam ab Epiſcopo, datam ſacrilegio occaſionem credebant; quod annos aliquot côtentioſâ lite Ciuitatem exercuiſſet; & quòd rarus in Vrbe, longius ab Eccleſia, & credito ſibi populo egiſſet; frequens Ferrariæ, quorum Principum gratiæ dederat, vt omiſſa ſuorum curâ, ductorem ſponſalium in Pannoniam vſq; exerceret. Suſpecta etiam viri ſollicitudo erat; quòd callidus, & ſecretorum explorator haberetur; merſusq́; negocijs vulgi; quorum apud Eccleſiaſticos inuiſa tractatio. Sed quâcunq; causâ, confoſſus eſt; nec ſubeſt excuſatio, magni & execrabilis admiſſi. Vaſtabat interim Italiam Federicus, & infeſtis obſidionibus, plures Ciuitates quatiebat; clauſeratq́; velut terras, ac mare Romanis, ne Epiſcopis, ne Cardinalibus in Vrbem acceſſus foret. Qui Romæ inerant; ſiue paucitate, inualidam Pontificis electionem; ſiue eorum, quos Cæſar in vinculis habebat conteſtationem metuentes, viceſimum in menſem de Papæ deſignatione dubitarunt. Recepta interim à Cæſareis, Fauentiâ, Mutina, Regium; & pleræq; minoris nominis Vrbes, quæ Pontificem ſecutæ fuerant. Bononia quia capi non poterat, contumeliâ notata eſt, tranſlato Patauium Artium liberalium ſtudio; coactisq́; præceptoribus excedere. Vbi ſatis pœnarum luiſſe Italos, ſacris ac ſupplicationibus exorata Numina, ſeram licet, optatam tamen permiſêre. Baldoinus enim Græciâ

potitus

potitus, pacem inter Clerum ac Cæſarem obnixè petens, obtinuit. Soluti vinculis Cardinales, & nobili comitatu Ananiam deducti, vt Chriſtianę Reipublicæ bono, Federici voto Pontifex diceretur. Feſtinatâ electione, & communi omnium aſſenſu Innocentius quartus electus, Federico ante Pontificatum familiaris, ſed acceptâ potentiâ aduerſus. Nam pulſus Imperio, & adſcito Lanthgrauio, eaſdem inimicitias, eadem mala perpeſſus, vix elapſus in Gallias, ſecurum exilium tolerauit. Sed tumultuante Germaniâ, impoſſibile erat Italiam conquieſcere. Præcipua Parmæ vexatio, quæ Pontificis, & Cæſaris armis media, inter pugnas, & ſanguinem conflictabatur. Et Cęſar Victoriam (nouæ id Ciuitati nomen indiderat) haud longè Parmâ extruxerat, incolis ac munimento validam; ne vnquàm Parmenſes in tutò agerent. Sed dum Imperator lentâ Parmę obſidione torpeſcit, militem negligentiâ ſolutum ſub ſignis habet, factâ à Ciuibus eruptione, funditur; & in Appuliam

1250. reparandis viribus elabitur. Mox & extinguitur, Milleſimo ducenteſimo quinquageſimo. Fertur cum imminentem neceſſitatem præuideret, hortatus per literas filios, vt quidquid iurium ac cauſæ, cum Romano Pontifice habuiſſent, ferro & acie trãſigerent. Deteſtabile ſæui hominis ingeniũ! quaſi inueteratas Italiæ ærumnas, Sedis Apoſtolicæ vexatione, quam viuens deſperarat, etiam teſtamento firmaret, & æterna vellet. Morte Cæſaris auditâ, vt Gulielmo Hollando, nuper Imperatore dicto vires, ſic Corrado, Federici filio, animus acceſſit. Hunc ante Cæſarem eligi Pater procurauerat, & obtinuerat. Par Italorum conſternatio erat, Guelfis ac Gibellinis mutuò decertantibus, eâ obſtinatione animorum; vt quibus nec odia, nec iniuriæ eſſent, in ſuos ſolo nomine ſæuirent. Manfredus furtiuis natalibus, Federici filius, Neapolitano Regno, per ſecreta, & ſi occaſio inceſſiſſet, per vim adſpirabat. Nec ſatis ipſi turbare ſua, niſi turbantibus conſilium præberet. Potentiſſimo enim per Longobardiam Ezellino, iteratis epiſtolis inculcabat; valeſceret, vi, & armis toti Tranſpadanæ regioni iugum imponeret; dum de Imperatore Germani ambigunt, Pontifex longius abeſt, dira peſtis Guelfi ac Gibellini, nullis certis cauſis in ſe ac ſua ferociunt. Elapſam ſemel occaſionem non regredi, nec modeſtiam aut temperantiam, ſed ignauiam ac ſecordiam appellari. Id haudquaquam difficilè Tyranno erat; cum ſuis præſidijs Tridentum, Taruiſium, Patauiã, Vicentia, Verona tenerentur: Sunt qui Brixiam addant. Cæterùm quamquàm latè imperitaret, anguſtas

Ezellini potentia. tamen res ſuas, nec tutam poſſeſſionem crediderat, niſi habitâ Mantuâ; quã velut in ſinu habebat; incolarum fortitudine, ſitu, numeroq; validam. Spem accendebat, cognita Seni viro potentiorum diſcordia; & inter Gonzagos ac Ciuium præcipuos, tacita animorum auerſio; quâ nunquam in commune conſulturi credebantur. Ergo nihil Ezellino intentatum. Miſſi exploratores, qui plebis, ac cuiuſq; nobilium animos detegerent. Inuito enim populo, nec dedito, imperare in arduo eſt. Id vbi executi forent, iuſſi mox adgrederentur; pecuniam, fauorem, dignitates oſtenderent. Ipſe literis aſſi-

Mantuam ambit. duus etiam apud conſcios preces miſcebat: & cuncta ſeruiliter pro domina-
tione.

tione. Viſum mihi literarum exemplum, in hæc verba. Ezellinus Patauij, & reliquorum Dominus, Ciuibus Mantuanis amicis, ſalutem. Videtis me totum agrum veſtrũ ita poſſidere, vt neq; ingredi, neq; egredi, neq; fructus cãporũ colligere poſſitis, niſi ego militibus meis abſtinere ab iniurijs iuſſero. Si Papæ noſtro ſeruietis, vtiq; dabit vobis leges nouas, & auferet veteres cõſuetudines; & ſi Imperator vos receperit, coget ex ſui animi ſententiâ, viuere. Et bene ſcitis, quòd aduerſus vtrumq;, non poteſtis diu reſiſtere. Ego vos & defendam, & iure veſtro vti permittam. Gaudebitis priuilegijs & immunitatibus, quas vobis Imperatores conceſſerunt. Et eas ego confirmabo. Eritis à bello liberi, & more Veronenſium eritis liberi. Quòd ſi nolueritis mihi obtemperare, miſerrimam vitam degetis. Vel in ſeruitutem tracti, vel in æterno metu; propter excurſus militum meorum; qui vltrô citrôq; excurrunt, per veſtrum agrum. Valete. Acceptę ab Ezellino literæ, Mantuanos Cæſari congredi auſos, acriter perculêre. Magna quippe viri in Italiâ potentia, & vicina erat. Etiam internæ diſcordiæ metuebantur; ne vbi ſinguli æmulationibus ſeſe delaſſaſſent, ipſe aduerſus omnes præualeret. Et haud dubiæ Ezellini artes erant, & nobiliorum conſtantiam aut carpere, aut tentare videbatur. Sed obfirmatis libertati animis, Ciues munimentis, ac tutelæ Vrbis inſtitêre: Non anguſtijs, non inopiâ, non Villarum excidio, non donis aut minis concuſſi. Nec tantum artis pro dominatione erat, quin oculatiores non peruiderent. Auri, argentiq; ſtipes Ezellini ſigno notatæ adeo inter mercaturam frequentes erant; vt diſſeminata, non data pecunia videretur. Parte vnâ Senior promiſsâ barbâ, aduersâ bipennis erat, cum ſequentibus notis E. DE ROM. GER. PAT. DOM.; Crediderim denotare, Ezellinum de Romano Germanum Patauij Dominum. Aureo numiſmati dragmæ pondus; Argenteo ſeſquidragmæ erat. Nec tamen inſolens Mantuę moneta; ſed copia ſuſpecta erat; & apud nobiliores quoſdam, vnde ſuſpicio proditionis, & oblati pretij. Percrebuerat interim, occupandæ per vim Ciuitati, plus viginti hominum millibus Ezellino ſacramentum dixiſſe. Ergo Mantuani Pontificis Legatum per literas docent, quibus periculis expoſiti, quàm leui rerum ſuarum ſpe, in fide ac officio perſiſtant: orantq; celeri auxilio, aduentantem hoſtem; & vindictæ, aut potentiæ, nouę accinctum, præueniat. Idem Azo Eſtenſi, ac Venetis fœdere illigatis ſignificatum. Neq; tamen affuêre, ſed (quod fęderibus vſu venit) conſultatione tempus terebatur. Hinc Ezellino conceſſum vaſtare agros, pecudes abducere, fruges maturas auehere, matureſcentes corrumpere, & exciſis vicis, etiam ſuburbijs potiri, magno Ciuitatis diſcrimine. *Agros vaſtat.* Præerat tum Eccleſiæ Alexander eo nomine Quartus, defuncto Innocentio ſubſtitutus; qui Mantuanorum virtutem, ac fidem, Manfredi Tyrannidem, Ezellini potentiam conſpicatus, cum tot hoſtibus impar eſſet, Venetos in partes exciuit. Delectus inferendo bello Azo Eſtenſis, & vniuerſæ copiæ auertendo hoſti permiſſæ. Hic Legato Pontificio iunctus, Patauium ſtatim accepit, mox cæteris minitans, Ezellinum rerum ſuarum metu, obſidionem Mantuanam ſol- *Se recipit.*

ucre,

uere, & Veronam ſe recipere coëgit. Vbi quotquot Patauinorum ad manus venêre, immanis homo, reliquorum exemplo, ad vnũ trucidari iuſſit. Quòd (vt ferebat) Legato, Eſtenſiq; non coacti, ſed ſponte acceſſiſſent, Germano Domino infenſi; cùm tolerandæ obſidioni, & commeatu, & viribus, multos in menſes inſtructi forent. Reddidêre Mantuani Pontificio Legato, accepti opportunè auxilij vicem. Ducta eorum in Brixianos duo millia, Ciuitatem quamquàm præſidio munitam recepêre. Cum publicè Mantuæ in Brixianos delectus haberetur, plebs ad ſeditionem vſq; obſtrepuit. Veteres & optimè de Patriâ meritos ciues intonantes; nec debere, vim pro amicitiâ reddi. Non ſemper recentium victorum eandem modeſtiam fore, aut oppugnandos Brixianos. Rerum viciſſitudine olim Mantuanos auxilio indigere poſſe; neq; occurrere populum ſibi certiori pignore amicitiæ deuinctũ. Prudentioribus recipi quidẽ Brixiã ob fęderis pacta viſum, Duci tamẽ Mantuanorum Iacobino Gaffaro, imperatum, ne agrum populatione, ne Ciuitatem cædibus fœdaret; ſed vbi conſilium deditionis, per exploratores obtuliſſet, & non obtemperaſſent, vi opus foret; tum hoſtilia deponerentur, vbi munimentis hæſiſſent: Intus honeſtatis, opum, vitæ ciuium, aduerſus alienos tutelæ eſſent. Et Brixiani experimento cognouêre, ſibi cum Ferrarienſibus inimicitias, non cum Mantuanis intercedere. Nam licentiâ Caſtrenſi, auſum militem, hoſpitis ſui domum contaminare; auditâ quærelâ accurrêre Mantuani; & conuictum flagitij confodêre. Brixiani, qui licet victi, animos tamen, & in occulto arma retinebant, vbi adeſſe Mantuanos ſibi, & minitari Ferrarienſibus vidêre, oſtentatis mucronibus, & ſocijs periculi Mantuanis, Legato ac Eſtenſi modeſtiam, patientiamq; expreſsêre. Fremebat Ezellinus eripi ſibi nullo labore, quæ aſtu, & tot cæſorum ſanguine quæſiuiſſet. Scriptæ quoq; ad Brixianos epiſtolæ Ezellini circumferebantur. Exigerent rapaces Eccleſiæ Romanæ ſatellites; & in veterem poſſeſſionem redirent; ſe vindictæ properum, deditionis celeritate mollirent. Condonare ſe turbis ac pauori, quæ nolentes & pęnè coacti admiſiſſent, ſi promiſſam olim fidẽ, pœnitentiâ approbarent. Vbi ad arma ventum foret, innocentibus ac noxijs, eundem exitum manere; non præmia, non pęnas diſtingui, ſed graſſari in omnes ſęuitiâ; vt communi ac promiſcuâ internecione, qui peccauiſſent, includantur. Legatus Pontificis Mediolanum iam proceſſerat, cùm à Mantuanis nuncius, cito equo affuit, admonens paraſſe Ezellinum ingentes copias, multos ſociorum in armis habere, & mox affuturum tantâ vi, vt niſi ſuccurratur, obſiſti nequeat. Ille raptim Mediolano profectus, ductis auxiliaribus Mantuanis, quorum intemerata fides erat; obuium ſe potentiſſimo hoſti, medio itinere præbuit. Pugnatum: nec ſecuta nox contentionem ſoluit, aut certantes diremit. Nam compendijs viarum, pro aggeribus, pro foſſis, inter arborum truncos, aut enata humo virgulta, in lucem dimicatum eſt. Tum conſpicua cædes, & Pontificij exercitus clades innotuit: ſtratis toto agro manipulis, provt iuncti aut diſſiti concurrerant, & nemine amplius obſtare auſo. Pauci fugâ euasêre. Captus Legatus eſt. Mantuanorũ nobi-

Mantuanorum erga Brixianos, caritas.

Legati Pontificij, & cũ eo Mantuanorũ cædes.

nobiliſſimi ac fortiſſimi in acie cecidêre, cæteri Cremonam in captiuitatem
abducti. Quos Cremonenſes peſſimè habitos, veteris odij recordatione ſer-
uilibus miniſterijs, & murorum ſtructuræ deſtinârunt. Eodem ferè tempo-
re, Brixiani miſſas ab Ezellino epiſtolas, & victoriæ nuncios ex fide accepê-
re, vt ſpem omnem proijcerent. Ne tamen pauore inducti deditionem fe-
ciſſe arguerentur, ſed ſtabili in Tyrannum obſequio, misêre qui Ciuitatem,
arbitrio victoris teneri, & in officio duraturos promitterent. Se contra Le-
gatum pro Ezellino arma ſumpturos, quandocunq; dominus imperauiſſet.
Miſſas literas tacuêre, vt ſpontanea ſeruitus non iuſſa videretur. Mox qui
ob partam victoriam gratularentur deſtinati: vt legationis ordine, volunta-
tis ac ſcientiæ formam prætenderent. Non tamen fracti aduerſis Mantua-
ni, illico victorem intra mœnia accepêre; ſed communis cauſæ conſcientiâ,
libertatem quoq; propriam ad extremum tutati ſunt; licet miſerabilem in-
modum, hoſtis agrum omnem, igni ferroq; vaſtaret. Nec multò poſt Ezel- *Ezellini finis*
linus Azo Eſtenſi congreſſus, fuſus eſt; captus, & lento carcere extinctus;
cum octuaginta ætatis, multos Tyrannidis expleuiſſet. Germanus animi
fortitudine, in proſperis & aduerſis vſus; quiq; à Cæſaribus ac Pontifice co-
li ſe potius, quàm ſupplicem videri vellet. Huic in Gonzagos ſecreta cari-
tas putabatur: Siue vetuſtatem originis, ſiue ſuſceptos à maioribus pro gen-
te labores, ſiue pręſentem erga Imperatores cultum ęſtimaret. Primùm ode-
rat vt potentes. Sub vitæ finem, populationibus, rapinis, incendijs eripue-
rat; iuſſis parcere Villis exercitibus, & in alios flectere: Quæ Mantuanis
non ignara erant: Sed non Ducum notas & ſolitas artes, perfidiam, conſciē-
tiam, odium Patriæ æmuli appellabant. Et Gonzagi neglectu rerum, ſuſpi-
ciones adauxerant; velut inter turbas ſecuri, inter hoſtes tuti degerent.
Apud bonos etiam inuidiâ notabantur, quòd vniuerſis in perniciem deſtina-
tis, eadem olim pati ſoliti; ſoli intacti, inoffenſi, immuneſq; permanerent.
Id ipſis præter ſpem ac ſollicitudinem euenerat: Nam populationes Villarũ,
& ſi quæ hoſtilis rabies inferre ſolet, ſemper experti, deploratam Marmiroli
tutelam, fortunæ arbitrio commiſerant. Ne ſi ſtudium agri hoſtis deprehen-
diſſet, acrius in excidiũ, & iniuriam niteretur. Azoni nobilis victoria, etiam
oratoribus miſſis, qui grates agerent, Mantuani beneficium retulêre. Quòd
Tyranno ſuperſtite, & abſumpto à ciuibus commeatu, deditio Ciuitatis in-
longum trahi non poſſet. Etiam diſcordia inter Patritios ac plebem metue-
batur: Ne vulgus vtilitatem honori ante habens, recipi inſultantem victo-
rem vellet: Gnarum apud ſe nihil eſſe, quod ipſis vile non putaretur, & quò
inimicus inuideret. Deleto hoſte Ezellino; tamquàm nullis amplius aduer-
ſis afflictarentur Mantuani, & præteritæ calamitatis immemores agerent, *Mantuani*
Ciuitatem omnem Lateritio pauimento ſtrauêre: Et dilatato ambitu, addi- *Ciuitatem or-*
dêre maieſtatem; cum hactenus anguſtijs conflictarentur. In quatuor Tri- *nant.*
bus diuiſa Vrbs erat. Prima Diui Stefani, altera Diui Iacobi, tertia Diui
Martini, poſtrema Diui Leonardi ſpatijs intercludebatur. Et tamen triginta
hominum millia inerant; non bellis, non contagione, fracto aut imminuto

numero, ſed gliſcente multitudine. Accedebat ſitus & ob frequentes hoſtium incurſus ſecuritas; quæ pleroſq; mortalium hûc tulit; quos pecuniæ amor, aut otij, ſedibus patrijs pepulerant. Cæterùm quò habita ſemel pax, fortiori vinculo necteretur; eam cum vicinis ſcripto firmari placuit: & primùm cum Veronenſibus, cum quibus inconciliabili animo, ad excidium vſq; olim certauerant. Rerum arbiter Azo Eſtenſis fuit; cui auctoritas & recens virtus, famam magni Principis addiderant: Sic tranſactum: Quod pace aut bello ereptum vicinis foret, reſtitueretur, iniuriarum obliuio eſſet; & in futurum pax, bellumq; communia. Mantuanorum nomine interfuêre, Rinaldus Ripa, Pinamontus Bonacolſus, Arduinus Gazius. Proximi in amicitiam venêre Brixiani: Internuncij Ciuitatis fuêre. Vualdus Tridapalus, Gabriel Negrus; Poſtremi fuêre Vicentini. Pro Mantuanis ſacramentum dixêre, Bartholomęus Nuuolonus, Corradinus Caprienſis. Inſeruiſſe vniuerſos placuit, vt nobilium familiarum memoria poſteritati ſacraretur. Antiqua, & obſoleta nunc Magiſtratuum vocabula erant. Nam Poteſtas, Vexillifer, Confallonerius, Capita ſocietatum, Capita Paraticorum, antiquata, Iuſtitiam, vigilias, vectigalia, flagitia curabant: Si quæ de terminis cum exteris altercatio, decidebant. Vbi vis maior ingrueret, & Magiſtratus, & ſi qui Ciuium potiores, intererant, & è plebe Iuriſconſulti (quos Iudices appellabant) aſſumebantur. Gonzagi interim domeſticis rebus intenti, à publico abſtracti, fortunam, exitumq;, tot bellorum, tot ſeditionum, magnis animis opperiebantur. Potiſſima nobilibus ad Marmirolum poſſeſſio erat; eòq; communibus curis vacui aſſiduè ventitabant: Ciuitatis caritati quidem, ſed maiori obſequio Cæſaribus, Regnoq; Germaniæ deuincti: Notæ pridem amicitiæ; ac conſanguinitatis, inter tenuia & aduerſa retinentes. Si quid in commune Ciues conſulerent, id pro rato habebatur, Gonzagis nec annuentibus, nec reclamantibus; ſed ſi liberet imperio obtemperantibus: tamquam iuris ſui, aut inter Ciues, niſi primo loco eſſe vellent. Vocati aberant, conſulti ſilebant, iuſſi ignorationem cauſabantur. Ergo inter nobiliores Ciues contentio, & externis ſopitis, internæ diſcordiæ pullularunt: Placuit populo, vniuerſis diem dicere; nec deerant qui accuſationem obirent, tamquàm in rebelles. Non enim adeò viles erant, vt contemni impunè poſſent; aut potentes, vt coërceri nequirent. Inerant conſilio Ciuium præcipui, Gazij, Paueſij, Andręaſij, Poltroni, Tridapali, Negri, Puſterlæ, Caſtelbarci, Auuocati, Nuuolones, Capriani, Groſſolani, Arlotti, Caloroſi, Caſaloldi, Zanacalli, Caffari, Agnelli, Capolupi, Aliprandi, Daneſij, Fontanæ, Folengij, Viſdomini, Ripenſes, Gorni, Buccamaiores, Fauaccei; & præcipui potentia, & arrogantiâ Bonacolſi; nec non inueterato inter Gonzagos odio; velut nobilitate ab ijs vincerentur, quos multò ante, opibus, geſtis honoribus, & populi fauore anteiſſent. Nec amore Patriæ potius, quàm dominationis illecti, deteri Gonzagos in ſuum incrementum, & pelli è Republicâ, in ſuam potentiam referebant. Vbi ſatis ciuium, & qui partibus fauerent, conceptam multos ante annos indignationem, Bonacolſus de

Pace cum Veronēſibus iunguntur.

Gonzagi in Senatu accuſati.

A Bonacolſis.

Bonacolſis, ſic fertur deteχiſſe. Notum vobis conciues; nec licet appoſito ſtudio obliuiſci datur, quibus ſeditionibus domi, foris prælijs agitati, in hanc diem miſerrimam Patriam, Parentum reliquias, communem libertatem tutati ſumus, pauci promiſcuum laborem ſubiêre, omnes beneficio vſi ſunt. Soli Gonzagi, Villarum amœnitate (quas nè hoſtis quidem exciderit) detenti, perniciem noſtram in ſummâ quiete, longius agentes obſeruârunt, non caritate, non officio vllo affuêre. Illi per otium & ſacrilegam ſolitudinem, camporum populationes cum riſu excepêre; alienâ ruinâ læti, de ſuis ſecuri. Ijſdem nobiſcum priuilegijs, ac immunitatibus fruuntur. Nec licet beneficijs auċti, laboribus aut curis vices reddunt. Nulla ipſis ſacramenti, nulla Magiſtratuum, nulla conciuium memoria. Nuſquam Senatum ingreſſi, Ciuitatem concilio; nuſquàm permixti plebi, partem curarum capeſſunt; ſeiunċti, diuiſi, auulſi, vt à communione fortunæ, ſic Vrbis vſu. Vocati non reſpondent, rogati abnuunt, iuſſi reſpuunt; ſuperbiam an imperiũ præferant, ambigo. Si concedimus, aut in turpiſſimis conniuemus; illi errorem noſtrum in ius, in priuilegium vertent: Nos eluſi diſpendijs, ac periculis, illi beneficijs vtentur. Si ſecretum Ciuitatis odiò, & populi auerſione placuit, arceantur vſu patriæ, quam vitauerint; Si Ciuitatem ſerò cupiunt, excluſi diſcant, eam virtute, non ignauiâ comparari. Deſerere periclitantem Patriam, an arma contrâ ferre turpius ſit ignoro. Plerumq; plus noſtrâ negligentiâ, quàm ſuâ virtute hoſtes profecêre. Inueteratum genti obſequium Imperij, nullo anathematis, nullo Pontificis metu. Nec nos oppugnant, etſi oderint, ne pares illis cenſeamur; ſed deſpiciunt, negligunt, contemnunt. Gonzagos perfidiâ, Patriæ inuidiâ, amore conſceleratorum celebres, tota loquetur Italia. Duce opus eſt tantùm, vt quos impunè ludificati ſunt, ijs leges imponant. An deſuturos conſcios amicosq; creditis, qui armis, conſilio preſto ſint? Citius præuidentur mala quàm arcentur. Et innata familiæ Longobardorum barbaries, repullulabit in Patriæ certiſſimam perniciem. Solòsne putatis ex eâ colluuie, in poſteros tranſmiſſos, idq; fortuitò? Germanicum ſanguinem adhuc, quem maternâ origine à Saxonis ac Henricis hausêre, infenſum, Italiæ animum circunferunt; modeſti ſi obeſſe nequeant; vbi vires affuerint, immanes. Diuidite Patres conſcripti, ab optimorum ciuium communione turbidos, & Marmiroli velut exilio ſuſpeċtos, malas curas, & obfutura Patriæ conſilia agitantes. Vt libertatem euertant ſecretum præſumunt; ſi euerti poſſe crediderint, inuadent. Nec facile poſſeſſione arcebuntur, quam ſemel occupauerint, proſperis aduerſiſq; populi Mantuani rebus, pariter iniqui. Adeò profundo conſilio, & intra ſe ipſos abduntur; vt ne animi quidem ſenſa excipi, nullo affeċtu perrumpi poſſint. Sed & qui Ciuium, amore aut odio Patriæ, intima peċtoris recludunt, apud Gonzagos auerſionem referunt, prauis & honeſtis. Nobiliſſimis natalibus efferuntur; ſimul opibus, quas vltra ciuilem modum congeſsêre, confidunt. Tamquam ſibi iungere, non ambitu ſolùm, ſed & vi multos queant, conſiliorum ſocios & adminiſtros. Petantur Fiſco quæ

poſſident; & futuris malis demàtur occaſio: Rara enim ſuperbiã, raræ magnę deliberationes ſunt, vbi vexat, & retinet inopia: Anguſtæ domi res, maiora viribus experiri non ſinunt. Nullum ipſis à Cæſare, nullum à Pontifice auxilium. Ille vix nomen varijs euentibus agitatus retinet; hic patriæ, quàm vnius familiæ incolumitatem anteponet. Nobis ſeruatæ patriæ, pulſorum inimiciſſimorum ciuium, ſumptæ ex ſeditioſis vindictæ, gloria accedat. Cæſar Caſtelbarcus, antiquâ nobilitate, patriæ caritate, vſuq; honorum exercitus, diſcors Bonacolſo fuit. Non ſtatim executioni mandandum, quidquid ira, amorq; dictauerint; Maturanda conſilia, ne irrita pœnitentia ſuccedat; aut ſummâ turpitudine retractentur, quę in integro conſiſtunt. Potuiſſe quidem Gonzagos, maioribus officijs Patriam, ſuoſq; Ciues proſequi, pacem conſilijs, bellum viribus promouere; abſtinuiſſe tamen, non odium, ſed negligentiam; non inimicitias, ſed modeſtiam fuiſſe. Et ſi faſtũ accuſare libeat, num promiſcua viliſſimis muniâ, indiſcretum laborem ſubire debuiſſe, eâ in Ciuitate, cui diutius olim imperauerint? aut eorum imperia excipere, qui etiam ſe impares conditionis agnoſcunt? Plurimùm Gonzagos Imperio debere; nec Cæſarem contra ciues iuuiſſe; ſpectatores ſe tantùm præbuiſſe, & ſi ſors tuliſſet, mediatores. Vitare Magiſtratus, Ciues, populum; ne ambitui, aut dominationi ſtudere videantur; vitare ęmulos, qui vi, fauore, pecuniâ ſimilia incurrant. Ipſis honeſtas quidem, & priuatum modum ſupergreſſas opes eueniſſe; ſed non ſcelere, non rapinis paratas; quas maiores ipſorum, magna parſimoniâ conceſſerint, Imperatores auxerint; eaſq; per quietem, honeſtum ocium, quæ alij malas artes vocent, conſeruare. Non niſi ſummâ iniuriâ, eripi ipſis bona poſſe; nec in Fiſcum tractis quæ Marmiroli poſſident, inualidos aut minus conſpicuos reddi. Gonzagos quippe, multa Regienſi in agro poſſidere, quibus auitus ſplendor ſeruari, & melior fortuna expectari poſſit. Iam contumeliâ amicorum Cæſares excitari; vt reſtitui auulſa, cum fęnore velint; & ſuâ causâ diſtractos, ſui nominis reuerentes, ſupra reliquos attollent. Nec ideo aut Pontificum voluntatem, aut cæterarum Italiæ Ciuitatum amicitiam comparari; ſed in læſos miſerationem quæri; quòd inauditi, & indefenſi, pro innoxijs habeantur. Sibi Gonzagos non beneficio, non recenti conſanguinitate illigatos; quæ tamen honori ac vtilitati Patriæ conducere crediddiſſet, in medium dediſſe. Magno hæc, ſed breui murmure audita: annitentibus potioribus Senatus Conſultum exprimi, per aperta officia; qui Bonacolſis addicti, quibuſq; Gonzagorum potentia ſuſpecta erat. Haud pluribus actũ, & Marmirolum miſſi, qui Reipublicæ nomine à Gonzagis poſſeſſa in Fiſcum verterent, non aliâ causâ; quàm quòd, vt Patriæ æmuli aut infenſi, ſeſe communione ſubtraxiſſent. Sæuum id & mali moris, admiſsâ iniuſtitiâ, etiam hoſtibus viſum: Nobiliſſimam familiam, nullo admiſſi flagitij nomine, ob otium & bonas artes, & in Patriam abnuentem ſecreto, nunquam proditione vſam, potentiorum libidini expoſitam, indefenſamq; damnatam. Sed eligit interdũ fortuna, & magnæ iniuriæ quoſdam exponit, quibus paria

Caſtelbarcus tuetur.

Bonis damnantur.

cum

cum gloria reddat. Detruſi Longobardiæ Regno Gonzagi; æmulatione,& diſcordijs; gens omnis Caroli magni fortunâ hauſta eſt; Mathilda conſanguinitati iniqua, teſtamento iram approbauit; Et cum per Italiam, Reginæ ſpecie ageret, deteri, negligi, vileſcere in quæſtu habuit. Nunc Ciues ſuos, Patriam aduerſam experti, in miſerias labebantur, niſi poſſeſſa alibi bona, neceſſitati ſubueniſſent. Sed quorſum iſta? Vt notum prudenti foret, non niſi reſtitutione potentiæ, elui iniuriæ magnitudinem potuiſſe. Neq; ſolùm fortuna, his rerum ambagibus dominatur; ſed Mens ſuprema, cum ſordes, calumnias, iras excipiat; dilatam licet, opportunè tamen mercedem reddit. Extat ſub annum Milleſimum ducenteſimum ſexageſimum quartum, publica in Mantuano Ducum Archiuo ſcriptura, quâ Gonzagorum bona ſub haſta diſtrahuntur. Guido Gonzaga, cuius opibus, Bonacolſi aſtu inſidiæ paratæ fuerant, vt Senatus decretum, ſe non audito aut confeſſo, excepit; epiſtolas ad Ciuitatis proceres miſit, in hanc formam. Nullum in res ſuas Mantuanis ius eſſe: Quòd quæ poſſideat, propriâ pecuniâ, aut Imperatorum munificentia teneat. Non ſe odio ſuorum; ſed ſeditionum, ambitioniſq; metu exceſſiſſe: Nec vt publicis commodis, operâ aut conſulto iniquus eſſet, verùm vt abſens, res ſuas, impollutus, immaculatus curaret, ſordes, & vitia æmulationum non exciperet. Placuiſſe ſolitudinem, quam ne hoſtes quidem laceſſiuerint: Vt nullius damno, procul à decertantibus ageret. Non eam eſſe publici miſeriam, vt Ciues Senatui ſuo ſubminiſtrare non poſſit, niſi rure petantur. Atq; adeò nimios auctoritate, numero, ſuperbiâ eos eſſe, quorum ſinguli cum ſibi officere nequiuerint, in commune per fraudem, & ambitum, indigniſſimè conſpirârint. Certè adeptis quæ Marmiroli poſſideant, rerum omnium egentem haudquaquàm futurum: Supereſſe auitos Gonzagæ, Bondeni, Teniberti agros; quibus honeſtam ſenectam, & ſuſceptos liberos ſit ſuſtentaturus. Breuem & infauſtam poſſeſſionem futuram, his qui dederint, qui acceperint, aut pecuniâ compararint. Se conſcientiæ ſecurum, nec ex iniquitate metuere. Repetituros olim Cæſares, in quæ ſummum ius habeant; quæq; virtuti præmium conceſſiſſent. Hæ literæ non permouêre. Quibuſdam in ſuperbiam compoſitæ, & inani iactantiâ tumeſcentes creditæ. Sic Gonzagis quæ Marmiroli habuerant adempta, & publico adiudicata, venditionibus diſtracta ſunt. Et ne facilis reſtitutio foret, ſi in minorem abijſſent, opulentiſsima quæq; Auocatis, & Poltronis conceſſa. Bonacolſos alienis abſtinuiſse, vitandæ inuidiæ, & teſtimonio quàm honeſta præcepiſſent, ex famâ creditum. Pari vanitate perſcripta Corrado Federici filio iniuria: ſed quòd æmulationibus, & multorum eodem nomine Cæſarum diſcordijs attineretur, minus in ipſo ſubſidij fuit. Etiam vacuum poſſeſſore Imperium, totos Viginti annos Germani Annales exiſtimant; donec Ridolphus Imperatorum Auſtriacorum initium, dictus eſt. Tot enim à Federico ad Ridolphum interfuêre. Aduenerat Carolus pulſo Manfredo, Neapolis ac Siciliæ Regnum habiturus. Qui Vrbano concedente, mox vrgente Clemente quarto, inoffenſum mari

Subhaſtãtur

Gonzagi queruntur.

Q 3 iter

iter properauerat. Sed commeatus, impedimenta, exercitusq; bello neceſſaria, terreſtri itinere, per Brixianos ducebantur. Tenebaturq; fluminum tranſitus, montium anguſtiæ, ab Vberto Pallauicino, qui Gibellinis totâ Longobardiâ præſidebat. Obuiæ Ciuitates, proprio impendio, aliena cõmoda procurabant. Pace cum reliquis Cæſari opus erat; ne pluribus ac magnis hoſtibus implicatus, non ſatis defenſioni competeret. Ergo Mantuani datis precibus, in cæterorum amicitiam coiere; non quòd expediret, aut ea populi voluntas eſſet; ſed vt aduerſus infauſta præſidium pararent, Gonzagi beneficio non fruerentur: Suaſerant id Bonacolſi; qui metum è Corrado docuerant, prono Gonzagis, & profecturo, ſi aduerſus æmulos valuiſſet. Id illis fauorem tulit, vt in tempore trademus. Magna quoq; Marchionis Obizi Eſtenſis exiſtimatio erat: Qui Pontifice iubente, cui feudo ſuberat, partibus acceſſerat, & ductor exercitus collegatorum circumferebatur. Sed hinc ſuperbia, & dominandi amor; quæ nemo prudens ſine famâ habuit, aut præſente auerſatus eſt. Nec Longobardiæ Ciuitatum vlla, plus virium addere, aut gloriæ conferre, quàm Mantua poterat; nexa agris, oppidiſq; ; & velut in medio ſedens. Arte opus erat, non enim aperta vis opportuna tempori credebatur. Sed quò incautius Ciues deciperentur, inſerere ſe familiaritati, frequenter ſpectandum offerre, pecuniâ hos, illos fauore augere; amicos, & quibus fideret, Ferrariæ per officij ſpeciem comiter excipere; nec tamen ante conſilium promere, quàm tentatâ fide, multos cupidini promptos reperiſſet, & flagitio non alienos. Placuit inter Mantuanos Flauius Gaffarus, cui nobilitas vtrinq;, & non mores, non pares claritudini ſuæ opes erant: Hunc aggredi, & donis promiſiſq; oneratum peruertere, ex vſu ratus Eſtenſis, ſine internuncio conuenit. Ipſi velut ciuium vni, ſuæ Patriæ imperium, inuidiâ ſuorum, odio inimicorum comparari non poſſe: Et detectâ cupiditate, neminem in partibus habiturum, qui ſe eâdem fortunâ dignum non cenſeat: optimi quia meruêre; peſſimi, quia plus æmulantur, & peruicaciâ præualent. Exilem Ciuitatis potentiam eſſe, & quæ alicui regnantium facilè ſit acceſſura. Se vetuſtâ erga Mantuanos amicitiâ notum: Si Republicâ potiatur, & vires, & pecuniam habere, queîs tueri parta, & ſeruari libertas poſſint. Prouocatos iniuriâ Gonzagos: Senatum ipſum inter Bonacolſos, ac longioris potentiæ ciues ambigere. Vt niſi inter decertantes dominatio conferatur, ſuis in periculis, deſerturi ſint ſeditioſam Ciuitatem, & diſcordantem populum nobilitati. Res Imperij occidiſſe: Nec validam in poſterum Germanorum apud Italos auctoritatem fore: Internis diſſenſionibus, Italorum hominum, circa res bellicas experimento. Addit ingentem pecuniam, flectendis ciuium animis, & optimo quouis, ad Patriæ ſeruitutem alliciendo. Gaffarus honeſti ſpecie, & quia Rempublicam ſuperiorem fortunæ ſuæ rebatur; ſimul auro corruptus in fœditatem, Senatum ingreditur. Et vt turbidis Europæ rebus, Protectore, ac Domino Eſtenſi, Italiæ quoq; prouideri poſſit; facundè quàm prudenter exequitur: qui ciues ſuæ libertati, ſuis iuribus vti ſit paſſurus. Non enim ſeruitutem

Eſtenſis Mãtuam ambit.

poſcere

poſcere; ſed amicitiam, fœdus, ſocietatem; quæ acceptis obſidibus, & dato præſidio, seque, ac Ciuitatem in ſecuro ſiſtant. Haud alienum Eſtenſi Pontificem; & perturbantes Cæſares, non alio Duce arceri Italiâ poſſe. Exarsêre animis Mantuani; & ſuperurgentibus qui flagitium, ſtolliditatem, perfidiam ingerebant; velut Patriæ hoſtis, omnium clamore obturbatur, Senatuq; exigitur. Hactenus Ciues voluêre. Non enim fraudem in eo, aut inſidias ſuſpectabant, qui ſuas ipſe vanitates, & ſpecie recti prauas cupidines, pleno Senatu prodidiſſet. Iuuit fama motæ mentis, & parum ad negocia validæ; ne hoc vno, cum totâ domo peruerteretur. Etiam Gonzagis aduerſus fuerat, cum Senatus in familiam inueheretur, quod ipſi in tempore, vt tyrannidi infeſto, ſubſidium tulit. Quos ſceleris conſcientia angebat, metu ne depræhenderentur, iuſſi votis accedere, viſo repugnantium conſenſu conticuêre; ſi nutantes patres vidiſſent, cum ſpe victoriæ acceſſuri. Obizus vbi in irritum cecidiſſe quæ parauerat, & perditam pecuniam, ad ſecretiora conuerſus, eandem Gaffari, & amicorum conſcientiam, nouis precibus, pecuniâ, promiſſiſq; adgreditur. Quæ tranſacto officio meruerint, tamquam beneficium confeſſus, fatetur. Inſiſterent cæptis, & completum præmium, finitâ operâ expectarent, plus vtilitatis quàm diſcriminis in re eſſe docet: Paratos ſolùm dicto militum fortiſſimos, per obſcurum noctis Vrbe recipiendos. Gaffarum Pontes occupare ac demittere, portamq; reſerare iubet. Sed ſilentio enitendum, ne ſtrenui & ignaui pariter in ſuſpicionem trahantur. Multa quæ vix credideris, vbi eueniant tolerari. Ille honeſtius quod facilius putans, ſuas alienaſq; ſpes, præcipitatâ operâ corrumpit; dùm quod ſecretò & nullius communione, poterat executioni mandari, euulgato arcano detegit; tamquam quæreret militem & partes. Nec enim conſulto opus erat; ſed Cuſtodum auaritia, per nocturnas excubias, auro retegenda. Quòd non eâ vulgi quæ nobilium cura honeſtatis. Orto die vocatur Senatus (nec affuit Gaffarus, ſiue conſcientiâ, ſiue occupationibus retentus) & vbi ſilentium imperatum, Federicus Campedula (qui humili loco natus, virtutibus & conſtantiâ, dignum ſe Republicâ fecerat) exorſus eſt. Non de externis Ciues amplius ſolliciti ſumus: Illa fatum ac fortuna pro arbitrio vertant. Sed internam peſtem, incolas hoſtes caueamus; quò magis improbabili facinore, eò certiori. Nos Ciuitatem curamus, quomodo ſtatutis ac legibus, libertati ac quieti iuxta componatur; Dum Ciues ſeruitutem ſeruire, ſe ſuaq; externorum arbitrio committere procurant. Reiecti Eſtenſes, quod precibus non obtinuerint, per vim, per inſidias, quas noſtri fouerint, parant. Data proditoribus pecunia eſt, quâ vita ac facultates noſtræ, filij, cum libertate Tyranno venundentur. Et niſi citò accurrimus, tenet Vrbem Eſtenſis; Gaffaro conſultore & adminiſtro, ne auctor ſit in incerto. Mox inducti teſtes, ſeriem flagitij, & obnoxios docuêre: Suſpenſo Senatu, aut quid in eâ relatione, crederet, reijceretve ambigente. Sed vbi nullum dubitationi locum, apertiores inſidias, quàm vt fallerent, agnoſcunt; erupêre coërcita odia, & pronus in vindictam contra

Mantuani indignantur.

Ipſe proſequitur.

Ciues depræhenduntur.

proditores animus. Gaſſarus interim, detecti ſceleris certior, per complices qui in Senatu erant redditus, confeſtim Vrbe exceſſit; Vnde manifeſtior coniectura fuit. Mox euulgato flagitio, populus omnis totâ Ciuitate conſcios conſectatur. Plures ſibi fugâ conſuluêre: Quidam impetu furientium mactati. Sed & in domos, ac bona ſæuitum, tamquàm explendæ vltioni; illæ incendijs ac ruinâ abſumptæ; hæc in Fiſcum datâ indici portionc ceſsêre. Et ne vllâ in futurum memoriâ loci eſſet, area nuda relicta, fori communis miniſterio: quod decurſu temporum, Dominicani inſtituti Monachi, in hortum vertêre. Obizus prauis conſultis, pecuniam, amicos, ac famam conſumpſit. Quamquàm corruptis moribus, alienæ potentiæ, vt ſua proferantur inſidijs obrepere, extra crimen ſit. Qui infami conſilio affuerant, exilio multati. Non enim in elapſos, Ciuitatis aliud ius erat. Cęterùm domo pulſi, quò innocentiam prætexerent, Gonzagos bonis Marmiroli exutos, & Tenimberti tolerantes, petiêre. Quò ſimilitudine fortunæ, eandem virtutem, paria merita oſtentarent. Nec tamen in ſocietatem à Gonzagis admiſſi, aut officio, hoſpitalitateve culti ſunt, & cōminationibus pulſi; haud minus amicos Patriæ, quàm Senatum, quiq; detulerant, experti. Suberat quoq; memoria recentis iniuriæ, ipſa comparatione grauior, quòd ſibi innoxijs & fidiſſimis perniciem machinati, potentiam hoſtis patriæ promouere aggreſſi forent. Parum abfuit, quin Gaſſarus telis Gonzagorum confectus pœnas & Patriæ & Gonzagis debitas exolueret. Sed retinuêre impetum nobiles animi; ne ſupplicem, & in propriâ domo confoderent. Ergò cum ſocijs elapſus, quibus ſedibus inſiſteret ignarus, errore vario egit, donec à ſimilibus receptus eſt. Miſerant Caſtelbarci literas, quibus facti ſeriem referebant, orabantq; ne proditores reciperentur. Sed iam fauori ſuo præſumentes Gonzagi pepulerant, idq; per Vrbem & in Senatu, admiratione ac commendatione exceptum eſt. Credente nemine, Gonzagos Patriæ, quàm hoſtibus proniores. Et Cæſar Caſtelbarcus, qui familiæ ignominiam diſuaſerat, multa addiderat; quibus confuſio, quàm odium apud omnes depræhenderetur. Anno Salutis Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſexto hæc Mantuæ eueniſſe, Patriæ Annales referunt. Pulſis, & contumeliâ per manifeſtam iniuriam notatis Gonzagis, totâ Vrbe priuatæ potentiorum res, publici diminutione increuerant. Quamquam enim rari in Ciuitate Gonzagi forent, Ciuium tamen albo inſerti, prauas cæterorum ſpes, velut in communione eſſent, reprimebant, metuebanturq; Cenſores, obſeruatoresq;, & tamquam nexi conſanguinitatibus & caritate multorum Ciuium, in tempore, bono Ciuitatis affuturi. Vbi exceſsêre, conculcata modeſtia, & ius faſq; laceratum, dum nullâ communis curâ, priuatas vtilitates, quiſq; agitabat. Sed & Ciuitatis opes, in publicas expenſas erogari ſolitæ, ſingulorum penès quos adminiſtratio, aut magiſtratus erant, accedebant. Hinc priuatæ fortunæ augmentum, & lubrica in ſeditiones occaſio. Qui prudentiâ valebant, breuem Senatus ac publicæ rei potentiam, & vniuerſa in Ciuium aliquem abitura prædixerant. Vbi enim flagitia domi,

Conſcii Eſteſi malè habentur.

&

& communis rei deſpectus, honori vtilitatiq́; ceſſiſſent, plures fore qui eadem ſectantes, etiam libertatem inuaſuri eſſent. Et hæc quidem Ciuitati, ac Gonzagis domi fortuna erat. Sed magnis quoq; viris ab eâdem familiâ, tempora illa claruêre. Sub Pontifice enim Gregorio Decimo, Albertus Gõzaga, conſanguineus Corradi, morum elegantiâ, doctrinâ, & prudentiâ ſingulari, quantum maſculæ virtutes, turbato vexationibus æuo, momentum habeant, experimento docuit. Hunc Gregorius Hiporediæ Epiſcopatu auctum, & maiora ſperare iuſſum, in Pedemontanam regionem, ad Gulielmum Monferrati Marchionem, ſummâ cum poteſtate legauit; vt motis, & bello tumultuantibus Prouincijs, ſolidam pacem auctoritate interponeret. Nec expectatio fefellit. Elatum ſiquidem victorijs Gulielmum, & adiacentes Ciuitates iniuriâ prouocatas conſilio retinuit; ne bellum quàm pacem vellent. Mox ſucceſſu lætus Romam euocatur, vt ſeſe maioribus accingeret, Chriſtiani Orbis vtilitati. Angebatur Gregorius, inter Græcam, ac Latinam Eccleſias, ſeditiones & diſcordias inceſſiſſe: Quibus innumera multitudo, in perniciem, ac deteſtandas Religiones præcipitabatur. Nec enatæ peſti aliter, quàm generali Synodo, & Principum præſenti auctoritate obniti dabatur. Tenebat Imperium Orientis Andronicus Palęologus: Qui ſatis virium in ſuis, ſatis doctrinæ credebat. Nec Lugdunum, vbi indictus Cętus fuerat, venturus ſperabatur. Multò ante indignantibus Oriẽtis Cæſaribus, tamquam Romanorum Pontificum indulto, Italiæ, atq; adeo Chriſtiani Orbis Imperium, in Germanos abijſſet: Barbariem, diuerſitatem morum, diſcordem Sedi Apoſtolicæ animum, ſeruitium intonantes. Albertus Gonzaga, licèt immenſis itinerum ſpatijs, rerumq́; ſummam, magnis, & vix ſuperabilibus difficultatibus implicari cerneret, promptum ſe delegato muneri præſtitit. Expeditaq́; triremi, Conſtantinopolim expectatione citius tetigit. Nouerat Græcus homo, Longobardæ, Regiæq́; familiæ virum, eôq́; genere acceptior fuit. Hic hærentem Imperatorem & modò itineris difficultates, modò turbatas domi res, aut ab Imperio abſentiæ pericula cauſantem, venire compulit. Plus Imperatorem ſalutis quàm Regnorum curã decere docens: Vnione fidei, rebus ſuis, Imperioq́; proſpici: Regnorũ caſus grauiſſimos læſo Numine, aut admiſſo Schiſmate contigiſſe: Collatum Germanis Occidentis Imperium, quando Græci eas Sedes omiſerint (amiſſas ſiluit) ſed longius per Orientem patere, proferendi Imperij materiam; Si viuidam operam, collatâ virtute intuliſſent. Sæpius Italiâ, Galliâ, Germaniâ, fortiſſimos exercitus Conſtantinopolim miſſos; & manſuram eandem Pontifici voluntatem, ſi præſentiâ doceat, non ſe contumaciâ, ſed errore lapſum. Patrum ac tot Eccleſiæ Doctorum rationibus æſtimatis agniturum, vtri veritati an fallacijs inſtiterint. Deniq́; gloriam tali coniunctione quæri; quæ ipſi honeſta, ſuis proficua, toti ſit humano generi ſalutaris. Tantò coactis Patribus acceptior magni præſulis opera fuit, quantò improbabilior habita. Et ſi diutius vita ſuppetiſſet, magnis honoribus patriam, ſuoſq́; cohoneſtauiſſet. Diſſidentes quippe & ſæpius in vnionem

Albertus Gõzaga.

Legatur Conſtantinopolim à Pontifice.

tractæ,

tractæ, denuò Græca ac Latina Eccleſia coïere. Sed rarò virtus ac fortuna iunguntur; Quòd iſta præualeat, nolitq; collatos honores ſuę gloriæ præripi. Hunc Albertum etiam Cardinalium albo à Gregorio inſertum, vidiſſe ſe Comes Tullius Petrozannus in authenticâ ſcripturâ, & veteri, ſacramento affirmabat. Sed eo defuncto, & familiæ, & viri gloriæ, hæc vna probatio defecit. Dum Guido Gonzaga inter viuos ageret, potentium inimicorum operâ, odio magis apud ſuos, quàm commendatione circumferebatur. Nouerant periti captandæ potentiæ; non niſi abſente eo occaſionem fore. Obliuioni verò mandatæ ſuſpiciones proferebantur: Velut non expletâ vltione; aut non ipſi priuatam auctoritatem procurarent. Nec Guido ſupplex preces offerebat; longius agens, quàm vt videri aut audire poſſet, in extremam ſenectam. Relicti Antonius, Bartholomęus, ac Bonauenturâ filij; quamquàm amiſſo Marmirolo, rerum tamen affluentiâ, & exiſtimatione diuitiarum conſpicui. His quàm arctiſſimè decedens Pater præceperat, ne ingratam, & peſſimè meritam Patriam repeterent; ſed Gonzagæ aut Tenimberti tolerarent; ſuorum tamen flagrantiſſimis precibus euicti (cum leuis diſcordiarum, & iniuriæ apud Ciues memoria eſſet, ipſi acriter meminiſſent, quòd receperant) in Vrbem reuertêre. Etiam offerre Ciues videbantur; per quæ vetus iniuria elueretur. Sic eorum loco, quæ Marmiroli Pater poſſederat, conceſſa alia paris vtilitatis, & abolendis Parentis defuncti iuſtiſſimis querelis. Extat in veteri Mantuanorum Statutorum Codice, Caput vnum; quo conſtat Dominos Antonium, Bartholomęum, & Bonauenturam fratres, filioſq; Guidonis Gonzagæ, poſt Patris exitum Ciuitatis ac populi Mantuani caritate iunctos, non vtilitate ſolùm, ſed honoribus quoq; decoratos. In quo, cùm de iniuriâ erepti Marmiroli taceatur (vtriuſq; honori, ciuibus ne iniquè egiſſe, Gonzagis ne promeruiſſe viderentur) Eccleſiaſticorum redituum, notabilis portio aſſignatur, velut in pretium eorum, quæ Gonzagi bello amiſiſſent. Adeo corrupta potentiorum mens eſt, vt cùm fateri culpam abnuat, pœnitentiam tamen oſtentet. Sciri oportuit Senatus & Ciuium Mantuanorum in Gonzagos voluntatem. Vbi Mantuam Guidonis filij venêre, populi maiorem quàm rebantur caritatem experti ſunt: Siue vices redderent, ſiue vt odio in eos quos læſimus, ſic pietate in oblitos iniuriarum ferimur. Licuit innouatis amicitijs, præſentes, & modeſtos approbatâ innocentiâ queri; inuocare leges, & impar iacturæ præmium docere. Nec magno negocio opus erat, pronis iam Ciuium animis ſatisfactioni; quòd reuerſis Gonzagis, velut contra potentiorum audaciam, munimentum recepiſſent. Proximo Senatu, quo præcipua Reipublicæ agitabantur. De reddendis Marmiroli prædijs, & Familiæ iniurijs actum. Obnitente nemine; etiam Bonacolſis conniuentibus; ſiue interceſsioni diffiderent, ſiue leui conceſsione, magni beneficij ſpeciem aucuparentur. Sed non quidquid rudi indagine prudentiam olet, id perpetuò reſpondet. Credibile etiam ijs qui intererant viſum fuit, potuiſſe Gonzagos & ſedibus & patriâ procul haberi, à Bonacolſis; quibus opes, amicitiæ, & affinitates

Gonzagi in Vrbem reuertunt.

Et bonis augentur.

principale

principale decus æmulantes erant. Debuiſſeq́; eô conatus omnes verti; ne ambitæ Dominationi, vicinos obices, & conſulta turbaturos haberent. Credidêre ſcilicet fratrum modeſtiæ; ignari contentionis pridem in Senatu exercitæ; & auulſi patrimonij; quod Bonacolſi auctores procurauerant; & cum redderetur, remanere dedecoris, eorumq́; qui iuſſiſſent memoriam, etiam reddito odio non extinctam. Fatum haud dubiè Bonacolſos ac Gonzagos impulit, hos Patriam repetere, illos ne bona quidem reddi prohibere. Secutum itaq́; Senatus Conſultum in hæc verba.

Anno Domini noſtri Ieſu Chriſti, Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Notum ſit vniuerſis ciuibus Ciuitatis Mantuæ, & habitantibus Marmiroli, Godij, & Suauij, qualiter congregatus Senatus in aulâ Palatij maioris, cui quinquaginta ſex Seniores, & treſdecim Iudices intererant, fuit expoſitum pro parte Dominorum Antonij, Bartholomęi & Bonauenturæ de Conzaga, quòd elapſis annis amiſerint, prædia, Villas, Piſcationes, prata, paludes, & multa bona mobilia, pecudes, equos, boues; nec non maſſaritias Villarum; quæ omnia Senatus ipſis incerto titulo abſtulit, & auferri mandauit. Et quia nunc dicti Domini fratres, ciues boni noſtri ſunt; ideo antiquorum memoriam abijcientes illis reſtitui mandauimus dicta bona, prędia, Villas, Piſcationes, prata, paludes: & ſi quæ repererint ab aliquo teneri, clam vel publicè in Marmirolo vel alibi. Dummodo ſine fraude dicti Domini fratres Ciuitatem coluerint, & in bonam amicitiam nobiſcum venerint, Patriamq́; defenderint aduerſus quoſcunq́;, qui inuadere tentauerint. Mittimus interim Fabricium de Valeſio, vt hanc noſtram voluntatem apertam cunctis Marmiroli habitatoribus faciat. Datæ Mantuæ, Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. X V. Calend. Auguſti. *Marmirolū recuperant.*

Profectus Marmirolum Bartholomęus fratrum nomine, conceſſam à Ciuibus poſſeſſionem accepit. Cumq́; Poltroni ac Arlotti, partem vicinio ſuo inſeuiſſent, præſagi reddendi Prædij; vt eo ſaltem incremento proficerent, pulſi tamen in loca vetera, & coacti, receptâ à Senatu pecuniâ, ſua antiquis dominis reddidêre. Etiam Luiſinus Zanacallus riuum quo prata Gõzagi per æſtiuos ardores irrigare conſueuerant, Mincio amni ſegregatum, in rem ſuam abſtraxerat; nouo alueo, veterem ementitus, & inducta prædijs ſiccitate; vt non ſatis, non armenti ſufficerent. Temperauêre Gonzagi indignationi, ne furtum iuſtis pretijs æſtimatum, ſanguine piarent; quòd recens Vrbi additis vtilem modeſtiæ famam opinarentur. Reductus tamen veteri ac conſueto ſulco riuus, retinere impetum indignantium, non iras in longũ ſeruandas, potuit. Sic redditis Marmiroli agris, receptâ Ciuitate, Gonzagi iam ſupra ciues eſſe, præferre modeſtiam, dominationem auerſari; & fortunam ex alieno diſcrimine opperiri. Nec imperare illis animus erat, aut certè non credebatur: adeò compoſiti & turbas auerſati, vt eandem quam ante ſolitudinem, in Vrbe præferrent. Interim numeroſiori Senatu, quàm vt regi poſſet Ciuitas conflictabatur: nihil pecuniâ, ambitionève imperuium, nihil iniquum vbi potentia, erat. Dignitates indignis, adminiſtrationes, &

interna

interna vis, ſummo Patriæ diſpendio conferebantur. Nec aliud afflictis rebus ſolatium, quàm ſi purgaretur Senatus, & ciuilis potentia, quæ multitudine fatiſcebat, in duos transferreretur, vt Conſules, aut Tribunos plebis, ſub Capitaneorum nomine. Sic perdita inſolentiſſimorum hominum audacia ſupprimi, & ex multitudine confuſio expediri poſſe credebatur. Senatu in ipſo diuerſa ſtudia erant, Alij veteres leges & inſtituta, quibus maiores optimè prouidiſſent; Alij nouis vſibus, noua iura ſtatuenda contendebāt. Paulatim eò indulgentiam proceſſiſſe, vt plures Senatorij, quàm plebei ordinis numeraretur. Pinamontus de Bonacolſis, & Ottonellus de Zanacallis, primi eum Magiſtratum occepêre. Idq; Salutis anno Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto. Tenebantur interim confluente populo viarum anguſtiæ, omnesq; ad Palatium plateæ, concurſu ciuium obſidebantur, magni ſecreti impatientiâ, ſuorum deſiderio, aliorum inuidiâ: cum in publicum proceſsêre Capitanei, in Dignitatis acceptæ faſtidium ac modeſtiam compoſiti. Sed quibus ætate, aut prudentiâ ſenſus intimi acriores erant, communem Patriæ libertatis caſum præuidebant. Eò ſcilicet decidiſſe tot annos habitam & formidatam exteris quoq; potentiam; vt ius omne in duos abeat; qui arbitrio pœnas Ciuium, aut præmia, exequantur. Prorſus veteris Reipublicæ pœnitere. Nam ſi moderatio electis deſit, potentiam in Tyrannidē conuertendam. Iam ex duobus, eam qui minus valeat, facilè peruerti; nec alios futuros qui victori aduerſentur. Plurium dominationem proprius libertati, paucorum Regio faſtigio accedere. Orandam ergò modeſtiam, vt contenti delegatæ auctoritatis ſint, nı̄l in commune, quod libertatem euertat, ſanciatur. Sed quem illum tantâ æquitate fore, vt vltrò oblato Imperio, per æquitatem, per modeſtiam vtatur? Eos qui deſignati fuerint, aucturos ſua, rapturos aliena, eò auidius quò breuiorem auctoritatē introſpexiſſent. Sed & adminiſtrantium manus, ſubitis auidas, & tamquam apud præcipitem potentiam, feſtinaturas. Hic vulgi rumor queſtus inanis erat; iam adito honore, & auctoritatem præferente. Quamuis ambiri à Bonacolſis Tyrannidem, non vno inditio innotuerit. Dubitatum apud Senatum, an Gonzagis officium traderetur; ſed breuior viſa reconciliatio; iis qui nouerant; magnas iniurias facilius condonari, quàm obliuiſci; intercurrente memoriâ, & quamuis nolenti vindictam exprimente.

Pinamontus Bonacolſus, & Ottonellus de Zanacallis primi Capitanei Mantuæ.

1274.

DOCT.

ANTONII POSSEVINI IVNIORIS

PHIL. ET MEDICI MANTVANI

GONZAGÆ

LIBER TERTIVS.

BREVIARIVM LIBRI.

EVROPÆ ſtatus. Honorius Pontifex in Longobardiam mittit, qui Mathildæ hæreditatem requirat. Eo nomine accipit Gonzagam, & Monachis D. Benedicti concedit. Agri ad Gonzagam Corrado ac Federico Gonzagis fratribus feudo à dictis Monachis permittuntur. Mantuam habitaturi redeunt; Ottonellum fraudis Bonacolſorum monent. Ille negligit, & occiditur. Bonacolſi ars in tegendo flagitio, & vigilantia circa curam Ciuitatis. In eum coniuratio, detegitur; & pœnas dat. Studium quo adrepere Ciuium gratiæ procurat. Gonzagi fraudem introſpiciunt, eoq; ſuſpecti. Exulum Mantuanorum beneficio occupat Gonzagam, quam nobiles è familiá nullo certo titulo acceperant. Et iam publicè Tyrannum agit; & paulò poſt moritur. Succedit Bardellonus iners & ſæuus; & à Botticella fratre Ciuitate exigitur. Ipſe aſſumitur; eius prudentia, vt ſibi imperium ſecurum reddat. Fouet tumultuantem Eſtenſis fratrem, vt hoſtem attineat. Cremonenſes in Mantuanos magná clade. Mantuani propulſant, redditá iniuriá, & agrum populantur. Præda Sarrauallæ ſeruata. Eſtenſis occupatos Mantuanos Cremonenſi bello, à Catalanis adiutus, inuadit. Sarrauallem expugnat, prædá potitur. Paſſerinus fratri ſuſpectus; ſe purgat, nec perſuadet. Henricus ſeptimus cogitat Italiam. Paſſerinus Cæſaris gratiam captat. Botticella moritur; & ſuccedit Paſſerinus homo aſtutus, & popularis. Vt acriores Ciuium auerteret Patriá, varias expeditiones mouet; eas Gonzagi renuunt. Ille ſuſpectos habet; & Gonzagam nouo

præſidio firmat. Henricus in Italiam, & Mantuam. Hic Paſſerinum Imperij Vicarium dicit. Gonzagorum apud Cæſarem querela. Ille ſpem meliorum offert. Cremonam & Brixiam excindit. Paſſerini prudentia, vt ſeditiones & arma, extra Patriam haberet. Gonzagi Scaligeros ſecretò fouent, cum Paſſerinus exerceret. Qui Ferrarienſibus bellum, reclamante Senatu infert; ſed ſecretò, exulis operá vſus. Illi Pado pugnant cum victoriá. Paſſerinus Aloyſium ad curam Patriæ hortatur. Qui fraudem accipiens, eludit. Paſſerinus tumultuario milite Vitellianam capit. Gilbertum Parmá exigit. Caualcabous Brixiá potitur. Paſſerinus eum Scaligero in Cremonenſes. Henrici Imp. mors. Ioannis viceſimi ſecundi vana conſilia, Italiam ſibi requirentis. Paſſerini fœdus cum Longobardiæ Dominis: Mutinam à Mirandulano emit. Ludouicus & Federicus de Imperio certant: Sed ille ſuperat: Tyrannos per Longobardiam Imperij Vicarios dicit, vt ſibi firmet. Mantuani nobiles Cæſarem appellantes à Paſſerino iugulantur. Ludouici aduerſus Federicum magnanimitas. Paſſerinus ſolutior in rem Vrbanam: Carolus Andreaſius hortatur Aloyſium vt Poteſtatis munus ſuſcipiat; & paret. Mox ſe Imperatori inſinuat. Paſſerinus ſuſpicatur, & inſidiatur Aloyſij filijs. Aloyſius Gonzagam ab Imperatore recipit. Inſuper agrorum Inueſtituram à Monaſt. D. Benedicti. Paſſerinus Scaligeri excidium machinatur. Ipſe cum Gonzagis coniurat in Paſſerinum. Mantuanorum clades à Bononienſibus. Oſelius ſerit diſcordias inter Bonacolſos & Gonzagos. Franciſci Bonacolſi, & Philippini Gonzagi contentio. Paſſerinus excommunicatur. Ei tamen Imp. concedit Fiſci iura. Coniurationis ſeries in Paſſerinum. Gonzagorum inſignia. Paſſerinus occiditur; familia in vinculis habetur. Aloyſius in Senatu ſe excuſat, obtinetq; fauorabilia decreta; nec minus apud Imperatorem ſe purgat: Cum Senatu ambiguus agit, & ab Andreaſio firmatur. Aloyſia Eſtenſis Paſſerini coniunx Ferrariam ad ſuos remittitur. Aſtus Gonzagorum quo reliquiæ Bonacolſorum Mirandulano conceduntur. Senatus Aloyſium Capitaneum facit, & Bonacolſi Patriæ hoſtes decernuntur. Ludouicus Imp. Mantuam Scaligero donat, ſed irritè. Aloyſius ad Ludouicum. Huic conceditur Vicariatus Mantuanus. Guidonis Gonzagæ cum Scaligero in Vicecomites expeditio. Ludouici Imp: & Papæ diſcordia, & pro vtroq; rationes. Caroli Boëmi cum Ludouico æmulatio. Aloyſij interim prudentia; & in Ludouicum ſtudium. Nicolaus Renzus. Aloyſij inueſtitura agrorum ad Gonzagam. Philippinus ad bellum Appullum. Caroli quarti exordia, & grauis per Italiam lues. Aloyſij Gonzagæ familia. Luchini coniugis in Vgolinum amor. Vicecomitis, Scaligeri, & Eſtenſis in Gonzagos motus. Scaliger poſcit aliquot agri Mantuani oppida; Aloyſius conſtanter negat. Terræ motus Mantuæ. Vicecomes Gouernolum oppugnat; Scaliger & Eſtenſis diuerſi. Ciues intemperantiam Vgolini queruntur. Mantuanorum delectus, & diuerſis in locis pugna, cum Mediolanenſibus. Scaligeri receptus; Philippini naualis cum Eſtenſi pugna, & victoria. Scaliger denuò in Mantuanos; Eſtenſis pacem requirit. Metus à Luchino Vicecomite, eius morte ſoluitur. Pax Vicecomiti, Gonzagis, Scaligeris, Eſtenſibus. Aloyſij cum Malateſtá, ac nepotum nuptiæ. Aloyſius cogitat bellum in Scaligeros. Mantuani ſolutius agentes cæſi: Mox victores vrgent. Scaligeri pro Comite

Roman-

Romandiolæ, Gonzagi pro Pepolis. Vgolinus pro Fregnano Scaligero. Feltrinus Veronæ captiuus. Noua Aloysij in Scaligerum expeditio. Tandem Eſtenſium, Scaligerorum, & Gonzagorum cum Venetis in Ioannem Vicecomitem fœdus. Mediolanenſium irruptio in Mantuanos, & cædes mutua. Vgolini Mediolano fuga. Bernabous Vicecomes aſtu Gouernolo potitur: & acriter Mantuanos vexat. Eſtenſis Gonzagis illigatur, Vgolinus pro Marchione Monſerrati in Vicecomitem, & captâ Nouariâ malè Vercellenſem agrum habet. Pax Vicecomiti, Gonzagis, Eſtenſi. Philippini mors. Feltrini alienatio à fratribus; & diſcordiarum exitus.

ITA res Mantuana; cætera per Europam in hanc formam erant. Ridolphus Habſpurgij comes, qui ante alios Auſtriacæ familiæ gloriam euexit, ſublatis è medio Corrado ac Gulielmo Imperatoribus, rerum potiebatur. Vrbs Roma Vexilliferis, pro Tribuum numero parebat: Florentinos Capitanei poſſidebant; Carolus Neapolitano Regno, Pontificis arbitrio potiebatur: Iacobus Contarinus Venetiarum Dux; Rauennæ Dominus, Guido de Polenta erant; Bononienſes per Tribunos Capitaneo Malateſtâ Ariminenſi regebantur: Obizus Ferrariam imperio habebat: Napus de Turre, perpetuus Mediolanenſium Rector ferebatur. Quód reliquum potentiæ aut nobilitatis, provt conſanguinitas, amor, odium inceſſerant, in hos aut illos flectebatur. Martino fato functo, Honorius Quartus Pontificatum habuerat; qui turbatis ſeditione & æmulatione Prouincijs, pleraq́; paci commoda interpoſuerat. Et Romana nobilitas addiderat exiſtimationem, vt placidius præcepta admitterentur. Vbi affulſit petita quies, Sedi Apoſtolicæ viſum, quocunq; iure ſibi debita, & in ſumma confuſione rerum abrepta, requirere; vt vniuerſis in integrum reſtitutis, Romanus quoq; Epiſcopus ſarciretur. Vnde maior, certiorq́; recuperandi occaſio videbatur, primùm repeti viſum: Præſumptâ Mathildæ vltimâ diſpoſitione; cuius munificentiâ, longè latèque res Romana proceſſerat. Neq; conceſſa alijs, aut pretio diſtracta pars vlla bonorum ſuppetebat; eoq́; minus alieni Domini placebant. Ergò vbi Oppidorum, Villarum, Ciuitatum, agrorum ſeries perſpecta; Mantua quoq;, Regium, & adiacentes campi inſerti deprehenſi ſunt. Sed ſiue iure aliquo, ſiue conceſſione (non enim conſenſu traditur) validis inſuper Cæſaribus; & pleriſq́; nobilium familiarum, acceptum ius obſtinatione tutantibus, repoſcere inane videbatur, quod ne per Cenſuras quidem Papæ reciperetur. Vtilis ſanè cuicunque

Status Europæ.

Papa mittit qui recipiat Mathildæ hæreditatem.

Religioni potentia, quando plures vi & metu, quàm pietate, & reuerentiâ ducantur. Ad minora, & infirmioribus habita, vertere placuit. Prior Gonzagorum afflictio fuit. Cum etenim Gonzaga pars bonorum Mathildæ, maiorumq́; è domo deprehenderetur; ſimul agros ac Villas eo diſtrictu, eodem iure eſſe creditum: Et vt vniuerſa reſumerentur, miſſus Româ Paulus Caracciolus ab intimo Pontificis cubiculo, qui fungeretur. Affuit ille, delegato ſibi munere perfunctus; & Honorium certiorem reddidit; vtq́; in feudum pars bonorum concedi cum vtilitate Sedis Apoſtolicæ poſſet. Prælati D. Benedicti de Pado ac Lirone Religioſi, tamquam humaniùs, accuratiùsq́; ſua ac Romanorum Epiſcoporum iura tutaturi. Qui in Vrbem profecti Feudi ſiue locationis nomine Gonzagam, Bondenum Arduini, & Bondenum Roncoris obtinuêre: In hanc quæ ſequitur formam.

Concedit Monachis Diui Ben dicti.

Honorius Papa quartus Seruus ſeruorum Dei. Cum Romana Eccleſia de Gonzaga, de Bondeno Arduini, & de Bondeno Roncoris, loca in Diœceſi Regienſi, obtinere noſcatur, &c. Nomine locationis in perpetuum renouandæ quolibet Vigeſimo nono Anno, conceſſit Abbati & Conuentui Monaſterij Sancti Benedicti de Padolirono, ipſa loca Gonzagæ, Bondeni Arduini, & Bondeni Roncoris, cum omnibus honoribus, iuriſdictionibus, iuribus, terris cultis & incultis, poſſeſſionibus, redditibus, pratis, paſcuis, nemoribus, piſcarijs, domibus, molendiuis, paludibus, aquis, aquarumq́; decurſibus, pedagijs, diſtrictibus, & alijs omnibus ad ipſa loca ſpectantibus; & quæ ad ipſam Eccleſiam Romanam, quocunq; iure pertinere noſcantur. Et omnia etiam bona, iuriſdictiones, quæ habet ipſa Eccleſia in loco, qui dicitur Pegognaga eiuſdem Diœceſis. Et quòd ipſum Monaſterium annis ſingulis, in feſto Beati Michaëlis, quingentos florenos aureos prædictæ Eccleſiæ penſionis ſuæ, nomine Canonis in Curiâ Romanâ perſoluat. Quodq́; quolibet Vigeſimo nono anno, in renouationem huiuſmodi contractus, & pro qualibet renouatione huiuſmodi, ipſum Monaſterium, alios quingentos florenos auri ſoluat. Si verò prædictum Monaſterium, per Triennium continuum ab huiuſmodi penſione, ſoluere ceſſauerit; cadat à iure ſibi ex huiuſmodi locatione, ſeu conceſſione præſtitâ. Sed liberè ipſa loca, ad præfatam Eccleſiam Romanam reuertantur, &c.

Honorius Papa, Gonzagã concedit Monachis S. Benedicti.

Corradus ac Federicus Gonzagi, Antonij filij, Bonauenturę nepotes, quiq́; familiæ indemnitati conſultum voluerant, gentiles ad Gonzagam agros in partem bonorum Mathildæ repeti metuentes, miſſis Romam epiſtolis (etiã profectos quidam volunt) Pontificem docuêre, non niſi per ſummam iniuriam eripi ſibi poſſe, quæ tercentum fermè annos poſſediſſent. Non potuiſſe Mathildam ſtirpi, & conſanguinitati ſuæ ad extremum iniquam, quæ ipſa non habuiſſet teſtamento adimere. Oſtentari ab ipſis Adhelberti tertij Marchionis Mantuæ, è Gonzagis publicam ceſſionem, quâ Corrado ac Gerardo fratribus adiacentes Gonzagæ agros concedat, paternæ hæreditatis minimam portionem. Se ex illis ortos, quamquàm minori fortunâ, eâdem virtute ac nobilitate agere. Mathildæ ſimultates, quas morte

teſtata

teſtata ſit, magnis hæredibus in familiam nominatis, non debere principis domus iura conuellere. Quæ licet amicitijs Cæſarum, & neceſſitudinibus illigata potuerit inſoleſcere, modeſtiam tamen in præſentem retinuerit. Vel pacem Imperatoribus, Pontificibusq; interpoſitam; & turbata in priſtinum reſtitui opportuiſſe; aut ſi diſcordiæ præſumantur, non quiete, ac ſecretò talia repetenda, ijs neſcijs qui primi habuiſſent. Honeſtis conditionibus paratos veteri poſſeſſioni retinendæ, vt etiam (ſi iniuſtè habita credatur) honori Pontificis conſultum velint. Acceptæ literæ, ignarum ſingulorum Pontificem permouêre vt ſcriptis ad Monachos literis, iuri Gonzagorum conſuli imperaret. Reſpondêre nîl veteri iuri Gonzagorum adimi; nec tantùm ſæuitiæ fuiſſe: Gonzagam tantùm ſibi conceſſam; intactos antiquis Dominis agros Corradi ac familiæ manſiſſe, quæq; eo tractu ab Adhelberto Marchione, Mathildæ auo, ſui maiores recepiſſent. Non abnuere, quâ formâ tradiderat Adhelbertus, in ſupplices inueſtituram innouare: Vt Eccleſiæ ac nobilium virorum iura in tuto ſiſterentur. Conquiêre Gonzagi, & quia metu proceſſerant, adito Monaſterij Capitulo, nouâ locorum inueſtituram Milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſeptimo recepêre, Decembris 16. Indict. 15. Sed quia non omnibus ad manus Principum Archiua ſunt, & res plus operis habet, quàm vt ſilentio inuoluenda ſit, interuertere hûc libuit, teſtimonio veritatis.

Gōzagi agros ad Gonzagā recipiunt in feudū à Monachis Diui Benedicti.

In Chriſti nomine, die Martis, Sextodecimo Decembris, præſentibus Dominis, Magiſtro Ioanne Canonico Mantuano, Gerardo Boca de Lugo, Bonauenturâ Notario de Gonzaga, Bonauenturino de Doaſio, Zanino de Nadaldo Graſcho, & Gabriele familiaribus Venerandi Patris Domini Ioannis, Dei gratiâ Abbatis Monaſterij Sancti Benedicti, de Padolirone, Mantuanæ Diœceſis Capitulo, more ſolito congregato, ad infraſcripta gerenda, & terminanda: Vbi erant videlicet: Venerabilis Pater D. Ioannes, Diuinâ prouidentiâ Abbas præfati Monaſterij, & D. Bartholomęus Prior Inclauſtri, Federicus de Gonzaga, Giraldus de Placentiâ, Ioannes de Pianiche, Federicus de Braſmatorto, Petrus Strinus Prior Gonzagæ, Antonius Sacriſta, Albertus de Letupaludano, Geruaſius Camerarius, Gulielmus Prior Hoſpitalis, Bartholomęus Capellanus, Io: Iacobus Manfredinus, Stefanus Acurſius, Guido Gradeus, Bernardus Iacominus, Atteſinus Bettinus, Amadeus Giraldinus, Marcus, & Bartholomęus Panaterius, Monachi ipſius Monaſterij ſupradicti, cum plures alij non eſſent Monachi tunc in dicto Monaſterio. Ibiq; nobiles viri, Federicus, Bartholomęus, Ziliolus, Bonauentura, Conradus. Item Ziliolus pro nepote ſuo, & Philippinus, pro ſe, & fratre ſuo de Gonzaga. Ex deuotione ſincerâ, & in ſignum veræ dilectionis, & puri amoris perpetui, quam & quem progenitores, & maiores ſui & ipſi nobiles, longis & longiſſimis ab antiquis, retro actis temporibus habuerunt, habent, & habere proponunt, & in perpetuum habere deſiderant, & affectant, ad Sanctam Romanam Eccleſiam, matrem omnium fidelium, & magiſtram; & conſequenter ad Venerabilem Patrem Dominum Ioannem

Et recipiunt.

Dei gratiâ, Abbatem Monaſterij Sancti Benedicti de Padolirone, Mantuæ Diœceſis; ſucceſſores ſuos; & ad ipſum locum, Capitulum & Conuentum ipſius Monaſterij. Et ipſum Monaſterium recognoſcentes; & volentes recognoſcere feudum antiquum, perpetuum, & honorificum, quod genitores & maiores ſui, nobiles viri Gerardus, Rozonus, & Corradus de Gonzaga fratres, milites & parentes bonæ memoriæ, Illuſtris viri Domini Adhelberti Marchionis Proaui, piæ recordationis Sereniſſimæ Comitiſſæ Mathildis; ab eodem Illuſtri viro D. Adhelberto, Marchione; olim meruêre, ſuis exigentibus meritis obtinere, à præfatis D. Abbate, Capitulo, & Conuentu, & Monaſterio, ſecundùm formam, & tenorem inueſtiturarum, & confirmationem, prædictis nobilibus viris, Dominis Gerardo, Rozono, & Corrado fratribus datam & conceſſam, & traditam, per ipſum Illuſtrẽ virum Dñum Adhelbertum, prout vidi contineri quodam publico Inſtrumento, per manum Albertini Notarij de Carpo confecto, inſtanter petentes ſupplicauerunt, ipſis Venerabili Patri, & Abbati, Conuentui, & Capitulo, ibi præſentibus & ſpecialiter ad hoc conuocatis, & congregatis, qualiter, ipſos nobiles pro ſe, ſuiſq; hæredibus, tam maſculis quàm fœminis, ab eis vel eorum aliquo deſcendentibus, vno, alij, ſeu alius ſuccedente, feudum antiquum perpetuum, & honorificum per ſe, ſuoſq; ſucceſſores, vice & nomine Capituli, & Conuentus, & Monaſterij prædicti, & pro ipſo Capitulo, Conuentu, & Monaſterio, de omnibus domibus, & terris cultis & incultis, aquatieis & Boſchiuis, pratis, & paſcuis, venationibus, & piſcationibus, & omnibus alijs, poſſeſſionibus, honoribus, iuriſdictione, & ſignoratico, quos & quas habent, & tenent, & hinc retro habere & tenere, conſueuerunt, ſeu aliter, vel alius pro eis, vel eorum aliquo. Et ſui iuris erant, vel ſunt, ſeu eſſe debent in Gonzagâ, Poleſino longo, & Guardagnaga, & eorum territorijs, & confinibus, ſecundum formam & tenorem largitionis, donationis, traditionis inueſtituræ, atq; confirmationis, per prænominatum Illuſtrem virum Dominum Adhelbertum, de quibus in præcedentibus mentio fit expreſsè. Vnde Vener. Pater D. Ioannes Abbas prædicti Monaſterij, per ſe ſuoſq; ſucceſſores, vice & nomine, Capituli, Conuentus, & Monaſterij prædicti, & pro ipſo Capitulo, Conuentu, & Monaſterio, habito diligenti tractatu, & diſcuſſione, & examinatione ſufficienti cum dicto ſuo Capitulo ibi præſente, penſatiſq; vtilitatibus, commodis, & honoribus, ipſius Monaſterij, Capituli, & Conuentus, & deuotione, & fide ſincerâ, quam progenitores, & maiores ſui, & ipſi nobiles ab antiquo retro actis temporibus, ad ſanctam Romanam Eccleſiam, Monaſterium, Capitulum, & Conuentum prædictum, habent, habuerunt, & in perpetuum habere proponunt, & volunt; & quòd per huiuſmodi inueſtituram Monaſterio acquiratur. Et quòd prædicti nobiles, ſunt vtiles ad iura, & honores ipſius Monaſterij defendenda, de communi conſenſu Capituli, & Conuentus, ibi ad hæc ſpecialiter conuocatorum, & congregatorum, vniuerſaliter ſingulorum, & ſingulariter vniuerſorum, cum plures non eſſent in dicto Monaſterio; præſtantes vnanimiter & communiter,

ter, & concorditer, verbum & parabolam expreſsè dantium & concedentium, inueſtiuerunt prædictos nobiles, Federicum, Bartholomæum, Ziliolum, Bonauenturam, Corradum. Item Ziliolum pro Ioanne eius nepote, & Philippinum pro ſe, & fratre ſuo; recipientes, pro ſe, ſuisq; hæredibus, tam maſculis, quàm fœminis ab eis vel eorum aliquo deſcendentibus, vno, alij, ſeu alijs, ſuccedente, in feudum honorificum, per ſe ſuosq; ſucceſſores, vice & nomine, Capituli, Conuentus, & Monaſterij prædictorum, & pro ipſis Capitulo, Conuentu, & Monaſterio prædictis, de omnibus domibus, terris cultis, & incultis, aquaticis, & boſchiuis, pratis, & paſcuis, venationibus, piſcationibus, & omnibus alijs poſſeſſionibus, & honoribus, iuriſdictione & ſignoratico, quos & quas habent & tenent; & hinc retro habuerunt, & tenuerunt, & habere conſueuerunt, ſeu aliquis eorum, ſiue alij, & ſui iuris erant, vel ſunt, ſeu eſſe debent in Gonzagâ, Poleſino longo, & Guardagnaga; & eorum territorijs & confinibus, ſecundum formam & tenorem largitionis, donationis, conceſſionis, Inueſtituræ, atq; confirmationis, per prænominatum virum Ill. D. Adhelbertum Marchionem de quibus in præcedentibus mentio fit expreſſa. Ita tamen ꝙ ſi conſtaret ſeu conſtare aliquo tempore poſſet, quòd prædicta loca Poleſini longi, & Guardagnaga, non ſubeſſent Curijs Gonzagæ, Pegognagæ, Bondeni Arduini, & Bondeni Roncorij, ſeu alicui curiæ ex prædictis, ipſa loca ſint libera, & alodialia prædictorum nobilium ſicut fuêre ab antiquo. Quam quidem inueſtituram, feudum perpetuum, & honorificum & antiquum, prædictus Dominus Abbas pro ſe & ſuis ſucceſſoribus, de conſenſu & voluntate expreſsâ prædicti Capituli, & Conuentus, vice & nomine prædictorum Capituli, Conuentus, & Monaſterij, & pro ipſo Capitulo Conuentu, et Monaſterio; & ipſum Capitulum, & Conuentus, de auctoritate prædicti Abbatis, & conſenſu, prædictos Dominos, & cuilibet eorum, ſolemniter ſtipulantibus pro ſe, ſuisq; hæredibus, promiſit ſtipulatione ſolemni defendere, & expedire ab omni impediente, & contradicente perſonâ. Et hanc Inueſtituram feudi honorifici perpetui, & antiqui; & quidquid in hoc præſenti Inſtrumento continetur, perpetuò ita firmum & firmam, ratum & ratam, habere, tenere, & non contrauenire aliquâ ratione, vel causâ ſeu obligatione; etiam omnium bonorum dicti Monaſterij, & ipſos nobiles mantenere, & defendere, in dicto feudo expenſis proprijs ipſius Monaſterij, ſaluo iure omnium perſonarum. Tradens, atq; concedens idem Dn̄s Abbas pro ſe ſuisq; ſucceſſoribus, Capitulo, Conuentu, & Monaſterio prædictis, ijſdem nobilibus, plenam licentiam, & liberam poteſtatem, ſuâ auctoritate apprehendendi tenutam, & poſſeſſionem corporalem, ſeu quaſi poſſeſſionem prædicti feudi, honorifici, antiqui, & ſi quam habent, vel aliquis eorum, ſeu alius, nomine & vice ipſorum, ſeu alicuius eorum, eam approbat perpetualiter, ratificat, & confirmat. Verſâ vice prædicti nobiles, Federicus, Bartholomæus, Ziliolus, Bonauentura, Corradus. Item Ziliolus, pro Ioanne Nepote ſuo, & Philippinus pro ſe & fratre ſuo ſpecialiter Dominis, diſcreto viro Federico &

Cor-

Corrado fratribus, remiſſo fidelitatis iuramento per ipſum D. Abbatem, de gratiâ ſpeciali, promiſerunt, atq; corporaliter me Notario præſente, vidente, & audiente, tactis ſcripturis ad Sancta Dei Euangelia iurauerunt, ipſi D. Abbati recipienti pro ſe ſuiſq; ſucceſſoribus, Monaſterio, Capitulo, & Conuentui, quod amodo vt antea erunt fideles, ſicut Vaſſallus ſuo Domino eſſe debet, & id quod eis ſecretum per ipſum Dominum Abbatem commiſſum fuerit, ſub nomine fidelitatis, nemini pandent, ad detrimentum ipſius D. Abbatis, Monaſterij, Capituli, & Conuentus: & quòd nunquam erunt, vbi dicti D. Abbas, ſeu ſucceſſores ſui perdant membrum, vitam, neq; honorem ſuâ voluntate, conſilio & exhortatione, ſed reſiſtent quantum poterunt, vel ei notificabunt; & in omnibus adiutores, ſecundum ſuum poſſe, ſaluo antepoſito iuramento fidelitatis ſuis manibus præſtando. Actum eſt hoc Milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſeptimo, Indictione xv.

Ego Petrezolus q. D. Ognibeni de Mutatoribus, Sacri Palatij Notarius, his præſens fui, & rogatus ſcripſi plura Inſtrumenta, vno & eodem tépore.

Ego Bardellus de Iordanis ſacri Palatij, & dicti Monaſterij notarius, de mandato prædicti D. Abbatis, meo ſolito ſigno appoſito ad maiorem corroborationem me ſubſcripſi.

Sic honori Monaſterij nullâ Pontificis mentione factâ, iuribusq; Gonzagorum ſatisfactum eſt; maiori in ſpeciem faſtu, quàm rei conueniret. Conceſſa enim quæ tenuerant; & data quæ retineri non poterant. Certum enim familiæ erat, oblatâ diſcordiarum materiâ per Italiam, res ſuas cum fœnore recipere. Vbi voto ſatisfecêre, & reciperata quæ amiſerant, Mantuam reuerſi ſunt. Varijs tamen Ciuium affectibus excepti; lætis quibus amicitiâ aut ſanguine iungebantur, mœſtis qui quantumcunq; ipſorum incrementum, in ſui diminutionem capiebant. Fatale Gonzagis fuit, per Auſtriacos Principes & accipere & retinere maieſtatem, in noſtra vſq; tempora continuatione beneficij. Cæterùm Vrbi aſſidui inerant; non vt ciuilibus curis, nobiliſſima inſtituta negligerent, ſed vt manifeſtæ populi gratitudini præſentiâ reſponderent. Et quamquàm multò ante prouidiſſent, ne communis ſeruitus ipſos quoq; illigaret, publico tamen obſtrepere, aut ambitioſas voces velut in caſum iacere ſuperſedebant. Ferunt Philippinum Gonzagam, cum ab Ottonello feſtis epulis exciperetur; vt ille collati magiſtratus, hic reſtitutorum agrorum, mutuam lætitiam teſtarentur, & quædam velut per iocum à conuiuis iacerentur, renidentem vultu, ſecretam indignationem prætuliſſe, fortunæq; Ottonelli indoluiſſe; quæ & ipſum & Patriam, foret in certam perniciem tractura. Noti nobili viro Bonacolſi mores erant; nec ſatis reliquis competere, ſuperbiamq; & arrogantiam, inſociabilem potentiam reddere: Simul monuiſſe; vt ſe fidis amicorum ambiret, nec æmulo crederet, quamquam arctâ in ſpeciem caritate, cum familiaritatem præferret, ſubdolum animum velaret. Satis Bonacolſo virium, ſatis aſtutiæ eſſe, quâ introſpiciat, ſublato collegâ, vim omnem Reipublicæ haurire poſſe; & cunctos miniſterio acceſſuros. Ottonellus ſiue ingenitâ ſecor-

Gonzagi receptis agris Mantuā redeunt.

Gonzagi Ottonellum monent cauere inſidias Bonacolſi.

ſecordiâ torpeſceret; vt præcepta ſono tantùm terrerent, altè in animum non deſcenderent; ſiue fidum Bonacolſum leuioribus expertus, eundem in maximis futurum crederet, Philippinum amico metuentem, ſine reſponſo reliquit. Qui ſe debito ſatisfeciſſe exiſtimans, priuatis per Vrbem negocijs intentus, communes curas, vt laboribus ac dignitatibus impar aſpernabatur. Ignorauerat Ottonellus, perfidum vbi leuioribus reſpondeat, fidem maiorum, quibus fallat, aucupari. Nec Bonacolſum diutius Gonzagorum animi ſui æſtimatio latuit; Nam ab ijs, quos in partibus habebat, ſuſpicacem Philippini animum edoctus, maturandi quæ agitauerat conſilium ſumpſit: Tamquam apertam vim, & quæcunq; obſiſtere cupitis poſſent, præuidiſſent. Maior Ottonello auctoritas, Philippino nobilitas erat. Ergo ab eo incipere, quo amoto facilè cæteri peruerti poſſent, opportunum credens; perditiſſimos, quosq; in omne flagitium obſtrictos habebat, per occultũ tecto infert; animis armisq; inſtruit, pecuniam oſtentat, promiſſis onerat, audacter nauarent operam, plus diſcriminis & pretij docet. Nec his immoratur, dignitates, adminiſtrationes promittit; ſilet de cauſâ, ne licet improbi, iniquitatis fœditate deterrerentur. Infenſum nihilominus, ac per ſecreta infidum ſibi, ſuis aduerſum docet: Fingit etiam metum, quò magis accenderetur: Deniq; vnam Reipublicæ ſalutem, ex eius cæde ſupereſſe. Addit mendacium Eſtenſi conſpiraſſe; Cremonenſes ac Veronenſes cum arma tractarent, conſilio, opibusq; ſuſtentaſſe; Rempublicam deniq; venalem habuiſſe; ſed opus ſecreto, dum vanus populi rumor, queſtus irriti, ſuorum lamenta tranſcurrant: quæ ferè breuia; & potentioris collegæ commendatione vaneſcent. Mox ordinem fraudis, ſuasq; ipſe ſordes, epulas oblectatrices, & nocturnas tenebras proponit. Quaſi nihil accuſari, niſi per inuidiam poſſit: idq; proximè temeritati & iniuriæ accedere, ſi probari nequeat. Noctem obſcuram, & effuſo nimbo atrocem, deteſtationi flagitij Diui miſêre: Miſſiq; qui Ottonellum, ſecretorum prætextu accerſirent; cum ætatem, valetudinemq; Bonacolſus prior excuſaret. Et Bonacolſi honori dederat Ottonellus, vt tamquàm ad maiorem ſpecie officij frequenter aduentaret. Ille nihil cunctatus, ſumpto equo ac famulo, ad Sicarium properat; ignarâ vxore ac familiâ, quorſum, & quo requirente egrederetur. Merſis profundo ſilentio ciuibus, & nemine obuio, vbi Bonacolſi ædes ingreſſus eſt, à ſpiculatoribus, quos proditor abdiderat, iugulatur; vnaq; famulus dum auxilia & vicinos conclamat. Equus alto puteo merſus eſt, mox Dominus ac famulus additi, multum ruderum ſuperfuſum habuêre; ne quod flagitijs inditium viſeretur. Si nullum parricidij veſtigium eſſet, abolitam culpam opinantes. Vbi illuxit, auertendæ inuidiæ, Bonacolſus denuò qui Ottonellum accirent, mittit; grauia & quæ per literas committi non poſſint expoſiturus. Vxor, medio ferè noctis vocatum, domo exceſſiſſe refert, nec amplius viſum; vbi redijſſet, illicò acceſſurum. Sed cum nec à Bonacolſo requiſitum, nec viſum audit, ſuſpicari, metuere, ſciſcitari: productæq; ad noctem quærelæ, quando nuſquam comparere Ottonellum ſerui referrent, erupêre.

Illeneglig it.

Et occiditur

pêre. Non enim Vrbe exceſſiſſe, cuſtodes portarum teſtabantur; & nullum adeò vrgens negocium credebatur, quo diem noctemq; attineretur. Vbi poſtridie nil certi de Ottonello haberi Ciues vident, Senatum vocari, & quæſtionem ex ſeruis haberi iubent. Intuta ſeruorum ingenia, eòq; ſuſpecta erant. Et conſanguinei neceſſitudinem, alij Magiſtratus reuerentiam perſtrepebant. Præcipuus in dolore Bonacolſus videbatur, qui iactabat, optimo viro in Ciuitate peſſimos hoſtes fuiſſe. Circumuentum dubio procul inſidijs: quòd ſecum publicæ vtilitati conſuluiſſet; libertatemq; Ciuium, aduerſus accolas potentiores tutatus ſit. Eandem ſibi ſortem, eundem ſanctiſſimis Senatoribus finem manere; niſi in ſicarios inquiſitione animaduerteretur. Dandum perditiſſimis exemplum; placandos optimi Ciuis manes, ſatisfaciendum familiæ: Deniq; ſe Senatu egredi, & in priuato aliquo rure acturum, vt ſaluus degat. Creditus ſecretis criminationibus Gonzagos vulgi odio obieciſſe: Sed maior integritatis opinio de gente erat, quàm vt crederetur. Vbi cunctos metu, obnoxios imprecationibus tamquam odio proſcidiſſet, tegendæ inuidiæ, ſibi diſquiſitionem mandari imperat. Multi commotæ orationi credidêre; quidam quò maior exprobratio, eò plus fraudis opinati. Quibus Bonacolſi ingenium perſpectum erat; quiq; fraudem, ſuperbiam, odium in pares, profundo merſa introſpiciebant, etiam auctorẽ ſuſpectabantur: eam tamen eſſe conditionem Ciuitatis, vt veritas, fas, iuſtitia, deniq; libertas, niſi arroganti ciui placuiſſent, pernicioſa forent. Bonacolſus, quò famam cædis euerteret; Edicto conciues exteroſq; monet, aut nuſquàm comparêre, aut interemptum Ottonellum, ſeu viueret, ſeu perierit, inquirerent. Magna præmia, Senatus nomine pollicetur, ſi quis inſidias aut ſecretum retexiſſet. Sed conſcij pecuniâ ditati; & in ſpem maiorum ſuſtentati, partis per flagitium vſi ſunt ſummo ſecreto. Interim iugulatum collegam, nemo acrius requirere, vindictam, & minas ſpirare, & deſiderij impatientiam præferre, quàm Bonacolſus. Quę plures dies continuata ſunt, dum ſenſim deſiderium hominis elangueret; aut irritâ inculcatione quærelarum, faſtidium moueretur. Vbi remiſſam inquiſitionis curam, & conſanguineos minus obſtrepentes vidit; ne altero collega deſtinato, potentia intercideret; niti pro Republicâ, adeſſe ſingulis, natas Ciuium diſcordias componere, pro finibus milites ſiſtere, inopes munificentiâ, dites Magiſtratibus augere; tamquam vnus vice omnium, & maximis curis par eſſet. Potentiorum alij partibus acceſsêre, forte nullo Tyrannidis metu. Si quos à mutuâ communione ſecretos vidiſſet, infidos aut ignauos dictitans, Senatu exigi procurauit. Porrò ne domeſticis tantùm, ſed & exteris quoq; amicitijs valeſceret, Veronenſes ac Eſtenſes, affinitate & ſecretorum participatione obſtrinxit adeò, vt etiam apertâ vi, nanciſcendæ dominationi confideret. Ciuem ſe quidem appellari volebat, ſed miles in curiam, miles in forum comitabatur; Domus excubijs ſeruabatur. Nec in Senatu ſententiam vllus prior proferebat, ne quis diſſentiret; & acres inimicitias, non ſibi, non patriæ profuturas inciperet. Habuêre nihilominus ea tempora, fortitu-

Bonacolſus vigilantem ſe pro Republica præſtat.

fortitudine, ac fide inſignes viros, qui Patriæ ac propriæ vtilitati libertatiq; adeſſe, quamuis manifeſto diſcrimine auderent. Arlotti, Agnelli, Groſſolani, niſi laceſſiti, nullo proprio in Bonacolſos odio ferebantur; & vexatorum numero exempti, otium quietemq; laceſſebant. Qui imminentem potentiam, Patriæq; ſeruitutem præuiderant, vbi ſimul fuêre, tollendi è medio Bonacolſi conſilium iniêre. Nullas enim Senatui, nullas ciuium nobiliſſimis partes in Vrbe eſſe; tradi perditiſſimis adminiſtrationes, ad Tyranni libidinem; lacerari ærarium, cogi in voluntatem vnius Senatores, militem à priuato conſcribi, pro domo, foro, ac curiâ haberi, tamquàm bellum Ciuitati minitaretur. Nec hiſcere Senatum, aut conceptam indignationem, nobiles exprimere audere: Vt iam nemini dubium ſit, deſiderio imperandi turgentem hominem, Patriam, conſanguineos, libertatem publicam viliora habere. Et quando causâ agere, & Senatus auctoritati fruſtra nitantur, tollendum è Ciuitate Tyrannum, affuturos conſcios, quiq; admiſſum facinus virtutem ac fortitudinem appellent. Tantùm animo opus: Et ſi ipſo impetu oppetendum ſit, nobiliſſimo exitu, Patriæ ac toti Italiæ, nobilitatem, amoremq; libertatis approbandum. Deligitur dies, feſto ornatu, & promiſcuis epulis lætus, vt diſtracto ad leuiora populo facilius incuſtoditus, & metu ſolutior Bonacolſus opprimeretur. In conſcientiam aſſumptus Ioannes Leonellus, veteri Bonacolſi familiaritate in ſpeciem detruſus; ſed per ſecreta fidus: Vt artis neſci Mantuani, conuictibus adhiberent; de ſe ac rebus ſuis querentem, cum fide acciperent. Ille quidquid audiuiſſet, ad Bonacolſum, modò præſens, modò per codicillos deferebat; onerabatq; iniurias, in quorum perniciem, aut ipſe conſenſerat, aut Bonacolſum inclinare nouerat. Ergò Leonellus frequentiores ſolito, Agnellorum cum Groſſolanis ac Arlottis ſermones conſpicatus, tamquam arcana, & ardua miſcuiſſent; ſuſpicari primùm, obſeruare, inſerere ſe colloquijs, Bonacolſum calumnijs ac cõuicijs onerare: Mox vbi fraudes patuêre, operam, conſilium, amicitias ſpondere; & ne pęnitentiâ in propriam ſalutem verterentur, incitare, aggerere vera & falſa; poſtremò ſe percuſſorem offerre, ſi impunitas oſtenderetur, cũctiq; vt dicto, ſic facto preſtò eſſent. Datum acceptumq; inter coniuratos ſacramentum; hauſtoq; ſiniſtri pollicis cruore, gentilitas reddita; inſtituto, propoſito, facinoris profeſſione. Sic velut firmatis in certam executionẽ animis, ſua quisq; repetiuêre. Leonellus nocte intempeſtâ, vt viſus ac notitiam falleret, ad Bonacolſum profectus, quæ audiſſet, vidiſſetq;, inſidiarum ordinem, conſciosq; edidit. Tandem quo pacto opprimi, ante diem poſſint, oſtendit. Ineuitabile exitium Bonacolſo imminere, prudentiſſimi crediderant; niſi magno prudentiæ errore, fidei ambiguum, deliberationi addidiſſent: Nam vt ſecretiſſima agitanti, etiam familiarium fides prius examinanda eſt; ſic quos mores, conſuetudines, ſtudia longius hactenus habuêre, cautè admittendi: Nullo iuramenti pondere, ſi vilis fides, aut proditionis merces offeratur. Haudquaquàm Bonacolſo inexpectatum accidit, plebis ac nobilium ſermone diſtrahi; aut in ſuam cædem occultos hoſtes accingi;

Cõiuratio in Bonacolſum

Detegitur

quos

Sæuit in conſcios.

quos nouerat ambitione, iniuriâ, meditatâ dominatione offendiſſe. Nec aliam ob cauſam, fidiſſimos amicorum ſibi circumdiderat; gnarus facultatum exiguam iacturam, eoq́; à Ciuibus tolerari; libertatem plerumq́; mucronibus repoſci. Ne tamen ignauiâ ac negligentiâ, vbi prius induſtria fuerat, peccaretur, mittit Veronenſium ac Ferrarienſium delectos, qui conſcios vincirent, cæderent, fugarent. Illi tamquam opprimendo bello innominatos delati, priuatas inimicitias, non odium Patriæ vlti ſunt. Quidam irruentes fugâ fruſtrati ſunt; plures interceptis effugijs, dum ſe, ſuaq́; tutantur, ſub oculis ciuium, velut in acie cecidêre. Quorum minus flagitium; & futurorum ignari, tantûm numerum accomodauêre, amiſſis opibus, in perpetuum exulare iuſſi ſunt. Tum primùm Bonacolſi conſilia innotuêre, ſibi auctoritatem parantis: quòd non Senatus arbitrio, in reos animaduertiſſet; ſingulorumq́; pœnam inconſultis patribus, iniuſſu plebis auſus foret. Accedebat ambitæ Tyrannidis coniectura: Nam frequentiori ſatellitio ambiebatur, magno ærarij damno; cuius reditibus ad pompam vtebatur: Iactabatq́; Capitaneatus, ac officij reuerentiæ, nec non vi arcendæ, talia comparari. Aſſiduus tamen beneficijs, & erga ambientes fauoribus, partam dominationem firmare, & obſiſtentes amoliri nitebatur, pecunię & ſuæ & alienæ, quæq́; vulgus in pretio habet, profuſus. Cùm tamen ſua Ciuitati magnitudo, nobilitas, opes, amicitiæq́; eſſent; nec in totum veteris Senatus auctoritas intercidiſſet; externo ſe Venetorum fędere, in ſpeciem ſimul, & ob timorem muniuit. Sic Veronenſibus, Eſtenſibus, Venetis, amicitia & pacto obſtrictis, Ciuitas velut hoſte vallata, & Senatus intus obſeſſus habebatur. A Bonacolſo, Magiſtratus, & interna potentia in eos tantùm conferebatur; quorum operâ, opprimendæ libertati vſus fuerat. Quos ſi maiora ſeruis ambire, & contendere facultates, ius vidiſſet, non ita caritatem oſtendebat, vt ſemina perniciei in vniuerſos non agitaret. Occiſum Iulium Arlottum, confoſſum Paulum Bladũ, exactum Patriâ, quamuis obnitente Senatu Fabium Caloroſum habuimus. Quod Arlottus nominare ſocium Capitaneatus Bladum, & Caloroſus appellare patres auſi forent. Mœrebat Senatus & tacebat; & quia nec liberè fateri, nec ex vero approbare poterat, publicè cum ſuſpirijs laudabat. Vbi flagitia Principum modum ſupergreſſa ſunt; non ſatis ad gratiam miniſtris eſt conticeſcere; niſi inſuper laudentur; ſi ob reuerentiam imitari non liceat. Vulgus impunè doloris cauſas efferre non audebat, quòd ſtatim plecteretur: Sic ex vtroque dolor, & geminatio malorum. Dux ſolùm deeſſe videbatur; cum animi, indignatio, iniuria abundè ſuppeterent. Qui detectæ nuper coniurationis rei, Ciuitate ſeu iuſſi, ſeu electione exceſſerant; (multos quippe formido, nulla in Capitaneum culpa depulerat) Gonzagam ferè omnes cõceſſerant: Non impunitatis cupidine magis, quàm nobiliſſimæ familiæ caritate, & tãquàm ad æmulos, & profuturos. Illi Oppido præſidebant, per ſummam modeſtiam, Ciueſq́; exulantes arctiſſimis obſequijs, & comi hoſpitalitate illigauerant. Nec extra rationem crediderim, vbi flagitioſiſſimum vti ex

arbitrio

arbitrio Republicâ vidêre, ſuas fortunas, ac nobilitatem æſtimauiſſe,& à Ciuibus præſidium veteris ac ſibi debitæ Dominationis petijſſe. Planè quãquam ſuſcitati tumultus, neſcij Gonzagi fuiſſent, ſuſpecti tamen, & inuiſi Tyranno erant; vt exprobrantes; & ſi obſiſtere conatibus voluiſſent, magno aduerſarum partium momento. Ergo Bonacolſus nihil ſe in ſummam profeciſſe ratus; niſi poſſeſſione Gonzagæ quam paulo ante per turbas, & incolarum amicitiam; non obſtrepere, non conqueri auſis D. Benedicti Monachis occupauerant, licèt optimè meritos exegiſſet; tacitè ſecum ipſe agitare, quo aſtu, quibus artibus, fraude circumuentos abſtraheret. Nouerat apertam vim à Ciuibus improbari; & plures in partibus fore, qui excidium nobiliſſimæ Familiæ ſuſpicati, ſeſe opponerent. Sed & perſpectum viro erat, Gonzagæ præſidium per Ciues exules agitari, qui coniurationis rei profugerant; & promptam munimenti poſſeſſionem fore, ſi beneficio vincerentur; (nam conſceleratis vniuerſa venalia) eoq; habito, non niſi longâ cum deliberatione futuram reſtitutionem. Mittit qui exulibus, in Fiſcum vocatas facultates, veterem Ciuitatem, dirutarum ædium pretium; nec non ſolitum Senatum promittant; ſi ſemet flagitio exoluiſſent, traditâ Gonzagâ; quam nihilominus certus ſit, nullo eorum merito habere: niſi conſilio & animis, primi vim imminentem præueniſſent. Quærendam potentis viri, tali obſequio gratiam: Nec Gonzagos niſi irritis queſtibus,erepta à Senatu iura (id enim nominis prætendebatur) repetituros. Occupando fauori non aliam occaſionem parem fore. Sed & augeri ſingulorum flagitia, & totius Senatus odium acrius accendi; ſi leui & honeſto obſequio vilior ipſis reditus & libertas patriæ cognoſcatur. Præſidium, munimenta, arma; & ſi quæ vim aduerſam præferant, reis crimini imputari, fugam, & ſolitudinem tantùm excuſari. Forte Gonzagi paucos ante dies, domeſticæ rei causâ Marmirolum proceſſerant. Nec proinde, auctoritate aut præſentiâ, retinere perditos valuêre, quin gratitudinem calcantes, & ſacrum ius hoſpitij profanantes, peſſimorum hortatu, veteri flagitio, nouam perfidiam adderent; admiſſis Bonacolſi militibus, intra mœnia; & pulſis quibuſdam, quos Dominorum amor ad vim propulſandam rapuerat. Ad famam ſceleris, etiam qui Gonzagos ob metum oderant, perhorruêre: ſed in Senatus ac Patriæ obtentu magna ſpecies erat. Nec enim aliter à Bonacolſo, excuſari fraus poterat; quàm ſi profiteretur, Patribus redditam Gonzagam, aut additam: & ſponte incolarum, ob faſtiditos veteres & prægraues Dominos conceſſum munimentum; quod pro Territorij limitibus, Reipublicæ deberet inſeruire; ne Sicarij, ac ſcelerum miniſtri, eo ſubſidio ad impunitatem vterentur. Sublatum prorſus aſylum perditiſſimorum hominum, accolaſq; eo præſidio habito in officio duraturos. Poſſe Senatum Papæ ac Abbati inueſtiturę nomine obligari. At Gonzagi miſſis ad Imperatorem literis, de Senatu queri, Bonacolſum fraudis, Ciues ingratitudinis accuſare. Sed obſtabat Tyrannus apud eoſdem, & Longobardiæ potentiores, odium Patrię, iactatam Regum Longobardorum nobilitatem, minas imperitandi, Regiam

Gonzagos ſuſpectos habet

Cogitat adimere ipſis Gonzagam.

Et id à Ciuib. exulib. qui præſidio inerant, obtinet.

S magni-

magnificentiam æmulatas opes perſtrependo. Solitos delinquere; ac iam
pridem infenſos ſuis, inimicos exteris declaratos; Adempta proinde bona
& Senatu motos. Quæ licet iniuriâ temporum, Ciuium ignauiâ repetierint,
paré animum ipſis, Mantuanis eandem odij materiam in integro eſſe. Va-
luêre hæc, vt potentioris apud potentiorem; procurantibus omnibus, diui-
tis ac prææualidi amicitiam, per quæcunq; officia retinere; nullâ honeſti curâ:
Niſi quæ validiora, honeſtiora credebantur; & priuata cuiq; vtilitas, in ho-
neſtum tranſierat. Excluſi oppido Gonzagi, nequaquam animos demiſê-
re; ſed innatâ virtute; præcipiti fortunæ cedere, & in opportunum tem-
pus iura reijcere, prudentiam credidêre. Etiam Claudius Caſtelbarcus,
corrigere moras, reprobare patientiam, operamq; interceſſioni ſpondêre
auſus, reiectus eſt; tamquam intempeſtiuâ fortitudine, ſeq; ac amicos in
præceps daret. Conſultius Ianibonus Andreaſius, ſpes Bonacolſi nimias,
recentem Senatus oppreſſi memoriam, vicinorum æmulatum æſtimans, to-
lerandam inſolentiam præſcripſerat, breui durarturam, tot offenſionibus ob-
noxiam. Nec vt Gonzagos anteferret, ſed quò Tyrannum peruerteret; op-
timis quibuſq; infenſum, vt cenſoribus, ac factorum iudicibus. Vbi Bona-
colſo reſpondêre quæ parauerat, haud amplius dubitauit, quòminus Re-
giam auctoritatem, etiam facto oſtentaret, nullâ formidine obſeruantium.
Miſſi, receptiq; legati; iacta cum Ciuitatibus fœdera; cõceſſæ è publico opes;
ademptæ ob flagitia, ſeu vera, ſeu credita; in Fiſcum verſum Aerarium; Pa-
triæ reditus, aucti, imminuti, diſtracti, omnia inconſulto Senatu. Perierat
quippe Reipublicæ auctoritas; nec Senatus, niſi inane ſeruitutis nomen
erat. Ciues ipſi properare miniſterio, fouere, laudare, hærere, quâ benefi-
cio quâ gratiæ iter erat (neq; voluntas Domini, niſi ſcelere habebatur) vni-
uerſi; aut æmulantium Bonacolſo iniuriâ. Vix quinq; menſes Tyrannus li-
berâ potentiâ vſus fuerat; & iam hæredes in publicam rem inſtituere cogi-
tabat. Obuerſabantur infantes nepotes, & habendo Imperio impar ætas:
nec integra fides tutoribus quos ipſe nominaſſet. Simul rem arduam repu-
tans, & cui minus ſufficere videbatur, fato permiſit. Quidam tædium no-
uæ curæ, alij honorem exiſtimationis cauſantur: ne voto, aut communi ex-
pectationi, minus in morte electione reſponderet. Conſobrinos tamen, red-
ditâ Senatui potentiâ amouere, per inuidiam agitabat: ne quod domi ſta-
bilire inualidâ ætate non poterat, in alios cæderet; non officio, non memo-
ria beneficij gratos. Forte etiam inuidiam apud propinquos crediderat;
tamquam & ſolus frueretur; & decus habitæ dominationis, ſuæ gloriæ
imputaret. Dum ambiguus, ancepſq; conſilij; non ſuis, non alienis, non
Senatus libertati conſulit, graui morbo circumuentus, finem habuit, Salu-
Moritur. 1289. tis anno Milleſimo ducenteſimo octuageſimo nono; appetente Autumno,
quem periti Syderum fatalem ſibi multò ante prædixerant. Ipſe nullo fu-
turorum documento, fortunæ viciſſitudinem, & rerum inconſtantiam edo-
ctus, breue ſibi æuum fore aiebat. Quòd conceſſione Principatus, ſatis à
caſu habuiſſet, & Tyrannos illicò deficere, fateretur. Sublato Bonacolſo,

non

non idem Senatus, non eadem populi vox, rari ereptam libertatem, plures ſublata obſequij præmia, extinctam Patriæ exiſtimationem lamentabantur. Idq; futurum Bonacolſus docuerat; tamquàm vſurpatâ dominatione, ſaluti ciuium conſuluiſſet; redditâ, diſtrahenda foret. Inerat viro prudentia, auctoritas, gratitudo, pronus in officia animus. Non vindicta, non malæ curæ; non iuris aut legum oppreſſio, niſi aliter Imperio expediret; quod ferè neceſſitate excuſabat: Modò detectus, modò ſecretus; non ſimulandi deſiderio, cui pridem aſſueuerat, ſed eludendis multorum inditijs; qui ex manifeſtis & falſis, non abditis & veris coniectantur. Cæterum Bonacolſo deterrimâ cõparatione gloria parta eſt: elato ad Reipublicæ curas Bardellone Bonacolſo, cui præter claros natales, nullæ corporis aut animi virtutes inerant. Ne ſuperbia quidem, aut dominandi amor (quæ plerumq; inter virtutes cenſentur) niſi à conſanguineis dictata. Faſtu tamen ſtolidò efferebatur; quod vnum miſeriæ temporum deeſſe videbatur. Sic quamquàm conſilij indigus; ne egere videretur, in deteriora tranſibat. Et hæc quidem intus erant: Si apertum inſpexiſſes, ſæuitia, laſciuia, arrogantia, adulatio efferebantur. Iam vitijs quoq; contrarijs agitabatur; nullâ ratione credulus, nullâ coniecturâ diffidens, prauis ac honeſtis iuxta infenſus, vrgentiſſimis imperruptus, leuiſſimis turbatus. Cumq; fœcundiſſima magnis ſcriptoribus eâ tempora, rarâ fœlicitate fuerint, neminem videas, qui niſi per ignauiam ac flagitia, breues eius imperij curas proſequatur. Accedebat alienis quàm ſuis commendatiorem, non amore, ſed iniuriâ decoris habitum. Hoſtibus enim ludibrio, ſuis ignominiæ erat; quæ prima miſero perniciem, Tamoq; fratri accelerauêre. Certum prudentioribus ciuium erat, non caritate hominem, non ſtudio Reipublicæ prouectum, ſed ne alius Magiſtratu potiretur, qui plus valeret; & vt electus facilitate hûc illûc flecteretur, quò Senatus voluiſſet, nec minus æmulatio potentiorum tranſmearet, quorum ſpes quocunq; impoſito infringi nouerant. Vix Mantua Capitaneos dies aliquot experta, & iam Dominationem didicerat, & laudare, & pati. Sed non ſemper in noſtris conſilijs certitudo eſt; obrepente fortunâ, & rerum caſibus, quos nemo præuiderit. Cum enim Bardellonus ſui negligens, Senatus publico indormiret; Botticellus eâdem familiâ, maioribus virtutibus conſpicuus; quò publicum dedecus, ſuas iniurias vltum iret, minimo negocio, Sexaginta in conſcientiam facinoris accitis, dubijs ac ſecuris iuxta incurioſum, facto in ædes impetu Bardellonem, preces ac lachrymas miſcentem, & alia fœminiliter quærentem, Vrbe expulit. Eo ſolo nomine famam Tyrannidis occultans, quòd liberator Patriæ, publiciq; flagitij vltor crederetur. Effugium Bardelloni Patauium fuit; Tamus Ferrariæ, ſecretò ac ignauiâ, vetera vitia, quamquam deformi exitu obliterauit. Plurimùm Botticello debere Patria videbatur; quòd inertem pepuliſſet; exteri, quòd ciuilibus virtutibus prouectus foret ad ſtudia vulgi. Nec erat vetera Pinamontis ac Bardellonis vitia retracturus: Quippe alia domo Botticella, alijs moribus nouerat; Non hæres, non priorum propugnator, ſed magnitudine animi,

Bardellonus ſubſtituitur.

Iners & ſæuus.

A Botticella Ciuitate eijcitur.

prudentiâ, integritate, domus ſuę reliquos antegreſſus. Ipſo exactorum Bardellonis ac Tami fratrum die, veræ in Rempublicam caritatis ſpecimen Senatui præbuit; non acceptâ per vim, aut præter populi voluntatem Ciuitatis adminiſtratione; ſed intra priuatos parietes, familiaribus tantummodo curis illigatus. Et profuit modeſtia; quòd prędeceſſores eo præcipuè nomine caruiſſent: Nam & auſi & præceperant; cùm hic non abſimili potentiâ, abſtinuiſſet. Iam verò vnum eſſe caput Reipublicæ, multò ante expedire Ciues cognouerant; Vt vocato Senatu, dubitatum non ſit, Botticellam cunctis in Patriâ præponere, exercendi Capitaneatus gnarum, & Patritiorum integerrimum. Neq; enim flagrante ſeditionibus Republicâ; cum etiam indigni adminiſtrationem præſumerent, iniquum crediderat, cõmuni incendio incaleſcere; aut quidquid virium animi à naturâ, corporis à fortunâ acceperat, impendere. Vt receptum ſe vidit, non per ſimulationem abnuere, non ambitu quæſiuiſſe teſtatus eſt, ſed curarum Patriæ immenſitatem, ſuam modeſtiam obijciebat; parem ſe tamen adminiſtrationi, dato olim virtutis experimento, monſtrabat. Et vt fides dicto eſſet, Capitaneorum, quorum recens flagrabat inuidia, ſatellites; quoſq; illi ingenti pecuniâ ſuſtentauerãt, è domo ſuâ amolitus, in Senatus ſeruitium tranſtulit: his fermè verbis apud Patres vſus. Quem Patritij viri dicentibus vobis locum accipio, eâ moderatione habiturus ſum, vt quandocunq; repetiueritis, ſim redditurus; conſtantiâ morum, non cædibus hoſtium, inimicitiarum ſecurus. Veſtrâ auctoritate, veſtro nomine, domeſtica & externa tranſigentur. Vt Senatus ſua munia teneat, ego miniſteria adimpleam. Conſenſus Reipublicæ, promptum me ſingulorum voluntati fecit. Qui ſi æmulatione aut ambitu, collatum honorem aſpexiſſem, ne attigiſſem quidem. Quippe priuatâ fortunâ vobis immixtus, cum neminem læſerim; nec quidquam excuſandum occurrat, eundem vobiſcum animum ſeruare propoſueram. Patrię vtilitati, ac decori inuigilandum. Quibus ſi modeſtè habito imperio, in tempore affuero, annuite: ſi deliquero, corrigite. Nec enim immenſum Reipublicæ corpus, vnius viribus ſuſtentandum eſt; ſed iunctâ operâ, exonerari me laborum parte deſidero. Nullæ mihi priuatæ offenſiones ſunt, quæ vindictam exprimant. Pinamontis, Bardellonis ac Tami impotentiam fortuna coërcuit. Nec quidquam familiæ meæ grauius accidit, quàm vexari Ciuitatem, Senatum lacerari, idq; Bonacolſos iniuriâ feciſſe, in poſteros tranſmittendum. Quod illi flagitio, & ignauia deliquêre, virtute penſabo. Vos verò ac populum, ne alienis vitijs laborem, ne mihi perditorum hominum conſilia imputentur, aut futura præteritis æſtimentur, obnixè precor. Sit cuiq; ſuus ex virtute honos, ex ſcelere contumelia. Mox vbi concordem Senatui populum; & nihil optimis conſultis aduerſum videt, adminiſtrationi ſeſe accingit: Sumpto ab optimis Imperatoribus more, primùm domi, mox foras prouidere. Ornata Ciuitas ædificijs, pro temporum ratione; & veteribus ædibus ſuis, nouâ acceſſione ſtructo porticu, quam marmore extulerat, decus additum. Per arentia camporum, Amnes in riuos fuſi, fœcundita-

Ipſe aſſumitur.

cunditatem humore attulêre. Ditionis limites præſidijs firmati, cum Bardellonus neglexiſſet. Suus Senatui honor, ſua populo iura reſtituta (nam integrâ Republicâ per Tribus vulgi ſuffragia petebantur) quo patrem plebemq; obſtringebat. Pax apud exteros, ictis fœderibus ſancita; Diſſentionum ſemina auulſa, quibus in ſemetipſos primùm ſæuire Ciues, mox abſtrahere rem communem credebat. His tamen haudquaquàm ſinceri animi fidem meruit; ſuſpectis Gonzagis, magisq; extra caritatem, quàm Senatum habitis; & memoriâ non reſtitutæ Gonzagæ, cuius recens inuidia erat: Publica munia, niſi quæ potentiam non haberent, conceſſa. Sed collegæ additi, repreſſuri audaciam, aut magnos conatus obſeruaturi: Honorem vocabat, & miniſteria. Etiam ſecreta domorũ, diſpoſitis per Ciuitatem exploratoribus, & pretio illectis requirebat. Nam aduerſos animos publico, non itẽ priuato celari poſſe opinabatur. Vbi ſatis familiæ, ac publicæ rei prouiſum vidit, veterum Azij Eſtenſis ſimultatum & vexationum, quibus Ferrarienſes Mantuanos exercuerant, memor; reddendi odij occaſionem proſecutus eſt: Vt communem hoſtem apertâ vi; nec non ſecretò premeret. Decorum tamen exiſtimationi erat, ſi honeſto titulo abolitas pridem iniurias vlciſci diceretur. Azio Eſtenſi Franciſcus Germanus erat, ætate, non virtute minor; & proni in præcipitia ingenij. Qui anguſtas res ſuas, fratris amplam poſſeſſionem queſtus, apud Ciues & potentiores; vbi non ſubueniebatur, occultis inimicitijs erupit; ad extremùm etiam apertè hoſtilia induit, bonorum portionem, & Imperij repetens. Hunc conſcio nemine accitum, Botticellus temporis & neceſſitatis admonuit: Fratris impotentiam, ereptas opes aut negatas, viresq; ſuas non temnendas, ſi certandum vellet, oſtendit. Vbi vindictæ paratũ iuuenem accipit; & ſpem euentui, ob Prouincialium in eum amorem reputat; militem, pecuniam, conſilium offert. Non ſe aliena per iniuriam quærere, ſed innocentis & pulſi iura paratis viribus fouere. Nullum ſibi & Azio odium, nullas diſcordias inceſſiſſe: Vbi viciſſet Franciſcus, parem contra Mantuanorum hoſtes operam redditurũ profeſſus. Hæc publicè, ſecretò milite ac fauore iuuenem inſtruebat, quò mutuis diſſentionibus attererẽtur, ipſe integer contra infractos valeſceret. Quippe nihil honori detrahere crediderat, ſi in eos aſtu certaret, qui per inſidias opprimere Patriam, & ſuam facere meditabantur. Data quoq; iuuentus non forte, aut iniuſſu; ſed nobiles electi, & ex ſuis Dux impoſitus: Vt è Ciuitate metum pelleret, fortiores vel acies hauriret, vel alibi detineret. Porrò maturandum putauit, vt Azio incauto ac imparato ſuperfunderentur, dilectamq; manum hoſtili agro intulit. Melara, Maſſa, Ficarolum, Caſalia, quæq; eo tractu Villæ in poteſtatem venêre. Poſtremò pro Ferrariæ muris, vallato exercitu, obſidionem minitantes conſidunt. Et ne capta victori Franciſco cæderent, Mantuanos præſidio imponit; non quaſi diſtingueret, ſed fortunâ; datis tamen per ſecreta mandatis, quibus potentiam & res ſuas promoueret. Mox appetente hyeme regreſſus, in futuram æſtatem, nouam expeditionem ſummâ ope parabat. Vt iniquitati itinerum, & humido paludum

Eius aſtus.

Cum Eſtenſi ſimultates.

ludum inſiſtere, miles potuit, eodem Franciſco comite, cætera recepturi reuertêre: Bergantiumq́;, licet magnâ manu ſeruatum, per vim, & modico ſanguine habuêre. Furiettus Zanacallus, Cæſar Poltronus, Nicolinus Arlottus, non hoſtes Botticellæ potiusquàm amici, in ſuggreſſu mucrorum oppetiêre. Sic Tyranno ex victoriâ & cædibus quæſtus erat. Cremonenſes, Mantuanorum fortunâ excitati, quibuſcum æternùm diſſentiebant, opportunè rebus ſuis, ac antiquis ſimultatibus prouideri poſſe exiſtimantes, illigatum Botticellam Ferrarienſi bello, & longius agentem peruertere ſtatuunt. Tumultuarius miles quiq; paſſim per agros palantes ruſtici reperti, armantur: & in Mantuanos nil tale ſuſpicantes immittuntur. Non ſexui, non ætati, non Villis, non agro pepercêre; dum vetus odium, recentes iniurias vlciſcerentur. Ita Azio ſalus, & Ferrarienſibus quæſita. Non enim multum à Ciuitatis expugnatione Mantuani aberant. Et quamquàm ægerrimè ferrent, ſe partæ ferè victoriæ ſubtrahi, abſceſsêre; & in Cremonenſes, vniuerſis copijs delati. Tantùm pro finibus præſidiarius miles, & viginti nauium Pado relictæ; vt terrâ ac Flumine, vis ſi quæ ingrueret arceretur. Dux erat equeſtris militiæ Federicus Arlottus, pedeſtres copias denſiori agmine Botticellus ductabat. Nam per ea tempora Mantuæ (non abductis omnibus, ſed domi relictis, qui mercaturæ ac rei familiari deſeruirent) pluſquam decem millia virorũ numerabantur; Hi quocunq; ducerentur parati, bello ſoliti, & velut ſupernumeraria multitudo erant. Nulla hactenus à Cremonenſibus accepta clades, maiori Ciues mœrore, ac dolore affecit: tamquam non Imperatoris, aut potentiorum hoſtium viribus, ſed vnius Ciuitatis odio, in excidium traherentur. Et quia acerbior indignatio erat, nihil toto agro hoſtili intactum, aut igni ferroq; imperuium Mantuani reliquêre. Quò ducebat impetus, exciſa oppida, abducta iumenta, vaſtati agri, plurimi in ſeruitutem abducti. Sed tantùm inopes offerebantur; ditiores ſe in Ciuitatem, auditâ Mantuanorum eruptione receperant. Promiſcuè tamen exciſæ agreſtes domus, fœcundæ arbores ferro atq; igni abolitæ, ſuperfuſi effractis aggeribus, ſpecioſiſſimis Camporum Amnes, & in omnia fœdâ vaſtitate ſæuitum. Vbi illatæ ſibi iniuriæ ſatisfeciſſe Mantuani, & acceptam cladem ſarciuiſſe crediderunt, prædâ ad impedimentum onuſti, ad ſua rediêre. Et quò minori præſidio parta ſeruarentur, vniuerſa Caſtro Sarrauallis, ſub Paſſerini fratris cuſtodiâ, Botticella concluſit: Vt non auſuris hoſtibus Caſtri oppugnationem; & vt facilius omnia venditione diſtraherẽtur; quò collecta pecunia, in ſumptus belli, qui fortunis maiores erant impenderetur. Eſtenſis intentum Botticellam Cremonenſium diſcordijs, ijsq́; fractis, grauiorem ac potentiorem metuens (non enim impoſuerat, cùm fratrem bello auctorem præferret) præuenire agitauit. Sed nec vires formando exercitui; nec Itali minoris Principis ſacramẽtum facilè ſubibant. Proinde Catalanos, qui Bononienſium cuſtodiæ habebantur, in conſcientiam vocat. Quantùm prædarum minimo labore comparari poſſit, quantùm gloriæ, oſtendit. Quidquid exercitui Mantuano opum, quidquid Cremonenſis

Cremonen. in Mantuanos.

Militia Mãtuana.

Eſtenſis in Mantuanos mouet Catalanorũ auxilio.

nenſis agri diuitiarum, cuncta Sarrauallis inerti, & raro milite ſeruari. Nec obſidionem toleraturos, vbi formidatū Catalani nomen excepiſſent. Oſtēdenda arma, id ſatis ad victoriam. Sibi ſuffecturum, ſi vindictâ animum expleuiſſet. Ipſis prædam, captiuos, vniuerſa ceſſura. Quorum copiâ, in aſportatione plus laboris, quam expugnatione munimenti habituros. Illi nullo in Mantuanos odio, vtilitate ac lucro ducti acceſsêre, vt tamquàm iam partam prædam auehérent. Improuiſum Paſſerino accidit, tot hoſtium millibus oppugnari: Quod tamen anguſtiâ temporis potuit, firmamenta mœnibus addita, inducti ſecreto noctis commeatus; & repentina Paganorum manus adſcita. Illi accerrimè inſiſtere, ſuggredi, per vulnera & ſanguinem rapto potiri: Hi capta conſeruare, decus, gloriam præ oculis habere. Sed multitudine ſuperabantur. Captum enim ac direptum Oppidum, & quæcunq; inerant abducta. Milites reſiſtere auſi, ad vnum cæſi ſunt: Profugos & liberam poſſeſſionem concedentes, nullatenus ſectati. Paſſerinus deploratis rebus, amiſſo præſidio; cæſis aut in captiuitatem ductis ſociorum plurimis, fugâ ſe proripuit, Mantuamq; perditarum rerum nuncius aduolauit. Ciues quiq; in Senatu, Paſſerini ingenium, Sarrauallis munitiones, abductam ab Eſtenſi prædam, æſtimabant, vix adduci potuêre vt crederent, nullâ fraude, ſolâ vi, tot expeditionibus, & labore quæſita ad victorem & illudentem hoſtem translata. Quidam pactam cum Catalanis prædæ non exilem portionem credebant. Quâ ſecretò occultatâ, cætera Eſtenſibus cederent. Non enim ex ijs fidem integram requiras, erga fratres, aut conciues, qui Rempublicam inuaſiſſent. Sed inanes in Paſſerinum querelæ, certa iactura fuit. Nec Botticella, licet ſuſpicioni propior; niſi belli varios exitus, hoſtium vires ac numerum cauſatus eſt: Ne fratrem diffidentiâ irritaret; aut ſi ſecreto inſtitiſſet, deliberatione, deprehenſum, & neceſſitate ad res nouas impelleret. Interim dum Ferrarienſes, Cremonenſes, ac Parmenſes quietè agunt, Botticella Ciuitati prouidere, imminentibus bellis neceſſaria comparare, turbidos diuidere; aut procul à communibus negocijs habere. Gonzagi non quidem pulſi (metu ſeditionis, & ciuium caritatis) ſed vitati. Quod in ſuſpicionem, ac reuerentiam æquè flecti poterat. Prudentiâ opus erat, quòd familia amore ciuium, affinitatibus nobilium, opibus eò prouecta eſſet, vt minus Capitaneorum iniurijs expoſita crederetur. Sed nec leuis in Paſſerino metus, quem inhiare dominationi; & vel hoſtibus (dummodo voti potiretur) communicaturum conſilia formidabat. Non enim priuatis curis vt ante intentus, aut propoſitos Magiſtratus auerſari videbatur: Sed vltrò intereſſe; præterita, præſentia, futura ſciſcitari, ſatellitio fidorum vti (quibus rarò bonus inerat) armatum Curiam ingredi; & modò nimiam fratris indulgentiam, modò ſæuitiam ac rigorem incuſare; prout affectos nouerat, quibuſcum ſermo erat. Haud dubiè Dominationem olebant, & elatum ſuperbiâ animum. Quæ omnia fratrem non latuêre: eliminantibus ſecreta amicis, & ad Botticellam deferentibus, in maius aucta. Ergò inductum cubiculo fratrem; & ne vim aut

Sarrauallem expugnant.

Paſſerinus fratri ſuſpectus.

aut parricidiũ ſuſpectaretur, cęteris amotis, ita inquit: Tertius ego Paſſerine, de Bonacolſis, è ciue priuato ſummam fortunam nactus ſum; domui noſtræ, immortale decus ac famam exiſtimatione modeſtiæ comparaui. Nec electione magis quàm te ſummo nomine mihi concedente Dominationem conſecutus ſum: Quam dubio, ac periculis innixam, ciuilibus bellicisq; virtutibus, in ſolido videor collocaſſe. Non mihi, qui iam ætate vergens maturum finem opperior, ſed familiæ, ſed fratri: ſi fatum meum expectare; non perditiſſimis conſultis accellerare voluerit. Sed & multò ante potentiã, non moderatam ſed liberam, non delegatam ſed propriam exerces; vt vtriq; ſolo nomine diſiungamur. Si concordia nobis, quàm inſidiæ placuerint, ſtabile imperium habiturus es; ſi vim meditaris, noſtræ nos contentiones ſubuertent; hoſtes per Vrbem fuſi, noſtris miſerijs exaturabuntur. An exceſsêre Gonzagi? vigilant illi, & occaſionibus intenti potentiam repetunt; ſi diſcordiæ Bonacolſos abſtrahant. Secretum illud, & profundo merſas cogitationes, niſi ſuperbiam, odiumq; dicis, erras. Recenti Dominationi, nemo fidus eſt; quòd inuidia, odium, deſideria recentia ſint: Nec lætis oculis, alienam fortunam intueri poſſunt, qui ſublatos, paulò ante in æquo vidêre. Gonzagi quos iterum, & omnium vice commemoro, quorumq; nomine excitor; iam magnis amicitijs, magnis opibus, ſummam & ipſi fortunam, ſuorum recordatione præſumunt: Si concordes egerimus, hærebunt; ſi diſcordes, erumpent. Non enim Bonacolſi, niſi proprijs armis frangi poſſunt. Et ſi diutius imperârint, firmabitur auctoritate domus, aliorum facultatibus imminutis. Vt riuos ingentia Flumina, Amnes Mare haurit; ſic tractu annorum, vniuerſorum fortunæ in ſupremam relabuntur. An malè iacti Dominij, neglectarum occaſionum, accuſari vt per ſecordiam poſſum? An occurrit, quod vtriq; pœnitendum excuſem? Niſi pro pietate ſæuitiam, timorem apud ſubditos pro amore deſideres. Timor exoſum, dilectio ſecuriorem facit: Et malè conciuium promptitudinem, quorum aſſenſu imperamus, ſeueritate penſamus. Vix læditur qui amari meretur; vix amatur, qui mutuò non diligit. Quam verò caritatem erga alienos habiturum putas, eum qui ſuum ſanguinem oderit? Plura dicturus non ſum; fratrem me non externum, Dominum non Tyrannum cogita. Ego cumulatam gratiam, firmam dominationem, opes, amicitias, vbi deceſſero, vberrimè tranſmittam; quibus teq; ac tua, nullo negocio tueri poſſis. Paſſerinus vbi quæ parauerat detecta, & eluſa conſiliã vidit, turbari primò, mox collectis ſpiritibus, innatâ audaciâ; fraterno odio, detrahentium perfidiæ, alieno à ſe domeſticorum animo inuehitur. Opere ac obſequio non ſemel quâ erga fratrem caritate eſſet, oſtendiſſe; mutuas diſcordias, eorum quos odiſſent ſtudio procurari, vt inuicem diffidentes, cæteris deſpectui habeantur, reſpõdit. Sibi fixum eſſe, fratri natu maximo, viuere ac ſeruire; viderint, qui iras ferunt, quo animo in vtrunq; ſint, quibus artibus nitantur. Simul odia & perniciẽ cominatur; ijs qui vtriſq; inuidi, ſibi iniqui, ſcelus ac parricidium effinxiſſent. Non ideo tamen probi ingenij fidem conſecutus eſt, quamuis

Paſſerinus ſe purgat.

credere

credere ſimulaſſet. Quod perſpectum Paſſerino fuit; dum denſiores excubias, plures milites, magis cuſtoditam fratris domum intuetur. Hinc ſuſpicio; & ex fratre metus, quòd minus ſecurè cum potentiori ageret; & rebus ſuis formidante. Simulatione tamen opus erat; vt potentiam amicosq; compararet. Idq; arduum erat, prælato Botticellâ, & paſſim auerſis, à Paſſerino nobilium animis. Communem Italiæ calamitatem, Germaniæ diſſentiones obliterauêre; in maiori malo habitæ. Grauius enim creditum Tranſalpinas gentes, inteſtinis diſcordijs lacerari; quòd Italia conſenſu traheretur; nec ſpes quietis, illis tumultuantibus eſſet. Sublato è viuis Alberto, conſenſu Electorum Imperator ſalutatus eſt Henricus ſeptimus, Comes olim Lucemburgenſis; irritis Philippi Galliæ Regis conatibus. Qui Auenione habitum Pontificem, ſparſosq; per Germaniam Electores Principes, pecuniâ ac promiſſis corruperat, & verti in ſe Cæſaream potentiam inani faſtu præſumpſerat. Illi pecuniarum auidi, fidei negligentes, documentum dedêre, vix eôdem pecuniam & conſtantiam eſſe. Id in annum Salutis Milleſimum tercenteſimum octauum incidit. Vt Aquiſgrani primo diademate, inſignitus eſt; tamquàm in Pontifice magnum momentum eſſet, miſſi ſupplices Legati ſunt, orantes firmaret, quæ Electores ſtatuiſſent. Nec Pôtifex abnuit: Data tantùm præcepta; ne peruerti Italiam, diſtrahi Imperij Prouincias vlterius pateretur; ſed quàm citiſſimè accederet, ferreâ, aureâq; coronâ donandus; iura ſua, ac Sedis Apoſtolicæ recognoſceret; & optatam gentibus Italis quietem præſentiâ daret. Imperator longis iam votis Italiam inuiſere concupiuerat. Sed dum impedimenta, milites, pecunia, comites, tantæ expeditioni parantur, Boëmiæ Rex, ac Comes Vitembergæ obſtitêre. Ille per malas artes quæſito Regno fugandus erat; Hic magnâ ditionis parte in poteſtatem receptâ, ad obſequium Maieſtati debitum cogendus. Quæ licet duobus exercitibus pararentur; non tamen nouum militem conſcribere, & Italiæ minitari deſtitit. Habuitq; ineunte vere, ingentes copias, quibus vniuerſam Italiam victor excurreret. Neque tamen ante, ſe ac ſuos itineri accingere voluit; quàm Ciuitates contumaciâm profeſſæ admonerentur, vt pacem vtilem, quàm pernicioſum bellum mallent. Se non alienis iniurium, ſed repetentem auulſa Imperio accedere; ſubiectis placabilem, immitem hoſtibus. Cupere diſcordiarum cauſas aboleri; cuiq; Ciuitati ſuos fines, ſua iura præfigi, diuidi ſeditioſos, exactos per contumeliam ciues reſtitui, milites ſuos hoſpitalitate, ſe comi obſequio, nullius damno excipi. Raræ per Longobardiam Vrbes, peruicaciam retinuêre; ſed ab omnibus ferè reſponſum, veniret, frueretur, ſpectaret erga ſe modeſtiam, ſuos æquitatem, Imperium officia. Id Italorum paci profuturum; quã ſeptuaginta fermè annos, Cæſarum nemo inuiſiſſet. Abſentiâ Dominantis inſolentiam; negligentiâ priuatas contentiones increuiſſe: Eò audaciæ pleraſq; Ciuitatum proceſſiſſe, vt quibus hoſtes externi non fuerant, in ſuos ſæuierint; nullo iuſto odio, non ſpe præmij; ſed ne alijs digladiantibus ipſę quieſcere ac ſecordiâ torpere viderentur. Florentini, qui libertatem à Ridolpho

Margin notes: 1308. — *Henricus Septimus cogitat Italiam.* — *Florẽtini egtè reſponſo.*

dolpho Imperatore pecuniâ parauerant, duriùs reſpondêre. Mirari ſe quòd Chriſtianiſſimus Princeps, tot barbarorum millia Italiæ induceret; quos arceri aut pelli armis honeſtius foret; ſiue ſuam, ſiue alienam crederet; vtilitate & honeſto. Se Arretinis, quos Cæſar foueat, ideo bellum intuliſſe, & iam obſidione premere, quòd Guelfos nobiliſſimam Ciuium partem pepuliſſent; Nullâ aliâ causâ, quàm quod nomine ac coloribus, non côuenirent. Si tolli iniurias, & ſeditioſos coërceri, Imperatorij muneris ſit, quâ gloriâ Cæſarem fore, vbi Florentinos pro innocuis præliantes ſubleuaſſet, & Guelfi Patriæ ſuæ redderentur? Cæterùm an ipſum totq; armatorum millia, intrà Vrbis mœnia, & priuatos parietes excipi, libertati habitæ, & pretio acceptę conducat; nunc in medio relinquere, cum tempore iudicaturos. Non enim optimi Principis modeſtiam timere; ſed barbaris nationibus expilandas domos, contrectandam honeſtiſſimarum fœminarum pudicitiam, ſpoliandas Delubra exponere, inconſultum credere. Neque donis Legatos, aut modeſtioribus literis Cæſarem molliuêre. Inerant quippe potentia; & non aſpernandæ, nouis exercitibus diſcribendis vires, quæ non minus Imperatorem, quàm Arretinos retinerent. Celebris eâ ætate Dantes Aldigerius poëta, cęcos conciues ſuos, fatuum Senatum dixiſſe fertur, quòd tempori, & occaſioni, minus congruentia reſpondiſſent. Paſſerinus Bonacolſus, qui tum rebus nouis, & fratris Botticellæ excidio ſtudere credebatur, apud recens electum Cæſarem, adhuc vacuum, præoccupare gratiam, donis ac literis nitebatur: impatiens fraternæ potentiæ, & deſiderio dominandi vecors. Verùm ſiue aperta vis fuerit, ſiue ſecreto & veneficio vſus, parricidium tentârit (non enim conſenſu traditur) Botticella fato conceſſit, cum paucos ante dies Azij Eſtenſis finem, vt hoſtis, lætitiâ excepiſſet. Cum enim exceſſiſſe vitâ Azium certi nuncij detuliſſent, ducto è præcordijs ſpiritu, tum primùm integrè degere reſpondit; cum tamen febrilis æſtus deliteſcens medêtes non falleret. Obuerſus quin etiam in Paſſerinum, caueri Gonzagos monuerat, præſagio futurorum: quæ pereuntibus, Principibusq; ſæpe innoteſcunt. Manebant tum etiam veſtigia morientis libertatis; Senatus, Magiſtratuum, Iudicum, vana nomina; ſed populi libertas nulla, niſi Capitaneo vt ſupremo adminiſtratori placuiſſet. Paſſerinus (qui nomine Rinaldus erat) quamquàm promptam poſſeſſionem, cunctos voto annuentes, amicos ſibi vicinos, pecuniam ac potentiam videret; cohoneſtandam tamen cauſam ſuam, electione, ac conſenſu procerum ſpecioſum ratus, cogit Senatum. Verba edicti fuere pauca, & ſenſu permodeſto; fraternæ adminiſtrationis rationem redditurum, quando ille fato præuentus exceſſiſſet. Sequenti affuêre Patres, & Paſſerinus vulgari ſede vſus, inane Capitanei ſolium obiecit; tamquam immitti aut eligi oraret; mox excepit: Decedens Botticella frater; P. C. vt pecunias è publico non reliquit; ſic nec in quos vſus inſumpſerit ſcripto firmauit. Credebat integerrimis, conceſſam adminiſtrationem, Senatus arbitrium, probatam vigilantiam ſuffectura; perditis nihil ſatis ad probandâ virtutem eſſe. Si qui tamen veſtrum, non fidei, non

Botticellæ mors.

caritati

caritati fidunt; repreſſos Eſtenſes, Cremonenſes hauſtos, Pontificem obſtrictum, accolas fęderatos æſtiment; quæ non niſi bonis artibus acquiruntur; & omnibus pecuniâ opus. Auctoritate vſus eſt fateor; nec tamen vt perderet, aut mergeret Rempublicam, ſed quòd præcipitibus conſultis, ratio tum conſtet, cùm celeritate ſuccurritur; futuri deliberatio eſt, præſentis executio. Quod partum eſt, Gonzagę exemplo, in Rempublicam abijt; veſtri milites habent, & Senatus arbitrio conſeruant. Impotentium querelæ non permouent; nam id vnum fidei monimentum habete, quod cum potuerit, hæredem tamen Reipublicæ non inſtituerit. Nihil quod in Patriæ vtilitatem flectatur nimium eſt; & hac vnâ pietate ſi quo deliquimus, excuſamur. Vacuum Magiſtratum implete; nouerint æmuli ſupereſſe Senatum; nec perditam illi potentiam, qui ſuſpectam, vt nimiam, conferre poſſit. Ille ſpectatis ante virtutibus (non enim Paſſerini vitia cum ignauiâ erant) ſumpto in maximis Reipublicæ neceſſitatibus, fortitudinis ac conſtantiæ experimento, haud quaquàm dubitauit. Ita liberum, ſolumq; Vrbis adminiſtratorem decreuêre. Quidam metu; quòd magnis amicitijs, ac vicinarum Ciuitatum conſcientiâ niti crederetur; quæ ambitu, pecuniâ, & quibus etiam honeſta comparantur, viuente fratre præoccupauerat. Primo ſtatim electionis die; vbi pudore ac modeſtia collatum Imperium accepit, verſa eius in plebem ſtudia. Non enim ingenium ac vis animi deerat. Siquidem multa à debilioribus amicis approbari, quæ noluiſſent, nouerat: Et plus in Primatibus inſidiarum, minus virium ſciebat; Populum confuſione ac tumultu, non conſilio non ratione vti, & pro arbitrio Domini impelli; neq; facti cauſas exigere. Hinc aperta ſubſidia, & vulgi ſtudia ex vſu credidit. Proinde plebem annonâ, inopes largitionibus, maiora ſperare iuſſit: velut ſingulorum tutelæ, non publici imperio acceſſiſſet. Vbi beneficijs plures obſtrictos vidit, valuiſſeq; apud ignaros ſimulationem; nobilium contemptor, victorq; communis ſeruitij, externa turbare magno conſilio aggreditur. Siue vt ſuetos alienis inhiare, aut rapinis exerceri, ad ſua tutanda impelleret, ſeu vt fortiſſimos & audaciſſimos Ciuium, eâ curâ auelleret. Non enim niſi per otium, aut leuia munia, iuſſa Principum interpretari, aut conſilia turbarum agitari ſolita. Patritijs vti vicinio volebat; vt obſeruarentur; ſed pręter inanem faſtum; & effigiem Domini fauoris nîl inerat; vim animumq; plebs, quamquàm publico amota, retinebat. Intellexêre Gonzagi, res vt erant potius, quàm vt videbantur: Simul domeſticas curas, imperantis ſeruitium, etiam valetudinem cauſati, expeditiones abnuêre: Non vt inſidias ſtruerent; ſed ne vilioris iuſſa acciperentur. Hinc ira, ſuſpicio, metus, vindictæ deſiderium Paſſerinum agitabant. Sed res in arduo erat; & tuti ſuis, ac ſuorum viribus Gonzagi, arbitrio non naturâ impoſiti Domini rabiem ridebant. Quod perſpectum Tyranno erat, crediditq; ſatis inuidiam expleuiſſe, ſi negligeret; & velut minores, quàm vt obſeruatione egerent, contemneret. Gonzagam tamen (quam nobiles è familiâ, indignantes apud Rempublicam videbant) ne conſilia repetendi ſecun-

Paſſerinus eligitur.

ſecundarent, nouo milite immuniuit; etiam impoſito filio, qui præſentiâ ſubditos in officio haberet. Si quos caritatem Dominorum hauſiſſe & veterem ſuorum adminiſtrationem cupere nouerat, aut Ciuitatis cultui addidit, aut diſſitis expeditionibus abſtraxit. Vbi Henricus Italiam tetigit, non illicò tamen ſecura pax affulſit; quibuſdam Ciuitatibus obſidionem ferre, alijs etiam oſtentatâ acie decertare auſis. Mediolanum à Vicecomitibus regium in morem poſſeſſum facilè ad Cæſarem vertit, qui familiæ nobiliſſimæ officijs, plus opinione cultus, eidem Vicariatum Imperij eâ in Ciuitate contulit, ſeiunxitq; à fortunâ reliquorum Ciuium; & viam ad Dominationem aperuit. Canem Scaligerum Veronæ, Gilbertum de Corregio Parmæ, ijſdem nominibus inſigniuit. Paſſerinus eorum fortunâ expergefactus, ne ſibi defuiſſe videretur, dum facilè negocium, Cæſarq; beneficio paratiſſimus offeruntur, Henricum Cremonæ inuiſit: Mantuam orat accedere, recepturum ſua, & fidem populi experimento habiturus. Sed aliò tendebat; vt confirmatione Imperij, per ambitum ac munera, ſtabilem poſſeſſionem Ciuitatis, oppreſſis Reipublicæ iuribus ſortiretur. Nulli enim quamquàm ſceleſtiſſimo, honeſtatis ac modeſtiæ ſpecies inuiſa eſt: amanturq; flagitia, quæ decoris nominibus induuntur. Imperator ſeu Bononienſes ac Veneti negocium faceſſerent; ſiue vt delaſſatum itineribus militem, affluentiâ Ciuitatis reficeret, ſiue vt amico obſequeretur, Mantuam venit, ingenti agmine nobiliũ, & pluribus Germanorum millibus ſtipatus. Neq; erat quod corrigeret, niſi depulſos libertate Ciues, & conculcatis priuilegijs (quæ iura gentium lacerant) reſtitueret. Equidem vis omnis in Paſſerino erat: huic Vectigalia & Portoria pendebantur; rationes redituum, annonæ, iuſtitiæ reddebantur, vt annueret; pax & bellum eo iubente tractabantur; nemine occaſiones, nemine cauſas anquirente. In quo ratio dominandi, & ſolida auctoritas conſiſtit. Iam enim etiam Senatus, & libertatis nomina, & exoſa, & cum diſcrimine erant; quaſi Paſſerinus imminueretur. Sparſi per Ciuitatem exploratores, cuiuſq; nobilioris ſermones excipiebant, quos in acta diurna referrent, ac domino traderent. Deniq; quæcunq; potentia ſuſpecta, non inulta erat. Paucos amęnitati Vrbis, & recreandis militibus dies Cæſar inſumpſit; dum Paſſerinus nullum obſequij genus omittit, quòminus fidem, munificentiam, gratum animum teſtaretur. Et quia cæteris Italiæ Ciuitatibus Imperiales Vicarios inſtituerat, idem Mantuæ executus eſt. Paucos ante dies, ſecreto ſermone Gonzagos detinuiſſe fertur. Qui non oppreſſam libertatem Patriæ, ne Cæſaris poteſtati detraherent; non expilatum ærarium, quòd multa in Imperatorem abijſſent; ſed ſuas iniurias queſti ſunt. Præ cæteris Aloyſius, cui Ludouico nomen, ſic fertur proſecutus. Plures anni ſunt inuictiſſime Cæſar, ex quo Gonzagi miſerrimę Longobardorum reliquiæ, Mantuano agro inſedimus: Poſtquàm Carolus magnus, Regnum, opesq; ademit. Ab Othone Ciuitatis huius Marchionatũ accepimus. Neq; maiores meos meruiſſe, quáquàm ipſe fateatur, dixerim; ſed ſummiſſione ac modeſtiâ, quæ aduerſus Cæſares æterna ſeruauimus,

Henricus in Italiam.

Et Mantuã.

Paſſerinum Mantuæ Vicarium Imperij dicit.

Aloyſij Gõzagæ oratio ad Henricũ.

Tenuêre

Tenuêre Aui mei breuiori tempore; nec ereptus ob flagitia, aut perfidiam in Dominos; ſed Mathildæ dono (quæ ſemper conſobrinis infenſa) aliò translatus eſt. Qui ſuperfuimus, veteris dignitatis retinentes, pro Imperatoribus, quàm pro nobis ipſis; pro Germanis, quàm pro Italis fuimus. Pugnauimus pro Cæſaribus, fauſtis infauſtiſq; ominibus: nec aliter quàm expletâ ſeruitio caritate in Dominos profecimus. Nulla nos tempora Pontifici, quàm Imperatori promptiores reddidêre; niſi olim vniuerſi Orbis motu abſtracti potius quàm ducti ſumus. Hinc facultatum ac iuriſdictionum non vna iactura; & amiſſis illi fruuntur, qui maximè Imperatoribus offecêre. Gonzagam Oppidum,noſtro nomine, viribus, opibus poſſeſſum, Bonacolſus ademit, Marmirolum Senatus detraxit, Bondenum adhuc alij, quàm quibus iure debetur, retinent. Paucula ad nos rediêre. Marmirolum imminuto, exciſo, ambuſto agro quidem domi eſt; ſed Capitaneorum, Iudicum, Ciuitatis imperijs, Ciuium auctoritate lacerum. Id ſolùm infęlicitati ac innocentiæ noſtræ euenit ex voto, vt tu Cæſar optime, Italiam omnem,noſtras iniurias coràm adſpiceres: Et quos nuſquàm interrupto obſequio fidos audieras; ſubditos, & longam ſeruitutem imputantes acciperes. Ij Gonzagi ſumus, qui toties pro Othonibus, pro Corradis, pro Federicis, pro Henricis, aduerſus vicinorum cōtumaciam, & implacabilem ſuis Mathildæ animum certauimus. Fortunis, & dominatione amiſsâ, ſeruitus hæc nobis ſtetit: Nec vitę ac ſanguini peperciſſemus, maiores noſtros, vulneratos, ſaucios æmulati, ſi Cæſarum gloria pretium fuiſſet. Proinde non alienas offenſas, aut Patriæ perniciem, quæ ærumnas noſtras onerant poſcimus: Tantùm quos tuos,quos fidos noſti, à potentiorum,& quibus ius vitæ noſtræ elargitus es, ſæuitiâ defende: Et quod antiquæ fortunæ reliquū fuerat, ſummaq; iniuriâ ereptum eſt, reſtitui iube. Agnouit Imperator ſtirpem Regiam, Germanorum affinitate, officijſq; nexam; dataq; meliorū ſpe, ſecuros omnes & immunes eſſe iuſſit. Et licet Paſſerinum Mantuæ Vicarium Imperij eſſe voluiſſet, quòd Senatus Principem, Arbitrumq; repererat, & à quo, vim auri ingentem acceperat, nec minus hoſpitalitate exceptus fuerat; dubitaſſe tamen ferunt, Bonacolſos an Gonzagos præficeret: horum veterem nobilitatem ac potentiam; illorum recentem introſpiciens. Præualuit ambitus; & magnis muneribus vis honeſto illata. Datis nihilominus mollioribus reſponſis Gonzagos erexit; ne Paſſerini quamuis Vicarij potentiam, plus ſolito æſtimarent, dum ſibi, dum patriæ, dum Cæſaribus officio ac reuerentiâ adeſſent, omnium ſecuri. Siluit de Gonzagâ, quam vnam Aloyſius ſpectabat; ſed fides addita potioris loci, & ſi res Italæ verterentur, maioris fortunæ. Henricus ſic obtemperantes Italos compoſuit;ſed mox in Cremonenſes Imperium abnuentes, magno exercitu profectus eſt. Quòd manifeſto Imperij deſpectu, vim opperiri, & belli diſcrimen ſubire vellent, pauci, egeni, deſolati reliquorum ſeceſſione, vt magno auſu clareſcerent. Nec tamen Cæſareas copias, aut impetum ferre, niſi duorum dierum nixu potuêre; ſed capti, & victoris arbitrio habiti ſunt. Placuit aduer-

ſus miſerrimos, & extrema exempla meritos, clementia; Tamquàm errore & ſtultitiâ, non conſilio aut fortitudine deliquiſſent; quæ tamen in ſummis deliberationibus requiruntur. Cæterarum tamen Ciuitatum monimento, mœnibus ſolo æquatis multati ſunt: iuſſiq; ſine murorum tutelâ, aliquot annos degere; non intus ſecuri, non alijs timori. Mox Brixiani occurrêre; non tolerando bello ſuffecturi: Sed foſsâ ac vallo, nec non ſuorum numero in ſuperbiam elati crediderant. Plures dies oppugnati, ſtrenuè Cæſareos arcuêre: Auſi frequentes eruptiones, non ſuorum vulneribus, non aſſiduo labore fracti, donec ſummâ commeatus inopiâ victi, pacto dederentur. Pari ac Cremonenſes pietate accepti ſunt: Licèt magnâ pecuniâ, honorem, & auitas opes redemerint: Vrbiſq; incendio temperatum, ſolâ mœnium ruinâ, quorum excidio non minus operæ ob firmitudinem, creditur inſumptum, quàm ſi denuò ſtruerentur. Foſſa per ambitum iniecto rudere æquata; vt ſi quando rebellaſſent, munimenti labor geminaretur. Studuerat interim Paſſerinus, quod domeſticis viribus ſibi deeſſe nouerat, externis amicitijs comparare; Cæſaris fauore prælatus, vt iam inter Principes cenſeretur. Sic obuios quoſq; per Italiam militis, aut ſubſidij, comparandæ aut recuperandæ potentiæ indigos, iuuit: collatâ etiam pecuniâ, vt plenam fidem ſuſpectantibus faceret; abſens ſi facilius crediidiſſet poſſe fallere; præſens, nec ſine diſcrimine, vbi magno documento opus erat. Sic Guido de Turre in Alberti gratiam Placentiâ exactus eſt: Iacobus Carrarius Patauium inductus; & Vicentia in poteſtatem redacta. Id Scaligeri animum altè perculit; & ſeu veteri odio, ſeu Ciuium æmulatione, oblata inimicitiæ retegendæ occaſio, auidè recepta. Querebatur non iniuriâ, non operâ negatâ, non conſilio, Paſſerinum hoſtilia induiſſe, reddituruмq; ſe in tempore inimicitiam iactabat. Contra Gonzagi cum publicè tacerent, ſecretè ac validè Scaligeros fouebant; palam abnuebant quæ mouiſſent, occultè admonebant, quibus artibus tutari ſua; aut Paſſerini ſpes interuertere poſſent. Vicinium potentia, vetus familiaritas, cauſæ erant: quibus auxilia & offenſiones haberi improuisè poſſent. Neq; tamen adeo fidi credebantur, vt res ſuas arbitrio permitterent. In perniciem Tyranni verti placebat, quò ignorarêtur. Fortè inſoleſcentem Paſſerinum amouere curâ, ſibiq; aut patriæ, reddere libertatem meditabantur. Id Scaligeri fauore promptum erat; qui haud diſpari ſuperbiâ, auctum res ſuas properabat; licebatq; vniuerſa in vnum flectere. In eandem operam adſciti Ciuium pleriq;, quos ætas, vireſq; incitauerant; vt foris tuti, domi contentiones mallent. Quod Paſſerino gnarum per exploratores, & vt auerteret, aut diuideret, iuuentutem, cui vis animuſq; inerant, aſſiduis pro vicinis expeditionibus, extra Patriam detinebat: ne per otium rebus nouis ſtuderet. Verùm etiam perdito Scaligero, Ferrarienſis potentia obſeruabatur, tamquam nimia, & niſi illico frangeretur, ſua quoq; in perniciem tractura. Sciebat viuere memoriam Botticellæ fratris; vtq; ille eadem ſtudia ſectatus, immeritis arma intuliſſet. Sed bellum aduerſus fortiſſimam gentem ſumi, inconſulto Senatu non poterat:

Paſſerini artes.

Ferrarienſibus inſidiatur. Senatu obſtrepente.

Vt

Vt annuentibus Patribus, populus delectum admitteret; & pecunia per Tribus exigeretur expenſis ſuffectura. Qui *conſilio* interfuerant, auſi ſunt cauſæ iniquitatem, fas conuentionum, ciuitatis arma perſtrepere; palamq́; dehortari Paſſerinum; ne quieſcentibus omnibus, ipſe prior turbas excitaret, Ciuesq́; odio vicinorum obijceret. Addebant, nullâ contumeliâ prouocatos Mantuanos, apud ipſos iniuriarum initium, & luctuoſum belli finem fore. Iactum cum Ferrarienſibus olim fœdus, niſi cum periurio effringi, & totius Italiæ inuidiâ violari poſſe. Pro Romano Pontifice ipſos teneri, quem alienis abſtinere certum ſit. Nec deteri Eccleſiæ potentiam, ſed gliſcere debere; cuius patrocinio cæteræ Prouinciæ innitantur. Valuêre hęc, quòd eſſent, viderenturq́; fortiſſima. Nec Paſſerinus effronti audaciâ, totius populi voluntati obſiſtere, aut inuitis Patribus, ſcelerata arma contrectare auſus eſt. Certus tamen conſilij; ſiue admonitus, ſiue literis rationes edoctus, diuidere & ſeparare potentiam, irrito euentu coactus eſt. Quippe Menaboui exuli Ferrarienſi; cui ſuæ in Ciuitate partes, ſuæ cõſanguitates erant, tacitè auxilia pollicitus eſt: Nec pecuniâ ſolùm, ſed & milite iuuit; vt ipſo longè proſpectante, ſatelles perfidus, ſeditioſum Patriæ bellum inferret. Ferrarienſes Menabouis contumaciæ ſecuri, Paſſerini artium ambigui, multò ante, quàm aduentaret hoſtis, Ciuitatem commeatu, ac milite inſtruxerant; & delatæ profluenti Pado claſſi, obuij proceſsêre. Multæ nauium in prædam ceſsêre. Quaſdam eluctatas profundum hauſit; aliæ littori appulſæ, inanes ad Ferrarienſes deuenêre. Copiæ quæ vehebantur, aut in pugnâ cecidêre; aut cum captiuitatem, terreſtri fuga vitare niterentur, interceptæ. Magna (etiam Ferrarienſibus, qui res ſuas modeſtè exponunt) clades fuit. Cum Quadringenti deſiderati, Centum octuaginta Ferrarienſem triũphum inſtruxiſſent. Potiores in acie ac vinculis Mantuani erant; Quòd exules pro ſalute, Mantuani etiam pro honore certaſſent. Mollius tamen in Senatu Paſſerinus iacturam proſecutus eſt: addiditq́; in ſubditos querelas, quòd iniuſſu ſuo ac Senatus, exuli alieno operam, inhonoro exitu accomodauiſſent. Et quò ſinceri animi ſpeciem offerret, diſſentionum inter Menabouem ac Ferrarienſes medius acceſſit. Pauci credidêre: Ferrarienſes etiam fidere auſi ſunt; quòd aſſimulandæ veritati Paſſerinus conſtantiâ vteretur. Senatus, fidem in flagitio habuit; profeſſionem exitio. Sed ferè potentia auctoritatẽ in conſilijs, quamuis ineptis habet; turpi aſſentatione ſuetis famulis, omnia in virtutem flectere; & fatum, fortunam, ſydera, quàm Domini imprudentiam accuſare. Tyrannus etiam perſuaſiſſe crediderat; vulgato Principum errore, impoſſibilia eſſe, quæ noluiſſent. Ad fori medium Paſſerinus Aloyſium Gonzagam obuium habuit, filio ac famulo comitatum. Et (quia quem oderat, æſtimabat tamen) conuerſus, amicum ſaluere iuſſit. Aloyſius ſalute redditâ, ignaro proximus ſubſtitit. Tum Paſſerinus. Certè Aloyſi, quod de te Patria queratur habet: quando tot aduerſis conflictata, prouectiorem Gonzagam, non operâ, non conſilio vtilem experitur. Riſit Aloyſius, & verè infęlicem profeſſus eſt; tot Senatoribus

Tamen ſecretò exequitur

Eius cũ Aloyſio Gõzaga ſermo.

ſeruatam, & Capitaneo inſuper, adhuc ſubſidij egentem. Quid enim de nuo emerſiſſe, cur nouis adminiculis fulciatur? Tum ille flagitium ſuorum teſtatus, nexuit excuſationes, quaſi inuito, ac neſcio, in luctuoſum certamen, Duce exule deſcendiſſent. Aloyſius ſemoto à turba Paſſerino in aurem, elatâ voce ſuſurrauit: Talia Capitaneo, & ignorari dum tranſiguntur, & permittere flagitium habent: Melius Gonzagos, qui non Ciuium, non Senatus culpâ accuſantur agere. Auxilio Patriam non egere; nec credere; niſi requirat. Sed eam temporum conditionẽ incidiſſe, vt ad Rempublicam accedere, pro ancipiti habeatur. Et ſtatim proripuit ſeſe; tamquàm feſtinatione vrgeretur. Nec tamen impoſuit; ſed familiæ ſpes, quas multò ante reputauerat, pro veris habuit. Abſente Cæſare pax fermè per Italiam Pontificis auctoritate habebatur. Et periculoſum turbare erat, niſi cauſæ euidentia perſcriberetur. Aliàs Romanum Prçſulem aduerſum, nouatores experiebantur. Vbi mors Pontificis certis literis ab Vrbe delata eſt, exiluiſſe Paſſerinũ præ lætitiâ ferunt: ſiue pietate ac prudentiâ Senem odiſſet, ſiue deſtinatis iniquum crediddiſſet. Neq; patres plebemve conſuluit, occupandæ potentię; ne magnorum operum commendatio alijs imputaretur. Duo peditum millia, equites Quadringenti, Reipublicæ ærario alebantur, domi foriſve; præſidio, aut bello ſueti, quòd Capitaneus imperauiſſet. Itaq; accelerat â expeditione partem ſecum rapit; pars ſeruare Vrbem iuſſa. Sequenti die patuêre conſilia; nam Vitellianam inuaſit, nobile Cremonenſis ditionis oppidum, ad Padi ripam; quodq; duodecim hominum millibus habitabatur. Inerant Pontificij milites cuſtodiæ: Qui repentino tumultu pauefacti; nec adhuc gnari, quæ hoſtium multitudo; paucine, an vniuerſi accolæ irrupiſsẽt, ceſsêre. Et Mantuani quidem Oppido ſine ſanguine potiti ſunt, intactæ tamen Ciuium facultates; tamquam habituri, non populaturi irrupiſſent; & ne exemplo ſæuitiæ, publicum odium pararetur. Scaliger Paſſerini audaciâ, & promptæ ad quæcunq; agitauiſſet fortunæ metu; etiam querelas diſtulit. quamquàm enim pars Veronenſis agri Oſtilia haberetur; Pontifici tamen bellorum ac pacis arbitro, per proprium militem ſeruabatur. Niſi credita ad Ferrarienſes ſpectare. Mox in Parmẽſes, quò rapinis ac lucro animaretur exercitus Paſſerinus inuectus: Et ſuperioribus copijs octingẽtos addiderat; ne paucitate temnerentur, quibus ſe tria hoſtiũ Gilberti Corregienſis millia iunxerant. Receperant ſe pleriq; munimentis Ciuitatis, famâ minitantis exercitus depulſi. Sed oppugnationem ac vim attentare, vanum nec profuturum credebatur. Placuit clauſos, & interclufo commeatu, vexationibus elicere; etiam deditionem ſuadere, vt arbitrio victoris vniuerſa Ciuibus ſeruarentur. Gilbertum Vrbe arceri ſatis habuit Paſſerinus; cui plerię; eo tractu iraſcebantur; & ipſe malè fidum ſibi opinabatur. Cum ad ſua ſocij regrederentur, non nihil flagitij admiſſum; & prædæ partum; Quæ omnia conceſſit Tyrannus: ne conſuluiſſe videretur. Et ſatis exiſtimabat, ſi parte victoriæ vſus, quòd reliquum amicis acceſſiſſet. Sic promptos occaſioni, ac voluntati futuros nouerat; & apud ſocios iubere tantum ſcelera, prohi-

Vitellianam occupat.

Gilbertum Parma exigit.

prohibere non poterat. Adeò corrupta in licentiam, petulantiamq; ea tempora fuêre; vt dimicationum non alia cauſa prætenderetur, quàm fæderatorum libido, & impunitas prædandi. Totâ Italiâ inteſtinis diſcordijs concuſsâ, & nobilium familiarum plerisq;, potentiam ſibi, per aſtum ac vim procurantibus, Iacobus Caualcabous, Cremonæ poſſeſſionem, minorem quàm vt cupidini ſatis eſſet cauſatus, Brixiam quoq; ſibi per fraudem, & additâ quorundam conſcientiâ adiunxit. Neq; acceſſione nobiliſſimæ Ciuitatis expletus; etiam Mantuam reſpiciebat. Paſſerinus quòd ſingulorum fortunæ rapto proficerent, Caualcabouis comminationes, nullo referente præuidit. Et, tamquam non intelligeret, conatus hoſtiles præuenire ſtatuit. In commilitiū atq; adeo prædarum partem, aſſumptus Canis Scaliger, Veronæ Dominus. Iunctisq; copijs Cremonenſem agrum irrupêre. Segetes, fructus, iumenta, deniq; quidquid aſportari potuit, ereptum eſt; ea Paſſerinus fomenta petulantiæ appellabat. Et cum oppidorum, ac Villarum pleraq; ad Scaligerum, Caſale maius, non obſidium tolerare, non leues excurſiones auſum, ad Mantuanos defecit. Modeſtia pro munimento fuit; iuſſis Mantuanis, & licentiâ & rapinis abſtinere, quò mite imperium doceret; & poſſideret inexhauſtos. Dum Cæſareus exercitus, infeſtis armis Hetruriam, Regniq; Neapolitani expeditionem meditatur. Genuenſes eiuſdem Regni littora, igni ferroq; perdunt; per Longobardiam varij Tyranni ſibi quiſq; dominationem, vi, ambitu, aſtu, pecuniâ comparant, ſuprema dies Imperatori aduenit, quam graui morbo, & mutatis frequenter ſedibus excepit. Veneficium ſacratæ hoſtiæ (cum ſe langueſcens, eâ vitalitate ac religione fouiſſet) accuſare iniquum crediderim; licet Germani meminerint. Indoluit tota Germania, quiq; per Italiam, officio in ipſum certauerant, magni Principis facto. Tanta illi comitas, fortitudo, ac prudentia erat; beneficio facili, & vix magnis iniurijs prono in vindictam. Quidam voluptatibus corruptum, auaritiæq; tradidêre. Sed præualuêre virtutes, vt ſi quod vitij erat taceretur. Ferrariam tum Rinaldus & Obizus fratres, bonorum communione tenebant. Matthæus Vicecomes Cæſaris amicitiâ ac tutelâ, Mediolanum iam non Vicarij, ſed Domini titulo habebat. Hinc plures Pontifici ac Cæſari bellorum cauſæ; ſiue cuiusq; propria raperentur; ſiue populorum, amicorumq; iniurias ægrè ferrent. His enim conuelli Italiam, & potentiorum arma prouocari nouerant. Ioannes Viceſimus ſecundus, tum Pontificatum, inter ancipitia & amicitiarum incerta nactus fuerat. Ergò innatâ facilitate, (non enim aliud in ſancto homine accuſares) componit ad Italiæ proceres literas, in hunc ſenſum. Se rerum arbitrum Chriſtiano Orbi à Deo impoſitum, vt prudentiâ ſuis ac exteris, pacem quietasq; res ingereret. Perniciosum cuiq; eam contemnere potentiam, quam à Numine acccepiſſet. Totam ſibi deberi Italiam, quam olim Conſtantinus, demum Carolus, poſtremò Reges, ac Mathilda conceſſerint. Nec ideo tamen aſperioribus inſtanteni, ſtatim arma intuliſſe; aut per vim repetere, quæ ſe in pace habiturum confidat; ſed præcepto vſum; cui credat vniuerſos obtemperaturos. Illi ſupre-

Caualcabous Brixiam capit.

Paſſerinus in Cremonenſem.

Henrici mors. 1313.

Ioannis Viceſimi ſecūdi ſpes inanes.

mi Pontificis potentiam, ac modeſtiam æſtiment, vt ſibi mutuò congruant.
Iam non ſemel laceratam à Cæſaribus Italiam; Satis ſuperq; Tyrannide po-
tentiorum peccatum: niſi minori nomine ſi qui ſunt; eandem viam ingredi
velint. Se cunctis ex æquo leges ac iura dicturum, quibus pace ac bello vte-
rentur. Non præteritorum, non præſentium vllam fore memoriam; ſed no-
uæ poteſtati, nouum animum inducturum. Neq; in paupertatem Principes
Italos detrudere, ſed eorum quæ habeant immunitati conſulere, vt quæ tu-
tari infirmitate nequeunt, Sedi Apoſtolicæ concedantur: Oneri multa eſſe,
quæ non niſi exterorum opibus ſeruentur. Mox Galliæ, ac Neapolis Re-
gum, Genuenſium, ac Florentinorum cõſcientiam, ſibi eſſe teſtatus eſt: Quę
ſeu vera, ſeu falſa, in ſecreto habenda erant. Vicecomes, Paſſerinus, Caual-
cabous, Scaliger; quiq; arte non abſimili, potentiam ſibi parauerant; riſê-
re boni viri ſimplicitatem. Plura à ſingulis eorum poſſideri, quàm Roma-
nus Pontifex in pace teneat, iactantes. Sed & Vrbe in ipſâ, pauciores Guel-
fos, plures Gibellinos numerari, qui non pro Eccleſiâ, ſed pro Imperatore
ſint arma tractaturi; & ſi ſocij offerantur, turbas in pace mediâ ſuſcitaturi.
Ad vanitatem accedere, iactatâ potentiâ quæ deſideretur, pace & pacto ina-
ni, ea concedi poſtulare, quæ rei familiaris, vitæq; diſpendio petita ſint.
Conceſſas Italiæ partes, multis Papæ indultis, inueſtituris, donationibus; eoq;
ferè in priſtinum redijſſe: Sic inter bella ciuilia, vel occupantis eſſe, vel eius
cui Cæſar tradidiſſet. Egere adminiculo Pontificem ipſum, vt vacuam ha-
bitatoribus, nudatam adiacentium populorum ornatu, euerſam, exciſam,
incenſam, omnium (niſi quæ aliunde adueniant) egenam Vrbem poſſideat.
Longobardorum Proceres hactenus in commune, aut cui res ſuas commen-
datas velint, non conſuluiſſe. Nunc quando vniuerſa bellorum incendijs
deflagrent, nullum certius quàm à Cæſare auxilium haberi poſſe; cuius Ita-
lia ſit, viribus ab externorum cogitatione ſecura. Ioannes vbi ſe præter
opinionem deſeri, & velut inutilem negligi vidit; in Cenſuras Eccleſiaſticas
prorupit. Quæ Sedis Apoſtolicæ contumeliæ, vt & cætera quæ ante tenta-
uerat, in irritum cecidêre. Reiectis Pontificis comminationibus, Viceco-
Paſſerinus icit fœdus cũ alijs Tyrannis. mes, Paſſerinus, Scaliger, Caualcabous ac minorum nonnulli, Cæſarem pa-
tronum, & Longobardiæ omnis Dominum, cui obſequium ac ſeruitus de-
beretur, profeſſi ſunt: Simul Pontificem, quiq; Guelfæ factionis eſſent, ho-
ſtes dixêre. Dux omnium Canis Scaliger delectus, qui obſiſtentibus occur-
reret, cunctorumq; commodis ex æquo proſpiceret: magno in ſpeciem ap-
paratu, ſed rerum inani, ſi occaſio proferendarum virium inceſſiſſet. Non
enim Imperij ratio; non Guelfi aut Gibellini, niſi ex vtilitate ſingulorum
æſtimati; non ſeruare ſua, ſed aliena rapere cogitabant; datis paulò poſt
animi manifeſtis inditijs. Quippe Scaliger auctoritate cui aſueuerat, Pata-
uinos irrupit, Ciuitatis cupidine; non vt Cæſari acquireret. Par animus
Paſſerino, maiores vires, prouiſus, & in hos vſus collata, vberior pecunia
erat; quæ plus virtute poteſt. Tenebat Mutinam Franciſcus Mirandula-
nus. Hic ſiue proprijs viribus diffiſus, ſiue odij Ciuium certus, quod eripi

ſibi

ſibi nullo negocio poſſe cognouetat, anxijs Bononienſibus offerre ſtatuerat. Hos miſſis epiſtolis docet, ſuâ in manu eſſe, cui Ciuitatem permittat, traditurumq́; , ſi certo auri pondere penſaretur. Illi occupandæ fortunæ ignari, dum diem de die proterunt, & ſummæ pecuniæ, aliquid detrahere morâ cupiunt; benè agendæ rei occaſionem elabi paſſi ſunt. Paſſerinus enim, cui multò ante perſpectum fuerat, optimè pecuniam quamuis immenſam, pro modicâ dominatione erogari, nîl cunctatus, Mirandulano pretium quod petierat pollicetur. Addit promiſſa, & nauatæ operæ gratiam non vulgarē recepturum. Ille auaritiâ, cuicunq; lucro paratus, Ciuitatem ſiue ſuam, ſiue alienam, accepto auro, quod per Paulum Lornum ſecretò tranſmiſerat, Paſſerini militi conceſſit. Quam fidiſſimis & fortiſſimis inſedit, ne malè parti Dominij poſſeſſio, non in longum foret. Idq́; Milleſimo tercenteſimo, decimo ſeptimo. Quinquaginta aureorum millia fuiſſe quidam volunt; magnum haud dubiè furtiuæ rei pretium, nec duraturæ. Cæterùm ne auiditate potiùs, quàm in Cæſaris gratiam, munitiſſimæ Ciuitati inſidias ſtruxiſſe, & vim intuliſſe videretur, ſpecioſo titulo rem adornat, Vicarium ſe Imperij ferens, & pro Imperatore ſeruare. Miſſi etiam Legati, ſeruitutis, & obſequij ſpeciem, muneribus teſtati ſunt. Addit, ſe officio quod accepiſſet, pro virili inſiſtere; ne aliorum negligentiâ Imperium labaret. Pariter non voluiſſe alienam ſecordiam Guelfis prodeſſe. Nam venali Ciuitate, facilè Pontifex, Veneti, aut Florentini potiti forent. Nunc ius, faſq́; Cæſaris in integro, ſe cuſtode eſſe. Et quâ promptitudine pecuniam impēdiſſet, etiam ſanguinem daturum fuiſſe, quando ita partibus expedire cognouiſſet. Tenere pro Imperio Ciuitatem, pecuniâ, & ex fide partam, quamq́; ſibi eripi non metuat. Neq; ignauiâ nunc torpeſcere; ſed Mantuanorum præſidio firmatam, non ſuæ magis, quàm Cæſareæ iuriſdictionis anxium. Sic aliorum prauas ſpes infringi; vbi nihil negligentiâ ſolutū deprehendiſſent. Imperator quamquàm fingi hæc, & diligentiâ quæſitam Paſſerino potentiam cognoſceret; orationis tamen lenocinijs, & donis emollitus, nihil de causâ; perfidiam niſi capto experimento iudicaturus. Accedebat ipſe continuis ſermonibus, Imperium, Cæſarem, precariam poteſtatem, & ſuperiori debitam perſtrependo: Velut coactus tam magna præſumpſiſſet. Siquidem non per Italiam ſolùm, ſed apud Germanias quoq; nouerat; quibus nominibus circumferretur. Nec aut acriorem in eluendo, aut ſilentij contumaciorem eſſe decebat: Illud agnito crimini, hoc ignauiæ dabatur. Si quid in ambiguo erat, quod proferri, aut ſileri expediret, per ambages tranſigebat; ignorationem, aut imparem prudentiæ animum effingens. Valuit penès nonnullos ſimulatio, vt virtutibus ſuffragarentur, tuereturq́; criminum, quibus paſſim vrgebatur. Priuatam Tyranni non ſolum, ſed cæterorum quoq; audaciam, impunitam, aut mollius interpretatam, conditio temporum reddidit; quod inter Ludouicum ac Federicum de Imperio diſceptaretur. Verſis enim ad internas diſcordias Germanis, facilè Italis fuit inſoleſcere; aut certè ſpecioſo Imperij titulo, rebus ſuis ex neceſſitate, aut oc-

Emit Mutinam à Mirādulano.

1317.

caſione

introſpiceret, Diplomatis per Longobardiam miſſis, Vicecomiti Mediolanum, Paſſerino, Scaligero, ac cæteris, quæ poſſiderent, concedit: Dummodò Cæſarem Dominum, & beneficium faterentur; & inimicum Pontificem, Guelfos per Italiam ſeminatos coërcerent: Ne pace habitâ, ſtimulante Leopoldo, impellente Gallo, etiam hac parte bellum ingrueret. Nec exiſtimatio fefellit: Dum enim irritis conſultationibus, Pontifex, Gallus, Leopoldus, ſpecioſa quæq; ſibi effingunt, Longobardia pro Lodouico, & tota ferè Germania erat. Hoc motu rerum, clades & aduerſa nobilibus Mantuanis à Tyranno euenêre. Andreolus Campedulus, Ioſeph Caſtelbarcus, Boninus (familiam non reperi) & Ioannes Andreaſius; quando Paſſerinum externæ curæ, minus internis prouidere concedebant, de repetendâ per bonas artes Patriæ libertate, Cæſaremq; auctorem habere, pernicioſo ipſis conſilio agitarunt. Magnitudo negocij præſentiam requirere viſa: Neq; minus nouerant, Imperatoris conceſſionem Ciuibus acceptam fore. Sed vt inſcijs Patribus tam magna tractaſſe non viderentur, maiori fide, quàm prudentiâ, quid molirentur nonnullis detexêre. Et haud dubiè potentia Reipublicæ apud Tyrannos in Paſſerino finem accepiſſet; niſi auerſata Numina libertatem; aut exemplo, in Gonzagos abire voluiſſent. Detecta coniuratio, quamquàm de auctore taceatur. Et Paſſerinus non in facie Vrbis, tamquā aduerſus Patriam decertaret; non intra domeſticos parietes iniquum ſibi animum vltus eſt; ne ſuſpicionibus carperetur; ſed iam Alpes ingreſſos, à ſatellite Cæſaris comprehendi, & ad vnum omnes iugulari iuſſit. Præuenerat apud Dominum munere ac officio; detuleratq; vt ſibi, vt Imperio, vt Patriæ hoſtes. Fruſtra à ſuis expectati menſes aliquot ſunt: Nec queri licebat, ne confeſſione flagitij, honeſtum exitium probaretur; aut (quod ęquè pernicioſum erat) ſine commeatu exceſſiſſe Patriâ faterentur. Intus mœſtitia, & haud dubia ſuſpicio de Paſſerino erat. Donec clarius erupit; vbi nuſquam comparere viros, & nec Aulam attigiſſe nunciatum eſt. Indignari ac meminiſſe in poteſtate erat: quantacunq; vindictæ agitatio, incerta, periculoſa, metu ſæuitię, delatorum, & potentiæ. Id tamen Bonacolſo finem acceleraſſe inditio eſt, illigato Caſtelbarci germano, amicitiâ primùm, mox conſanguinitate Aloyſio Gonzagæ; & tractis in partes Andreaſijs, quibus modico diſcrimine cōparatio virium & exiſtimationis erat. Acceſſerat interim magna Imperatori commendatio, apud exteros & ſuos. Cum enim iugulandum ſe Federicus exiſtimaret, vt cæſo hoſte, æmulatus vaneſceret, Ludouicus captiuum poſt meridianas epulas, duobus comitantibus inuiſit; eo ſuſpenſo, & quid pararet formidante: Spes tamen ſalutis affulſit, vbi venire Cæſarem delatum eſt; veteri & laudato Principum inſtituto; nunquàm niſi cum beneficio accedere. Ergo Ludouicus ſic orſus eſt. Plures anni ſunt Federice, quòd habitum ſemel Imperium, laboribus & ſanguine eluctatus retineo. Nec quamquàm vitæ tuæ ius omne in meâ manu ſit, quietus dego; illinc Leopoldi fratris tui temeritate laceſſitus, hinc pietate in Principem, captiuum an hoſpitem appellem ambigo. Poſſem ſęuitiâ,

Paſſerinus nobiles Mantuanos Cæſarem appellātes iugulat.

ſæuitiâ, & in tumultuantem exemplo prouidere: Sed abſit vt in ore omniū, meæ crudelitatis memoria verſetur, norintq́; poſteri clementiæ gloriam, nobiliſſimâ occaſione neglectam. Non ego immanitate dubijs rebus meis conſulturus acceſſi (quæ iam magnâ victoriâ in tuto ſunt) ſed vt vtriq;, nobili aliquo facinore noſceremur; magnanimitatis ego, tu conſtantiæ exemplo. Si ipſe metuerem, non te priſtinæ libertati reſtituerem; & ſi deſpicis gratiam; gloriam inuides, quam fortuna non aliter obtulit, quàm quòd meruerim. Cum honore dimiſſus, inimici (ſi eo nomine cenſeor) fortitudinem, clementiam, approbabis. Beneficij immemor, ſi nouas turbas, noua arma ſuſcitaueris; vt nec viribus diffido, ſic tota me Germaniâ pietate; Federicum ingratitudine memorabit. Nimis apertum ad gloriam, conculcandamq́; inuidiam mihi iter eſt; vt ſupra obtrectatorum perfidiam quieſcere poſſim, & pro me decertantem conſcientiam generis humani intueri. Non potes Federice, non vinci; neq; cùm gratiam abundè retuleris, Principatum, honorem, facultates, vitam, reddere. Nîl ex te amplius requiro quàm vt omnia, quæ iure victoriæ amiſeras, donum te meum habuiſſe cognoſcas. Obſtupuit Federicus; cumq́; hoſtem potius quàm amicum experiri credidiſſet; ſic excepit. Si fortitudine Imperia deberentur, dignus eram Cæſar, quem tibi aduerſantem, proſperiora excepiſſent; Si virtute, dignus es cui quidquid iuris habeo concedam. Plus me tibi clemētia, quàm victoria ſummiſit: Fermè etenim victoria bello, virtus animo dominatur. Nec ego quamcunq; ſortem horreſcerem; vt qui proſperis innutritus, non minus quàm aduerſa diſcriminis habere cognouerim. Incolumitas mea tibi, quàm mihi pulchrior futura. Nec tamen quamquàm viliſſimam habeam; in gloriæ tuæ iacturam proijcere, aut aſpernari volo. Sim minori nomine; dum tibi exiſtimatio, ac pro ingentibus meritis fama accedat. Scio Pontificem, Gallorum Regem, Leopoldum fratrem auxilia polliceri; Sed quo animo tu magnanimitatem, ego temperantiam exercebo. Satis mihi vindictæ, ſatis auxilij collatum eſt: Nulli tamen plus quàm tibi debeo, qui non oratus, ſed laceſſitus ignoſcis. Neq; amplius aut vitâ quam reddis, aut Imperio, quo tu dignior es, egeo. Fratrem aut caritate excuſabis, aut niſi tumultuari deſierit, à meâ causâ ſeparabis. His tranſactis, & petito ſacramento, dexteras miſcuêre. Demum comitatu Principum virorum inſtructum, dimiſit incolumem: licèt Leopoldus non fratris beneficio, non metu, ſuperbiam deponeret. Sed maximarum virtutum ea conditio eſt, vt quamuis promptè exerantur; poſſeſſorem tamen, vbi reluctanti animo exercentur, in perniciem trahant. Non aliter, quàm labore ac nixu virtus æſtimatur; & in facili vitia ſunt, libidini mentis, voluptatum affectibus conſonantia. Ita Federicus vbi ad ſuos delatus, Ducem ſe tantùm, Ludouicum ſummo Germaniæ conſenſu Imperio potiri vidit, præteritorum memoriâ, & aduerſæ fortunæ ictu ſaucius, angore animi, paucos annos libertati addidit; dolore, irâ, gratitudine, ad extremum magnitudine beneficij, cui reddendo impar eſſet, confectus. Leopoldus ſorte fratris, modicis rebus ſuis, plus ru-

Ludouicus captiuū Federicum dimittit.

morum

morum minus potentiæ adeptus, modico vitæ interuallo extinctus eſt, maiori fortitudinis, & inuicti animi. Exolutæ eâ quiete Germanorum, militiæ laboribus, duæ equitum Mantuanorum alæ; quas ductore filio Paſſerinus miſerat, iam ad Ludouicum translatâ fortunâ; ſed in ſpeciem obſequio; vt Imperio vtilis Mantuana res, tali Rectore crederetur. Didicerat à fratre, non labori, non vigilijs, non expenſis parcere, quibus habita potentia retineretur. Decertantibus Germanis, ſpecies pacis Italis inceſſerat; leniori malo quod ipſi ſibi parauiſſent credito; quàm quod exteri intuliſſent. Etiam Mantuæ intermiſſa æqui cura, formam libertatis quandam intulerat, vt cuiuis pernicioſæ; ſic vulgo commendatæ. Certè diſtractus cogitationibus proferendi Dominij Paſſerinus, rem Vrbanam neglexerat: Nec enim, in plura ac differentia animus eâdem vi intendit: Et ferè domi clarus, externa negligenter exequitur; ſtrenuusq; familiaribus indomit. Nec id ignorauerat Paſſerinus, ſed cum bellicis artibus ardeſceret; ne Ciuitas ſine Rectore eſſet, orauerat Senatum, vt in laborum partem, integerrimum Ciuium aliquem acciret, qui ſumptâ poteſtate, eodemq; nomine, Annonam, Iuſtitiamq; curaret. Abſtinuerant Patres; ne imminui ſibi potentiam Capitaneus crederet; aut vt impar vtriq; diceretur; ideoq; ſubſidij egêre. Etiam deſignandi ſpiritus formidabant; ne abſente Domino tolleret vulgum, & quod aduerſus potiorem tractauiſſet, innocuis ciuibus imputaretur. Neq; tamen ad manus erat, quem præficerent; niſi in Gonzagos vertiſſent: Horum aliquem aſſumi, longius ab Vrbe ſecretum; & tacitę cum Paſſerino ſimultates præpediebant. Accedebat & è familiâ difficultas, an eum Magiſtratum libens obiret, quo æmulo ſubijceretur. Expeditionum frequentiâ abſtracto Capitaneo, liberum Patribus fuit, tentare quod cęperant, & Gonzagorum animos reſerare. Sed ea nobilis familiæ celſitudo erat; vt nemo otium irrumpere, & ne preces quidem offerre auderet, metu offenſionis; quam potentiores non iure, ſed arbitrio æſtimant. Obtulit Carolus Andreaſius operam, familiaritate ac fide Aloyſio cognitus; dilatumq; in ſequẽtem Decretum, donec voluntas perrumperetur. Profectus Marmirolum Andreaſius ſolitâ ab Aloyſio ac domo comitate exceptus eſt; & vbi data ſecreti copia, his fermè verbis vſus. Magiſtratus, interioremq; Senatus potentiam Aloyſi, alij obiectis, honore, vitâ, opibus in diſcrimen, ſectantur; renuunt alij, & contemnunt, vtriq; magnitudine animi, & profeſſione gloriæ. Decertantium aliquem errare neceſſe eſt; aut profundo abditam veritatem, vtrinq; probabiles cauſas obijcere. Si priuata vtilitas cuique, & quæſtus ex Dignitatibus ponderentur; haudquaquam tantum meruêre, vt diſijcere ſecretum ſecuritatemq; valeant; quibus ferè qui petendam Rempublicam abnuunt, innituntur. Sed bonum publicum, ſalus patriæ, gloria ſtirpis ſuæ, potiora ſunt, quàm vt leui otio poſtponantur. Etiam rerum ſuarum iactura, benè commodis Reipublicæ penſatur. Hinc magnarum animarum prodigos, Patriæ beneficio, æternitati viuâ recordatione ſacratos, Curtios, Mutios, & tot Exercituum Legatos habemus; qui ſeſe deuouêre.

Paſſerinus rem Vrbanã negligit.

Carolus Andreaſius Aloyſium hortatur recipere curam rei Vrbanæ.

Quin

Quin Aloyſi Mantuam regreſſus, tuis te Ciuibus oſtendis; doceſq; ruris amœnitatem ſectantem, parem Orbis adminiſtrationi eſſe? Meritò requirit Patria, quæ vel alumnos ſuos nunquam auerſata eſt; vel leuiori iniuriâ deliquit, quàm vt ſupplicem abſq; ſæuitiæ notâ poſſis reijcere. Num te exulem dixit? nequaquam; & tamen, Furios, Curiolanos, Scipiones, Cicerones cædentem Patriam amplexatos, cum laude ſcimus. Maius ne aliquid conferre potuit, quàm Imperium? Et tamen & contulit, & ſeruauit. Nunc portentoſo ſtatu rerum Poteſtatem deſiderat; fauſto nomine, ſpe maiorum: Quando Paſſerinus, ſæuitiâ, ſimulatione, ſuperbiâ, inuiſus eſt. Sed minus eſt Poteſtatem eſſe, quàm Dominum; Fateor; ſed & plus eſt amari ac orari ciuem, quam metui imperantem. Et ſummo nomini propinquius, vt ſpe creditur, è Magiſtratu Principem dici, quàm externo, Senatorem. Satisfaciẽdum non Ciuibus, ſed tibi eſt; vt receptâ gratiâ doceas, ideo debitam, quòd non odiſſes. Frequens eſt à Senatu orari; ſed preces irritas metuere rarum, tibiq; vni aduenit, præterea nemini. Quare ſic cenſeo, caritate tuorum, amore gentis, odio aduerſantium, ſupplices Patres recipi, & deſiderio annuere debere. Vrgebant quoq; filij modeſtiam Patris; ne maiorem reſpiciens, indignum ſe communione cenſeret. Nec minus Gonzagæ memoria, quam hoc vno, facilè ad ſuos redire poſſe ſperauerant. Reuerſus Mantuam Andreaſius, frequenti Senatui, Paſſerini mandata, publici curas, ſuamq; operam profecutus eſt; vt Poteſtatem abſenti tum Capitaneo deligerent. Et quando pronos in Aloyſium Patres videt, iturum ad ſenem, & tracturum in Patriam pollicetur. Generali aſſenſu auditus Andreaſius eſt; id ſolùm prudentiæ additum, vt Paſſerinus Mutinæ agens acciretur: ne quid ſuper negocio, eo inconſulto, Senatoribus ac Patriæ perniciofum inchoaretur. Vbi deſignatum Aloyſium redux Paſſerinus excepit, quamquã profundo indignationem celaret, hilari tamen propior, additâ viri commendatione, ratam eſſe Senatus voluntatem mandauit. Vel ne offenſiones abditas proferret, aut auctoritate intercideret; vel deniq; quæ olim deſideraſſet abnuere videretur. Notum viro erat, eoſdem Aulæ ac Ciuitatis mores eſſe: Et tamdiu exoſos Gonzagos fuiſſe donec Marchionatu exigerentur; eoſdem elatis Bonacolſis acceptos. Inſtabilem vulgi caritatem; nec diligi, niſi quos fractos vexationibus, miſericordiâ dignos inſpexiſſent. Denique futuros amare, factos Dominos execrari. Cæterùm cum ratione erat ſtirpem hoſtilem, & Reipublicæ curis admouendam paueſcere. In tempore ſatis habuit, ſemeſtrem Dignitatem ſtatuere; quòd anguſtijs temporis ſibi caueret; iuſſo aſſumi Aloyſio, fidem mentiretur. Forma Decreti ea eſt, quam è ſtatutorum Mantuanorum Archiuo, ad verbum, hûc tranſtulimus.

Aloyſius creatur Poteſtas Mantuæ.

Milleſimo trecenteſimo decimo octauo, ultimo Ianuarij. Regnante Sereniſſimo Principe D. Lodouico, diuinâ gratiâ Romanorum Imperatore, Anno eius Imperij quinto, &c. Congregato generali conſilio, Communis, & hominum Ciuitatis Mantuæ, ad ſonum Campanæ, & voce præconis, vt moris eſt; in Palatio Ciuitatis prædictæ. Diſcretus vir D. Rolandus de

Carbo-

Carbonibus, iam dictæ Ciuitatis Vicarius generalis, pro Magnificis viris D. D. Raynaldo & Botirono de Bonacolſis, per ſacrum Romanum Imperium Vicariatûs Mantuæ, & Ciuitatis Mutinæ, generalibus Dominis; & omnes in dicto conſilio exiſtentes; per ſe,& vice ac nomine, prædicti Communis, & hominum Ciuitatis eiuſdem, fecerunt & conſtituerunt D. D. Gerardum de Regio,& Tolomçum de Banxinis,& quemlibet eorum in ſolidum, Sindicos & Procuratores &c. ſpecialiter &c. ad denunciandam Poteſtariam Ciuitatis Mantuæ, Nobili viro D. Loyſio, filio D. Guidonis de Gonzaga, ad ipſam poteſtariam electo, per ſupradictum D. Raynaldum, ad ſex menſes inchoandos, in Calend. proximis Februarij, & complendos ſubſequenter in Calend. Auguſti, proximè ſuccedentis: Et ad promittendum eidem ſalarium, in ſtatutis Mantuæ comprehenſum &c. Ad Dei gloriam &c.

Ea Senatus electio, vt maiora patefactura erat; ſic Paſſerinum cogitationum alto merſit. Potentiam licet ſemeſtrem, magno in viro, maximis amicitijs innixo ſuſpectam. Hac quæſiturum per obſequia, mutua officia, promptum gratiæ animum, ciuium voluntatem. Sed iam conſummata res, retractari non poterat. Nec Aloyſius ſibi ipſi in tempore defuit: Sed cum potiſſimos nobilitatis, affectatâ operâ, ſibi ac domui ſuæ firmaret, eandem gratiam apud Cæſarem parabat; non muneribus Paſſerino inferior. Perſcribebat Cæſarem meminiſſe debere, Gonzagos, nec ſerie maiorum, nec obſequij gloriâ interruptos, Imperij rebus ſemper affuiſſe; conſanguinitate nixos, eandem modeſtiam, eundem animum ſeruauiſſe. Tot ſeculis non Gallorum potentiâ, non Pontificum precibus, non potentiorum per Italiam armis concuſſos; fidos, indiuiduos; & per aduerſa, eo nomine non ſemel iactatos. *Aloyſius ſe Imperat. inſinuat.* Se Mantuanæ adminiſtrationi, cui Paſſerinus, Vicariatûs Imperij officio præſideret, impoſitum: vt in leuioribus perſpecta fides, etiam maioribus innoteſceret. Eò cariorem habuiſſe Magiſtratum, quòd vtilior Regi ſuo, quàm ſibi eſſe poſſit. Quippe nec quæſtum, nec amicitias vnquam, niſi ex Cæſarum vtilitate lecturum. Gratum Imperatori accidit, familiam nobilem, & cui Germani Reges plurimùm deberent attolli; ſed & ſpem potioris fortunæ dedit, quandocunq; per occaſiones licuiſſet. Supremam interim & Ciuitatis & diſtrictus curam tenebat Paſſerinus, Imperij nomine. Qui proferendorum finium deſiderio, ſemper in armis erat; facilis vocantibus, opportunitatum non ſegnis: Idq; nullius iniuria ſe facere iactabat; Quòd pro Imperio, pro Italiæ libertate, quæ Cæſares auctores cognoſceret, laboraret. Ciuitatem Aloyſius Gonzaga tenebat, addito ſemeſtri alio; quod Ciues non auerſanti in ſpeciem Paſſerino, expreſſerant, Iuſtitiamq; ac Annonam ex æquo curabat. Sed Tyrannus, licet ille officijs, pecuniâ, miſſis in expeditiones filijs, preſtò voluntati eſſet, haud quaquàm tamen fidum rebatur, aut diutius in obſequio manſurum; iniuriarum recordatione, vindictæ deſiderio; quæ nobilibus æterna ſunt: Neq; minus, quòd auctoritate, potentiâ, opibus, augeretur. Accedebat Ciuitatis in liberos Aloyſij ſtudium; quos nobilitate, aſpectu, comitate, fortitudine, velut Patriæ

ornamentum, etiam ſupra Paſſerini filios attollebant. Omnes tamen vno velut ictu ſubuertere non poterat; quamuis ad fraudem vertiſſet: miniſtrorum fide, illorum vigilantiâ, amicorum præceptis ſecuros. Et quamuis Aloyſio ſublato, nihil in ſummam profici nouerat; communi in vniuerſam familiam fauore. Sic à parente ac liberis anguſtiæ ſuberant: Et prudentia non minus in hoſte, quàm fortitudo metuẽda erat. In liberos quoq; ſuos non corruptâ in blanditias caritate erat; vt potiores Aloyſij filios crederet. Suos enim Vrbi aſſiduos, & licentiâ voluptatum effeminatos, Gonzagos, venatu quàm epulis, & non ſegni equorum curâ, armisq; duratos nouerat. Placuit tamen à iuuenibus incipere; quos numerus, animus, vires, ætas, vti publicè tutos, ira priuatim incurioſos, & periculo obnoxios reddebant. Affingit virtutis deſiderium; veram gloriam, quæ non niſi per arma habeatur; decus Patriæ, quod nulla ætas obliteret: Et vt promptiores reddat, præcipua militiæ munia oſtendit, quibus nobiles animi illicò capiuntur. Credebat famæ cupidine, ſemper in acie futuros, vbi plus vulnerum, & diſcriminum frequentior occurſus. Illi innatâ nobilitate; nîl niſi quod cum periculo tentaretur honeſtum exiſtimantes, alacres commiſſam operam executi; cum laude reuertêre: ſiue priores aciem; ſiue poſtremi, cunctos auxilio retinuiſſent. Et res cum Veronenſibus non imbellibus erat; qui non longe Oſtiliâ metati, adiacentia campi Mantuani carpebant. Incolæ quàm hoſtes accuſabantur; tamquam illatos fouiſſent, abſentes opportunitatis monuiſſent, profeſſi ſe Veronenſes naturâ, Mantuanos vi eſſe. Præcipui ciuium pecuniâ multati, quâ ſtipendium militi ea munimenta ſeruãti ſolueretur. Et hæc quidem voto Ciuium agebantur. Tacitè tamen offenſiones apud Paſſerinum enatæ; velut eriperetur ſibi ac ſuis, benè agẽdi gloria; & in exteros, imo infenſos abiret. Mox ſepoſiti, vt grauioribus reſeruarentur; nec leuibus occaſionibus, tantum virtutis benè impenderetur. Non illicò fraudem, aut prauum animum iuuenes aſſecuti ſunt; ſed quòd ob ignauiam, aut remiſſum laborem temnerentur exiſtimantes, acrius niti, offerre ſe imperijs, & fortiùs honorem capeſcere. Ita perditiſſimi hoſtis inuidiam contentione animi, ac virtute irritabant. Nîl æquè ſuſpicacem Paſſerini animum altius perculit, quàm habita de Bononienſibus victoria; cum Mutinam iuxta congreſſi lauream reportauêre. Siquidem cæſos & fuſos hoſtes, reſtitutam aciem ſuorum iam inclinantem, & defenſa à iuuenibus ſigna, fama differebat. Nec carpere dabatur, iiſdem quibuſcum certatum fuerat, virtutem in vinculis profitentibus; & militaribus ouationibus, fortunam patriæ, Ducum virtutem præcinentibus. Hæc domi Paſſerino moleſta erant. Neq; minori metu vrgebatur, Canis Scaligeri (cui magni cognomentum erat) memoriâ. Quem enim olim amicũ, etiam hoſtem futurum ſuſpicabatur; gliſcente viri potentiâ, non infimæ Longobardiæ Ciuitati imperantis, & Oſtiliæ amiſſæ recordatione languentis. Eſſe illi cum Philippino Aloyſij filio, veterem familiaritatem nouerat; ſuſpicabaturq; Gonzagorum vindictam, ſuas iniurias reputans;

Aloyſij filiorum virtus.

&

Digitized by Google

& facilem Scaligeri Dominationem, ſi eo munimine vteretur. Quem enim læſeris, vix amicum, aut fidum credideris, repugnante conſcientiâ, ac obſtrepente, quæ merueris. Commeantes vltrò citroq; nuncios, miſsas viciſſim literas, munera caritatis inditia, proditionem ac dolum interpretabatur. Quaſi cum lædere poſsent, iam læſiſsent; & cum mereretur, eſsent reddituri; vt non rarò conſcientia teſtis, ſibi ipſi præſagium facit. Non abrumpenda narratio erat, quò Ludouici, Federici, ac Aloyſij fortuna ſerie traderetur. Neq; flagitio vertimus, ſi rerum euentus proſecuti, ſua quæq; in tempora, ſigillatim non reijcimus. Hic enim multò ante, vbi hoſtis ſuperiorem Ludouicum, neq; familiæ auerſum accepit, Philippinum filium Francofurtum miſerat; vt incorruptum, vacuumq; Cæſarem inuiſeret, miniſterium offerret; & ſuetâ minoribus erga potentiores liberalitate augeret. Simul quæ Gonzagæ Oppidi iura haberet, oſtenderet; vtq; ſpecie Imperij, odio Bonacolſi auulſa fuerit: quaſi apud ſuetos Dominos, non pro Cæſaribus crederetur. Etiam ad Pontificem ante filiorum alterum miſerat, laturum querelas, quòd D. Benedicti de Pado & Lirone indulto, tot annos habitam agrorum inueſtituram, Ciues per iniuriam reſcidiſſent. Eadem Abbas non ſemel perſcripſerat, Paſſerini vim, Senatus Mantuani ignauiam proſecutus. Hæſerat primùm Imperator vbi iurium Imperij creditam Gonzagam, Eccleſiæ acceſſiſſe cognouit. Sed Philippinus, plura Inueſtiturarum Inſtrumenta eiuſdem Monaſterij conceſſione retulit; & vetuſtiorem conſuetudinem eſſe, quàm vt recens Imperij memoria occurrat. Habuiſſe quidem ab Adhelberto Mantuæ Marchione Auo, in paternæ hæreditatis portionem Tercenteſimum ante Annum, eos agros; poſtmodum etiam Oppidum; ſed viciſſitudine rerum ac confuſione (nonenim certiorem cauſam deprehendêre) iactatum Monaſterij directum Dominium, ipſis in ius ſolidum valuiſſe. A quocunq; tandem acceperint, pro Cæſaribus auitas opes, & quicquid vſquam virium habuiſſent, impendiſſe. Neq; nunc diuerſum animum ſubeſſe; aut auſurum Paſſerinum (nam Senatum obtentui ſumptum) Imperatoris mandata detrectare. Pontifex literas ac Cenſuras ad Paſſerinum, per Franciſcum miſerat, reſtitui Gonzagam imperans, cui nullum Imperio ius eſſet. Sed nihil in ſummam profecêre. Serente Tyranno excuſationes, ſpem, timores, vt Gonzagos delaſſaret, Eccleſiam ludificaretur. Sed plus in Ludouico auctoritatis fuit, reuerſo Philippino cum literis. Iubebat Imperator, ſiue Imperio, ſiue Eccleſię ius in Gonzagam eſſet, oppidum Aloyſio reddi, præſidium Senatus nomine impoſitum abduci, & ſi quæ nobili familiæ deperiſſent, ſarciri. Vbi Paſſerinus ſuperatum ſe, & audere Gonzagos obſiſtere, pariq; apud Imperatorem gratiâ vigere deprehendit, odium intendit. Sed inſtituta prioris fortunæ mutat, comem ſe, obſequio, & amicitiæ paratum oſtentans; etiam congruentia in vulgum proferens, quò fidem exprimeret. Cedente Paſſerino, nulla in Abbate mora, quîn Pontificis literis morem gereret, & quos olim agros conceſſerat Monaſterium, nouâ inueſtiturâ repeteret. Hanc nos inſeruimus, Archiuis

Aloyſius repetit Gonzagam ab Imperatore.

Ducalibus & Monaſterij erutam, cuius hæc forma eſt.

Aloyſius recipit agros Gonzagę. Et mox oppidū.

In Chriſti nomine &c. Die Mercurij, quintodecimo Februarij. Præſentibus Belardino de Villimpenta, Ardoino de Boactoris, Petro q. D. de Abbricis de Bagnolo, & Solerino, Notario Monaſterij infraſcripti, teſtibus &c. In Capitulo Monaſterij S. Benedicti, de Pado Lirone Mantuę Diœceſis, ipſius Monaſterij Capitulo; ad infraſcripta omnia facienda, more ſolito congregato. Vbi fuerunt, D.D. Antonius Prior Inclauſtralis, Donus Ventura Bonacurſius, Bonifacius Gratiadeus, Dianus Andreas, Peregrinus Viualdinus, Bartholomęus Delagitus, Benedictus Iacominus, Ioannes Bertolinus, Petrus Leonedas, Gregorius Taurentius, Vincentius Ancellinus, Amadeus, & Martinus. Quia plures non erant in dictó Monaſterio tunc præſentes. Ibiq; Vener. Pater D. Bernardus Dei gratiâ, Monaſterij prædicti Abbas; de conſenſu, & voluntate expreſsâ prædicti Capituli & Conuentus, de auctoritate & conſenſu prædicti ſui Abbatis. In concordiâ & voluntate expreſsâ, prædicti Capituli, & Conuentus; & ipſum Capitulum Conuentus, & ipſius D. Abbatis. Et habito prius ſuper hoc diligenti tractatu ad inuicem, deliberatione permiſsâ, pro bono ſtatu, & vtilitate ipſius Monaſterij; & vt iura Eccleſiæ Romanæ, & prædicti Monaſterij recuperentur, & recognoſcantur, pertinentia dicto Monaſterio; dederunt atq; conceſſerunt, in feudum honorificum, proprium & antiquum, D. D. Loyſio, filio D. Guidi de Gonzaga, Albertino q. filio D. Bartholomęi de Gonzaga, recipienti pro ſe & nomine, & vice Federici, q. filij D. Abramini ſui fratris, Antoniolo filio q. Bonauenturæ de Gonzaga, nec non Paganino filio q. eiuſdem D. Bonauenturę, pro ſe & Lancillotto ſuo fratre, cuius procurator eſt, vt aſſeritur: recipientibus pro ſe & hæredibus ſuis maſculis & fœminis, omnes terras, poſſeſſiones & iura, quæ & quas prædicti Domini, vel quilibet eorum hinc retro, habuerunt, & tenuerunt, vel nunc habent, tenent, & poſſident, vel pro eis, vel quolibet eorum habetur, tenetur, & poſſidetur, in Oppido Gonzaga, Curijs Pegognaga, Bondeni Arduini, & Bondeni de Roncoris; & eorum pertinentijs ſeu territorijs; & quidquid acquiſiuerunt ipſi vel aliquis eorum, vel ſui maiores, vel eorum prædeceſſores, vel aliquis prędeceſſorum, quoquo titulo in prædictis terris, Gonzaga, Pegognaga, Bondeno Arduini, & Bondeno Roncoris, & eorum pertinentijs, ſeu Territorijs, à tempore conceſſionis feudi, nobilis magnifici Domini Adhelberti proaui Comitiſſę Mathildæ factæ nobilibus viris D.D. Corrado Rozono, & Gerardo fratribus de Gonzaga, prædeceſſoribus & de domo prædictorum nobiliū, vſq; in hodiernum diem. Recognoſcentes prædicti Domini, ſe velle tenere prædicta omnia in feudum, honorificum & antiquum proprium, à dicto D. Abbate, eiuſq; ſucceſſoribus, Capitulo, & Conuentu, ſecundum bonum vſum, recti, antiqui, honorificiq; feudi. Et ideo prædictus Dominus Abbas, de conſenſu & voluntate expreſsâ prædicti Capituli & Cōuentus, per ſe ſuoſque ſucceſſores, & vice & nomine prædicti Monaſterij Capituli, & Conuentus. Et pro ipſis prædictos Dominos, & quemlibet eorum per ſe, & hære-

dibus

dibus ſuis, maſculis & fœminis; & vice & nomine quo ſupra; & pro eorum hæredibus, de prædictis poſſeſſionibus, bonis, rebus ac iuribus, & de omnibus terris poſſeſſionibus, iuriſdictionibus, & quaſi, quas iuſtè acquiſiuerunt, prædicti Domini ſeu aliquis eorum inueſtitorum; ac tempore Inueſtituræ factæ, per quondam Vener. Patrem, D. Ioannem Abbatem prædicti Monaſterij: dummodo non ſint acquiſita in præiudicium dicti Monaſterij, vel alicuius perſonæ, quo tempore contrarium apparere non valeat, prædictæ inueſtituræ in eo Capitulo, ſiue in eâ parte quod appareret, ipſum in contrarium eſſe factum, inueſtiuit cum datione annuli aurei. Dans & tradens prædictus Dominus Abbas, de conſenſu & voluntate prædicti Capituli, & Conuentus, & ipſum Capitulum, & Conuentus, de voluntate conſenſu & auctoritate prædicti D. Abbatis, liberam licentiam, & poteſtatem, prædictis Dominis, & cuilibet eorum ingrediendi, & accipiendi tenutam, & corporalem poſſeſſionem, vel quaſi, omnium prædictorum bonorum, terrarum, Oppidi, & poſſeſſionum & iurium ad eorum voluntatem. Conſtetq; ſolemniter, ſe pro prædictis, prædicta omnia poſſidere, & quaſi; donec de prædictis, adepti fuerint corporalem poſſeſſionem, vel quaſi. Et ſi quam poſſeſſionem vel quaſi, vel tenutam, prædicti Domini vel aliquis eorum habent, in prædictis, vel aliquibus prædictorum, eis, vel cuilibet eorum confirmauit. Quam quidem dationem, conceſſionem & inueſtituram; & quidquid in hoc inſtrumento continetur, prædictus Dominus Abbas, de conſenſu & voluntate expreſsâ prædicti Capituli & Conuentus, & dictum Capitulum & Conuentus, de voluntate & conſenſu, & auctoritate prædicti D. Abbatis, pro ſe ſuisq; ſucceſſoribus, prædictis Dominis, & cuilibet eorum, ſolemniter ſtipulando, pro ſe & eorum hæredibus; & nomine & vice quo ſupra, & eorum hæredum, ſtipulando ſolemniter pro vt ſupra, firmum & firma, ratum & rata habere & tenere, & non contrauenire aliquâ ratione vel causâ, ſub obligatione omnium ſuorum, & dicti Monaſterij bonorum. Et prædictos Dominos, eorumq; hæredes, in prædictis terris, rebus, poſſeſſionibus & quaſi; & iuriſdictionibus, defendere, manutenere, & auctorizare, proprijs expenſis Monaſterij, ſaluo iure omnium perſonarum, ab omni inquietanti, vel contradicenti perſonâ, Collegio, & Vniuerſitate. Renuncians prædictus D. Abbas, de conſenſu prædicti Capituli & Conuentus; & ipſum Capitulum, & Conuentus, de conſenſu, & voluntate prædicti D. Abbatis, prædictis Dominis omni ſuo iure, competenti & competituro: Per pactum per quod poteſt dicere, hunc contractum, vel aliquid in hoc Inſtrumento contentum non valere. Vel id vitiare, infringere tentare, vel annullare occaſione alicuius iuris; vel priuilegij ſpecialis, vel generalis, Eccleſiaſtici, vel ſecularis, vel beneficij, reſtitutionis in integrum, doli mali, contradictione, ſine causâ, vel ex iniuſtâ causâ, & iniuſtum, vel aliquâ aliâ ratione, quæ dici vel excogitari poſſit. Verſâ vice prædicti D.D. Loyſius prædicto nomine, Albertinus pro ſe & nomine, & vice Federici nepotis ſui, Antoniolus, & Paganinus, pro ſe, & fratre ſuo Lancillotto, cuius frater eſt, remiſſo fidelitatis iuramen-

ramento, de gratiâ ſpeciali per prædictum D. Abbatem ſtipulantem, prout &c. per ſe & ſuos hæredes, ipſi D. Abbati, pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, Monaſterio Capitulo, & Conuentui, promiſerunt quòd erunt fideles, ſicut Vaſſallus eſſe debet Domino ſuo. Et id quod eis ſecretò per ipſum D. Abbatem, commiſſum fuerit, ſub nomine fidelitatis, nemini pandent, in detrimentum ipſius D. Abbatis, Monaſterij, Capituli, & Conuentus. Et quòd nunquàm erunt vbi D. Abbas, vel ſui ſucceſſores, perdent membrum vitam, neq; honorem, ſuâ voluntate, conſilio & exhortatione. Sed reſiſtent quantum poterunt, vel ei notificabunt; & in omnibus adiutores erunt, ſecundum ſuum poſſe. Saluo & antepoſito iuramento fidelitatis, ſuis maioribus prout præſtito. Cæterùm voluerunt plura inſtrumenta, in vno tenore fieri. Actū eſt hoc Milleſimo trecenteſimo decimo nono. Indict. x i. Vltimo Nouemb. Ego Bonſancius q. D. Ottonelli ſacri Palatij Notarius, his præſens fui, & rogatus ſcripſi.

Paſſerinus ſtimulat Principes Europę in Scaligerū.

Paſſerinus omnium quæ pro Gonzagis agebantur gnarus, & filiorum quoq; relatione monitus, vbi vires familiæ impares nouitatibus niſi à potentioribus iuuarentur, æſtimauit; ſatis credidit, ſi ad tempus diſſimularet; vim omnem eô vertens, vt ad potentiam euectos, quibus illi inniti poſſent, frangeret; nullâ expenſarum, nullâ laboris curâ. Sed plures erant, quàm vt omnes vnâ vice peruerterentur; ab eoq; auſpicandum credidit, cuius auctoritate, quidquid roboris erat, innitebatur. Nam ſi Canis maiore vi in excidium traheretur, cæteri quoq; perniciem videbantur ſecuturi. Arte & ſecreto opus erat; non enim aperto nixu Scaliger corripi, aut eius in Gonzagos beneuolentia, leuibus inditijs reſcindi poterat. Nam magna Principi potentia, pecuniâ, milite, ac amicitijs, cuicunq; inuidiæ pari. Gonzagi ipſi non alienâ ſolùm ope, ſed proprio quoq; robore nitebantur; ſupra inuidiam, vulgi fauore; ſupra calumniam virtute ſecuri. Potentiori communicanda conſilia, & fortiſſimus hoſtis, videbatur in conſcientiam Paſſerino trahendus. Ergo ſcriptis ad Carinthiæ Ducem, & Caſtrucium Luccêſium Tyrannum literis, quo nomine Scaliger, quàm ſuis exoſus, quàm militum ac pecuniæ indigus, quàm raris amicitijs ſeptus foret ementitur. Addit contumelias; non Tyrannidem, non libidinem, non impotentiam tacet; ſed aggeratis quæ ſeu vera, ſeu in veritatem componi coniecturâ poterant, cauſæ honeſtatem affingit; quaſi ſuorum exterorumq; eâdem caritate duceretur. Mox opes ſuas, paratam iuuentutis manum, in lubrico occaſionem ſpondet. Maturaret ſolummodo: Imputatam ipſi quoq; Tyrannidem in decus abituram; ſe conſilio ac manu laboris quàm præmij partem capeſciturum. Præcipitata conſilia; & plus iuſto frequentes internuncij, ſuſpicionem Scaligero, occultæ coniurationis obtulêre. Excidêre quîn etiam Paſſerino, per iactantiam; & effuſum lætitiâ animum, inconſultæ voces: tamquàm magnis adminiculis res ſuas fulciret; & in hoſtium perniciem totus eſſet. Quæ excepêre miniſtri, & ad Scaligerum quid per aſtum pararet, intenderetq;, detulêre. Ille nîl moratus eoſdem, quibuſcum conſilia communica-

municauerat, officio & obſequio ſibi adſtringit; vtq; praui conſulti auctor, non alienam, ſed ſuam potentiam reſpiciat, exponit; quam ſi ex voto aſſequatur, futurum ſuis & alienis iuxtà intolerandum. Totum id ſilentio per fidiſſimos tranſactum; ne detecti conatus, cautiorem Paſſerinum, minusq; fidentem redderent: Nec enim vulgaris potentia erat; & aſtu oportebat, non ex profeſſo paratas inſidias vlciſci. Vetus Scaligero ac Philippino Gonzagæ conſuetudo erat: Qui ſiue Paſſerini odio, ſeu Aloyſij patris imperio, cùm ab expeditionibus liber eſſet, vt plurimùm Veronæ agebat. Eâ amicitiâ Gonzagi illecti, res ſuas firmare, & infenſis metum incutere ſtuduerant. Itaq; nihil præſcium Philippinum, Scaliger intimâ Domus parte exceptum, ſic allocutus fertur. Noui Philippine quâ tuâ, quâ Mantuanæ Ciuitatis iniuriâ, Paſſerinus publicas Reipublicæ, & priuatas Gonzagorum res perditum eat, vi, aſtu, ambitu. Nec licet abnuas, animo meo firma decedet exiſtimatio, & euentu rerum captum experimentum, quę virtutes ac flagitia ſubſint ei, quem regnandi amor impellit. Sed ego indagarione veritatis, relatu fidiſſimorum accepi, quibus artibus, nobiliſſimis Ciuibus perniciem moliatur, ne quo æmulo turbetur. Imo nec mihi parcit, quem ob vires, amicitias, opes formidare, quàm irritare debuiſſet. Equidem cum omnibus iudicio concedam, ſolum Paſſerinum viliorem habeo. Vt ſcias quos ſocios in contumeliâ repures, quibus amicitijs obniti, ſæuienti Tyranno poſſis. Non quidem ego iuſtiori nomine Veronenſibus, quàm ille Mantuanis imperitat; ſed diſpari conditione ſumus, diuerſis moribus innoteſcimus. Ego meis caritate, munificentiâ, exteris amore ac fide coniungor: Quas ille artes exerceat, vel vno hoc documento es accepturus. Quòd nullis accolarum infeſtum, minus Mantuanis; quem ſæpius amicitiæ ſeruantiſſimum, fidei certiſſimum, beneuolentiæ probatiſſimum, non vno experimento depręhendit; non alienis inhiantem, ſed ſtudentem proprijs, pacis & amicitiæ ſpecie ſubuertere, occultis coniurationibus, cum Carinthio, ac Caſtrucio Luccẽſi pepigit. Nauſeat Carinthiæ Dux, indefeſſas proditoris literas; auerſatur Caſtrucius ſordidiſſimas fraudes: meq; vt non officio commendatum, ſic nec odio inuiſum, certiorem faciunt, vt iniquiſſimus morralium Paſſerinus alieno labore ac ſanguine, proprijs rebus ſuis conſulere ſatagat. Nec vterq; fidei damnandus, (quippe proditores, cum pluribus vſui ſint, à pluribus odio habenrur) ſed in me amoris, in Mantuanos dilectionis commendandus. Quaſi tot Illuſtrium familiarium, rot ingenuorum ciuium millibus ſæuum, perfidum, impotentem leges arbitrio dicere indignentur, Imperio ac Cæſare prætextui ſumptis. Tibi pater eſt nobiliratis, ac virtutis non vulgatæ; fratres duo fortitudine pares, nec periculum, nec potentiam auerſaturi, vbi cauſæ iuſtitiam, propinquas ſpes introſpexerint. Si quid virium aut ſociorum, honeſtiſſimo nobiliſſimoq; facinori patrando deeſt, ex me præſumite. Vobis quæſtus mihi vindicta accedat: Tollaturq; è medio, amicis ac inimicis iuxtà infidus. Si Paſſerinũ perfidiâ tot annos æſtimaſtis; quantò vobis certior amicitia mea futura eſt, quam

Gõzagi coniurant cum Scaligero in Paſſerinum

quam etiam irrequiſitam experimini. Philippinus quamquàm iuuenis, memor tamen prudentiæ; & eodem iure Paſſerinum ſuis, quo Scaligerum, & pleroſq; per Italiam dominantes, præeſſe videns, metuensq; ne hic amoto æmulo, cum gloriâ potentiam ambiret, pulchrâ in faciem oratione, voluntatis, & quæ paratiſſima oſtendiſſet, gratias agit. Non ſe odij cauſam aduerſus Paſſerinum habere, à quo numeroſo militi præpoſitus, honoris occaſionem ſæpius acceperit. Condolere amici ſortem, quòd non fide, non mutuis ſtudijs ab inſidijs tutus egerit. Mox Patris modeſtiam, fratrum ignorationem cauſatus, ſuſpenſum, & reſponſi dubium Scaligerum reliquit: ſeu virtuti diffideret, ſeu parentis conſilium requireret. Regreſſus tamen ad ſuos eſt, vt quid opus facto proximioribus monitis acciperet. Et ſi pater annuiſſet, certiſſimam cum ſilentio operam promitteret. Dum hæc inter Scaligerum ac Paſſerinum occultis artibus agitantur; non minus turbidis motibus Bononienſes, quiq; Pontifici parebant, agitabantur, diſcordibus amicitijs, & euentu vario; vt ferè vſu venit, quoties non vnius ductu, ſed multorum conſilio bellatur. Bononienſes acceptâ à Paſſerino clade, paucos ante menſes irritati, & Pontificio Legato ſuppetias ferente; dum Bonacolſi Scaligero inſidias ſtruunt, Carpum improuiſo milite cingunt. Pars copiarum Guaſtallam, pars Luzariam miſſa, vt tenues Mantuanorum res, diuiſione virium infirmarentur. Magnæ enim copiæ Legato erant; & plurimos Bononienſes acciuerat, veteri odio, aut quòd Guelfi dicerentur. Vt Padum tranſgreſſus eſt, leuibus à Franceſchino tentata Eccleſiaſticorum conſtantia; & vbi ſtabiles in officio, certoſq; propoſiti reperit, regreſſus Amnem eſt, ne vicinio aut hoſtium temeritate in certamen traheretur. Monuit tamen Patrem, ingentem hoſtium numerum, toto campo effuſum; hûc illûc impunè diſcurrere, prædas agere, vaſtationi incumbere; quòd rarum militem ſub ſignis, cumq; parum validum noſceret. Paſſerinus (quod illi moris, quoties ardua inceſſiſſent) Philippinum Gonzagam, cum duobus item millibus auxilio mittit, modicam manum, & ne ſeruandis quidem Oppidis validam. Se in tempore affuturum pollicitus, vbi delectu recenti prouidiſſet, nam tum cenſum habuerat; iubetq; filij audaciam inhiberi, quem nouerat imprudentiâ ruere, & conſilij quàm viriû egere. Vt tutò diſpoſitæ, & in certo locatæ copiæ ſunt, intumeſcere Franceſchinus (id nomen Paſſerini filio erat) numeros, vicinum parentem iactare cum auxilijs, deniq; certamen cupere. Contra Philippinus Patris iuſſa prætendere, prohibitum toto campo congreſſum; nec adeo properatum ab Vrbe delectum affuturum; vt illico farciri poſſit, ſi quid primo conatu ſiniſtri eueniſſet. Cunctatione opus, vt ſpatijs itinerum, æſtu, rerum inopiâ, fatigatus hoſtis, ſaniora regreſſu amplectatur. Satis enim Mantuanis gloriæ futurum, ſi quæ ſemel cæpiſsent, ſine ſanguine ſeruauiſsent: Nec temerè in pugnam properandum, niſi prius explorato, quis inimicorum numerus, qui Duces, quæ præſidia receptui ſint. Deniq; comitem eſse temeritati pœnitentiam, contumeliam, hoſtium profectum. Bononienſes ſiue Mantuanorum paucitate, ſiue Ducum diſcor-

diâ,

diâ, (nam id quoq; in Caſtris vulgabatur) ſiue Franceſchini audaciâ, nîl intactum reliquêre, quò præcipitem impellerent. Ergo propius ſuggredi, locum Caſtris ante capere, commeatus intercipere, turbare pabulum, frequentibus excurſionibus, quaſi per deſpectum inſultare. Sed Philippinus, animum hoſtium, ex numero, & virtute putans, admonere Franceſchinum, ne ſe inſcitiâ perderet; ſed Patrem opperiretur, qui vix tertium diem eſset abſuturus. Non tamen peruicit, quin Franceſchinus, quod ratione tueri non poterat, vi imperij exequeretur, datumq; pugnæ ſignum. Bononienſes numero ac ſpe ſuperiores, promptè in aciem deſcendêre; captis ante viarum effugijs, ne quid cædes ac prædam imminueret. Philippinus vbi irrita conſilia videt, ad nauandam ſtrenuè operam ſe accingit, hortatus ſuos; veterem ciuium gloriam, neceſſitatem, Duces memorans, quæ ipſis domi cara, in bello honora erant. Reſponſum à paucis breui & incerto clamore, præſagio futuri mali. In medium diei pugnatum eſt; cum æſtus, puluis, obiecti ſolis radij, Mantuanis aduerſa forent, & ante omnia, Ducis ignauia. Vix duo millia Padum obuijs nauigijs aut profluenti eluctata euasêre; Multi cum nando ſalutem peterent, Amnis vorticibus hauſti ſunt. Carpum, Guaſtalla, Luzaria ad victores abiêre, eoq; ex acie captiui, aut vulneribus cum ſpe vitæ confecti abducti ſunt. Mutinenſes ſupererant, qui triduum dubitauêre, num victorem Legatum mœnibus exciperent, an Paſserinum cum auxilio properantem opperirentur. Et erat in Ciuitate ala vna equitatûs Mantuani tamquam obſes mutuæ fidei, ſummâ pace præſidio impoſita. Sed dum Pontificios agrorum vaſtationi, Vrbis excidio minitari vident, tardum, nec in tempore affuturum auxilium, pacto fortunarum, ac ſalutis ſibi ipſis conſuluêre. Mantuani qui inerant, integrâ fide abire permiſſi, nuncij amiſsæ Ciuitatis & adiacentium fuêre. Hinc graues in Franceſchinum iræ, tamquam neſcius imperandi, nec Patris iuſſis, nec Philippini conſilio paruiſſet: Sed dato in præceps exercitu, non temnendam iuuentutem, nullâ neceſſitate, cum ſeruare poſſet, perdidiſſet. Et Philippinus, quò famâ calumniæ auerteret, aſſiduus querelis erat, vt funebrem dimicationem, iniquam aciem horruerit; facileq; fuiſſe ſeruari tot Ciues, ſi Paſſerinus feſtinatione recentem iuuentutem pauidis addidiſſet. Idem ſinguli lamentabantur, quos Ciuium clamores, & conuicta temeritas agebat. Acerba Franceſchino memoria infœlicis congreſſus erat, ſed omnem cæſorum ſociorum culpam ſibi imputari, laudari Philippinum, & melius miniſtrum quàm Ducem audire, inſolabiliter ferebat. Hinc prima diſcordiarum, & mutatæ inter iuuenes voluntatis occaſio credita. Niſi perditiſſimus Pater tali initio inuidiæ, concordes olim diſiungere, & augere odia præcepto voluit: Ne iniquis conſultis, & facinorum peſſimis vetus amicitia obſiſteret. Sed Philippinus modeſtiâ, & ſolitâ ſibi comitate notam familiaritatem proſecutus; ne Franceſchinus prorumperet, aut indignantis ſpeciem daret, effecit. Ijſdem epulis, venationibus, amoribus in pace, ijſdem tentorijs in bello vtebantur; communia ſeruitia, pares amicitiæ, eadem ſecretorum communio.

Mantuanorum ſtrages temeritate Frãceſchini Paſſerini filij.

Hæc

Hæc fraudis auidum Paſſerinum malè torquebant. Quòd eripi ſibi, ob iueniles amicitias, opprimendæ innocentiæ occaſionem videret. Vſus etiam ſecreto, & Franceſchinum aliô intentum, vt aduerteret imperaſſe: Caueret Gonzagorum inſidias; hac vnâ potentiâ, ne ſupremis potiretur ſe repreſſum: Facilem fidem, pronas amicitias, magis inſidijs exponi. Tacuit (quod caput rei erat) vindictæ amorem apud læſos, aduerſus malè meritos, & perniciem accelerantes; ne ſuam cauſam dehoneſtaret. Sed vbi ne his quidem filius in ſententiam trahitur, amicitiæ tenax, ſuſpicionum non ſtudioſus; acriûs conſtantiam eius aggreditur, internuncio Iacomino Ofelio. Is facilis cuicunq; flagitio, dum gratiæ Paſſerini potiretur; accitum, grauia ſe & atrocia conferre dicens, intimo cubiculo excipit; & ſuſpenſum animi ſic alloquitur. Niſi veteri familiaritate, Parenti ac filijs pridem cognitus eſſem, enitendum mihi foret verborum ambagibus, aut tegere quæ ſileri nequeūt, aut cum oratione veniæ proferre. Sed maior eſt conſuetudo, arctius pietatis in Dominos vinculum, quàm vt conticeſcam. Et inſolens contumeliæ animus, perrumperet taciturnitatem; daretq; in lucem, quæ vlciſci ante, quàm ſciri expediat. Adijcio conſilio periculum meum; vtq; amicitias aut odia Ciuium, non niſi veſtro ductu ſectatus ſum; ſic quæcunq; tandem ſors obueniat, communem volo. Neq; me rerum mearum ſollicitum hactenus nouiſtis; quoties potentiæ ac honori domus veſtrę, per diſcrimina ſubueniendum erat. Habent Gonzagi tumidos ſpiritus; & cæterorum deſpectu, incipiunt etiam more validiorum, per flagitia potentiam affectare. Nec deſunt in Ciuitate qui ſe Gonzagiacos dici velint; quaſi Ducem & partes nominent. Modica hæc (licet diuitiæ, amicitiæ, honores, plurimos in aliorum iniurias impellant) ſed maiora tentantur: & nimia quorundam ſtudia, ſeditionem Reipublicæ, atq; adeo veſtrum caſum Tyrannidem inducent; nullo Imperij, nullo Vicariatûs metu. Quem enim id modeſtiæ habere credas, vt dominationem negligat, cum ne Dominantium quidem honori temperet? Audere per inſolentem audaciam, nobiliſſimæ fœminæ pudicitiam carpere, quæ de Principis domo, ipſo nomine formidanda erat? Ventitare frequentius, quàm domeſtico pudori conueniat, oſtentare ſe comptum, & niſi illa abnuat, adulterio paratum, flagitium credis? Nec tamen hic ſtultitiæ modus impoſitus, ſed ſuas libidines, ſuas ſpes in vulgum efferre; diſtrahiq; incertis ſermonibus Matronæ verecundiam, quæ intacta, alienę perfidiæ culpam luat, temeritate acti. Non hac petulantiâ Philippini coniugem, à Bonacolſis laceratam; nec ſpecie familiaritatis, alienam turpitudinem procuratam. Auſum tamen Philippinum, contra ius, faſq; amicitiæ, ſollicitare internuncijs, præſentiâ, muneribus (quæ conciliationes amorum ſunt) coniugem tuam: Adeo manifeſtè; vt vix quamquam impenetrabili pudore, famam criminis, ac ſuſpicionem flagitij, niſi amoto riuali ſit vitatura. Expergiſcere Princeps iuuentutis; & magno exemplo firmitudinem tuam, decus familiæ, honorem domus approba. Obſtupuit Franceſchinus nouitate, pręcepsq;, inditia tamquam probationes accepit. Augebat veritatis ſpeciem;

non

non intermiſſa conſuetudo, aſſidui congreſſus, comitas, ac licentia, illo ſuo inter ſocios non ſuſpecta. Quæq; apud amicos vincula caritatis, iritamenta irarum apud infenſos erant. Certè Philippinus, & veterum ſimultatum memoriam obliterauerat; nec amore coniugis Franceſchini vrgebatur, vt quæ nec quidem flagitio dignam formam accepiſſet. Sed amicitiæ conſtantiſſimus ijs inſtiterat, quibus olim cœpta, æternùm ſeruaretur. Parum abfuit, quin præceps conſilij, & Iacomini impulſu, in amici perniciem rueret; niſi inauditum & indefenſum, pro innocenti habendum metuiſſet: Et fœminarum artes perſpectas habuerat, quibus etiam mendacio fides comparari poſſet. Placuit præſentiâ experiri, num metueret, num erubeſceret, aut quod turbati animi ſignum daret. Raros enim credidit, quos detecta flagitia non turbent, reclamante conſcientiâ, erumpente veritate. Nec Iacominus ſuas artes, Paſſerini conſulta, negligentiâ præterijt; ſed vt certam perniciem Philippino, totiq; familiæ properaret, neſcium eorum quæ parauiſſent inimici, & quâ iniuriâ circumferetur, inuiſit: Firmato animo, ne quod ſpei, metûs, aut deſiderij ſignum daret. Et ſolitâ comitate exceptus eſt. Vbi conuiuio finis impoſitus, & cęteri ad ſua digreſſi ſunt, incipit Iacominus, Philippinum, ſuſpicionibus, formidine, ſpe agitare. Quod facilè metuenti accidit: Non vno exemplo probatâ perfidiâ, & metu inſidiarum, quibus ſe obnoxium apud Paſſerinum, ob virtutem cognouerat. An ignoraret (quærebat) vt dominantibus exoſa potentiorum, ac nobiliorum conditio ſit? Meminerit nullam Tyranno certiorem potentiam eſſe, quàm quę pernicie & cæde æmulorum comparatur. Suſpectam apud regnantes ſocietatem. Nec ante contentiones deſinere, quàm ſublatis è medio, per quos turbari compoſita credantur. Veterem Gonzagorum nobilitatem, conſanguinitatem Cæſarum, antiquas & ab Imperatoribus habitas opes, ſemper inuiſas Bonacolſis fuiſſe. Neq; tamen illos, pudore, metu, puſillanimitate in prærupta delatos. Caueret inuidiam tempore firmatam, & fraudes, occaſionesq; circumſpectantes. Hæſiſſe Bonacolſos; nec id modeſtiam eſſe, ſed aſtutiam, quâ Gonzagi incautiores deciperentur. Proinde ſic beneuolentiam exerceret, vt fraudi locum non daret. Ille, ſe Franceſchino familiarem retulit, non cauſam æmulatui vnquam, non odij dediſſe; niſi officia, & paratam arbitrio amici voluntatem, in contraria verterit. Gonzagis moderatam, & bonis artibus quæſitam pecuniam; in nullius iniuriam aut offenſiones creuiſſe; cunctaq; amici placito expoſita; ſi concordiam quàm ſimultates vellet. Apud ſe Franceſchini familiares ſuſpectiores, quàm Dominum eſſe. Deniq; non ante fidem dictis habiturum, quàm experimento didiciſſet, ab eo ſuam innocentiam, ac perditiſſimorum detractiones iuxta interpretari. Viſus haud dubiè Bonacolſos tacitè perſtrinxiſſe; quibus opes puplico ereptæ, & dehoneſtamenta amicitiarum aderant. Exceſſit Iacominus & Franceſchinum, conuiuij, ſecretiq; ſermonis certiorem reddidit. Tacuit de Philippini modeſtiâ, ſuſpicionum tamen præcipua, quæ animo iuuenis obuerſabantur protulit; vt cogeret in vindictam innocentis; non aliâ causâ, quàm

Oſelius ſerit diſcordias inter Bonacolſos, & Gonzagos.

quàm quòd inſidias intellexiſſet. Aloyſius à filio certior factus, eorum quę Iacominus attuliſſet, totam familiam, modeſtiæ, & prudentiæ admonet; ne Scaligerum amicum, ne ſocios opem laturos negligerent. Raros in publicum exire; nec globo armatorum ſeptos obequitare iubet. Ipſe Marmirolum publico muneri exemptus, quietis & otij ſtudio diuertit; à forenſibus cauſis, à ciuili tumultu exolutus. Haud dubiè multò ante Aloyſius ſordes horruerat, auerſabaturq; flagitium: quorum præcipuum, Bonacolſi ſeruitutem rebatur. Et memoriâ iniuriarum excitabatur in vindictam; ſed optimis artibus in ſenectam vſus, Vicariatûs nomen, Ciuium affectus, Parricidium formidabat; cumq; antiquiſſimam Dominationem ambiret, & proferre deſiderium, & per ſcelus habere negligebat. Audita ſæpè eius vox inter filios: poſſe imputari tempori beneficium; non enim gloriam crimine exercitam diuturnam eſſe poſſe. Cumq; Philippinus, & reliquorum concitatior Feltrinus, diuturnitatem patientiæ quærerentur; vniuerſos admonuit, Bonacolſo nullam certiorem ſecuritatem, quàm ex hoſtium numero eſſe: Vbi conciues quieuiſſent, intra ſeipſum excidium habiturum. Turgeſcebat interim Philippinus ſuſpicionum reputatione, Feltrini fratris lamẽtationibus, Scaligeri ſollicitudine: ſed ante alia virtutis memoriâ angebatur, quòd etiam hoſtibus commendatus, apud Capitaneum criminis vrgeretur. Nec Iacominus commiſſi officij à Paſſerino immemor ſilebat, torpeſcentem Franceſchinum, & ægrè aſperioribus inclinatum, forte deprehenſâ vanitate, aſſiduâ eorum recordatione ſtimulans, quæ vlciſci quàm ſciri expediebat. Quippe implacabilem iram, irreconciliabiles amicitias eſſe nouerat; quorum niſi cum dolore, læſus poſſet meminiſſe. Ad extremùm diſſimulari mentis alienatio, & differri mæror non potuit. Nam feſtus Aſcenſionis dies inciderat, quo luſtrari Vrbem, iuuentutem celebri ornatu circumire vicos, ac indulgere epulis antiquâ conſuetudine licebat. Cuiq; prout opes, & amicitiæ, ingenti ſumptu conuiuia parare; & in publicum ſociorum & affinium ingenti numero prodire moris erat. Non enim aſſiduo bellorum vſu, deſueuerat voluptatibus Patria; ſed parata occaſioni, modò lætitiæ, modò expeditionibus, pari promptitudine accingebatur. Vt illuxit, domus foro aut templis imminentes frondibus ornatæ, Vrbis itinera floribus ſtrata, vicorũ biuia iuuentutis coronâ vallata, in ſpeciem ac lætitiam viſebantur. Priorq; Franceſchinus forum ingreſſus eſt, iracundiâ ac ſuperbiâ tumens; quæ ferè maiora quò iniquiora. Mox ſecutus Philippinus; vt Vicarij filium eo in cętu eſſe accepit; prior amicum valere iuſſit. Franceſchinus attracto ſupercilio, & in iram, indignationemq; compoſitus, paulùm conticuit. Mox vbi ſe recollegit prorupit. Perfidiam an temeritatem vocem, ambigo, quòd grauiſſimâ iniuriâ læſum Principis filium, coram compellare, & aſſiſtere audeas. Non quidem omnibus nobis ignota Gonzagorum ſuperbia eſt; ſed nec me fugit, quibus artibus, coërcenda ſit inſolentia, potentiorum iniurijs clareſcens. Tu cæteris experimento eris, quomodò vani faſtus atterantur, ego potentiæ ac vindictæ: Quam ne illicò ſumam, loci ac diei reuerentiâ

vix

vix attineor. Detrahetur auctoritas, quâ ſolâ niteris; & cum parente, malas artes per ſecretum agitante, procul ab optimorum communione Ciuium exigère. Res tuæ fiſco, aut populi ærario ceſſuræ ſunt. Sed & fœminarum è domo tuâ, ſi quæ ſpecie valet, pudicitia ſi quæ eſt, viliſſimorum ſeruorum libidine contrectabitur. Animaduerſione diſcent cæteri, Principes fœminas ne fixo quidem obtutu, publico egreſſas intueri. Modeſtiam hanc meā immanitate penſabo. Philippinus etſi nec tempori, nec occaſioni ſatis competeret, acrius indignatus eſt: Et ne ſuorum degener; aut ſilentio confeſſionem amplecteretur, mixtus dolore ac irâ, ſic excepit. Nemini mortalium Franceſchine, Gonzagorum nobilitas ignota eſt; quam non Carolus magnus, non Pontificum tot ſæculis vexationes detriuêre. Nec alia nobis quàm ex virtute conſtantia. Superbia longè eſt; niſi quam meritis accepimus. Potentia ſi quæ obtigit, non ea muneribus aut pecuniâ, ſed Cæſarum conſanguineorum indulto, propriâ fortitudine quæſita eſt, in nullius contumeliam. Nec ideo in promptu fuerit, eos quibus iraſceris ſubuertere; cum ijs quoq; cōſanguinei adſint ac virtus, propulſandis iniurijs ſuffectura. Noueris & Marmirolum & Gonzagam, etiam cum præſidio poſſideri, quamuis aduerſante fortunâ. Fœminarum honeſtatem non ante, quàm ſublatâ è medio familiâ es dehoneſtaturus: Et oportebat qui cæteros auctoritate præcellis, exemplo quoq; modeſtiæ anteire; nec effutire, quæ tacuiſſe in tempore ſis optaturus: Tua te peruicacia, mea innocentiâ, communis ſenſus corrigent, & pœnitentiam accelerabunt. Diſcent ex te alij, quàm lubricum in perniciem ſit, proſcindere conuicijs, nobiliores & potiores. Franceſchinus quòd illatam recipere iniuriam non ſueuiſſet, auget minas; ad extremum ſtricto mucrone Philippino obuius procedit. Nec ille abſtinuit, ſed parato ad certamen animo illatus, cuneum perrupit, quo iam ſe Franceſchinus abdiderat. Et tranſactum inter vtroſq; foret; niſi qui aderant auctoritate & conſilio, impetum eius attinuiſſent. Nihil Feltrinus comes fratri prolocutus, obuium Iulium de Ripa medio pectore tranſiecit; quòd auxilio Franceſchini acceſſiſſet; & quò minus infenſum peteret, ſeſe obtuliſſet. Manifeſta tum Ciuium in Gonzagos ſtudia patuêre, cum eductis armis rari pro Bonacolſo, multi pro Philippino proceſſiſſent. Iulius proximæ officinæ illatus illicò expirauit; & niſi aggregatis ſenioribus qui preces minaſq; interijciebant, repreſſa conſternatio foret; in facie patriæ, mutuis vulneribus, magna nobilium pars cecidiſſet. Iuſſi tamen ab amicis Philippinus ac Feltrinus Vrbe exceſſêre, ſeſeq; Marmiroli continuêre, acceptæ iniuriæ, & amicitiæ Scaligeri non obliti; cum vtraq; tardum deliberationibus Aloyſium ad vindictam extimularent. Ambiguum tamen, & quid diſcerneret neſcium, aduentantes ab Vrbe nobiles, & magna Senatus pars firmauêre; Franceſchini intemperantia, & Gonzagorum egreſſio diſplicuerat: Tamquam viduatâ nobiliſſimâ iuuentute Patriâ, ſæuiſſimo Tyranno deſtinarentur ad libidinem ſingulos excepturo: Eò præcipuè inuiſi quòd honeſto fauiſſent. Ergo vt ſe timore exoluerent (non enim niſi Duce opus erat) pecuniam,

Franceſchini & Philippini cōtentio

cuniam, amicitias pollicentur; & quando nauanda opera ſit, promptiſſimos ſeſe oſtentauêre. Aloyſius ætate, ac rerum experientiâ doctus, grates ſingulis egit: neq; auxilio opus, retulit, cum potentiorum auctoritati condonandum ſit aliquid. Sed nec cunctorum, atq; adeo Paſſerini culpam eſſe. Erraſſe imprudentiâ iuuenem; ab eoq; totam familiam in conſenſum trahere nolle. Dandum tempus æſtimationi erroris; quam præuideat; vbi temeritatem, dedecus, iniuriam Franceſchinus reputauiſſet. Sed præcipui in partibus Caſtelbarci, vt in dolore erant. Quorum vni Aloyſius veterem nobilitatem ſectatus, filiam coniugio dederat. Hic vbi violentiam aſpernari Aloyſium, & vindictam abnuere cognoſcit, Philippinum conuenit; onerans contumelias, & parata dominationi omnia oſtentans. Geſtientem fortunam, gremio excipiendam; & tali occaſione, etiam diſcrimini obuiam procedendum. Viſum ad Scaligerum (quem non vno nomine Bonacolſis infenſum nouerat) diuertere. Et Philippinus odij iam nimius accelerabat; inquies, implacabilis, & omnium quæ vltionem morarentur intolerans. Offerebat quoq; parenti, Camilli Agnelli literas, quibus docebatur, Franceſchinum plus conſueto militum circumducere; parare ſocios, & in perniciem inimici eſſe. Et quando Marmirolo non excedat; etiam nocturnam fraudem meditari. Sed Oppidũ foſſâ ac muro clauſum, intus incolis ac nobilis Familiæ ſtipatoribus ſeruatum, irrito euentu tentari medio die nouerat. Dolus tempori opportunus, & nox quæſita. Aditum Carlottus pro Cuſtode ſeruabat, Gonzagis beneficio, Bonacolſis flagitijs obſtrictus. Sed apud ſceleſtum plus gratię ex licentiâ, quàm pecuniâ eſt. Hunc Offelius mihi ſupra narratus, veterum recordatione, & promiſſione præmiorum, illexit, vt ſopitis torpore omnibus, Franceſchinum ſociosq; admitteret. Nullum flagitij locum aut culpam eſſe aſſerens, cuius ratio non redderetur. Iugulatis enim omnibus, pretium manſurum, ſine metu. Facilè verſuto fuit, maculoſum corrumpere, & aſuetudine vitiorum, flagitia negligentem. Sed fortuna Gonzagorũ fuit, præuideri inſidias, & proditionis ſuſpicionem antecapere. Et Carlottus quidem minas tormentorum non tulit, ſed faſſus inditium, laqueo mulctatus eſt; Offelius celeritate ac fugâ ſibi conſuluit. Feltrinus, diſſimulari ſcientiam; & circumueniri omnes, qui Franceſchino affuiſſent volebat. Sed Parentis auctoritate retentus eſt: Qui cum hoſtibus auerſus eſſet, promiſcuam cędem indignabatur, faltè ex famâ; & ſatis habebat capita Parricidarum excindi. Plus quoq; militum ducturi Bonacolſi credebantur, quàm vt omnes intercipi, & vinculis coërceri poſſent. Tumultuante ſub Imperatore Germaniâ, haudquaquam Italia in pace erat; multis potentiorum, Ciuitatum imperia occupantibus: Provt pecunia, aſtus, ambitus valuiſſent. Pontifex aſſiduis comminationibus in Tyrannos inuectus, vbi placidioribus conſultis, ſingulorum voluntati adrepere non potuit, ad grauiora tranſijt. *Paſſerinus excommunicatus.* Vt quos pietas non flexerat, aſperiora conuerterent. Cùm tamen in plurimos & Paſſerinum præcipuè Anathemate publico animaduertiſſet, manifeſtè deprehenſum, corruptis integrè animis, nec medicinam, nec fomenta

pro-

proficere. Tot enim Cenſuræ conſortibus, & in plures effusâ pœnâ non aliud effectum, quàm vt formidari ſolitæ, frequentiâ ac numero vileſcerent. Et Paſſerinus etiam in iniuriam trahens, Pontifici conſilio & operâ, plus iuſto infenſus erat. Sed magnas inimicitias, Principatus initio maximè perniciosas eſſe cognoſcens, legatis ac literis cauſam ſuam cohoneſtare ſatagebat; ijſdem vſus, quæ cæteri pari crimine damnati iactabant. Non ſe, ſed Imperatorem violari, cuius arbitrio adminiſtrationi præſit. Pontificem fouere Guelfos, & Chriſtiani orbis excidio natas contentiones reuocare. Longobardiam decurſu ſeculorum, ad Cæſares abijſſe. Notæ Italiæ omni Paſſerini artes, Pontificis Romani clementia, ac moderatio erat. Hinc Tyranni perfidia à nemine commendata eſt, & nullus mortalium opem tulit. Philippinus, fortuita in ſapientiam trahenda, & arripiendam occaſionem ratus, audentius contra perfidum & è cætu fidelium amotum inuectus eſt; vt inimici flagitia, ſuam vltionem approbarent. Secreto tamen omnia proſecutus eſt, ne ad publicam iniuriam conuerſus hoſtes incautos & imparatos opprimeret. Litteræ ergò Apoſtolicæ, quibus Paſſerinus præter contumaciam, etiam hæreſeos damnabatur, in plura exemplaria verſæ, per Vrbem diſſeminatæ ſunt. Id vnum in Ciuitate, cæterarum licentiam æmulatâ virtutis erat, vt metueret, damnaret, horreſceret, quæ à Paſſerino negligebantur. Continebatur, conuulſam ab eo Eccleſiaſticam libertatem, ſpoliata Fana, abacta Sacerdotum bona, vaſa auro argentoq; ſolida, ſacris vſibus quæſita, in profanos ac ſuos verſa. Addebantur in Deum ac Diuos immanes contumeliæ. Vt nemini dubium eſſe poſſet, nec quidem ſupremo Numini, debitam in perdito homine ſuperfuiſſe reuerentiam. Graues interim diſquiſitiones, totâ Vrbe agitabantur, vt quo auctore talia circunferentur, innoteſceret. Nam læſam maieſtatem, ſpretam dominationem, Imperatoris reuerentiam ſepoſitam (cuius ſe nutu cuncta adminiſtrare Paſſerinus fatebatur) intonabat. Sed quò magis vetita, eò acrius requirebantur, ſumebantq; prohibitione Principis dignationem; nec opinione flagitij cunctorum auctor detegebatur. Et Paſſerinus Epiſcopum ac Clerum ſolũmodo, fortè & Gonzagos, vt nouarum rerum ſtudio intentos, accuſabat. Haud tamen ſaniora ſecutus, aut Pontificis monitis obtemperauit; obſequij neſcius; & non iuſti, non æqui æſtimatione, dummodo potentiam retineret. Aſſiduis itaq; Imperatorem officijs ac muneribus recolens, eum adeò deuinxerat, vt cunctantem impulerit, vulgato Diplomate, ſibi ac ſuis concedere, quidquid Fiſco Reipublicæ Mantuanæ, maieſtati, aut cuiuſcũq; criminis occaſione acceſſiſſet. *Imperator concedit Paſſerino Fiſci iura.* Quod frequens mutatione temporum, & ob inteſtinas Italiæ ſeditiones erat. Nec dubitabatur id in Gonzagorum perniciem quæſitum; quos peruertere imputatâ infidelitate cogitauerat, vt denuò Gonzagam ac Marmirolum adimeret. Et niſi ſolliciti hoſtes, & properata conſilia amicorum, conſceleratum deprehendiſſent, magno diſcrimine nobiliſſima familia abſtracta foret. Id verò indubitatum excidium Bonacolſis properauit; ſecuris iam Ciuibus, non ſe amplius à Vicario Im-

 perij,

perij, ſed à Domino poſſideri, tractis in ſua commoda vtilitatibus, quæ Reipublicæ deberentur; & vt fortunam domus ſuæ augeret, etiam flagitia innocentibus affingere. Hinc ſuorum quoq; auerſio ſecuta; vt ſi non pro Gonzagis, nec pro Bonacolſis quidem eſſent: Quòd turpiſſimâ iniuriâ, Patriam libertatem, & ſi quid iurium Senatui erat merſiſſet. Id præcipuè Gulielmo Caſtelbarco Aloyſij genero, ac Gonzagis, vires animoſq; addidit; Pauciores hoſtes, exteros infenſos, Patriæ inuidiam, valida amicorum auxilia proſpectantibus. At iniquum executioni tēpus credidêre, niſi prius Scaligerum in facti conſcientiam traherent, quàm ſecretas curas exercerent; cuius initio iræ, tentatam Gonzagorum conſcientiam ſupra meminimus. Marmiroli cubiculum adhuc oſtentatur, quo nobiles è familiâ, quiq; partes ſectabantur, de facto agitauêre. Dux & extimulator Gulielmus, Claro Andreaſio, Iacobo Arlotto, Paulino Agnello, Alberto Sauiolâ audientibus fuit. Si quid flagitij (inquit) conſanguinei, nobileſq; viri, in Deum, Patriā, priuatos admittitur, præter hæc in neminem. Cædis in Tyrannum conſilium, in hoſtem Religionis, inimicum Patriæ, nobilis cuiuſq; ſupplantatorē, eſt. Deum ille ſacrilegio, rapinâ patriam, cædibus illuſtres domos offendit. Neq; ab Imperatore aut potentioribus repetere vindictam cōceditur; quòd auro libidinem, ac ſcelerum licentiam redemerit. Neq; minus patientiâ delinquimus; Religionem conculcatam, laceram Patriam, inter cædes & ſanguinem volutatos Patres negligentes. Si quid in nos ipſos peccamus, hac ignauiâ eſt: quâ vitam, honorem, libertatem proijcimus, dedecori ac periculo, & nobis & poſteris. Id vniuerſum iure fit; ſed & reſpondebit euentus, qui plerumq; iniquus eſt honeſtis conatibus. E potentioribus Pontifex diris homines deuouit; Imperator, inani maieſtatis nomine longè agit; inter domeſticas turbas, vix dominij ſecurus; Cremonenſes odere; Scaliger etiam hortatur. Vires Reipublicæ noſtræ validæ quidem, cum huic vni deſeruirent, credebantur; ſed vbi retraxêre ſeſe, & Capitanei amorem exuêre, pro nobis ſunt, Ducemq; oſtentari ſibi circumſpiciunt. Eſto nihilominus Paſſerinum ac ſuos, honeſto nomine alienis vti; & cætera innocuos agere; culpāmne credimus præuenire mucrones in noſtra viſcera directos, & iniurias fœdiſſimas propulſare; nemine potiori qui requirat? In Philippinum tot periculis, tot fraudibus expoſitum, peccauerat; & tulimus: Nunc vniuerſos perdere, etiam cum vitâ honorem rapere meditatur; & conquieſcimus? Aut in eos, quos pro hoſtibus delegiſſet, temperanter acturum creditis, qui conſanguineos pepulit, fratri inſidiatus eſt, niſi & veneficio perdidit? Ea Chriſtiani orbis conditio eſt, vt forma Reipublicæ fingi ac ſperari poſſit, non haberi. Quîn Aloyſi viuam adhuc apud Ciues tuos memoriam veteris Marchionatus, non requiris? Ablatam potentiam opportunè Numina repromittunt, niſi tuæ gloriæ hoſtis, id quoq; decoris poſteris inuides. In tua manu poſitum eſt: nos adminiſtri rem arduam in plano ſtatuemus. Aloyſius conuerſus ad filios, vbi paratos executioni vidit, ſecretum, ſollicitudinemq; imperauit; cumq; exigi Patriâ tantùm conſuleret, prorupit Fel-

trinus:

trinus: Occiſo, inquit, capitali hoſte, finis inimicitiarum eſt Pater; & plus laborum ſuperat, ſi fugamus, quàm ſi perdimus. Meruêre, recipiant; Tu ſenior indulge quieti; & breui filiorum amicorumq; virtute rerum potiêre. Mox properato itinere, Caſtelbarcus, Sauiola, ac Philippinus, cum Scaligero, de tempore deliberarunt, certâ Aloyſij parentis voluntate. Moniti tamẽ, ne fidem omnem, darent, aut reciperent: Sed ita pręſidium, militesq; accomodatos ſumerent, vt ſi Gonzagorum ductu haberentur, patrandis rebus ſufficerẽt: proprijs viribus metuendi non forent. Quippe multò ante præuiderat Aloyſius, Scaligerum Mantuanis inhiare, & indefeſſâ operâ, diſcordias ciuium enutrire; vt mutuis contentionibus fracti, vbi ipſe auxilio vocatus eſſet, vniuerſos opprimeret. Nec ſuâ aut ſuorum curâ id, ſed Reipublicæ; quam fugato Paſſerino reuiuiſcere; & veterem iamq; abolitam potentiã reſumpturam ſperauerat. Et filijs quoq; creditum; qui mite Aloyſij ingeniũ; & dignius habere quam procurare Imperium nouerât. Ipſi ardore ætatis, maiora agitabant. Scaligerum nullo alio nuncio magis lætatum ferunt, quàm vbi vltioni paratum, & auxilium poſcentem Philippinum vidit. Mens ab ambiguo ad ſecura tranſierat, & iam Mantuam habere videbatur. Sed non minor Gonzagis prudentia, & futuri coniectura erat; vt auxiliantem, non imperantem vellent. Scaliger quò ſecuriorem Philippinum falleret, cõuictui adhibet, nullumq; officij genus, per domeſticum ſecretum negligit, quò minus imprudentem ſui, & negligentem Patriæ redderet. Non enim publico oſtentare amicum, aut artioris familiaritatis inditia præbere ex vſu erat; ne Paſſerinus non incallidus, & Scaligeri odij ſecurus, rebus ſuis ante prouideret; & irritos hoſtiles conatus redderet. Statuitur dies, modus, & auxiliaris manus; non opprimendo Tyranno, ſed ſubigendæ quoq; Patrię valida, trecenti equites, pedites octingenti. Hi ne multitudine, aut continuo filo ducti ſuſpicionem hoſti darent, diuiſi & diſſiti, obſcuro noctis Marmirolum mittuntur, vt Caſtelbarco Duce præſtò Gonzagis forent. Ipſe ad Guidonem ac Feltrinum fratres, qui expectatione conſiliorum Mantuam petierant, certiori nuncio, quid Veronæ egiſſet, quo milite inſtructus Vrbem inuaſurus foret, diemq; deputatum perſcribit. Fratres Ciuium animos edocti, non milite, non auxilijs opus eſſe reſpondent: Parata omnia in Ciuitate, arma, ſocios, conſanguineos: muros ipſos ſpirare iras. Portam ſtatione firmandam & ſelectiſſimis ſeruandam. Aloyſius vtroſq; ſilentij ac feſtinationis admonet; nec in plures effundi conſilia. Cæterùm ne inſidiæ pateſcerent, mentito habitu, tectiſq; armis Ciuitas inuadenda erat. Non enim Scaligero metuens ſibi Paſſerinus deerat, firmatis portarum anguſtijs, & armato milite acceſſum aſſiduè obſidente. Matureſcentibus frugibus meſſis aduenerat, & Ruſticorum manipuli, operæ intenti, licentius per Vrbem diſcurrebant. Sed tot milites confertim induci, ſuſpicionem & curam cuſtodum obtuliſſet. Proinde, aſtu, ac vi, fortiter cęptis inſiſtendum ratus, Philippinus, currus aliquot fęno onuſtos, orto die in Vrbem præmittit: datis præceptis, vbi portarum arcta inſediſſent, diſſolutâ rotarum compage

Gonzagi cũ Scaligero cõſulũt de modo.

vacuum iter occuparent; dareturq́; ſpatium ſocijs, obſiſtente nemine, Ciuitatem inuadendi. Vbi dies illuxit; currus fęno præter conſuetum onuſti portis ſucceſsêre: Simul diſſoluta ligamenta, fuſiq́; intra cuſtodias omiſſi ſunt. Præſidiarij, vbi tot ruſticos turmatim irrumpentes ſuccedere, & obſtruendi aditus poteſtatem ademptam vident; quamquàm præſentium neſcij, parari tamen Tyrāno excidium metuêre: quem nobilitati ac plebi iuxtà aduerſum, & Scaligero infenſum nouerant. Ne tamen miſcuiſſe conſilia, & Veronenſibus opem aduerſus ſuos tuliſſe viderentur; obniti, repellere, detrahere, firmare plauſtra, perſtrepere, & cum ſuperfuſæ multitudini impares eſſent, auxilium vocare, fraudem proclamare. Sed iam plures introierant; & tota Ciuitas lætabatur, quocunq; pretio ſuo, tolli è medio inuiſam familiam. Veronenſium pauci Philippinum ſecuti ſunt: Cæteri extrá mœnia ſubſiſtere iuſſi, quos pro Philippino Caſtelbarcus ducebat. Sed Duci, ac militi idem animus. Ille præſidio Scaligeri vtendum cenſebat, dum Tyrannus tolleretur; non tamen externi quàm proprij militis plus habendum: Vt accepto beneficio liberum foret, dimittere auxilia; non arbitrio ſummitti. Veronenſes ipſi à Scaligero quoq; ſecreta mandata dicuntur accepiſſe, vt pro Munimentis hęrere, quò cæſo Paſſerino, & valeſcentibus Gonzagis; ſi Reſpublica aut plebs tumultuaretur, præſtò eſſent, Gonzagos exturbarent, & auxilij ſpecie, Ciuitatem Dominatore vacuam, occuparent. Vtriſq; in idem concurrentibus, nulla inuicem ſuſpicio enata; ſed eâdem arte, diuerſos exitus opperiebantur. Vix forum attigerat Philippinus; & ecce amicorum præcipuos, obuios habet, denſo militum globo ſeptos, & ſublato in altum vexillo, cui tranſuerſę nigro & flauo coloribus lineæ inſertæ erant: Vetera Gonzagorum inſignia; ſiue vt creditur ab Othone primo, quem conſanguineum ferebant, & à quo primùm Mantuæ Marchionatus in eam familiam translatus fuerat. Vbi in vnum coïêre, incredibile dictu eſt, quantus ciuium numerus, odijs quàm armis inſtructior acceſſerit; libertatem, Rempublicam, mortem Tyranni requirentium. Rari fuêre qui orti tumultus nuncium afferrent; quòd ſæuitiâ, auaritiâ, inuiſus eſſet; cuperentq́; imparatum opprimi; ne qua promiſcua cædes oriretur. Et plerq; nullo in Gonzagos ſtudio, potius alium quàm Paſſerinum fouebant. Vt tamen certior ſeditionis; & quiſnam moueret innotuit, dubius incertuſq́; conſilij, in ancipiti hæſit; irêtne, & ſupremam auctoritatem objiceret, reuerentiâ inſoleſcentes compeſceret, an miſſis amicorum ac militum delectis, ſaluâ maieſtate, velut inſanientes ſubditos attineret. Fallax coniectura, nec ſolidum iudicium, vbi celeritate opus; nec hinc inde penſitari factorum rationes poſſunt. Quod promptiſſimum ſecurius viſum. Nec ex ratione, ſed euentu inferri poteſt peius fuiſſe, quod maximè opus facto credebatur. Ergo in publicum procedere, oſtentatâ firmitudine animi, & ſpe reprimendi motus, ex vſu præſentium ratus, arma equumq́; poſcit. Interim Philippinus ſuas iniurias, certam libertatem teſtatus, omnes ferè quibus ætas, aut vires erant, traxerat in partes; ſepſeratq́; fidiſſimis viarum effugia; ne

Gonzagorum inſignia.

prorum-

prorumpendi aut ferendi auxilij poteſtas hoſtibus fieret. Nec Paſſerinus milites conuocabat; ſeu temeritate ac ſuperbiâ; ſeu timorem ſui apud ſubditos pro præſidio habens. Familiam tamen omnem in armis eſſe, & ſi qui domum ingredi, munimento voluiſſent, admitti iubet. Quibuſdam infrequentiam amicorum, ac Ciuium inopiam accuſantibus, reſpondiſſe fertur; paucos ſuffecturos; non diſtincto fuiſſe, an amicorum cõmodis intelligeret. Mox armatus, ferociſſimo equo inſidens, in forum defertur. Mediâ D. Petri platea Franceſchinum filium obuium habet; qui ſe fugâ, hoſtium iræ ſurripuerat; deſolatus etiam à ſuis, quorum viribus & amicitiâ vti cõſueuerat. Hunc ergo regredi ſecum iubet. Sed Franceſchinus admonere, precari; ne ſe furenti populo, ſolum, indefenſum, inermem obijceret. Gonzagorum ductu totam Ciuitatem tumultuari, obſeſſa armis templa ac fora, fortiſſimis hoſtium portas teneri, ab vniuerſâ nobilitate ac plebe, libertatem, Rempublicam, cædem, ac vindictam conclamari: Nec cauſam ſcire; niſi Scaliger ac Gonzagi ſeditionem agitent. Ergo, ait, domum Franciſce reuertere, præſidio futurus: Ego me turbantibus medium dabo; ſuſpiciones ac rationes effictas eluſurus, daturuſq; auctoritate noſtris conſtantiam, aduerſis formidinem. Vix fori extremum, quâ in Vrbem iter eſt attigerat, & præcipites Gonzagos fratres videt, magno armatorum numero ſeptos; non paratos ſermoni aut precibus, ſed ſtrictos vltioni gladios proferẽtes. Nec tamen pauore aduentantium, aut victus eſt, aut terga minitantibus dedit; ſed ſilentium manu poſcens, auſus eſt tempus colloquio poſcere; & quamuis obturbaretur, perſiſtere. Quo furore, inquit, conciues, ſpes veſtras, meam incolumitatem perditum itis? Quis ex hoc numero, ſeu bello, ſeù pace, præmia ac dona imputare non poteſt? Cuius paupertas ſubleuata non eſt? aut afflictæ fidei non prouiſum? Egregiam ne hanc Duci veſtro gratiam rependitis, ditati & exculti? Sed hæc Principis munia, non priuati ciuis ſunt; nec ego dominationem, niſi volentibus vobis, iubente Imperatore accepi. Si vos mea munificentia, paratus beneficio animus offendunt, reddite pecuniam, agros, & ab his habita commoda; & ego inuiſum Principatum, inſidijs ingratorum obnoxium depono. Sin perdere veteres dominos, & nouos experiri animus eſt; ſcitote non cædem meam, non vobis conſilia profutura. Gonzagi perdere forte ſcient, donare neſcient: Inſitam Longobardorum ſæuitiam, libidinem referentes, ductu ac ſcelere veſtro, ſibi potentiam comparabunt; toties Ciuibus Mantuanis, hoſtes, infidi, exoſi. Creditíſne, eam illos Rempublicam in priſtinum reddituros, cuius imperio ſe exactos ciuitate, exutos ordine, ſpoliatos poſſeſſione bonorum, præter ius, faſq; exiſtimant? Vbi accreſcere multitudinem, & hærentem incertamq; conſilij videt (quaſi permouiſſet, ſed alij expectabantur) excipit denuo: Haſne Scaligero Ciuitatis inimico, Veronenſibus æternis hoſtibus, Papæ quietis turbatori, hoſtias cadere, aut flagitium tanto crimine piare exiſtimatis? Nemine interim reſpondente, ſed nec ſuppetias ferente, in denſiſſimos fertur, orans, cauſam ſeditioni exprimerent; ſe cunctorum voluntati paratum, ad-

eſſe

eſſe inermem ac ſolum, teſtimonio innocentiæ. Et ſueta populo viri auctoritas, opportunus tempori ſermo, mixtæq; per interualla precibus minæ, plebem flectere, & ad molliora conuertere cęperant. Niſi Caſtelbarcus qui tum irruperat, comitantibus Agnellis, Gornis, Andreaſijs, Buccamaioribus, quiq; nobilitatis præcipui in partibus erant, ſonoro ſtrepitu, & infeſtis armis, ambiguos erexiſſent. Gonzagi fratres in dubio erant, an exequerentur: Tanta illis innocentiæ cura. Sic impetu armatorum, clamore ſingulorum, aduerſa telorum acie, turbatur, vrgetur, fugatur. Quippe vbi nihil præſentia profuiſſe, nec ſpem ſine armis vidit, quod ſecuriſſimum in tempore credidit, præceps fugâ domum ſe proripuit. Sed Albertus Sauiola, viam ante cæperat; & vbi trepidantem, & è cætu elapſum Tyrannum excepit, ſtricto enſe obuius proceſſit, mediūq; transuerberauit. Ille ſeu conſilij inops, ſiue equi pernicitate abſtractus, dum Palatium repetit, Portę anguſtijs obnitentibus, ſupremo limini caput ad mortem afflixit; non enim vi vulneris adhuc corruerat. Accurrêre qui proſequebantur; & quamuis exanimem, ingeſtis vulneribus confodêre. Ad extremùm plebis ludibrio reliquêre; ſimul in Paſſerini ædes impetum fecêre. Franciſcus ac Butirorius fratres, volutatis ad ſcalarum anguſtias impedimentis, tutari ſua, & irruentes hoſtes retinere crediderant; ſed vbi maiorem ex aduerſo virtutem, Parentem extinctum, nullam in numero aut amicitijs ſpem vident, tamquam nîl mali meruiſſent, ſponte ſe populo captiuos dedidêre. Sed ferè illata iniuria, patienti æterna, inferenti minima eſt. Pauci, reſiſtere, aut decertantibus arma inferre auſi, cæterorum exemplo cæſi ſunt. Euulgatâ Tyranni morte, & ſtrepitu armorum horrente Ciuitate, maior moles ſupererat. Qui enim Bonacolſis amicitiâ, obſequioq; cogniti, quique Gonzagis minus fidi crediti, domi ſe continuerant, iunctâ vicinorum ope, collectis armis, militibus, ne victorum impetum retinerent, aut ad tempus turgeſcentem iram morarentur, metuebantur. Sed vbi expletâ in Paſſerinum irâ, furor deſæuijt; dictu mirum quo populi applauſu, quot feſtis vocibus acclamatum victoribus, quâ fiduciâ ciues fuerint. Quòd tamen incerta vulgi ſtudia, & diſſona ſententia eſt; reperiebantur qui Paſſerinum tamquam ſcelere peremptum miſerarentur, eiuſq; deſiderium, memoriâ virtutum reducerent; Vt repreſſus Scaliger, domitus Eſtenſis, Pulſus Pontificius Legatus, additum dominationi Regium, Mutina, Aſola, Caſalemaius, territorij fęcunditas corriuationibus aquarum, Euripiſq; comparata, nobilium ciuium in ſpeciem ac ſalubritatem, eductæ eo conſulente domus, ſtratæ Vrbis vię, firmata Ciuitatis munimenta, effoſſus, & nouis influxibus Mincij, adauctus lacus, conſeruata cum Cæſare amicitia, recolebâtur. Nec prudentia ſilebatur; vt ſimulare, tegere, oſtentare, palam agere, pro tempore, pro occaſione nouiſſet. Obſeruabatur & licentia, quæ corruptis moribus gratiſſima eſt; & præ cæteris munificentia; pleriſq; Ciuium & bello & pace ſubleuatis; poſtremò abolenda ſtirps, & Paſſerini coniux iniurijs victoris expoſita, miſericordia quorundam animos perſtringebant. Nec id Aloyſium fefellit; ſed

Paſſerini cædes.

Filij captiui.

ſed quò flagitij inuidiam auerteret, & factis conſtare rationes doceret, tubâ, precone, ſono campanæ Senatum vocat. Affuêre plurimi; & qui domi ſe metu attinuerant, cum inermem, ac ſolum, ſine filijs; ac ne cum famulis quidem, vt priuatum, atq; è Senatoribus vnum, prætorium ingredi relatum eſt, pariter acceſsêre. Vbi ſuus cuiq; locus datus, vt coacti Senatus cauſam, ſuam modeſtiam, ſumptæ vindictæ occaſionem doceret, ſic orſus eſt: Longa annorum ſeries eſt conciues, ex quò ſedibus patrijs egreſſi, vobiſcum in vnã fidem, ac eaſdem leges conuenimus. Nec enim antiquum imperium, habitamq; vi & ſuperbiâ dominationem refero: quæ vt longa domus noſtræ decora, ita feros mores maiorum referunt. Sed amœniore cęlo, mitioribus conſultis aſſueuimus; & temperantiæ documentum, primus Corradus cum Adhelberto conſanguineo, huius Vrbis Marchione, poſteri cum Mathildæ ſimultatibus, ego ac filij, cum Bonacolſi liuore dedimus. Prior tenui re conceſsâ contentus egit; ſecuti eandem fortunam maiores mei, eandem Mathildæ ſæuitiam, pari fide tolerarunt; nos extremi, inſolentiam, ſuperbiam audaciam; pace, fide, obſequio compenſauimus. Quîn Marmirolo pulſi, & bonorum parte in Fiſcum Reipublicæ verſâ, dolorem abdicatione, non armis prætulimus. Nemo nobis niſi bonam famam, quietis ſtudium obiecerit. Senatus huius arbitrio, ad contemptum vſq; tranſegimus. Et poteramus nunc quoq; placabilem Tyrannum reddere, ſi aut ipſi in conſilijs probitas, aut filijs in potentiâ modus fuiſſet. An creditis honori nominis, Patriæ libertati, incolumitati ſingulorum, aliter, quàm armis prouideri potuiſſe? Viles enim ſuos, ſed viliores nos habuit; vt opum, nobilitatis, auctoritatis ſuſpectæ, & vt alienos. Ceſarûmne ſanguinem, & vetus Imperatorum decus adſcitum, recentes, nuper nati, è plebe ad Principatum euecti, dehoneſtaturi ſunt? nec generis memores, obnitemur conſilio, armis, virtute. Priuatas iniurias quidem, ſed eodem ictu, etiam publicas vlti ſumus, ſublato Tyranno, & ſumptâ vltione tot ſcelerum. Nec mihi aut meis potentia quæſita eſt. Liceat innoxijs Ciuitate vti, frui rebus ſuis, amicitias per aperta & ſecreta, nullius damno exercere: Et quod ne Barbaris quidem à Regibus negatur, coniugum ac filiarum pudicitiam tueri. Teneat antiqua munia Senatus; cuius volũtati ac imperio libens accedo; & ab omni æternitate, flagitioſa Tyrannidis memoria decedat. Si quos res ſuæ, vel propinquus Bonacolſis ſanguinis extulit, aut admiſſa cædes, ſine metu, ſine offenſâ laceſſiuit; hi ponant odia, nullo vſui futura; in mutuam Patriæ caritatem concurrant; & cautione, perpetuæ quieti, nobis quoq; conſulant. Et ego armatum militem, pedeſtres equeſtresq; copias, cum Magiſtratu & ordine reſtituo. Non enim niſi tutelæ hæc comparata habeo: Sîn exercere ſimultates, & in ruinam Patriæ armis contendere malunt; ſciant non animũ, non vires, non amicitias Gonzagis deeſſe; & mutuâ diſcordiâ, eam pacem conuelli, quæ Ciuium libertati ſufficeret. Hinc Vicecomes, hinc Eſtenſis; Et quando torpeant, inter Pontificem ac Imperatorem medij, huius illiûsve præda erimus. Non adeo nobilitatis ac prudentiæ indiga Ciuitas eſt, vt

Aloyſii oratio in Senatu

paruam

paruam perditiſſimorum hominum iacturam, ſupplere non poſſit. Deniq; communi bono in commune conſulatur. Nulla nobis odia; nullâ vindictâ opus eſt: Nec in amicos ac conſanguineos Paſſerini inuehimur, quos neſcios contumeliæ nouimus. Sed amotis qui iniurias intulêre, quidquid irarum fuerat, in Senatu coram deponimus; Deumq; immortalem, meorum omnium vice teſtor, ſi ſuſpectis ita viſum fuerit, ſimul cum ſermone inimicitias omnes obliteraturum. Captiui, ſcintillæ odiorum reliquæ, aut detineantur, aut quòd honeſtius eſt concedantur. Nam cum ſcelera omnia tempore intereant, inimicitiæ & odia quauis ætate inualeſcunt: iuuentute ob animi ardorem; ſenectute ob conſtantiam: Et ea morum conditio eſt, vt vindictæ ſtudium, peruicacia cõtentionum, ius armorum, & honoris & virtutis nomine inſigniantur. Honeſta Reipublicæ Gonzagorum cauſa viſa eſt, & Aloyſius moderatione, temperamento commendatus; imperium Ciuitatis parantibus fatis; & occultâ ſuorũ inclinatione, dominationem procurante. Reſponſum à Senatu eſt; ſibi multò ante perſpectam Paſſerini tyrannidem, ſæuitiam, ſuperbiam, auaritiam; Nec degeneres parenti filios, veſtigijs inſtitiſſe. Plures ob Reipublicæ, quàm priuatorum offenſiones, vindictæ cauſas; Quas cum Gonzagi honeſtiſſimo, iuſtiſſimoq; nomine executi ſint; decere vt ab omnibus accepti beneficij gratiam referant; facinusq; immortalitati ſacrandum. Approbare cædem, orareq; in fratres totamq; familiam animaduerteretur, ſeruilem in modum. Nullum enim flagitij, nullum culpæ innoxium. Cæteris quos amicitia aut conſanguinitas in partes traxiſſet, ignoſcendum; ſi Reipublicæ, ſi Gonzagis ſacramento cauiſſent. Oppreſſo ſeditionis ac tumultus auctore, veteres iras condonari, & in nouã

Mantuanorũ pro Aloyſio Decreta.

pulchrioremq; formam Rempublicam renaſci. Teneret Aloyſius præſidio populorum militem, eumq; è publico nutriret: Ne non benè pacatis motibus animorum, exteri in ſpem erigerentur, aut occaſionem turbarum aucuparentur. Si quid aut ſaluti ciuium, aut indemnitati Gonzagorum expedire viſum fuiſſet, Rempublicam ac Cæſares in tempore decreturos. Paſſerini filij, & quòd familiæ ſanguinisq; erat, ſilentio tramiſſi; tamquàm Aloyſij poteſtati dederentur. Quippe cum laxâ cuſtodiâ à Philippino attinerentur, reuerſus in Vrbem Feltrinus, Centum quinquaginta ſuorum ambiuerat; ne per alienas manus etiam alerentur. De fugâ primùm; mox ob formidinem pęnę quam meruerant, etiam veneficium ſuſpicabatur. Quãquam etenim pręualidis ſceleribus ſęquę ac ſuos inquinaſſent, inerat tamen nobilitas natalium, quâ credebantur ſpontaneam mortem, quàm ab hoſtibus irrogatã prælaturi. Inuiſi miſerrimi & Ciuibus & Gonzagis erant; ſed niſi Feltrinus acceſſiſſet, ne clementiâ parentis, precibus amicorum exoluerentur, metus erat. Et Franceſchinus Paſſerini filius, vbi ſe in Feltrini manus incidiſſe accepit, de ſuâ ac ſuorum ſalute ſpem abiecit. Ad extremùm datis ad Cæſarem literis, quantùm Vrbs Conzagis debeat, quâ modeſtiâ cum Principem agere liceret, ciuilitatem exercuerint docuêre. Erat interim Aloyſio miles aſſiduus: non Ciuitatis potius, quâm cuſtos

ſalutis:

Digitized by Google

ſalutis: Qui Gonzagorum inſignia ſecutus, non alios Duces, non alia imperia accipiebat; nec Senatum niſi nomine nouerat; quamuis è publico ſtipendia ſoluerentur; & ſe Reipublicæ ſatellitem dici permitteret. Perſuaſerat iam non Italiam ſolùm, ſed Germaniam quoq; occiſi Paſſerini fama. Et erant qui Ludouici Imperatoris, abſentiam ac negligentiam accuſarent. Potuiſſe quippe ſolâ præſentiâ, inteſtinas Ciuium diſcordias componere; & Vrbem numero ciuium, & nobilitate præcipuam, Imperio ſibiq; firmare. Ille grauioribus, vt rebatur, intentus; quando parum fida Germania, & ex diſceſſu, ſeditionum metus erat, nullâ Paſſerini curâ tranſigebat: neq; eo proceſſuras inimicitias credebat, vt ſanguine decernerent: Et qui perniciem ciuitati meditabantur, ad alia diſtrahebant; vt irremediabiliter opprimeretur. Tridenti agebat, cum Gonzagorum ac Bonacolſorum literas accepit. Gonzagi non Tyrannidem ſolùm (quam negligi ab Imperatore crediderāt, vt pecuniâ venundatam) ſed acceptas iniurias, vetuſtam cum Cæſaribus affinitatem, continua aduerſus Imperatores ſtudia, promptam miniſterio voluntatem; necnon quibus Ludouicum officijs coluiſſent, referebant. Neq; vis aut efficacia dictioni deerat: Magnis enim muneribus, (qui cum ſupremis Principibus mos eſt) aulā omnem expleuerant; ſpemq; maiorum addiderant, ſi apud Imperatorem meminiſſent, vt datâ Paſſerino potentiâ, in ambiguo Gonzagos habuiſſet; tantò magis meritos, quantò petitione abſtinuiſſent. Hæc per literas. Per fidos nuncios cætera agitabantur; ne ciuibus ſuis affectatæ Dominationis, & per flagitium cædemq; Paſſerini quæſitæ, ſuſpicionem darent. Bonacolſi ſtudia obſoleta, quòd futuris haud quaquàm augeri poſſent: Ideoq; emptam Patriam auro, datam toties pecuniam, venalem Principis voluntatem, quò acrius referebant, eò magis auerſum deſiderijs Cæſarem reddebant; velut dedecore notaretur, & turpitudinem, quam tegi mallet, improperarent. Ipſe Paſſerinus, ſecretis per Italiam amicitijs, communione conſiliorum cum Vicecomite, aut Scaligero (quibus imperij maieſtas labefactari videbatur) pridem inuiſus, & parum fidus habebatur. Totam nihilominus familiam, plures annos Imperatorum arbitrio Mantuæ dominantem in exitium dari, & credito flagitio, non conſulto Cæſare Vicarium extingui, animo obuerſabantur. Sed longius erat, quàm vt vindictam agitaret: & quando Imperator, amicitiæ renunciaret, recenté tamen Gonzagorum munificentiam experiri, frequentioribus donis, eò magis affuturam, quò pauciora præterito contuliſſent, non dedignabatur. Iam vniuerſam Ciuitatem, minus poſſe quàm Gonzagos nouerat; vt familiæ vnius ſtudio, Imperij obſequio, tota Vrbs ſeruaretur. His alijsq; quibus vt aduerſis fluctibus vrgebatur Imperator conſilij anceps pendebat. Quidam opperiendam Gonzagorum petitionem, quâ ſe præfici orarent ſuadebant. Idq; honorificentius Imperio eſſe, ſi non proprijs viribus potentia, ſed donatione Ciuitatem accepiſſent. Gonzagis alia morum via, ſuâ vi niti, militem ac pecuniam vſui ſeruare, è publico alere, è priuato inſtruere; non poſcere dominationem non oblatam reſpuere, pares cùm Republicâ rationes

habere,

habere, plurimùm recepere, minus affectare, non priuatæ, non principalis conditionis, ſpeciem præbere: abſtracti, abſtruſi, abditi, non intellecti, niſi id quoq; in rem præſentem faceret: Palam modeſtia, intus antiquę iuriſdictionis apiſcendæ amor, publicè Senatus, Reſpublica, commune bonum audiri, clam priuatis rebus, proximæ potentiæ omnia comparare. Sed quamquàm intenſè cuperet Aloyſius, ſecum tamen & cum propriâ conſcientiâ luctabatur, an ſexageſimum ætatis annum, pace ac quiete habitum, deſpectui cæterorum, ſuæ ruinæ adijceret; partamq; toties, prudentiæ, caritatis & pietatis exiſtimationem, momento infeliciter luderet. Carolus Andreaſius, turbidis rebus ſine nomine, proſperis grati animi depræhenſus, hærentem, & rationum multitudine hinc inde fluctuantem, ſic ad certiorem ſpem erexit: Non eadem conſilij fortitudiniſq; ratio Aloyſij eſt, plures iudicio, multi impetu valent. Me tenues res meæ Gonzagis impares delitéſcere, metuere, ambigere, coëgerunt. Vbi occaſio benè agendi euenit, non pecunijs aut milite approbanda voluntas fuit. Daturus certum amicitiæ ſpecimen acceſſi; quia conſilio locus eſt; ſi viribus enitendum foret, poſſem voto, non auxilio reſpondere. Sed ſuus ſapientiæ, ſuus fortitudini, ſuus opibus locus eſt: Et nunc partes meas impleo, non coactus ſed libens, non adulatione, ſed quòd pœnitus ſentiam. Inter Ludouicum ac Pontificem, ea animorum diuerſitas intercedit, quæ nec morte quidem ſit finem habitura. Non enim viri, ſed poteſtas, auctoritaſq; concurrunt. Scaliger non potius ſuis ſtudet, aut alienis inuigilat, quàm inhiat Mantuanis. Vicecomes aduerſus eſt, non odio noſtrûm; ſed ne Scaligeri potentia increſcat. Foris omnia turbida, domi in pace ſunt: Et Rempublicam, plebem, ciues habes, ſeruitio paratos, dominorum vacuos. Tantùm ſpes inanes, & grata in faciem prepone. Ciuium nemo libertatem pridem abolitam, nemo Senatus vires nouit. Et ſi quis callidior eſt, ſine poteſtate, ſpectatorem cenſoremq; irritum aget; & cũ omnia præuiderit, nulli proſpicientem. Hæc ignauia dubio procul Bonacolſos impulit ſumma meditari. Et quamuis æmulos haberent, conſecuti ſunt. Scilicet Gonzagi abſtinuêre; cæteri inani queſtu obſtrepebant. Num ſine competitore victoriam auerſabere? Non amplius Aloyſi ille Senatus ſumus, qui Cæſaribus aut Pontificibus, pro arbitrio reſpondimus; & municipalia iura, armis tutati ſumus. Elapſum eſt, abijtq; tempus, quo nefas, nec niſi cum pœnâ erat, videri dominationem voluiſſe; ſecordia nunc eſt recuſare. Poſſe ac velle, beneficio temporis tibi in idem coincidunt. Et poſſe ex ciue Principem fieri; non Paſſerinus tantùm, quiq; eâ de familiâ ſummum locum tenuêre, ſed domus tuæ quinq; Marchiones documento ſunt; non ante quàm dicerentur Principes aſſumpti; ſed vbi meruerant. Carrarios, Scaligeros, Caualcaboues, Vicedominos taceo, qui ſatis te exemplo admonent. Si occurrendum diſcrimini; ſi ſexaginta anni periculo obijciendi, quo id honeſtiori nomine, quam repetiti dominij crediderıs. Scio cognoſces bene vitam honore mutari; & pulchrius ceſſeri, auſum altiſſima, quàm meritum, formidine ſiluiſſe. Tibi Principũ vetus nobilitas, nexus Cæſaribus ſanguis,

Carolus Andreaſius Aloyſium hortatur.

Ciuitatis

Ciuitatis ſtudium, antiquæ opes, & ad nutum miles compoſitus; imo ſi addere concedis, torpeſcens Imperator, Patriam oſtendunt. Simul vt prauæ cæterorum ſpes coërceantur, tres filij: & ſuperſtite & ceſſuro Patri adminiſtrationis auidi. Nec tamen eò licentiâ progredi velim, vt præcipiti ſtudio, deſiderium regnandi efferas (nam cûm omnes cupiant, ſoli tamen qui publicè auerſantur excuſandi) ſed occupanda vulgi ſtudia, vnius dominio ſueti, Senatus beneficijs ac promiſſis onerandus (non enim maior auri vſus eſt) vt volens acceſſiſſe, & inuito contuliſſe videatur; deniq; Imperator aliorum, quàm tuis precibus annuiſſe fateatur. Nihil in periuro, ac ſacrilego Cæſare, nihil apud hoſtem Pontificem etſi inualidum, ambitui, precibus, pecuniæ imperuium eſt, miniſtrantium auaritiâ. Et quod Bonacolſi per aperta ſcelera, Gonzagi ſecretâ ambitione, manifeſtâ ſpecie honoris, modeſtiæ, nobilitatis, minori ære ſunt emercaturi. Caue adulantis ſpeciem paueſcas, permitte Senatui electionem, mihi dicendi locus ſit; & nî pronos in vota Ciues habes, vt inſenſum ac infidum exclude. Aloyſius licet quæ dicebantur, ex vero, non ex ſpecie æſtimaret; ne tamen peruicaciâ negandi, vergentes in ſuam fortunam motus interrumperet, modeſtiâ vſus eſt. Magnum Reipublicæ momentum, impares vires ſuas, amorem Patriæ interijciens, vt nec ambitus, nec repugnantiæ indicium offerret. Quod tamen ex virtute ſumi poterat; Andreaſio reſpondit; ſe Senatus ac Cæſaris Imperio præſtò eſſe. Nec niſi ex vtriusq; placito ad maiora progreſſurum. Aloyſij filij, ac ſi præter vltionem nîl aliud in votis habuiſſent, Parenti curam omnem, (nam ſolidæ prudentiæ nouerant) commiſère, ipſi obſequio ac manu, cuicunq; ſenis imperio affuturi. Iam verò Aloyſia Paſſerini coniux, Eſtenſi Marchione genita, viduam ſe, & hoſtium ſæuitiæ expoſitam, nîl ſibi veteris decoris, aut ſoliti comitatus eſſe, per ſecretum, per manifeſtum querebatur: ſibiq; ac filijs parem exitum deprecabatur. Cæterùm quamquàm toti familiæ pernicies maneret, fœminilem tamen innocentiâ ſeruare, pœnitus Aloyſio fixum erat; vt pietatem ſuis & exteris oſtentaret; daretq; experimentum, quid de reliquis, & amicis præcipuè facturus eſſet; qui ſtirpem hoſtilem, non in totum ſubuerteret. Imperium enim affectantibus, vtilis opinio clementiæ. Hanc extrema quæq; metuentem, Aloyſius mixtus dolore ac lætitiâ, poſt veſpertinas epulas inuiſit, ac bono animo eſſe iuſſit; nec coniugis caſum plus iuſto lugere; quando promeruerit; & in eius cæde, Gonzagorum odia conquieuerint: Dare ſe id innocentiæ, ætati, nobilitati; nec quamquam nocentem perituram fuiſſe, ſi ſupplex veniam popoſciſſet. Suam quidem ſortem, reputatione præteritorum dolere, ſed non ideo vitæ aut honoris iacturam deplorandam, quîn potius regio comitatu inſtructam ad ſuos reuerſuram; vt Eſtenſes eodem actu vindictam ac pietatem conijcerent. Interim ſe profectioni, in futuram lucem accingeret, cariſſima quæq; aſportaret, ſeruitia ac ſocios arbitrio deligeret; ſe cuſtodiam, commeatus, pecuniam; & ſi quid in votis habeat, abundè ſumminiſtraturum. Die orto ad ima palatij, triremis ſubſtitit; in quam Aloyſia ſeruos, ancillas, aurum gemmasq;, qui-

Paſſerini vxor Ferrariã remittitur.

Y bus

bus ſolebat cultus ſuos inſtruere, tranſtulit, & ſecundo flumine deuectæ. Aderant quoq; onerariæ, fido milite in ſpeciem ac neceſſitatem diſpoſitæ. Et Ferrariam deducta ad ſuos, quamquam Aloyſij pietatem laudibus ferret, quem erga ſe clementem experta fuerat; neſcia tamen tolerandi, paucos vitæ menſes addidit, ſecreta, continuo luctu inuoluta, & principem fortunam diutius experta, indocilis in æquo ſubſiſtere. Quidam dolore victam, ſummâ aduerſus coniugem caritate volunt, cunctantia, extrema manu armatâ accelerauiſſe. Nos vtrumq; ex fide eorum qui tradidêre, retulimus. Gonzagis maior Franceſchini ac Butironis cura inerat. Ille iniuriâ ac ſuperbiâ pridem inuiſus, cauſa malorum fuerat: Hic ſuſceptis liberis, exoſam progeniem, & longam odiorum materiem cõtinuare videbatur. Et quamquam aſſiduis precibus Philippinus à Patre Franceſchinum explendæ vltioni requireret; efferos tamen filij ſpiritus Aloyſius attinuit; nec ſuorum manibus cadere voluit; quos ad cædem natiui non minus, quàm exteri flagitabant. Sciebat Mirandulæ comitem, ſummo in Bonacolſos odio, Pontificium Legatum, Scaligeros, cæterosq; potentiorum vindictę adſpirare: Et ex prudentiâ eſſe fugere inuidiam, & famam crudelitatis in alios transferre. Nec tamen incolumes ſeruari, aut priuatæ aut principi fortunæ expedire nouerat; tamquam in tempore rebellaturos, aut extortam potentiam requiſituros. Hinc arctiori cuſtodiæ commiſſi, & ſæpius quid in futurum agere expediret, cum ſuis ac ſocijs conſultatum. Suſpenſos occaſio expediuit, & neceſſitate, promendæ ſæuitiæ crimine, abſoluit. Nam per ea tempora, leues inter Bonacolſos ac Mirandulanos contentiones erant, & plerię; ciuium Mantuanorum, apud Comitem captiui attinebantur: Quos ille non auro rependi, ſed honeſtâ belli commutatione recipi volebat. Delatæ Mantuam captiuorum literæ fuerant, libertatem auxiliumq; à Senatu, ac ſuis implorantes. Nec pacto Mirandulanum abſcedere, ſi pari lance merita & vincti, hinc inde æſtimarentur. Raros tamen Mirandulanos captiuos Mantuani habebant; quippe plures acies abſtulerat. Res in Senatu agitata; cumq; pauciores qui redderentur occurrerent, de Bonacolſis dubitatum, an dedi pro Ciuibus deberent; Sed nec Senatus à Gonzagis, quod occaſione, & belli velut iure acceperant, repoſcere; nec Aloyſius niſi oratus pacto inimicos tradere volebat. Niſi Sauiola vtrorumq; voluntatis non ignarus, & commutatione captiuorum, Reipublicæ, Gonzagis, Ciuibus ſimul ſatisfieri ſciẽs, rupiſſet ſilentium, & de conditionibus agitaſſet. Præcipui Senatorum non inferendam Gonzagis vim, quorum virtute libertatem recepiſſent; nec publica commoda, priuatâ illorum iacturâ procuranda referebant. Si tamen eâ probitate Aloyſius foret, vt non in communi, ſed ſingulis quoq; libertatem dari vellet, id quoq; Rempublicam meritis acceptis annumeraturã, quibus nobili familiæ illigetur. Dummodò partibus ex æquo caueretur. Aloyſius Ciuium ſuorum placito, captiuorum receptioni ſuffragatus (etſi diſcrimini res ſuas, ſeruato hoſte obijci teſtaretur) paratum ſe commutationi ait. Habeat, inquit, à nobis id quoq; Patria, vt in ſuam gratiam maximas

maximas iniurias condonatas ſciat; vtróq; reliquias inimicorum ſeruare; quibus integris,ſit perpetuò inter turbas actura. Quid ſibi ac ſuis debeatur, non captiuos ſolùm, ſed nexos conſanguinitate ac amicitijs, dato experimẽto gratitudinis dijudicaturos. Sauiola vbi pronos commutationi vidit; antequàm hinc inde pacto tranſigeretur, citis ac diſpoſitis equis Mirandulam deſertur, & Comitem acerrimo in Bonacolſos odio flagrantem, in illorum perniciem accendit. Quibus inſidijs petitus, quot cladibus inuito Senatu affectus, quàm pulchram ex perditiſſimis hoſtibus,ſuo, Gonzagorum, Mantuanæ Ciuitatis nomine vindictam ſumere poſſit, oſtendit: Vtq; id Scaligero, Vicecomiti, Caſtrucio, atq; adeo Pontifici iucundum futurum ſit, proſequitur. Sed oneratore odiorum opus non erat,infenſiſſimo Bonacolſis Mirandulano, qui dominationem ipſam in necis præmium ſponte obtuliſſet. Vbi ſolos Bonacolſos, tot Mantuanis æſtimari vulgatum eſt, lætari Ciuitas, exultare Senatus, vulgus effusè gratulari cœpit; ſolutiq; cuſtodiâ Mantuani, illicò ad ſuos rediêre. Bonacolſi omnes certis natalibus geniti, magnâ Comitis militiâ recepti,& Mirandulã delati ſunt. Quidã præter Franceſchinũ ac Butironem, duos alios infantes referunt, ex Aloyſia Eſtenſi, Paulum, Iulium; Alij hos Franceſchini filios dicunt; plures prorſus non meminêre. Omiſſos tamen nonnullos furto habitos opinio eſt. Illi vbi ſe præferoci hoſti dedi accepêre, præſagium mortis interpretati ſunt. Nec tamen Franceſchinus dimiſit animos; ſed vbi coràm Comitem habuit; ſuam captiuitatem, Parentis cædem, opum amiſſionem fortunæ dedit. Auſus etiam virtutem ac conſtantiam profiteri; nec vt Mirandulanus eius beneficio ſeruatus foret,reticere. Addidit poſtremò pro Butirono, ac innoxiâ ætate preces. Quas ille immoto vultu,& minitabundo quàm placato propior excepit,breui ſermone vſus. Speraueras Frãceſchine ademptâ fratri meo vitâ,etiam Ciuitate potiri: ſecuta cauſam fortuna; vt ex te cæteri diſcant, inſidias, & immeritam feritatem, plerumq; in auctores recidere. Vſus Paſſerinus in Comitis fratrem immanitate erat; quem acerrimè dimicantem,& iam confectum vulneribus, profundo carcere fame peremerat. Sic redditum miſerrimis odium, & ad vnum omnes cruciatibus lacerati. Quidam inediâ abſumptos volunt: nec de ijs amplius quæſitum, ſiue negligentia, ſiue contẽptu. Adeò gloria omnis Bonacolſorum in vno Paſſerino erat; cæteri famâ non merito aut exiſtimatione vtebantur. Sauiola tamen, non ſemel iureiurando Aloyſio firmauit, Bonacolſos perituros, magno ac implacabili Mirandulani odio; cui ne morte quidem Paſſerini ſatisfactum fuerat. Vt ferè grauioribus inimicitijs; non opes, non vita, non exiſtimatio, ſatis ad vindictam creduntur; niſi cum familiâ omni, pariter & nomen è viuentium memoriâ tollatur. Crediderãt Bonacolſi cum vincti ac cathenis onerati Padũ traieciſſent, habere Eſtenſes obuios, qui amore Aloyſiæ, libertatem exprimerent: ſed ſerò didicêre, conſanguinitates apud Principes interdum cogitatione & deſiderio potentiæ, non caritate contrahi: Et matrimonium laruam fidei, non certitudinem eſſe. Niſi etiam meminerant, iniquos ambi-

Bonacolſi Mirãdulano deduntur.

aduenam induci,qui domeſticã potentiam externo nomine inſigniat, an ex noſtris vnum deligi, qui prudentiâ & caritate ſpectatus, ſingulorum commodis proſpiciat. Plebs certè tot annos à Bonacolſis habita, quamquam Senatus nomen non auerſetur, vnius tamen imperio parere inſueuit; Senatum ſolo vocabulo; vnius potentiam, auctoritate & beneficio experta. Aegrè abduxeris à veteribus inſtitutis, quæ plures annos continuatione ſeruata, tamquàm in ius, ob conſuetudinem coaluêre. Ipſa Ciuitas cui permittatur, in incerto eſt; ne æmulatione potentiorum, aut ignauiâ ambientium peſſumdetur. Sed & ſi quem eligimus, is nobilitate, modeſtiâ, temperantiâ commendetur; quibus Reipublicæ opus. Qui ambitione, faſtuq; ducitur, diffidit virtutibus. Et ideo intruditur, quia vilis eſt; ingeritur, quia nemo ad Imperium vocat. Qui recuſat, abnuit, fallere nititur, is dignus eſt, ſiue æſtimatione ſui vileſcat, ſiue oneris magnitudinem reformidet. Regnare, qui rem in plano putat, & decipitur, & audaciâ procurrit: Erroris pœna in ſubditos abit. Quippe auctoritatis iacturam, excidium familiæ, is iure negligit, qui nec honorem in quæſtu habet. Arduum, contumelijs, ac periculis obnoxium eſt imperandi munus; tantò ſeruitute difficilius, quantò pluribus ſatisfaciendum eſt. Niſi maximis virtutibus, & temperãtiâ Aloyſius Gonzaga, ſe ſuoſq; domi continuiſſet; multò ante Bonacolſorum impotentiam, lacera Patria euitaſſet; & in certiorem ſpem increuiſſet, vſa domino meliori. Nunc prouiſum Reipublicæ bono ex virtute; exiſtimationi noſtræ, ex nobilitate; futuro ex modeſtia eſt. Nam ſummam virtutem habet, facilem potentiam aſpernari, oblatam vitare, priuatas iniurias Ciuibus ſuis condonare; & cum melior ſis, longiorem alterius libidinem tolerare. Nobis iudicij apud exteros fama accedat, quòd vetuſtiſſimæ nobilitatis antiquiſſimum, quiq; ante ſeruierit, deſtinamus. Et ne ex ſucceſſione metus ſit, ſumptum è familiâ, honeſtatis ac temperantiæ documentum. Sic ex præſenti, futuro videtur optimè prouidiſſe. Inter medios tumultus, inter arma, & inſtantes ceruicibus potentiſſimos Tyrannos, Reipublicæ ſpecie conſeruari non poſſumus. Nam vt ſine dominis obſeruãtibus, occaſionibus exponimur; ſic vno egemus, qui repentinis incurſibus, pari celeritate conſulat, & prouideat. Nec enim ſemper vocari Senatum, ſententias rogari, contentiones Patrum in noctem audiri expedit. Multa impetu, aliqua conſultatione egent; Ibi vnus, hìc plures melius intendunt. Ego quidem cenſeo, Gonzagos eâ modeſtiâ eſſe, vt liberam Senatui electionem permittant: Quamquàm illos ſeponi, negligi; & ſtrenuè nauatam operam, alterius beneficio cedere, iniuriam crediderim: Nec ex vſu præſentium putem, impunè nos magno nomini illudere, & familiæ, pridem contumelijs deſuetæ. Satis temperantiæ puto, ſi neminem deſignari patiantur. Si comparatio eâ nominatione ſubrepat, quis tãtâ iactantiâ inter Ciues eſt, vt nobiliſſimis natalibus, potentiæ, opibuſq; contendat? Sed quid fruſtra conſulimus? ſine Duce tuti non degimus; illi vt Magiſtratum accipiant orandi ſunt: Et vbi preces expoſuerimus, an acquieſcant ambigo. Mihi & potiſſimis huius

confeſſus patribus certum eſt, Senatum, ſed & Gonzagos colere. Et ſi Imperium Patriæ deferatur, minus illos à nobis, quàm nos pulſo Tyranno accepiſſe. Deniq; vt longè Aloyſium ab eâ voluntate puto, ſic conſultiſſimum ſponte, accipi potius dominum debere, quàm admitti. Pronis in ſententiam facilè fuit ſuadere quod expediret. Sic nequaquàm à præſentibus dubitatum, quò minus illicò decerneretur. Quem enim nobilitate & prudentiâ, tanto oneri parem? niſi veterem regnandi, & magnitudinem animi ab incunabulis edoctum, Reipublicæ præfeciſſent. exoletam iam Senatus auctoritatem; & ſuetos vnius Imperio populos nouis decretis vix acceſſuros. Solus Dominicus Aliprandus, cũ temperamenti ſpeciem præferret, irriſui potentioribus fuit. Prædixerat, oportere admoneri Aloyſium, an gubernationi Patriæ libens accederet; nec inconſulto eo deferri Principatum, quem foret reiecturus; ne non ambitis honoribus petitus, contumelias aut iniuriam interpretaretur. Scilicet eâ ignoratione erat; vt neſciret, hoc ipſum offenſionem habere; nec niſi ab ignauo dominationem aſpernari. Diſcors Aliprando Caſtelbarcus, imputari ſibi, ſi quid eo nomine, apud Aloyſium peccaretur, orabat: Et non rogandum ſed cogendum: illatam vim, hac ſolâ causâ laudari; ceſſurum enim Senatus conſenſui, expoſtulationi ſingulorum; & delatam potentiam caritate ſui interpretaturum; fidei ac pietatis

Aloyſius Capitaneus Mãtuæ.

nunquam rationem reddi. Itaq; leui ſuſpicione amotâ, Senatus conſultum firmatum eſt, quo Aloyſio Ciuitatis ac vniuerſi diſtrictus cura, in perpetuũ

1328. permiſſa, ſub generalis Capitanei nomine: Salutis Milleſimo trecenteſimo vigeſimo octauo; Auguſti vigeſimâ ſextâ. Decreti forma erat: Permitti Aloyſio merum ac mixtum Ciuitatis Imperium, Redituum, Annonæ, Iuſtitiæ curam; vt inconſulto Senatu, liberè Patriæ vtilitati prouideret, pacem bellumq; arbitrio curaret, amicitias inimicitiasq; profiteretur. Ad extre-

Bonacolſi hoſtes Patriæ dicti.

mum publicâ fide Bonacolſorum nex, & exitium approbatum, & ne ſine titulo eſſet, Proditores hoſteſq; Patriæ proclamati. Obſtrepebat interim Palatio, ſubiecto foro vulgus coactum. Quamquàm enim Aloyſij certiſſimam electionem, nobilitas potentia, affinitates, prudentia ſponderent (quibus artibus, nîl nimium aut inacceſſum eſt) ſecreta tamen inimicitiarum, & apud nonnullos viua Bonacolſorum memoria metuebatur. Par ex Scaligero metus; quem inhiare dominationi & occultis nuncijs, ciuium ac Senatus fidem tentare nouerant. Medio diei, laxatis Palatij foribus, egreſſus Senatus eſt, miſſiq; Reipublicæ nomine qui Aloyſium facti certiorem redderent, vltroque oblatam dominationem nunciarent. Reperio opinantes præſentem fuiſſe. Intuentus eſt intimo cubiculo, vt non ſui anxius, familiæ rationes deducens. Et vbi Senatus nomine adeſſe quoſdam accepit, ſolo Guidone filio, & vno famulo comitatus, legatos admiſit. Recepti pariter Ciuium nobilium pleriq;, qui priuato ſtudio, eâdem causâ aduenerant. Vbi totius Ciuitatis voluntatem, nemine diſſentiente accepit; ſummamq; dignitatem, quam non petijſſet, offerri vidit, paulùm immoratus reſpondit. Id ſe quoq; Patriæ amori dare; vt cùm ſubito accipere, & in ſuum ius transferre

poſſit,

poſſit, libeat tamen, Reipublicæ vnius diei ac noctis conſultationem concedere: Vt quod ſeu nimia erga ſe caritate, ſeu præcipiti decreto conceſſerit, poſſit maturatâ deliberatione corrigere. Neq; iniuriam reputaturum, ſi abnuentem excuſaſſent, aut illi diuerſa prætexiſſent. Se coram ſequentis diei Senatu reſponſurum. Ignoſcerent, ſi ipſe tardius reciperet, quàm illi darent; & non illicò admitteret, quæ vt honori, ſic oneri ſint accipienti. Accitos interim filios domi attinet; nec publico egredi, etiam ſequenti die iubet. Clauſæ fores, & Palatij ſecreta magno ſilentio abdita. Oderat iactantiam, & intempeſtiuam lætitiam, quæ cum oſtentatione eſſet. Feltrinus indignatus cunctatione fertur; quod altiſſima, vel cum caſu recipi debere crederet. Et Parens attinuit ſpiritus iuuenis, vt nullo vſui ferocientes: docuitq; tutò differri, quod auferri non poſſit; ſecurâ Vrbe, parato milite, conſenſu maiori, quàm vt expreſſus ſit. Ad extremùm cum potentia recipiatur, modeſtiam proferri debere; vt non alio nomine, quàm meritorum habita dicatur. Sed per Vrbem, templa, fora, ac domos ſparſi amicorum fidiſſimi, populi ſenſa, ſeniorum placita, ac promiſcuos vulgi ſermones obſeruare iuſſi, & profundâ nocte referre. Miſſis à Senatu honos habitus, & domeſticis epulis, nullo luxu excepti, in veſperam detenti ſunt; ne importunis interrogationibus, Aloyſij ac filiorum animi detegerentur, ſignoq; aut dicto perrumperentur. Sequens dies celebrem Senatum habuit; cui paucis comitantibus (nam cætum gratulantium excluſerat) Aloyſius interfuit; vultu adeo compoſito, vt nulla exultantis animi inditia præberet. Vix ingreſſus Curiam eſt, & feſtis Patrum vocibus excipitur; non iam cum futuro, ſed vt cum facto Principe agentiũ. Ergo apud omnes ita egit. Siue collatam Dignitatem ratam eſſe vultis, ſeu vos pęnitet electionis (vtrumq; enim Reipublicæ integrum reſeruo), acturus gratias accedo Patres conſcripti: Inde onus ac inuidiæ metus, hinc ſubleuatio, & optata ſenectuti meæ requies cõparatur. Aliter ſe ipſum quiſq; æſtimat, ac à vulgo iudicatur. Nec ſemper opere, quamquàm optimæ voluntati reſpondemus. Etiam nolentes delinquimus; eoq; nomine imperantes acrius accuſantur, quòd opinionem eluſerint, quòd inuidiâ vrgeantur. Ego me è ciuibus vnum, nec prudentiâ aut rerum experientiâ, cæteros anteire credo; vos vti potiorem, & dominationi aptiorem eligitis: Ego prono in cunctos obſequio, & officio paratus gratiſſimam aduerſus ſingulos, voluntatem ſeruo, vos me iam vt talem accipitis. Id ſi eſt, non vobis oranda modeſtia, aut mihi conſtantia eſt. Vtrũq; vobis ac Capitaneo ſuppetent. Si quibus perſpectæ res meæ, ij quomodo nihil excuſandum habeam, nouerunt. Niſi Tyranni cædem, qui ſeruituti Patriam, conuicijs nobiliores, iniuriâ minores vexabat, obijciant. Teſtimonium ingenio ſit, quòd nec mihi petita, nec vobis dantibus ſtatim accepta dominatio ſit; & quam vos in me, ego in vobis conſtantiam experiri malui. Sed effectis opus, vt vis ingenij innoteſcat. In pręſentiâ cum poteſtate, milites atq; arma depono, quæ vobis iubentibus in hanc diem, Ciuitatis, agriq; cuſtodiæ retinui. Si vnanimes acceditis, non timore aut ſuſpi-

Aloyſii oratio in Senatu

cione,

cione, & me talem vobis, qualem promittitis iudicatis; ſi deniq; vtilem Patriæ, & cuius Ciuium profectorum exiſtimatis, fidei ac caritati ſingulorum gratias ago, vberrimas relaturus, ſi quâ meâ operâ gratificari potero. Cæterùm vt precariò imperare non placuit, ſic niſi totam fidem, integram poteſtatem affertis, præeſſe renuo. Non enim frequentes calumniæ, ſubrepens inuidia, labore ac dolore comparanda. Idem qui ante Bonacolſos Senatus eſtis: Et ſi rationem adminiſtrationis requiritis, abſcedo; & in ordinem redeo. Si independentem potentiam, nec inuiti conceditis, eam cum precibus recipio; & obfirmato animo aduerſus ſuperbiam, metum, priuatas ſimultates, occulta odiâ. Nec enim niſi poteſtatis initio, Imperij, vitæq; rationem ſum redditurus. Optimæ voluntatis monimentum habete quòd neminem commendo, de nemine queror; & inuitus, vniuerſi Senatus exiſtimationi ſuccedo. Cum Bonacolſo ceſſerê ſuſpiciones, odia, timores. Et quod in nos Reipublicæ ſpecioſo titulo egit, libidine ac potentiâ admiſſum fateor. Senatus vbi cunctorum voluntatem, abolitam veterum ſimultatum memoriam, idem omnes ſponte velle, non ſine labore Aloyſio perſuaſit, tum primùm ceſſit: ne maiorem abnuendo, quàm recipiendo ſuperbiam oſtentaret. Non enim deſpectus Ciuitatis, & odium Patriæ vitari poterant. Quietè interim agebant, & velut amoto hoſte ſecuram pacem Mantuani laceſſebant, cum expectatione maior Aloyſius, publicas ac priuatas curas ebibat: Non Patriæ ſolùm, ſed exteris quoq; proſpiciens; quorum conatus aduerſos, in Patriæ ſeruitutem tendere nouerat. Sed præcipuus ex Scaligero metus, quem Patauio potitum, propria inquietudo, Ludouici Imperatoris fauor, ſupra reliquos attollebat, vt inſatiabiliter ambiret. Nec ſatis expectationi, & ſecuritati ſuę rebatur, niſi Mantuam quoq; in poteſtate haberet; agri fęcunditate, populi frequentiâ, mœnium fortitudine, militum numero celebrē. Accedebat recens in Gonzagos alienatio; quibus vt extinguendo Tyranno in rem præſentem vſus fuerat; ſic partam alijs dominationem, vt ſibi ereptam implacabiliter ferebat. Apertæ vis nullus vſus; ditionem limitaneo milite ſeruante; & diſpoſitis apud Vrbem excubijs, ne quid inexpectatum, aut improuiſum occurreret. Itaq; ad certiora verſus, Socini agentem Cæſarem, precibus ac muneribus accedit, vetera merita, præſens obſequium, ingentem futuri ſpem proponit, ſi Mantuam Gonzago ademptam, ſuæ iuriſdictioni ſummiſiſſet; ſibiq; firmam eis Padum poſſeſſionem alij impermixtam eſſe vellet: quâ in infenſos, & Pontificem præcipuè pugnare, facili regreſſu poſſet. Intemeratam Scaligeri fidem, non vno experimento probatam; Deniq; infidam nouam fidem; nec tantum niſi expertæ potentiæ concedendum. Addit munera & pecuniæ vim, vt quòd honeſtis artibus non obtinuiſſet, auaritiâ perrumperet. Promptū Scaligero fuit, paratum muneribus animum flectere; & peſſimis innutritum, peioribus inclinantem, ſimilitudine vitiorum impellere. Datum Cæſareum Diploma, nullâ Aloyſij mētione. Quo Ciuitas, Oppida, Villæ, agri, quidquid ad extremum Mantuani iuris erat, ad Scaligerum deferebatur. Idq; Viceſimâ nonâ Aprilis,

Ludouicus Imp. cōcedit Scaligero Mātuam.

Mille-

Milleſimi terecenteſimi viceſimi noni. Addita tamen ſecreta Imperatoris mandata creduntur; vt Ciuium placito primùm ſubreperet; nec vim, niſi conſulto Cæſare inferret. Ciuitatis & adiacentium reditus cura, apud Laurentium Doneſmontum erat; ſenem probatæ prudentiæ, & aduerſus Ciues ac Gonzagos fidei. Hic dum ſubtractas publici rationes Goiti retrahit, ab infido ſuis Veronenſe, quid Scaliger machinaretur accepit. Neq; immoratus exactioni eſt, ſed cito equo Mantuam delatus, Aloyſium conuenit. Quid paraſſet Scaliger fide profugi ſubditi exponit; oratq; nouo motui, recentia mandata. Vtiliſſimum Patriæ ac Aloyſio fuit, conatus hoſtiles introſpexiſſe. Sed quia iam apud Cæſarem expleta negociatio; & irritæ querelæ populi credebantur, augere cuſtodias, addere ad Caprianam ac Oſtiliã excubias, ſatis viſum; vt reliquis in tempore occurreretur. Etiam publicè donatus eſt Laurentius, & ad omiſſas curas denuò remiſſus. Mantuani interim tuti externis interniſq; conſternationibus degebant: Nec metuebant Scaligerum, cuius conatus abundè fractos ſciebant, ſi præuiderentur. Sed ille quò poſſeſſionem dati Dominij auſpicaretur, nuncios Mantuam miſit; qui Cæſaris placita, ſuam modeſtiam, & magnam futurorum ſpem oſtenderent. Euulgata res plus Reipublicæ, quàm Aloyſio terroris incuſſit. In Senatum tamen inducti, longâ oratione Imperij reuerentiam, Scaligeri temperantiam, ac paratum placitis Ciuium animum proſecuti ſunt; lectiſq; Diplomatis, vt Canis in poſſeſſionem admitteretur, poſcebant. Vbi auditi, & mandati copiam dimiſêre, ad ſuos regreſſi ſunt. Incerto murmure (contumaciam ac indignationem diceres) tota Curia perſtrepuit. Et Caſtelbarcus, longâ Gonzagis fide, nec conſuetudine Imperatori incognitus, quæ quiſq; animo conceperat, libero egreſſu retulit, in hæc verba. Si capti aut iure belli habiti, ſi veteris ſeruitutis conuicti, ſi Cæſari per Italiam & Germaniam in ſummâ pace omnia parerent, ſi nobis iuuentus, animus, Duces ac cauſa deficerent, poteramus incõſulti & neſcij, quãquàm iniquiſſima, & quę Senatus libertatem demolirentur iuberi. Nunc quando Germani titubant, Rex intumeſcit, Pontifex indignabundus minitatur, totus Orbis vt aduerſus oneratum notatumq; cenſuris perſtrepit, nobis multa Ciuium millia virtutem, Dux Aloyſius fortitudinem & conſilium pollicẽtur; amici pariter ac inimici, contra Ludouicum conſilium ſpondent, cauſam & conditionem temporum negligemus? Cur enim ſine armis, libertatem quam toties bello tutati ſumus, vt ſuam poſcit? Et ſi deligendus Capitaneus eſt, qui Reipublicæ & Imperatoriæ maieſtati, conſultum velit; quis potiorem nobis, & inter nos deprehendet? Scaligero dedimur, hoſti antiquo, vt Veronenſibus ſeruiamus, qui populatum agrum, vaſtatam ac incenſam Vrbem, noſtris armis meminêre. Numerantq; plures cædes, quas contra ſubditos illicò vlciſcantur. Scilicet, ideo ſe Scaliger, promptum excidio Tyranni Bonacolſi præſtitit, vt transferret ad ſuos imperium, non oppreſſos liberaret? Sed eo commendandum Aloyſium, quòd ſuperbiam auaritiamq; hominis introſpiciens, armatos Veronenſes quàm pauciſſimos Vrbi noſtræ induxerit,

Laurentius Doneſmõtus Aloyſiũ monet.

Scaliger Mãtuam oratores mittit.

cæteris

cæteris quã venerãt fide dimiſſis. Ergò praue Scaligeri volũtati reddẽdæ vices, & docendus, nõ alium Senatui leges dictur ũ, quàm quem Ciues delegiſſent; ſaluo Cæſare ac maieſtate. Dicentis orationem excepit Aloyſius, & ardentem iuuenem attinuit, laudatâ prius conſtantiâ, & pronâ in res ſuas voluntate. Non eò Scaligeri potentiam, aut Ludouici Imperium proceſſiſſe, vt ſtatim ad arma conclamandum ſit. Poſſe illum conſilio, hunc obſequio retineri; & vbi vis ingruat, tum armis locum fore. Se communem cauſam coràm acturum; nec diffidere Imperatoris ingenio; quem neſcium eorum quæ Mantuæ Reſpublica ſanxiſſet, prorupiſſe crederet. Firmati interim ſtatione muri, receptus auxiliaris miles, ac limitaneus nouis copijs adauctus. Curam Vrbis Guido filius, externas copias Philippinus curabat: Nec congredi, aut hoſtilia in Veronenſes proferre, niſi Parentis imperio iuſſus. Ipſe ſi per occaſiones liceret, auerſus à conſilijs belli. Fatiſcebat interim Italia diſcordijs inteſtinis, quæ Pontificis causâ ſumebantur. Cæſar enim Piſis degens, Nicolaum Antipapam, inſolitis fauoribus proſequebatur; magnâ in Pontificem Ioannem iniuriâ. Cumq; expenſarum magnitudinem Piſani deprecarentur; non tamen ante exceſſurum ſe, & militares copias abducturũ, reſpondit, quàm ſi acceptâ pecuniæ ſummâ, Ioannem Põtificem prius exuiſſent. Perceperat Longobardiæ motus, neq; tamen Scaligeri neglectum, Aloyſij deſignationem affectu vllo excepit; vniuerſa præ fugando Papâ leuiora putans; & in regreſſu, facili compoſitione. Per eadem tempora Azio Vicecomiti, à Ludouico Cæſare Mediolanenſis iuriſdictio obuenit; pacto auri pondere, cui apud auarum Principem cuncta obuia erant. Vrbs Roma, ad ſeditionem vſq; annonâ laborauit. Nam exacto Senatore, qui Roberti Regis vice erat, ipſa ſibi binos Coſſ: delegerat, pari authoritate; Stefanum Columnam, Poncellum Vrſinum; quorum induſtriâ, rebus externis, præſenti indigentiæ ſubuentum eſt. Non maiori quiete Mediolanẽſes agebãt: Diuiſis in Cæſarem aut Pontificem ſtudijs, & paulò poſt interfecto Marco Vicecomite, ab Azio nepote; metu dominij, cui præcario impoſitus fuerat. Huic enim ad celebres epulas vocato, laqueo gulam fregêre, mox è ſummâ Palatij feneſtrâ dedêre præcipitem. Scaliger incertis Mantuanorum rebus; ne tempus ſegni otio perderet, aut venalem Imperatorem negligeret, Taruiſium quindecim dierum obſidione ſuum fecit. Sed fluxa tanti viri potentia momento tranſuecta eſt; nam graui valetudine conflictatus mortem obijt. Succeſſit Maſtinus, impar virtutis ac fortunæ, ſed hæres in Gonzagos inuidiæ, & indignationis in Patriam. Bauarus interim gliſcente Pontificis per Italiam potentiâ, in Cremonenſem agrum, vaſtatis plerisq; Italiæ locis ſe receperat; vectigalium & Tributorum magnitudine, amicarum Ciuitatum facultates conuellens, & illicitis exactionibus, ſupra modeſtiam intentus. Ad hunc ſuperſtite etiamnum Cane Scaligero Aloyſius acceſſit, ius ſibi Patriæ donatione quæſitũ expoſiturus. Nec animo Cęſaris vetus nobilitas, & cum Imperatoribus neceſſitudines exceſſerant. Oſtẽditq; ſe quamquã Scaligero annuiſſet, beneficio paratũ, ſi ſummiſſionẽ prętuliſſet:

liſſet: Et per obſequia Mantuam donum Cæſaris vellet. Certum Aloyſio erat, quod pace ac bono iure haberi poſſet, armis non proſequi. Hinc orãdi amor; & per ſecretum experiri ante omnia, quàm turbas excitare. Admiſſus Aloyſius placabiliorem Imperatorem expertus eſt, quàm crediderat. Non enim modeſtia in ſermone, aut quæ potentioribus accepta ſunt, ſummiſſio, precesq; defuêre. Memorabat vt certâ nec interruptâ poſſeſſione à magnis Longobardorum Regibus originem traxiſſet; vt Cæſares contra Pontificios conatus perpetuò adiuuiſſet; vt reiteratis affinitatibus, latè fauorem quæſiuiſſet; vt ipſe ac liberi, proprias opes, etiam Patriam, caritate Dominorum exuiſſent; Deniq; ideo nihil excuſare, quòd ipſe non accuſet; vniuerſa in futurorum coniecturam. Addit munera, quæ priuatum modum excedentia ideo detulerat; quãdo auaritiâ malè Imperatorem audire cognouiſſet. Iiſdem iuſtitiæ adminiculis preoccupanda admiſſorum, eorumq; qui à conſilijs aut ſecretis aderant voluntas erat. Neq; enim ſub auido Principe, continentiæ aut frugalitati miniſtri componuntur. Ipſe Imperator in ſeruitijs, ea correcturus non credebatur, in quibus ipſe delinqueret. Sed licet dediſſet plurima; non ideo tamen inexhauſtam Principis auiditatem expleuiſſe videbatur. Remiſſus nihilominus in Patriam certâ ſpe, & velut re confectâ credebatur. Paulò poſt bini à ſecretis, iubente Ludouico, Mantuam venêre; vt ſuper negocio; cum Aloyſio ac Senatu, plenâ poteſtate tranſigerent. Extãt Cæſaris literæ, aureo ſigillo appenſo, in Mantuano Archiuo, in hanc formam.

Aloyſius inuiſit Ludouicum Cæſarē.

Ludouicus Dei gratiâ, Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus; nobili viro Aloyſio de Gonzaga, Ciuitatis Mantuanæ Capitaneo, noſtro & Imperij dilecto, gratiam, & omne bonum. De fide & legalitate, nobilium virorum, Fiderici Comitis de Otinis; & Amphredi de Ianuâ, ſecretariorũ noſtrorum, fidelium dilectorum, quos ad te mittimus plenè confiſi; eiſdem damus & concedimus authoritatem plenam, nomine & vice noſtri, tecum ſuper Vicariatu Mantuæ, & alijs tractandi, finiendi & determinandi. Gratum & ratum habere promittimus, quidquid per eoſdem tecum fuerit determinatum, tractatum in præmiſſis & finitum. In quorum teſtimonium præſentes conſcribi, & ſigillo maieſtatis noſtræ iuſſimus communiri. Datum in Caſtro Pomponeſco, ſexto die Nouembris. Anno Domini Milleſimo trecenteſimo vigeſimo nono. Regni noſtri anno Decimoquinto, Imperij verò ſecundo.

Ludouici Imperatoris literæ ad Aloyſium.

Aloyſius quique partibus addicti, nobilis domus gloriam ambiebant, Cęſaris oratores, omni hoſpitalitatis officio coluêre. Ipſi verò paucos dies Mãtuæ commorati, vbi Ciuitatis ac Senatus aſſenſum accepêre; non ambitu, non vi, ſed ob virtutes datam Aloyſio potentiam deprehendêre. Simul magnâ nobilis viri munificentiâ euicti, illicò ad Ludouicum regreſſi, inclinantem induxêre, vt promptius annueret. Et miniſtrorum non infimus Spinola, præſenti vſui magis conducere monuit, ſi facilem ſe Cæſar oſtenderet; idq; libens concederet; quod prius ab Aloyſio habitum, proprijs ac totius

Ciuitatis

Ciuitatis viribus facilè tueretur. Militem enim pro limitibus, pro munimentis, pro muris diſpoſitum etiam tolerando bello validum nouerat: plebiſq; ac Patrum in Aloyſium animos verſos. Proinde viciſſitudine rerum, vſuq; doctus, fortuita in gloriam vertens, ſequenti diplomate, amici Dominationem firmauit.

Etiam Capitaneum, & Vicariũ Imperij dicit.

Ludouicus Dei gratiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Nobili viro Aloyſio de Gonzaga, ſuo & Imperij fideli, dilecto; gratiam ſuam,& omne bonum. Imperialis liberalitatis clementia, in ſuis fidelibus gratiarũ dona multiplicans, illis conſueuit manu aſſurgere largiori, qui potioribus ſuæ deuotionis meritis, & Sacro Imperio exhibitis obſequijs, nomen laudabile ſunt ſortiti. Sanè cum partibus Italiæ, præ cæteris fidelibus ſacro Imperio, & Romanis Imperatoribus, & Regibus, te obſequioſum reddideris & deuotum; & multos de hoſtibus, & deuijs infidelibus ad deuotionem fidelitatis reduxeris,& adhuc reducere valeas,vt ſperamus,tuæ diligentiæ & animi puritate, vt vera te teſtimonia recommendant. Volentes præmiſſorum obtentu, extollere nomen tuum, te Aloyſium Imperiali auctoritate fecimus, & conſtituimus noſtrum, & Sacri Imperij Vicarium generalem, Ciuitatis Mantuæ & diſtrictus. Cum omnibus & ſingulis iuribus, iuriſdictionibus, honoribus, ac pertinentijs. Ac ipſius Ciuitatis ac diſtrictus Vicariatum,cũ præmijs miſſis ad tuam perſonam, ad noſtræ vitæ terminum conferimus per præſentes, & vltra vſq; ad ſucceſſoris, vel ſucceſſorum noſtrorum in Romano Regno vel Imperio beneplacitum voluntatis, concedentes tibi in ijſdem adminiſtrationem amplam, iuriſdictionem inquirendi, & puniendi; & iudicium ſanguinis exercendi, & merum & mixtum Imperium, & iuriſdictionem in genere & ſpecie, per te, vel per alium, aut alios; cui, vel quibus prædicta vel aliquid prædictorum commiſeris exercenda. Recepto à te fidelitatis primitus iuramento. Et quòd prædictam adminiſtrationem ſollicitè geras, & iuriſdictionem fideliter exequaris: nulli contra iuſtitiam parcendo,vel quemcunq; iniurioſè lædendo; ſed ius ſuum cuiq; tribuendo. Per hanc quoq; conceſſionem noſtram, omnia & ſingula tibi conceſſa eſſe volumus in præmiſſis, quorum ſpecialem commiſſionem fieri oporteret, atq; in generali commiſſione non venirent, niſi de ipſis fieret mentio ſpetialis, ex certâ ſcientiâ. Reuocantes omnem aliam conceſſionem, dationem & priuilegium, factum vel facta, per nos ſeu prædeceſſores noſtros in quamuis aliam perſonam, collegium vel vniuerſitatem, de præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum. Tu quoq; nobis de tempore in tempus, dicti Vicariatus occaſione, ſubuenire debeas; & conueniens ſubſidium, iuxta poſſibilitatem tuam impartiri. Cæterùm concedimus vt poſt deceſſum tui Aloyſij; ſi te antequàm nos mori contigerit, ad filios tuos vice vnius, dictus Vicariatus,ſimul tenendus & regendus, omnibus ſuperſtitibus; & deficiente aliquo ipſorum, ſucceſſiuè in alium,vel alios, qui ſupererit, vel ſupererint, vice vnius,vt prędiximus,vſq; ad noſtrum vel ſucceſſoris, aut ſucceſſorum noſtrorum in Romano Regno, vel Imperio dumtaxat, beneplacitum; ſimili modo & formâ

vt

vt deſcribitur deuoluatur. In cuius rei teſtimonium, præſentes literas conſcribi, & ſigillo maieſtatis noſtræ iuſſimus cõmuniri. Datæ in Caſtris apud Pomponeſcum vndecimo die Nouembris, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo vigeſimo nono. Indictione Decimatertiâ. Regni anno Decimo quinto, Imperij verò ſecundo.

Id illicò vulgatum Ciuitatem mixtis ſuſpicione ac lætitiâ affecit. Lætabantur fuiſſe nobilitati ac virtutibus locum, ſed dolebant acceptâ ab Imperatore potentiâ, minorem Patriæ gratiam ac beneficium fore. Etiam (quòd plurimi ambiuerant) ceſſuram vni auctoritatem, quæ nouis deſignationibus locum officio non relinqueret, lamentabantur. Sed Aloyſius elatus arbitrio Ludouici Cæſaris, cauſam, occaſionemq; Senatui imputabat. Tamquam non alij quàm quem Capitaneum dixiſſent, conferri potuiſſet. Dummodo imperio potiretur, honeſtatem tituli nouerat, quocunq; largiente accepiſſet. Siue merita ſubaudiebantur; & periculoſa cunctatio erat in re, quæ ſtatim recipienda videbatur. Etiam Gonzagis è titulo ac nomine dignatio quæſita; quem enim vulgus Capitaneum, illi Imperij Vicarium appellabant; ſpeciem, faſtumq; turgido vocabulo præferentes. Edicta, Vicarium, Senatus conſulta, Decreta, pœnæ præmia continebant. Niſi etiam profeſſione Cæſarum tutius dominium, & minus Reipublicæ virium eſſe crediderant. Duo mihi ad manus fuêre Decreta, Ciuile alterum quod annonam, Bellicũ alterum, quod commeatus ſpectabat, ſubſcripto Aloyſio de Gonzaga Generali Sacri Rom: Imperij Vicario perpetuo. Capitaneum Reipublicæ, qui oderant dicebant. Sed vbi ingratum nomen, & Imperij placere, Ciues deprehendêre; aſſentatione quieuêre. Dum Bauarus Imperator, hûc illûc totâ Italiâ vagus, tempus, amicos, res ſuas, Regnumq; deterit, creſcentibus Pontificis partibus, & ad Pontificium Legatum, qui Longobardiam tenebat, pleriſq; Ciuitatum abeuntibus; ne ſuorum, aut Germaniæ (cui maximè fidebat) iacturam faceret; & collatâ nullâ temperantiâ ab amicis inimiciſq; pecuniâ, ad extremùm trans Alpes abſceſſit: Nullo reliquo præſidio; niſi quod in fortunâ, aut armis proprijs haberetur. Non ingratum Aloyſio accidit, accepto munere, auidius pretium repetentem longius abire; quando ſuis viribus, & ſi maior belli moles inceſſiſſet, externis fœderibus, tutari partum decus, & plura nanciſci promptum haberet. Non rogare, ac rogari, æquè honorum crediderat; Maſtinum quippe, Scaligerum, Vicecomitem, cæteroſq; Italiæ diuiſores, varijs æmulationibus illigatos, non inanem operam ſuam habituros perſpexerat. Mantuani Vicecomitis apertam vim, Scaligeri aſtus metuebant; quòd vtriq; animis ac corporibus iuxta validi, nîl intermitterent, quò potentiam per æqua & abrupta augerent. Nec minus Scaliger Ciuitatis concordiam, Gonzagorum prudentiam, paratum & in armis militem circumſpectabat; intuſq; nouæ dominationis potentiam orabat, vt Aloyſius recenter habitis contentus eſſet. Fortè paucos ante dies, cum Imperator Pomponeſci, vnaq; officio indiuiduus Scaliger eſſet, orto ſermone, quo veterum Principum potentia recolebatur, ad Bonifacium Gonzagam

Aloyſius cœpit dici Vicarius Imp. potius quam Capitaneus.

Z ventum

ventum eſt, Mathildæ genitorem: Et Aloyſius non Ferrariam ſolùm, ſed adiacentium pleraq; eius Principis fuiſſe recenſuit. Addidit & à maioribus ſuis, captam vaſtatamq; Veronam, & malè fidam Vrbem, non ſemel armis Imperatorum, Auſtriaciq; coërcitam. Hinc Scaligero antiquæ potentiæ æſtimatio, & futuræ cogitatio cum metu fuit. Ergo ſuſpenſos hinc inde animos, & in mutuam perniciem erupturos niſi concordiâ ſolidarentur, firmandos cenſuit. Mittit è fidiſſimis, qui Guidonem Aloyſij filium, ſpecie amicitiæ, & varijs pollicitationibus accerſirent: Sibi magna eſſe quæ pluribus conducant; ſi coram conferantur. Mutauerant cum fortunâ mores Gonzagi, didicerantque ob maieſtatem excipere potius exteros, quàm apud potentiorum aulas ſpectari; Quia tamen ſumma in Aloyſio Patre vis, & filij exceſſus, nihil ponderi demebat; non dubitauit relicto domi Sene ad Imperij curas, & fratrum ac nepotum numero, proficiſci; quorum robore, ſi quid ſecus ac credebatur eueniſſet, ſuſtentaretur. Exceptus eſt Principi more, & effuſiori luxu, quàm antiquis inſtitutis, & turbatis Reipublicæ temporibus expediret. Orationis Scaligeri ea forma fuit: Parentis ſui beneficio Gonzagos dominationem adeptos; additum militem & cõſilium, maioris operæ documento, ſi occaſio nauandi inceſſiſſet. Suſpectaſſe Aloyſium ac Philippinũ; & velut inutile auxilium reſpuiſſe; ne viſendæ quidem Ciuitatis, datâ licentiâ. Mox vbi rerum potitus ſit, ſecretis cum Pontifice conuentionibus, ſuas ac Cæſaris partes infirmaſſe, ſimulatione, negligentiâ, deſpectu. Tenere militem domi, pro mœnibus, pro finibus, eo numero, qui non ſuorum tutelæ potius, quàm vicinorum iniuriæ ſufficiat. Cupere proinde verâ pace ſtabiliri vtriuſq; potentiam, & tolli ſuſpiciones mutuas, non minus, quàm apertum certamen exoſas. Si bellandum ſit, aduerſus hoſtes vires augeri communione; diſſita odia & amicitias, nec prodeſſe, nec obeſſe. Ad ea Guido, in Parente ac fratribus eandem beneficij memoriam æternam fore. Non immiſſos Vrbi milites, ne compoſita turbarentur; aut poſt cædem Tyranni, contra quem vi egebant, in cæterorum innocentiam ſæuirent: Quod fere moris, quoties per vim & arma tranſigitur. Cultum Pontificem per obſequia, & obuia officia, quem neuerant, non intruſum, ſed ſolâ Bauari Imperatoris inuidiâ agitatum. Neq; tamen recenti Imperij beneficio obſtrictos, palam hoſtilia in Cæſarem auſos; ſed hinc gratitudine, illinc pietate vrgentibus, eodem tempore, nobili temperamento vſos; vt Ludouicus coli ſe, Pontifex venerari deprehenderent. Chriſtiani Orbis parentem decere à quocunq; potentiorum venerari, idq; honori eſſe. Commendandam tamen amico ſuam modeſtiam, quam etiam creditus hoſtis Imperator approbauerit; quòd iuſtiſſimo nomine, & cõſenſu meliorum, ad bella inuitati, conatus abnuerint; ſatisq; duxerint, neç ediſſe, nec lædere. Tantis Italiæ motibus, haberi militem par fuiſſe; ne Patria, aut priuatæ cuiuſq; res, detrimentum caperent. Sumptum non ſemel vtilitatis documentum, vbi parati inopinatis ſeditionibus ſunt impetiti. Non ſibi tantùm, ſed & Scaligero eas copias ſeruitio futuras; ſi concordibus ani-

mis,

mis, communem pacem eſſe vellet. Cæterùm vt ſuſpicionum intima detraheret, octingentis equitibus, tribus peditum millibus, Maſtino nouam in Vicentinos expeditionem cogitanti, ſuppetias tulit; Seque comitem adjunxit. Qui eorum temporum Annales ex fide tradidêre; conſenſu fatentur, Gonzagorum armis captam Vrbem; & Vicentinorum vires omnes eò flexiſſe, quamquàm exitu improſpero. Aloyſius interim componendis Patriæ negocijs intentus; ne pars filiorum vlla, ſine labore, ac in publicum curâ eſſet; Militiæ ac exercituum adminiſtrationi Guidone filio primûm impoſito, Philippinum cui Paterni animi magnitudo, & ad grandia patranda ſpiritus ſuberant, Munimentorum Ciuitatis,& reliqui Territorij curam dilargitus eſt. Feltrinus venationibus, quibus multò ante inſueuerat, in militiæ ſpeciem vti permiſſus eſt. Non vt priuatas voluptates, & ſegne otium laceſſeret; ſed vt promptus in armis & pro finibus, ſi proxima conſternatio occurriſſet haberetur. Parum coaluiſſe Guidonem ac Feltrinum amore fama erat. Siue iniuria, ſeu opinio pręceſſiſſet; ſiue commotior Feltrinus, in pace inexorabilis, in bello turbator præcepsq; crederetur. Et quidem acrior aſpectu erat; armorumq; ſtudio ad ſuſpicionem vſq; aſſiduus; vt ne diſcinctus quidem accumberet. Quidam commendabant, diuerſitate morum à Patre ac fratribus; quos inter natu minimum, plus animorum oſtentare ex vſu præſenti putauerant. Egreſſo Italiâ Ludouico infęlicibus auſpicijs, bellum magis deſierat, quàm pax cęperat. Quippe ſparſi Cæſaris Vicarij, modò ſua tutari, modò aliena rapere, immittere globos militum, tamquam per latrocinia pacem alienam turbare; & omnia inter vicinos per vim, Imperij prætextu agitare ceperũt. Præter Vicecomites qui Mediolanũ, Eſtenſes qui Ferrariam, Scaligeros qui Veronam, Vicentiam, Brixiam tenebant; Malateſtæ Ariminum, Feretrij Vrbinum, Varani Camerinum, Polentæ Rauennã, Manfredi Fauentiam, Pontificibus olim habita, imperio tenebant. Hinc iuſtæ Clementis ſexti in Bauarum querelæ: Quaſi non ſua, non aliena ſufficerent, vniuerſam Italiam collationibus exhauſiſſet; & nec ſacris quidem pepercisſet: Illicita connubia, pro ratis haberi volens, Epiſcopos ac Prælatos pro voto imponens aut remouens: Deniq; tantum ab Hæretico diſtans, quantum ab homine. Cauſam quoq; ſuam, ac receptas iniurias cum Gallorum Rege acriter proſequebatur; vt iam honeſtate lamentationum, exciti Chriſtiani Principes, ambigerent, an ſolitum obſequium Cæſari perditiſſimo redderetur. Nutantes inſuper frequentibus literis ſtimulabant, cauerent Imperatorem, proſperis & aduerſis æquè intolerandum, aliumq; deligerent, qui Chriſtiani Orbis bono, paciq; conſultum vellet. Se fidem abſoluere, & datum homini ſacramentum, reſcindere. Germani Scriptores auctores ſunt (quos gratis non reijcimus) non metu magis, quàm Gallorũ Regis precibus inductum Imperatorem miſiſſe Auenionem Legatos, Pontificiam gratiam, omni ſummiſſionis genere orantes. Ille primos impetus,& deſiderium eius, quod adeo obnixè petebatur, totiesq; effractum obedientiæ vinculum recolens, non niſi grauiſſimis conditionibus ad concordiam inclina-

Guido cũ Scaligero in Vicentinos.

Ludouici, & Papa diſcordia.

inclinabat. Non enim ſe Cenſuras Eccleſiaſticas laxaturum reſpondit, niſi Legati Cæſaris nomine admiſſi, flagitij culpam faterentur, & veniam ſupplices peterent: Abſtineret interim Ludouicus Imperio, & ſe vt priuatum domi haberet, dum quid Pontifici viſum foret reſcriberet. Sed & Regni ius omne abijceret, ac Pontifici permitteret; Nec ante priuatum exueret, quàm Papa ſanxiſſet. Deniq; ſe ac liberos in poteſtatem Sedis Apoſtolicæ daret, eiuſq; arbitrio famam, vitam, honorem committeret Paruiſſe Legati dicuntur, ſeu ſponte, ſeu iuſſu; quodq; opinarentur Romanos Epiſcopos erga ſubiectos, niſi benignitate vti. Nos aliorum traditione, hanc diſcordiarum non leuem proſequimur, ad Gonzagos redituri, vbi rem ſcitu pulcherrimã, & ex quã obuia dominantibus præcepta prudentiæ eruũtur retulerimus. Ludouico ſtollida ferocia non erat; ſed cũ certis ſceleribus cõmacularetur; prudentiã ſpeciem virtutum induebat; mutari facilis, & celare ſenſa animi, à primã iuuentute doctus. Is cito equo reducem Legatorum vnum, vbi quæ Pontifex requireret accepit, præ gaudio fertur exſilijſſe: Iuſſumq; regredi, & imperaſſe paratum Cæſarem imperio, ſed quæ iuberentur ſcripto tranſmittenda; Non vt obtemperaret, verùm detegendæ, apud gentem libertatis plus nimio ſtudentem, immanitati. Vt cum dicta plerũq; abnuantur, ſcripto fides adeſſet. Papa licet mitiora intus ageret, confeſtim ſcripto immanes conditiones pacis teſtatus eſt; quas Legatus exceptas in Germaniam detulit. Vt per Regni Prouincias, conditionum aſperitas innotuit; vt erat magni animi, & iniuriæ illatæ inſolens, ſcripto, verbo, nuncijs vniuerſas Chriſtiani Orbis partes impleuit. In Monacho Pontifice (vt ferebatur) ſæuitiam, auaritiam, imprudentiam accuſans. Scilicet, aiebat, non aliud ab eo fœdiſſimis pactis quæri; quàm vt vitam, facultates, liberos, honorem Imperatoris perderet. Nec à barbaris quidẽ, tot ac tanta requiri. Difficultates obtentui ſumptas; vt pœnitens reijceretur, amotoq; æmulo, & qui praua conſilia introſpiceret, ipſe Imperium ſui iuris faceret. Neq; deerant Germani, Pontificis ſtudio olim parati, qui iniquitatem ſententiæ, tamquàm per iram latæ auerſarentur. Dantes ipſe poëta eruditionis probatæ, Cæſareæ cauſæ facilior, edito libro (cui titulus Monarchia fuit) Ludouicum tutatus eſt, vt iure ſuo vſum, cui Papa obſiſtere non potuerit. Contra dicebatur, Summum Pontificem, ſummum quoq; hominum, ac Principum eſſe; cuius arbitrio res publicæ, ac Regna commiſſa ſint. Afferebantur exempla, vt Adrianus lacerum Orientis Imperium, in Occidentẽ decorè tranſtuliſſet; & in Carolum virtutis pietatiſq; ſpectatæ. Sic Gallis ademptum, in Othonem primum Germanum, collatum referebatur. Plures Cæſares voto Pontificum Imperio exutos, alios adſcitos; vt nemini dubium ſit; quod ſemel licuerit, & Principes vt honeſtum receperint, in perfidum, & omnis diuini humaniq; iuris violatorem conuenire. Nec Pontifex (anteceſſorem Clementis quidam volunt, plures enim Bauaro eluctati ſunt) quamquàm abſens, & præualente Cæſare ſibi ipſi deerat. Vnde ad quoſcunq; Italiæ potentiores, ſcriptæ ſunt literæ, auxilium ac fauorem orantes.

Si

Si quas à Cæſare adminiſtrationes Vrbium aut Prouinciarum accepiſſent retinerent, Sedemq; Apoſtolicam dominam agnoſcerent, in tempore cuiq; ope omni præſtò futuram. Placuit pleriſq; conditio. Sic Luchinus Mediolanum,nexasq;,& à parente habitas Ciuitates, Maſtinus Scaliger Veronam ac Vicentiam, Aloyſius Gonzaga Mantuam ac Regium, Albertus Carrarius Patauium, Obizus Eſtenſis Ferrariam, & Mutinam, pacto decem millium aureorum in annos ſingulos habuêre. Ceſſerat quippe Imperij reuerentia; & abſcedens Italiâ Ludouicus, vilipendium ſui nauſeamq; mouerat: nec tota dominatio, niſi protectore aliquo egere videbatur, qui ſibi aliorum operâ potentiam ſtrueret. Angebant hæc Ludouicum, ne tamen propriæ cladis ſpectator ſolùm, non item vindex eſſet; vſurpatum à Ciuitatibus Imperij ius, in plures Pontificiæ iuriſdictionis Vrbes ampliauit, vt parem iniuriam redderet. Sic Galeatius Malateſta Arimino, Antonius Feretrius Vrbino, Gentilis Varanus Camerino, Guido Polenta Rauennæ, Ioannes Mâfredus Fauentiæ, Iſmadeus S. Seuerini, Nicolaus Boſcarecius Eſij, pluresq; alij pari auctoritate impoſiti: Tenueruntq; diutius, quòad præualidis Pontificis partibus exacti ſunt; ſuusq; Sedi Apoſtolicæ honor, pulsâ tyrannide eſt reſtitutus. Multum indignationis in Cæſare, plus flagitij in Italis erat: Qui ſi contumaciam viri auerſati, etiam munera neglexiſſent, irrita indignatio occidiſſet: ſed promptitudine, quocunq; nomine dominandi, ipſi recipere,ille aliena concedere properabant. Et licet facto creditam iniuriam Bauarus acrius exerceret; aſſiduis tamen querelis, & nunquam intermiſſis queſtibus, tota Germania, vt re inſolitâ horruerat; honeſtâ Imperatoris in ſpeciem causâ, pluribus ſeditionis contra Pontificem auctoribus, eadem, quæ Cæſar profitentibus. Nec vllus remedio locus, niſi primoribus in conſilium vocatis de futuro deliberaretur. Electores ipſi Pontificiam cauſam onerare videbantur;per ſecreta Principi ſuo proniores. Vbi côuenêre,potiſſima fax pro Imperatore Archiepiſcopus Moguntinus, ſic cæpit: Vſu & ſucceſſu rerum Primates Germaniæ, didicimus Imperatorum ac Romanorum Pontificum concordias haud diuturnas eſſe. Quòd infida potentiorū amicitia ſit,nec æmulum Regia potentia admittat. Hinc plus virium, illinc auctoritatis. Nos nati & Regno educti, illi per ſaltus potentiam habent. Nos exiſtimatione & viribus, illi ignoratione dominandi procurrunt. Nos innatus ſplendor originis, illos ſuperior poteſtas excuſet. Sed non illicò conſilij damnandi, aut iſti illíve rei temeritatis iudicandi. Detur interſtitium pœnitentiæ; vt quæ deliquimus corrigamus,aut à ſapientioribus admoniti, ſaniora capeſſamus. Eſt occaſio, eſt tempus; quibus æquâ lance, cuiusq; cauſæ iuſtitiam examinare licet, ſuſpenſo tamdiu iudicio, donec ſe veritas aperiat. Id in Chriſtianâ Republicâ, maximè perniciosūm eſt, quòd præcipitibus conſultis interdum, non propriâ irâ, tantùmq; iuſſi inſiſtimus. Quamquàm optimi Principis documentum ſit, honeſtis amicis vti. Errauit Cæſar fateor, nec excuſo. Verùm ſatis matura pœnitentia eſt, quæ libera, quæ certa. Neq; comminationibus, rigore, acerbitate, à confeſſione arcen-

dus eſt. Et quæ Numini ſatis ſunt, debent Pontifici ſufficere; commiſſorum execratio, correctio futurorum. Rara ea flagitia ſunt, quæ Deus apud pœnitentes, vitâ, honore, liberis vlciſcatur. Quæ licet illi viliora ſint; pauceſcere tamen ſupremi Dei vindictam, horum omiſsâ comparatione poſſumus: Ne ſenſu, amore, metu diſtrahamur, aut arceamur. Longa alia in Pontifice ratio, quem ira, impetus, opinio, eludere poſſunt, & ab honeſto retrahere, vbi ſuo ſenſu ducatur. Vult tamen ſuo arbitrio Imperium, potentiam, opes, vitam, honorem, liberos Cæſaris permitti. Nec plura poſcit; quia pluribus incredibili ſenis pauori, caueri non poteſt. Et quando Imperator obſequatur, quo dedecore regni, quâ notâ Germaniæ, communem turpitudinem feremus? Federici ac Henrici iiſdem tumultibus execrati, creditum errorem faſſi ſunt; & fuit ad gratiam ſatis. Hic ex illis ortus, pari potentiâ, fortitudine, viribus, etiam in honore lædetur? Cum bonus Pontifex, vt creditur, alienis iuſſis obnoxius, contumeliam ſine æſtimatione putet, eam vix ſanguine eluere conceditur. Sed non ſemel Imperator fefellit; & pronos ad indulgentiam Pontifices, fictâ pœnitentiâ ludificatus eſt, dandumq́; telum aliquod quod ſperni nequeat: Non ideo tamen reijciendus eſt; ſi confeſſus, veniam cum ſummiſſione petierit. Minori cautelâ ſpiritualibus, quâ temporalibus vtendum eſt: Illiſq́; peruincendis, ſatis ſuperq́; exiſtimo, ſi verè & obnixè indoleſcat. Ego me Principes viri, nobili loco natum, & Eccleſiaſticum munus explere noui; tamen ius, faſq́;, ac veritatem præferre pompoſo religionis titulo fateor: nec huc niſi volentem, & honeſto ductum acceſſiſſe; vt ſciretur plus Pontifici quàm Cæſari deberi. Nimias tamen ſpes ac cupidines, Cæſarum contumelias acuiſſe; quæ Apoſtolicæ Sedis ſuperbiâ, Imperij noſtriq́; iuris infamiâ interpretatur. Vt Moguntinus finem dicendi fecit, varium ac incompoſitum murmur exortum; rarioribus Pontificem, pluribus Imperatoris modeſtiam efferentibus. Solus Pragenſis Epiſcopus in eo cætu depræhenſus eſt, qui Regi ſuo publicè obſtrepere, ac Cæſarem damnare auderet. Graues dicebat conditiones, intolerabilia pacta Pontificis videri poſſe, ſi ſuperficie tenus iudicarentur; ſecus tamen ſummas deliberationes haberi, apud pientiſſimum Parentem, quàm minæ præſeferant. Nec inſtituti ab eo rationem exigendam, qui legibus non teneatur. Non ſemel grauibus comminationibus, in Cæſares inuectos Pontifices; quę illorum obedientiâ, horum benignitate vanuerint. Et oportuiſſe ab Imperatore, veræ pęnitentię inditium oſtendi, cui Papa fidere poſſet. Nemini exoſa malorum ſuorum remedia, ſed plerumq́; media diſplicere, patientiam, tolerantiam, confidentiam. Integrę voluntatis ſignum eſſe, omnia Chriſtiani Orbis parenti ſummittere; nec deſperare clementiam ab eo, qui rogari velit. Cæterûm non niſi in volentem beneficia conferri: Et vt diu voluiſſe cognoſcatur, oportuiſſe diu à Pontifice negari. Ne Deum quidem (cui mortalium animi detecti ſunt) primo rogatu flecti; ſed negando, exercendo, pacientiam ac conſtantiam approbare. An vllum mortalium, tantò minus, amantiſſimum parentem, in ſupplicem ac veniam poſcentem, eò ſæ-

uitiæ

uitiæ proceſſurum fore; vt vitam, honorem, dignitatem, liberos perditum iri velit; quæ ab hoſte, ne barbarus quidem expoſceret. Non ſemel Ludouicum & rogaſſe, & fefelliſſe; partemq; fiduciæ voti eſſe, quod Pontifex conditionibus accedat. Sed ita poſcere veniam; vt nutantem, ſi opus ſit, armis quoq; interturbet. Velle à Pontifice Imperium; quod ita habeat; vt veteri poſſeſſioni nitatur; conceſſum in perniciem dantis vertat. Et ſi iuſta dominatio eſt, quorſum queſtus, literæ, nuncij, niſi vt vanus oſtentatione depræhendatur. Adeo Cæſaris ſuperbiam ac contumaciam creuiſſe, vt extorquêre veniam, non habere malit. Deniq; Pontificiam dignitatem, ſartam, tectam ſeruari, Chriſtianæ Reipublicæ bono expedire: Vt graues Principum diſſentiones, auctoritate componantur; & ſine ſanguine aut quæſitâ armis quiete, pax accedat. Satis Sedis Apoſtolicæ integritatem, pietatem, modeſtiam perſpectas eſſe; nec vires defuturas; concurrentibus Italis, Gallis, ac Germanorum pluribus, qui nunc ſileant, tutelæ veritatis. Is etſi honeſtiora prompſiſſet, haud quaquam pari aſſenſu auditus eſt: pronis Germanorum animis libertati, cui Pontificis quantacunq; libertas detrahere credebatur. Ergo decreti Auenionem Legati, qui aſperitatem Pontificiæ ſententiæ, rigorem Eccleſiæ Romanæ deteſtandum; & niſi mitiora Cæſari ſuo iuberentur, erupturam Germaniam in Italiæ direptionem oſtenderent. Ingratiſſimum Pontifici accidit, Germanorum Principum conſenſum pro Imperatore eſſe. Hinc exaggeratio contumeliæ, & frequentes totâ Europâ literæ, Ludouici peruicaciam, Cenſuras, hæreſes continentes. Additumq; primò conſilium Electoribus, noui Cæſaris eligendi; Id ſperni viſum: Proinde ad cenſuras, comminationesq; ventum. Boëmiæ Rex quiq; Eccleſiaſtici ordinis Archiepiſcopi Electores nominationis ius habent, partes, auxiliumq; parauêre. Et quia penès Boëmum viuida pro Papâ opera videbatur, conſenſu partium Cæſar appellatus eſt Carolus Boëmi filius. Hic mihi vberius narratus eſt; quando perſpecta viro Gonzagæ familiæ nobilitas, multũ illi dignationis addidit; vt in tempore trademus. Acceptam noui Cæſaris electionem Clemens ſextus, fauorabili in ſpeciem oratione firmauit: percurſis Boëmi in Sedem Apoſtolicam meritis, & quæ Ludouicus non ſemel admonitus, in Chriſtum, ac illius in terris Vicarium deliquiſſet facundè miſeratus. Sed iniquis viribus de Imperio inter Carolum ac Ludouicum agebatur: Quòd ſæculares Principes Electores, & præcipuæ Germaniæ Ciuitates, pro Ludouico eſſent, debili Carolo, & alienâ ope ad Imperium prouecto. Ergo Pontifici viſum, Galliarum quoq; Regem Philippum in partes trahere, vt iunctis viribus potentiorem ſuſtinerent. Quod vbi Ludouico notum Odoardum Anglis imperantem, fortitudinis animiq; ſpectatiſſimũ, inhiare Galliæ poſſeſſioni impulit, vt vicinæ & facilè cenſuræ; docens Gallos vt dites & numeroſos, ita viles & imbelles eſſe; Proinde ſtrenuè nauaret operam, ſeq; adiutorem promittit. Philippo ſuppetias Carolo recens promoto Imperatori ferre cogitanti, & Clementis acribus ſtimulis impulſo, defertur inuadi Gallias, Anglum litore iam potiri; & plures Maritimarum

Ciuita-

Ciuitatum deditione accepiſſe, iamq; Lutetiæ imminere. Sic Carolo auulſa auxilia, & vires Ludouico additæ. Carolus etſi differre bellum, quôad Philippo iungeretur ſecurius agnoſceret, parem tamen operam præſtolatus, quàm maximis itineribus, cum parente Lutetias delatus eſt. Tardum impedimentorum acpeditum agmen ſequebatur. Quatuor equitum millia comitabantur. Iamq; Odoardus aduenerat; & victore exercitu agrum omnem populatus, Ciuitatem ipſam obſidione premebat. Viſum Regibus obſeſſis eruptionem differre; dum auctis copijs, ſuis animus, hoſtibus terror accederet. Interim Odoardus recentibus ſuorum turmis augebatur libero mari omni, & numeroſâ claſſe Septentrionis littora ſeruante. Proinde non obſeſſis ſolùm, ſed obſeſſoribus quoq; grauis mora videbatur: nec ſatis cauſæ ſuberat, cur non totis exercitibus concurreretur. Illâ acie magni & florentiſſimi Regni poſſeſſionem quæri, nec debilioribus congreſſibus frangi hoſtem poſſe: Erupêre obſeſſi, naſcente die, & dato ſigno, in aduerſos delati ſunt. Vtrinq; viris, animi, multitudo, & de Regno opibusq; diſceptatio erat. Sex horas certatum eſt; ad extremùm numero, virtute, ac fortunâ præualuêre Angli. Cæſus Ioannes Boëmiæ Rex Caroli pater; hic cum Philippo ſibi fuga conſuluêre. Plura Gallorum millia deleta ſunt, quamquam multo ſanguine victoribus euentus ſtetiſſet. Profligato vtroq; Ludouici partes incrementum ſumpsêre; quòd æmulus de ſuo inualidus, externis Galli viribus non vteretur. Pontificis tamen aſſiduis queſtibus, Germanorum Principum aliqui, ad Carolum flexêre; in Sedem Apoſtolicam ſingulari pietate; & rerum nouarum ſtudio; quòd ferè diuturna Imperia, & extrema regnorum ſolet excipere. Aloyſius Gonzaga tumultuantibus externis, ſibi intentior, tranſitum rerum apud Cæſares ac Pontificem æſtimabat; futuri anxius: Quòd fouere partes potentiâ non liceret; & niſi futurum Imperatorem aſſiduitate officij coluiſſet, in lubrico degeret: Multa publicè, multa ſecretò diſponens; vt ſucceſſibus, quôcunq; verterent, reſponderet. Rempublicam, filios, plebem, comitate, quę reuerentiam alliceret, habebat: Pecuniâ, amicitijs, auctoritate, firmum, & ſtabile ſibi dominium parabat. Sed pręcipua curârum pars Ludouicus; huic militem, & ſiquæ bello neceſſaria credebantur ſumminiſtrans, gratus obſequio, gratior conſilio, quò non minus indigebat. Adminiſtro vtebatur Caſtelbarco genero; quem cum Mille equitibus expeditis miſerat, iuſſum aſſiſtere; & innatâ nobilitate, Patriæ, Domini, atq; adeò propriam virtutem approbare. Viſæ mihi literæ ad Aloyſium à Ludouico miſſæ; quibus grates nauatæ operæ, & ſpem rerum ingentium offerebat: ſubiectis præceptis, quomodo Regienſes in officio haberet. Roma, quam id temporis duplici Senatore, Columnâ ac Viſino vſam diximus, haud in maiori pace erat: non nobilioribus aut potentioribus turbantibus (nam Senatores ferè concordes, aut minimo diſcrimine diuiſi erant) ſed è plebe ſublato vili homine, quem vulgo Renzum dicebât. *Nicolaus Renzus.* Huius initium, & quo animo ſeditionem, aut dominationem cęptauerit, breuiter expediam; & quia pars Italici tumultus fuit, qui Aloyſium quoq;

exer-

exercuit; & non continua eiuſdem dictionis ſeries, frangat animum, continuatione fatiſcentem. Huic nomen Nicolaus erat. Quidam in Vrbe, alij Cere natum tradidêre, maiori tum Municipio, quàm hodie viſitur. Primam intra iuuentam, nobilioribus Romanorum familijs, per domeſtica miniſteria acceptus; vbi virilem ætatem attigit, publicus Scriba, amicorum ambitu delectus eſt. Callidus, audax, inquies; & ad maiora natus, quàm parentes, & educatio promiſiſſent. Hic primùm nocturnis colloquijs imprudentes allicere; quosq; priuatæ in Columnas aut Vrſinos cauſę infenſos reddiderant, permouêre, ſparſis ſeditionum initijs; & nemine ob rei ſecretum obſiſtente. Vbi veterem illam gloriam Romanorum, vbi vires quibus Carthago æmula imperij diruta, ſub iugum miſſa, Aſia, Africa: domita Gallia, fracta Germania, Hiſpania vaſtata perſtrepebat? Cur ad arma & fortiſſima nati, Pontificibus quibus ſacra curæ obtemperarent? Nec Papæ ſolùm in Romanos ius eſſe, ſed tradi ſæuiſſimis nobilium, qui Principum familiarum nomine, Rempublicam interim lacerent, olim opprimant. Parem animum Romanis, eaſdem vires, ſimilem fortunam habituros, ſi quam longè diſſiti Pontifex ac Imperator, quibus diſſenſionibus diſtracti, cogitaſſent. Nunquam inter eos de Romanorum libertate controuerſum; & alicui potentiorum in ſeruitutem deſtinari, ipſi digniores qui imperent. Meminiſſent facilem Italiæ poſſeſſionem; quæ Sedem Apoſtolicam exoſam habeat, rapinas, auaritiam, ſordes, libidinem dominantium expertam. Recolerent totâ Italiâ nullam eſſe potentiam, quæ valida, quæ diuturna ſit; ſed in Tyrannos ac domicellos diuiſã; quos coïre impoſſibile ſit, ſeorſim impelli facillimum. Non diuitijs aut pecuniâ opus, quæ bello ſibi ipſi ſint comparaturi: Sufficere arma ac virtutẽ; plenas auro Ciuitates, ditiorum ſecreta pecuniâ turgentia: Animo tantùm opus. Se conſilium & vitam, ſingulorum bono communicaturum. Dictu mirum quanto ſilentio parata arma, adſciti ſocij, & in iuſti exercitus formam cõpoſiti. Nec enim Renzo Imperium, ſed Italiæ libertas quæri vulgabatur: Quæ eò acrius poſcebatur, quò lõgius aberat. Nẽq; alio nomine Dux magis commendabatur; quàm quòd vili loco natus, nec Regnum ambire poſſet, nec nobilioribus & potentioribus hærere; quos ad iniurias inferiorum elatos, potentia, auctoritas, amicitiæ præferebant. Vt ſatis virium; nec qui reprimeret ceptantem ſeditionem eſſet, Capitolium arte ac naturâ munitum inuadit; titulus è libertate Romanâ, ſæuitiâ Imperatorum, Pontificum abſentiâ, negligentiâ, contemtuq; rerum Vrbis petebatur: Mox iuſſit ſede Regni captâ, & vſurpato imperandi iure, amoueri Conſules, atq; exigi Vrbe iuſſit; Senatumq; veterem ad morem inſtituit, audaciſſimo quoq;, & pudendo, in Rempublicam adſcito. Ipſe quò ingenti quoq; famâ celebraretur, Nicolaum Seuerum ſe, & Tribunum ſtatuendæ paci, libertatiq; publicæ dixit: Tantâ ſingulorum obedientiâ vt velut à proprio Principe regi crederes. Addidit nomini ac exiſtimationi conſonantes virtutes, clementiam, iuſtitiam, æquitatem, vigilantiam. Vt totos quingentos annos, tanta legum reuerentiâ, ac in Dominos

obſequio

obſequio Roma hactenus non fuerit. Iamq; etiam apud exteros celebrari; Haud dubiè Romanæ libertatis aſſertor; ſi nobilitas natalium, & animi populorum, quos initio parauerat, perſtitiſſent. Totâ Campaniâ ac Vmbriâ, multæ nobilium Ciuitatum, ſolâ viri famâ ſe tradidêre. Creueratq; adeo, vt Pontifici ac Cæſari iuxta metuendus crederetur. Sed fortuna magnis conatibus rarò ſecunda affuit. Ante alios Pontifex, multitudine rerum diſtractus, hinc Ludouici, illinc Longobardiæ Vicariorum ſuſpectâ fide, nuncijs temerarij hominis cruciabatur. Nemo nobilium Renzo diſſentire, aut in certam ſuam perniciem obniti audebat. Scriptæ tamen ad pleroſq; Romanorum literæ; ne (quando tumultuari animus ſit) ignobilem, nullâ claritudine, aut virtute conſpicuum ſequerentur: Neu flagitium flagitio adderent, ab optimis ad perditiſſimos tranſeuntes. Quam conſtantiã eius conſilio ineſſe poſſe, qui temeritate procurrat; quem non opes, non affinitates, non magnæ amicitiæ foueant. An eam nobilem libertatẽ cenſeri, quę ſeruitute viliſſimi hominis ac latronis obiretur? Prorſus iniquitatis experimentum datum, quòd nemo Romanorum Principum, aut nobilium, ſtolidæ nouitati acceſſiſſet. Fluxam homini mentem, lubricum conſilium eſſe, ſibi ſuiſq; infęlicem exitum manêre. Permouêre hæc, veritate potius, quàm ſcribentis auctoritate; & quia Romani proceres Columnæ, Vrſini, Sauellij, Comites, eadem publicè ac ſecretè iactabant. Proinde ſenſim fidiſſimis deſtitutus, liberè totâ Vrbe, procacibus detrahentium ſermonibus carpebatur. Renzus vbi nullum rebus ſuis præſidium, nec conſilio firmitudinem vidit; medio noctis paucis comitantibus, & cariſſimâ ſuppellectili aſportatâ, Vrbi ſe ſubtraxit, & ad Carolum Cæſarem recens dictum delatus eſt, ſpe ſociandæ conſcientiæ, & Italiæ eius nomine occupandæ. Medio itinere Mantuam diuertit, vt Aloyſium inter Pontificem ac Cæſarem, mutatione temporum, varietate cauſarum, ambigentem, ſibi adiungeret. Placuit magno Principi audacis hominis cõgreſſus; Siue vt Romana diſquireret, ſeu quò tenderet, & quâ ſpe eſſet acciperet. Plus impetus, minus prudentiæ ac virium, in abiecto deſertore Aloyſius deprehendit. Et quamuis ſermonis nimius, intrepidę frontis, & ingentium ſponſor eſſet; vbi tamen deſtinatum iter repetijt, fertur Aloyſius irritos motus, & inhonorum finem Renzo prædixiſſe. Quippe non natales, non amicitias, non opes habere nouerat, imo nec promptos aſſeclas; quibus Sertorio ſe aut Spartico aſſimilaret. Imo filijs vocatis dixiſſe fertur: E vili ſeruo documentum accipiendum, quantũ valido animi liceat; ſi innominatus, Italiam in voto habeat, & paratu facilem credat; etiam Cæſarum ſe fortunæ miſcere audeat. Quantò ſumma rerum nobili faciliora; qui vt intus fortitudine ſubſiſtit, ſic apud exteros habet quibus innitatur: Cæterùm trahendæ Italiæ, ſolam in viro nobilitatem deſiderari, ſine quâ neminem diù imperium tenuiſſe. Eoq; nomine abnuiſſe ſocietatem; è quâ, ſeu traheret, ſiue obſequeretur vilipendium proſpectaſſet. Carolus viſo Renzo, cui præter iactantiam, & inanem audaciam nihil inerat, tali auſpicio Imperium nolle reſpondit, vinctumq; Auenionem ad Clemen-

tem

tem miſit, declinatâ Italiâ, per quam ſeditioſorum quoſdam ſuſtuliſſe in ſpem regni credebatur. Neque mirum; quãdo nobilitati ac plebi, ignobilibus ac Principibus, ſolidæ fidei nihil intercedat. Diſſimilium enim intuta ſocietas. Carolus quoq; res Italiæ à longè proſpectabat, vt alienas; niſi ſpe fauoris Pontificij, ſatellitem Papæ egit. Fama tamen plebei hominis, apud poſteros æterna manſit, commendatione animi ac fortitudinis; quibus octo menſes Romæ vſus, cunctos Europæ Principes in ſui admirationem traxit. Accedebat Petrarchę commendatio, maiori laudantis, quàm laudati famâ, quam carmine complexus eſt. Certum eſt Poëtas vanitatibus abſtrahi: Siquidem non viderat, non experimento virtutes hominis probauerat, tantùm auditu acceperat (qui ferè acrior, quò remotior eſt) & iam vulgi rumore vſus, in laudes proruperat. Fędiſſimâ comparatione, celebrem ſcriptorem excuſare licet. Nam ſparſi per Italiam Principes ad famam incomperti nominis, miſerant legatos, pacem ac fędus orantes; tamquàm haud dubiè veteris Senatus Romani potentia, vires, forma reſtituerentur. Ridere ſolitus Aloyſius fertur Vicecomitem, Scaligerum, Eſtenſem, Malateſtam, quoſque crediſſe iactantiæ acceperat; quòd legatos cum muneribus, Dictatori Romano, conſtituendæ Reipublicæ miſiſſent. Ille certè inter vanitatem, & Pontificis obſequium ambiguus, diù egit, tractâ de die in diem deliberatione; dum quid fortuna pararet, tempore doceretur. Cæterùm etſi Mantuâ ac Regio potitus eſſet, ſũmoq; nomine potentiâ vteretur; nõ tamen per vim aliquid, ſed honeſto titulo habere maluit. Et cum agrorum ad Gonzagam poſſeſſionem, prædeceſſores non modò ſuos, ſed ſe ipſum, ab Abbatibus Diui Benedicti recipiſſe meminiſſet, ſolitæ ſibi modeſtiæ modũ tenuit, miſſis qui eandem repoſcerent. Extatq; inſtrumentum Anni Milleſimi trecenteſimi quadrageſimi, Octobris vigeſima quartâ; Quo contermini Gonzagæ campi, veterum Gonzagorum poſſeſſione diſcreti, ab Abbate in honorificum & perpetuum feudum, Aloyſio confirmantur. Inditio integritatis, & erga Eccleſiaſticas perſonas reuerentiæ: Cùm causâ quàm vi agere, & in ſummâ potentiâ ſummam modeſtiam oſtentare vellet. Philippinus interim, ſedentariam & ingloriam vitam, per otium, leuia munia, & venationes pertæſus, tractare ſecum ipſe honoris ac gloriæ vias cępit; & quâ è Prouinciâ reportare lauream poſſet. Id enim domeſticæ virtuti famam exiſtimationemq; cõferre nouerat. Obtulit ſeſe profectionis anxio decora occaſio; cum Ludouicus Hungariæ Rex, Andreę fratris morte auditâ, Appuliæ poſſeſſionem repeteret. Ergò haud quaquam repugnante Patre, & pronis deſiderio, Guidone ac Feltrino, cum Trecentum equitibus in Appuliam profectus eſt, Regis neceſſitati viuidam operam collaturus. Gratior nobilis viri acceſſus, quò inexpectatior fuit: exceptusq;, & duabus equitum Regni Alis impoſitus, cum de nobilitate, fide, ac fortitudine non dubitaretur. Pugnatũ menſibus aliquot euentu vario, ſed inclinantibus ad Regem populorum animis, dum Philippinus aduerſas vires, manu conſilioq; detriuit. Sed nulla virtus ſine æmulo eſt; neq; æmulatio ſine ſcelere. Regni proceres, qui valeſcentem

Cuius initiũ. Spirto gentil' &c.

1340.

Aloyſius accipit cõfirmationem feudi agrorum ad Gonzagam.

Philippinus ad bellũ Appulum.

ſcentem iam Dominum, & ſi apud victorem gratiam meruiſſent, conſultum rebus ſuis opinantes, clam Mantuanum Ducem (ſic appellabant) temeritatis, ac inconſultæ audaciæ accuſabant: Neque eâ prudentiâ aut ætate eſſe, vt turmis equitum præeſſe, niſi manifeſto diſcrimine partium poſſit. Id Philippino meliores prodidêre; cum nocturnâ hoſtium eruptione, Albetum iuxta, Cantelmo concurriſſet. Audentem nihilominus hoſtem recipere ſe, & aliquot ſuorum amiſſis, arduis montium abdere compulerat. Indigniſſimè tulit Philippinus ſeq; ac ſuos virtutis accuſari; eo tamen lætatus eſt, quòd cum flagitia perquirerentur, ignauiam, ſecordiamq; affingere, non auderent. Proinde indignationem, ac vindictæ deſiderium, in hoſtes vertit; ſatis famæ agere putans, ſi effectis reſpondiſſet. Paulò poſt, quieſcente ferè Regno, & auerſo à conſilijs belli Rege; cum Aloyſius naſcentis vndique belli ſemina exciperet, literis eum reuocauit. Oblatum proferendæ fortitudini tempus in Patriâ, cui arctiori vinculo obſtrictus eſſet; debereq; ſeni Parenti, paruis liberis, fratribus & conſanguineis, tum maximè adeſſe, cum inter diſcrimina agerent. (Nam duas infantes domi reliquerat, Iſabellam, Egidiam) Nec ille vlterius immoratus, redijt in Patriam, exiſtimatione hominum maior; & Patre lætitiâ diffuſo, quòd tot præſidijs inniteretur. Guidonem fratrem adminiſtrationi Vrbis, Feltrinum curæ præſidiorum intentum reperit, maiori curâ quàm vt imparatos, hoſtilis impetus depræhenderet. Augebat formidinem Carolus pridem Romanorum Rex nominatus, qui accedētibus Regni proceribus, & totâ mole ſuorum, ſenem Ludouicum retinebat; ne acriùs præualeret. Sciebat Aloyſius, nota æmulo Imperij officia, quibus Bauarum media inter arma coluiſſet; animo tamen leuabatur, quòd poſtrema tempora ſtudio Pontificis honeſtauiſſet; & vel apud deſignatum gratitudini ac merito gratiam fore; aut Papam quæ iuſſiſſet executum auctoritate protecturum. Sed hærentem, & ſimul Europam omnem diſſidio Imperatorum laceram, mors Ludouici conſternatione liberauit. Vbi enim Carolus exceſsiſſe competitorem accepit, collectis raptim militibus, & auxiliari manu, Regno egreſſus in Germaniam properauit; Honeſtam cauſam, & vulgatam nonum iam annum electionem intonans. Primumq; Ratisbonæ, mox Norimbergæ admiſſus, & Imperator ſalutatus eſt. Baſilea paulùm dubitauit. Cenſuris enim quibus Ludouici cauſâ notata fuerat, abſolui ſe ante, & in Pontificis gratiam recipi volebat. Sed ſors bellum abſoluit; nam iiſdem ferè temporibus, Pontificis Legatus affuit; & datâ in publicum veniâ, metu excommunicationis omnes abſoluit. Tum ſe Cæſari dedidêre. Ciuitatum quæ Carolo acceſſerant, fortunam; haud quaquàm Principes Electores, quiq; Ludouico fauerant ſecuti ſunt, ſeu priuato in Carolum odio, ſiue metu. Nec pauci & inualidi erant. Hi nullas Carolo in Imperio partes eſſe iactabant, quòd non Francofurti, vt moris, electus; nec à Comite Palatino Rheni, coacti Electores forent: Quod non præſentiâ, non per Procuratores interfuerit; quæ conſueta Imperio prætendebant. Addebatur Carolum Aquiſgrani Regio inſigni

Philippini filiæ.

Carolus quartus.

gni haudquaquàm decoratum, quod Cæſaribus ſolitum; votaq; Eccleſiaſticorum, non ſponte, ſed per ambitum, & pecuniam quæſita; magnâ cleri inuidiâ; quorum facinora pretio recluſa dicebantur. Carolus multum ante repetitis Ludouici criminibus; ac in Electores reiectâ electionis libertate, nihil per vim, aut ambitum admiſſum dicebat. Sibi neſcio, Pontificis indulto, collatum Imperium. Neq; nunc nouam electionem cupere; quando præterita ſufficiat. In irritum tamen laborante Carolo, Francofurti, ſalutis Milleſimo trecenteſimo quadrageſimo octauo, eorum qui electioni interfuerant voto, Angliæ Rex nominatus eſt. Cui è Germanis origo commendationem addiderat. Ille intentè penſitato, maiùsne damnum acceptione Imperij, an ſecuritatis quietiſq; omiſſione perciperet, & ſuorum cōſilio vſus, oblatam dignitatem, modeſtâ excuſatione aſpernatus eſt. Domeſticas Regni curas, valetudinem, procerum auerſam voluntatem, ac totius Germaniæ inuidiam cauſatus. Non ideo tamen Germani quieuêre, ſed Miſniæ Ducem nomine Federicum, Imperatorem dixêre: Cui præter Saxonam originem, ciuiles & bellicæ virtutes in ſummo erant. Hic ſeu metu futurorum (cuncta enim in præceps ferri tali æmulatione cognouerat) ſeu acceptâ à Carolo ingenti pecuniâ, oblatum honorem reſpuit: Additâ cauſâ; ſe Germanum Principem eſſe, & pro Patriæ bono, quod diſcordijs conuelli ſciret, etiam incolumitati propriç vale dicturum. Nihil Electorum auctoritati detrahere; ſed ætatis iam expletæ, iras, odia, decertationes, in totius Regni perniciem itura formidare: Sibi ſatis vitæ fore, ſi quod ſupereſſet, in pace, & pro optimâ poſterorum memoriâ expleuiſſet. Et hæc in Germaniâ; Qui Italiam ac Longobardiam Principes tenebant; leui ob Imperij tumultus quiete, cum ſibi quiſq; potentiam properaret, nullâ in ſociū caritate; hoc vnum in commune procurabant, vt productis finibus, firmatiſq; præſidijs, paulò poſt affuturū Cęſarem; vel pacificū admitterent, vel aduerſum retinerent. Habitâ enim ab Imperatoribus dominatione, ſola Italia requirebatur; vnde pecuniam emungerent. Sed tranſgredi in Italiam difficile erat, ortâ ingenti lue, quæ multa hominum millia rapuit: Italiam peruagata, maximè miſeranda fuit: non ſexui, non ætati, non conditioni ignouit; ſed promiſcua obuias Ciuitates vaſtauit. Non accliuis, non humilis locus contagione ſecurus fuit; Crapulâ & inediâ mortales tollebantur: tamquam Numinis irâ in res Italiæ. Et haud dubiè flagitia ſuberant, quæ accuſarentur: Nam licentia turbarum adeo ſæculum infecerat, vt prauę aſuetudinis, ſcelerumq; lex eſſet. Interciderat generis humani commercium metu luis, deſperatione ſalutis. Etiam vſu pereuntium miſeratio elanguerat, ac ſi communi eoq; tolerabiliori, quæ reliquos habitura foret, raperentur. Medicorum, opera, quæſtui intenta, ne pretio quidem habebatur: Adeo proprij ſollicita, alieni incurioſa pietas erat. Blondus ab Auo ſuo ſe accepiſſe refert, vix è Centum Italiæ incolis, decimam ſuperfuiſſe. Syderum arcana ſectantes causā commentabantur: Saturni aſpectum viuentibus pernitioſum, Martiſq; in ea tempora incidiſſe. Medici

totius anni intemperiem cauſabantur; calore humoreq; fæcundam; vnde
putredini & contagioni occaſioné proferri: Vtriq; verbis copioſi, remedij
vacui. Sed quæcunq; tandem, miſerrimos lues corripuerit, proximè ingen-
tem illam Thucididis peſtilẽtiam æmulata eſt, diuturnitate, vehementiâ, nu-
mero pereuntium. Sacerdotes, quiq; aſperitate inſtituti, pietatem profi-
tentur; & bona ac mala de cœlo trahunt, aſſiduis precibus, inediâ, largi-
tione, ſupremi Numinis indignationem placare nitebantur. Et vocantibus
Deus affuit; ceſſitq; lues iam octauum menſem debacchata; relictis miſera-
bilibus, ſæuitiæ, ac feritatis veſtigijs. Totâ Europâ fere pax erat; rariſſi-
mis mortalium agrorum culturæ, tantò minus bello intentis. Libet vulga-
tam id temporis opinionem tradere; quando res ſuâ probabilitate non ca-
reat. Credebantur ſi quidem Iudæorum perfidiâ, infecti veneno fontes, &
mixtum farinæ gypſum; ſecretis in eâ gente odijs, & pronis in Chriſtianorũ
perniciem animis. Raræ quoq; illorũ mortes cõiecturam addiderant. Hinc
primò ſuſpicio; mox tamquàm re certâ euulgatum ſcelus, cunctos in necem
miſerrimorum armauit. Magnâ ea clades fuit, æquatæ ſolo ædes; ſi quid
agri habuiſſent vaſtatum, rebus familiaribus ſpoliati ſunt. Rariſſimi eua-
ſere; quos latebræ, mentita apud exteros religio, & alicuius potentiorum
fauor tutatus eſt. Nec tamen ante à cęde temperatum, quàm cum conta-
gione, Chriſtianorum quoq; ira depoſuit. Nihilo melius Mantua habuit;
aëris craſſitie, ac vbertate ſoli, commeatui ac morbis æquè obnoxia. Pa-
tuêre Aloyſij ædes, magniſq; ſumptibus in publicum erogata fomenta, da-
ti Medici; & cunctorum indigentiæ alimenta miniſtrata: Fuitq; Vrbs per
eos dies, quamquam mæſtâ facie, optimis tamen Ciuitatibus ſimilis, quæ
bello ſaucios, aut morbis confectos, largitione ac curâ ſuſtentant. Ipſe
Mantua pe-ſtis. vt non ſui anxius, circumire vicos, inſiſtere publico, requirere egenos, con-
fectis ſepulturam, laborantibus ſolatium ac munificentiam oſtendere. Id
vnum familiæ ad ſummum Imperium adſcitæ deſiderari videbatur, vt Nu-
men propitium, exteros amicos, plebem ac Ciues omnes pronos ſibi redde-
ret. Sed quia peſtilentiæ vi ij minus afficiuntur, qui ſecuriores agunt; & cer-
tiori amuleto quàm pietate mala non vitantur; hinc è domo Aloyſij cum
pauci familiarium perierint, nemo conſanguineorum deſideratus eſt, vno
Aloyſij filij & nepotes. Caſtelbarci filio infante excepto; quem filiæ nepotem Aloyſius, ſuo no-
mine dixerat, & tamquam proximi ſibi ſanguinis fouebat. Cæterum ipſi
tres filij è primo coniugio Rambertæ erant, Guido, Philippinus, Feltrinus.
Sed & Guido tres liberos numerabat, domũq; ac ſpes ſuas firmaſſe videba-
tur, quibus Vgolino, Ludouico, & Franciſco nomen. Feltrinus quoq; iu-
ſtis nuptijs, Guidonem, Petrũ, Edoardum, ac Gulielmũ genuerat. Iam verò
infauſtis Patriæ ominibus, Vgolinus tanto Auo ac Patre, in Ciuium ſuorum
ac familiæ perniciem ortus videbatur; nullâ ſuâ culpâ, ſed intemperantis
fœminę cupiditate, ad iniuriam coniugij traductus. Abſtinere facti me-
moriâ animus erat, quod plures inquinat; niſi in eo quod conſenſu ſcriben-
tium traditur deficere, procul à noſtro inſtituto foret; & nobiliſſimi iuue-

nis

nis cauſam, ſilentio; velut tectâ turpitudine aut vitatâ onerare videremur. Luchinus Mediolani Dominus connubio Iſabellam Fieſcam habuerat; cui fortunæ ac corporis bona cuncta inerant, præter honeſtum animum. Sed non niſi manifeſto inditio in Principes fœminas facilè ſuſpicamur; exiſtimatione nobilitatis, metu offenſionis. Neq; tamen ſexui iniquitas condonanda, quæ licet petulantem turpet, familiam non afficiat, opinione meliorum. Hæc filiam enixa; non Ciues Mediolanenſes ſolùm; ſed exteros quoq; & præcipuè Gonzagos; qui Luchinum conditionis ſimilitudine æmulabantur, ſummâ lætitiâ affecit. Iuêre Mediolanum nobilium virorum plurimi; & Aloyſius, niſi maieſtas dominationis retinuiſſet, mixtum ſe gratantium turbæ addidiſſet. Viſum tamen explendo officio, & teſtandæ lætitiæ; Vgolinum nepotem, magno nobilium comitatu addito, mittere; ſimulq; dona ſponſæ; & recens natæ infanti, nullâ parſimoniâ. Nam quæ domi Principes luxu vſuq; deterunt, non proficiunt in famam; ſed quæ alienis conferuntur, commendantur. Mantua quamquàm ſpecioſæ adoleſcentiæ ferax, ante alias Ciuitates eſſet, Vgolinus tamen formâ ac venuſtate, cæteros nobiles multò anteibat; procerus, & è viuido albeſcens, comæ flauedine, & oculorum decore conſpicuus. Aderat elegantia morum; quibus ſenem patruum adeò deuinxerat; vt hac vnâ nepotis caritate crederetur. Nec ille ſui negligens amorem Aui ſpernebat; ſed aſſidendo, obtemperando, etiam famulorum munia exequendo, voluntatem mutationis ſeni abſtulerat. Aduentanti iuueni Luchinus nobiliſſimos Mediolanenſium obuios miſit, & exceptum hoſpitio, ſolitâ erga Principum filios comitate habuit. Vbi tertius dies affuit, iamq; Iſabellam inuiſere, & reditui licentiam orare vellet, vltrò à Dominâ requiritur; quæ Vgolini pulchritudinem, commendatione ſuorum vt exceperat, ſic meditatione delibauerat: non flagitij adhuc, ſed tantùm videndi deſiderio; falsàne an vera proferrentur. Admiſſus Vgolinus formidini, pudori, generoſitatiq; compoſitus, aduentus ſui cauſam, paratam in Vicecomites Gonzagorum voluntatem, cui ipſe vades acceſſiſſet expoſuit; & munera inditio obſequij obtulit. Illa nobilitatem, pulchritudinem, viuidos ſpiritus admirari primùm; mox obrepenti deſiderio, & imparem ſe pugnæ agnoſcere; ad extremùm trahenti fortunæ vectandam abripiendamq; permittere. Sed inter cupidinem ac honeſtatem ambigens (quæ in Principe coniuge certa ſunt) hærere, metuere, ſperare; & poſtremò, ſententię certa, audere. Illud præcipuè excruciabat, quòd ſupplicē viro fęminam, externo Dominam, modeſto audentem, prętér rerum ordinem, fęditate depręhenderet. Ergo interrupto cogitationum agmine, ne meditationem ſuſpiria, ardorem cunctatio, deſiderium tractus ſermo detegerent, poſtero redire iubet; præſcripturam (vbi ſecum ipſa reputaſſet,) quæ Seni Auo reſponderet. Vgolinus humilitate, ac erga magnam mulierem veneratione vſus (quod gratiam intendit) ſequentis diei tardo reuertit; accepturus mandata, quorum causâ detineretur. Illa pridem ſecreto prouiderat; præmioq; ancillas ac matronas emercata, vacuo cubiculo; horrentem ſo-

litudinem iuuenem nîl tale metuentem, aut ſuſpectantem interpellat; Implicatâ dexterâ, quò plus timido ſecuritatis eſſet. Mirum tibi Vgoline forſan videri poſſit, quod ſummo coniugio deuincta mulier, eò confidentiæ venerit, vt iuueni, extero, nobili, ignoto, vetita & honeſtis moribus aliena consilia communicare audeat. Sed hæc ipſa dedêre animos; vt pauidum fortitudine, externum ac ignotum audaciâ præuenirem. Quamquàm amor nobilitatis proprius ſit; & ſi ſecretum, (quod natales hoſpitiumq; promittunt) fidesq; adſint, etiam honeſtus eſt. Integritati & nobilitati defero: Nec ſilentio inuolui poſſe diffido, quæ non oratus prudentiâ texiſſes. Nullam ego pudori tuo, mihi vrgentiſſimam vim amor infert, quò ardentior, eò magis excuſandæ. Coniugia fatum illigat; amores arbitrio ſumuntur; ſed forma, virtutes, nobilitas imputantur, quæ apud matrimonia ſunt rariora: Mihiq; diſplicere non poſſunt, quæ nemo hactenus improbauit. Impotentia muliebris, quò plus culpę, eò minus occaſionis magnitudo habet. Par erat tacuiſſe Luchinum; nec ignaram ſtimulis in præceps agere; & velut quid cupiendum foret oſtendere: Maximè quòd commendatione ignoti, magis ipſe vileſceret. Excepiſſem hoſpitem breui ſalutatione; nec toties laudatam perniciem, in meum detrimentum examinaſſem; ſed velut ictam fulmine, dum obſtupeſco, nec poſſideo; tranſijſſet decor hic, mihi lętalis niſi annueris; tibi flagitio nî ſilueris. Cęterùm ne quid excuſes, ſcito locũ, tempus, miniſtros iam parata. Vgolinus improuisâ oratione perculſus, cum cupidini interponere prudentiæ præcepta niteretur; verba ipſe ſua præpediens, ſatis eruditam in amore docuit, plus metus quàm conſtantiæ habere. Tum illa familiarius accedere; non præſens flagitium magis, quam pręteritas occaſiones referre; oſtentandæ pudicitiæ, quò magis accenderet. Nam toties Italiam peruagatã, toties expetitam, precibus, præmijs aditam, reieciſſe meritiſſimos; niſi ipſe nobilitate, moribus, formâ ante alios eſſet. Eò maximè ab impudentiâ abeſſe, quòd modum habuerit. Famâ primùm, tum præſentiâ amorem combibiſſe, quia poſtrema valuiſſent. Non ſe ſuam infamiam, cuius ſollicitum magis iuuenem agnoſcat, aut amici periculum accelerare: Cuncta nocturnis tenebris velanda; diſtracto Luchino inter ganeam ac ſtupra viliſſimarum, in lucem. Tum Vgolinus facto quàm ſermone melior, maiorum nobilitatem, quos lędi ab hoſpite religio ſit, Penates Deos, fidem, amicitiamq; conteſtatus, interijcere preces; ne optimis artibus traductam adoleſcentiam, præcipitibus deſiderijs fędaret; aut ius coniugij, familiæ pudicitiam violare vellet. Nullam adeo effractam cupidinem eſſe, quam non longinquitas temporis minuat atq; dimolliat. Exceſſurum ſe; ne præſentiâ incolumitatem propriam, decus, honoremq; hoſpitis perderet. Temperaret interim cupidini, & nobilitati ſuæ, ſaluti eius quem diligeret, honeſtate conſuleret. Iſabella vecordiâ impatiens increpare formidinem viro indignam, addere animos, præceptis, furto, oſculis, amplexu arctè detinere, voce, manu, lachrymis, ſuſpirijs vſa; prout profuturas artes exiſtimabat, vetus ſceleris, & peruincendi gnara. Nîl deniq; inauſum aut

Iſabella Fieſca Vgolinum deperit.

intentatum

intentatum omittere, quò temeritatem exprimeret, ipſa voto potiretur. Vgolinus ad artes verſus (neq; enim aut forma in Iſabella placuerat, aut ſatis tutum negare crediderat) ſpem futuri, blanditijs iuuenilibus oſtendit; dum mutuæ impunitati caueretur. Aegrè tamen conſenſus habitus, & fidès ſacramento obſtricta (quæ amatoria non obligant) tnm paucas horas immoratus & acceptâ à Luchino licentiâ Mantuam reuertit, periculū ſuum, audaciam impudicæ luſiſſe credens. Vigebat nihilominus fœminilis animi impotentia: Nec obliuiſci Vgolini, aut fixam animo iuuenis memoriam dediſcere nouerat. Sed explendi deſiderij, non niſi fraude via erat; quam Luchinus perfidiæ neſcius, & muliebris intemperantiæ ignarus facilè admiſit. Feſtus Aſſumptionis ſalutiferę dies imminebat. Ergo Iſabella conceptum viſendarum Venetiarum plures ante menſes votum prætexens, obteſtatur Luchinum, eundi copiam faceret. Sed Vgolinus in animo erat, quem eô venturum, non incallida, nouerat. Coniunx nīl ſuſpectans, multis nobilium adiunctis, ſuam ipſe turpitudinem maturauit: Dato ſimul conſilio, Mantuam ad amicos Gonzagos diuerteret; vt reddito officio; etiam hoſpitalitatis pignore iungerentur. Nec enim leue Aloyſij nomen erat; & quem Germaniæ ſeditiones, potentiorem indies reddebant. Illa per ſimulationem, longinquitatem itineris paucioribus, nec ſolita fœminis officia accuſans; pluribus mariti obſequium, amicitiam vicinorum, Aloyſij caritatem proſecuta; tandem obtemperaturam ſe ſpopondit. Sic Mantuam delata; & comiter hoſpitio excepta eſt. Seu tantum facinoris auſa, ſeu votum ſimulans, eodem Vgolino comite, Venetias primùm, tandem ad ſuos Mediolanum redijt. Vbi cum Venetorum munificentiam, Eſtenſis, à quo non minus excepta fuerat, comitatem, Mirandulani obſequium referret; Gonzagos tamen ante alios Regio cultu commendauit; vt cauſam moræ daret. Sed continuus comitatus, familiaritas maior quàm honeſtis matronis probatur, & amoris manifeſtiora inditia, cum tegi non poſſent, flagitij ſuſpicionem fecère. Hinc rumor crebreſcere, illicitis Vgolinum ſtuduiſſe; & ſacra hoſpitij contaminauiſſe. Quod Auum ac Patrem ante alios ſauciabat. Quamuis Vgolinus innocentiam Iſabellę conſtantiâ negationis, & ſacramento fateretur. Validior tamen fama erat; quàm vt ſuſpecti fide ſopiretur. Ea prima diſſenſionum cauſa; & proferendæ inimicitiæ Vicecomiti occaſio fuit. Scaliger quoq; cui multò ante in votis erat, pellere ſedibus Gonzagos, vt ipſe nobiliſſima Ciuitate potiretur; non publico, non ſecreto abſtinebat; quò Luchinus flagitij certus, ſecum in Aloyſij perniciē accingeretur. Nec enim proprijs viribus, id ſpei aut fiduciæ erat. Vltrò citroq; permeauère literæ, quibus conditionum fœdiſſima tractabantur. Sed Aloyſius ante Appuliâ, vt diximus Philippinum accerſiuerat, imminentis periculi metu; ſeu perſenſiſſet, ſiue Scaligeri recordatione excitaretur. Parum Vicecomiti fuit habuiſſe in partibus Scaligerum; niſi Obizum Eſtēſem in cauſam traheret; ſimul doceret, eodem Scaligerum niti; & in perniciem Gonzagorum accingi; neq; minus ſuas vires; & exiſtimatione maiores

Vicecomes Scaliger Eſtē ſis in Aloyſium conſpirat.

copias promitteret. Addit conſilium; ne torpeſceret, ſed occaſioni, quæ ſpecioſior nunquam ſit reditura inſeruiret: Cuiuſuis iuriſdictioni acceſſurum quod armis accepiſſent: Bellum participatione expenſarum commune fore. Placuit Eſtenſi, tot ſimul aduerſis Mantuanos exerceri: Quòd minori operâ veteres iniurias vlciſci; & Ditionis partem abſtrahi poſſe crederet. Sic Longobardia omnis, exercitibus & bellorum apparatibus perſtrepebat. Et Aloyſius delicti admiſſi, cuius vindictæ tot hominum millia armabantur, neſcius; rebus tamen ſuis, ſummâ prudentiâ, & recenti delectu prouidebat. Diſpoſitis pro agri limitibus quinq; peditum, duobus equitũ millibus. Inductis prætereca Vrbi, ſtipendiariorum ſex millibus; quibus ſe tria millia è Flaminiâ adiunxêre: Aggeſto commeatu; quod magno, & difficili bello ſuffecturum credebatur. Ipſe tamen ſubditis quàm ſibi metuens, magno curarum æſtu, quibus viribus, quâ arte, fortiſſimos ac numeroſiſſimos hoſtes reijceret, dubius animi reputabat. Sciebat ſolo Mediolano plus iuuentutis, quàm toto Mantuano agro numerari; raros amicorum, tanto periculo fidem accommodaturos; quidquid ſpei intra ipſum ac ſuos eſſe. Virtuti tamen, ac conſtantiæ ſuorum confiſus; quamquàm ſenectâ grauis; vltrò diſcrimini obijcere ſeſe; & approbare virtutem cui Ciues credidiſſent Imperatorium rebatur. Nil tamen ſuſpicacem animum magis lancinabat; quàm ſuâ aut nepotis culpâ (iam enim vulgari cęperat) tot hoſtibus ſuos eluctari; & quam ſemper in votis habuiſſet pacem conuelli. Nec tamen errori Nepotis, aut intemperantiæ muliebri, dedi Ciues innoxios honeſtum erat; aut quietem Patriæ fędâ confeſſione, turpiue formidine comparari, Maieſtatis & exiſtimationis putans, ſi obſtitiſſet ſiniſtris, obuiusq; imminentibus, nullâ ſanguinis curâ proceſſiſſet. Senatum tamen conſiliorum participem vocari, in ſequentem diem iuſſit. Et vt criminis inuidiam auerteret, animoſq; ſuis adderet; ſic pro concione orſus eſt. Nouiſtis conciues mei, non nouas, ſed veteres Scaligerûm ſimultates, & connata Veronenſibus, in Mantuanos odia. Sumptum à Cane, ac Maſtino experimentũ. Nec veri animi certitudo, licet officio inter nos certaretur, habenda erat; Niſi credimus acceptas à nobis clades, prędatos patrios lares, abductos in ſeruitutem liberos, æquata ſolo męnia, oblitos eſſe. Aduerſorum, ſtrenuis ac ignauis perennis memoria eſt; illi publicè, hi dolo vindictam repetunt. Rari iniuriam remittunt, vbi vices reddere in noſtrâ poteſtate eſt. Par in Eſtenſi ratio, quem ingenita æmulatio, proferendi dominij cupiditas incendit, nullâ iniuriâ laceſſitũ. Iam enim poſſeſſa à Gonzagis Ferraria, extra culpam, & memoriam noſtram eſt: Neq; niſi ſæuus ac inhumanus, Ducentorum annorum ius meminerit, cui ſit infenſus. Vicecomitem toti Italiæ inhiare; eamque imperantium diſcordijs quæri taceo. Nec enim noſtrorum militum inſolentiâ prouocatus bellum infert: Et domus ſuæ impudicitiam, nos eluere deſiderat. Quaſi cum honos reddatur; vbi detecta, omnibus ignominia eſt. Mihi nullo ambitu acceptæ dominationi, communi meorum caritate (ſiue obtemperatis, ſiue iubetis) tribus liberis, ne-

potibus

potibus aliquot, firmitatem promitti certum eſt. Nec iuuentutis armorúmve pœnitet; commeatus abundè ſufficit; & in veſtrûm omnium ſecuritatem parata pecunia. Neq; aliud mihi arrogabo, quàm ne poſt Vicecomitem, Scaligerum, & Eſtenſem prudentiâ numerer. Eadem in Ciuium virtute, quæ in hoſtilis cauſæ iniquitate, fiducia eſt. Diſrumpetur quippe, corruptis animis nexa ſocietas; & contra ſingulos vniti præualebimus. Hoc ſtatu rerum nos, noſtraq;, & hoſtium conatus ſunt. Equidem vt pacem, quàm bellum deſidero, ſic pronam ſeruituti Patriam auerſor. Cenſete, Patres, & exequor. Reſponſum à concione eſt, quæ cogitaſſet ſequeretur, & hoſtiles conatus in Patriæ ac ſuorum gloriam verteret. Se corpora ac fortunas obſequio offerre; nec ceſſuros, niſi dimicandi licentiæ. Ideo ſummum ſibi à Senatu, Cæſare, ac Pontifice locum datum, vt in ſuum decus, Patriæq; tutelam vteretur. Scaliger interim miſſis antea Mantuam exploratoribus, quæ Senatus parauiſſet, Aloyſij conſilia, & quod militum ſub ſignis haberet, didicerat. Non illi libido per ſanguinem ac vulnera erat, accipiendi quæ voluiſſet; itaq; quando non ſine diſcrimine tractari arma, & contumaces defenſioni vidit, mittit Paulum Ciocum qui pacem & eo medio vniuerſorũ quietem repromittat, ſi Caprianam, Voltam, Caſtilionem, & adiacentes agros conceſſiſſet. Aloyſius indignam Senatu ſententiam, ſibique imputandum dedecus eo admiſſo putans; ne ius gentium violaretur, hortatus Ciocum eſt, vt ad Dominum regrederetur; & ſi quid requireret, ſuo nomine reſponderet. Non Pontificibus, non Cæſaribus inter ancipitia, & detritam vexationibus publicam rem, conceſſum hoſpitium: Quantò minus, debiliori, impotentioriq; hoſti quidquam acceſſurum. Scaliger ſecuritate reſponſi, hæſiſſe dicitur; & ne Vicecomes falleret dubitaſſe; neq; enim Mantuanos tanto ſubſidio valere, vt minitari poſſent. Addidit Aloyſius congruentia: Nam Caprianam Quadringentis peditibus, Centum quinquaginta equitibus inſideri voluit; iuſſis partito labore, non diurnam, non nocturnam pacem hoſti concedere: Sed præuenire ſæuitiam; aut reddituris pœnã hoſtibus, aut metum incuſſuris. Inpẽdentia ab hoſtibus mala, ſupremũ inſuper Numen oneraſſe videbatur: Non præteritã ſolum contagione, ſed ingenti terræ motu, quo Mantuanæ ditionis plura ædificia, magnâ incolentiũ pernicie corruêre. Obtrita quoq; ſtabulantia armenta; & vaſti toto agro terræ hiatus patuêre; quibus nonnulli aperto ſalutem præſumentes hauſti ſunt. Verſæ hinc Mantuanorum ad ſuperos preces: Et inediâ ac largitionibus Diuina vindicta deprecata. Cum enim familiaris ſoli trepidatio crederetur (vt quæ ne noſtris quidem temporibus inſolens eſt) nec ædium ruina ſequeretur; quamuis pleræq; magnâ ſui parte cœno ſtruerentur; ſuperior cauſa fuiſſe viſa. Milleſimus tercenteſimus quinquageſimus, ſacro Iubileo (Iobeleum quidam dicunt) celebris fuit. Cum enim Clemens Pontifex, totâ Europâ vim contagionis depoſuiſſe; & tranſuolanre pernicie, rariores vbiq; mortales accepit, Iubileum annum, à Bonifacio Octauo, quouis ſæculo indictum, ad Quinquageſimum redegit. Aeui breuitas, & paterna indulgen-

Scaliger requirit partẽ agri Mantuani.

1350. Iubileus.

indulgentia cauſam præbuêre. Accurrêre in Vrbem innumeri; non ſexus, non ætas, non conditio obfuêre; quò longis culparum nexibus illigati, exoluerentur. Etiam pietas in Deum, viſendæ Pontificiæ Ciuitatis, aut legandæ in futurum memoriæ amor inceſſit. Mantuani rariores eo officio functi ſunt; quòd ambiens hoſtis, Ciuitatis curam ſuaderet. Vix à ſuis Carolus Imperator ſalutatus fuerat; & Henricus Archiepiſcopus Moguntinus, Ludouicus Marchio Brandeburgenſis, Ridolphus Bauarus, Comes Palatinus Rheni, & Henricus Saxoniæ Dux; quibus auerſus Carolo animus; Guntherum Comitem in Suarzemburgh, ſpeſtatę virtutis, & militaris diſciplinę peritiſſimum Cæſarem dixerunt: Auctumq; milite, ac opibus, Francofurtũ magno comitatu deduxerunt. Carolus licèt magnis copijs inſtructus, haud tamen ſeſe, ac ſpem omnem futuri, caſui fidere prudentiæ ratus, continuit ſuos; tamquã causâ non armis, cum æmulo trãſigere meditaretur. Mox Germaniæ proceres Spiram exciuit, velut de rerum ſummâ deliberaturus. Etiã qui Comiti fauerant pleriq;, quiq; ante Carolo hæſerant, Guntherum aſſeclasq; omnes Schiſmatis reos decreuêre; ac pro deſertoribus habendos, iunctisq; Patriæ viribus inuadendos, niſi dicto paruiſſent. Proceſſitq; Carolus, ſpei certus, & valido exercitu formidabilis. Interim, ſeu cauſæ; ſeu ſuorum Guntherus, ſeu eius virtuti Electores diffiderẽt, cępta inter vtrumq; tractatio; eaq; minimâ Caroli largitione tranſacta eſt. Sed obrepens mors, & vitâ & Imperio hominem exuit. Quidam veneficium credidêre, quo Medicus pariter ſublatus eſt, prægustare medicam potionem auſus. Sic amoto competitore; & diſcordibus Imperatori Electoribus, pacto, & mutuâ fide firmatis, manſit Carolo Cæſari dominatio, nullis ſuorum in Germaniâ diſſenſionibus conuulſa. Per hæc tempora Vicecomes, Scaliger, & Eſtenſis, collectis armatorum pluribus millibus, in Mantuanum agrum impetum fecêre; populationibus terrorem, ac ſæuitiæ famam ſectati. Prior Caſtrum Gouernoli, & ripam omnem, quæ Padum continet, ſimulq; Burgofortum; Alter Curtatonem; Tertius quâ Brixienſis ager excurrit, obſidere inſtituunt; erepto obſeſſis commeatu; & eâ campi parte, quæ pabulationi ſeruiebat (vulgo Serraglium vocant) Diſpoſiti pro finibus milites, aliquot ante dies in Vrbem redierant; Duxq; Caſtelbarcus, imperium Aloyſij, quàm belli incerta metuens reduxerat, ægrè iuſſa accipientes: Quaſi certę prædæ abſtraherentur; neq; alio inditio poſſent virtutis ſpecimen præbere. Sed quia inuiti obtemperauerant, data ſpes in hoſtes proficiſcendi, vbi primùm ſecuritati Vrbis conſultum foret. Plebs interim otio, non belli incommodis aſueta; quiq; ætate aut ſexu præſentibus metuebant, futuro diffidebant; plus vero aggerere, ſecreta per conuentus colloquia habere, fortunamq; Ciuitatis vti elapſam deflere. Hûc decidiſſe veteris Reipublicę ſtatum; vt ſemper potentiorum alicui obnoxij, non propriâ, ſed illius ſorte abſtrahantur. Sine ſanguine tot hoſtium millia arceri, aut pelli non poſſe. Nec pretium aliud laboris peti, quàm Gonzagorum potentiam, ſolitamq; veteri populo, nullis Tyrannis habitam quietem. Nec certè electionis pœnitere, ſed proximè flagitio

Mantuani Gonzagis obſtrepunt.

gitio

gitio accedere, tot innocuos Ciues, vnius intemperantiæ dedi: Et quando iuſtiſſimus pater, fortiſſimi filij, ac nepotes, ſuorum ſanguine victoriam reportent; non tamen aut conſanguineos acie abſumptos, aut populationem agrorum, frugum vinearumq; vbertatem redituram. Contrà quibus cum virtute animus erat, diſſerebant: Non aliâ occaſione opportunius Rempublicam vni permitti potuiſſe; qui ſubita, propriâ auctoritate expediret; quàm cum turbatæ Germaniæ, agitata Italia, in Mantuanos videbantur eruptura. Non oblatum ſed oratum Principem id oneris accepiſſe; nec ſi priuatus foret, alio protectore tutius Patriam, & veterem gloriam ſeruari potuiſſe. Crimen omni exitio grauius, honeſtiſſimo nepoti affictum; & ſi vnius culpa ſit, cur Scaligerum & Eſtenſem in vniuerſos armari? Plures annos Aloyſium & filios, modeſtiæ exemplum præſtitiſſe: Reddendam optimæ familiæ vicem, & communem cauſam, publico diſcrimine amplectendam. Non enim lacerato Domino, cæteros in tuto agere. Guido quoq;, Philippinus, ac Feltrinus, oſtentatam prius erga Senatum reuerentiam continuabant, ſuam innocentiam teſtabantur, hoſtium perfidiam accuſabant. Deniq; precibus & auctoritate, vndiq; auxilia conquirebant. Sed Vgolinus præcipuè offenderat Vicecomitem; quòd à nobili Mantuano requiſitus num in Luchini coniuge deliquiſſet, reſponderat, innocentem Iſabellam: Illo verò fidem dicto abnegante; & Luchini querelas, ac coniecturas facto referente, addente inſuper, certum id marito ac Mediolanenſibus eſſe, proruperat impatientiâ: Quando (inquit) Luchinus Princeps eſt, vultq; ſententiâ non errare; obſequium facturus etiam hoſti, procurabo, vt verũ credatur, quòd citra dedecus nominis negari non poteſt; aut domi maculoſum, aut ſtudio mendacem eſſe. Et quia rara ſecreti fides eſt; dictorum certior Luchinus redditus, ſede exilijſſe dicitur; & Patriæ, ac familiæ vniuerſæ excidium comminatus. Antequàm Mantuanorum delectus haberetur, ſuam quemq; in Centuriam abire, & vniuerſum militem cenſere viſum, repertæq; virorum, qui bello nomina dederant, quatuordecim millia; præter eos quos Ciuitatis cuſtodiæ relinqui par erat. Auxiliorum ſex millia cenſebantur. Quos in arma, ſuorum caritas, & metus hoſtilis, ne ſolos deprehenderent, traxerant. Sed quoniam tripartitò hoſtes inſederant; & plures Triginta hominum millibus exiſtimabantur, quorum vis maior Luchini erat; Aloyſius diuidere copias, & hoſtibus obuiam procedere, pluribus Ducibus ſtatuit: ne vniuerſi ſimul ingruerent, aut iunctis inimicis, vires cum numero accederent. Exploratores ex hoſtibus magno auro comparati; quando non alia certior agendorum ratio occurrat; quàm perſpectis inimicorum conſilijs. Hi retulêre Luchinũ cum duodecim hominum millibus ad Burgofortum, omiſſo Curtatone conſediſſe: Nec auſum nocturnam munimentorum oppugnationem, ignoratione locorum, & ſuorum formidine; nec minus metu auxilij. Falſus enim rumor inceſſerat, totis viribus Aloyſium in Eſtenſem properare. Et Philippinum, delecto equite, in Vicecomitem ire; acceptis à Patre mandatis; ne pugnam niſi coactus, aut prouocatione irritatus inciperet: Sed bellum cautè

tamdiu

tamdiu traheret, donec iunctis viribus, & cæſo Eſtenſi, certior victoriæ, in Vicecomitem regrederetur. Fama eſt vulgatum ab Aloyſio conſilium; eoq; Eſtenſem Gouernoli obſidionem omiſiſſe; quod paucis propugnatoribus habitum, facilè in ipſum ceſſiſſet. Id ſeruandum dederat Vicecomes. Nam in Prouinciam delati, diuerſa ſequebantur. Formidinem amici, haud quaquam Luchinus acceperat; ſed ſui metuens, alieni pauidus, non ſine dedecore à Burgoforto receſſit. Incertus, ſeu proſequeretur, quod ſibi ſumpſerat; ſiue alienum periculum ſuum faceret; aut inſequi, aut regredi, prout ſors meruiſſet, ſecurus.. Non is Aloyſio animus, ſed ſummo Patriæ, nullo ſui ſtudio, tentare præliorum vias; & virtutem Ciuium, ſuam prudentiam, filiorum fortitudinem, inſigni aliquo facinore honeſtare cogitabat. Ergo ne perfectæ victoriæ effugia vlla, aut Luchino, aut Eſtenſi forent, præſidium toto Pado quadraginta nauium (quas ante parauerat) imponit. Additi milites, commeatus, arma bello neceſſaria, in ſpeciem ſimul ac terrorem. Delatum enim ad ſuos erat, toto alueo, quâ Ferrariam ſecundò decurritur, Eſtenſem claſſem innatare, adempto commercio, & obſeſſis amicorum ripis. Id vt famæ proprium in maius celebratum eſt: Tamquam flumina, accampi, ab hoſtili exercitu ita tenerentur, vt non egredi, non ingredi liceret. Impoſitus Claſſi Philippinus Dux; & ſecretò emiſſus, iuſſusq; Patrem opperiri; & frequentibus nuncijs conſilia, & rerum exitus perſcribere. Inerant tria Mantuanorum millia; maior quàm pro nauium copiâ numerus: Ideoq; ripis expoſiti, properantem aut reuertentem per vices terrâ ſequebantur. Agreſtes quoq;, Mediolanenſis militis inſolentiâ turbati, cum procul Vrbe agerent, claſſem, & littori expoſitas copias petierant, multitudine ac Duce; ſecuritatem ſectati. Et quamquàm rudes militiæ, validi tamen erant; & vt longo vſu exerciti, redigi in manipulos, accipere mandata, ad ſignum pandi aut conglobari, illicò didicerant. Duo millia fuêre; Quos inter fœminę ſtruendo vallo, miniſtrandis alimentis, comportandis quæ militię vſui erant, trahendis in aduerſum amnem nauibus, virilia munia obibant. Pleraq; maritos, parentes, fratrêsve ſecutæ fuerant; honeſtius perituræ cum totâ familiâ, & inter ſuorum amplexus exiſtimantes, quàm abſentibus & periclitantibus viris, libidini & ſæuitiæ tranſuolantis inimici deſtitui. Dictu mirû quantum ſecordiæ Mediolanenſi, ac Eſtenſi inceſſerit. Quippe multitudine, quâ initio pollebant, pauentem Mantuanum facilè opprimere, ſi tempori occaſioniq; ſeruiuiſſent, potuerant. Sed Luchinus dies aliquot cunctatus; cum Gonzagi adhuc deliberarent; ſuas, ſuorumq; ſpes detriuit. Demum vbi nec à Scaligero, nec ab Eſtenſi, per exploratores certior redditur, quid facto opus, quâ erumpendum, quid oppugnandum aut omittendum foret, neſcius diu; poſtremò reuocantibus ſuis, & pacem, nec non vt aduerſus vxoriam impudicitiam priuatâ vindictâ vteretur, orantibus; de reditu cogitauit. Metum quoq; addiderant, Brixiani exules Vrbe per iniuriam pulſi, Mantuamq; delati; Scaligero & Eſtenſi pridem inuiſi; ſed ingens Aloyſio momentum. Qui vt beneficio vteretur, tempori occaſioniq; ſeruiret, nulla

ſedi-

ſeditionum ſuſpicio oriretur, mixtos Mantuanis, & in reliquorum Centurias diſpoſitos, Burgofortum ac Gouernolum miſerat, Iulio de Ripâ impoſito, quem nobili ortu, & non militiæ degenerem ante Principatum, pro Bonacolſis, atq; adeo pro Patriâ bellatorem nouerat. Luchinus ergo nec ſubſiſtere, nec regredi ſecurum credens, parum tempori competebat. Et viarum anfractus omnes ſepſerat Aloyſius; plus perſpectis hoſtium deliberationibus, quàm ſuorum numero fretus. Iam ſi qui primas, aut alteras excubias euaſerant, in tertias, aut vlteriores incidebant. Ductiq; ad Aloyſium, quibus viribus, quo numero, quâ mente reliqui eſſent referebant. Ille benè agendæ rei occaſionē nactus, Eſtenſem in metu detinuit, frequentibus nuncijs properatum numeroſi hoſtis aduentum docentibus: Et miſſis ſuorum per vices manipulis; qui diſcreti & inſultantes, neq; congreſſus copiam facientes, magni exercitus ſpeciem præferebant. Ipſe quamuis Vicecomiti recenti amicitiâ nexus, auerſus tamen à conſilijs belli erat. Neq; magnę in Aloyſium belli cauſæ; ſed vetus tantùm æmulatio, eoq; fere obliterata erat. Quæ ſub Paſſerino admiſſa fuerant, Senatui potius, & iam ſubuerſæ familiæ imputabantur. Proinde conſenſu in pugnam tractus hærebat; oſtētaſſe Mantuanis arma ſatis exiſtimans, vt vim ſignificaret. Plus in Scaligero fraudis; minus prudentiæ, inexhauſta ira erat. Cum enim frangi ſocios, & Aloyſium, conuerti ad inteſtinas diſcordias optaret, quò facilius Mantuanos inuaderet; nec ſatis vniuerſis prouidit, nec miſsâ copiarum parte, Mediolanenſem tutatus eſt, ſed æſtimatione leuiſſimæ iacturæ in caſum dedit. Prænoſcenda quoq; Luchini cauſa, & quâ animi vi eſſet; Nec enim flagitio bellum illatum, ab ignauo & extimulante: ſpem victoriæ dabat. Quâ meditatione Aloyſius tot hoſtibus congredi auſus eſt: Illud quoq; in præſidium vertens, quòd infida æmulantium ſocietas; nec ingentes conatus niſi ab vno proferantur; quem penès imperiū, & ius agendorum habetur. Porrò non ita in concitorem belli exarſerat, vt in Scaligerum quoq; ac Eſtenſem proditionis vindictam non meditaretur. Ex vſu tamen ratus, innocuos, fugæ quàm certamini paratiores ad tempus differre, vbi Philippinum non procul Burgoforto ſubſtitiſſe accepit, Quadringentis equitibus, duobus millibus, & quingentis peditum, noctis ſecreto vſus Ciuitate erupit. Et modicum iter erat, plana via, nec cęnoſa; ſimul niſi habitum aliquot horas in quiete militem periculo obijcere nolebat. Miſſi tamen per incerta viarum frequentes nuncij ad Padanam Claſſem; qui docerent, nullum à Scaligero, nullum ab Eſtenſi metum; firmatum præſidio Gouernolum, Curtatonem, Ciuitatem fortiſſimâ iuuentute teneri, ſuppetere arma, ac commeatum, ſe ſtatim affuturum; & albeſcente matutino toto impetu Luchinū inuaſurum. Proinde obſeſſi prodirent, & Claſſiarij, Mediolanenſium naues inuaderent: Affuturam vtriſq; victoriam, bellumq; vno velut ictu patrandum. Philippinus Patris mādata, ſub noctis medium accepit: iuſſaſq; tres Centurias Burgoforti ſubſiſtere, reliquos in prælium traxit. Sexcentos tamen Duce Caſtelbarco ſubſidium ſuis tradidit; hûc illûc arma laturo, provt

opus

opus inclinantibus foret; nec non vt Mediolanenſibus certamini intentis, nec præter obuios, alios metuentibus, improuiſus inueheretur. Per Vrbem omnium vna vox erat, miſſos Gouernolum ac Curtatonem milites vt bellum inciperent; proceſſurum Aloyſium vt orto die auxilio ſuis eſſet. Luchino ſatis prouiſum vulgus crediderat, ſi vnius oppidi oppugnatione illigatus ad vlteriora procedere non poſſet; nec quâ erumperet certus eſſet, & inſtaret minitabundus Philippinus, cui fortunam virtuti reſpondentem vniuerſi affingebant. Apud prudentes quoq;, fœdus, ſocietatemq; malorum Luchinum merſiſſe certum erat: Quæ rarò ſtabilia, & nullo certo Duce, diuerſis contrarijsq; animorum motibus illicò diſſoluuntur; præſertim vbi ſuas quisq; ſpes verſat; & in abdito minus fidus eſt. Sed nec caritas, amicitiæq; adeo ſtabiles reperiuntur; quin detegatur infirmitas; quoties de dominatione res eſt, aut partiẽda iudice alio, quę bello quęruntur. Mantuæ cura Guidoni filio, ac Senatui permiſſa eſt; iuſſis omnibus ſeſe intra mœnia continere; nec niſi bello validos, aut commeatu onuſtos admittere. Vbi Senatui prouiſum, Aloyſius Burgofortum deſcripto milite ſeptus contendit, venerabilis ſenectâ, & conſilij ſecurus, tamquàm victoriam præſentiâ laturus: Siue cauſæ honeſtas illos ſpiritus; ſiue innata nobilitas, cui pleraq; ex voto eueniunt, præſagium darent. Quintâ noctis horâ, duobus paſſuum millibus, proximè Caſtra hoſtium conſedit. Qui à Philippino miſſi fuerant, ordinem, ac ſe bello paratos retulêre; & ad ſuos reuerſi tempus euadendi, quâ parte prorumpendum foret, quibus copijs docuêre: Vt pariter Claſſis, pedes, eques infenſos inuaderent. Luchinus metu quàm prudentiâ cautior, tamquàm amicorũ operâ deſtitueretur, à quibus nulli nuncij viſebantur, Mãtuam, & per ripam Padanam exploratores miſerat, ſcrutaturos quis nauiũ apparatus, quis pedeſtris aut equeſtris militiæ numerus, qui Duces. Sed aduentans ab Vrbe inopinatò Aloyſius, anxios fruſtratus eſt; vt nihil in ſummam profuturum, aut quod expectationem impleret, referrent. Auditum paruo illinc interuallo, incomptum ac incertum murmur; diſpoſitosq; per aperta itinerum obſtitiſſe; ne quæ quærebantur haberi poſſent: Egreſſos Vrbe nonnullos; non tamen communi viâ proceſſiſſe; nec obſcuro noctis, ob compoſiti ac taciturni agminis modeſtiam agnitos. Id ſolùm credibile, immiſſos Burgoforto quoſdam, obſeſſorum raritati, & formidini ſubueniſſe. Nec eam in Mantuanis fiduciam, aut numerum eſſe; vt viribus ac copijs potiores inuadere, relictis à tergo hoſtibus audeant. Et data Indici fides, quamquàm incerta, & nullo auctore habita detuliſſet. Qui audentius exploratorum ſuggreſſi, in inſidias impegerunt; & ad Aloyſium deducti, pauorem ſuorum, & abeundi conſilia, nec non torpentes fœderatos docuêre. Vt affulſit, & inter ſocios hoſtésve manifeſtum diſcrimen fuit, magnis animis qui Burgoforti erant, ſonoro ſtrepitu erupêre in Mediolanenſes. Nec dubitauit Philippinus; ſed vbi Parentem totis viribus, Cremonenſem viam inceſſiſſe accepit, hoſtium lateri inuectus eſt. Nil æquè Luchinum ac ſuos, quàm improuiſa eruptio, ac inexpectatus Aloyſij impetus affecit. Ad tertiã diei

Pugna inter Mediolanenſes, & Mantuanos.

diei horam pugnatum eſt, nec in obſtantes potius, quàm cedentes. Quippe proiecerant animos Mediolanenſes, velut vnius iuuenis vindictæ mactandi offerrentur. Rari in acie, plures inter Paludes, ac Euripos, dum per auia fugâ ſaluti conſulunt, oppetiêre. Multi in captiuitatem abducti; ſimulq; bellum ante patratum, quàm Luchinus aduerteret, Scaliger, aut Eſtenſis certiores eſſent. Prior Luchinus, multis ſuorũ equitum comitatus, omiſſis impedimentis, quæ Regiam potentiam æmulabantur, proripuit ſeſe diſcrimini; nec ante ſubſtitit, quàm Mediolanum delatus in tuto eſſet. Pedeſtres copiæ incertis viarum ductibus, per aduerſa nemora & inculta camporum ad ſuos euasêre. Reperta toto agro, arma, commeatus, iumenta; quæ victi deſtituerant, aut abiecerant; ne fugam morarentur. Vniuerſa militi conceſſa, vt laborem & incommoda leniret. Franciſcus Viſdominus proximas Burgoforto excubias cum tribus peditum millibus ſortitus fuerat. Is egreſſos munimento hoſtes vniuerſos conſpicatus, pernicitate equi ad Luchinum peruaſit; & medio pugnæ ardore, deſolatum defenſore Burgofortũ docuit, facilè recipi poſſe; & immitti iuuentutis aliquot millia; id ſatis eſſe ad victoriam; ineſſe quippe commeatus; & famâ receptæ Arcis occaſuros ſpiritus Mantuanorum; ſimul Mediolano nouum delectum proceſſurum; qui obſeſſos firmet; & circumfuſum hoſtem repellat. Equidem eo maximè deliquerant Mantuani; quòd erumpentes; neminem tutelæ reliquerant; qui regreſſos exciperet; aut ſi res ſecus verteret, parta ſeruaret. Cum itaq; acrius Viſdominus moneret, impatientia ſtupiditatem Luchini perrupit, vt reſponderet, iret, regrederetur, & ſe victoribus iugulandum offerret; ſibi in animo eſſe eâ progredi. Et ſtatim Mediolanenſe iter agreſſus eſt. Manifeſtâ iam victoriâ regreſſus Philippinus dicto citius, plures militum nauibus imponit; ac in Claſſem Vicecomitis & Eſtenſis irruere parat: Sed ſubrepſerat ante Mediolanenſis, & Cremonenſi ripæ illigauerat. Ergò in Eſtenſem, quæ non longè Gouernolo ſubſtiterat, ſecundo flumine defertur, paternam gloriam, priuatâ virtute ſectaturus. Aloyſius quos Vrbe eduxerat celer retulit (paucos enim acies hauſerat) vt in Scaligerum animi ambiguum pugnaret, victoriæ ſecurus: Niſi alieno ſubſidio niteretur; & proſpera fere Mantuanorum in Veronenſes certatione. Ille acceptâ Luchini clade, ſecuriora ſectatus, Mantuano agro, cum omnibus quos adduxerat, exceſſit. Veritus ne Aloyſius, quem fortuna victorem referebat, totis viribus illâ incumberet; cogeretq; Veronenſes luere, quæ Mediolanenſes ac Eſtenſes ſimul admiſiſſent. Nil accerbius Aloyſio accidit, quàm Scaligerum euaſiſſe. Et erant, qui in Veronenſes bellum conſulerent. Ille vt praua conſulentes reiecit. Ne Luchinus ad ſuos delatus, inuidiâ victoriæ, cæſorum ac captiuorum dolore, conſanguineorum queſtibus, nouis copijs, nouam belli fortunam experiri vellet. Multum enim populorum ſub imperio habebat; neq; Mantuani numero, tanto hoſti ſuffecturi videbantur. Subſtitit Mantuæ Aloyſius maximè quòd citus equo nuncius, Gouernolo ac Mantuano Eſtenſem exceſſiſſe attuliſſet: Nec diſceſſum ſed fugam fuiſſe;

relictis commeatibus, ac belli impedimentis. Miſſus tamen illico Guido, cum Quadringentis equitibus; vt Veronenſibus à tergo foret, relictam vtriuſq; prædam aueheret, & ditionis extrema, nouo milite firmaret. Ducenti Curtatoni, totidem Oſtiliæ relicti; ne quid improuiſum emergeret; aut Mantuanorum negligentiâ hoſtibus animi adderentur. Vix credibile futurum poſteritati reor, tot hoſtes, numero ac virtute formidabiles, minori Mantuanorum numero perculſos; & famam Aloyſij, tantùm conſternationis attuliſſe. Sed ea fœderum conditio eſt; vt rara, bonâ fide proficiant; nemine potiori; cum tamen vno Duce omnes niti, conducat. Etiam Luchinum perfidiam Scaligeri metuiſſe reperio; quaſi occupato ſocio apud Burgofortum, ipſe Cremonam tutelâ vacuam aggrederetur. Speciem vero, ſuſpicax animus & cognita hominis inſatiabilitas dedit; aliorum ruinis proficientis; & ſtudio diſcordias, æmulationesq; ſuſcitantis, quibus ipſe præualeret. Iam Philippinus Claſſe ſuos receperat, depoſitâ Burgoforti prædâ, quam ex Luchini fugâ miles contraxerat. Cumq; futuri ambiguus paulùm hæſiſſet, noua Parentis mandata accepit, ſecundo flumine, & præcipitatâ celeritate Pado decurreret, claſſemq; Eſtenſem, etſi fines Mantuanos euectam, adoriretur; non nauium, non militum numero validam; imponeret pulcherrimæ victoriæ nobiliſſimum finem; timidos ac trepidantes vix arma tractaturos; vt qui iam fugam meditati proruperint. Ille Paternæ gloriæ, honeſtâ æmulatione inuidus, Burgoforto ſoluit. Superatâ Oſtiliâ, medio Pado conſpicua Eſtenſis claſſis erat; an certaret ambigua, cuicunq; tamen occaſioni parata. Philippinus ſuos licet impauidos, ne tamen hoſtium conſtantiâ frangerentur, ſummâ è prorâ cõſpicuus, hortabatur: hos eſſe hoſtium fugaciſſimos, qui ne decertarent elaberentur. Horruiſſe Mantuano ſubſiſtere; delatos ad ſua, ne quis dubitet formidaſſe: Non duci, non militi virtutem eſſe: Et ſi ſemel correpti forent, nunquam amplius animos recepturos. Properarent terreſtrium copiarum gloriam, fortiter æquare; honori, vtilitatique propriæ conſulerent: Non enim ſibi è victis aliud

Cõflictus naualis inter Philippinũ, & Eſtensẽ. quàm gloriam poſcere, cætera ipſis concedere. Prima Philippini nauis, in denſiſſimas hoſtium inuecta, obuiam profundo merſit. Mox ſecutæ cæteræ, conglobatam aciem perrupêre. Nec tamen Ferrarienſes illico conceſsêre victoriam; ſed virtutis memores, & riparum ſecuritate, (quia in ſuo erant) certauête. Pugnatumq; cruento Marte plures horas. Præcipua hoſtium ſalus in effugio erat, & auxilijs quæ vicinitate ſuorum opperiebantur; inſtabantq; itineri pariter & prælio. Id aduertens Philippinus; ne ſecundo in mediam Ferrarienſium ditionem abſtraheretur, colligari nauigia, & vncis cathenatis, litori aduerti iuſſit, quò ad certum ictum darentur: Simul inſtare, vrgere, honorem, prædam, iniuriam referre. Sic incorruptam prædam, plures naues integras in poteſtatem venturas. Nec opinio fefellit. Vbi enim vicinum hoſtem, ſpem fugæ nullam, & peruicaces fortitudinis Mantuanos vidêre, octo ſuarum profundo hauſtas, duodecim pugnâ elapſas, animos demiſêre. Captiui præter remiges ſexcenti, commeatus ingens

copia,

copia, armorum vis, ac decoræ ſuppellectilis apparatus, recepta ſunt. Nec diutius immoratus Philippinus; ne Ferrarienſes auxilio accurrerent, aduerſo flumine ſubuectus eſt; vſus labore captiuorum; vt quod ignauiâ amiſerāt, in ſecurum victoribus traherent. Viginti integræ è totâ claſſe abductæ: Quinq; Mantuanorum deſideratæ, pauci pugnando oppetiêre; quòd ſtatim victoriam conceſſiſſent; vbi illigatæ victoribus, ſpem fugæ amiſerant. Nox feſtinationi addita, & partitus inter victores labor, quò celerius eniterentur. Philippinus ipſe triumphi deſiderio impar, celeritatem orabat; quamquam noctis decurſu fatigaſſent. Luceſcente die, Claſſis omnis medio lacu, paſſis velis apparuit, læto remigio, coronatis puppibus, laureatâ prora: Et feſtis vocibus, cuncta litorum perſonuêre. Aloyſius paucas ante horas, naualis conflictus, habitæq; victoriæ certior redditus, frequenti nobilium virorum conſeſſu, ordinem pugnę, exitumq́; recenſuerat, & vt filio reduci præſtò eſſent imperauerat. Non enim ſuam tantùm, ſed totius populi eam gloriam eſſe. Sic fratres, nepotes, & Senatus obuiam Philippino proceſsêre. Aloyſius quamquam domi cōtinere ſeſe iuberetur, lætitiæ nimius affuit. Et filius vbi terram attigit, reuerentiæ Paternæ memor, humilis acceſſit; opportunaq; tempori præfatus, triumphali curru ad id inſtructo excipitur. Progrediebatur miſerum captiuorum agmen, ſpolia, & in Trophæi modum collecta arma; mox claſſiarij milites ſuis permixti, armis, donarijsq́; inſtructi ſpectabantur. Nec remiges manſêre; vim, laborem, etiam vulnera oſtentantes. Sequebatur Senatus, eques, & plebis potiores, lætitiæ ſocij, & caritatis manifeſti. Per vias pueri ac puellæ, plauſu & votis perſonabant. Alius familiæ nobilitatem, modeſtiam alius; cuncti Parentis prudentiam, filiorum fortitudinem laudibus efferebant: Vt manifeſtum eſſet, non alium potiorem fuiſſe, cui Reſpublica committeretur. Qui Mediolanenſium Annales ſpecie veritatis tradidêre; terreſtri pugnâ quâ Vicecomes afflictus eſt, interfuiſſe vtrumq; hoſtem volunt; ſed improuisâ Mantuanorum eruptione, oppreſſos. Idq; adeo ieiunè, vt dictionis vi, nec Gonzagis honos, nec hoſtibus dedecus accedat. Conſtat tamen Scaligerum ac Eſtenſem ſaluti ſuorum fugâ conſuluiſſe. Captam & profundo merſam huius Claſſem; & magnâ cæde repulſum Luchinum, Caſtris, & quæ pretioſa ſecum detulerat, exutum. Quorum pleraq; ſinuoſis Draconibus inſignita, Mantuæ adhuc videre erat, nobili curâ aſſeruata, antequam fortuito aut procurato incendio, vniuerſa Ducis Vincentij æuo conflagraſſent. Scaliger ne in publicum quidem prodire, aut aſpectum ſuorum ferre, turpitudine flagitij audebat; quòd & ſuis & amici partibus per ſecordiam defuiſſet. Sic cogitationum & pudoris profundo merſum, Baſinus Medicus; valetudines Principis curare, & conſilij copiam præbere ſolitus dicto firmauit. Ijs qui Caſtra ſequuntur, & vincere & vinci, & fugare & vrgeri commune eſſe: Neq; vnâ dimicatione fortunæ iudicium faciendum: Sed dum iuuentus adſit, & facilis recuperandæ gloriæ occaſio, inſiſtendum cœptis. Non enim eas Gonzagis vires, aut tantam militiam quantâ Scaligerorū; optimis ſuarum Ciui-

tatum animis ambiri. Vno ac eodem die, in Mantuano agro Caſtra poni,
& ad ſuos poſſe reuertere. Non conducendos commeatus, aut impedimē-
ta, ſed ex hoſte ſumenda. Aſſiduis vexationibus delaſſatos Mantuanos, aut
pacto honeſtiſſimæ pacis quietem habituros, aut omiſsâ libertate in ſerui-
tutem conſenſuros. Non tentorijs, non manubijs (quæ cæperint) bellum
inferri, ſed fortiſſimâ iuuentute; cuius neminem amiſiſſet, & in ſecurum
vniuerſos prudentiâ reduxiſſet. Idem alij, etiam plura referebant; nam
fractum aduerſę fortunæ ictu, & metuētem futuri nouerāt. His Scaliger ac-

Scaliger denuò bellum monet.

cenſus (quando vna ſuorum vox de bello audiebatur) nouæ pugnæ ac-
cingitur, Eſtenſem ac Vicecomitem ad arma vocans. Hic luſam operam,
& datam ab amicis fidem; Ille fuſam claſſem, inualida ſociorum auxilia
quærebantur. Vtriq; verè; nec tamen in promptu erat decernere, cuius
culpâ peccatum foret, quod omnibus imputabatur. Ignauiam cum ac-
cuſare poſſent, in fortunam flectebant; prudentiores fœderum vanitatem
cauſabantur. Ergo proprijs viribus redintegrare pugnam, & amiſſum de-
cus recipere cogitauit. Quingenti equites, quinq; peditum millia ſuffice-
re viſa ſunt. Nam recentis auxilij, & vicinio (ſi res malè ceſſiſſent) fidu-
cia erat. Vix arcano ſancita deliberatio fuit; & certiſſimis exploratorum
(in quos ingentem pecuniæ vim Aloyſius effuderat) certior redditur; Sca-
ligerum iræ, & acceptæ infamiæ intolerantem, in Mantuanorum perniciem
properare. Si coniurati hoſtes, concordes acceſſiſſent, haud quaquam
generoſos Aloyſij ſpiritus fregiſſent: multò minus ſeiunctus Scaliger., & ſe-
cordia manifeſtior, ſolita Mantuanorum præda, & in vltionem Gonzagorū
deſtinatus. Pari tamen virtute, minori oſtentatione, retinendæ famę opus
erat. Expediri itaq; Quatuor peditum millia, equites Quadringentos, Du-
ce Flauio (cognomen non reperi) & oblatam pugnæ occaſionē haudquaquā
reſpuere; nec tamen in diſcrimen temeritate præcipitare imperauit. Tutari
ſua ſapientiam iudicans; & licet prouocatum alienis abſtinere, modeſtiam.
Hic quòd Scaliger Oſtiliam, Curtatonemq; inuaſurus credebatur, maturè
profectus eſt: Sed Scaliger Caſtilionē præoccupare parauerat. Nec lōgiorē
tridui oppugnationem auſus, cum itineri auxilia accingi audiret; & tenta-
tâ belli fortunâ peiora retuliſſet, obſidionem ſoluit: ignominiâ & irritâ ſpe
ad ſibi ſolita reuolutus. Conceptam quoq; de ſe opinionem experimento
firmauit: vt turbator compoſitorum, patrandi belli inualidus diceretur.
Eſtenſis accepto damno prudentior, ſecretis literis ab Aloyſio pacem, & mu-
tuam amicitiam quæſiuit: conſenſu amicorum ſe in bellum tractum; & licet
vires ſuppetant, dare tamen quietis documentum; erga Aloyſium integram
fidem retinere; non inutilem amicitiâ, ſi occaſio obrepſiſſet. Ille miti reſpō-
ſo, paratum fœderi animum, & turbas auerſantem profeſſus eſt, ſpemq; pa-
cis obtulit; quæ paucos poſt dies ſanciretur. Sed maior in Luchino vis,
minus fidei, augebat Mantuanorum formidinem. Acre viri ingenium, ſo-
lita ipſi & plerumq́ue proſpera prælia, non credebantur dedecus acceptæ
cladis admiſſura. Simul vulgabatur, conſcriptam iuuentutis ingentem

manum

manum Mediolani, nec quò tanta vis erumperet in promptu erat, recenſq;
iniuria extimulare cenſebatur. Mox certiori nuncio delatum eſt, in tumul-
tuantes Genuenſes, ac de finibus cum Luchino decertantes militem illum
deſtinatum. Quod Mantuanis ſolatio fuit. Non enim temnenda Genuen-
ſium potentia erat: Putabaturq; Luchinus duobus hoſtibus, quibus nume-
ri virtuti reſponderent, non ſuffecturus. Aloyſius interim per literas Ge-
nuenſes docuerat, quâ clade acceptâ Mantuano agro Vicecomes exceſſiſſet,
in tantâ multitudine paucos eſſe qui bella profligent; & ſi diutius Luchinus
in armis foret, non inutilem operam præſtaturum, vt ſaltem vexatione do-
ceretur, alienis ignoſcere. Caſus idem non Genuenſibus ſolùm, ſed Man-
tuanis quoq; neceſſitatem certandi ademit; cum enim Bruzus (id illegitimo
filio cui exercitus crediderat nomen erat) proximè Genuam conſediſſet; vix
explicatis ſarcinis, retrocedere coactus eſt; auditâ Patris morte; quæ diutur-
no licet morbo ſucceſſerat. Improuiſa tamen habebatur; quòd ſolita mu-
nia intrepidè obiret; nec præter fędum corporis colorem, aliud vitij ſi-
gnum accuſaſſes. Huic viro præter ingentes opes (quæ plerumq; ſine vir-
tute obueniunt) magna animi & conſilij vis erat. A ſuis, parentis in morem;
ab exteris famâ ſubditorum, pari cõmendatione celebrabatur. Populi fa-
uorem latè quæſierat, iuſtitiâ ac munificentiâ; quæ Principis propriæ vir-
tutes, quæq; cætera ad hanc formam minus reſpondentia obuelant. Impe- *Luchini mors*
rium ampliſſimum plures annos tenuit: Nam Cremona, Aſtiũ, Alexandria, *Ioannis fra-*
Alba, Vercellę, Nouaria, Bobium, Bergomum, Comum, Brixia, Crema, Pa- *tris Princi-*
pia, Placentia, Parma, Lodium, Mediolanenſis iuriſdictionis cenſebantur. *patus.*
Quòd ſi plures ad annos vitam produxiſſet, non leuibus difficultatibus Gõ-
zagorum res implicatę forent; neq; adeo ſecura pax obueniſſet. Ferebatur
enim iniuriæ inſolens; & accepti ſemel conſilij tenax, infractuſq; operis ac
laboris. Defuncto Luchino, Ioannes frater, tum Mediolanenſis Archiepiſ-
copus, quamuis inuitus, dominationem accepit. Sic prauas aliorum ſpes
reprimi, & familiæ ſuæ conſuli poſſe crediderat. Collatam pari prudentiâ
ac virtute exercuit. Nec enim aut militiæ partem vllam, aut Reipublicæ
adminiſtrationem, alio quàm ſuo ductu, exerceri voluit; aut congeſtos à
fratre Theſauros, potentiorum arbitrio erogari: Sed omnibus intentus, iu-
ſtitiæ, annonæ, familiæq; iuxta prouidebat: Aut regimen populorum Ec-
cleſiaſticis inſtitutis edoctus, aut quòd multò ante ſimilia diſpoſuiſſet. Vo-
catos itaq; nobiles, aut quibus Magiſtratus primi erant, ſacramẽto obſtrin-
xit, dicto & voluntati obtemperaturos. Cæterùm vt pietate quoq; in ſuos
clareſceret, Bernaboûm, & Galeatium nepotes, à Luchino Ciuitate exactos,
reuocauit: Pecuniâ in diurnos vſus, & ædibus habitationi conceſſis. Et
vt etiam poſteritati conſuleret, Blancam Amadei Sabaudij filiam Galeatio
iunxit; ſtudio concordiæ, quibus potentiores vicinos illigari pro pretio ha-
bebat. Sed nec Scaligeri, aut Eſtenſis, conditiones pacis auerſabantur: Si-
mulq; amicitiæ à Vicecomite requiſiti per literas, promptam voluntatem
prætulêre. Scaliger tamen miſſo Paulo Auocato nihil intentatum reliquit,

quò Aloyſium communione pacis excluderet: Refricare prçteritam cladem, aggerere probra; proponere opinionem vulgati flagitij; vt ſi non ſtudio, metu ſaltem abſtraherentur. Auſus etiam partiri ditionem Mantuanam; & vltrà Marcariam Vicecomiti, ſibi Oſtiliam vſque addicere; velut nemine obſiſtente, res alienæ diuiderentur. Secreta negociatio anxium Aloyſium habebat; ſed munera fidem abrupêre: Nam ex ijs qui conditionibus tranſigendis præerant, cuncta innotuêre: Miſſisq; ad Ioannem Vicecomitem literis, Scaligeri ſuperbiam, veteres iras, ambitum habendi obiecit: Neq; nouo Principi expedire, antiquam Veronenſium dominationem, & latè fuſam, quâcunq; communione augere. Tutius eſſe ſi vniuerſi in æquo conſiſterent; nec gliſcente vi, in accolas hoſtilia tentarent. Prorſus in cuiusq; manu poſitum, quas ex amicitiâ vicinorum vires velit. Nec enim niſi officio ac obſequio, talia comparari. Horum Scaligerum neſcium, alienis armis ac ſanguine ſuam potentiam promouere. Non diu dubitatum; miſſiq; Mediolanenſium legati, Scaligerum, Gonzagam, Eſtenſem, ijſdem pactis in publicam quietem obſtrinxêre; non auſo Veronenſi, apertè diſcordias, aut iniurias agitare. Vicecomiti cui plus roboris, maiori quiete opus erat. Neq; ipſe diſſimulabat; ambiguum Imperatorem, Venetos circumſpectantes, Pontificem parum fidum, metuens. Genuenſes ipſi maris ac mercaturæ vſu ditati, cùm minus iuuentutis, plus pecuniæ proferebant; ſemper bello ſtrenui, nunquam è Vicecomitibus ſecuri. Minor haud dubiè Gonzagorum potentia erat; ſed Vrbis validæ, cui multa bellatorum millia ineſſent, medio inter hoſtes ſitu, & pecuniarum non indigę, fœdus ex vſu eſſe nouerat; quâ ſocietate in tutelam, inimicitijs vicinorum in præſidium, vteretur. Ipſe Aloyſius ſenectâ prudentiam edoctus, cum validiori modeſtè agebat; vt eo ſaltem nomine tutus eſſet; cum inferioribus comiter, vt partes augeret. Sed cum plures odiorum cauſæ aduerſus accolas crederentur, ad extremùm neceſſitudinum ſtudio, ſancienda pax videbatur; quæ ſecuritatem promitteret; datoque & accepto pignore, cunctis quies accederet. Quos è primâ coniuge de Rambertis Aloyſius liberos ſuſceperat, ſupra tradidimus. Fueratq; eâ defunctâ, quamquàm ætate prouectus, viridis ſenectæ tamen, & virium corporis ferox. Ergo ſecundis nuptijs induxerat animum; multitudini liberorum vt munimento fidens; ac Malateſtam nobiliſſimis natalibus & virtutis expertæ fœminam pœnatibus ſuis induxerat. Ab his nuptijs quinq; filijs ditatus eſt, Luiſinâ, Tomaſinâ, Corrado, Alberto, Federico. Corradus intra iuuentam, ſpes Aui Patriſq; ſupergreſſus; domi modeſtiâ, foris comitate, ac fortitudine, Regium ſanguinem approbauerat. Sed occultâ æmulatione Guidonem, Philippinum, ac Feltrinum auerſabatur; velut aliâ matre genitos; & quæ Malateſtas ſi nobilitate; claritudine ac potentiâ non æquaret. At Guido ac Feltrinus fauore patris fratrumq; nixi; recentem Malateſtarum potentiam proſpectabant; vetuſtatem originis, & impermixtum vulgo ſanguinem apud Rambertos iactabant: imparem Corradum ſi non paternâ origine, ſtirpe

Pax Vicecomiti Scaligero Gonzagę Eſtenſi.

matris

matris reputabant. Sed donec Aloyſius ſeq; ac familiam imperio tenuit, repreſſit iras, quas diuiſione bonorum ceſſuras opinatus fuerat: numerum tamen filiorũ amplexus, eo munimine nitebatur. Sic Corrado Paulam Beccariam matrimonio iunxit, ſororem Camillæ (Verdam nonnulli dicunt) quam Muſſus pater paucos ante annos Guidoni Corradi fratri locauerat. Stirpem nobilem haud dubiè ſectatus; Quæ Cardinales, Epiſcopos, Principes viros, ac doctrinâ præſtantes ſuſtulerat. Et ne Scaliger affinitatis expers adhuc, publicam quietem ſuſtulerat, ſororem eius Vgolino nepoti dedit; quem Guido Aloyſij filius natu maior, primo loco ſuſceperat. Quamuis malè ſarta amicitia, breuem harum nuptiarum fortunam teſtaretur. Poſtremò neptem è Guidone Beatricem, Nicolao Eſtenſis Principis fratri ſpopondit: Tantâ ſingulorum lætitiâ; vt nihil ad fœlicitatem Vrbis deeſſe poſſe crederetur. Spectabatur Ciuitas Mantua, inſolito apparatu, in pompam ac maieſtatem compoſita: plena Ciuitatis itinera nobilibus & adiacentiũ populorum iuuentute: Non diuerſoria, non plateæ ſufficere, obuij ſe mutuò impellere, & Principum ſuorum gaudium vt ſuum ferre. Videbatur antiquis odijs, ac cupiditatibus modus impoſitus; quantùm humanâ ope, & appoſitâ operâ proſpici dabatur. Sed hæc ipſa in Gonzagorum potentiam ac famam cedere, iniquo animo Scaliger intuebatur. Hùc decidiſſe tot irritos labores, & tantùm ſanguinis ſine honore fuſum; vt Aloyſio ac filijs, etiam ex hoſtibus tutela accederet: Se armis victos interdum, ſed conſilio ac prudentiâ ſuperari, inuiſos maximè munimentum accipere, pares euadere, indignum. Mox quia quæ maximè angunt, vbi diutius retinentur, fortius ac manifeſtius erumpunt; data Gonzagis occaſio cauendi Scaligeri inſidias, ſemper infenſi, tum etiam doloſi. Nec tamen Scaliger, vt ſororis amori propior, apertè turbare, aut Mantuanis arma inferre audebat; metu dedecoris, & vindictæ; quam raro Gonzagi diſtuliſſent. Tandem ſuſpicacem vnius, alterius inquietum animum mors detexit, defunctâ Scaligeri ſorore, quam Vgolinus mutuâ caritate in extremum fuerat proſecutus. Et tamen prætextu opus erat Scaligero, vt ſine infamiâ palam hoſtilia indueret. Nam tota Longobardia in pace erat; nec publicè nouare ſine notâ dedecoris licebat. Viſum præpoſteram curationem, vetus odium; ad extremum, etiam veneficium accuſare: nec vulgatum id, ſed per ſecretum; vt famâ proficeret opinio, auctor ignoraretur. Quæ omnia Aloyſium non fefellêre, & externarum amicitiarum curatiorem, aduerſuſq; Scaligeros cautiorem reddebant. Quia tamen pax aliqua Ciuibus erat, placuit per quietem ijs ſtudere, quæ forent bello profutura. Magna muri pars, inũdationibus aquarum vulſo fundamento, quâ Turris Cremenſis (ſic dicebatur) inſtiterat, repètè prociderat; Ergo decori & vtilitati moles inutilis proſtrata; & eodem quaſi filo, in priſtinam formam reſtituta eſt. Quod tantâ celeritate peractum, vt vnum intra menſem redderetur. Etiam inducta Vrbi alimenta, quæq; munimento deſeruire poſſe credebantur; trabes ingentes, ſtrues lignorum, ferramenta, naues onerariæ, poſtremò arma, & valida

lida iuuentutis manus, quæ eodem ſtudio, quo vitam extra mœnia tolerabat, in Vrbe ad ſecuritatem proficeret. Opperiebatur Scaliger, alienæ iræ exitum; Si Romandiolæ Comes, contra Bononienſes Pepolos, aſſiduis bellis vſus, in Gonzagos quoq; flecteret; Bononienſibus fidas, & aduerſas partes fortius quàm cautius ſectantibus. Haud minus in perniciē familiæ erupturos Vicecomites ſperabat: neq; enim eâ modeſtiâ potentiorem fore opinabatur, vt fœdera, conſanguinitates, opes, ante Dominationem haberet. Sed licet celeritate opus agnoſceret; & turbandos ante, quàm duratione ſolidarentur cenſeret; grauioribus tamē illigatus continuit impetū, & veluti bellū differret, ſubſtitit minitabundus. Sollicitatū tamen Comitem Scaligeri literis innotuit; quòd iam torpere vltra; & perdendas corrumpendasq; res ſuas omittere ſopor ac ignauia videretur. Dos quoq; in controuerſiā vocabatur, quā Gener & Socer repoſcebāt; idq; per mordaces literas, quas vtriq; irritamentum indignationis iactabant. Aloyſius ne temeritate, auerſaq; ſuorum voluntate in bellum ruere crederetur, præcipuos Ciuium, ac filios quorum prudentiæ fidebat acciri iuſſit; & quid facto opus eſſet exquiſiuit. Quippe nil ſupperesſe quo Scaligerorum fides haberi, aut amicitia emercari poſſit; non officia libertorum, non condonatas tempori iniurias, non conſanguinitatem; vt iam certum ſit, hominem implacabili Mantuanorum odio flagrare. Plus ſe tolerantiâ, quàm hoſtes inſolentiâ deliquiſſe. Haud minus continuis populi querelis euictum ad arma impelli; quæ rectè æſtimanti apud vniuerſos Italiæ proceres excuſari mereantur. Vaſtas Tyranni ſpes eſſe, poſſeq; metuere; ne plus iuſto elatus, grauiori ſuorum caſu concurrat. Notum omnibus, quàm longè ſemper à conſilijs belli egerit, neq; tum ſeneſcentem, & naturâ cunctatorem, celeritate aut impetu procurrere; aut inconſultis amicorum cariſſimis, ad aſperiora procedere; ſed ſingulorū animos exploraturum acceſſiſſe; vt quamuis inuidis certum ſit, omnia arbitrio ſuorum; nihil feſtinatione decernere; & quæ laborem ac gloriam vniuerſorū tangunt, ab omnibus requirere. Reſponſum à conſeſſu eſt, flagitioſam conniuentiam, probroſam moram eſſe; neq; amicitiæ quamquàm ſacramento firmatæ credendum apud perfidum, & qui iuramento fraudes adornet, vt in incautiores feratur. Proinde bello inſiſtendum, contra humani diuiniq; iuris violatores. Nullâ cohortatione opus, pronis vniuerſæ gentis animis ad vindictam in Veronenſes, tot annos Mantuanis aduerſos. Iiſdem artibus vtendum, quibus peterentur; & ſatis integritati ac honori eſſe, ſi vana Scaligerorum conſilia opprimerentur. Itaq; Quingenti Valeſium obſcuro noctis, & quò traherentur ignari, Duce Ioannino de Riualtâ miſſi ſunt: Qui popularentur improuiſos, & imparatis ſuperfunderentur. Properatum; & primus quidem impetus ex voto fuit; ſed vbi cæde ac rapinis expleti, prædâq; onuſti, inſolentiam admiſere; ideoq; incompoſiti ad ſuos redeunt, Veronenſium eruptione circumueniuntur. Cæſi reſiſtere auſi, plures omiſsâ prædâ elapſi, nonnulli in captiuitatem abducti; & per Veronenſium oppida in morem triumphatorum deducti ſunt. Deſiderata etiam

Aloyſius cogitat bellū in Scaligeros.

Mātuani cæſi

apud

apud victorum hoſtes, Scaligerorum modeſtia fuit; tamquam expletâ vltione, cæde, captiuitate, ferocibus inſtitutis, humanitatis morem exuiſſent. Minima iuuentutis iactura, plurimum monimenti Mantuanis tulit; Didicêreq; non negligi hoſtem debere, & ſi non formidatum; & ſecordiam, contemptũ diſciplinæ, nonnunquam victoriam corrumpere. Mox affertur Veronenſes villis quæ Curtatoni aſſident inſtare; & vbi neſcios accepiſſent, immiſſuros qui raperent, per Nundinas veno expoſita, & ſeruituti vtiles abducerent. *Scaliger inſtat.* Aloyſius nec Senatum quidem hoſtilis deliberationis admonuit; ne vulgata eluderetur; Et mercaturam alacriter Curtatoni exerceri, per conſilij ſui neſcios procurauit. Sed Philippinus cum Sexcẽtis peditibus, equitibus Ducentis, ſe ſaltibus (qui plures aderant) nocte abdere; & prædâ graues hoſtes, à fronte ac tergo inuadere iubetur. Delectus clauſis Ciuitatis portis, ſub veſperam imperatus; nec alij Vrbe emiſſi, quàm qui Cohortibus habebantur. Simul ne ſuſpicionem inſidiatum hoſtibus facerent, miſſi Trecenti pedites, Centum equites, ſub Camillo (nec gentem aſſecutus ſum, etſi ſępius cum laude nominetur) qui Valeſij contermina, tamquàm ſeruaturi fines inſiderent. Veronenſes vim omnem eò vertiſſe rati, limitaneos & ipſi milites traduxêre, propugnaculum aduerſus hoſtes, & ademptâ dimicandi licentiâ, niſi temeritate ac laſciuiâ prouocarentur. Interim Philippinus ſaltus, & itinerum diuortia, forti commilitio inſederat, conceſſo hoſtibus prædationis tempore; iuſſiſq; paganis, ad victorum nutum obtemperare; ne defenſionem agitantes, latrones quàm milites in vitam innocentium graſſarentur. Venêre Scaligeri numero Sexcenti, rapinæ non dimicationi paratiores; & impetu in domos, ac officinas facto, nîl obſtantibus incolis, ſuppellectilem, iumenta, & mercatorum ſpes abſtulêre. Annibal Cagnatus equitatus ductor, ſeptuaginta ſuorum præmiſerat, vt abdita luſtrarentur; & ſi quis dolus eſſet, efferrent; ſed illi rapinam honeſto antehabentes, primi furto manus imbuêre. Ceſsêre vniuerſa pro voto. Haud longè palus & circumfuſum elatis virgultis nemus erat, viæ dextro lateri; Itaq; vbi in anguſtias regreſſi ſunt, vt ſpolia ſortirentur; ſomno, onere, ac demum cibo victi, velut in matutinum conſedêre. Non enim pauentes Mantuanos eo animo fore rebantur, vt paulò ante cæſi, exequi vindictam nocturnam auderent. Alia Philippino conſiliorum via erat: Nam vicino ſaltu prorumpens, & diuiſis locis, ne pars vlla ſine metu ageret, familiam, decus, iniurias proclamans, in conſternatos inuectus eſt. Illi ſuis impedimentis confuſi, circumagi, fugere, redire, obſiſtere, etiam preces & prædam offerre; Contra Mantuani, vt cladem elapſam honore ſarcirent, vulneribus ac ſanguine lætari, furta abripere; & vbi nece miſerorum temperare iuſſi, vincire, cogere inermes, & paganis ſua reddere. *Cæditur.* Veronenſes datam acceptáq; cladem ſimul audiuêre. Dictu mirum, quàm diuerſis animi motibus, quàm contrarijs affectibus agitarentur; Poſterior tamen acrius contumeliâ quàm damno vrgebat: Quòd ſuperiores Gonzagi, acceptam Valeſij iniuriam, nullâ morâ vlti forent. Reuerſus Mantuam Philippinus, nemine amiſſo,

duode-

duodeuiginti omninò vulneratis, ducentum quadraginta captiuos expoſuit, longo ordine, tamquam ignauiam exprobraret. Nobiliores, quamquam in vinculis, eo tamen comiter habiti, quòd oſtentati non forent. Neque vlterius reperio. Niſi redemptioni ſuorum, poſteriores oblati ſunt. Vgolinus Patruo comes lapſu equi protritus, ſeſquialtero menſe decubuit. Et quia frequentes expeditiones, famam virtutis addiderant, plures tamquã ad belli tyrocinium Mantuam deuecti, pro finibus locati ſunt, Ciuibus permixti vt communione diſciplinam haurirent. Per eadem tempora (quando annorum ſupputatio, nec ſatis veritati, nec inter auctores conuenit) aſſiduis dimicationibus, Romandiolæ Comes Malateſta, Bononienſes Tyrãnos Pepolos exercebat. Cauſa ex vicinitate ac inuidiâ; necnon cupiditas regnandi, & augendæ quocunq; modo dominationis, quæ tum pro iure erat. Priori Sedis Apoſtolicę dignitas, poſteriori ius diuturnitate quæſitum,& erga Vicecomitem obſequium prætextui ſumebantur;quem(ſi omittere cępta cogeretur) Bononienſibus imponere,pactâ ingenti pecuniâ meditabatur. Eratq; Comiti ac Scaligero ſecreta familiaritas; & per aſſiduos nuncios firmata ſocietas: Vt mutuâ operâ, huic Mantua, illi Bononia ſubderetur. Sed & frequentibus literis auxilia Comes flagitabat, rem in arduo, proximam tamen poſſeſſionem, minimam operam, ſi adeſſet, ſupereſſe teſtatus; & vbi voto potitus foret, promptius miniſterium, certiorem gratiam pollicebatur. Ea meditatio Vicecomitis, in Mantuanos bellum, præter Scaligeri animum diremit; coacti tria peditum millia, Sexcentos equites Bononienſibus inferre. Solabatur impotentem Tyranni animum, breuis ſpes, & ad paucos dies proceſſura dilatio. Neque tamen euentus reſpondit: Vt ferè quò facilioribus mortales conſilijs innituntur, eò certius eludi ſolent à fortunâ. Ad miſſas Comiti ſupetias, erectus Aloyſius quò externam quoq; conſcientiam ſibi illigaret, Vgolinum nepotem, vix lapſu equi reſtitutum,cum duobus millibus & quingentis peditibus, equitibus ducentum Pepolo Bononiam miſit; alios tranſmiſſurus, ſi bellum traheretur, aut labori,præſentia non ſuffeciſſent. Verùm quæ aduerſa Gonzagis, eadem Scaligero pro Romandiolæ Comite fortuna fuit, Receptúq; à Pepolis tali auxilio Caſtrum D. Petri; quod aliquot ante dies Comes inuaſerat. Leues quoq; velitationes propinquis partium exercitibus frequentabantur; cum de rerum ſummâ non tranſigeretur: ne otio miles torpeſceret, aut metum teſtaretur. Cæterùm difficili bello, ſi diutius durauiſſet, implicatum Aloyſium nemo dubitabat: Nam pro Comite Pontificis auctoritas ac potẽtiâ,& Scaligeri conatus erant; Pro Pepolis inualidioribus,quiq; ſuis ciuibus precario imperabant, Gonzagi, Eſtenſes, quiq; minori nomine cenſebantur. Sors has quoq; turbas expediuit. Non enim ferro, non ſanguine tranſacta res eſt; ſed Ioannes Vicecomes admiſſus à Pepolo, minimâ S. Agathæ, Craualcoris,ac Nonantulæ largitione,nobiliſſimæ Ciuitatis poſſeſſione Pepolum exegit. Quod illi præcipuis auctorũ ignauiæ adſcribitur. Obſtrepebat interim Pontifex,quoq; in Pepolos, eodem in Vicecomitem

Scaliger pro Comite Romandiolæ. Gonzagi pro Pepolis.

mitem Mediolani dominum iure vtebatur. Redderet Sedi Apoſtolicæ debitam Ciuitatem, excederet per vim quæſitis; nec in Comitem arma conciret, per Legatum imperans: Addens aut Eccleſiaſtico, aut ſeculari tantùm Imperio apud Patriam vteretur. Vicecomes inanes (vt ferebat) minas ridens, feſto celebri, ſacris ante peractis, ſiniſtrâ ſalutiferę Crucis imaginem, dexterâ ſtrictum enſem oſtentans, Legato reſpondiſſe fertur; duo ſibi brachia, bina armorum genera, duplices vires,& vtriſq; exercendis potentiam, animosq́; eſſe. Hinc vt ſe Pontifici ſiſteret iubetur. Archiepiſcopus alacri animo, ſe obtemperaturum reſpondit. Sed diem de die protrahebat, vt itineri ac hoſpitio neceſſaria pararentur. Miſerat enim qui præcipuas Aueniioni ædes conduceret;vt duodecim hominum millibus recipiendis ſatis eſſent; victui interim neceſſaria compararent. Iamq́; plena exteris Ciuitas, & Mediolanum eò deductum videbatur. Cum certior Pontifex apparatus, vocatum Ioannis Vicecomitis procuratorem, quid tantus militum numerus vellet exquiſiuit. Reſponſum ab homine eſt, paucos intra dies Archiepiſcopum affuturum, vt Papæ mandato obediret: Nec minori cuſtodiâ, tot populorum regnatorem,ſi decus ac tutela quæratur, vti poſſe. Sed nec locum pœnitentiæ eſſe: Iam enim Quadraginta aureorum nummûm millia, in neceſſarios vſus erogata. Pontifex ſeu rebus ſuis diffidens, ſeu differens bellum, inſumptam à Vicecomitis Procuratore pecuniam reddi; & vt itineri abſtineret, iuſſit. Sic ferè potentia, minimâ honeſti ſpecie, iuſtitiam eludit: Pontifexq́; ipſe, miſſis Legatis Ioannem Vicecomitem Bononiæ impoſuit, addito tantùm duodecim millium aureorum Tributo in annos ſingulos. Porrò quia Pepoli ac Comitis diſſentiones pro compoſitis habebantur, ne tempus inutiliter tereret, quod Parentis ac Patriæ vtilitati impendendũ erat; & ne decertantium ſuſpiciones augeret, Vgolinus omiſsâ Bononiâ ad ſuos rediјt. Non enim quamuis cęteri quieuiſſent,Gonzagi ſecuri agebant: eratq́; opus ingenio ac viribus, vt reſurgens inter tot æmulos dominatio in ſolido ſtatueretur. Scaliger nullo externo metu,animum tandem ad quietem vertit; ſibi coniugio Iſabellam Bauaram deſtinans; relictoq; Fregnano fratre illegitimo Veronenſibus curis, ad ſponſam profectus eſt. Sed vbi diutius immoratus, & falſus rumor eum obijſſe detulit, Fregnanus potentiæ auidus, & legitimo fratri per ſecreta infidus, Veronæ poſſeſſionem inuaſit. Auxilio opus erat, vt cępta fraus præſidio aliquo inniteretur. Viſum ad Gonzagos deflectere, quos veteri odio imbutos,in perniciem abſentis faciles opinabatur. Aſpernatus tamen conditiones Aloyſius eſt, vt lubrico inſiſtentes. Sed Vgolinus iuuentâ incurioſus, & ſecura quæ ſubita putans, patre neſcio plures militum, quos Bononiâ reduxerat, Fregnano in tutelã, ac præſidium miſit; maiora in tempore pollicitus, niſi prima ceſſiſſent. Auſus quîn etiam Bernaboum Vicecomitem, fœderis cum Fregnano poſtulare; vt Mediolanenſium quoq; auſpicijs, legitimus imperio exueretur. Sed per ſtudij ſpeciem Vicecomes, etiam Veronenſibus inhiabat; miſeratque exercitum, capiendæ quàm ſeruandæ Ciuitati aptiorem. Id Ciues præuiderant;

Vgolinus pro Fregnano Scaligero.

rant; nec aduentantes admiſêre; numerum, cauſamq; ſiniſtrè interpretantes. Vicecomes interim, ſeu cluſum ſe Vgolini promiſſis, ſeu tali pignore ſpem adhuc ſupereſſe ratus, Mediolani iuuenem arctâ cuſtodiâ detinuit; ſed cætera regio more aderant, miniſtri, apparatus, neceſſaria. Videbatur Auo ac Mantuanis, publica gentium fides violata. Nam conditionum medius acceſſerat, quibus ſeq; ac Fregnanum deuinciret. Et Philippinus patruus contumeliæ inſolens, paucis comitantibus ad Bernaboûm contendit; non bellum, ſed preces allaturus. Interea Canis Scaliger ducta vxore, & pluribus Germanorum millibus comitatus, Veronam accepto perfidiæ nuncio properabat, obuiumq; improuiſò Feltrinum habuit; non vt vim aut hoſtilia auderet, quamuis rebus nouis ab Vgolino deſtinatus foret, ſed vt in Patriæ perniciem nepotis conſilia prona reuocaret, potentem hoſtem moliret, & ſe obſidem fidei ſtatueret. Detentus tamen, cunctiq; Mantuani in cuſtodiâ habiti ſunt. Veronenſes audito Domini in Vrbem reditu, in Fregnanū ac Paulum Mirandulanum, tamquam ſemet abſoluerent, ſæuiêre: Siue inditâ in proprios Dominos caritate, ſeu admiſſi ſceleris pœnitentiâ; nam vtrûq; nîl tale ſuſpectantem confecêre: Cum Fregnanus ad ſordidas preces deuolutus, eorum ductu hortatuq; cęptaſſe Dominationem conclamaret: Et ſi, vix duorum menſium ſpatio ſui faſtidium mouiſſet, ſponte ceſſurum diceret. Quæ præcipuè perniciem accelerauêre; & ne conſenſiſſe facinori conuincerentur, & minus integrè pœnituiſſe, ſi diſcordiarum ſemina omiſiſſent. Paulus minori fortunâ, & externus, nîl tamen oblocutus, quò ſemet miſeraretur, debitas pœnas dedit. Proceſsêre Veronenſes Scaligero obuiam; ſecura omnia, integram fidem ſibi, Principis voluntati paratiſſimos, & Fregnani vim, Mirandulani aſtum, ad extremùm Gonzagorum proditionem obijciebant. Nec ille, licèt veteris cum Gonzagis æmulationis gnarus, aut in captiuos ſeuerius animaduertit, aut ſeditionis auctores abſoluit; ſatis prudentiæ reſpondiſſe putans, ſi primùm ſecuritati proſpexiſſet, vltionemq; diſtuliſſet. Non ignauus ingenio Scaliger erat; noueratq; cæſis ducentum, quos cum Feltrino retinuerat, non ſe ideo ſecuriorem fore: Et ſupereſſe maiores vires, quibus Mantuani vindictam repeterent. Aloyſius vbi Vgolinum Mediolani detineri ſpecie hoſpitalitatis, Feltrinum cum ducentis captiuum Veronæ, magno ſuo dedecore videt; ad vim conuerſus, fortiſſimam iuuentutem armis inſtruit, eò audentiùs quòd ſuſpectus Scaligero Vicecomes, vnius conatus infringendos tantùm nouerat. Itaq; Philippinum cum tribus peditum millibus, ſexcentis equitibus Oſtiliâ in Veronenſem agrum inferri iubet. Ipſe cum quatuor peditum millibus, equitibus octingentis Veronam rectâ contendit: Relictis à tergo, per quos bellum reſurgeret, & Ciuitas munita remaneret. Dum hæc in Italiâ geruntur, Genuenſes Ioannis Vicecomitis auſpicijs Peloponeſſum (Moream dicunt) populati ſunt, magnâ Venetûm clade; metuebaturq; ne claſſis ſecundis elati, in adiacentes inſulas erumperent, totoq; Aegeo Venetos agitarent. Ergo auertenda vis, & plus opinione gliſcens potentia reprimenda videbatur; vt quæ Italiam omnem

Feltrinus captiuus Veronæ.

Aloyſij in Scaligerũ expeditio.

omnem iam ſibi deſtinaret. Sed tot conatibus propulſandis, ſocietate opus erat, quâ communis formido arceretur. Crediti præcipui, qui proximi, Scaliger, Gonzaga, Eſtenſis, Carrarius; nec de fœdere dubitatum. Quippe non occultis rumoribus innotuerat, Ioannem Vicecomitem, Longobardiã omnem votis amplecti; ſed quæ in medium concordia iacta erat, inter ſingulos quoq; poſcebatur; ne motis, & infectis rebus, infeſti abſcederent; aut paratas vires in ſe verterent. Inconciliabilis Scaligeri ac Gonzagæ diſcordia videbatur; quæ multos annos exercita, non niſi alterius ruinâ deponeret. Et quamquàm aduerſos eſſe Venetis expediret; præſens conditio tamen concordiam ſingulorum perſuadebat; tam diu duratura; donec eoſdem quos Genuenſes, iſti ſpiritus aſſumerent, & proſperis metuendi forent. Nec enim nouum, amicitias tempore definiri; & ſi ſuſpicio potentiæ ſit, dirimi, tantò honeſtius, quantò certior conſuetudo. Veneti neceſſitatem prudentiâ illicò ſpeculati, etiam reliqua reſpondere deprehenderunt; tenues per Longobardiam ſingulorum res, veteres minorum diſcordias, metum Mediolanenſium; Et quia ſe excuſari deſiderabant, caritatem affingebant: Vt ferè id maximè credimus, quod optamus. Itaq; miſſus Paulus Auogadrus, pacis inter ſingulos, & fœderis inter diuerſos firmator. Qui Veronã delatus, cõmunem in primis vtilitatem, mox mutuas ſimultates proſecutus, obtinuit vt Feltrinus, cum vniuerſo comitatu liber dimitteretur. Plus in nobiles hoſtes munificentiâ, quàm vindictâ profici: Et non præſenti cupiditati potius, quàm futuræ quieti, optimis conſultis proſpiciendum. Sæpe peruicaciam beneficio, quàm iniuria ſuperari: Hac renouari diſcordiarum materiam, illo etiam veterem extingui. His alijſq; motus Scaliger, Feltrinum cæteroſque Mantuanos cuſtodiâ eductos, pacto amicitiæ ad ſuos dimiſit. Philippinum inferno lateri inſtantem, & Aloyſium haud longè Veronâ agentem Feltrinus reuertens ab incepto retinuit, & inter Veronenſes ac Mantuanos certior pax ſtabilita. Quidam magno ære, quod è ſuo Feltrinus ſoluerit, liberatos captiuos referunt. Id quidem conſenſu non traditur, ſed coniecturæ atteſtantur: Neq; enim credibile eſt, in hoſtem inſultantem officio certari; & ſi libertatem Parens voluiſſet, ea non armis petenda erat. Obiectum id fratribus à Feltrino habebimus, vbi diſcordias ſuas, & deſpectum intonat. Frequentibus interim literis, Ioannes Vicecomes nouos belli apparatus, & in ſe verti accipiebat; cunctiſq; cauſam vnam eſſe, debiles illorum, nimias vires ſuas, minorum ſuſpicionis & inuidiæ obnoxias. Quia tamen magnam Italiæ partem poſſeſſione habebat, & armatum ſemper ſub ſignis militem, audentior in tumultuantes erat: Vtq; bellum vniuersè non incumberet; aut intra ſuos fines populatio & vaſtitas exercerentur, Galaſſum Pium (cuius ductu ſæpiùs bonâ fortunâ vſus fuerat) certiorem fœderis, & moti ſibi belli fecit; vtq; in Mutinenſes ac Mantuanos incurreret. Addita Germanorũ manus; quibus externæ expeditiones, non iuſtitiâ, ſed quæſtu æſtimabantur. Irrupêre infenſi, iumenta, ſegetem, Villarum ornatum ac impedimenta abſtulêre: Non ferro, non igni temperatum, tamquàm ſæuitiæ pœnas redituri.

Fœdus in Vicecomitem.

Feltrini liberatio.

Mediolanenſes in Mãtuanos.

 dituri.

dituri: Quod Cremonenſis agri longius à viâ militari erat, tutum illato ter-
rore videbatur; ſed verſis Mediolanenſibus in Caprianos, Voltas, Caſtilio-
neos, Aloyſius vices redditurus Pado pro munimento vſus, Caſale maius
rectâ ſectatus eſt: Expedito quippe milite, & proprijs ſimultatibus infeſto,
obuia quæq; populari iuſſit; redditâ iniuriâ, & morem in barbarum ſumptâ
vindictâ. Nec ideo tamen Vicecomes abſtitit; ſed deſiderij regnandi im-
patientiâ, ciuitati inhiare per apertam vim, occultam proditionem cæpit:
gnarus raram in plebe fidem, quæ non pecuniâ perrumperetur. Miſerat
Aloyſius Regienſem in agrum bellum profligaturus iuuentutis delectum,
qui hoſtili exercitui obuij, manus conſeruêre. Secuta illico victoria, cæſis
pluribus; & Parmenſibus qui in commilitium Vicecomiti acceſſerant, præ-

Mediolanen. alibi a Mantuan. cæſi.

cipiti fugâ campum deſerentibus. Placuit tamen denuò experiri fortunam,
an prioribus reſponderet; & obliterare memoriam infœlicis dimicationis
præteritæ valerent: Id fœlicius ceſſit. Nam Montem Proſperi in Regienſi,
hoſtis inuaſit; per vim cœpit; quæq; aſportari poterant abſtrahens, præſidiũ
immuniuit. Vniuerſa per fidos nuncios Vgolino Mediolani agente innotuê-
re: Et quia manifeſto bello, arctius habebatur; dolore carceris, æmulatione
virtutis, cupidine gloriæ, quam Ciuibus fauorabilem acceperat, fugam me-
ditatus eſt. Fuluius Lepius viliſſimis aulæ miniſterijs, gratiæ Dominorum
adrepens, eò potentiæ proceſſerat; vt inter fidiſſimos habitus, vniuerſis do-
mi præponeretur. Huic ciuili cuſtodiæ ſeruandum Vgolinum Vicecomes
obtulerat; ratus in leuibus, ac grauibus, eandem ſerui fidem. Sed Vgoli-
nus acceptâ à patre pecuniâ, quâ miniſtri auaritiam detegeret, cum ipſo li-
bertatem quinq; aureorũ millibus pactus eſt. Et vbi diſpoſitos fugæ equos
toto itinere, internuncio Lepio accepit, mentito habitu Mediolano elapſus,
pernicitate iumentorum tantum itineris, vnâ nocte emenſus eſt. Mantuam
petebat cum pulſos oppido Proſpero ducentum, & aggregatam ruſticorum
manum obuiam habuit, exitum rerum, & quid ſui molirentur edoctus. Er-
go contractos, iuſſosq; dedecus elapſum, virtute eluere, in præſidiarios pau-
lò ante impoſitos rapuit. Refutata commendationi nox, ſed medio die, de-
ſtinationis manifeſtus, oppugnationem aggreſſus eſt: Nec ante fortitudinẽ
infregit, quàm pauciſſimis ſuorum deſideratis, oppidum nudatum propu-
gnatoribus recepit, cæſis qui ſeſe aduerſa Munimenti parte in fugam dede-
rant, ferme Ducentum. Hos inter iuuenis, fortitudine animi, ſæculorum
memoria digniſſimus, cum fratrem ab Vgolino lanceâ tranſuerberatum,
ipſo in ardore certaminis obſeruaſſet; & reliquorum impetu tractus fugam
iniſſet, ab Vgolino interceptus eſt. qui cum fidiſſimis equo præuectus, ob-
uium ſe fugientibus obiecerat. Ille ſtatim fratris percuſſorem agnouit; &
contemptu diſcriminis conuerſus inclamauit. Tu verò hoſtium ſæuiſſime,
daturus pœnas, aduerſis Dijs obijceris, ne miſerrimus frater inultús iaceat:
ſimul lanceam toto nixu attollens, Vgolinum audacius quàm Duci expe-
diat accurrentem, ſummo humero ſauciauit: Illicò confoſſus à Mantua-
nis eſt, & abolita facti viriq; memoria. Seruare virtutem in hoſte Vgolinus

voluerat

voluerat, ſed præcipiti ſuorum caritate, ante exanimatus eſt, quàm imperium acciperetur. Ipſe obiectu loricæ tutus; leui ictu ſaucius victoriam proſecutus eſt. Certior facti Bernaboûs, qui tum res curabat, non adeo armis inſtandum credidit, vt dolus negligeretur. Ineſſe quippe Mantuanis maiorem numero virtutem, victoresq; ac victos eandem fortitudinem præferre depræhenderat. Sed tardè ſuorum artes improbari, qui aſuetudine belli, & tot annos vexationis, robuſtos audacesq; reddiderant, querebatur. Ipſe certiori viâ deterere, quod virium Gonzagis erat deliberauerat, ſi fortuna reſpondiſſet, aut alienis diſcordijs abſtractus non foret. Non enim leuibus prælijs (quæ plures erudiant, quàm rapiant) ſed nixu omni, & inductis triginta hominum millibus, vno velut ictu excindere obſtantem Aloyſium decreuerat. Sors erat votum reſpondere; niſi Scaligero, Sabaudio, Genuenſibus eluctatus, transferre aliò militem, & differre, quæ parauerat coactus foret. Ante alia Gouernolum conatus hoſtiles tardabat. Itaque cum Capitaneo cuſtodiæ Arcis impoſito, ſecretis internuncijs actitare de perfidiæ pretio cępit. Et crediderat, minorem auri, quam militis & temporis iacturam eſſe. Huic vires, animus, ſcientia militaris inerant; ſed nullę opes, nobilitatem familiæ onerare videbantur, etiam nomine offendebatur, quaſi inopiâ erubeſceret. Proinde Bernaboûs inſtare, orare, promiſſa, ac ſecuros Inſubriæ ſeceſſus oſtentare. Ille tamen quàm vili quęſtu pulcherrimam, & cui in militiâ præcipua commendatio eſt, fidem abijceret recolens (adeò flagitia nobili viro acriter intus obſtrepunt) per internuncium reſpõdet, velle ſe Qûindecim aureorum millia, ante quàm hoſtem munimentis admittat. Nam conſumptæ ignominiæ, vitæ, facultatum ſi quæ ſupereſſent; id vnum pretium eſſe. Hactenus cunctatus Bernabous, non promiſſis, ſed facto cum proditore opus agnouit; miſſisq; decem aureorum millibus, ſecreto noctis arcem accepit. Quòd reliquum, cõceſſi ad Aſtium agri, quò ſecretus ac ignoratus, ſuam familiæq; ignominiam velaret. Et nos ne dedecus æternum nobilis familiæ proferamus, poſteris condõnamus, quorũ virtus, ac in Dominos merita, continuatione obſequij culpam eluêre. Sed virtus, ac ignauia cuiq; propria, opinione hominum in genus abeunt. Crediderat nobilitati plus quàm tempori expediret Aloyſius; immemor ſordidam inopiam atrocia plerumq; ſuadere; miniſtroſq; non pecuniâ turgidos, non ſordibus conflictatos eſſe debere; vt illis ſit quòd à ſuo Principe ſperetur, his quo virtutem retineant. Habito à Vicecomite Gouernolo, aſſiduis inſultibus adiacentia Vrbi turbabantur; eratq; opus, pluribus locis ſimul incumbere; ne vndequaque hoſtes præualerent. Siquidem Mincio ac Pado amnibus in poteſtatem acceptis, humidis camporum, pontes hoſtis iecerat, tranſmittendis exercitibus opportunos: Et iam Cremonenſes ac Parmenſes ſpem conceperant, deſtitutam tali præſidio Ciuitatem, facilè victori acceſſuram. Hinc vnanimes prorupêre, veteris odij retinentes, & tamquam certam ad prædam. Eſtenſem non laceſſitum vim inferre acriter Aloyſius indolebat: Crediderat q; ſi per literas admoneretur, ab incepto deſtitu-

Bernabous fraude Gouernolo potitur.

rus. Verùm nihil vſquam ſecurum aut incuſtoditum, quod hoſtis præſidio non firmaſſet. Dubia tamen moliri, quàm deſperationi inſiſtere generoſius exiſtimans, Claudium Aliprandum, nobilitate ac iuuentâ ſtrenuum, in diſſimilitudinem ſui compoſitum, & ruſticum ementitum, magnis promiſſis onerat, peruadere ad Eſtenſem; ne ſuſpiciones inimicorum augeret, vitare tenebras, & die medio properare. Ille Domino etiam certo vitæ periculo obſequi volens, Aſello peponibus onuſto, per medium Gouernolum proficiſcitur, exponitque veno mercimonium. Vnde attuliſſet quæſitus; reſpondit haud procul Vrbe: ſed paupertati ſuæ ita expedire, quando difficilis in Ciuitatem acceſſus foret: Quippe totum triduum agreſtem commeatum, quo egentiſſimæ familiæ ſuccurreret, inſolentiâ militari perdidiſſe. Seu miſeratio, ſeu Claudij aſtus valuêre, vt fides dicto eſſet; facultaſque data, nullo obſeruante, notis itineribus Ferrariam, ad Eſtenſem peruadere. Vbi ruſticum exutus eſt, innatâ facundiâ Eſtenſem docuit, rebus ſuis conducere, ſi modeſtis opibus, & non ſuſpectâ potentiâ præualidos vicinos, quàm metuẽdos haberet. Nam in mediocri fortunâ mediocres ſpes eſſe, in magnâ nil vnquàm ſatis. Si Vicecomes ſuperet, Mantuaq; potiatur, actum de cæteris, qui infirmiores, eo ipſo deſiderentur, quòd ſeruituti parati credantur. Quin potius communem cauſam alacriter capeſſat, dum Bernabous ad ſua trudatur immodicæq; viri ſpes reprimantur. Nunquàm hactenus Gonzagos aliena quæſiuiſſe; licet aſſiduos in armis, ſuis tutandis vicinorum deſideria attinuerint. Certum ipſis eſſe mori potius quàm ſeruire. Et ſi præſentia deponant, ſi ſors ferat, parem gratiam, pari operâ reddituros. Intellexit Eſtenſis non in pompam hæc, aut iactantiam componi, ſed Gonzagorum caſum, reliquos in ruinâ trahere. Neq; enim difficile cognitu, quid captâ Mantuâ, Regio, ac Veronâ, impatiens æmuli Vicecomes, eſſet paraturus: Etiam cætera in lubrico nouerat. Accepta ergo conditio; & ne quid cunctatione peccaretur, commodius viſum claſſe contendere, quæ tum ad manus erat. Impoſita quatuor hominum millia, valido auſtro, in aduerſum flumen vrgente. Hac Mincij, ac Padi pontes effracti, pugnatum in obſtantes; & Vicecomes, vix Germanorum militum ſubſidio exitiũ effugit. Dum Bernabous Vrbis Mantuanæ diſtrictum aſſiduis incurſionibus fatigat; Galeatius Montisferrati Marchionem continuis dimicationibus exercebat: Vt quam vtriq; animo potentiam conceperant, Bernabous per infernam Longobardiam, Galeatius per ſupernam Italiam propagarent. Aloyſius nîl intentatum, quò pertinacem hoſtem auerteret relinquens, vtile, & quod ipſi ſalutem tulit conſilium reperit. Nam Vgolinum nepotem, cum tribus millibus peditum, mille equitibus, Montisferrati Marchioni ſubſidium miſit; plures additurus, ſi ipſe integer præualuiſſet. Mirum dictu quâ Vgolini celeritate per auerſos tramites tanta vis, medijs inimicorum agris traducta fuerit: Aut quâ Mediolanenſium ignauiâ penetrauerit, nuſquàm prohibitus aut incurſatus. Cum enim quinq; dierum alimenta quemq; ſibi deferre imperaſſet, quinto à diſceſſu die, non longè Nouariâ Marchionem in armis

Eſtenſis pro Gonzagis.

Vgolinus Mõferrati Marchionẽ iuuat contra Vicecomitem.

armis reperit; & magnis lætitiæ ſignis exceptus, mox concordes bellum proſecuti ſunt. Marchio vindictam, Vgolinus rabiem ſpirabat: tantaq; vi obſidiones, pugnas obibat; vt quaſi de vitâ ac honore res eſſet. Sic præceptum à Parente acceperat; & ipſe vinculorum memor, iniuriam ferro, igniq; proſequebatur. Primus in Nouariam impetus fuit; ſiue opulentiâ, magno belli vſui futura crederetur; ſeu vicinitate ſuſpecta, tamquàm è propinquo diſcrimen factura. Obſidionem Marchio, ſibi Vgolinus incerta, & caſibus expoſita, & vbi immanitatem proferre, metumq; incutere poſſet, ſumpsêre. Ciues præuiſis hoſtibus, quem è Villis commeatum corradere, penuriâ temporum potuerant, Vrbi intulêre; dubia murorum aggeribus vallauêre, fortiſſimam iuuentutem, propugnaculis impoſuêre. Et quamquàm id ſatis in præſentiâ credidiſſent, externi tamen auxilij ſpe elati, vt breui affuturi, ne conuicijs quidem in obſidentes abſtinebant. Qui inſolētiâ irritati, acrius inſiſtere, cuſtodiâ Ciuitatem cingere, dies noctesq; oppugnare, ſimul teſtari nullum bello finem, niſi ex deditione fore; nec externum auxilium ſperare poſſe; quando totus vndiq; campus, armato milite obequitante teneatur; clauſa effugia, graui ac difficili bello illigatum Bernaboum, vixq; res ſuas tutaturum. Nouarienſes non minis demiſſi, aut anguſtiâ fracti, pro veteribus Dominis extrema tolerabant. Sed maior vis in hoſte, quā vt in longum contumacia traheretur, nec ſpes in propinquo erat, coactiq; Vrbem victoris arbitrio permisêre. Plures dies quibus ad Nouariam certabatur, Vgolinus paterni conſilj, Patriæ vtilitatis, proprij honoris memor, pariterq; quibus Luchini causâ vexationibus agitatus foret, Vercellenſem agrum, queq; cis, vltraq; Nouariam habebantur iure Vicecomitum, militari petulantiâ; populari; igni, ferroq; vaſtari iuſſit. Vices Bernaboo reddens, quem per agrum Mantuanum ſimilia actitaſſe acceperat; tamquam in perfidos, non pro Imperio honeſtâ contentione certauiſſet. Plures annos miſerabilis Villarum, oppidorumq; ſpecies viſebatur, acceptæ cladis teſtimonio. Multæ nobilium familiarum, exutæ facultatibus, alienas ſedes petiêre; Padoq; deuectæ, aut Mutinæ, aut Cremonæ, aut Ferrariæ conſedêre. Mantuano non eadem facies poſt bellum manſit; ſiue Gonzagorum munificentiâ, qui diruta ſplendidius ſuperſtruxêre; ſiue Vicecomitis negligentiâ; & quia pluribus eodem tempore minus prouideri poterat. Aldourandinus Eſtenſis Ferrariæ Marchionis germanus, non magis alienam, quàm ſuam fortunam æſtimabat: Niſi magno negocio Vicecomitem opprimi non poſſe; captâ Mantuâ, nihil in Ferrarienſibus fiduciæ, pulcherrimum Dominationi incrementum, & oblatam ad Gouernolum inteſtini belli materiam, cum pro Aloyſio certaretur. Simul ſperabat pacem Bernaboo non inutilem, aut ingratam fore: Quòd captam Nouariam, obſideri Vercellas, & aſſidentia igni ac ferro vaſtari ſciret. Ergò ſi mediatorem pacis indueret, non alienam, ſed ſuā fortunam proficere credens, cum Bernaboo primùm, mox cum Galeatio de conditionibus pacis tranſegit: Modò Gonzagorum, modò Vicecomitis cauſam onerans; ne aut aſperitate offenderet, aut in vnius tantummodò gra-

tiam laborare videretur. Nec enim apud vtroſq; ſuſpicionis expers erat; quas affectatum peruincendi ſtudium auxiſſet. Sed Vicecomites tandem concordiæ animos induxêre. Sancitaq; connubio Vgolini, cum Catherinâ Matthæi Vicecomitis filia, pax,mutuâ Ciuitatum ac oppidorum reſtitutione, Gonzagos vaſtationem agrorum, ac prædam requirentes, Vicecomes per iocum excepit; iuſſos,intueri Nouariam, ac Vercellas,& vt Marchio Montisferrati, eaſdem vices obiret. Nec enim ſimilia niſi ab inualidiori potentiorem requirere; Diuerſa,quæq; rationem omnem excedant, Gonzagis à Vicecomite imperata; ſed & Mantuam honorifici feudi nomine conceſſam, à plerisq; Scriptoribus tradi neſcius non ſum; ſed ſicut rebus noſtris publico committendis, niſi cum Archiuorum fide collatis auctoritatem requirimus; ſic niſi res certius doceatur, excuſabimur ſi abnuamus. Non enim rebus integris, armato validoq; ſub ſignis milite, lacerato Mediolanenſi tractu, amiſsâ Nouariâ, obſeſſis Vercellis, infenſo Eſtenſi, inſultante Monferratenſi, ſæuiente Vgolino, credibile erat, eò Vicecomitum ſuperbiam proceſſiſſe, vt præualidis hoſtibus leges daret, quibus pace ac bello vterentur. Promiſſum id ſibi ab Aldourandino Bernabous iactabat, cum de pace medius proceſſiſſet. Contrâ Gonzagi, nulla ſua ſuper tali re præcepta, & maluiſſe incolumitatis, quàm libertatis iacturam facere; neq; tantâ miſeriâ fuiſſe vt cogerētur, perſtrepebant. Etiam fas appellabant, quo Imperij iura transferri poſſe negabant. Bernabous conſenſum Cæſaris habiturum ſe professus, Aloyſij prudentiâ præuentus eſt. Qui longius agentem Imperatorem, actum de Italiæ poſſeſſione docuit; ſi etiam Mantua Vicecomiti dederetur. Plus enim potentiæ habere, quàm vt Germanum Regem formidet; quid credendum, ſi habitâ Mantuâ, viciniora traxiſſet? Id æſtimandum; & an decliui Alpium, potentiſſimus Tyrannus expediat, qui Germaniam ac Italiam pro arbitrio aperiat. Sic eluſus Vicecomes, & tot hoſtibus circumuentus, ſuis prouidere coactus eſt. Flagrante Mantuano bello,curis ac laboribus fractus Philippinus, Patriæq; ac Patri iuxta carus, per officia & aſſiduam operam, fato conceſſit: Breui ac forti ægritudine, intra paucos dies abſumptus. Et Aloyſius ſpectatæ ſæpius fortitudinis documento,cum acriter indoleſceret, publicâ lamentatione abſtinuit. Feltrinus implacabilius queſtus eſt,quòd audaciâ, ac militaribus ſtudijs concors eſſet. Vnicam femellam,Ziliolam nomine, filiam reliquit. Coniugem ignorari ſatius eſt, quàm ignotam,& diſſona tradentium ambagibus ſectari. Nec ſcitur vlterius. Quamquàm in ſequentibus, è Caroli collato in familiam priuilegio innoteſcat, vt Feltrinum parenti, ſic Philippinum ei conceſſioni ſuperfuiſſe. Sed aliorum traditis inſiſtimus. Erepto Philippino, & totâ inteſtinis ſeditionibus flagrante Italiâ, Guido ac Feltrinus Aloyſij filij Germani ſupererāt, diuerſis ſtudijs accepti. Ille prudentiâ ac modeſtiâ; hic magnitudine animi & militaribus ſtudijs. Quæ diuerſa,ne inuicem conuenirent,effecerant. Hic ergo concepta in Guidonem ac nepotes odia detexit. Siquidem dum Aloyſius ætate validus,ſeq; domumq; ſuſtentauit, parem inter filios gratiam, mutuam

Pax Vicecomiti Gonzagis, & Eſtēſibus.

Philippini mors.

ruam caritatem retinuit. Vbi vires animi effœto corpore imminutę, ſi quid alienationis ac turbati animi, liberius erupit. Non fratris aut nepotum culpâ magis, quàm fęminili æmulatione. Vgolini coniunx Catherina Vicecomes quam Feltrinus matrimonio habuerat, ſpernebat vt imparem. Sed nec iſta alienam nobilitatem maiorem rebatur; & aſſiduis querimonijs, maritum in fratres & totam familiam agitabat: Maximâ in Aloyſium irâ, quē tot liberorum parentem (nam è tertio coniugio Claræ de Maleſpinis, Azum, Franciſcum, Ioannem, Marium, Domicillam, Oriettam ſuſceperat) nemini ex æquo conſulere iactabat: collatâ in priores omni potentiâ, & reiectis poſterioribus vt alienis. Nullas ſenis curas ex prouidentiâ aut prudentiâ eſſe; ſed priuatis tantum commodis intentum, filiorum caritatem quos genuiſſet abijcere; & quidquid opum, iuriſdictionis, auctoritatis priori habēda permittere. Cur interim dum vita ſuppetit, communi labore quæſitam dominationem in ſocios non partiatur, quâ Patre ſuperſtite quietè viuant, defuncto in pacem concurrant? An gratas ſeni dum inter viuos ſit filiorum diſcordias, defuncto capitales inimicitias eſſe? Nec tamen aliud ſperari, niſi compoſitis rebus poſſe, dato imperio cui poſteri etiam aquieſcant. Certè vnâ in Ciuitate plurium imperium malè necti; ſed vt Mantuam, & quidquid Ciuitatis iure cis Padum ſeruatur, Guidoni primogenito conuenire; ita Regium minimam dominij portionem Feltrino cedi poſſe; quò innatum generis ſplendorem, ac liberos quos non ſponte, ſed patris iuſſu ſuſcepiſſet, non in dedecus ſanguinis, aut propriam ignominiam ſuſtentaret. His turbatus Feltrinus, etiam filiorum lamentationibus ſtimulabatur (quatuor erant, Guido, Petrus, Edoardus, Gulielmus) neq; tamen fratri diſcors erat; ſed vxori interdum excidebant verba inconſulta, quibus ſuum dedecus, Soceri, ac familiæ odia onerabat. Hinc cępti queſtus, ad Guidonem quoq; cōuertêre; qui licet ſimulandum cenſeret, præbebat tamen indignantis ſpeciem, auerſabaturq; obuium vt infenſum. Nec Vgolinus nepos ſilebat; eadem Auo, Patri, fratribus, totiq; Ciuitati inculcando; vt ſe iure vitare Patruum, rebus nouis intentum doceret. Ille contrà, ſecretis amicorum proſequi iras ſuas, cauſam indignationi docere, & ante alios Auum accuſare, aduerſus Guidonem natu maiorem nimis profuſum, erga ſe auarum. Præcipuè indolebat cuncta munium Ciuilium fratri permitti; ſe negligi vt ignauum aut infidum. Ad extremùm quia promptior ſuſpicio timorem addit, domi, foriſq; cinctus incedere; non in foro, non inter epulas ſine gladio eſſe, globo fidiſſimorum vallari. Quæ quò magis in aperto, eò certiorem inuidiam, & manifeſtius odium proferebant; tamquam proximæ inſidiæ; & ſuorum odia vitarentur: Nullus enim ab exteris metus erat. Tandem victo ſilentio, & diſſimulatione depoſita, Feltrinus ſuſpenſum Patrem, fratrem, ac nepotes, ſic allocutus fertur: Quadrageſimum ferme annum, fidei ac conſtantiæ documentum, pater ac frater ex me habuiſtis. Quibus laboribus iactatus, quantis periculis obiectatus, expectationi reſponderim, & vos ſcitis, & me referre moleſtum eſt. Cuncta ſudore ac ſanguine meo (vt decebat)

Feltrini alienatio à fratribus.

1356.

cebat) in Parentem ceſſêre; potentia, productio finium, ſpolia, vindictæ. Nec virtutis aut expleti muneris pœnitet, aduerſus eos, quibus naturâ côiugor. Plura obijci quò gratitudinis ac caritatis famam expleam concupiſco. Non enim irritos labores quos merita non ſequantur cenſeo, dum Parenti ac Patriæ inſudetur. Et hinc Feltrinum poſteritas nobili recordatione meminerit, vt principem locum impleuerit. Fęminiles diſcordias muliebrem impotentiam, inſidorum conſilia mihi imputari, & doleo & erubeſco: Vt ſciant exteri, nouerint conciues, ſeruatam tot annos inter nos fidem, fœminilibus nugis conuelli; aut vt aliena ſubleuentur, onerentur noſtra, non honori, non famæ, non conſanguinitati ignoſci. In præſentem quâ modeſtiâ egerim & cuncti didicêre; & cum parente (ſi ſubſit dilectio) teſtimonio non indigeo. Nam familiaribus neceſſitatibus ita prouiſum eſt; vt tenuiſſimæ res meæ (coniugis potius dixerim, qui nihil à Patre acceperim) nec mihi pudori, nec alijs oneri eſſent. Sed nec à te Patre quamquàm coniugi illigatus, & liberis onuſtus, aliud vnquam efflagitaui, quàm vt æquitate fortunæ, non ſordidâ aut inuidendâ conditione, filios meos, tuum ſanguinem ſeruares; Patruo ac fratribus miniſterio affuturos. Teſtis mihi conſcientia eſt; & ſi turbandi animus inceſſiſſet, frequens occaſio. Quæ ſi à te expendãtur, in ſuſpicionis conceptæ pudorem recolentur. Adeône militię rudis, aut diſcriminum pauidus vobis exiſtimor, ſic procul æquitate ac prudentiâ; vt qui acies veſtris auſpicijs duxerim, hoſtes ſæpius attriuerim, milites commiſſos cum laureâ reduxerim; nunc emeritus, certis liberis, certiori fide, communi adminiſtrationi excludar? non domeſticis, non externis aduocer? & id ſolùm prauè agatur, quod Feltrinus approbat? Guidonem ciuiles, me militares artes, parem negocijs, non inferiorem oſtendêre: & ſeponi ac contemni, negligi ac reprobari, eodem loco habeo. Si tu pater vniuerſis ſufficere per ætatem poſſes, iuxta temeritatem crederem, partem curarum requirere: Sed cum frater ac nepos fungantur, ego ſine nomine ſilear; id angit animum, & męſtitiâ perſtringit. Quantò honeſtius mentito honore, vbi me ad Cęſarem, aut amicos Reges legaſſetis, feciſſetis extorrem? Num cenſorem obſeruatoremq; paueſcitis: Concedite non inopem fugam, & recedo; nullo imperij, nullo poteſtatis deſiderio. Mihi quidem certum eſt procul his moribus agere; ne ſaltem præſentiâ offendam, aut recordatione conturbem. Aloyſius etſi Guidoni, ac nepoti propior, paternâ tamen caritate euictus, continere lachrymas non potuit: Vt ferè nullus ſenectuti liberorum numerus grauis eſt; & plurimis nepotibus ambiri, veterem fœcunditatis gloriam adæquat. Ergo accerſito Guidone, paternis primùm, mox ſuorum precibus Feltrinus orari cęptus: Et Guido neceſſitudinem præferens, multa in eandem ſententiam addiderat; ne mutuæ pietati diffideret, aut parentis obliuiſceretur; crederetq; ſibi, aut filijs defuturum. Nullo maiori dedecore, tot annos celebratam Gonzagorum concordiam obliterari, quàm famâ inuidiæ, & inimicitiarum æſtimatione. Ille tamen indignatione exarſerat, nec paruit; ſeu ſuſpicio familiarium alienationem, ſeu certus ſecedendi animus præceps

conſilium indidiſſent. Non enim ſecreto vſus eſt, aut nocturnarum tenebrarum beneficio; ſed cum diffidentiæ,quæq; apud parentem ac fratrem oderat, acrius intonaſſet, diei medio, raris amicorum comitantibus (nam dominorum,odijq; non incallidi, alienam cauſam ſibi obfuturam declinauerãt) vxorem ac liberos Veronam abduxit; contumaciæ quàm concordiæ manifeſtior. *Feltrinus diſcedit Veronam.* Requiſierat abeuntem pater, miſeratq; etiam filio acceptos, qui alloquio, & ſpe meliorum, erumpẽtem retinerent; ſed ille vel internuncios fruſtratus eſt, vt mitioribus pronum ſenem falleret; vel exarſerat adeò, vt pulſa ratio, errore notaretur. Multus hinc ſermo totâ Vrbe; quidam maiores iuueni ſpiritus, quàm minori, & in poteſtate poſito expediret, dicebãt. Nimias ſpes enutrire; paratum diſcordijs, facilè arma illaturum fuiſſe: Multa Auum, plura fratres conceſſiſſe; vt inquietudinem, tumidos animos, vexationem domeſticam redimerent: *Ciuium ea de re iudicium.* Vſum familiæ munificentiâ per luxum, & profuſas expenſas; non quaſi expenderet, ſed mergeret vniuerſa. Pleraq; iuſtè negari, quòd Feltrinus non ex re, ſed ſuo ſenſu dijudicet. Sic Patriæ, ſic ſuorum quieti conducere, vt ſaltem à ſuis metus auerteretur. Alij ſecus interpretabantur: Potuiſſe fortiſſimum filium, minimâ effęti Senis munificentiâ retineri. Non alia dominationi ſecuriora præſidia, quàm numerum liberorum. Dediſſe Aloyſium poſteris exemplum, quomodò maiores natu, in minores ferocirent. Si dedi vni dominationem expediat, cur non agros, & lata prædia, vt viliora, & quæ ſubleuent inopiam, poſſidentes non tollant, in reliquos partienda? Captum Feltrinum à Scaligero, nullo Aui ſubſidio leuatum (plurium enim millium aureorum pretio libertatem recepiſſe memorabant) non opes pro dignitate conceſſas; & nunc magno ſuorum dedecore, pergere ad Veronenſes, ſemper externæ fidei; vt dubium non ſit, exilium ſeceſſionem nominari; nec diſcedere Patriâ, ſed exigi, & præcipere imperium abeũdi. Quidam etiam acrius in Aloyſium inuehebantur; ſenium, fractas æuo vires, nimiam erga cæteros conniuentiam perſtrepentes; & tamquàm motâ mente, perniciosum filijs diſſidium, ſingulari oſtentatione pietatis nutrijſet. Sed iam Feltrinus exceſſerat, odio, męrore, vindictæ deſiderio turgens, quibus bonorum pleriq; videbantur ignoſcere; ideoq; Parentis lachrymæ, populi deſideria in irritum abiêre. Magnâ interim gloriâ Vgolinus, & ductâ in matrimonium Vicecomitis nepti, famâ illuſtris, quamquàm Parente ſuperſtite (quod Feltrinum ſauciauerat) Mantuanæ ditionis ſummum ius, militiamq; omnem arbitrio poſſidebat. Siue Aui id imperium eſſet; ſeu adoleſcens, exuere Feltrino patruo vires nouandi ſtuduiſſet: Nec enim externas apertè licebat; quòd neſciri iras domus vellet; pronis in iniurias Gonzagorum exteris, ſi mutuò diſſidẽtes ſpectauiſſent. Eæ tamen ſuſpectę & Scaligeri pręcipuè erant; quem nunquàm ita proprijs vigilantem nouerãt, vt eodem actu Mantuanos non auerſaretur. Nam Feltrinum angebant inopia, ſuſpiciones licet è vero erutæ, fratris ac nepotum odia; ac præ cæteris parentis ngligentia, ſuiq; apud conſcios deſpectus; tamquam non paci, non bello vtilis; non egreſſus, ſed exactus, non volens ſed coactus ciuitate ſuâ caruiſſet;

Quæ

Quæ in ore vulgi erant: Vt ferè contemptus, honorve; dominantis iudiciũ
Vindictæ ſtudet. comitatur. Itaq; ſecum ipſe meditari vindictæ præliorumq; vias: Et quibus initijs potentiam acquireret; præueniretq; Vgolinum nepotem, vt virtutis, ita fortunæ validum. Sed inſeruiendum tempori videbatur, ne manifeſtis conatibus, conſilia detegerentur; aut fictam reconciliationem (id enim internuncio Scaligero procurabat) ſuſpicio detegeret. A patre incipere viſum, quem ſenio grauem, teneritudini ſuorum obnoxium, minusq; aduerſus inſidias intentum rebatur: Nec Guidonem quæ parens vellet præpediturum credebat. Mittit literas Mantuam, ſuam miſeriam, ſuſpiciones, fratris ac nepotis inuidiam proſecutus. Quibus imparem ſe, & niſi pater cunctorum dominus prouidiſſet, in familiæ perniciem caſura. Mox ad cauſas diſſentionum vertit: Et poſſe inter fratres conuenire, ſi ſeni placuiſſet. Ad extremũ orat, vt communione ſuorum reciperetur, filios, vxorem, incolumitatem ipſam oppignoraturum, dum innocens, illæſus, ſeq; ac liberos pro dignitate ſuſtentaret; nec potentioris munificentiam implorare cogeretur. Acceptæ literæ parentem molliuêre; neq; alia fratris aut Vgolini mens erat, quàm vt natu poſterior ſuperiori concederet; nec enim adhuc implacabile odium induerant; iuſſusq; ad ſuos redire, & benignè exceptus eſt, nullâ præteriti me-
Mantuam redit. moriâ. Sed non eadem Feltrino fiducia: & mori ante, totamq; familiam in præceps dare decreuêrat, quàm innominatum aut neglectum, ſegne otium in Patriâ terere. Id vnum inſatiabiliter Vgolinus refricabat, frueretur communi bono, vteretur opibus, ac delitijs, Rempublicam ne attingeret; id ex vſu præſentium eſſe. Forte per eos dies, orta inter Gonzagos ac Scaligeros de minimâ agri ad Oſtiliam portione contentio, cauſam Feltrino dedit erũpendi, & quam ſpe meliorum reſumpſerat patientiam exuendi. Nam cum regimen exercituum Vgolino, curam Vrbis Guidoni, legationes ad Cæſarem ac Principes, nobilibus ciuitatis iniunxiſſet, Feltrinum ſiue tedio nouæ curæ, ſiue adhuc ſuſpectum omiſerat; poſcentemq; laborum partem, ſpecie caritatis reiecerat, quietem, otium, præſentiam obtendens. Sed non ille amplius impetum attinuit, aut redditam indignationis cauſam texit, odium ac diffidentiam execratus. Irarum enim materiam adhuc offerri inſolabiliter accipiebat; & adminiſtrationis partem negari, iniquiſſimè tolerabat. Poſtremùm ſeu dolore ſuo, ſeu filiorum caritate, ſeu vxoris aſſiduis lamentationibus euictus, obſequium in ſuos, ius, faſq; exuit, & totus ad occaſiones turbarum intẽdit. Tutior præſentiâ ac milite Mãtua erat, quã vt occuparetur: Et prona ciuium in Vgolinum voluntas, vanos conatus patrui reddidiſſet. Ergo Regium dubiæ fidei, & Eſtenſi ac Vicecomiti pronius, dum inter vtroſq; ambigit præuenire ſtatuit: prudentiam quàm flagitium ratus, ſi nutantes retineret, ſimul in fratrem ac nepotes vindictam efferret. Tentanda nobilium voluntas ante erat; quorum arbitrio non ciuitas ſolùm, ſed Arx quoq; tenebantur: & irritus labor credebatur, niſi munimento potiretur valido, & aduerſus externos quoq; inſultus ſecuro. Medium ſe Iuliettus Rigus exhibuit,
Rigus proditor. qui Regium ingreſſus, & potiſſimos amicorum conuocatos, vbi Vgolini ſuperbiam

perbiam, Aloyſij lapſum iam æuum inſectatus eſt, oſtētato proditionis pretio, ad Feltrinum vertit; virtutes primùm executus vt commendationē, mox iniurias vt pietatem conciliaret. Sed præ reliquis munificentia tollebatur (retinendis & comparandis amicitijs efficax) fortitudo, ætas, liberorum numerus & modeſtia. Addebat nuſquam maiori ignominiâ ſperni filium, quā vbi nepos præferatur. Aloyſium ætate decurſâ mentis impotem; & pleraq; à Guidone patrari, quæ ſenex pater non nouerit. Mox ad conſilia regreſſus, ciuibus expedire docebat, præſentem dominum habere; nec vbi quid aduerſi accidiſſet longius preces deferri. Maiorē Vicecomitem & Eſtenſem, quàm vt aut ſuorum gratiâ flectantur, aut iniurijs temperent; ſi ſæuitiam ac licentiam, quàm pietatem & ius velint. Feltrinum non alijs viribus, non alio milite pollere: Et niſi his cum modeſtiâ vtatur, periculum ſuum accelerare caritate vſurum, vt eos in officio teneat, quorum beneficio potentiam accepiſſet. Valuêre hæc; ſed præcipuè permouit inuidia, quaſi Regienſes ſi Aloyſio obtemperaſſent, ſerui Mantuanis deſtinarentur. Et præteritæ per Longobardiam dimicationes, mutuis iniurijs vtraſq; Ciuitates irritauerant, vt difficilè in eaſdem leges, & eoſdem dominos coïrent. Non diu dubitatum quin accederent: eodemq; Rigo internuncio Feltrinus voluntates, animos, tempus, ordinemq; conſilij docetur. Nec ſuſpecta Rigi ac Feltrini amicitia erat: nā ſæpius cōuictui hominē adhibuerat, venatu, otio, ſecreto delectatū; Vnde vt in ſtudiorū æmulum, & ſimilem moribus, facilior nexus erat. Tandem Feltrinus prouiſis ſocijs, armis, & amicitijs externis, Regienſem in agrū, & procul adminiſtratione acturus, conceſſit; ciuitatemq; ingreſſus eſt, incomitatus, inermis, ne ſuſpiciones ſuorum, & cauendi diligentiam prouocaret. Eâdem facilitate in Arcem receptus eſt. Sed vbi arma, munimenta, commeatus in poteſtate habuit; ſeq; multis amicorum, & aliquot militum millibus ſeptum vidit, Gubernatorem Lazarinum exturbat; Centuriones, Tribunoſque nouos è fidiſſimis deligit; ſi quid ſuſpectum in Ciuitate erat, pellit. Deniq; murorum infirma aggeribus ambit, foſſam ducit, infert Ciuitati pabulum, ſtrues arborum aduerſus irrumpentes, & machinamenta ſiſtit, cunctos promiſſis onerat. Iam enim affore Vgolinus credebatur; & Vrbem deditione, aut expugnatione recepturus. Specioſo titulo fidebat, quòd accerſitum ſe, non intruſum circumferret. Nunciata hæc parenti, non eo affectu recepta, quo credebantur; ſiue faſtidijs graueſcente ætate impari, ſiue multò ante in Guidonem ac Vgolinum rerum ſummam flexiſſet, ſeu deniq; annueret. Sed præ cæteris Guido, quamuis & ipſe ferè ſexagenarius, non querelis, non iniurijs abſtinuit; Feltrinum perfidiæ, inimicitiarum accuſans; apud ciues lamentationibus aſſiduus. Vix vnus alterve repertus in tanto numero, qui excuſaret: Etſi inſociabile fratrum imperium, & implacabile propinquorum odium faterentur. Id maximè communem calamitatem onerabat, quòd vniti, & collatâ operâ ſtabiles, vix accolas hoſtes tolerarent; tantòq; faciliorem prædam fore, diuiſos, & inſenſos. Sed remedio opus erat. Ergo Vgolinus patris literis certior redditus, qui tum parentis

Feltrinus Regiū occupat.

vice

viœ, pacem ac bellum ex æquo curabat; & ad Oſtiliam longè diuerſa oppetiebatur, vniuerſum militem Regium rapuit: Tamquam opprimendis belli initijs, & ad certam victoriam. Nec enim Regienſes, profani & ſeditioſi Principis mores, cum fide habituri credebantur: Sed opinione lapſus eſt, Quamquam enim limitanei præſidijs diſpoſiti non forent; & in vltropadanā ditionem liber acceſſus eſſet; Vrbs tamen commeatu & milite inſtructa, quāuis diuturnæ obſidioni ſuffectura credebatur. Et Feltrinus quatridui beneficio vſus, nihil quod vſui mortalibus eſſet omiſerat, iumenta ac commeatū aggerando, vt vectandæ primùm annonę deſeruirent, mox annona eſſent. Simul cauſæ honeſtatem, ſuas miſerias ciuibus pro concione conteſtatus, pietatem mouerat, & permiſſo rerum arbitrio, bello promptos reddiderat. Voluntati ciuium minori nomine adiacentia oppida acceſsēre; Suzaria, Rezolum, Gonzaga, & quæ vltrò citroq; Pado ac Mutinenſi continuantur. Maturandum ratus Vgolinus, priuſquàm aſuetudine obſequij, ciues Feltrinum induerent, aut caritatem Guidonis filij haurirent (qui decorus vultu, inceſſuq;, & gratâ in ſingulos comitate, amori adrepſerat, patruumq; abraſerat) ſeptem hominum millibus affuit, haud pari numero fortunâ, quòd expectatus. Et vbi Regienſes obſidioni paratos; nec imperia accipere cognouit, oppugnationem aggreditur. Miles dimicationi inductus, tantâ conſtantiâ depugnabat, vt in barbaros certare crederes. Nec Regienſes Mantuanis ſatis fidi ante conſternationem erant; vtriq; æmulatione opum, potentiæ, ſeruitij auerſis. Et pro muris denſâ coronâ diſpoſiti, tamquam ſtabile ad prælium videbantur; ſaxa, ignem, tela, in ſubiectos certiori ictu iaculantes. Necoppugnatores abſcedebant; ſed moliri fores, fodere męnium inferna, crebro ictu fatiſcentem murum ſuccutere, detrahere vallum, replere foſſam, inferre ſcalas, & ſummo nixu in propugnacula efferri, prēſſare apicem ſiniſtrâ, dexterâ vulnera intentare, velut medio aëre librati; deniq; non ſanguini, non vitæ, ſed honoris, ſed victoriæ curam oſtentare. Vgolinus ante alios, ſaxorum moles, ingruentia tela clipeo ſuſtentans, contumelias pro ictibus addebat: periuros, infidos, inteſtabiles clamitando. Ex aduerſo raræ voces, nulla excuſatio (nam deërat cauſa) ſed conatus, decertatio, minæ viſebantur. Clauſi tamen, numero, ac virtute impares, diutius obniti, prouoluere ingentia ſaxa, moles aſcendentibus obijcere, tutari portas, ſudore ac labore in vanum iacto, nitebantur. Ad extremùm irrumpentem hoſtem, inuiti recipere coacti ſunt. Illatus Vgolinus, velut in perfidos, cædibus, rapinis, licentiaq; vitiorum, ſæuire cæpit. Non ſexus, aut ætas miſerationem attulit: Senes conſilio, viri fortitudine, infantes ac fœminæ, auerſo Mantuanis animo accuſabantur. Si qui extra ſpeciem culpæ erant, belli iure cædebantur. Feltrinus cum coniuge ac liberis, cum munimentis Ciuitatis diffideret, in Arcem ſe recepit: vbi faciliorem obſidionem, & ex tempore ſubſidium expectabat. Expugnati Regij gloria, quamquàm Vgolini, pari tamen virtute, Eſtēſis Marchionis cenſebatur: Qui ſuppetias Vgolino tulerat; tacitis ante cum Vicecomite conditionibus, vt recepta Ciuitas ſibi dederetur. Eſtenſem,

Vgolinus recepturus properat.

Regiū capit.

Ab Eſtenſi adiutus.

Fabius

Fabius Caprianus veteri nobilitate, ſed incertis natalibus, potius extra domum, opeſq; paternas, quàm nobilitatem habitus, ſuſpectum crediderat; cauſamq; efficacius proſecutus, apud Vgolinum, monuerat vniuerſos, fallacem viri caritatem, infida conſilia; eoq; æſtimandam promptitudinem, quòd habitâ ab Eſtenſibus Mutinâ, manifeſtum ſit Regij deſiderium: Rarò potentiores pietate, plerumq; ſecretâ libidine tutelam minorum obire; vt cupidinibus honeſtus titulus quæratur. Gratuitum officium extra mortalium cõditionem obuenire; homines vtili intus, extra honeſto vti. Cumq; Eſtenſis militiæ ductor, pietatem, teſtaretur; turgidus oculo ac voce interrogauerat, Nũm maiori iuſtitiâ Eſtenſes quàm Mantuanos haberet? Illo eandem apud vtroſq; fidem fatente, ſubdidit Caprianus; atqui nos, & Bonacolſi ipſi paulò ante exacti, pretio à non domino accepimus. Quo reſponſo; & quia iam Vgolinum veritas obſtrinxerat, parum abſuit, quîn externum auxilium reijceretur. Sed in fato erat Regium ad potentiorem abire: Quo præualente, irrita conſultatio, & deliberatio fruſtrà eſt. Certum eſt deprænhensâ fraude, hæſiſſe Vgolinum; & Caprianum vulnere pro ſuis ſaucium conclamaſſe, loco fidei quæ non reſpondebat. Caprianus tamen, bellorum, ac pacis artes edoctus, refricare conſilium ſuperſedit; vno reliquo verbo vſus; Vgeline circũuenimur. Manifeſtior coniectura fuit; quòd Eſtenſes receptâ Ciuitate, parum Vgolini imperio, aut promiſſis ante obſidionem obtemperarent; ſed aggregati, partem mœnium, quâ facilis acceſſus eſt, indefatigati, inſomneſq; ſeruarent, opportunitatis ſtudio, ſiue ſubſidij affuturi ſecuritati. Guido Feltrini filius, poſtquam nîl rebus ſuis reliquum videt, Arcem aſſiduis inſultibus quati; nec militem qui obſiſtat; Feltrino patre ignaro, cum Vicecomite, Eſtenſis deſideria ſecutus, internuncio Paulo Scandiano tranſigit, vt ſexaginta millibus aureorum datis, ipſe Ciuitate excederet, dominiumq; transferret. Acceptæ à Vicecomite conditiones, iuſſuſq; Petrus Alidoſius Feltrinum conuenire: Interim ab inſultu Arcis temperatum; donec de tranſactionis pactis inter aduerſos conueniret. Vgolinus tamen, quamcunq; moram pertæſus; ſiue in vindictam ardeſceret, ſiue ſuſpectam quietem haberet, & recuperandis amiſſis celeritatem vtilem ſciret, obſtrepere; ſe Ducem bello iactare; nec Vicecomitis aut Eſtenſis, eâ in re, milite egere. Sinerent Mãtuano ſanguine, inter conſanguineos decerni; ipſi iuxta agentes ſpectarent, cuius virtuti gloria receptæ Arcis imputaretur. Sed maior Eſtenſis miles, & validiores Vicecomitis vires erant, quàm vt Vgolino obtemperarent. Eoq; à iuuene erratum; quòd quamuis ab Andreaſio admonitus, plus auxiliarij militis in ſuo exercitu, quàm Mantuani deſcripſiſſet. Ad extremùm, coactus obſidionem omittere, moramq; facto interijcere, quæ haud dubiè Gonzagorum aduerſus Regiẽſes fortunam peſſumdedit. Inſtabat interim Alidoſius, vrgebatq; Guidonẽ promiſſis accedere: nec tot hominum millia, turpi cunctatione ludificari: ſed ille quamuis cedendi auidus, ne conſobrinus potiretur, accuratâ Feltrini parentis cuſtodiâ præpediebatur; Iam enim conuentionum fœditatem exceperat, & fidiſſimos ſibi per munitiones diſpoſuerat, *Sed fraus ſuborta.*

Dd acci-

accitis & alijs, quorum operâ, priorum diligentia & fides acueretur. Sic reſciſſa cum Guidone negociatio; & viſum Principibus inhiantibus, in Feltrinum vertere: quandò abrogata Guidoni auctoritas, & obſidium Arcis numero bellatorum, & alimentorum vbertate, difficultatem, longitudinemq; præſagiebant. Nec tamen Alidoſij congreſſum Feltrinus abnuit; poſſe vniuerſa inter æmulos componi, & honeſto exitu captam contentionem terminari ratus. Vbi dominationem pecuniâ æſtimari, & auaritiâ ſordidiſſimo vitiorum, peti ſe vidit, parum abfuit, quîn ius gentium conculcaret, & communis cauſæ legatum confodi imperaret. An, inquit, adeo ſordere animo Feltrinum creditis, vt auro libertatem dominationemque exuat? aut pluris pecuniam, quàm vitam, decusq; faciat? Si Vicecomes ac Eſtenſis, medij diſcordiarum inter fratres accedunt, arbitros rerum accipio; Sin honorem familiæ, exiſtimationemq; conuellunt; nouerint, non in alios vſus pecuniam reputari, quàm vt famæ gloriæq; deſeruiat: Nec auri deſiderio me in bella tractum, ſed amore pacis; quam ſolâ vexatione inter conſanguineos obuenire poſſe credideram. Regium noſtræ familiæ, populorum aſſenſu, Cæſarũ largitione diu poſſeſſum armis accepi; non vt exteris tradatur (abſit à nobili pectore tantum immanitatis) ſed vt apud eoſdem, velut pro virili pórtione eſſet. Hæc regreſſus Vicecomiti, Eſtenſiq; ; nec me Arce exceſſurum cum vita refer. Simul Guidonem filium acciri iuſſit: quem dedecoris admonitum, cauere fraudes, & fœdiſſimam pacem iuſſit: Nec eò progreſſas fratrum diſcordias, vt pro vili honor habeatur. Lapſa vox in præſagium flexit, non enim ſe Arce viuum exceſſurum ſpoponderat; & ſors reſpondit: Guido non ijs ſpiritibus quibus pater vſus, ſine reſponſo genitorem reliquerat, datâ etiã ſpe obedientiæ. Sed metu tot hoſtium; nec minus cupiditate auri; vt cum modicis in pace, plurimis belli occaſione frueretur, fouêre Eſtenſem, detinere Vicecomitem; & tempus opperiri, quo neſcio patre, quamquàm inhonorè recederet. Feltrinus etiam filij conſtantiam ſuſpectam habens, vergẽte iam ætate, & æuo omni per labores ac diſcrimina raptato, nocturnas excubias frequentius quam ſeni ac inualido expediret, obibat. Subtractâ quiete, & aſſiduitate curarum delaſſatus, quæ cibos ſomnosq; auertunt. Hinc conuelli valetudo cœpta, quam metus ac ſuſpiciones grauiorem reddebât. Neq; in promptu erat defecto corpore, artibus filij obniti; cum ille occaſionibus intentus, modò cuſtodias, modò vetera aulæ ſeruitia; muneribus, ſibi, futuroq; diſponeret. Et vbi imparem remedio parentem, & deploratam ſalutẽ accepit, Eſtenſem primùm Vrbi induxit; mox ad Vicecomitem miſit, qui tridui inducias tradendę Arci paciſceretur. Non ea tamen Feltrinum fefellere; ſed extremis proximus, cum multa, ac ſæua in filium ieciſſet, ſuorum perfidiam queſtus, dolori iræq; impar, ſibi ipſi finem, quem prædixerat, accelerauit. Neq; tamen Guidoni aut liberis ſoluta pecunia eſt; ſed cum id præcipuè Vicecomes intonaret, è tempore, turbis, morte domini, excuſatio petita. Nuuolaria ſolùm, & adiacentis agri pars conceſſa; quæ in præſentẽ familiæ eſt: Non auſo Vgolino tot potentioribus conſobrinos tuentibus, vlterio-

Feltrini mors.

Guido eius filius Regium vẽdit nec habitũ eſt precium.

Digitized by Google

teriora meditari. Vbi Ciuitatem Guido in hoſtes abijſſe comperit, nec reciperandi vires; cùm plures de quibus quereretur, eſſent, tum primùm deprehendit, quàm perniciosa fratribus odia; & vbi de dominatione agatur, quàm apud ſocios parum fidei ſubſit. Qui temporum illorum memoriam poſteritati commiſère, res diuerſimodè tradunt. Alij Bernaboi Vicecomitis armis, coactum Guidonem Feltrini filium, Ciuitatem conceſſiſſe, promiſsâ ſolius Nuuolariæ poſſeſſione: alij ab Vgolino pro Mantuæ Ciuitatis liberatione, quam Vicecomes acriter exercebat, Regium promiſſum referunt; odioq; turpiſſimæ ceſſionis Feltrinum contra ſuos hoſtilia induiſſe: Alij patris indulgētiâ inductum Feltrinum, vt Regium velut in portionem caperet. Quidam defuncto Aloyſio tumultuatum Feltrinum volunt. Adeo cum de facto conueniat, temporis ratio non reſpondet. Nos exitum armorum, irarumq; proſecuti, cauſas obſcuro abditas, in medio relinquimus: ne nobiliſſimi Principis poſteritas, è proprijs, quàm alienis peius audiat; tradamusque recentem odij materiam, obliteratâ ferè memoriâ præteritorum; & cunctis Sereniſſimæ Familiæ proceribus, ſolidâ caritate illigatis. Neq; nos vitio aut virtuti vertere, quamuis manifeſtam defectionem poſſumus. Nam nec Principum acta, ſub cuiusq; ſcribentium cenſuram vocari decet; & multi ſecus ac creditur interpretantur. Accedunt recentes Feltrini poſterorum virtutes, antiqua (ſi quæ fuère) vitia antegreſſæ; quas documento optimæ voluntatis, in tempore trademus. Nec ambigo, defuncto Aloyſio Regij amiſſionem contigiſſe credi à quibuſdam. Nos Archiuorum fidem ſecuti, tempori quoq; congruimus. Illud apud omnes in confeſſo eſt, indignatione motum Feltrinum deſciuiſſe, audētiâ Vgolini nepotis Mantuâ exceſſiſſe: paternâ erga ſe ac ſuos diffidentiâ, Regium occupaſſe, vt rem ſimul ac tutelam haberet. Guido Feltrini filius poſt amiſſum Regium (is enim venditione honeſtior titulus videbatur) paruâ re familiari, Nuuolariam cum fratribus conceſſit: Si quid enim auri aut gemmarum fuerat, in belli vſus erogauerat. Miſſus tamen (cùm pleriq; curam abnuerent, vt fruſtra caſuram) quià Vicecomite ac Eſtenſi pactam pecuniam repeteret: Sed cum diuerſa prætenderent; & pudor recuperandi pretij generoſos ſpiritus vrgeret, inops & innominatus, fallere potius, quàm turpi nomine innoteſcere maluit. Vicecomes Eſtenſem debitorem ferebat: Hic ſubſidio tuliſſe arma profitebatur; vt Vgolino ſubueniret; tantò minus pacto venditionis inſtitiſſe. Quòd poſſideat, à Vicecomite censère; & ſi cedenda dominatio ſit, in eundem translaturum, à quo habuiſſet. Cùm inter Patruum ac Nepotem lis eſſet, promptior validiorq; Vgolinus, conſilio & armis erat: ſed vbi Vicecomitē ac Eſtenſem præponi vidit, fidem, iuſtitiam, fœdera conteſtatus Mantuam redijt, multum imminutâ potentiâ; & ſuſpectis magis magisq; accolis, quorum turbis exerceri ſe nouerat. In patruum tamen Feltrinum, plus neceſſitate, & fruſtrà ſæuus, vexilla eius, frequenti D. Petri plateâ, ad ignominiam exuſſit: vt ſi poſſibile foret, etiam memoria hominis, poſteritati eximeretur. Nec id ſatis viſum, niſi vniuerſa quoq; familia notaretur. Quippe omnes honoribus, dignita-

Guido Nuuolariam concedit.

gnitatibus, immunitatibus ante vſos, Cæſaris decreto excluſos voluit; ſilēte, & permittente,quàm procurante patre;ne quàm dominationem antea laceſſierant,in poſterum aſſequerentur. Etiam in Caprianum pars culpæ reiecta eſt; ſiue indignatione ardeſceret Vgolinus, ſeu bellorum aduerſa duces abnuunt, in ſocios flectunt. Contra ille (cum nîl extra virtutem, quod amitteret,haberet) intonabat; erratum ab Vgolino receptione ſubſidij; nec ignorationem excuſandam, cum ipſe monitis affuiſſet. Addebat & teſtes, ſtrenuè nauatæ operę; quos conſcientia,in Vgolinum odium, amor in Feltrinum ſuggerebant. Cumq́; modeſtiæ ab amicis admoneretur, acrius eloquebatur, paratum ſe Dominorum caritati vitam impendere; honori cui ſeruiat, non defuturum. Fœcunda nouitatibus ea tempora fuère: libetq́; ſubleuando animo aliquid inſerere, ne Gonzagorum hiſtoria nunquam interrupta frangat animos continuatione dictionis. Clemens Pontifex eo nomine ſextus, iteratis precibus Carolum quartum iam Aquiſgrani diademate euinctū, in Italiam poſcebat, metu Ioannis Vicecomitis, cuius potentia & nimia & ſuſpecta erat. Quæ enim vires conatibus Principis obſtitiſſent, tot nobiliſſimis Italiæ Ciuitatibus imperantis, vbi ambitione & libidine vſus, in cæteros prorupiſſet; Cæſare, ac Pontifice abſentibus, nec in tempore auxilium laturis? Fato tamen præuentus nec voti compos, id ſolùm aſſecutus eſt,vt ſuſpiciones componeret, metumq́; excuteret. In defuncti locum ſuffectus Innocentius ſextus; cui pietas, prudentia, nobilitas, doctrina, commendationē addiderant: Nec potior alius credebatur Eccleſię dignationem,& ſi quæ nutarent, retinere. Nam nihil adeo ſecurum initijs regnorum eſt, vt non facilè turbetur, ſi dux, ſi occaſio offeratur. Eo ſedente miſſus in Italiam Legati nomine, Cardinalis Aegidius: qui ſecundûm eo munere functus, vniuerſa

Aegidius Cardinalis. pridem Sedi Apoſtolicæ ſubiecta, & à diuerſis abſentiâ Pontificum, per turbas & licentiam diſtracta, recepit: ſtrenuus manu, conſilio vigens, & antiquis Ducibus par; niſi Eccleſiaſtici muneris gloria, militarem obrueret. Innocentij Pontificatus initia celeberrima reddidit, inter Venetos ac Genuenſes iterata concertatio. Nam primâ pugnâ, victi Veneti ad Aegæum: ſed reparatis viribus denuò hoſtibus congreſſi, Genuenſes ingenti clade ad Corſicam detriuêre. Quadraginta Triremes profundo merſæ, plura hoſtium millia cæſa ſunt, quod reliquum in Venetorum poteſtatem ceſſit.

Digitized by Google

DOCT.

ANTONII POSSEVINI IVNIORIS

PHIL. ET MEDICI MANTVANI

GONZAGÆ

LIBER QVARTVS.

BREVIARIVM LIBRI.

FRANCISCI Baroncelli Romana ſeditio; & mors. Carolus quartus in Italiam & Mantuam. Baſtiæ Vicecomitis oppugnatio pro Cæſareis infauſta. Roq; pax Carolo Vicecomiti & Aloyſio. Hic vná cum filijs perpetuus Imperij Vicarius dicitur, & Mantuanæ ditionis fines præfixi. Ciues fruſtrá queruntur. Bonacolſorum opes ipſi conceduntur; & plura circum Oppida. Aſola ſe Aloyſio dedit. Carolus Imper. Mantuæ adorat Chriſti Sanguinem. Gonzagis Boëmiæ inſignia largitur. Aloyſius Ciuitatem ornat, Eccleſiam Anconæ extruit; eius causá fermè ſeditio. Fœdus Venetis & Aloyſio. Graueſcente ætate teſtamentum condit, & moritur. Guido filius Parentis obitum dies aliquot celat. Status Europæ ſub Aloyſij finem. Vgolini Guidonis filij vis, & parentis in eum indulgentiá. Guidonis apud Cæſarem vanus conatus recipiendi Regij; & in Feltrini filios odium, quos Vicecomes & Eſtenſis tuentur. Aliprandus eligi Guidonem Capitaneum procurat in Senatu, idque decreto obtinet, Guidone deſiderium occultante. Otini fatum. Gallorum clades ab Anglis. Venetiarum Dux ſibi Monarchiam parans, Gonzagos in conſcientiam pellicere fruſtra conatur. Bartoli Saxoferratenſis finis. Fœdus Gonzagis, Carrario, Eſtenſi, Legato Pontif. & omnium proſpera in Vicecomitem pugna. Ioannes Dux Anglus per Italiam turbas mouet. Vgolinus Mediolanenſes Mantuano fugat. Eius cum fratribus odiorum cauſa, & cædes. Fratres in prætorium; ſe excuſant; Senatus annuit, mittit qui Guidonem oret. Vtriq; patri

reconciliantur, & virtute facti memoriam obliterare nituntur. Vgolini coniugis querelæ. Egidij Cardinalis mors. Cæſar fratribus ignoſcit, quos Guido emancipat. Vicecomes & Scaliger in Mantuanos; Guido Imperatoris auxilium orat; qui præſens cum exercitu ſuccurrit. Franciſci Ludouici filij natalis. Corradi Gonzagæ annitente Scaligero auerſio in filios Guidonis; & Scaligeri aſtus quo perdere etiam Antonium Gonzagam procurat. Deprehenſus, fœdus iacit cum Vicecomite. Vtriq; contra Mantuanos. Burgofortum obſident, agrum prædantur. Scaliger etiam Lacui Mantuano Naues infert. Ab Antonio Gonzagá ſuperatur. Secundotti Agnelli nobile facinus in Veronenſes; eiuſdem cædes. Caſtelbarci Burgoforto eruptio in Mediolanenſes, horumq; clades. Arctis rebus, Gonzagi opem ab Italis Principibus requirunt. Carolus Imperator properat; Veneti cautè ſe bello ingerunt. Copia duce Cæſare, conſultore Guidone Quadraginta millium. Redditur Vicecomiti odium ſæuum in modum. Ipſe pacem orat. Cæſar in Scaligerum & Vicentinos quos miſerè vexat; donec precibus Guidonis negocium pacis admittit; Et ſeditioſis ignoſcit. Carolus iterum Mantuam. Chriſti Sanguinem inuiſit, & portionem ſecum defert. Noua in Gonzagos Priuilegia, & decreta, Scaligeris, Vicecomitiq; aduerſa. Procedit in Hetruriã vt Florentinos ac Piſanos componat. Rex Cipri Mantuam. Franciſci Gonzagæ nuptiæ Cæſare præſente. Ab hoc Eſtenſes Regij poſſeſſionem ratam haberi pecuniá obtinent. Gonzagi ab Epiſcopo Mantuano quorundam agrorum inueſtiturã habent. Scaligeri deſideria quibus partem agri Mantuani poſcebat, Cæſar improbat. Caſus per Longobardiam atrox. Guidonis teſtamentum, Franciſci eius filij mors. Carolus Imp. poſcit è Guidone pecuniam, & accipit. Per ambitum filium Cæſarem dici procurat; & quia promiſſis ſoluendo non eſt, Ciuitates Germaniæ Electoribus concedit. Vicecomes procurat Papæ odium in Gonzagos, ſed irritè; nam ſe Gonzagi fœdere ligant Pontificio Legato. Mors Guidonis. Ludouicus Capitaneus Mantuæ. Nuuolariæ Comites ſtuduiſſe nouitatibus crediti. Cæſar in familiam pronus. Epiſcopi Mantuani inueſtituræ quorundam bonorum Ludouico conceſſæ. Ludouicus eligi à populo negligit. Hic queritur; ad extremum communi voto decernitur; Guido annuit. Licentiam Vrbis ſeuerè reprimit. In eum coniuratur, rei deteguntur, & puniuntur. Clades Mantuana, terræmotu, fame, peſte. Cenſus Vrbis, munimenta. Caroli quarti bulla aurea. Ioannis Angli ducis belli vis; Mantuanum vaſtat, fugatur. Gonzagi ſuſpecti, Ludouico reconciliati. Vulgus ſeditione turbatur ob auaritiam mercatorum. Ludouici in ſuos munificentia. Bernabouis ſæuitia. Petrarcha à Ludouico Mantuam inuitatur. Cremi. Cenſus alius Mantuanus, & reditus. Nuptiæ Franciſci Ludouici filij, cum Vicecomitis filiá. Aldæ Eſtenſis Ludouici coniugis mors; Nec minus Caroli quarti; & Ludouici. Franciſcus quartus Capitaneus. Vinceslaus Imperator ignauus. Aliprandi. Franciſcus ad diuerſos Principes oratores mittit. Regium fruſtra ab Imperatore requirit; licet Mantuæ Regijq; Vicarium dicat. Alia Vinceslai aduerſus Gonzagos Priuilegia. Scaligeri motus in Gonzagam; qui ſe Carrario & Vicecomiti fœdere illigat; Mantuana expeditio, proſpera ad Oſtiliam pugna, & ad Veronam. Ibi fraus Scaligeri à Mantuanis detegitur, & miniſtrorum cædes. Veronenſes ſuperati, & à Fran-

ciſco

ciſco capti. Ioannis Galeatij in Bernaboum vis. Huius captiuitas. Franciſcus ſuis inſignibus addit Vicecomitum. Peſtis Mantuæ atrox. Vicecomitis ac Carrarij bellum.

AD externos rumores Italis Principibus obuerſis, Roma quoq; ſeditione non caruit: Cum viliſſimo cuiq; abſente Pontifice, fas eſſet populum agitare. Franciſcus Baroncellus vili è plebe, ad Scribæ dignitatem ambitione prouectus, ſeſe Romanis rebus arbitrum, & ſi fortuna affuiſſet, etiam toti Italiç præficere, non vili animo cogitauerat. Cauſa, turbatæ res, & cuicunq; audaciori paratæ. Is Tribunitio nomine, Senatores Columnam & Vrſinum amolitus, ſumptoq; imperij iure, nullo nobiliorum in conſcientiam vocato, ſummam potentiam agitabat: Credebaturq; in tantâ rerum confuſione, ſtabile imperium quæſiturus, niſi inchoantem potentiam, opportunitate remedij Innocentius peruertiſſet. Longâ iam cuſtodiâ Nicolaus Renzus (de cuius faſtu ac vanitate ſupra retuli) ſeruabatur; quiq; à Carolo quarto ad Clementem oneratus cathenis miſſus fuerat: Is decoro facinore, præteriti flagitij magnitudinem æquare cupiens, vbi Pontificem duce, & qui rem arduam exequeretur, carere nouit, audiri poſtulauit: docuitq; minorem Baroncello quàm ſibi prudentiam, cognitionem rerum, amicitias eſſe. Proinde ſi Pontifici videatur, pacto libertatis, ſe ad extremum ſpiritum in fide manſurum; & Vrbem Romam purgaturum; vilemq; ſeruum, aſtu & vi, in ordinem reducturum. Inutilis Nicolai Renzi mors, ac cuſtodia credita; vt qui æquales, non potentiores præuenire poſſet. Ergo promiſſis oneratum Romam pergere, & tumultuantem ſcribam coërcere iubetur: datis mandatis quibus nobilitas, & plebes obtemperarent. Baroncellus vbi Renzi aduentum, cauſamq; accepit, multis è plebe aſſumptis, Capitolium præſidio firmat; adſcitiſq; quibus idem animus, & in turbido omne conſilium, iam in iuſti exercitus formam, ſeditioſos compoſuerat. Formidabile Renzo principium, ſi Baroncello nobilium virorum fauor, in ſuis aut in externis conſilijs pondus affuiſſet. Sed qui ſequebantur, ante turbas maiori, aut pari auctoritate vſi, ipsâ in ſeditione, eandem vim, aut (quod minimum) proximum ſeditioſo ius vſurpabant: vt plures duces, non vnus crederetur; nec quæ mane iuſſiſſent, veſpere manerent. Renzus ad Senatores delatus, aduentus ſui cauſam, literaſque à Pontifice promit: Et (quod dictu mirum) illicò paruêre; licet nobilibus committi ſimilia magis ex vſu crede-

Franciſcus Baroncellus.

crederetur; pro quibus opinio, auctoritaſq; decertant. Deſcripta nihilominus quinq; hominum millia, & aduerſus Capitolij aciem deducta, duce Rẽzo ſunt. Obſeſſi initio minitantes, vbi multos ſuccedere, nullum aliud ſibi auxilium, plures hoſtibus acceſſuros metuunt, animos demiſêre. Nec enim odio aut amore, ſed tantùm communione in bellum tracti fuerant. Barõcellus vbi perditas res, rarum circa ſe militem, nec qui aderant, ſatis dicto aut voluntati competere videt; Capitolio elapſus, Ciuitatis latebris tutari ſeſe, & fugâ ſaluti conſulere parabat. Sed aderat Renzus, voce, manu, imperio infeſtus; elapſumq; circa fori medium aſſecutus, confoſſumq; ſuorum mucronibus, toti Vrbi oſtentui propoſuit. Amoto per virtutem æmulo, Renzus ſummam potentiam affectare, & Columnenſibus aduerſum ſe præbere cæpit; prætextu collatæ ab Innocentio auctoritatis, & veterum morum retinens; quos ne longo quidem carcere exuerat. Sed Principes familiæ, numero, opibus, exiſtimatione, nobilitate ſummum ad faſtigium euectæ, vilem hominem aſpernari primùm, mox vitare, ad extremùm imperium detrectare. Quod ille flagitium ratus, dum armis imperium ſibi

Barõcelli & Renzi mors.

adſtruere, & potentiam circumferre parat, occiſus eſt. Sic vtrcq; turbido Ciuitas liberata, Pontifice medio, ad Coſſ. iterum reuertit. Sunt qui Columnenſes in mandatis à Pontifice habuiſſe credant, quando Baroncellus cecidiſſet, excidium Renzo quoq; pararetur: vt prudentiâ & rerum cognitione, ita flagitijs præualido. Aegidius interim Pontificis iuribus intẽtus, & recipiendis Caſtellis, quæ diſtracta fuerant, aſſiduus erat. Sed in vniuerſum ſeditiones non depoſuerant, & amico Cæſare Italiæ inducto, credebantur finem habitura, quæ plures annos miſerrimum Regnum lacerauerant. Proinde Innocentius legatis, ac literis, Carolum Imperatorem monebat, veniret; & diadema regium, Cardinalium manu, in Vrbe, ac Mediolani ſumeret; ſeſe ſuis oſtentaret, pacemq; auctoritate, & præſentiâ firmaret. Vnus è Vicecomite metus videbatur, quem aduentanti Imperatori inimicum futurum, vanis rumoribus circumferebatur. Haud diu-

1354. tius immoratus Carolus, vnâ cum coniuge, & nobilium virorum ingenti

Carolus Imper. in Italiã

comitatu, ſalutis Milleſimo tercenteſimo quinquageſimo quarto, in Italiam venit: Quidam quinquageſimum quintum habent. Primus Patauium acceſſus fuit, vbi à Carrarienſibus amicè exceptus, pecuniaq; donatus, paucos dies inſumpſit. Mox Mantuam diuertit. Nam Gonzagi literas, ora-

Et Mantuã.

toreſq; miſerant, Vrbem, ſubditos, opes offerentes. Vbi Imperatorem Italiæ imminêre Vicecomes accepit, iamq; Patauium ingreſſum, Dominum & agere, & recipi nouit; depoſitâ inquietudine, quæ vniuerſos delaſſauerat, pacem & compoſitas res prætulit. Auxerat formidinem; quòd domeſticis, & propinquis inimicitijs illigatus, potentiorem prouocare non auderet. Et erant qui per ſecretum docerent, vniuerſas Cæſaris vires in Mediolanum flecti; nec niſi obſequio, imminentem poſſe retineri. Vicecomitis modeſtia modicam Aloyſio pacem, ſine ſuſpicione tulit. Quò ſplendidior apparatus fuit, collatis in hoſpitalitatem, quæ bello deſtinabantur. Nobilium præ-

cipui

cipui; quiq; Aloyſium aut familiâ, aut affinitate contingebant, feſtu ornatu obuij, cum Principe ſuo, Cæſari proceſsêre; fauſta omnia, & felicem ad ſuos reditum precantes. Vrbs omnis quamuis medio noctis, diſpoſitis per regiones facibus, diurnum lumen æmulabatur. Circa fora ac templa, educti Arcus, Trophæis ac Imperij inſignibus fulgentes, Aloyſij munificẽtiam, Caroli gloriam præferebant. Plena Vrbis itinera inſolitis habitatoribus: Epulum plebi paſſim miniſtratum; & in vulgum iacta miſſilia; nequa ciuium pars ſine lætitiâ eſſet. Hæc publico; ſed plura per ſecretum & otium agitata; quibus Aloyſius firmandis rebus ſuis vſus, immortale decus familiæ, Cæſari famam gloriæ comparauit; vt in tempore referemus. Iam Scaliger, Gonzaga, Eſtenſis, ac Põtificius legatus fœdere nexi Vicecomitem armis propulſabant: ſiue ſingulorum eæ, ſiue Cæſaris vires eſſent, ſiue ſic iuſſiſſet. Sed Mantuano in agro, vniuerſa præliorum tractabantur. Et Eſtenſis grauiter à Vicecomite læſus, ſatis ſibi fieri ab Imperatore poſcebat. Ille pecuniâ ac milite inſtructus, & à tergo ſubſidia proſpectans, temnebat minas; & aliena quoq; ambibat. Vanam æmulantium concordiam, irritos Cæſaris conatus appellans; quem ſuſcitandæ intra Germaniam ſuorum ſeditiones eſſent ab incepto reuocaturæ. Caſtra Bernabous haud procul Regio, miro opere extruxerat (Baſtiam dicebant) quæ milite, armis, commeatu ita inſtruxerat, vt quamuis validam oppugnationem irriderent. *Baſtia Vicecomitis oppugnatur.* Conſilium Eſtenſis dederat, vt vniuerſæ confœderatorum copiæ, Burgofortum Mantuanum deducerentur: Quòd inde facilis Baſtiæ oppugnatio eſſet. Et Padus ipſe forti claſſe partium tenebatur. Sed res altius penetrabat; quærebatq; alienos in campos vaſtitatem inferre; quam ingruente, & diutius tracto bello ſuccedere nouerat. Aloyſius ac Guido filius, ſimulantes quàm eluſi, conſilium non abnuêre: docto ante Cæſare, quæ vires hoſtiũ, qui ſitus, quid ab Eſtenſi tali conditione pararetur: Nec enim adhuc deploratam Regij recuperationem crediderat; ſenili animo, honeſtis, non vtilibus proximiori. Viginti armatorum millia Burgofortum conuenêre: Aderatq; Cæſar aduerſus Bernaboum, præmiorum gloriæq; oſtentator, ſi viriliter dimicaſſent. Sed Mediolanenſis miles, nullâ neceſſariæ rei indigentiâ laborans, acrior, & vigilantior munimenta ſeruabat: inter oppugnationes infractus; & per quietem (ſi quæ obueniſſet) futurorum prouiſor. Medio conatu orta tempeſtas, tantis imbribus vndequaq; erupit, vt Padus ſumma aggerum quibus coërcetur, æquaret. Qui cum Eſtenſi erant, fractis aquarum repagulis, molem omnem exundantis effluuij, in Baſtiam vertêre; vt eo ſaltem hoſtium peruicaciam frangerent. Sed Mediolanenſium labore, cura in irritum ceſſit: Dum irrumpentes vndas, apertis alijs ductibus auertunt; & effoſſis aggeribus, in Serralium Mantuanum vim omnem effundunt. Magna ea clades villis, ac toti exercitui fuit: Dum lubrico paludum inſiſtere, infectos cœno cibos diuidere, & humido etiam per noctem cubare, peiorum expectatione coguntur. Metuebantq; ne expeditus, & affluentiâ vigens præſidiarius irrumperet in aduerſos, vigilia, fame,

ac

ac frigore confectos. Sic ommiſſa oppugnatio; & doctus Imperator, etiam Italis aduerſus Cæſares vires; nec Italiam niſi ab Italis capi poſſe, & interno ſanguine. Gratum Bernaboo accidit, Carolum bello diffidiſſe, & Mantuam reuertiſſe. Quippe per intermiſſam contentionem, nouo milite ſupplere copias, & commeatu Baſtiam inſtruere licuit. Cæterùm quamquàm viribus animiſq; infractus Vicecomes, Pontificis, Cæſaris, magnæ partis Italiæ iras contemneret; fortunæ tamen inconſtantiam veritus, Bauaro Duce conſanguineo vſus, ſecretò cùm Imperatore, de conditionibus pacis agitare cœpit. Ne aut nimius in conſilijs belli eſſe, aut honeſtam pacem aſpernari videretur. Tranſacta res leui negocio: quòd flagrantiſſimè Cæſar cuperet, Vicecomes optaret, Aloyſius per ſecretum promoueret. Totius forma fuit; relinqui Gonzagis Baſtiam, toto agro Mantuano, quidquid externi militis, aut confederati erat amandari, Carolum ſumendo Diademati in Vrbem properare. Sed ille Aloyſij munificentiâ detentus, dies aliquot reficiendis ſuorum viribus impendit. Quod Gonzagorum rebus incrementum tulit, Vrbiq; decus addidit. Nam & vetera Ciuitatis iura, quibus vſos Ciues, prædeceſſorum beneficio nouerat, nouo Diplomate firmauit; Ne cum plura in Gonzagos tranſtuliſſet, minus Ciuitati munificus diceretur. Mox ad Gonzagos verſus, vniuerſos Aloyſij poſteros, perpetuos ac generales Imperij Vicarios eſſe voluit; non Mantuæ ſolùm, ſed & ijs in locis, quæ Regienſi, Cremonenſi, Veronenſi, ac Brixiano agro decurſu temporum poſſediſſent. Quod quia nobiliſſimæ familiæ gloriam, & Imperij decus tollit, hic ſubijcimus.

Pax Imper. Bernaboo, Aloyſio.

Carolus Dei gratiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Boëmię Rex, omnibus in perpetuum, &c. Ad hoc nos Diuina clementia, per quam Reges regnant, & terrenæ dignitatis gloria, Principatu in ſtatu Celſitudinis ſublimauit, vt bonorum gratiæ nobis attributæ fœliciter, radios ſpargamus in ſubditos; Et vitis noſtræ copioſæ, quæ in nobilitate largitionum non deficit, ad eorum iuſta deſideria propagines extendamus. Sanè Nobiles, Guido, Philippinus, & Feltrinus filij, nobilis Loyſij de Gonzaga, noſtri & Imperij fideles dilecti, Serenitati noſtræ cum inſtantia ſupplicarunt; quatenus eis pro ſe, & eorum, & cuiuslibet eorum hæredibus, & ſucceſſoribus maſculis, ex eis in perpetuum legitimè deſcendentibus: Ita & taliter, quòd vno ex eis decedente ſine legitimis hæredibus, alij ſuccedant alternatim, & ſucceſſiuè in totum, merum, & mixtum imperium, gladij poteſtatem, & pleniſſimam iuriſdictionem; & omnia Regalia quæ ad nos, & Romanum Imperium pertinere noſcuntur, in infraſcriptis locis, poſitis in Diœceſi Mantuanâ; Videlicet in Inſulâ Reuere, Sermido, Quiſtello, & ſuis curijs: Et in omnibus Villis, & locis, poſitis inter Taiatam & Padum veterem; & in aquâ Padi; & ripis eius ab vtraq; parte Fluminis, per totum diſtrictum Mantuanum: Videlicet à Bucha Olei, vſq; in Buranam viuam, & vſq; Vezanum; ſaluo omni iure Epiſcopatus Mantuæ in aquâ prædictâ, in Feudum, & ad vſum Feudi, de Regali munificentiâ, & propria liberalitate, &

Caroli Imp. priuilegium Gonzagis cõceſſum.

Padi vtrãq; ripã cõceditur.

ex

ex certâ ſcientiâ, concedere dignaremur. Eximentes & liberantes, dicta loca, & quodlibet eorum, & Curias ipſorum, ab omni iuriſdictione, & poteſtate, quibus communitati Ciuitatis Mantuæ, dicentur adſtricta, vel modo quolibet obnoxia, vel ligata. Et noſtro Regali edicto, & certâ ſcientiâ decernentes ea, & quemlibet eorum, & Curias ipſorum immediatè Romano Imperio ſubiacere; & eximentes ea à cuiuſcunq; ordinarij poteſtare; ſaluo ſemper iure Feudi antedicti. Nos itaq; ipſorum fidem, & deuotionis conſtantiam, ac alia probitatis & virtutum inſignia, quibus apud Maieſtatem noſtram commendantur, multipliciter attendentes: Et volentes etiam eorum ſupplicationibus, in hac parte, animoq; concurrere gratioſo; præfatis fidelibus noſtris Guidoni, Philippino, & Feltrino, & eorum cuilibet, per ſe & ſuis hæredibus maſculis, ex eis in perpetuum legitimè deſcendentibus; Ita & taliter, quòd vno ex eis decedente, ſine legitimis hæredibus, alij ſuccedant alternatim, & ſucceſſiuè in totum, prædicta omnia, videlicet: Merum & mixtum Imperium, gladij poteſtatem, & pleniſſimam iuriſdictionem, & omnia, & ſingula, quæ ad nos, & Romanum Imperium pertinent in prædictis locis, videlicet Inſulâ, Reuere, Sermido, Quiſtello, & ſuis Curijs; & in omnibus Villis, & locis poſitis inter Taiatam, & Padum veterem; & in aquâ Padi, & ripis eius ab vtraq; parte Fluminis per totum diſtrictum Mantuanum; Videlicet à Bucha Olei, vſq; in Buranam viuam; & vſq; Vezanū; ſaluo omni iure Epiſcopatus Mantuæ in aquâ prædictâ. Et Imperiali auctoritate ſuffulti, de Principum, & aliorum Procerum noſtrorum conſilio, & conſenſu, in Feudum nobile, & ad vſum Feudi, ad honorem & exaltationem Imperij; & eo titulo, quo ad Sacrum Imperium pertinere noſcuntur, concedimus de Regali munificentiâ, & propriâ liberalitate: & ex certâ ſcientiâ condonamus: & eos, & quemlibet eorum de dicto Feudo, per ipſorum apprehenſionem manuum inueſtimus. Eximentes & liberantes dicta loca, & quemlibet eorum cum omnibus pertinentijs ſuis, ab omni iuriſdictione, & poteſtate, quibus Ciuitati Mantuæ dicentur adſtricta, & obligata. Et noſtro Regali edicto, ex certâ ſcientiâ decernentes, dicta loca, & quemlibet eorum, cum pertinentijs ſuis immediatè Romano Imperio ſubiacere: Et ea eximentes à cuiuſcunq; ordinarij poteſtate, ſaluo ſemper iure antedicti. Et prædicta omnia & ſingula concedimus, ſtatuimus, & decernimus: non obſtante l. Nec damnoſa. Et l. Quotiens, & l. Reſcripta., C. de præ: Impe. off. Et l. præſcriptum. Et l. omnis, C. ſi contra ius. vel vti: pub. Et l. fac. Et l. fi. C. de diuer. reſcrip. Et in Auth. Vt diuinæ iuſſiones habeant ſubſcripr. building glorioſiſſimi Quæſtoris: Et vt nulli iudicum liceat habere loci conſeruatorem. Et generaliter omnibus alijs legibus, & conſtitutionibus communibus, vel municipalibus. Quibus in quantum prædictis, vel alicui prædictorum obſtarent, in hac parte dumtaxat, & non vltra, ex certâ ſcientiâ eſſe volumus derogatum. Volentes ac Edicto perpetuo, vniuerſis & ſingulis principalibus, Illuſtribus Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, Militibus, Clientibus, Poteſtatibus, Iudicibus, Communibus,

Giui-

Ciuitatum, & aliorum locorum quorumcunq; Cæteriſq; magnis vel paruis perſonis, diſtrictius inhibentes expreſsè, ne quis ipſorum, memoratos fideles noſtros, vel quemlibet eorum, ſeu alicuius eorum, hæredes aut ſucceſſores in præmiſſis, vel aliquo ipſorum, vllo tempore impedire, aut moleſtare præſumat, Vel hanc noſtram conceſſionis paginam infringere, aut ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem noſtram Regiam, & pœnam Centum Marcarum auri optimi componendarum ſe nouerit incurſurum. Quarum medietas fiſco noſtro Regali, reliqua medietas fidelibus noſtris prædictis, ſeu eorum ſucceſſoribus veniat applicanda. Decernentes ex nunc prout ex tunc, irritum & inane, ſi ſecus à quoquam, contra prædicta, vel aliquod prædictorum quicquam fuerit attemptatum. Super quibus omnibus & ſingulis taliter in feudum conceſſis, à memoratis Guidone, Philippino, ac Feltrino tunc præſentibus, in formâ conſuetâ, noſtro & Sacri Imperij nominibus præſtitum corporale recipimus ſacramentum. Concedentes eiſdem, & ſucceſſoribus eorundem, quòd ſufficiat eis ſemel in vitâ ipſorum, præſtare fidelitatis ſacramentum, pro Feudo antedicto noſtro tantùm, & Imperij, & aliorum cæteris iuribus in prædictis omnibus ſemper ſaluis, Præſentium ſub noſtræ Maieſtatis Sigillo, teſtimonio literarum.

Datæ Mantuæ Anno D. à Natiuitate Milleſimo tercenteſimo quinquageſimo quarto, Septimâ Indict. Quarto Calend. Decemb. Regnorum noſtrorum Anno nono.

Ego Ioannes Dei gratiâ Lutomuſchlenſis Epiſcopus, Aulæ Regiæ Cancellarius Vice Reuer. in Chriſto Patris D. Grilli Colonien. Archiepiſcopi Sacri Imp. per Italiam Archicancellarij recognoui, &c.

Ad relationem D. Ioannis Epiſcopi Lutomuſchlenſis Cancellarij.

Ioannes de Aretio.

Id quidem ita habet: Quamquàm neſcij non ſimus, diuerſitate Scribentium vniuerſa collationi temporum non conuenire. Quippe Filippini, Aloyſij filij exitum, Feltrini quoq; æmulatum, poſt Caroli donationem pleriq; referunt. Imo & Aloyſij parentis finem nondum indignato Feltrino quidam autumant; prout, diuerſa tradentium ſententijs inſiſtunt. Sed eo à nobis ordine reddita ſunt, quo deprehendimus; licet cætera nō reſpondeant. Archiua certè Romanorum Imperatorum, & Mantuæ Ducum, ſupradictam donationem continent, eò certiorem, quòd Caroli tempora Aloyſij æuum incurrant. Motus Feltrini Caroli munificentiam ſubſecutos (quamquàm inuerſo ordine à nobis, qui M. S. ducimur traditos) id præcipuè peruincit; quòd nullâ flagitij memoriâ, filij omnes ſuperſtites in Feudum vocentur; parente, & integris in fide filijs non reclamantibus. Monuiſſe lectorem placuit, ne obliuio, aut corruptela accuſentur. Nullum amplius in Gonzagos ob Bonacolſos odium ſupererat; quòd iure interempti crederentur: Tantùm Reipublicæ amor, & amiſſorum iurium deſiderium quoſdam agitabat; incautos non infenſos diceres. Hi cuicunque facilem Carolum

aggreſſi;

aggreſſi; non ſuperbiam, aut ſæuitiam Aloyſio, filijsq́; ſed Reipublicæ opibus auctas ſingulorum fortunas queſti ſunt. Cui enim ignotum eſſe, Bonacolſos pleraq; vectigalium, quæ Senatus arbitrio tractabantur, in Fiſcum ſuum tranſtuliſſe? Nec tamen inter ciues iſta, ſed publicæ commoditati impendi ſolita. Poſt exactos aut cæſos Tyrannos cuncta ad Gonzagos flexiſſe: Pontes, vias, fluminum aggeres, & ſi quæ neceſſitati, aut ornatui parantur, contributione ciuium ſeruari. Portuaria ijs expenſis deſtinata ad Dominos abire. Mox orare, vt calamitatum ac diſpendiorum, quæ longo & difficili bello paſſi forent, miſeraretur. Cæſar altius petitâ memoriâ, ſingula à Senatu, & populo Bonacolſis conceſſa deprehendit, ab his in Gonzagos traducta. Ferme nugas, & quæ nullo pondere ſint, vulgum perſtrepere. Nec tamen odium in cauſâ, ſed primam temerarij vocem eſſe, querentis, quod ignoraret, nec læderet. Proinde ſpeciali diplomate Gonzagis adiudicauit, quæ de Republicâ Bonacolſi habuerant; & vniuerſum eorundem patrimonium, vt fidiſſimis dono elargitus eſt: Ne optimè de Imperio meriti Principes conſcientiâ eorum quę tenuiſſent, vrgerentur: Quodque bonâ Principis fide conceſſerat; Ratisbonæ ſcripto firmauit; Decimo quinto Cal. Iulias. Indictione ſeptima, Anni eiuſdem. Creditus quin etiã Cęſar iure largitus: ſiue Tyrannorum diuitiæ in ſupremum dominũ abeunt, ſiue extinctâ familiâ, Fiſcus, vt parens omnium, ſuccedit hæreditati: Niſi etiam inclinantem Imperatorem ſponte ciues voto ſubſecuti. Quaſi id gloriæ queſiuiſſent, vt à ſuis Gonzagi reciperent, ipſi largirētur. Eſtenſis Aloyſio minus fidens, quem tot dies præſentem habere nouerat, accepti à Vicecomite Regij (vt quidam tradunt) anxius; tacitè cum Carolo, internuncio Paulo Lodio egit; vt acceptâ ingenti pecuniâ, ſua repoſcentem Aloyſium, reprimeret: aut ſi tantâ in amicum caritate eſſet, non adempto ſibi Regio, alia in vicem Gonzagis largiretur. Sed præ cæteris metu inuidiæ, aut calumniæ Cæſar angebatur; ne qui pacem Italiæ præſtiturus aduenisse credebatur, flagitij & euulſi Regij famâ diſtraheretur. Ergo tamquam voluntati ſuæ, meritis, ac nobilitati familiæ minus ſatisfeciſſet, Feudi honorifici ac perpetui nomine, Aloyſio, filijs, ac hæredibus, conceſſit Inſulam Reueri, quæq́; longo Diplomate complexus fuerat. Et ne Orientem, aut meridiem ſolùm, Mantuanus campus proſpiceret; prolatare terminos in vtrãq; partem voluit: Vt maieſtati Vrbis ager latitudine, ac longitudine circumcirca reſponderet. Sic conceſſa Carpeneta, Caſtellum, Caſtellarum, Bibianellum, Roſemantum, Piolum: quibusq́; olim Iacobus Torellus, Salinguerrę Torelli Ferrariæ domini filius potiebatur, & quæ Imperio deuoluta cenſebantur. Nec donationi finis: Addita ſiquidem Gonzaga (ſiue in pace, ſiue in quæſtione haberet) cui neſcitur quid iuris Caſaloldi Comites prætexerent. Bondenus de Roncore, Lonatum cum adiacentibus campis, Palazolum, Caſtora: nec non Comitum inſula in Benaco. Poſtremò Goitum, Solfarinum, & Caſtrum Mantuanum. Vt crederes Cæſarem munificentiâ, cum Aloyſij ac filiorum modeſtiâ decertare. Cuncta edictis ac

Ciues murmurant cõtra Gõzagos

Fruſtra.

Donatio bonorũ quæ Bonacolſi tenuerunt.

Carolus plura concedit Aloyſio.

priuilegijs firmata, vt certa donationibus fides ſubeſſet. Gliſcebat interim Aloyſij potentia, & exiſtimatio, viribus non inferior. Nec præſentia magis quàm futura æſtimabantur. Magnas vires Cæſaris, magnamq́ caritatem in Gonzagos; quâ conceſſerit, quâ foret ſeruaturus. Nec tantùm Caſtrorum numero, & camporum latitudine; ſed eâ gratiâ eſſe, quâ ſatis ſit deſiderare, & multò facilius, quàm accipere. Eas Imperio amicitias, id roboris ineſſe, quibus ſuſpiciatur vterq; : & Gonzagos eo ſubſidio; Cæſares auxilio profecturos. Ceſſiſſe Vicecomitem, vt in reliquos exemplum eſſet. Nec pacem ipſi niſi eo pignore conceſſam; vt in potentiâ pares Cæſari, ac Gonzagis rationes forent. Augebantur hæc ſermonibus vulgi, præſentia pro perpetuis, & nîl niſi quod recens ſpectatetur, in ſolido iudicantis. Guido veteres ſubditos, quosq; tum primùm à Cæſare acceperat: comitate, & miſſo Vgolino filio ſibi deuincire, etiam additâ munificentiâ ſatagebat. Non enim à Scaligero & Eſtenſi; non à Vicecomite, aut Legato Apoſtolico, plus fidei aut amicitiæ, quàm ſingulis expediret, opperiti poſſe crediderat: Et præſens ſuorum caritas, futuri munimento quærebatur. Contermini, & Dominorum pietatem coram experti; ſiue ſui iutis, ſiue alieni eſſent, inſerere ſe potiorum fortunæ; & excutere veteres ac exoſos Dominos agitabant, vt Gonzagis parerent; tolerabili & facili imperio; quodq́; ad libertatem proximè accederet. *Aſola ſe Aloyſio tradit* Sic Aſola Brixiani agri nobiliſſimum municipium; cui nec opes, nec iuuentus, nec munimentum aduerſus potentio- 1355. res, & alienis inhiantes, ſuffectura putabantur; ne Tyrannorum alicui præda foret; & quò parabilem apud Aloyſium gratiam præueniret; aut conſcio, aut non abnuente Carolo, Aloyſio ſe ac ſua, in tutelam permiſit. Mitius imperium rata; & eò magis quòd ſponte, non coacta acceſſiſſet. Miſſus etiam totius populi nomine, qui poſſeſſionem offerret, honeſtisq; conditionibus recipi oraret. Haud immoratus Vgolinus, quingentis peditibus inductis, præſidium Arci impoſuit: Siue metu pœnitentiæ, ſeu externarum inſidiarum prætextu. Sed ante alios Scaliger oſtendebatur. Aegrè id Ciues tulêre; quòd per vim, quàm ſponte haberentur; offenſiq́; potius, quàm queſti ſunt. Solandos tamen Guido cenſuit: Et miſſo rurſum Vgolino, inſatiabiles Scaligerorum ſpes, & inexpletum dominatione Vicecomitis animum cauſatus; vbi rumores partium conquieuiſſent, quos impoſuerat, ſe amoturum promiſit. Siluêre; metuné, an prudentiâ (quòd obniti non liceret) incertum. Sed iam Principes Electores, partim in Germaniâ adminiſtrationi à Carolo impoſiti, partim venientem in Italiam ſecuti, continuis queſtibus, vt reuerteretur præcabantur. Plus Imperij in Germaniâ, quàm Italiâ eſſe; maiorem turbatæ quietis iacturam ſi obueniſſet: Poſſe minimam Prouinciam per Vicarios haberi: Conſulendum immenſo Regno, cuius fortunæ, cætera innitantur. Donec vtilem donationibus ac præſentiâ Aloyſius expertus eſt, prece, muneribus, conſilio retinuit. Vbi expleta neceſſitas, & hoſpitalitas oneri fuit, medium ſe procerum obtulit vt regrederetur, peruicitque. Ergo Mediolanum ferreæ coronæ cauſâ proficiſcitur.

Hinc

Hinc rectà in Vrbem contendit; leuibus motibus compoſitis auctoritate, aut repreſſis. Mox Romæ duorum Legatorum auctoritate Cæſareo inſigni decoratur. Paucoſq; dies immoratus, Germaniam petiturus, iterum Mantuæ dies aliquot conſedit; cogendæ per Italiam pecuniæ deſiderio, nimius. Sed antequam Alpes traijceret, quando longior æſtas arridebat, Sacroſancti CHRISTI Sanguinis viſendi amore tactus eſt. Et pridem deſiderauerat; ſed multitudo curarum abſtraxerat. Nec tamen die medio, reſeratis ſacrarij valuis, Regina reliquiarum Orbis publico vulganda erat; ſed nox, & pauci familiarium electi ſunt. Sic Imperator, Ludouicus, & Franciſcus Guidonis filij, Laurentius Eccleſiæ Abbas, Andreas de Goito Prothonotarius Apoſtolicus, ac Principis familiæ Secretarius, effracto per ſummum ſilentium muro, admiſſi ſunt. Nec hìc quieuêre; Arcam quippe D. Longini Martyris cadauere inſignem aperiri placuit, Diuum viſere, eiuſque brachium fidei teſtimonio in Boëmiam aſportare. His alijſq; Aloyſij officijs deuinctus Imperator, cum toto Mantuano diſtrictu, nil aliud quod Gõzagis donaretur occurreret, nec à vicinis detrahere quidquam, citra iniuriam poſſet; vt ſaltem nobilis hoſpes, cæteros honore anteiret, pignuſque caritatis perpetuò manſuræ offerret, Inſignibus Gonzagorum ſua addere, & velut in eandem familiam coïrent, miſcere nobili indulto voluit. Ita bini Leones albi, rubenti ſcuto inſerti. Vt iam Cæſares, & vetera Cæſarum ſtemmata præferentes, Gonzagorum non liceat pœnitere: Ac ſi nobilitate & virtute Regibus æquati forent. Amorem id potius interpretatus eſt Aloyſius, quàm decus. Quòd vetus Longobardorum Regum, & Gonzagorum tercenteſimum ante annum Marchionum Mantuæ ſplendor, reſtitui, non augeri poſſet. Et ſatis manifeſtum erat; non aliud Gonzagos quàm potentiam deficere: Sed maieſtatem, famam, & ſi quæ ſupra reliquos tollunt, in nobilitate habere. Veterem morem æmulatus eſt Cæſar, quo in familiam ac domum, affinitate, meritis, ac virtute conſpicuos arrogabant; nullo Germanæ nobilitatis dehoneſtamento. Quidam primo Caroli in Italiam acceſſu, id Gonzagis conceſſum volunt. De facto non ambigitur; temporum ratio in antiquis plerumq; fallit. Reuerſo in Germaniam Carolo, cum Aloyſium vires, & vita, non animus aut prudentia deficerent; liceretq; in pace, ac per amicum ſenectuti ſecretum, etiam Patriæ prouidere, cultui Ciuitatis animum intendit. Nec enim inter præteritas turbas, & ſecuritati, & amœnitati pariter proſpici poterat. Septentrionem verſus, lato alueo inacceſſa, & graui halitu pernicioſa lacuna erat; inter DD. Petri ac Leonardi templa ſita; & flãtibus Aquilonibus vapor teterrimus forum omne replebat; iturumq; ad Portuenſem, opportebat longâ ambage piſcinam ambire. Ea pars Ciuitatis, diuerſis Epiſcopi caſis tenebatur, ſeruilibus miniſterijs deſtinatis; quòd à frequentato procul eſſet. Abſtractum ergo præſidijs militem, ne inerti otio laſciuiret, aut tempus inutiliter tereret, in Vrbem conuocauit. Duxitq; aggerem, quo terrarum extrema, velut iſthmo necterentur. Lata ac profunda ea palus in ſtadium excurrebat.

Carolus Mãtuæ viſitat Chriſti Sanguinem.

Carolus concedit ſua inſignia Gõzagis.

dictu tamen incredibile eſt, quâ celeritate perfectum opus fuerit. Mille &
quingenti quidem nitebantur, ſed longè humus petebatur, quæ vaſtitatem
æquaret. Ipſe Aloyſius trepido greſſu, & ſcipioni innixus labori ſuorum
aderat, ſpargens in diuerſos æmulationes virtutis, vt inuidiâ vrgerentur:
Inducta ingens limi ac terræ vis, & in collem oblongum fuſa; vnde peruium
Ciuibus iter eſſet, & profundior lacus, ad ſalubritatem proficeret. Medio
aggeris Eccleſia qualem vetus inſtitutum, & ſitus Vrbis requirebat, condi-
ta; erudiendis in pietatem puerulis deſtinata. Sed vt olim pars ea Ciuitatis
diſcors alteri agebat; videbanturq; vt loco, ſic caritate diuiſi; ita in poſte-
ros alienatio animorum tranſijt; Quæ licet viros ad arma non conciret, pue-
rorum tamen indociles animos agitabat æmulatione, & hæreditate ſimul-
tatum; vt ſui iuris vtriq; Eccleſiam profiterentur. Hinc ad iurgia, demum
ad pugnam puerilem ſaxis deuentum, nec ſine ſanguine. Tolerata plures
annos decertatio, ſeculorum acceſſione depoſuit: nè quod voluptati Ciui-
bus erat, in perniciem ac inimicitias cæderet; aut primâ ab iuuentâ diſ-
cordias iraſq; combiberent, in perniciem Patriæ ituras. Creuerat interim
Ciuitas ſitu, accipiendis accolis commoda; & Aloyſij famâ apud exteros;
velut pulcherrimæ Patriæ, optimus Dominus præſideret: Senatuſq; Vene-
tus, in quo non iudicium, non prudentiam deſideres, rebus ſuis expedire
crediderat; ſi potentiâ & nomine validus, munimento nouæ caritatis illi-
1358. garetur. Venêre Legati Mantuam Milleſimo tercenteſimo quinquageſimo
octauo. Exceptiq; generoſo à Principe, eâ demonſtratione honoris ac læti-
tiæ, quæ vtriq; hoſpiti æquè honora erat. Amicitia ac fędus requireban-
tur: Nec aut Aloyſius gnarus Reipublicæ abnuit; aut alienę voluntati ob-
ſtringere ſe poterat; qui plures ante annos, inter Patritios Venetos recep-
tus, Vrbe, & immunitatibus donatus fuerat: Idq; Venetorum Duce Fran-
ciſco Dandolo Milleſimo tercenteſimo trigeſimo altero. Non ingratū Aloy-
ſio accidit, nobilitatem ſuam, etiam exterorum decori accedere; aut inter
eos numerari, qui pluribus ſæculis, prouincijs Regniſq; imperauerint, iuſti-
tiæ ac prudentiæ famâ. Id ſolùm optima Aloyſio exiſtimatio poſcere vide-
batur, vt cum præſenti rectè diſpoſuiſſet, etiam poſteritati conſuleret: Quā-
do ingraueſcens ætas, haut diuturnum vitæ ſpatium, & filiorum ac nepotum
multitudo, diſcordias minitarentur. Pluresiam menſes lecto detinebatur,
celeremq; finem ſuſpicatus, Guidonem filium, cæteroſq; liberorum ac ne-
potum, accerſiri iuſſit anxios quo temperamento componerentur. Ergò
Oratio Aloyſii ad filios iam deficientis. præſentes ſic fertur allocutus. Poſt veterem, & deſpectam prædeceſſorum
meorum nobilitatem reſtitutam, ſublatos è medio Tyrannos, repreſſos ho-
ſtes Scaligeros, ſplendidiſſimis connubijs, & longo in poſterum imperio fir-
matam domum, ad finem propero filij, ſemper dulces, nunc etiam ardui iti-
neris leuamen. Pro Gonzagâ Mantuam, pro Marmirolo, quidquid agri cir-
cumſpicitis, poſſidetis. Magnum, formidandum vicinis, potentioribus in-
uidendum imperium accipitis, nec minus caſibus obnoxium. Non deerunt
vires ac iuuentus in tutelam. Opes mihi quamquàm breui pace compa-
ratæ

ratæ ſunt, quibus etiam aliena exerceri poſſint, ſi concordes degeritis. Diuiſi, etiam leui aurâ raptabimini. Nam dominorum multitudo, vti in concordiâ munimentum eſt, ita in diſcordiâ excidium. Meminiſtis vt tot annos mecum potentiam exercueritis. Sic vos Guidoni morem decet gerere, vt potiorem noſcatis ille vos, ætate præeminere fateatur, caritate antecedat. Ea demùm proficua vtilisq; contentio inter fratres, vbi de amore certatur. Vos Aloyſium patrem, Guidonem Auum, exemplo fortiter actorum, cæteri etiam fortunâ æſtimabunt. Supereſt vt quæ voluerim memineritis, quæ iuſſerim exequamini. Id vnum gratitudinis munus requiro, cum tranſmittam vniuerſa. Vocatisq; teſtamenti tabulis, immortalitatis primùm curam habuit, nobili in egenos largitione. Guidoni filio natu maximo, Ciuitatis, Arcium, ac Villarum, quæcunq; ſibi hæreditate,& donatione Cæſarum contigerãt, curam omnem commiſit. Nepotibus pecunias parcè; & vt futuro proſpiciens diuiſit, inopiam cauſatus: ſed ſenectâ tenax, profundere dedidicerat. Paucos à teſtamento vitæ dies addidit, curis & futurorum metu ſuperatus; ne filij ac nepotes malè concordes, effracto obſeruantiæ vinculo, quod in Auo erat, dominandi deſiderio tumultuarentur. Et quamquàm multa in commune, quæ fraternam pacem ſancirent interieciſſet; ſecreta tamen Guidoni mandata, & aſſeruatam arcano pecuniam conſignaſſe fertur. Ne eo ſaltem incendiculo, qui filiorum ac nepotum ab adminiſtratione arcebantur, inſoleſcerent. Simul legatorum onus in Guidonem incumbebat; quem iuſſis facilem eſſe, & amori conciliando promptum nouerat. Decimâ octauâ Ianuarij, Milleſimi tercẽteſimi ſexageſimi creditur mortalitatem expleuiſſe. Pater illi Guido famâ virtutum celebris fuit; ſed eo præcipuè commendatus, quòd plures annos Senatus ac Bonacolſorum vexationibus eluctatus, prudentiâ res ſuas ſeruauiſſet; Mater de Extrambinis veteri ac illuſtri familiâ; quæ ſenium ſentiens, tum forte occidit. Guido aromatibus conditum, & dies aliquot aſſeruatum patrem adhuc ſuperſtitem iactabat; dum firmandæ dominationi neceſſaria pararet, fratrum, nepotum, ac ciuium animi detegerentur. Vbi tamen ſatis imminentibus prouiſum credidit, vulgari totâ Vrbe parentis finem iuſſit; admiſitq; non ciues ſolùm, ſed & exteros; qui ſupremo ſolandi officio per obſequium fungerentur: Summę potentiæ, ac priuatæ conditionis medius, per manifeſta; per occulta milite ac amicitijs inſtructus. Vnica Vgolini cura erat, qui iuuentâ validus, hûc illûc prouiſu diſcurrebat; comitate ac prudentiâ; ne quid negligentiâ ſolutius obueniret proſpiciens. Sepultus eſt in D. Petri Baſilicâ, marmoreo tumulo, & honores proſequente titulo.

Aloyſii teſtamentum.

Et mors. 1360.

Aloyſius Gonzaga, populi Mantuani Capitaneus, Mantuæ ac Regij Vicarius Imperij generalis perpetuus.

Sed vt rudis dicendi ætas illa erat, inſculpta carmina ſunt, idem ſignificantia.

Egregius miles iacet hoc Aloyſius antro,
Cui Gonzaga genus, quondam te Mantua rexit.
Te Regium manſere Duces, natiq; nepotes.
Sceptra diu tenuit, tandem mors reddidit aſtris
Anni diuini fluerent cum mille trecenti
Sexaginta ſimul, dum lux terſenaq; Iani.

Defuncto Aloyſio, ſuſpenſa Italia, recentem potentiam, fratrum concordiam, Principum ambitum æſtimabat, reputabat, ſuſpectabatur. Et erat pax inter accolas infida, interpretata Scaligeri vota, & ante oculos Vicecomes non ſemel ambitionis manifeſtus. Carrarius inter Pontificem ac Venetos medius, Eſtenſis poſſeſſione Regij inuiſus, vicinio obnoxius; ad extremum procul Imperator, & alienæ dominationis auidos, non ad manus compeſcendi vires. Non inter Guidonis filios æqualitas, aut fides erat. Vgolinus auctoritate, iudicio, paternâ voluntate maior; Ludouicus & Franciſcus, aut inferiores, aut neglecti. Ea diſcordiarum occaſio futura credebatur. Quippe quò plus animorum ac ſpirituum in nobili educatione erat, eò maius dominandi deſiderium ſubeſſe ſciebatur. Quòd ferè obedientia ac patientia innata vilibus; & Principis fortuna longiſſimè ab humilitate diſſideat. Recens & fixa ciuium animis Patriæ libertas; Senatuſq; nomen non adhuc exoletum, apud ſeniores, eoq; linguæ liberioris, obaudiebantur. Nec flagitio dabatur, Ciuitatis ac Patritiorum iura cenſere, promouere, repetere: Et Gonzagi duro Dominorum nomine, quamquàm effectibus placidi, noſcebantur. In hodiernum tenor ipſe animorum, & clementia, maiorum mores æmulata retinentur. Adeo cum Principes, ætate, licentiâ, potentiâ labantur, hanc præcipuè virtutem retinuêre; licet interdum minores, à ſeueris Cenſoribus requirerentur. Inter Gallum, & Anglum Reges acerrima decertatio, nullis conditionibus, aut Pontificijs precibus emollita. Bulgariam & Hungariam, Turcarum Tyrannus, infeſtis armis exercebat; Creta ſuis dominis aduerſa, nec ſemel in ordinem redacta (vt fere Græca libertas ægrè frangitur, & dicto procliuis, facto infida eſt:) Deniq; nihil vſquam quietum, aut belli ſuſpicionibus vacuum. Et Guido quamquàm rerum experientiâ probatus, animiq; fortitudine maioribus ſuis non degener, domeſticis & externis malis ingruentibus, haudquaquam ſuffecturus putabatur; niſi Vgolinus filius preſto fuiſſet; aut filiorum cæteri auxilio adſtitiſſent. Vetus Vgolini auctoritas, & non minor fratrum vis erat; qui Auo defecto, ſeneſcente Patre, munia ciuitatis, armorumq; obiuerant; tanto vulgi fauore; vt ſi quæ ſenes rectè feciſſent, vniuerſa in filios flecterentur. Id Auo Patriq; gratum: vt nacti natalibus ſplendorem, etiam falſis honoribus clareſcerent, nullâ imminutione ſui; nam vigente concordiâ, liberorum decus ſuum credebant, ſuumq; ſponte tranſmittebant. Ipſa Ciuitas etſi officio & ſeruituti parata; fratrum tamen diſcordias inducere, & in cauſam alienam deſcendere poſſe non metuebatur: Ne diſſentionibus amotis, mutuaque caritate deuinctis conſanguineis, vetus

Status Europæ.

vetus odium referre videretur. Singulis tamen ſuus miles, ſuæ amicitiæ erant, quas per ſecretum fouebant; vt mutuæ ſuſpiciones, aut populi indignationes eluderentur. Vbi Guido Feltrini fratris conatus, nullo amplius remedio æſtimauit, frequentibus literis ac nuncijs, Carolum Cæſarem adijt, vt quâ vigebat auctoritate, quæq; Diplomatibus conceſſiſſet familiæ longâ ſeruitute optimè meritæ conſeruaret; nec ſineret fidei ſuorum prę-mia in hoſtes abire. Meminiſſet Vicecomitis potentiæ, quâ olim auſus ſit arma aduerſus Imperium inferre: Eſtenſem Pontifici propiorem; Scaligerum Vicario maiora meditari; ſibi firmam & inconcuſſam diſpendio ac bellis fidem manſiſſe; quam ſit ad extremum ſpiritum ſeruaturus. Conceſſa Regia inſignia, conſtantiæ ſymbolum futura; non vſurum munificentiâ ad flagitium, aut oſtentatione pietatis ad deſciſcionem. Contra Vicecomes ac Eſtenſis præſcribebant; datum quidem Gonzagis Regium, ſed quod ante ſeditioſâ Italiâ flagitio capeſciſſent. Vt fidem, ita ſubſidium ab vtroq; validius, quàm Gonzagis expectari poſſe; Feltrinum familiæ potius, quod iniquo titulo habuiſſet, quàm ſibi ademiſſe. Addidêre prætextui modeſtiam; & quod pro ratione fuit, ingentia munera; cum publico, vires & arma, defenſioni oſtentarentur. Equidem vana ingenij vis eſt, irritæ vires; niſi tempus & occaſio concurrant. Et Vicecomes obnoxium auro Cæſarem, & paratum primæ voci nouerat; niſi poſterior auditus, cum quæſtu eſſet. Id Guidonem ſauciauit; & quando inanes querelas deprehendit, in fratris Feltrini familiam conuertit: Vſus ſæuitiâ, quàm ne poſteri quidem, ſecuti exemplum probauêre. Exiguam enim patrimonij partem Nuuolariam; non magis vt haberet, quàm vt perderet, immiſſis paganis, hoſtiliter aggreſſus eſt, clauſo commercio, populato agro, & immanibus decretis in nepotes inuectus, vt rebelles: Quibus à Ciuium ac nobilium cætu, communione accolarum, ſucceſſione bonorum, velut hoſtes ſuorum arcebantur: Plus ſæuitiæ in Vgolino fuit; qui antiquata pridem in pulſos conſanguineos decreta retrahens, foro ac Curiæ propoſuit; eò atrociora, quòd cum nomina patrui ac patruelis prodidiſſet, familiam tacuit, velut participatione læderetur. Sed vt Vgolinus ſuis viribus, illi alienis ſuſtentabantur; non inferendo Mantuanis bello, ſed propulſandæ iniuriæ. Fęditas tamen fine protectore credebatur. Itaq; immiſſi ſicariorum manipuli, qui iumenta abducerent, ſegetem matureſcentem vrerent, etiam inſidias ſtruerent: Sed aderat Eſtenſis, accepti Regij beneficio, & Vicecomes pactæ pecuniæ rei: Quorum munimine Guido ac Vgolinus, abſtinere vindictâ, & Feltrini reliquias Nuuolariæ, velut in ſuo relinquere coacti ſunt. Nec minus Aegidius Legatus, eandem cauſam, vtili, quàm honeſto propior fouebat: Siue occaſionem bello, ſiue Mantuanæ Ciuitatis poſſeſſionem agitaret. Non iuſſus, à Cæſare, non à Pontifice monitus; ſed vt profectu quocunq; clareſceret. Haud ignarus victoriæ rationem non reddi, capta promptè reſtitui, cum titulo clementiæ poſſe. Guido vlteriora meditantem Vgolinum, ne fruſtra niteretur attinuit; ſpe futuri, & ex tempore beneficij: Simul vt quod neceſſitas erat, pru-

Vicecomes & Eſtenſis Feltrini reliquias tuētur

prudentia crederetur. Ipſe ne relictam à patre potentiam, per vim, & inultis primoribus Ciuitatis exercere, aut precariò imperare videretur; totius populi, ac Senatus, occultis officijs, & mixtis plebi conſultoribus amicis, voluntatem procurabat: Miniſtro ſecretorum Ioanne Aliprando; qui veteris quoq; regiæ peritus, quid in tempore Senatui, & Guidoni expediret apprimè nouerat. Neq; tamen ea rerum moles viſa Guidoni, vnius viribus committenda; ſed cum ſecuritatem in amico, delegatâ operâ teſtatus eſſet, pluribus ſimul intendit; qui eandem cauſam, inuicem ignorantes, ſeorſim concordes, promouerent. Secreto Ciuium, & caprandis validioribus extra Senatum; opportuni Religionis ſectatores, clerusq; creditus: Quorum incuſtoditus acceſſus, irrequiſita negociatio, prætextu ſanctimoniæ fallebat. Hi plurimorum animis adrepentes, innumeros aut in partes traxêre, aut ambigentes firmauêre. Nec tamen pietas deerat; ſed veritatem teſtantes; non alio Domino ſaluam Rempublicam eſſe poſſe profitebantur: Idem arcano pœnitentûm, idem ſacris declamationibus intonantes: Et peruicêre auctoritate, opinione, vi dicendi; vt ſalutare plebi crederetur, quod ipſi docuiſſent. Sed Aliprandus frequenti Senatu, quod à Poteſtate Mantuę Viceſimo primo Februarij, eiuſdem anni coactum fuerat, expoſuit: plurium annorum decurſu vnius imperio Ciuitatem inſueuiſſe: Ita comparatos Senatores, vt vnius dicta ſuſpiciant: Longis & inexplicabilibus bellis diſtractam Europam, non aliud Patriæ perſuadere; quàm vt accepto prudentiſſimo adminiſtratore, qui celeritate, vbi opus ſit, vniuerſis conſulat, omnem curam committat. Viuente Aloyſio ſumptum modeſtiæ, & iuſtitiæ experimentum ex Guidone; qui ſenex cum ſene regnauerit. Et nunc eandem comitatem, probitatemq; promittere plures annos continuatam virtutem; & mores, qui rarò ſenio mutentur. Accedere Caroli Imperatoris voluntatem; qui fidiſſimas Ciuitatum, per Vicarios adminiſtrari velit; nullâ populi aut Senatus memoriâ. Non occaſionem, non vires ſubeſſe obtrudendæ libertati. Imo ſi quid Cæſar indulſiſſet, ſine Vicario non admiſſurum; qui frangat auctoritatem, & conatus dignitatis eneruet. Iam verò non nouam Guidonis diſtinationem, ſed veterem eſſe; eamq; è ſinu ſuo Cæſarem prompſiſſe: Satisq; notam eius in familiam principem voluntatem: Quam Priuilegijs ac fauoribus, non ſemel approbârit. Proinde occupandam gratiam, & perueniendam electione neceſſitatem. Sic vacuum Principem, tamquàm beneficio obſtringi. Nec auerſaturum patrum pietatem, tempori, deſiderioq; congruentem. Reſpōſum conſenſu eſt; eâ integritate Gonzagos eſſe, vt plus commendationis Senatui electio, quam Capitaneo decoris ferat: Eoq; maximè probari; quòd ineſſe ciuibus parem ſummæ fortunæ, conſenſu probetur. Firmandum itaque ſuper Guidonis Capitaneatu Senatus decretum. Nec interponendam moram; quæ diſpendioſior dantibus ſit, quàm accipienti: Et cum plurima ſententijs, & libertate relationum proferrentur; Cæſar Tritapalus imminui auctoritatem, iuris aliquid Patribus, plura plebi concedi poſtulabat: Non vt Guidonis potentia infringeretur; ſed vt accepiſſe meminiſſet; maneretq;

Aliprandus promouet cauſam Guidonis in Senatu.

Qui promptitudine reſpōdit.

ciuibus

Digitized by Google

ciuibus ius nominandi; quod omiſſum facilè in hæreditatem abeat. Gratum Philippini Nuuoloni obſequium Gonzagis fuiſſet; niſi ille metu recentis cum Bonacolſis affinitatis, & deſiderio eiurandæ amicitiæ, viliſſimâ adulatione procurriſſet, libertatemq; Tritapali, vt procul ſeruitute, & ingenuam approbaſſet. Quippe concedenda portoria, credendum militem, deponenda apud Guidonem vniuerſa Patriæ monumenta, legibusq; ſoluendum decreuerat: addideratq; Marchionem veteris in familiâ memoriæ ſtudio appellandum. Repreſſus ab Aliprando itaq; & eradendam actis Senatus ſententiam, tamquàm pro patriâ non Domino eſſet, obtinuit. Pars tamen auxilij fuit; vt cum patres inſolentiam relationis auerſarentur; ne læſiſſe crederentur, promptius Capitaneatum, pro vt Patri ceſſerant, offerrent. Senatus Conſulti forma fuit,

In nomine Domini. Conuocatis, & congregatis ordine Dominorum Antianorum Ciuitatis Mantuæ, & Vniuerſitatis Mantuæ; Et cum ipſis duodecim ſapientibus Viris, ciuibus dictæ Ciuitatis & Vniuerſitatis, in Cortino dominorum prædictorũ, Antianorum. Et ordine ipſorum poſito, iuxta Palatium D. Poteſtatis Mantuę, & dicti communis. De mandato nobilis militis, D. Ioannis de la Mirandola, honorabilis Poteſtatis Ciuitatis Mantuæ. Voce præconis, & ſono campanæ; quæ ſolita eſt pulſari pro dictis Antianis, & ordine congregando, de more Ciuitatis Mantuæ, ipſis dominis Antianis; & ordine & ſapientibus, ad infraſcripta ſpecialiter conuocatis & congregatis. In quo quidem conſilio & ordine, interfuerunt omnes Antiani, quorum nomina ſunt hęc: D. Philippinus de Sauiola, Abbas dictorum Antianorum, D. Federicus de Nuuolaria, Ioanninus quondam D. Lancillotti de Gonzaga, Ioannes quondam D. Philippini de Abbatibus, Ioanninus de Perarolo, Bartholomæus de Zambottis, Blancotius de Nerlis, Minacius de Minacijs, Loyſius de Torellis, Tomaſius à Paga, & Corteſinus de Maorellis. Item duodecim ſapientes, quorum nomina inferius denotantur. D. Rambaldinus de Bruzellis. Bartholomęus de Parmeſaſſo. Criſtagallus ab equis: de quarterio Ciuitatis veteris. Rizardus de Tenca, Albertinus de Mazalis, & Maphæus de Muntibus: de quarterio S. Martini. Item D. Muracius de Iſolelis. Communalus de Folenghis, Hippocaſius de Ferrarijs, de quarterio S. Iacobi. Item D. Geruaſius de Bonagiuſtis. Iudex Franciſcus de Gaido. Petrus de Torellis. Lorenzinus de Donneſmonte de quarterio maiori. Prædictis omnibus D.D. Antianis, & ſapientibus inſimul collectis; ſapiens vir D. Otinus de Picenardis de Cremona, vir peritus, Vicarius dicti D. Poteſtatis, de mandato dicti D. Poteſtatis ibidem pręſentis, expoſuit inter ipſos. Cum Ciuitas, populus, & Vniuerſitas Ciuium Ciuitatis Mantuæ; à longis & longiſſimis temporibus citra; qui ferè attingunt nonaginta annos, continuè fuerit gubernata rectè, & adminiſtrata per vnum Capitaneum, & Dominum, & Gubernatorem Ciuitatis & diſtrictus, & populi & Vniuerſitatis prædictæ; ex quo dicta Ciuitas, populus, & Vniuerſitas, & ſingulares perſonæ, dictæ Ciuitatis & diſtrictus, multa pericula

Hoc decreto.

&

Digitized by Google

& ſeditiones euitarunt: & honores, iura dictæ Ciuitatis, populi, & vniuerſitatis, & ſingularum perſonarum, ſunt plurimùm augmentata pariter & defenſa. Et cum proximis diebus elapſis bonæ memoriæ magnificus Dominus Loyſius de Gonzaga, Ciuitatis Mantuæ & Regij & eorum diſtrictuum, pro Sacro Romano Imperio, ac Carolo Vicarius generalis, electione per populum & vniuerſitatem dictæ Ciuitatis Mantuæ legitimè factâ; qui dictam Ciuitatem & diſtrictum, per triginta annos aut circa, fęliciter & prudenter gubernauit, & rexit & adminiſtrauit, ſit viam vniuerſæ carnis ingreſſus. Ita quòd dicta Ciuitas, populus & vniuerſitas ſunt deſolati & deſolata Capitaneo, & Domino, & Gubernatore conſueto. Ex quibus multa ſcandala, & ſeditiones timeantur in Ciuitate exoriri: Quibus ortis timeatur deſolatio Ciuitatis, populi & Vniuerſitatis dictæ Ciuitatis pariter & diſtrictus. Idcirco Dominus Poteſtas, ex debito ſui officij, volens commoditatibus & damnis & detrimentis dictæ Ciuitatis & diſtrictus, in quantum ſibi poſſibile eſt plenius prouidere, proponi fecit inter ipſos Dominos Antianos, & ſapientes, quid videatur dictis Antianis & ſapientibus, & ordini antedicto, deliberare & ſtatuere, prouidere pariter & firmare de vno Capitaneo & Gubernatore, & defenſore eligendo, in dictâ Ciuitate Mantuæ, & diſtrictu; qui ipſam Ciuitatem, populum & Vniuerſitatem eiuſdem et ſingulares perſonas, & bona ipſorum regat, protegat, gubernet, & defendat. Et ſuper omnibus, quæ ad honorem, ſtatum, & conſeruationem dictæ Ciuitatis, populi, vniuerſitatis & hominum ſingulorum, & rerum & bonorum ipſorum, & augmentum & defenſionem prædictorum ſpectare poſſent, & quæ crederent expedire. Super quibus omnibus & ſingulis, petijt prædictos, ſalubre conſilium exhiberi. Et vt prædicti Domini Antiani & ſapientes forent conſulendo & prouidendo plenius informati, coram dictis Dominis Antianis & ſapientibus fecit legi ad intelligentiam, per me notarium Dominorum Antianorum, infraſcriptum ſtatutum; poteſtatis, & arbitrij conceſſi, per populum Mantuę, dicto quondam Domino Loyſio de Gonzaga: Poſitum ſub rubricâ, de Capitaneatu Magnifici Domini Loyſij de Gonzaga communis & populi Mantuæ Capitanei generalis. Ad honorem & reuerentiam Domini noſtri Iesv Chriſti, & Beatę Marię Virginis, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Andreę, & victorioſi Sancti Michaelis Archangeli, & Beati Lazari; nec non Sacri Romani Imperij, nec non perſonæ & amicorum Nobilis & Magnifici Domini Loyſij de Gonzaga, Capitanei generalis communitatis & populi Ciuitatis Mantuæ, atq; diſtrictus. Statuimus & firmamus, quòd Magnificus Dominus Loyſius de Gonzaga, ſit & eſſe debeat generalis, & perpetuus Capitaneus, &c. Deinde ſubdit factâ propoſitione prædictâ, & multis tractatibus habitis inter ipſos Dominos Antianos & Sapientes: & multis cogitationibus factis in dictâ & ſuper dictâ propoſitione, & ab ipsâ dependentibus & connexis, ſurrexit ſapiens vir Dominus Ioanninus de Perarolo, vnus ex Antianis prædictis, & conſulendo dixit. Patres & maiores noſtri, iam dudum ortis ſeditionibus & ſcandalis, inter populum, ciues, & vniuerſitatem Mantuæ; & homines

homines, & ſingulares perſonas Ciuitatis Mantuæ, & diſtrictus. Ex quibus dicta Ciuitas, populus, & Vniuerſitas, patenter ad diſſolutionem tendebat. Volentes ſibi, & nobis ſuis ſucceſſoribus prouidere, ſtatuerunt ſibi, & dictę Ciuitati, vniuerſitati, & populo, vnum Capitaneum & Dominum, & defenſorem ſingularem; qui iura Ciuitatis & populi, vniuerſitatis & hominum Mantuæ, tueretur pariter & augeret: Et per quem iſtæ ſeditiones & ſcandala tollerentur; & prouideret ne de cætero orirentur. Ex quo multa commoda & augmenta Ciuitati & populo, & vniuerſitati Mantuæ, ſunt exorta pariter & firmata. Media autem ætas vltra proueniens, & experimento cognoſcens vtilitates, & commoda, quæ de dicto Capitaneo, defenſore hactenus erant habita; & ſuis temporibus habebantur; ſecuta veſtigia antiquorũ, regimen, & adminiſtrationem, & poteſtatem generalem & liberam in Ciuitate Mantuæ & diſtrictu, vni, quem Capitaneum & Dominum nuncupauit, commiſit. Nos autem qui hæreditatum & bonorum parentum noſtrorum ſucceſſores ſumus, debemus velle, vt in bonis & hæreditatibus, ſic in virtutibus & veſtigijs, & moribus fieri ſucceſſores. Volentes igitur maiorum noſtrorum veſtigia imitari, & maximè quia in noſtris temporibus experimẽto probauimus, eorum conſilium, & deliberationes fore ſalubres, maximè in hac parte, in noſtrâ Ciuitate, populo, & Vniuerſitate. Et quia bonæ memoriæ quondam Magnificus Dominus Loyſius de Gonzaga; qui erat Dominus & Capitaneus, defenſor, & protector Ciuitatis Mantuæ, & diſtrictus, dictam communitatem, populum, & vniuerſitatem, multipliciter, multiſque modis auxit pariter, & protexit. Et multos labores & diſpendia, vnâ cum filijs ſuis ſuſtinuit pro conſeruatione & augmento dictæ Ciuitatis, & diſtrictus, populi & vniuerſitatis eiuſdem. Vt labores & expenſæ præmijs compenſentur, attentâ etiam prouidentiâ Magnifici Domini Guidonis de Gonzaga, filij quondam Domini Loyſij, Dei, & Beatæ Mariæ ſemper virginis, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli nominibus inuocatis, conſuluit, præfatum Dominum Guidonem de Gonzaga, fore & eſſe & eligi debere, per dictos Dominos Antianos & ſapientes, & conſilium generale, populi & vniuerſitatis ciuium dictæ Ciuitatis, Capitaneum, & Dominum generalem totius Ciuitatis Mantuæ; & hominum, & totius diſtrictus, & populi, ciuium, & vniuerſitatis eiuſdem, cum mero & mixto imperio, & pleniſſimâ iuriſdictione; & cum omnibus commodis & vtilitatibus, priuilegijs, poteſtatibus, ſignoratico, & cęteris omnibus contentis in ſtatuto nuper lecto, inter dictos Dominos Antianos & ſapientes. Ita quòd dictus Dominus Guido, Capitaneus, & Dominus ſic electus, habeat illam poteſtatem & baliam, iuriſdictionem, dominiũ, ſignoraticum Mantuæ, in hominibus & bonis eorundem; quæ aut quam, aut quas, habet ſeu habere poteſt de iure vel de facto, totus populus, tota Ciuitas, totaq; vniuerſitas dictæ Ciuitatis Mantuæ, & ciues eiuſdem. Et quia prædicta non poſſunt ſortiri iuridicum officium, niſi in Conſilio generali Ciuitatis & populi Mantuæ; prædicta proponantur, deliberentur, & formentur, & decernantur; conſuluit quod in dicto generali conſilio, prædicta proponan-

ponantur, & ibidem formentur, & approbentur, & decernantur; decreto, conſtitutione, & ſtatuto in perpetuum valituris. Et quòd in generali conſilio prædicto, eligantur & fiant tres Sindici; videlicet Dominus Poteſtas, Dominus Philippinus de Sauiola Abbas Antianorum, Ioannes de Abbatibus, vnus ex Antianis. Qui omnes & quilibet ipſorum, inſolidum habeat & habeant, generale & liberum & ſpeciale mandatum, cum plenâ generali ſpeciali & liberâ adminiſtratione & poteſtate, præſentandi dictum Capitaneatum & dominium, dicto Domino Guidoni, nomine & vice dictæ vniuerſitatis, modo & ordine ſupradicto. Et prædicta omnia & ſingula, habeant vim & poteſtatem legis municipalis Ciuitatis Mantuæ: Et pro lege dictæ Ciuitatis debeant obſeruari. Et in libris ſtatutorum communis Mantuæ poni & ſcribi. Item cum graue ſit, & quia impoſſibile totum populum Ciuitatis Mantuæ, conuocari & congregari: & plures accidant caſus, in quibus dicti populi & vniuerſitatis deliberatio, voluntas, & auctoritas ſit neceſſaria; & ex hoc magna damna inſurgant Ciuitati ex hac cauſâ; & meliori conſilio peraguntur negocia Ciuitatum, per paucos prudentes & expertos negociorum, quàm per multitudinem, quæ indocta & inexperta eſt. Et plerumq; clamoribus, aut pretio fortaſſe, aut gratiâ excitata, moueri ſolet; conſuluit quòd per conſilium generale, Ciuitatis & populi Mantuæ, detur poteſtas & auctoritas, & balia dicto Domino Guidoni Capitaneo, Domino, & defenſori eligendo; & ordini Antianorum eligendi, centum homines de ciuibus Ciuitatis Mantuæ, de nobilioribus & ſapientioribus dictæ Ciuitatis, & vniuerſitatis ciuium prædictorum; qui in omnibus quæ ſpectant ad Ciuitatem, populum, & vniuerſitatem ciuium Mantuæ habeant illam baliàm & authoritatem, arbitrium & poteſtatem, quam habet totus populus, totaque ciuitas, & vniuerſitas ciuium Ciuitatis Mantuæ, in Ciuitate Mantuæ, territorio & diſtrictu, hominibus, bonis, & rebus omnium prædictorum. Et quidquid per dictum conſilium Centum ſapientum, & officium Antianorum deliberatum & confirmatum fuerit, aut ſtatutum, aut decretum, ſit firmum & ratum, & pleniſſimum habeat robur; & ſit lex municipalis, dictæ Ciuitatis Mantuæ; & pro lege municipali dictæ Ciuitatis cuſtodiri debeat, & ſeruari, ſicut ſi per totum populum, totam vniuerſitatem Ciuitatis Mantuæ prædictæ, firmatum ſtatutum, & decretum foret. Dummodo faciant, ſtatuant, decernant, ordinent, de voluntate & conſenſu expreſſo, dicti Domini Capitanei, & Domini Guidonis. Et quòd dictus Dominus Capitaneus, & quòd prædicti Domini Antiani; & ordo ipſorum Antianorum, habeant poteſtatem electos ad dictum conſilium remouendi, quouſq;, quandocunq;, & quocunq; voluerint. Et iterum eligendi, & in remotorum aut defunctorum, aut abſentium, voluntariâ vel neceſſariâ cauſâ, locum, alios & alium ſubſtituendi & ſubrogandi. Poſtea verò ſurrexit Dominus Petrus de Bonaguiſa Iuriſperitus, vnus ex Antianis prædictis; & laudauit & approbauit, & conſuluit & confirmauit, omnia per dictum Dominum Ioanninum dicta & conſulta. Et ea repetẽdo conſuluit fieri, & exe-

cutio-

cutioni mandari debere; & ſtatim generale conſilium conuocari, pro prædictis firmandis & adimplendis. Elapſo deniq; congruo tempore deliberationis factæ; Interrogatione per dictum Dominum Otinum, de mandato prædicto, ſi quis alius vellet conſulere, in prædictis vel alijs; & nemine aſſurgente ad conſulendum, dictus Dominus Otinus de mandato prædicto, iterum ſurrexit, & fecit tale partitum: ſi quis ex dictis Antianis & ſapientibus, volunt vel vult, aut ei & eis placet, quòd ſint & fiant; & executioni mandentur ea, quæ conſulta & dicta ſunt, per dictos Dominos Ioanninum, & Petrũ Amadeum conſultores, ſit vnum partitum, & ſedeat: ſi quis verò velit aliud, vel contrarium, ſurgat. Qui omnes Antiani & ſapientes ſederunt, & nemo ex eis ſurrexit: Sed vnanimiter, & vnâ voce dixerunt, fiant quæ conſulta ſunt per dictos conſultores; prout & ſicut conſulta & dicta ſunt; & in eorum conſilijs continentur. Poſtea verò dictus Dominus Poteſtas, volens executioni mandare, quæ deliberata & decreta fuerant, per dictos Dominos Antianos & ſapientes, præcepit generale conſilium totius populi, & vniuerſitatis ciuium Mantuæ, conuocari, congregari voce preconis, publicè & ſono campanæ, provt moris eſt in Palatio veteri communis Mantuæ: Acta fuerunt prædicta in cortino ordinis Dominorum Antianorum, Ciuitatis & populi Mantuæ; præſentibus Zannino de Milio Notario, Henrico de Monſilice, Hieronymo de Ferratis, Iacobo filio Domini Michaelis de Robis, & Gratiadeo filio Domini Communalis de Folengis, teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis. Die 21. Februarij Milleſimi tercenteſimi ſexageſimi. Tertiâ decimâ Indictione.

In Chriſti nomine, Amen. Conuocato & congregato conſilio generali, totius populi, & vniuerſitatis ciuium Ciuitatis Mantuæ, voce preconis publici, & campanâ pulſatâ; quæ pro congregatione dicti conſilij ſolita eſt pulſari. Ad infraſcripta ſpecialiter conuocatis & congregatis, mandato Nobilis militis Domini Ioannis de la Mirãdula Poteſtatis Mantuæ. In quo quidẽ conſilio interfuerunt, vltra tres partes totius populi, & vniuerſitatis ciuium Ciuitatis Mantuæ. In præſentiâ & de voluntate dictorum Dominorum Antianorum, Dominus Otinus de Pizenardis de Cremonâ, Vicarius dicti Domini Poteſtatis, de mandato dicti Domini Poteſtatis, propoſuit inter eos in hunc modum. Dignum eſt, & quæ omnes tangunt ab omnibus comprobari. Et cum diſpoſitio Ciuitatis Mantuæ, & diſtrictus populi, & vniuerſitatis eiuſdem, ſpectet de iure ad populum Mantuæ, & vniuerſitatis ciuium prædictorum. Iuſtum eſt vt ea, quæ nuper mandato dicti D. Poteſtatis, inter ordinem Antianorum & ſapientes propoſita ſunt; quæq; per ipſos firmata, ordinata, & decreta ſunt; quia ſpectant ad ordinationem, & diſpoſitionem Ciuitatis, & populi, & vniuerſitatis, prædictæ Ciuitatis Mantuæ; & ſine ipſorum arbitrio, decreto, & voluntate, de iure effectum ſortiri non poſſunt, dicto populo, & vniuerſitati ciuium prædictorum, ac dicto conſilio notificare, & intimare; vt per ipſos, & ipſorum decreto, arbitrio, & voluntate firmentur & roborentur, & ab ipſis effectum plenarium conſequantur. No- *Et ſequent.*

Ff nerit

uerit igitur populus Mantuæ, & vniuerſitas ciuium Ciuitatis prædictæ, hìc extantes; quòd conuocaro & congregato conſilio, & ordine Dominorum Antianorum, Ciuiratis, populi, & vniuerſiratis ciuium Mantuæ: & cum ipſis duodecim ſapientibus Ciuiratis prædictæ, in cortino Dominorum Antianorum, poſito iuxta Palarium communis Mantuæ, de mandaro Nobilis militis Domini Ioannis de la Mirandula, honorabilis Poreſtaris Ciuitatis Mantuæ, & diſtrictus, voce preconis, & campanâ pulſatâ, quæ de more Ciuitatis in prædictis ſolira eſt pulſari. Ipſiſq; ordine Anrianorum, & ſapientibus ad infraſcripra, ſpecialiter conuocaris & congregatis. In quo quidem conſilio & congregarione, interfuerunt omnes Anriani Ciuitatis prædictæ, & duodecim ſapientes; quorum nomina inferius per ordinem deſcribunrur. Nomina Antianorum. Primò Dominus Philippinus de Sauiola Abbas dictorum Antianorum. Federicus de Nuuolaria. Ioanninus quondam Domini Lancillotti de Gonzaga. Ioannes quondam Domini Philippini de Abbaribus. Ioanninus de Perarolo. Srephanus de Toualeis. Bartholinus de Zambortis. Blancorius de Nerlis. Minacius de Minacijs. Loyſius de Torellis. Thomaſius de Paga, & Corteſius de Manellis. Nomina verò aliorum ſapientum congregarorum ibidem ſunt, Rambaldinus de Bruzellis. Bartholomęus de Parmeſaſſo, Criſtagallus ab equis, de Quarterio Ciuiratis veteris. Irem Rizardus de Tenca. Alberrinus de Mazalis. Maphęus de Montibus, de Quarterio Sancti Martini. Irem Minacius de Iſolertis. Communalis de Folengis. Hippocraſius de Ferrarijs, de Quarterio Sancti Iacobi. Irem Dominus Geruaſius de Bonagiuſtis. Iudex Frãciſcus de Gaido. Petrus de Torellis. Lorenzinus de Donneſmonte, de Quarterio maiori. Quædam propoſita fuerunt inter ipſos Dominos Antianos & ſapientes, de mandaro dicti Domini Poteſtaris; ſuper quibus ipſi Domini Antiani, & ſapientes, vnanimi voluntare, deliberauerunt, fecerunt, firmarunt, & decreuerunt quædam; quæ ad ſtatum & augmentum, & defenſionem Ciuitatis & diſtrictus, & populi, & vniuerſiratis ciuium, & diſtrictualium Ciuiratis Mantuæ, & ſingularum perſonarum crediderunt veriſimiliter pertinere. Quæ vobis & dicto generali conſilio præcipimus declarari, & pariter intimari. Super quibus & alijs ad ſtarum bonum & pacificum, & augmenrum, & defenſionem Ciuitatis, & diſtrictus, & populi, & vniuerſitaris, Orinus pro dicto Domino Poreſtate, perijt ſibi & dicto Domino Poteſtati ſalubre conſilium exhiberi. Lectis igirur omnibus, & ſingulis, propoſiris, actiratis, conſultis, deliberatis, confirmaris, & decretis, inter dictos Dominos Anrianos, & Sapientes ad inrelligentiam vulgari ſermone, inregrè prout & ſicut per ordinem ſuperius eſt deſcriptum. Habitâ longâ deliberarione inrer dictos homines de conſilio multis hinc inde diſcurſis, ſurrexit ſapiens vir Dominus Franciſcus de Iudicibus de Manruâ, & conſulendo dixir, omnia er ſingula propoſita, facta et firmara et dicta per dictos Dominos Anrianos, et Sapientes; et hìc narrata er lecta, in rorum, et quauis ſui parte, authoritare pręſentis conſilij approbata exiſtant. Tamquam ſalubria

Ciui-

Ciuitati, & populo,& vniuerſitati ciuium Ciuitatis Mantuæ. Et provt ordinata & dicta, & firmata ſunt per Dominos Antianos fiant & executioni mandentur, in totum & qualibet ſui parte. Et ſit lex municipalis, & pro lege in ſtatutis Mantuæ deſcribatur. Non obſtantibus aliquibus legibus generalibus vel municipalibus, in quantum prædictis obſtarent, auctoritate præſentis conſilij abrogata exiſtant. Et ſpecialiter quòd dictus Dominus Magnificus Guido de Gonzaga, ſit Capitaneus, Dominus & defenſor Ciuitatis & diſtrictus Mantuæ; hominum, & ſingularum perſonarum, bonorum & rerum dictæ Ciuitatis, & Comitatus, Territorij & diſtrictus; cum poteſtate & baliâ, & dominatione, ſignoratico, & iuriſdictione, contenta in ſtatuto Mantuæ, ſiue ſcripturâ in præſenti conſilio lectis, provt & ſicut lecta ſunt. Et habeat omnem poteſtatem & baliam, iuriſdictionem contentam in decreto, ſtatuto, & ordinatione dictorum Dominorum Antianorum, & ſapientum. Et habeat dictus Dominus Guido ſimpliciter & generaliter, omnem poteſtatem, balìam, & iuriſdictionem, quam dictum conſilium, vniuerſitas & populus Mantuanus habet, vel habere poteſt, in dictâ Ciuitate, Territorio, & diſtrictu: Et in hominibus, perſonis, & rebus eorundem. Et quòd omnis poteſtas, iuriſdictio, arbitrium, & ius, quod & quæ, populus Mantuanus, & vniuerſitas eius habet, vel habere poteſt in dictâ Ciuitate, Territorio, vel diſtrictu, hominibus, vel perſonis, bonis, rebus populi, communis & vniuerſitatis eiuſdem, in dictum Dominum Guidonem transferantur. Et quidquid dictus Dominus Guido conſtituerit, præceperit, mandauerit, decreuerit, ſit lex municipalis dictæ Ciuitatis Mantuæ; & pro lege ſeruetur, provt, & ſicut à Romano populo, omnis eius poteſtas lege Regali, in Imperatorem translata fuit. Et generaliter omnia alia ordinata, & ſeruata per dictos Dominos Antianos, & ſapientes, ſimili firmitate robur habeant, & effectum. Deinde ſurrexit ſapiens vir Dominus Galeatius de Brognolis Iudex, ciuis Mantuæ, & arengando conſuluit, omnia & ſingula ſupradicta in totum, & qualibet ſui parte, prout & ſicut conſulta, & deliberata, firmata, & decreta ſunt, per dictos Dominos Antianos & Sapientes; & in præſenti conſilio lecta, ſint firma & rata. Et ratificentur, firmentur, & decernantur, & ſtatuantur in præſenti conſilio. Et ſit lex municipalis huius Ciuitatis: & pro lege & ſtatuto debeant obſeruari: Et in volumine & capitularijs ſtatutorum poni, & deſcribi. Non obſtantibus aliquibus legibus generalibus, vel ſpecialibus, ſtatutis vel decretis, communibus vel municipalibus. Quibus in quantum prædictis, vel alicui prædictorum obſtarent, ſit in omnibus authoritate præſentis conſilij derogatum. Deniq; nullo apparente, qui plus conſuleret, ſurrexit dictus Dominus Otinus, & de mandato dicti Domini Poteſtatis, ibidem præſentis, fecit tale partitum. Si aſtantibus in dicto conſilio placeret, quòd dictus Dominus Guido de Gonzaga, ſit Capitaneus, & defenſor, & gubernator Ciuitatis Mantuæ, Territorij, & diſtrictus, populi & vniuerſitatis, & ſingularum perſonarum eorundem, cum omni poteſtate, Dominio, & arbitrio, & ſignoratico, contentis in ſtatuto

communis Mantuæ, poſitis ſub rubricâ: De arbitrio & poteſtate Domini Capitanei, &c. cum omnibus conſultis, per dictos Dominos Franciſcum & Galeatium: ſit in vnâ parte, & ſurgat. Qui volunt aliud vel contrarium, ſedeant: omnes de dicto conſilio, nemine diſcrepante ſurrexerunt; & vnanimiter, & vnâ voce dixerunt; ſit dictus Dominus Magnificus Guido, Capitaneus, Defenſor, Gubernator Ciuitatis Mantuæ, Territorij & diſtrictus; cum omni poteſtate, ſignoratico, dominio, & iuriſdictione, arbitrio ſuperius poſitis, lectis, & conſultis. Et quòd omnia ſtatuta, lecta, & ordinata, per dictos Dominos Antianos, & Sapientes, & omnia conſulta per dictos conſultores; prout & dicta ſunt, & conſulta per ipſos, aut firmata, aut decreta, per ipſos Dominos Antianos, & Sapientes: Et prout ſuperius lecta, & recitata ſunt; ſint, fiant, & ſint firma, & rata authoritate præſentis conſilij. Et pro lege municipali Ciuitatis Mantuæ obſeruentur, in totum, & qualibet ſui parte. Non obſtantibus aliquibus legibus, & conſuetudinibus generalibus, vel ſpecialibus, decretis, vel ordinamentis Ciuitatis Mantuæ, populi & vniuerſitatis eiuſdem: Quibus & cuilibet ipſorum, in quantum prædictis, vel alicui prædictorum obſtant, ex certâ ſcientiâ derogatum eſſe voluerunt. His peractis & aduocato dicto Domino Magnifico Guidone, in dicto conſilio, & congregatione, & ipſo ibidem exiſtente, prædictus Dominus Poteſtas, & Dominus Philippinus de Sauiolâ Abbas Antianorum, Ioannes de Abbatibus vnus ex Antianis, ſindici antedicti, omnes in ſimul, & quilibet ipſorum; omni meliori modo, iure, & formâ; quibus melius potuerunt, ſindicario nomine prædicto: & vice, & nomine vniuerſitatis, populi, et conſilij antedicti dicto Magnifico Domino Guidoni, dictum officium, poteſtatem, dominium, Capitaneatum dictæ Ciuitatis, territorij, & diſtrictus, modis, formis, & arbitrijs prædictis obtulerunt. Et in ſignum plenitudinis poteſtatis & inueſtituræ, virgam, & ſceptrum dominij in eius manibus poſuerunt. Qui Magnificus Dominus Guido, inuocato nomine indiuiduæ Trinitatis, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, omniumque Sanctorum, & Sanctarum Dei, ad honorem & exaltationem Sacri Romani Imperij, ad bonum & pacificum ſtatum, augmentum & defenſionem Ciuitatis, populi, territorij, & diſtrictus Ciuitatis Mantuæ, præmiſſo venerabili ſigno Crucis, dictum officium, dictorum, Capitanei, defenſoris, & Gubernatoris, dictæ Ciuitatis, territorij & diſtrictus benignè acceptauit. Et in ſignum plenitudinis poteſtatis, virgam & ſceptrum ſibi oblatum, per dictos Sindicos, & quemlibet ipſorum, in ſignum veræ inueſtituræ, ſuſcepit in ſuis manibus. Acta fuerunt dicta, in Palatio veteri communis Mantuæ, præſentibus Dominis Pino de Arimaninis Iudice. Magnifico Alexandro de Magnis de Caprianâ, Taurino de Milio notario. Henrico de Monſilice, Iacomino de Finetis notario. Iacobo filio Domini Michaëlis de Robis, & Gratiadeo filio Domini Communalis de Folengis; teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis. Die Viceſimo primo Februarij, Milleſimo tercenteſimo ſexageſimo, Indictione tertiadecimâ.

Ego

Ego Bartholomæus dictus Guaiottus, filius quondam Domini Gratiadei de Mignagha, publicus Imperiali auctoritate notarius; & prædictorum Dominorum Antianorum, & Sapientum officialis & ſcriba, his omnibus præſens fui; & rogatus, &c.

Vniuerſum id è vetuſto M. S. tranſtulimus, quod adhuc Mantuæ viſitur, inter ſecreta Senatus, & populi decreta. In quo, alij prolixitatem, inutiles repetitiones rerum, ac nugas alij, quidam Otini aſtum ac Poteſtatis (qui tum temporis Vrbem, velut Interregno ambiguam, curabat) odium accuſabant. Id apud omnes in confeſſo eſt, quocunq; decreto aut conſilio, datâ Guidoni vniuerſam in ſuos poteſtatem. Amici honorem rebantur, ſi confirmata diceretur. Iam enim Cæſaris placito, & mole ſuâ, viribus amicorum, defuncto Aloyſio parente Imperium cæptauerat: Non anxius futuri, & aduerſus æmulos contemptu. Cæterùm cum totius Ciuitatis voluntas manifeſta in ſucceſſorem foret, non tamen deerant qui Otinum acriter, & ſecretò apud Guidonem accuſarent: tamquam appoſito ſtudio, multis verborum inuolucris, longâ decretorum ſerie, repetitione verborum, nexuiſſet moras; dediſſetq; diſſenſioni occaſionem, ac prauæ (ſi quæ fuiſſet) deliberantium voluntati. Nec id forte, ſed iuſſu & conſenſu agitatum credebatur; incertâ apud pleroſq; Gonzagorum fide, & rudi ſubtilitatum ſeculo; quod fide potius, quàm oratione ac promiſſis vtebatur. Guido quoq; ac Vgolinus cum facti Senatus haberetur, diuiſi cubiculo, moras cunctationemq; aſpernabantur; eò maximè indignati, quòd Patres eâ de re ambigerent, cuius multò ante arbitrium amiſiſſent: Et dominandi amor, nutrit irritas ſuſpiciones; nec plenè conferri creditur, quòd tardè percipitur. Aulici ſcenâ detractioni apertâ, promptè interpretabantur; monebantq;, Otinum plus officio ſollicitum, pleriſq; collocutum; tamquam partes interceſſioni quæſiuiſſet. Accerſitum certè recipiendæ potentiæ Guidonem, nullo affectu perruptum conſtat; Otinum dum Vgolino gratulaturus accederet, reiectum à iuuene, toruo intuitu minitante. Ille cauſæ neſcius ſciſcitari, requirere, conqueri; donec odij fomitem excepit: Et intellecto; docere rationes, quibus, longiori decretorum ſerie vſus foret: ſic imperij ſecuritati prouideri, excludi prauas ſpes æmulantium; prohiberi pœnitentiam. Quando vſu receptum ſit, ægrè concedi, quod intus validum; nullo temporum decurſu repeti liceat. Sed ſi vindictam diſtulit, inuidia ſuperfuit. Agebat (vt fere conſenſu traditur) ſeptuageſimum annum Guido; cum relictus à patre poteſtatem omnem excepit. Nec enim adminiſtrationis expers, ſuperſtite Aloyſio degebat: ſed præcipua curarum, vnâ cum Vgolino filio, aut ſubleuando oneri Paterno, aut occupandæ auctoritati, capeſcebat. Solemni epulo vniuerſos Senatores Vgolinus, die conceſſæ poteſtatis excepiſſe traditur: & patris vice cunctos oraſſe, ne ſe alios quàm ciues crederent, aut addito dominio acceſſiſſe ſuperbiam. Quippe ſe Senatorum partem, nec à Republicę corpore ſecedere: ſed plus laboris allicere, vt manifeſtior caritas deprehenderetur. Ipſe nobilitate ingenita, decorâ proceritate, gratâ

comitate, ſingulos in amorem illexerat. Otinus acceſſu prohibitus, imminentem perniciem excepit. Conceptum tamen à Gonzagis odium, infelicis mors diremit. Quidam veneficium, prudentiores mœrorem cauſabantur. Non enim vllo obſequij genere; non deteſtatione flagitij, aut profeſſione pietatis, apud Principem Dominationi metuentem, grauem dati periculi ſuſpicionem aboleas: Et venia ad tempus eſt; medio temporis, verba, vultus, literæ, ſuſpiria obſeruantur, quæ minimâ coniectura in probationes inditiorum flectuntur. Noui Principatus occaſio, longius nos tulit; coëgitq; aliena deſerere, & Mantuanorum ſolummodo meminiſſe. Per hæc ferè tempora, Galli ab Edoardo Anglorum Rege celebri victoriâ ſuperati, quāuis capto Rege ac Philippo filio, datam fidem, quâcunq; occaſione fregêre. Nam à plurimis excuſantur. Cum enim magna nobilium multitudo, infęlici prælio, aut cæſa, aut capta foret; nitereturq; Innocentius Sextus, malè concordes, ſolidâ pace illigare; & totius Chriſtiani Orbis vires in Turcum tyrannum verteret, Edoardus Regiæ magnitudinis, & inuicti animi documentum, æternitatis memoriâ dignum præſtitit; quod rari antiquorum, licet virtutum commendatione celebres oſtendêre. Siquidem Regem ac filium, necnon multa Gallorum millia, vinculis exoluta, ad ſuos redire permiſit; additis nauigijs, comitatu, ac commeatu; ne quâ in parte minus munificus crederetur. Acceptum tamen à ſingulis ſacramentum, cunctis ſuorum ordinibus approbandam pacem; aut ſi iniquis conditionibus expreſſa crederetur, in eadem vincula redeundi. Illi ad ſuos regreſſi; non ciuium, non propinquorum obtutum ferre; ſordidiſſimam pacem, indecoram libertatem, quæ tantâ hoſtium gloriâ conceſſa foret, credere; Regem, ac proceres importunis querelis adire; ne turpiſſimam vitam tolerarent, aut exiſtimatione potiorem circumferrent. Propoſiti, fideiq; memorē Regem hæc aliaq; permouêre (neq; enim, lentum ad arma Gallis ingenium erat) ne cauſa infamiæ ſuis eſſet: Ergo vires reparat, nouo milite vacuas Legiones explet; & ingenti armorum apparatu, præteritum dedecus in gloriam vertere maturat. Affuit honeſtati cauſæ fortuna: Gallus denuò funditur, rari aciem elapſi, plurimi in conflictu deſiderati. Edoardus perfidiâ (vt ferebat) accenſus, non ante victoriæ temperauit, quàm ferro ac fame arctatæ Lutetiæ, extrema experirentur; & adiacentes Principi Ciuitati campi, arbitrio petulantis militis flagitium piarent. Sed Innocentius, precibus, literis, legatis aſſiduus erat: vt iunctis Chriſtianorum viribus, terrâ, mariq; in communem hoſtem pugnaretur. Conſilio obſtabant Piſani, Genuenſes, ac Veneti; quorum virtus nautica, præcipua erat; quòd acerrimis odijs decertarent, Aegeo, Liguſtico, & Adriatico pelago prælIantes; vt aduerſus barbaros, nullum ex ijs ſubſidium eſſet. Accedebat Venetæ Reipublicæ inteſtina calamitas; quæ Marinum Ducem, pluresq; aſſeclas, in perniciem traxit. Annitente eo Patriæ ſeruitutem, & ſibi Imperium procurare, cæteris fortunæ potioris commoda proſpectantibus. Nullo vnquam certiori inditio, clarior in Venetos diuina clementia emicuit. Rebelles enim (quamuis

Gallorũ clades ab Anglis.

Dux Venetus Monarchiæ adſpirat

omnia

omnia ſummo ſilentio tractarentur) detecti ſunt: Et vbi futuro Senatus cauit, debitas perfidiæ pœnas dedêre. Sumptâ quidem de turbidis vltione, ſatisfactum iuſtitiæ, & reſtituta libertas quæ nutabat, videbatur; tacitis tamen odijs agitabantur, qui Ducem interfectum, complicesq; malè habitos, affinitate, amicitiâ, ſecretorum communione meminerant. Hinc maior Senatui metus, nullis certis defectionis auctoribus; & ſuſpensâ Ciuitate omni, cui fideret, quem caueret. Non ignarus Politici documenti Marinus degebat: neq; enim ſummæ fortunę cupido ignauos agitat. Hic Gonzagos ſpeciem Principatus in Patriâ præferentes, miſſo Iacobo Boſio agitauit; vt non Patriæ ſolùm, ſed auctus auxilijs, opibusq; (nam pecuniam ingentem offerebat) externis pariter intenderet. Gonzagi non magis modeſtiâ quàm prudentiâ, alienis abſtinuêre: Non enim tot ſimul incumbere ſecurum nouerant; ſæculo omni nouitates, ac conatus ſingulorum proſpectante. Vgolinus Aui, Patriſq; monitis eruditus, docuiſſe Marinum dicitur, inanes ſpes obruendæ Venetæ libertatis, irritos hoſtiles conatus eſſe. Quippe vt iure à Patribus vſurpatam libertatem, ſic Diuinum fauorem fluctuanti affuturũ. Neq; tamen Cæſar in animo, ſed prouidentia erat; & viro rerum experientiâ probato innotuerat, immortalem Senatum fore, ſi quibus munimentis exordia ieciſſet, inniteretur. Familiæ dubio procul & pondus & ſecuritatem tulit Gonzagorum iudicium; cumq; amicitiæ leuiori illigati debitum Senatui officium excuſaſſent; Senatus, etiam caritatem, & pronum obſequio animum interpretatus eſt. Iniuſtis enim, quamquam paratis abſtinuiſſe, redolet integritatem. Bartholus Saxoferratenſis decedens, immortalia ea tempora, ſui memoria reddidit; paucis ante Innocentium diebus ereptus, relictiſq; toto Orbe monumentis, quibus apud poſteros æternus eſſet. Guilhelmus Griſantus, id temporis legatione apud Vicecomites pro Innocentio fungebatur: Et tum abſens Vrbanus Quintus, Pontifex electus eſt, delegato oneri, pietate, prudentiâ, doctrinâ par; & per hæc quantumuis aduerſanti fortunæ validior. Vicecomes pace ac bello iuxta intollerandus, amiſſæ Bononiæ (quæ in Eccleſiaſticos abierat) dolore, & proferendi dominij libidine, inquies; vniuerſam Italiam, flammis, ferroq; raptabat. Inerant exercitui, non propriæ ſolùm, ſed externæ vires quoq;. Ita cum cæteris ſuſpectus, Mantuanis etiam metuendus erat. Recentes quippe iniuriæ, conceſſa aliquot ante annos Baſtia; non habitum Regium, translatum; & potior in Cæſaris gratiâ Guido, animo tyranni obuerſabantur. Nec tutos Gonzagos conſanguinitas reddebat (Nam Vicecomitis neptim Vgolinus matrimonio habebat) & hoſti regnandi cupido, ambitio, genero, & nepti potior, omnem humanitatem abſterſerant. Turbatis rebus Italiæ, ſalutare Gonzagis fuit, Aegidium olim pro Sede Apoſtolicâ legatum, denuò ab Vrbano in Italiam mitti, vt bellum ac pacem Ciuitatum, arbitrio curaret. Nec ille degener aut temnendæ virtutis erat: Nam laborum ac ſudorum impiger, miſſis literis, Gonzagos, Eſtenſes, ac Carrarios, eodem ſecum fœdere, aduerſus vim Vicecomitis illigauit: Deſcriptoq; milite, cum magno Principe

Gōzagos Marinus conatur trahere in partes.

Hi abnuunt

Bartholus.

de

de rerum ſummâ conflixit. Secutus cauſam exitus eſt. Bernabous ſaucius pugnæ ſe ſubtraxit: filius ardore equi in medios hoſtes inuectus, confoſſus eſt: quod turbæ reliquum, ad noctem, & ſatietatem cæſum. Inter captiuos Andreas Pepolus, Sinibaldus Ordellaffus, Paulus Mirandulanus, Guido Foglianus, Azo Corregienſis, Vilhelmus Caualcabous numerati; præcipui copiarũ ductores, & nobilitate. Repreſſa impotentis viri cupiditas, infęlicitate pugnæ; & valeſcentibus fœderatis, Gallorum, Anglorum, ac Cypri Regum officio, coactus eſt pacem orare. Hæc per vim interceſſorum velut extorta, haud diuturna fuit; motis totâ Europâ armis, quæ Ioannes Auchut natione Anglus, belli peritiâ nemini ſecundus, Vicecomitis aſſecla intulerat. Non intermiſerat ſolita militiæ exercitia Legatus; nec inermem ſe peruicaci Imperatori obijcere, prudentiam credidit. Itaq; Vgolinus parti copiarum impoſitus, Longobardiam, & Bononiæ adiacentia ſeruare iuſſus eſt: Cui tria peditum millia è Mantuanis, Quingenti leuis armaturæ equites aderant. Octo peditum, duo equitum millia contra Anglum, à Legato miſſa ſunt. Hi non longè Aretio Hetruriæ, Duce Obicione, totis conatibus decertarunt. Qui veteri ſuorum gloriæ, id vnum addi cupiebat, vt magnâ acie, vbi fortitudini & prudentiæ locus eſſet, inſoleſcenti hoſti concurreret, certâ ſpe victoriæ. Auchut minoribus prælijs, ad contemptum Italorũ prouectus, & eandem ſemper ſibi fortunam ratus, congreſſum non abnuit. Proinde ſuperatus; & ſuorum pauci, omiſſis impedimentis, ipſo pugnæ ardore effugêre. Quòd ſi Anglus, aut cliuo inſtitiſſet, aut ſe cum vniuerſis diſcrimini, nullo in aduerſis ſubſidio obieciſſet, fatigare hoſtem, etiam frangere poterat: Et Obicionus reliquias inimicorum aſſecutus foret; ſi diuortijs itinerum (quæ rara, & à pauciſſimis ſeruari potuerant) partem ſuorum ſtatuiſſet. Nec enim inferior numero, aut virtute erat. Sed varij, & impræmeditati ſunt bellorum exitus; nec cum plurimis prouideatur, omnia caueri poſſunt. Verſæ hinc in Pontificem dubiæ prius Italiæ res, & ſumma Legato auctoritas comparata. Nec minor Guidonis, & Vgolini filij gloria erat: Ille quòd conſilio affuiſſet; hic etiam manu ſtrenuus, munus Imperatorium ſupergreſſus, irrumpentes Mantuano Mediolanenſes, haud longè Aſolâ fudiſſet: Inſecutusq; abeuntes, ingentem prædam hoſtili agro auexiſſet. Leuis et parum tuta, inter ſuſpectos Longobardię Principes pax ſucceſſit: Siue vexatione quietem doctos; ſiue Pontificis vires turbantibus certam perniciem oſtenderent. Potentiores rebus nouis; vt alieno errore ſua promouerent intenti erant; infirmi, et ſocietati maiorum nixi, vt ſua tuerentur. Et Guido iam ſecurus credebatur: Quòd placatus Vicecomes, in Vgolinum nepotem pronior, et alijs infenſior diceretur. Turbarum initijs, cum inuehi Mediolanenſes in Mantuanos audirentur, anceps Vgolinum valetudo attinebat. Et tamen Duce opus; nec extra domum tuta deſignatio Guidoni ſciebatur. Itaque militem patrium Ludouico ac Franciſco filijs conceſſit; addito præcepto; ne iniuſſi concurrerent, tantumq; propulſarent temerè ſuggredientes. Id primò fratribus prudentia interpretata, mox neglectus.

Obiragi Eſtēſibus, Carrarius, & Legato Papa fœderati.

Et victores.

Vgolini virtus.

Vgolini, & fratrũ offenſionis initiũ.

Nam

Nam morbi Vgolini exitum opperiebatur; quem breuem fore Medici prædixerant. Poſt paulò affertur Alam Mediolanenſium liberè in obſtantia procurrere; & niſi obuij proceſſiſſent, diram agro vaſtitatem meditari. Miſêre Mantuam ad Guidonem, caſum pugnæ, & opportunum benè agendæ rei tempus referendo. Ille non conticuit, & (quæ ineptæ ſimulationis cenſura eſt) mox affore Vgolinum perſcripſit, vetito cum hoſte congreſſu. Offenſos diffidentiâ filios conſtat; quæq; ante ſuſpicio erat, vero reſpondit. Turbatos, & paternum contemptum æſtimantes, Vgolinus non dùm integrè redditus deprehendit. Neq; illi imperium abnuêre, ſed conceſsâ auctoritate, Mantuam reuerſi ſunt. Nec tamen fraterna indignatio ſtatim parenti innotuit; ſed defixos, & inflatos iuuenilibus motibus credidit. Detexit ſingula Iulius Furga; tam irritè, quàm auidè Guido flagitauerat. Obfuit gliſcenti æmulationi ſenium Domini, vt parum curaret, minus prouideret. Sic cùm nullæ amplius ab exteris calamitates occurrerent, domus à ſuis aduerſa inuenit: Humanarum rerũ viciſſitudine, ac neceſſitate. Quippe Guido, Vgolino filio natu maximo, quæ totâ ditione celeritatis ac præſentiæ egebant, curanda commiſerat; ipſe ciuilibus ac domeſticis negocijs intentus, ſolatium laboribus prætexebat. Eo initio aucta inter fratres æmulatio, quæ totam pœnè familiam in præceps traxit. Ludouicus ac Franciſcus minores, virtutis non degeneres, deſpectu paterno, nexi ac concordes, vt geminata indignantium vis Vgolino præualeret; & ætatis quæ iam dominationem ambiret; non vt inutiles, ſed ſuperuacui, ciuili otio diſtinabãtur. Potiſſima neglectus cauſa Vgolinus; qui paternas cum Feltrino patruo diſcordias æſtimans, & eandem fratribus odij materiam putans, vtroſq; curâ rerum amouerat, aut inuito, aut conniuente ſene. Et Guidonis in omnes eadem caritas; ſed plus in Vgolino fiduciæ; ſiue maiores natu, genitorum gratiam præſumunt, ſiue plus virtutis crederet. Prætendebat inſociabilem potentiam, ætatem, curas, rerum experimentum; etiam cum Vicecomite conſanguinitatem iactabat; velut cum magno Principe; quaſi id decori adderet, aut alienæ potentię, tanta claritudo egeret. Proinde non poſſe excludi adminiſtratione rerum; vt qui plures ante annos, Patriam aduerſus patruum ac vicinos protexiſſet. Sed Franciſcus natu minor, acer iuuentâ; & Ludouicus eo parente dignus, publicè ac ſecretò, apud ciues, conſanguineos, etiam exteros lamentabantur; quòd vnius fratris arbitrio ſeponerentur. Poſſe ac debere Vgolinum coram patre curare, vnde in cætera regimen: minores pro finibus, laboribus militiæ permixtos, etiam Annonam prouidere; & miniſtrorum vocabula vſurpare. Nec tamen imperium poſcere; ſed ſedentariam ac inertem vitam deprecari, etiam famam ignauiæ; quę ferè apud vacuos accuſatur. Irritis hæc quæſtibus accipiebantur: Et erant qui in maius efferrent, auctaq; minis & execrationibus Vgolino tranſmitterent. Sic cum diluere non liceret, promptior detractoribus, ſuſpicione erat. Qui eò ferocior, quò magis laceſſitus, etiam communione ſecretorum fratres arcebat, velut infidos; datâ etiã procacibus licentiâ inſectandi iuuenes,

vt

vt impares quæſitis, & imbelles. Reperti (quod dictu mirum eſt) Vgolini familiares, qui coram proſpectantes contemnerent; & tamquam id ſtudij pro domo eſſet, ficta ſeu vera crimina obijcerent. Ludouicus per iocum excipiens; quæſita vrbanitate, petulantiam inſultantium eluſit: teſtem ſe ignauiæ, ſecordiæ, luxus; crapulæ offerens, quibus, licet procul veritate vrgebatur. Sed quamquam abiectiſſima ſibi affingere, non modeſtiam, ſed vilitatem habet; tempori tamen famulatus, calumnijs annuit; quas olim acertima vindicta eſſet proſecuturus. Non eâ virtute Franciſcus frater, & prudentiâ agebat; Cum enim cætu nobilium ſeptus, æſtiuos flatus porticu communi captaret, auſum Paulum Campedulum laſciuiam, & quibus impar eſſet amores obiectare, obſtricto primùm pugno verberauit, & vindictã agitantem, ferro in propinquam officinam proſecutus eſt; addito, non ſemper ignauiam vitium habere, ſed ſi tempori ſeruiatur, fortitudine potiorem. Medij contendentium, iras, ac vindictam ſpirantem Franciſcum Campedulo abſtraxêre; cumq́; ille Vgolinum, Guidonem, ſocios inclamaret, abſentibus illis, nemo reſpondit; ſed temeritatis pœnam, liuido ore plures dies prætulit. Certior facti Vgolinus, cum auctoritate in omnes eſſet; Franciſcum indignatum, aut auerſatus eſt, aut congreſſus abnuit. Sed altius animo fremens, & quo affectu eſſet oſtendit, & fratres futuri ſollicitos reddidit. Nec enim in Guidone, niſi inania conſulta, importunæ æui querimoniæ, aduerſa omnibus ſtudia habebantur. Sic cęptæ olim inter liberos ſimultates; tempore, amicitijs, iniurijs enutritæ, Campeduli præcipuè ignominiâ, audentiâ Franciſci increuêre; vt flagitij ac parricidij incitamentum eſſent. Et forſitan tempore morbus depoſuiſſet; niſi cauſarum in ſuam perniciem fęcundus Vgolinus, auerſantes ſcelus, ambigentes, etiam paternam iram metuentes, iteratis iniurijs prouocaſſet. Prima è ludicro equeſtri certamine fuit, quod inſtitutore Vgolino indictum, promiſcua nobilitas ſtudij amore, deſiderio gratiæ exercebat. Sed numerus non reſpondebat, electis quadraginta; & deficiente claritudine iuuentutis, viliores ſubrogati: Ludouicus ac Franciſcus, decurſibus equorum exerciti, & fortunam iuuenum ſecuti Patritij pleriq;, reiecti potius quàm omiſſi ſunt. Quod vniuerſi in ignominiam flexêre, ſed tamquam ſpreuiſſent, ſiluêre. Neq; tamen eâ conſtantia fratres vſi, vbi iubente ac conſulente Vgolino, Feltrinum Patruum, & ſueta viro inſignia, viliſſimis è plebe per vias ac cęnũ raptari; nec calumnijs abſtinere accepêre. Hæc cauſa impulit, illa commouerat. Non enim internam pectoris indignationem continuêre. Mereri fatentes ſuorum odium Feltrinum: non tamen eâ vilitate eſſe; vt cuicunq; inferioris ordinis ludibrio habeatur. Sat ingentes, morte, ærumniſq́; pœnas dediſſe: Et ſuum ſanguinem ſperni, vbi quid dedecoris ſubſit, publicâ recordatione proferatur. Ad hæc Vgolinus, plus occaſione, & opinione ferox inclamauit; meritum nouiſſima Patruum; & ſibi in eum, poſteros, ac fautores, integram iracundiam ſupereſſe. Siluêre fratres; & tamquàm auctoritati condonaſſent, abſceſsêre: Sed altius dolebant, quàm vt illico conquieſcerent. Eorũ certè

nemini

nemini, parricidij conſilia efferre, aut flagitij inuidiam ſubire certus animus
erat; niſi ſors, vtriuſq; inimicum Vgolino animum retexiſſet. Auſuſq; prior
Franciſcus fraternam conſcientiam, ſuâ æſtimare; & Ludouicum fratrem,
ſceleris requirere; his fermè verbis: Ego Ludouice plures iam menſes am-
bigo, an nos Guidonis filij, an Vgolini fratres cenſeamur. Adeo Ciuitati
ac penatibus paternis inutiles, deſpecti, impedimento quàm honori ſumus.
Nec Principi loco nati, alia coniecturâ credimur, quàm quòd eodem tecto,
eâdem menſâ fruimur; quæ tamen viliſſimis noſtro dedecori Vgolinus com-
munia voluit. Iuriſdictio, adminiſtratio in Vgolinum abiuêre: quaſi vtriuſ-
que noſtrum amorem Guido pater exuerit. Et tamen eædem nobis vires,
ijdem animi ſunt: perdimuſq; famam rerum pulcherrimam, quòd experi-
mento arceamur. Inuidit frater vtriuſq; gloriæ, & credemus incolumitatẽ
ex voto eſſe, quæ inter nobilis viri fortunas viliſſima eſt? Pater ipſe honori
temperat, excludit occaſiones, prohibet virtutem approbari; & putamus
fratrem, infenſum, hoſtem, conceſſurum? Eo ſuperſtite negligimur, defun-
cto contemnemur: Et ſublato parente, ſaltem in ſpeciem caritatis vinculo,
erumpent concepta, & diutius enutrita odia; nemine conciliante, aut repri-
mente. Habeat teneatq; potentiam frater defuncto Patre; ſed ſuperſtite
adminiſtratore rerum, dominantis adminus filij noſcamur. Vtinam mode-
ſtiæ ac tolerantiæ locus eſſet: Sed virtutum præcipuæ, ſecordiâ, ignauiâ cõ-
terentur; dum potentiori auctoritas milite ac pecuniâ in poteſtatem datis cõ-
paratur. Quid nî Ludouice viriles animos induimus; & pulſo inimico fra-
tre, virtutem proferimus. Eò infenſior nobis, quò plus neceſſitudinis in-
tercedit, agit; & acrius perſequitur, vt cauſam affingat. Scio non niſi cæde
inuiſi, & infeſti, in tuto res noſtras eſſe. Elapſos liberorum reliquos, reuoca-
turus Pater eſt, & tum primùm occaſionem obtuliſſe introſpecturus; adiutu-
ri etiam externi. Si tollatur è medio Vgolinus, nullâ cuiuſquam, qui requi-
rat, iniuriâ; vti nobis omnia imputabuntur, ſic in ſuperſtites vniuerſorum
vota tranſcendent. Ignoſcet Pater, cui vindicta pari ac iactura pretio cedet.
Imo ſi ſupereſſe familiam, poſteritatiq; ac Dominationi conſulere voluerit,
acquieſcet neceſſitati; aut auerſantem, ſenectus, mœror, indignatio franget,
vt imparem curæ diuturnæ. Me auctorem executoremq; offero, ſi iuſtiſſimã
cauſam communione virtutis amplecteris, & ſocium requiris. Secreto tan-
tùm opus eſt; & cui ſoli ſufficimus, non in periculum, non in culpam alij con-
uocandi. Sit tibi eadem in fratrẽ, quæ Parenti auctoritas; dummodo diſcor-
diarum cauſas, facilitate & munificentiâ procul habeas. Non enim mihi
cum prouectiori de fortunâ decertandum. Honorem quem dederis, opes,
curæ, tibi accepta, in tuum ſeruitium referentur. Ludouicus atrocitate
criminis primùm ſubſtitit. Sed vbi oblatum, qui ſecreta animi perrumpe-
ret vidit; magna facinora cum periculo incipi, peragi cum præmio; ſublato
Vgolino, nullam ab eo virilem ſtirpem ſupereſſe, quæ ſimul ſit excindẽda; &
in eum vt natu maiorem, omnem poteſtatem deuolui, magno ſe animo ad-
uerſus reclamantem conſcientiam munijt; id ſolum orans, vt poſtremo offi-

Franciſci, & Ludouici in Vgolinum fratrem coniuratio.

cio,

cio, orari patrem concederet. Franciſcus eo vehementior, an, inquit, tot annos exceptas, reiectasq́; querelas, ſenex iam, & leuibus quibusvis curis impar admittet? & putas auctum potentiâ Vgolinum, cum fratres, ciuesq́; contemnat, Parenti obtemperaturum? Illo hærente, & ambigente futuri, ſubdit Franciſcus quando tuæ te iniuriæ non mouent; documentum profero, quòd impellat. Vgolinus Vicecomiti quàm ſuis acceptior, fratrum iras iure metuens; vt ſecurius in patientiam ſuorum ſæuiat, Vicecomitem acceſſit, quem titulo tutelæ, mox patronum accipiamus. Simul indices flagitij literas oſtentat; quas Vicecomes Mediolano tranſmiſerat, ſeriem, tempusq́; præſcribentes. Eas Franciſcus ſeu fratris odio, ſiue ſuſpicaretur, interceptas, aſſeruabat; quas eluendo flagitio, in vulgum, ac Patritios efferret. Ludouicus hactenus incertus, tùm primùm parricidio annuit; fratrem promiſſis onerat, ſponte ſuâ properantem vrget, ditionis, opumq́; partem arbitrio concedit. Mox dies, & occaſio præſcribitur. Simulanda interim caritas videbatur; ne certus odij minarumque Vgolinus caueret inſidias; aut quæ primi tractauerant, in fratres maturaret. Ille cui cara quidem dominatio, quamquàm fratres inuiſi eſſent; cum obſequio ſtabiliri poſſeſſionem ſibi crederet, de cæde tamen nîl ſuſpectatus, vtrumq; conuictibus adhibuit, venationibus, ac militaribus in Vrbe exercitijs comites addidit; vetus odiũ, nouis in fratres concedentes officijs obliteraturus. Ludouici ac Franciſci familiares, adulatione gratiam quæſituri, monebant caueri inſidum fratrem, iræ facilem, lentum reconciliationi: & proximorum odia acerrima, etiam in longum protrahi; quæ forſan falsò iactata, ab vtroq; in deteriora prono, vt vera accipiebantur. Ergo deliberationi intenti; & plus ſolito iteratis colloquijs, magnæq́; cogitationis manifeſti, prudentioribus ſuſpiciones obtruſêre; ne abolita odia in totum crederentur. Et quidem Franciſcus, quamquàm ante armorum ſtudio vſus, frequentior tamen huic vni curæ incumbebat; munimina corpori, enſes, pugionesq́; permutans; & ſatellitio fidiſſimorum ſeptus in publicum tamquam ad bellum procedens. Id Camillum Beccacutum, intimâ Guidonis familiaritate non fefellit; Et quæ in Franciſco repentia, quid metus eſſet, expoſuit; orauitq́; demulceri iuuenem; & ſi quid ſæui animo agitet exquirendum; ne amore aut irâ diſtractus, in præceps laberetur. Nec ſenex aſpernatus inditia eſt; ſed vocatum Franciſcum, precibus, & auctoritate, quo animi impetu diſtraheretur, effari iuſſit. Ille conceſsâ à patre licentiâ vti ſe, retulit. Veterem ac ſolitam ſibi armorum curam, quam ne in pace quidem ſinat exoleſcere. Nullas ſibi iras aut diſcordias eſſe; & parentis incolumitati, cuncta rerum ſuarum cariſſima inniti. Credidit Guido, filij amori facilis. Nec enim tormentis eruenda veritas erat, quamuis ſuſpicio increuiſſet. Mox Ludouicum conuocatum, paternæ ſuſpicionis admonuit, à Beccacuto expergefactum ſenem; & communi pietate, poſſe niſi conſulta accelerentur, detegi conſilia. Itaq; maturandum fratres cenſuêre: Quòd licet impunè deliberaſſent, irrita tamen ſpes omnis, ſolâ ſuſpicione vanuiſſet. Satis viſum familiares donis in officio continere,

&

& maioribus pollicitationibus, obnoxios reddere; nullis certis mandatis,
aut communione parricidij; neceſſitatis tamen in tempore admonendi. Vbi
ſatis amicitiarum, & Vgolinum fratrem nîl tale ſuſpectantẽ, patremq; ſene-
ctâ torpentem vident, veſpertinas epulas opperiuntur, quibus fratres ac no-
bilium præcipui, iuuenili licentiâ excipiebantur. Nox tegendo flagitio, &
petulantia, velut cauſam quærerent delecta. Si quæ auerſi fratrum animi
ſuſpicio Vgolino inceſſiſſet, non alio certiori inditio patuiſſet. Nec enim
ſolitâ comitate ac iocis aſſidebant, aut epulis ad voluptatem frui videban-
tur: Sed taciti, defixi, decolores, vix delibata obſonia famulis tranſmitte-
bant. Cumq; id à quibuſdam obſeruaretur, Vgolinus intempeſtiuam ſo-
brietatem, aut amores fratrum accuſabat; ſecurior ſi cauſas reſpexiſſet. Vbi
amotæ epulæ, in facetias ſoluti, prout animus inclinaſſet; ludicra propone-
bantur. Mox orta contentio, dum Vgolinus ſuæ ſententiæ ſtudioſior, Fran-
ciſcus repugnantem acrius obiurgat. Sed quia maiora ſuberant, & oppor-
tuna deſiderio occaſio credebatur, Franciſcus ſtricto pugione, Vgolinum
medio pectore tranſuerberauit. Et quamquàm lethale vulnus eſſet; Vgoli-
nus tamen aſſurgens, & perfidiam parricidiumq; obijciens, dexteram gla-
dio inſeruit. Sed adfuit Ludouicus, & vtriq; geminatis vulneribus fratrem
auxilia fruſtra conclamantem, confecêre; idq; Decimâ quartâ Octobris. *Vgolini cædes.*
Milleſimi tercenteſimi ſexageſimi ſecundi. E conuiuis quidam defixi ſub-
ſtitêre, plures illico dilapſi. Amici per eos dies à Ludouico ac Franciſ- *1362.*
co plus ſolito culti, erumpentes cubiculo comitati ſunt. Non dum binos Im-
perij annos Guido tenuerat, cùm cæſum à fratribus Vgolinum; eoſq; arma-
tâ manu domo exceſſiſſe audiuit, incertus quid pararent: Suisne, an exteris
dominationem vellent; an ſecretis odijs illecti, perniciem fratri, ſibiq; tan-
tum dedecoris quæſiuiſſent. Ergo graui nuncio perſtrictus, non aliud, quàm
infelicem ſe proclamauit; fratris primùm, mox filiorum odijs agitatum. Sic
infamiam domus geminari, ſibi ac Patriæ ſubſidium imminui. Et ne ſo-
lantes memoria doloris, reliqui præſentiâ offenderent, intimo cubiculo clau-
ſus, tolerauit. Cæterùm (vt cunctæ mortalium res in incerto ſunt) non de-
fuêre qui Ludouicum, ac Franciſcum excuſarent; crederentq; contractam
cum Vicecomite affinitatem, ad hoſtilia Vgolinum tranſtuliſſe: Vt Patriæ
ac parentis oblitus in Socerum inclinaret; daretq; ſe vxori, vi ſuâ etiam Pa-
triam tracturæ. Sed & tacitæ inter vtroſq; conditiones circumferebantur;
ſiue ex vero, ſiue in ſpeciem compoſitæ; vt Monferrati Marchionatum Vi-
cecomitis armis Vgolinus inuaderet, Mantuâ Socer potiretur: & vno velut
filo, vniuerſa Longobardia in Bernabonem abiret. Satis liquet, id à Ludoui-
co ac Franciſco iactatum: & ne dedecus vulgarent, clam apud fidos, etiam
oſtentatis literis lamentatos. Verùm vt incertis auctoribus tradita, nexam
opinioni flagitij ſuſpicionem habent; ſic illorum temporum rumorem vali-
dum referre, abs re non fuerit; vt ij ad quos noſtra hæc cura deuenerit, vbi
deficit certitudo, æſtimatione veri, & non famâ inani fulciantur. Vix do-
mo fratres eruperant, & Prętorium, tãquam impunitatis ſedem conſcendêre; *Fratres in prætorium.*

armato milite pro ſcalis, pro foribus diſpoſito: Miſſiſq; ad Portarum Vrbis cuſtodiam fidiſſimis; ne ad internos rumores conuerſi Ciues, abolitam libertatem retractarent, aut minori diligentiâ exteris cauerent. Caſtelbarcus Gonzagorum affinitati illigatus, & indiſcretâ aduerſus Aloyſij filios ac nepotes caritate, conſternationis tamen gnarus octingentos vrbanos pedites euocatos, in armis habuit. Pars foro inſiſtere, pars luſtrare regiones; alij Ludouicum ac Franciſcum comitari iuſſi. Vir haud dubiè vt è primâ nobilitate, ſic de Gonzagis conſanguineis tantum meritus, quanti dominatio æſtimatur. Fides illi vltra opinionem fuit. Guido ne ſequenti die quidem, cubiculo egreſſus eſt, quòd ætate, valetudine, mœrore attineretur. Simul (vt ferebat) optimo & prudentiſſimo filio orbus, publico ſe committere horrebat; pari doloris incremento, ſiue ciues indoleſcerent, ſiue lætarentur. Et fortè nonnulli lætabantur, nimiam potentiam Vgolini, & contemptum fratrum auerſati. Niſi in oculis adhuc Patriæ libertas credebatur; & ægrè (quòd ante alia cara eſſet) obliuioni mandaretur. Qui ſolandi officio admitti orauerant, à Ianitoribus amicè quidem excepti, non tamen recepti à Guidone ſunt; iuſſi tantùm filijs ſi concordes egiſſent, preſtò eſſe. Nec enim in liberos implacabile odium, concipi aut foueri poterat; nec aliud mali leuamen, quàm ex paternâ indulgentiâ ſupererat. Orto die fratres, frequẽtem Senatum, quoſq; Sindicos, Iudices, Antianos, ac Sapientes dicebant conuocari petière; rationem tumultus (vt ferebant) redditur; docturique cur in Vgolinum natu maximum ſæuijſſent. Nullus ciuium metus erat, ingens ſecreti deſiderium, eoq; numeroſior conuentus fuit. Ludouicus contumaciæ iræq;, quàm pœnitentiæ aut caritati propior, ſic excepit: Fratres in fratrem parricidio deliquimus conciues, præuiâ multorum annorum, & familiaritate & patientiâ. Fallitur qui flagitio, quæſitam dominationem putat. Nec enim duobus fratribus ſuperſtitibus, ſublata æmulatio eſt; & ſupereſt Parens ſenectâ viridi; Cæſarq;, & vos patres, quidquid hoc potentiæ, in voluntate habetis, quamq; nos, iuſtâ licet indignatione agitati flagitio amiſiſſe credimur. Opes cuiq; pares erant; quòd indiuiſæ; maiori tantùm maior vtendi licentia: Nobis nil deerat ad ſatietatem. Accedebat effæti ſenis, eadem in ſingulos manſuetudo; niſi prouectior Vgolinus, fiduciâ & indulgentiâ tumuiſſet. Dominationis noſtræ principia hæc ſunt; & quid ex futuro ſpei, & conſtantiæ in imperio ſit, vbi ciuilibus & domeſticis æmulationibus inſiſtitur, haud ignari degitis. Præcipua in ciuibus fiducia eſt; quorum obſequium Pater, Auus, maioreſq; noſtri, & nos ipſi, inter ancipitia probauimus. Hanc tamen crimine amitti poſſe, credibile nobis erat: Et ſi Cæſar, Pater, ciues, exteriq; ſceleri annuiſſent, vltorem Deum tamen, & vindictæ properum, licebat opperiri; ſi facinus, inuidia, odium, ſpes noſtræ expreſſiſſent, aut flagitium ſubeſſet. Magna, & quàm æternâ obliuione inuolui expediat, cauſa nos impulit, rem arduam, diſcriminis, inuidiæq; pleniſſimam proſequi. Non enim excuſari nos, niſi noſtrâ cum infamiâ poſſumus; & fratrum dedecora, in fratres, atq; adeò poſteros tranſcendunt.

Se excuſant.

An

An creditis quo nomine Patruum Feltrinum, armis, conuicijsq; proſecuti ſumus, nobis auctoritatem comparatam. Nimis recens exemplum; & nemo flagitium tutò aggreditur, quod honeſti ſpecie excuſari nolit. Statim quidem, & fermè inter familiam, medio conuiuij apparatu Vgolinum confodimus; ſed vetuſtior cauſa, nouam occaſionem obtulit, punire præterita, futuro prouidere. Et nos eâ vilitate eramus, vt paſſuri fœdiſſima quieſceremus; niſi publico dedecori, recentes in fratres iniurias addidiſſet. Honeſtius Parenti eſt, alienam culpam, noſtram turpitudinem operire; vt facto conſtare rationem, integrâ familiæ famâ cognoſcat. Id futuræ ſecuritati ſufficiat, non aduerſus amicos, conſanguineos, ciues, Patriam, fidem, caritatemq; exuturos, imo ſi qui ſecus egerint, pro hoſtibus & deſertoribus habituros. Pro effœto Parente publica munia capeſcimus; ne ætate ac valetudine fractus, curis inſuper dignitatis hauriatur. Vos ſolito in Capitaneum veſtrum officio per obedientiam, nos iuſtitiâ ac comitate reſpondebimus; ne etiam in benè meritos impij credamur, qui corrupto fratri non ignouimus. Senatus ac proceres, pro excuſatis vtroſq; habuit; quando ita publico expediret; nec quæ in ſui excuſationem afferebant, iure aut facto refelli poſſent. Nonnulli in adulationes effuſi grauius offendêre; dum recordatione flagitij, quod ſileri & obliuioni inuolui maluerant; aut ineptâ excuſatione (cui locus apud prudentes non eſſet) ſcelus onerant. Plus ſecreto profectum, viſumq; acceptius, aut approbare quę dicebantur, aut ſilere. Placuit tamen vtrumq;, placidâ oratione, Reipublicæ ac parenti firmare; quod ipſis honorum, patriæ ac genitori iocundum eſſet. Sancitumq; vt filiorum nomine, Petrus Torellus Senem inuiſeret, tempus orationi poſceret, vbi præterita deteſtatus eſſet, præſentia non accuſaret. Et amœnum viro ingenium, profluenſq; facundia erat; nec ipſe Principi ingratus. Reipublicæ, exterorum æſtimatio, à Cæſare metus, ex Bernaboo ſuſpicio, Scaligeri amicitia, Pontificis Romani animus flagitio auerſus, & Guidonis in Vgolinum pietas, genitorem ſui ac dominij anxium habebant. Nec enim ſatis in ſpeciem honeſta excuſatio ſuppetebat, quâ filiorum turpitudo velaretur. Sed nec Franciſcus violentior naturâ, aut Ludouici iuncta conſilia, quietem promittebant. Quantum enim à cæde Parentis eos abeſſe, qui in fratrem maiorem natu ſæuijſſent? Has curas, & quomodo ſeueritati, indulgentiæq; medius ageret voluentem, Petrus, Senatus nomine inuiſit. Admiſſoribus, ſtipatoribusq; amotis, cauſam Legationis, & filiorum errorem eleganter miſeratus, demum ad preces flexit. Irreparabilem caſum, & non niſi veniâ emendabilem; quam filij non armis, non peruicaciâ, ſed pœnitentiâ ac lachrymis à patre requirant, proſecutus. Nihilo meliores rigore futuros; ſed indulgentiâ pudorem inducturos, beneficij magnitudine, flagitij turpitudine æſtimatâ. Apud exteros, quiq; nobiliſſimam familiam, internis diſcordijs lacerari deſiderent, admiſſo ſceleri, vnam ex parentis reconciliatione ſecuritatem credi; vbi Senatus, ac populi voluntas accedat. Neminem adeo iniquum, vt non cauſam aliquam facinori præſumat; ſi Patria genitor,

Senatus annuit.

Mittit qui Guidonem erat.

conſanguinei,quorumq; intereſt,conquieſcant. Supereſſe Cæſaris gratiam, quæ non niſi Patris voluntate haberi poſſit. An amiſſo vno liberorum, cæteros cum vniuersâ familiâ perdendos? Satis pœnarum ex ipsâ recordatione habituros, & quæ nobilibus animis connata eſt facti conſcientiâ,pulcherrimâ verecundiâ. Sed & ſceleris memoriam, velut ſtimulo, ingenitam virtutem ſuſcitaturam; vt in Patrem obſequio, in ciues ſuos caritate, præterita emendent. Nihil ex his Seni Parenti imputari: Nec in Vgolinum profuſam caritatem; aut in cæteros cõtemptum accuſari. Proprias iras, tacita fratrum odia, quibus cauſa in abdito ſit, prætendi. Id maximè ſtabile ad pœnitentiam inditium,quòd parricidij veniam, non excuſationem requirant. Et quando interceſſore opus ſit, Senatum, populum, proceres, pro ſpe ſuâ, pro dilectiſſimæ familiæ gloriâ, pro Patriæ honore,ac incolumitate accedere: orareq; ne liberorum admiſſa, etiam ab innoxijs lui velit; quorũ vita, facultates, exiſtimatio, principum ſuorum incolumitati innitatur. Ad extremum tractas è ſinu literas quas Vgolino Vicecomes miſerat,Torellus fertur protuliſſe: Quarum intuitu auertiſſe oculos Guidonem; & diſcerptas igni vſſiſſe reperio. Cumq; multus in cauſam facti eſſet, nihil ad vniuerſa Guidonem, ſed ducto altè è præcordijs gemitu; nec ſcelere læſum ſe, nec pœnitentiâ lætum oſtendiſſe. Velut & amiſſo, & ſuperſtitibus condoleret: Mox vt coram filij ſiſterentur, imperaſſe. Itaq; ſecreto noctis, taciti & ignoti, poſt parentis epulas affuêre; & excluſis omnibus excepti ſunt. Facinoris reputatio Ludouicum ac Franciſcum, pietas Guidonem ſuſpenſum habuit. Hic tamen ne taciturnitate implacabilem offenſionem præferret, aut aſperitate reijceret filios, pietati ac dolori medius, ſic orſus eſt. Plus iuſto felix ad finem properarem, niſi communi vobiſcum dolore, & nullâ ſpe correctionis præteritorum lacerarer. Superis, vobiſque placitum, laborioſiſſimam Patris iuuentutem, miſerabili ſenectâ claudere; vt filium,educerem, cui id muneris à naturâ debebatur. Ego obſequentiſſimum filium,vos amantiſſimum fratrem perdidiſtis. Nec cauſas exigo; ſed ferendas naturæ leges moneo; quæ me Feltrino fratri, Vgolinum eodem ordine vobis præpoſuêre. Fœdiſſima, generi, ac patriæ indigna proferri; quæ factum excuſent, relinquant infamiam, omitti oro. Plus in eâ excuſatione culpæ eſt; quàm ſi fortuna, repens occaſio imputentur. An contentionibus & ſanguine, recens Imperio reſtitutam familiam, in ſolido futuram arbitramini? Singularem in Patre caritatem, aut dilectiſſimorum pignorum obliuionem prætendere durum auditu eſt; nec hoſtes quidem approbauerint. Datam Vgolino poteſtatem, & fateor; & vos eodem ordine progeniti cupiuiſſetis. Cætera filijs in æquo erant; niſi quòd per naturam non licet, vniuerſos eâdem ætate ſuſcipere. Nequaquam tempus, ætatem, indulgentiam computaueritis: Tonax imperij & in filium aſperior Aloyſius Pater, non tamen Feltrinum in officio retinuit. Sunt ſuæ cuiq; ſpes, odia, ſuſpiciones: quæ deprecari, quàm in tempore cauere permittitur. Certè pluribus collata auctoritas, promptiores diſcordias, & magis in lubrico Dominationem ſtatuiſſet. Mi-

ſeran-

ferandum caſum: etſi obliuiſci nequeam, tolerabo tamen, non imminuto ſuperſtitum amore, aut infractâ dilectione. Vos parenti ſolatium, officio, obedientiâ, etiam defuncti loco exhibete, locumq; vacuum implete; pariterq; cognoſcite, arduum imperandi munus eſſe; & non ſuorum ſolùm, ſed exterorum quoq; cupiditatibus obnoxium. Deniq; quo me parens moriturus præcepto imbuit, eodem ego paucos dies ſuperfuturus, animos veſtros onero; vt ferre pacem, mutuamq; concordiam memineritis, ſi labore ac virtute, quæſitam maioribus dominationem, diuturnam vultis. Apud Cæſarem auctor veniæ ero. Cætera quæ incumbunt, præteritorum memores viriliter proſequimini. Tacuêre filij, modeſtiæ, pudoris, ac pœnitentię documento, ſiue ita in mandatis habuerant; genibusq; patris aduoluti, mutuo gemitu recepti & dimiſſi ſunt. Quod noctis reliquum ſurdæ inter amicos lætitiæ inſumptum, adminiſtro Caſtelbarco, qui non adeo Vgolinum dilexerat, quìn ſingulari pietate Ludouicum ac Franciſcum proſequeretur. Domeſtici defunctum ſilente Ciuitate, modico tumulo nullo honore tituli condidêre. Id quoq; lugens pater orauerat; vt vniuerſa apud poſteros facti memoria deſideraretur. Sequenti die manifeſta reconciliatio; nobilitatis non minus, quàm plebis, vulgiq; deſiderijs expetita, vulgata eſt: Simulq; amiſſi Vgolini, receptis Ludouico, ac Franciſco dolor conquieuit. Non enim parentis ſenectam, liberorum violentiam, turbatam Italiam, Scaligeros ac Vicecomites anhelantes; pacem, aut diuturnam poſſeſſionem ſpondebant. Ergo vt Guidonem ignouiſſe cognitum, aperta fora, redintegratum commercium, ruptum iuſtitium eſt. Plures ſiue lætitiâ agitati, ſiue adulatione ducti perrumpebant, Ludouici, ac Franciſci dexteras oſculis fatigantes. Nec illi lætitiâ ſoluti, inter gratantes elati ſpectabantur; ſed velut odio ſceleris ſummiſſi, & taciti agebant: Intus ſummum proferendæ virtutis, & Ciuium gratiæ adrependi deſiderium erat; benignitate ac iuſtitiâ, quorum in Principe ſumma commendatio. Et quidem prudentiæ & integritatis exemplum dandum erat; ne cum Vgolino, virtus omnis familiæ concidiſſe videretur. Hinc longè lateq; Ludouici ac Franciſci nomen audiri, celebrari, & prudentiæ æſtimatione, cædis fraternæ cauſa interpretari: Diuiſa enim inter ambos adminiſtratio erat. Firmis tamen vtriſque, ne quo ſermone aut affectu dignoſcerentur; aut detegerent parricidij occaſionem, quam in totum ignorari voluiſſent. Vnum id tamen Ciuitas ac amici obnixè requirere, importunè flagitare, continuò orare; ſed etiam facti memoriam erubeſcente Ludouico, & exquiri Franciſcum cupiente, irrita ſollicitudo fuit. Vt mirum non ſit; familiæ intima perquirenti mihi, fruſtra laborem inſumptum; quod illi neſciri voluêrint. Franciſcus tamen, maiori audaciâ, minori prudentiâ, inſtantem amicum vt exprimeret quâ cauſâ occidiſſet, id ſolùm reſpondit: Quod viuere neſciuiſſet. Vgolini coniunx amiſſo marito inſolabilis, & deſiderio impar, modò Socerum, modò amicos, modò Senatum querelis ad tędium delaſſare; & quando non ſubueniebatur, ad Bernaboum Patruum, ardentes literas tranſmittere; quibus orabat eriperet ſe ſicarijs, & iuſtitiam

Ludouicus, & Frãciſcus patri reconciliati.

Vgolini coniugis querelę

ac potentiâ,vltione teſtaretur. Non aliâ cauſâ Vgolinum interfectum,quàm quòd Vicecomitibus fidus, nec patri diſcors eſſet. Prorſus à parricidis quęſitam occaſionem, vt immeritum incautumq́; opprimerent, ſpecie conuiualis diſſidij. Eandem ſortem miſerrimæ filiæ ſupereſſe; ſeq́; comitem vtriq;, niſi illico eriperetur, fore iactabat. Ludouicus ac Franciſcus, etſi nullo externo metu territi, pietatis tamen in viduam ſtudio, per literas ac nuncios ſolari, ſpem offerre, fortunam accuſare, parem potentiam promittere. Illa remittere beneficium reſpondebat: ne dominandi præmio illecta, in flagitium conſenſiſſe videretur. Horrere profanorum fratrum aſpectum, & minas quàm blanditias optare; vt accolis ac ciuibus innoteſcat, odio ſtirpis in viduam ſæuitum. Auſum quin etiam Ludouicum accedere, repulit; parricidam, proditorem appellando; quo metu Franciſcus ſolari ſuperſederat. Cunctis tamen officijs pietatis, comitatisq́;, à Guidone culta eſt: Nec præter feſtum ornatum,quidquam principis fortunæ detractum. Idq́; poſcente fœminâ; cùm prudentiores, pullatam familiam,domumq́; lugubri vallatam reprobarent; ob memoriam, quam nemo bonus vigere voluiſſet. Bernabous neptis morte exceptâ, aſſiduisq́; viduæ lachrymis ſollicitatus, fidiſſimos, nobiliſſimosq́; Mantuam ad Guidonem miſit, poſcentes viduam iuuenem, omnis ſolatij indigam, ad ſuos remitti; ſimul ſuſceptam ex Vgolino filiam reliqui; vt eâ ademptâ, mariti quæcunque memoria aboleretur; Gonzagi ne caritate quidem excuſarentur. Annuit deſiderio Guido; nec tamen Nurum à Mediolanenſibus deduci voluit; ſed nobilium pleriſq́; aſſociatis, Regio comitatu ad Bernaboum regredi voluit; nullâ excuſatione additâ; ne aut reos tutari, aut defunctum accuſare videretur. Thora filia tribus ab illinc annis Vrbini Comiti matrimonio iuncta eſt, virtutis, & formæ non vulgaris. Alij maſculæ ſtirpis Bernaboum addunt; nec tamen ſuperſtitem parenti reperio. Fratres interim egregiè concordes, ſummam imperij tenebant, in Parentem obſequio, facilitate in ciues. Sed angebantur animo, infęlicis Fratris memoriâ, pluſque pœnitentiâ, quàm curis diſtrahebantur. Et quamquàm placatos occiſi manes, ſupremumq́; Numen reatui indulſiſſe crederent; non tamen ſibi, aut publicæ opinioni ſatisfactum opinabantur; niſi Summi Pontificis (Vrbanus Quintus erat) veniâ, velut onere leuarentur. Haud diu dilata abſolutio; quòd profeſſione ſceleris indoleſcerent, & ſummiſſi orare viderentur. Cura in Ruſinum Mantuæ Epiſcopum, iubente Papâ commiſſa eſt. Quod maximè lætum Parentem, fratres, ac ciues habuit. Non enim adhuc ſuſpicax murmuratio, & tacitæ detractiones conquieuerant. Idq́; ad perfectum ſilentium requiri, abolendæ fœdiſſimæ recordationi circumferebatur. Vt ferè ingentia ſcelera, licet validis in contrarium actibus correcta, acrem ſui memoriam relinquunt. Augebat ſermonum licentiam Guido, rarus publico, & ſecreto męſtus: dolorem an indignationem volueret vix diſcreuiſſes. Et pronior in deteriora populus, nōdum placatum, & filijs ſuperſtitibus auerſum opinabatur. Etiam vertendi in Corradi fratris liberos imperij, aut ex Feltrino nepotes, conſilia ſubijſſe puta-

putabantur; Manifeſto vulgi errore, nepotes filijs cariores eſſe poſſe, opinantis. Et vtriq; ſpem induebant; ſeſe publico oſtentantes, & colloquia miſcentes: Vnde ſuſpicionis occaſio, & erroris fuit. Sed nullâ dominationis ſpe, tantùm frequentiâ, nouitates poſcebantur. Reuerſo in Vrbem Pontifice, Aegidius Cardinalis Legatus finem habuit: Princeps prælatus; & cui cum plurimùm Eccleſia contulerit, plus tamen debuiſſe fateatur. Eius quippe virtute, magna Flaminiæ, Vmbriæ, ac Longobardiæ pars, Sedi Apoſtolicæ acceſſit; obnitentibus tyrannis, & contractis aduerſus abſentem fœderibus. Multò ante ſe in Germaniam Carolus contulerat; & pace annos aliquot vſus, tum ſe Boëmici Regni gloriæ dederat: Indefeſſus, inquies, quandocunq; ornandæ Pragenſis Metropolis, licet aliarum iacturâ occaſio incidiſſet. Quidquid pubis ingenuæ per Germaniam erat, celebri Gymnaſio inſtituto, liberalibus artibus operari voluit: Conductiq; totâ Europâ præceptores; quos doctrinæ morumq; fama cæteris antetulerat; qui ſapientiam Stoicamq; profitebantur. Vrbis quoque decori aſſiduus; non ſtudio, non expenſæ pepercit; donec cæteræ Imperij Ciuitates vincerentur: Adeo nimius, vt pleræq; deſolarentur; & inuidiâ gloriæ turgeſcerent: Sed Patriæ nomine excuſabatur. Inteſtinis tamen diſcordijs quamquàm publicè pax eſſet, vexatus eſt. Nam Norimbergenſes primùm, Mox Vittembergenſes, armis reprimere coactus; qui nullis certis cauſis, ſeditionem agitantes, & velut pace nimiâ laſciuientes, correctione quietem docti ſunt. His ſecurâ pace firmatis, viſendi Prouincias neceſſitas occurrit: Non ſatis per miniſtros obtineri ratus; & tranquillitati plurimùm præſentiam conferre. Budæ Pannoniæ diutius immoratus, à Guidone literas, à Ludouico ac Franciſco fratribus preces accepit. Scribebat Guido: Se veteris familiæ ſuæ inſtitutis, tot annos continuatione ſeruatis inſiſtere; vt quod votorum eſt Cæſareæ Maieſtati exponeret; nihilq; vtilitate aut honore metiretur, cui Imperator non annuiſſet. Hinc initium ſpei, & certa petitionis fiducia. Accedere prædeceſſorum ſuorum in Cæſares iuſtum animum; nullo vnquã demerito fœdatum; & horum in ſuos clementiam, orantibus facilem, promptam, paratamq; deſiderijs. Non ſe honorem gratiam, opeſq; poſcere; quę ferè à potentioribus exquirantur; ſatis ſuperq; ſibi contigiſſe, ſi quod vitæ reliquum, tali pro Principe expleuiſſet; ſed pro filiorum errore veniam petere. Nec alio nomine paternos affectus, luctui ac gemitui inſepultos, conquieturos; quàm ſi placabilem Imperatorem reperiſſet. Et quamquàm nullâ ſuâ conſcientiâ patratum flagitium ſit, non tamen in filios graui pœnâ animaduerti poſſe, quæ acrius genitorem non tangat; & à ſcelere diuiſum, præcipuam mulctæ partem habiturũ. Nihil in Cęſarem ſeditione peccatum. Priuatas æmulationes, conuiuiales rixas, fratrum ſimultates, cauſã delicto obtuliſſe; quod ipſe, non niſi pari mæſtitiâ, vel accuſare vel excuſare poſſit. Id quoq; in gratiam acceptam reducturum, quòd miſerrimæ familiæ parens, luctu & orbitate perpetuò non inuoluatur. Prorſus duplicari erga filios debitum; ſi bis vitam, bis honorem accepiſſent. In Patrem ac

Egidij Card. mors.

ſuos

ſuos delicta ſi non impunè, cum pietate tamen corrigi cupere; ſi quid aduerſus Imperatorem peccauiſſent, implacabilem fore; & pro deſerroribus pulſos, Cæſaris ante, quàm ſuam clementiam experturos. Idem ſed humilius fratres orabant, querelis excuſationes miſcendo; ſed Patris ſorte, Cæſaris indignatione, conſcientia admiſſi facinoris confuſi. Carolus vbi à parente, nîl aliud ex filijs requiri; læſum ac condonantem eundem eſſe, placatumq; confeſſione, ac pœnitentiâ cognoſcit; ne offenſum ſe, aut patre immaniorē
Cæſar ignoſcit. oſtenderet, veniā conceſſit: monitis ante fratribus, prærcritum errorem, recentibus meritis ac virtutibus obliterare; & in Parentem eo obſequio vti, quod bis datæ vitę beneficium expoſcat. Et quia admiſſo parricidio quidquid iurium Mantuæ habebant, amiſerant; nobili Diplomare Patrię reddi-
1365. ti, futuræq; poſt genirorem ſucceſſioni deſtinari. Id cùm familiæ communes hoſtes, tum præcipuè, Feltrini ac Corradi ſtirpem angebat; quòd deuolutam flagitio poſſeſſionem crediſiſſent, nec Parentem aut Cæſares iuſtè amiſſa denuò conceſſuros. Vtriq; nomine, & fortuna minores negligebantur. Ergo vt pondus cauſæ accederet, ſocietate accuſationis protulêre, Budamq; Pannoniæ Vrbem, miſiſſe nuncios cum muneribus ad Imperatorem credebantur, ſcelera vtriuſq; augentes, ſuum obſequium, & pares nobilitati narales oſtentantes. Sed res contra vertit, nam vna in Patris indulgentiâ ſpes erar; Imo nec facilè creditu eſt, gauiſos cæde conſobrini Feltrinos; apud quos ſuſpectis accolis, nihil amplius tutum credebatur, niſi Mantuæ Principes protexiſſent. Populi tamen interpretationibus res vulgata. Sed nullum adeo impudens mendacium eſt, vt auctore careat. Philippum certè Corradi filium Vrbi aſſiduum, ſolandi apud Guidonem munere, & præcipuum legationis ad Cæſarem comperior: Er cum compendio factum proſecutus foret, fusè excuſaſſe. Quò minus aſſentior vt credam diuerſa à patre ac fratribus Philippi attentara. Ludouicus ac Franciſcus, vbi Parētem, Pontificem, Imperatorem ignouiſſe; ſolam ex virture gloriam, ex ſcelere metum eſſe vident; vt magnâ famâ, præteritorum turpem memoriam ſupergrederentur (quando quieta omnia apud Italiam erant) domeſticæ laudis ſtudio incumbebant. Intuta graſſatoribus ditionis itinera aſſuetudine turbarum, ſecurirari reddidêre; Vrbs annonâ ad ſatietatem expleta, iuſtitia æquitasq; valebant; neq; tamen Parenti imperium, ſed laborem adimere noſcebantur: In nobiles magnificētiâ, in egenos liberalirare, erga inferiores modeſtiâ commendabantur. Hactenus Guido, iuuenram, violentiam, efferos animos, prauas cupidines in filijs meruens, vim Imperij auctorirateṁq; retinuerat; Sed vbi admiſſo ſcelere, pœniruiſſe, & ſi quæ vitia ſuberant, vt inregrè emendatos, omiſiſſe deprehendit; transferendam potentiam in liberos credidit; quam ignari exercendi, olim ambiuerant, tum meruerant. Pleno id Senatu, quem domi ſuæ conuocauerat exequi emancipationem placuit; vt celebri aſſenſu, facti ratio niteretur. Nec integra conceſſio, niſi habitâ ab Imperarore veniâ laudabatur. Viſa opportuna tempori, receprâ gratiâ; & abolitâ veterum recordatione. Accedebat effęta ſenis ætas, quâ

ſe

ſe rebus imparem deprehenderat; & tum domus honori in longum conſuli; vbi Reipublicæ adminiſtrationem, non hæreditate, ſed coram permiſſione accepiſſent. Inerant Sapientes,& Antiani; nec non publicorum munium adminiſtri, numero fermè Octoginta. Hos inter Captiani ſummâ nobilitate, Agnelli, Andreaſij, Ripenſes,Daneſij; Caſtelbarci, caritatis in dominos vt conſanguineos incorruptæ, etiam medij conſiliorum acceſſerant: Tum Guido acceršitos filios, & Ludouicum manu tenens, ſeniliq; pietate collachrymatus (nî præteritorum memoria vrgebat) ad cæteros conuerſus, inquit: Ciues optimi ſponte oblatam à vobis potentiam, inualidus remitterem; niſi conſeruandam filio cognoſcerem; & præoccupare beneficium mallem. Vtroſq; comitate, munificentiâ, fortitudine probaſtis; neq; aliter quã in ſeipſos iuuentute, ira, ſimultatibus deliquêre. Permiſſæ vtriq; facultates contentiones vellent, data auctoritas proferet vigilantiam. Ludouicum proximo mihi loco ſubſtituo, Franciſcum Ludouico. Voſq; oro filij expectationi reſpondere, vniuerſa ex officio curate, vt veſtra: quòd Pater ac Senatus arbitrium permittant. Sit ſeni genitori, tot laborum, tot curarum pretium, vacuum conquieſcere; & liberorum virtutes ac commendationem excipere. Sed quia teneritudine ac profluentibus lachrymis præpediebatur, daturum ſe per Codicillos voluntatem profeſſus eſt. Mox verſi ciues in lætitiam; & vt dominos adminiſtroſq; recepêre. Eâ tamen Ludouici modeſtiâ fuit; vt cum vniuerſis imponeretur, neſcio Parente tamen nîl ageret, & vniuerſa conferret. Emancipationis forma fuit: Concedere Ludouico Guidonem, agros ad Gonzagam,Suzariam, Reuerum, Marmirolum, quodque Mantuani iuris eſſet; nec non quod domeſticis facultatibus continebatur: Franciſco tria aureorum millia in annos ſingulos exolueret; & ſub fratris poteſtate eſſet, donec Matrimonio nectetur. Quippe Letam Polentã offerri parens nouerat; quam & ipſo ſuperſtite mox vxorem duxit; poſtmodum ſine prole ereptam. Fratrum progreſſus, & eluſa præcipitij expectatio, vicinorum animos acriter lancinabant: Quòd familiæ odio, etiam virtutibus, vt in tempore profuturis, infeſti forent. Pontifex tamen, Eſtenſis, quíque rem ex æquo æſtimabant; prudentiam, fortitudinem, pietatem, miris laudibus attollebant. Solus Vicecomes Mantuani agri deſiderio, eò acriori, quò difficilior acceſſio erat; & neptis viduatæ dolore vecors, ſecretis in familiam odijs, vniuerſa ſecus ac dicebantur, interpretabatur. Prudentiam fortunæ, fortitudinem temeritati, pietatem ſimulationi affingens. Nec id fratres latebat; modeſtiæ in hoſte coactæ, & amicitiæ fallacis pridem gnaros. Et non vniuerſi ſilebant; ſed Mediolanenſium nonnulli, quibus honeſti cura erat, monebant, caueri fictas blanditias; & ſe contra ſecretè minitantem munirent. Itaq; dum ille prætextu vindictæ, futuro quod meditabatur bello accingitur, Ludouicus ac Franciſcus Ciuitatem commeatu ac milite, Arces præſidijs firmabant; collectâ pecuniâ, & quæſitis apud exteros fœderibus, quibus Vicecomitis potentia ſuſpecta, animus notus erant. Scaliger hæreditario iure Mantuanis infenſus, parari bellum nunquàm iucundius

Guido filios emancipat.

dius

Vicecomes, & Scaliger in Mãtuanos dlus accepit; miſitq; Mediolanum, qui Vicecomitem docerent, ſe in tempore magnis copijs acceſſurum. Nullum amicitiæ vinculum, nullas conditiones pacis, cum iurato hoſte interceſſuras: innutritis, & eruditis vtriſq; in mutuam perniciem, ac excidium. Accepit Vicecomes non inuitus, laborum ſocium, vt hic quoq; frangeretur; & habitâ Mantuâ, Veronam facilius acquireret. Non enim maiori in Veronenſes caritate erat, quàm Gonzagos; ſed habendi deſiderio amicitias induebat. Diem vtriq; dixêre, quo hic Septentrionem infeſtis armis inuaderet, ille Occidentem; & Ciuitati proximiora obſidione vallaret; ne quod Mantuanis effugium, aut auxilijs liber acceſſus eſſet. Miſſurum ſe quoq; claſſem, quæ Pado, mox Mincio decurreret; intercipiendo commeatui, quod per lacus vehebatur, & obſidendæ arctandæq; Vrbi, ipſo ſitu, velut clauſæ. Honeſtus tamen titulus quærebatur; cupiebatq; videri auxilio potius, quàm auiditate prorupiſſe. Itaq; Gõzagos Feltrini filios Nuuolariæ tolerantes, miſſo fidiſſimo, monuit, parricidarum iura præripere; ſeſe Mantuanis ſuis oſtentare; & vniuerſam Padi ripam ſibi addicere; quæ primo ſtatim impetu ſit obtemperatura. Illi abnuiſſe conſilium traduntur. Quidam impetu Luzariam, & Suzariam occupaſſe volunt, certâ ſpe ex Vicecomite auxilia offerente: Quo indignatum Carolum, Cæſarem referunt, exutos Mantuano iure omni; & Nuuolariæ anguſtijs fuiſſe addictos. Guido licet ætate fractus, & quieti quàm labori

Guido erat auxiliũ à Cæſare. paratior, maturandum ratus, literas ad Carolum Imperatorem mittit, auxilium requirens; & præſumptas belli cauſas edocens. Non ſibi cum vno hoſte, & paris potentiæ certamen eſſe: Sed imminere Vicecomitem, Scaligerum Ciuitati inſultare, vt captã proprio ductu, non Cæſaris arbitrio detineãt; aduerſuſq; validiorem, quod bello accepiſſent, armis tueantur. Vnius Vrbis diſpendio, modicam Cæſari iacturam, ſed trahi cætera; nullo hactenus tutore, qui ſua, qui aliena ſeruare poſſit. Se, ac ſuos, pro Cæſaribus non minus, quàm pro vitâ, ad extremum ſpiritum pugnaturos: fidemq; quam Imperio vouerint, inuiolatam ſeruaturos. Orare proinde, ne obſequij, ac caritatis probatiſſimum, hoſtium libidini permittat. Inuentus eſt Carolus magnâ curarum mole diſtractus, multis Germaniæ Ciuitatibus libertatem, nõnullis Principibus illarum dominium iactantibus: Et metuebantur malè concordes, ne ſententiâ quidem in officio futuri. Quippe Ciues ipſi voluntatis diuerſi, aut ſua, aut aliena, cõmodi æſtimatione fouebant. Quæ illico componi potuêre, ſancita ſunt; quibus maiori negocio opus, dilata. Moxq; quatuor equitum, duodecim peditum millibus comitatus, itineri, & auxilio Guidonis ſe accinxit; nunquàm hactenus, tantum rebus ſuis pauenti. Sed itineris longitudo, prius hoſtes Mantuano, quam præſidium intulit. Aliquot ante menſes Corradus Philippi parens, (quem amicum Dominis habuimus) validis Ludouici, & Franciſci ſuſpicionibus agitatus, ſeſe diffamãtibus ſubtraxerat: ſed cum dierum aliquot ſecreto ac dolore, nanciſcendæ fidei apud ſuos nîl proficeret, indignationem pro metu induit. Euocatoſq; filios, longè à Sobtinis habuit, haud dubiè, cum deſiderio vindictæ. Non

quæ

quæ familiam prius afflixêre referemus; vt rerum veritas ordini (quantùm per neglecta incedenti permittitur) reſpondeat. E ſecundo Aloyſij matrimonio Corradus filius (quidam Corradinum volunt) de quo meminimus, ad Scaligeros euaſerat: quorum in Gonzagos certiſſima inuidia; & ſi ſors tuliſſet, vltio metuebatur. Hic exilium voluntariâ ſeceſſione tegens, ſpe futuri dominij ſuſtentabatur. Ac ſi Vgolino interempto, Franciſco aduerſâ valetudine detento, Ludouico ſine liberis, in ipſum dominatio reuolueretur. Cæterùm Alda Eſtenſis Ludouici coniunx, virilis ſexus ſtirpem ediderat, cui Franciſci nomen, fratris amore impoſitum. Hinc proiecta Patriæ, & Imperij ſpes, hominem contumeliæ, & deſpectus inſolentem, ad noua compulit; & per ſcelus quærere, quod hæreditate, & ſucceſſione, non erat habiturus. Scaligeri mens perſpecta Corrado erat longâ conſuetudine, & morum ſimilitudine: Vtq; Gonzagos maiores ſuos magnis & irritis vexationibus agitaſſet; vnde odij vindictæq; cauſam ſubeſſe coniectabat. Ergo ſecreto petito, ſpes ſuas, Ludouici ac Franciſci aduerſum ſe odia detegit; paratos ciuium plures accipiendis imperij conditionibus, & exturbandis profanis Principibus; qui dominationem, flagitio ac parricidio quæſiuiſſent; Obnoxijs & qui vulnera intuliſſent, & Patre conniuente. Facilem adeo Cęſarem, vt etiam ſuam ipſe potentiam ſubditis Ciuitatibus venundederit. Scaliger nihil intentatum relinquendum, quò deſiderij potiretur, ex opportunitate exiſtimans, vno velut ictu Corradum, Ludouicum ac Franciſcum peruertere meditatus eſt. Si iacta inter conſanguineos diſcordia, ſuâ mole vniuerſos detereret, & aduerſus ſingulos ipſe intaminatus valeſceret. Itaque componit ad Franciſcum literas, in hunc ſenſum: Multò ante ſancitam inter Veronenſes ac Mantuanos pacem, ſibi cordi fuiſſe; vt arctiſſimo amicitiæ vinculo, duæ clariſſimæ familiæ illigatæ, ſibi munimento, exteris terrori forent. Nec niſi humanitate ac officio ductum, Corradum hoſpitio excepiſſe. Crediſſe quippe, dum quieſceret, & nouitatibus abſtineret, etiam Guidonis amicitiæ ſatisfacere. Fidei documentũ, peruincens, offerre; quòd Corradi indignationem, paratasq; fratribus inſidias à familiaribus vitare monuerit. Eâ ſe ſpe agere; vt parem ab ipſis operam accepti beneficij operiatur. Antonium Gonzagam, quo familiariter vterentur, amicitijs, armisq; inſiſtere; vt regreſſus Mantuam Corradus, conſilio parricidij, parata omnia deprehendat. Imo & inculcatis literis moram execrari. Patrem quoq; Guidonem, memoriâ Vgolini filij viuida odia adhuc ſeruare. Acceptas literas Franciſcus, Ludouico legendas tradidit; quidq; eâ in re facto opus eſſet, requiſiuit. Haud enim temerè Corradi neceſſitudo in ſuſpicionem vocanda; aut Scaliger perfidiæ doliq́ue accuſandus erat. Ludouicus multum ante penſitato, pluſne detrimenti ſecreti detectio, an vtilitatis ſilẽtium afferret, tentandam Antonij conſtantiam credidit; vt ſi reus foret clementiâ mutaretur; ſi innocens, coniuratio detegeretur. Nouerat ardua negociorum celari, manifeſtam ſuſpicionem afferre; & velut pro confeſſis haberi, qui interrogari nolint. Vocatur Antonius, & cæteris amotis, in ſecre-

Ludouici filius Frãciſcus.

Scaligeri fraus.

ſecretam domus partem deductus, ab vtroq; ſic excipitur: Poſt communis Aui obitum Antoni, dempto ſupremo nomine, quòd ætatis beneficio tenuimus, pari nobiſcum fortunâ, ijſdem facultatibus vſus es: Promiſcui famuli, ſeria, ludiera, mœrores, voluptates ſuêre. Nec id iuſſi aut iure, ſed caritate egimus. Turpe videbatur ijſdem progenitoribus ortum, ſeponere; velut aduerſum & immeritum. Tu quâ gratitudine, amorem, munificentiam, fidem proſequare, memineris. Si enim in optimè meritos conſanguineos impiè egeris, vide quo honore, quâ vtilitate apud tuos, apud exteros agas. Corradum noſtræ quieti inuidum, cuius flagitio & ſeceſſioni annuis, Scaligeros cuius inuidiæ reſpondes, iamdudum toti Italiæ exoſos, magna vitia reddidêre, quæ tegi nequeunt. Nos ſi de te iure metuimus, vt infidum amouebimus, ſecludemus; & debitâ alienatione animi Principes offenſas vlciſcemur. Fallitur quicunq; apud perfidos fidem putat; aut proditoribus accedit: Et proximum temeritati eſt, nimiâ indulgentiâ perfidiam irritare; prudentiæ, in animaduerſionem prorumpere. Antonius cui Corradi odia, & Scaligeri aſtus, longâ rerum experientiâ perſpecti erant, ſummâ animi cõſtantiâ reſpondit: Vnum id ſibi in vitâ, quo magnis Principibus æquaretur contigiſſe; amorem iuſti & exerciti: Nec pluris potentiam aut imperium æſtimare, ſed vt ſummum nobilis viri bonum colere. Non alias ſibi amicitias, non hoſtes, quàm quos Guidonis vtilitas delegiſſet. Longo enim vſu aſueuiſſe, & Senis, & fratrum placito voluntatem conferre. Refutandum ſecretum, & dictatas ſcelere literas (nam eas Ludouicus oſtenderat) ſibi anteactæ vitæ ſecuritatem eſſe; quam nemo peruicaciâ aut inimicitiâ poſſit inficere. An experimentum tot annos ſumptum contra eſſe? aut cum Vicecomite vel Scaligero, in flagitium, bellumq; conſenſiſſe? Et quando Scaligerum eſſe qui accuſabat, innotuerat; generoſâ irâ accenſus; non alium diſcordias ſerere, quàm Scaligerum potuiſſe ait, frequentibus Gonzagorũ cladibus cognitum; & vt rebus ſuis conſuleret, fraudibus ac mendacio facilẽ. Daturum ſe optimis conſanguineis inditium cui fidant; & quo Scaliger proditionis ac perfidiæ manifeſtus arguatur. Simul excedit cubiculo; & in ſuũ regreſſus, publico ſcripto ſuam innocẽtiam, calumniam illatam teſtatur. Eius forma erat: Antonium Gonzagã cũ Ludouico, ac Franciſco Principibus, domi eductum; caritatis ac pietatis reum ſe fateri; nec dicto aut facto, quod illorum ſplendorem, aut potentiam imminueret tractauiſſe; non conſilium, non operam, nouitatibus, aut ſeditionibus accomodauiſſe; mentiri Scaligerum, ac Corradum Gonzagam; ſi ſuam conſcientiam in teſtimonium vocent. Propius vero, affictum facinus, vt participatione flagitij auctores tegerentur, aut excuſabilius erraſſe crederentur. Et cum veritas aliter haberi non poſſit, ſingulare ſe certamen offerre, quo inuſtũ dedecus, & illatam iniuriam eluat. Non abnuere quocunq; terrarum congredi; nam leuem vitæ, maiorem famæ curam arbitrari. Ad Ludouicum reuerſus, codicillum oſtendit, citatoq; curſore, intimum è famulis Veronam mittit; qui Scaligero ac Corrado deferat, locum, tempuſque congreſſus doceat. Antonij

con-

conſtantia incitamentum Franciſco ac Ludouico fuit, vt promptius crederent; ſimulq́; per literas, Scaligerum geminatæ proditionis accuſarent: Vt qui nil tale agitantem conſanguineum vltro carpſiſſet, ſibiq́; ac ſuis diſcordes reddidiſſet. Contumax aduerſus conſtantiam, virtutemq́; animus Scaligero erat: Sed quòd perfidum ſe, & facinoroſum apud Principes nominari indignè ferret, tantùm continuatione lamentationis profecit, vt Patauium duello deputaretur; non Antonio minus, quàm Scaligero ſecurum. Fixum huic erat, haudquaquam ſe certamini committere; ſed aduerſos hinc Corradum, illinc Antonium theatro inferre. Neq; illi iniuriarum, niſi è famâ certiores degebant. Corradus Scaligero, Antonius meliori fortunâ ac causâ, Ludouico ac Franciſco fratribus crediderant. Profecti Patauium Scaliger ac Corradus, Franciſcus & Antonius ſunt; credente nemine, vſque ad duellum duraturas conſanguineorum inimicitias. Nec deerant qui ſuſpectarent, ignaros ac innoxios, in pugnam aſtu & dolo tractos: quærebantque vel ſecretis internuncijs cauſas aperire, ne nullâ occaſione peruerterentur. Principes viri, quiq́; ſpectatores aderant, primò ſatis in quietem profectû credidêre, quòd quatuor Procerum diſcordia, duorum diſcrimine finiretur; ſimul duello magni & infauſti belli ſemina excinderentur. Sed qui rem altius æſtimabant; non eo motu finitas inimicitias, aut ſecuturam pacem coniectabant: Melius futuro per concordiam prouideri; quòd apud cæſi conſanguineos, odia æternûm maneant; & dandam operam, vt nexi ſanguine retineant caritatem. Sed arma, equos, diemq́;, propoſiti peruicaces Gonzagi repoſcebant; opinione, nullâ certâ causâ in mutuam perniciem properantes. Erat ante alios militaris diſciplinæ, & Duellorum iudicio delegato percelebris Ioannes Dandolus. Is vbi Theatro inductos æmulos, & pronos in vulnera vidit, conuerſus ad Iudices; non eum militiæ ordinem, aut priuatæ pugnæ formam eſſe, conclamauit; ſi nullâ certâ causâ ab vno obiectâ, ab altero receptâ, aut negatâ; Principes iuuenes diſcrimini obijciâtur: Sed ſciri oportere, quid imputetur, quid excuſetur; quæ tanto ſanguini cauſa ſuperior, quæ inferior ſit: Nam ferè veritatem eſſe potiorem; & fortunam aduerſus reum depugnare. Ergo vocatos iuuenes clarè percontatus eſt; quâ occaſione in arma ruerent; & an offenſioni ſine ſanguine ſatisfieri poſſet. Illi poſtremum abnuêre; prioris tamen ignaros ſe, ſilentio faſſi ſunt. Contra Scaliger priuata inter ipſos odia prætendere; nec ambos cauſæ neſcios agere, ſed ſilere: velut ſanguinis proprij prodigos, non verborum. Dandolus id quidem vtriſq; ſufficere retulit, ſed rogatos ante ſciſcitatus eſt, an diſidij cauſam nouerint, & quo impulſore in certamen veniſſent. Illi irâ turbati, (quæ etiam peritiſſimos dicendorum confundit) modò per incerta euagari, modò coniurationem, modò perfidiam objicere: Sed auctore opus erat, cuius fide inducti armis diſceptarent. Itaque Antonius Scaligeri literas, Ludouico ac fratri tranſmiſſas memorat; quibus perſcripſiſſet, ſe in Principum ſuorum ſalutem conſpirauiſſe; idq́; fide Corradi accepiſſe: Quod licet ſub ſilentio habuiſſet; amicitiâ nihilominus, & perſpectâ

 ſcri-

ſcribentis fraude ſuperatum, euulgaſſe. Corradus doli certior obmutuit: Mox reſumpto ſpiritu, mendacem Scaligerum, perfidumq; appellauit. Receſſiſſe Mantuâ quidem iuſtis irarum cauſis; nihil tamen in familiam conſcio Antonio machinatum: Et ſi parricidij animus fuiſſet, iuuenem è domo haudquaquàm periculo expoſiturum fuiſſe. Sed è tempore, ac ſecuturis rerum motibus beneficium quæſiuiſſe; & quòd auerſaretur, Scaligerum vindicem, non Antonium petijſſe. Scaligerum quòd fidem fregerit, non mereri. Multa per odium iactari, quæ vbi indignatio deferbuerit, irrita & immemorata deſiderentur. Non ea tamen ab amico proferenda, ſi ſub fide committantur. Mox obuerſus in Antonium; ſeu præteritorum pœnitentiâ, ſeu neceſſitudinis recordatione emollitus, in complexũ ſe dedit: Vnanimesq; ac inoffenſi campo exceſsêre; Scaligero ſeu priuatâ pugnâ, ſeu totis ſuorum viribus comminati. Ille vniuerſorum odia metuens, & Gonzagis virtute impar, præcipiti & continuato itinere Veronam reuerſus eſt; certus vindictæ, ſi occaſio obueniſſet, quando prima non ceſſerant. Sed vbi pudor deſijt, ſubſecuta præceps iracundia eſt; & actitatum pridem fœdus cum Vicecomite acriori operâ reſumpſit. Deſcribit militem, commeatum & impedimenta parat, nauesq; quas Mantuano ſtagno inferat, inſtruit; effringendis pontibus, & cominus tentandæ obſidioni. Inde certiorem Bernaboum ſtudij ac virium facit: Se quâ Veronenſis ager Mantuano nectitur eruptuum: Diurna alimenta, & quidquid auxilij Ciuitati acceſſerit intercepturũ; idem ipſe Cremonenſi limite proſequeretur. Padum infeſtâ claſſe, Burgofortum aſſiduis excurſionibus laceſſeret. Simul moras, & quidquid trahere in longum vindictam poſſet deprecatur. Eò enim validius in iras prorupeat, quòd cauſæ iniquiores erant: Nec niſi contentione, aſſiduitate, & querelis, affingi mendacio veritas poterat. Coniunx quoq; Vgolini, longo mœrore confecta, ne ſe inſolatam & inultam; ſed expleto odio iuſtâq; vindictâ ſatiatam, ad mortem properare vellet, orabat. Nec tamen ſtimulo Vicecomes egebat; fatali in Mantuanos odio, & Ciuitatis deſiderio, in flagitium corruptus. Cauſæ nihilominus honeſtatem proferre, apud interpretantes, in voto habebat: Vulgatâ per Longobardiam famâ fraternæ cædis, & ſubtractarum nepti gemmarum: Quæ in falſum iacta, vniuerſi depræhenderant. Philippum Turrianum decem peditum; quatuor equitum millia Franciſcũ Viſdominum Mantuanis inferre iubet. Ipſe à tergo ſubſtiterat, explendi exercitus conſilio; ſi Gonzagi præualuiſſent, & belli aduerſa admonuiſſent; mox vbi pugnæ initium, & cui ſors prior eſſet accepiſſet, totâ mole ſecuturus. Tyrannus Padum tenuit, ſecundo tranſuectus; & ponte Amni impoſito, vtramq; ripam infeſtis armis exercuit; relictis qui Burgofortum obſidione vallarent. Neq; enim Mantuanæ ditionis Arx vlla, potentis inimici conatus hactenus diutius eluſerat. Viſdominus Aſolâ ac Rotundeſco obequitabat, nîl ferro ac flammis intactum relinquens, prædamq; abigens; ſiue id in mandatis à Vicecomite accepiſſet; ſiue duraturæ apud Dominum poſſeſſioni diffideret; cuperetq; Principis ſui expenſas, qualicunq; vtilitate penſare.

Vicecomes & Scaliger in Mantuanos.

ſare.

ſare. Parte aliâ Scaliger, quâcunq; militem intuliſſet, in defectam ætatem, innocentem pueritiam, imbelle fœminarum vulgus, non obſtantes, non armis vſos, iuxta ſæuiebat; cæde, rapinis, incendijs, petulantiâ. Si qui laboribus ſuffecturi occurrebant, in perpetuam ſeruitutem deſtinabantur. Sed indignatio hoſtilis, non gloria; virum in bellum traxerat. Supero, inferoq; Lacu naues, quas non procul Vrbe conſtruxerat, licenter vagæ, & diſpoſitis bellatoribus, commerciumomne cum exteris diremerant, aut Mantuanos egredi Ciuitate auſos compeſcuerant. Additum vexationi ludibrium: Nam proſpectantibus è muris, ac turribus Mantuanis, piſcationi incubuerant, adeo ſecuri, vt longè hoſtem crederes: Suggreſſiq; oſtentare prædam; & paulò poſt, ad promiſcuas epulas adfuturos ſe ſpondere. Cæterùm quamquàm commeatu, ac iuuentute inſtructa Ciuitas, plures menſes, obſidioni par eſſet; multitudine tamen & varietate malorum inhorruerat; & vniuerſo territorio vaſtitatem ac ſolitudinem induci, Guido, filijq; indigniſſimè ferebant. Et ante alios Antonius, non adeo ciuium tenues res, vt virtutis ſuorum pœnitendum foret, ſuggerebat; poſſeq; egredi, & perrumpere obſtantia, quamuis relicto Vrbi præſidio, aduerſus metum ſuffecturo. Nec indignatio intra querimoniam ſtetit; ductiſq; è portu, qui mœnium ambitu claudebatur, Triginta nauibus, impetu in Veronenſium cymbas fecit, nocte intempeſtâ. Illi tranſtris, alueiſq; negligentiâ ſoluti, profundè obdormierant, cum adeſſe hoſtes, igni, ferroq; infeſtos percipere. Ergo expedire arma, locum capere, poſcere ſocios, vltrò citròq; impelli, pauore ac celeritate omnia confundere. Congreſſi tamen, nec ſine Mantuano ſanguine res tranſacta. Licet poſt multum vulnerum, captæ aut profundo merſæ lintres hoſtiles fuerint; & dimicantium pleriq; mactati. Ignara quippe naualis pugna Veronenſibus erat; & incertas mediæ noctis vndas, inter tela, ac nutantes greſſus paueſcebant. Remiges quoque, quos agro Mantuano tumultuariè contraxerant, miniſteria corruperant: cladis hoſtilis deſiderio, & omiſſo officio, cum maximè requireretur. Sic reddita ciuibus ſuis libera nauigatio; paucis hoſtium elapſis, nec in iuſtæ claſſis formam componi audentibus. Mantuani portu ſubiêre: Non enim multitudine armiſq; aduerſus in ſolido præliantes, inſtructi acceſſerant: & iam iamq; adeſſe pedeſtres Veronenſium copiæ audiebantur, rumore dimicantium, & ſugientium queſtibus excitæ. Libera certè aquæ planities, ſonos excipit, longèq; tranſmittit. Secundottus Agnellus, nauali Antonij eruptione firmatus, intentis Veronenſibus certamini, vt claro facinore, fidem ſuam, Scaligeri calumniam teſtaretur, cum Quingentis equitibus Portuenſi egreſſus, aduerſis hoſtibus inuectus eſt, nîl tale metuentibus, & vix toleraturos obſidionem Mantuanos exiſtimantibus. Illatæ tentorijs faces, cædibus in obuios graſſatum, equi, currus, eâdem ruinâ inuoluti, terrore ac fragore omnia completa. Pauci vinculis arctati. Scaliger dum ſuſtentat ſuos & fugientes retinet, voce, manu, imperio manifeſtus, ab Agnello agnitus, & lanceæ ictu impetitus, equo turbatur. Ergò vis omnis eò incubuit. Agnellus vt belli cauſam perderet,

Veronẽſium clades naualis.

Hh 2 Vero-

Veronenſes vt tuerentur. Conglobata multitudo, ne Agnellus vindictam expleret, aut Scaliger equum conſcenderet, præpediuit. Qui incolumitatis ſui Principis anxij accurrerant, vbi pauciores Mantuanos, & diuiſos conſpicati ſunt, ſublato clamore in obuerſos irrupêre. Sed ante alios Paulus Aemilius iuuentâ, nobilitate, animo ſtrenuus, inſtantem Agnellum, nec niſi Scaligero intentum, vno ictu confecit, quod per galeam adegit. Duce interempto verſa belli facies; palantes Mantuani, à compoſitis Veronenſibus excepti; Illis ſine imperio certantibus vniuerſa in irritum erant; hi numero adaucti, & fortunâ elati, quamquàm ſtrenuè prælianteseexercebant. Ducẽtum hoſtilis vis abſtulit: Reliqui incompoſiti ac ſaucij, auxilio ab Vrbe addito, recepti ſunt. Multum gloriæ erumpentibus, plus vtilitatis victoribus Veronenſibus partum. Illi paucorum hoſtium ſtrage, inſignes animos induerant, iſti prudentiam ſumpsêre. Minima bellorum detrimenta, benè maximis documentis ſarciuntur: Nam pauculis Veronenſibus deſideratis, cautiores reliqui euasêre; cum non longè mœnibus, ſecuri vt in ſuo agerent. Turrianus interim obſiſtẽte nemine, aut Burgoforto egredi auſo, imperuium amnem Padum, cinctamq; arcem ſeruare, ſatis rebatur. Ne numero, aut commeatu obſeſſi iuuarentur. Et fortè ſpontanea deditio ſperabatur: neq; adhuc, vt infęliciter nauibus Scaliger, equeſtres Mantuanorum copiæ pari fortuna pugnaſſent, innotuerat. Ludouicus Caſtelbarcus, conſanguinitatis, ac fidei in Gonzagos certiſſimæ, tum Burgofortum tenebat; habebatq; intra munimenta Centum octuaginta equites, pedites Noningẽtos. Hic obſidionem illam flagitij ratus, meridianam eruptionem animo concepit: Nõ enim credebantur hoſtes incredibilibus cauiſſe. Itaq; Quingentis peditibus, centum equitibus comitatus, ſecordiæ Mediolanenſium ſuperſunditur. Inuadi ſe prius hoſtes, quàm pugnæ ſigno excitarentur, percepêre. Ad arma tamen conclamatum, & raptis per confuſionem telis congreſſi ſunt. Mantuani pro ſalute ac focis, propinquo effugio, Mediolanenſes nullâ iuſtâ causâ certabant. Hinc Gonzagis vires, Mediolanenſibus metus accedebat: affuitq; fortuna. Namq; eo conflictu Vicecomitem octingentos amiſiſſe traditur. Nec tamen militis flagitium, ſed Ducis fuiſſe: Qui iniquo loco ſubſiſtere militem iuſſerat; & nugis inanibusq; diſtractum, inertiâ corruperat. Vbi ardorem pugnæ, & proſperam ſuorum dimicationem, qui præſidium Arcis ſeruabant excepêre; raptis illicò armis, velut ad certam victoriam accurrêre. Sic recrudeſcens pugna, & recenti auxilio ſuffectæ vires, manifeſtam in Mantuanos gloriam properarunt. Victores quadraginta ſuorum vulneratis, pauciſſimis deſideratis, in Arcem reuertêre; collatâ prædâ, ac manubijs, quàm dimicatione fatigati. Vicecomes Turriano infenſus (nam ante conceſſam militiam, parum familiaritatis, multum ſuſpicionis interceſſerat) comminationibus vſus, ad conuicia diuertit: Tamquã ignauiâ, paucos coronâ cingere, aut vacuam propugnatoribus Arcem, illicò inuadere neglexiſſet. Quod Mediolanenſes partes primùm afflixit; recolente Turriano iras, & ſegnius opportunitatibus ſeruiente. Quippe ingentium operum

Et Mantuanorum.

Caſtelbarcus Burgoforto erumpit.

Et hoſtes cædit.

operum miniſtri, comitate & commendatione proſequendi: Nec cenſuræ in ijs locus, quoties opera requiritur; nec niſi vbi conuicti flagitiorum ſint, miniſterio arcendi, aut aſperandi: ſimulq; opprimendi; eâdem virtute, ſeruituti & vindictæ, validi. Perſcripta hæc Guidoni ac filijs breui lætitiâ exceptaſunt, cautiores tamen futuro reddidit. Non enim niſi forti ac properato externorum auxilio, vtrinq; inſtantes hoſtes, repellere poterant. Miſſi proinde ad Pontificem Vrbanum, Romæ tum agentem, Reginam Ioannã, Venetos, Florentinos, Eſtenſes; qui Guidonis nomine, res in anguſto ſitas, cauſamq; belli docerent. Captâ à Vicecomite Mantuâ, de reliquâ Italiâ actum. Eam ſolùm potentiam, quò minus Flaminia peteretur, & Appeninum tranſmearetur, obſtare. Nam relictus à tergo hoſtis, ambiguum ac futuri ſuſpenſum Vicecomitem reddidiſſet. Apud Principem cuncta libidine agitantem, Vrbis Romæ tantam reuerentiam non fore, vt ſi occaſio ingruat, dominium aſpernetur. Vniuerſi quæ proferebantur approbare, non omnes auxilio adeſſe; laudare conſilium, diſcrimen abnuêre, excitare alios, ipſi hærere. Carolus Imperator compoſitis Germaniæ rebus (vt diximus) nobili commilitio, & pluribus hominum millibus comitatus, Tridentinis iugis iam conſederat. Pontifex ingenitæ Vicecomitum ſuperbiæ gnarus; fratrem cum ſex hominum millibus, Bononiam, quâ victori Mediolanenſi in Flaminiam iter futurum ſuſpicabatur, præmiſerat. Eſtenſis, non præpeditâ Padi nauigatione, haud longè Gouernolo, cum ſex item millibus conſtiterat: Quâ parte erumperet incertus, & Guidonis iuſſa opperiens. Ioanna longius ſita, luxu, & fœminili cunctatione corrupta; ſimul diſtantiâ periculi tardè procedebat. Florentini internis diſcordijs conuulſi, ad externa ſegniores erant: Eoſdemq; compellauerant Vicecomitum Duces, quos Guido in ſubſidium vocabat. Suberat quoq; apud Senatum reputatio, num præferox hoſtis armis irritaretur; ne vbi præſentia in Mantuanum conſediſſent, redderet odia, & vim omnem in perniciem auxiliorum conuerteret. Neq; tamen ſpes auxilij ex Mantuanis, proxima è Venetis ſpes erat: quos milite, pecuniâ, prudentiâ validos, & ante alios Gonzagis fidos nouerant vniuerſi. Sed illi tot gentium motu accepto oſtentare ſubſidia ſatis habebant: Alienam ſtultitiam ſibi profecturam, in armis circumſpectantes. Seniores quoq; è Patribus monuerant, integras nec diſtractas vires ſeruari; donec Imperatoris conatus detegerentur. Nam infenſos præcipuè Germanos Cæſares nouerant, vt libertati iactatæ intonantes. Minis tamen, & frequentiori militiæ luſtratione, apparatu armorum, & aggeſtu commeatuum magni auxilij ſpeciem præbebant; cum quotidie affuturos ſe promitterent, ambientes locum belli, & declinantes. Nec tamen abhorrebat Senatus Lõgobardiæ Ciuitatum amicitiam; quas vbi potentiorum alicui necterentur, facilè in ſeruitutem abire didicerat. Et nouerat potentiorum amicitiam, patrocinium, fauorem; ſeruitutem minoris eſſe. Aſſiduus interim Guido, implorare auxilium fidem, iuſtitiam, fœduſq; perſtrepere: Sed Veneti amiſſis, aut in ancipiti ſitis rebus, ſucceſſuros ſe promittebant; tarditatem conſtantiâ,

Gonzagi opē per Italiam implorant.

Veneti cauti

tiâ, & magnitudine tutelæ ſuppleturi. Interim Burgofortum, iteratis congreſſibus quatiebatur, ager omnis fęda vaſtitate laceratus auxilium maturabat. Proinde vbi Cæſarem properare, & iam Mantuanum agrum tenuiſſe vulgatum eſt, Pontificij, Eſtenſes, quiq; minori robore, validiorum conatus ſequebantur, Quadraginta millium numero conuenêre; Duce Cæſare, Guidone conſultore; omnes in vnius Principis Mantuani gratiam congregati. Qui Ciuitatem ſeruabant, metu ante pauidi, tunc additarum virium æſtimatione elati, lætitiâ nimij, pugnam poſcebant, vicesq; reddere properabant. Nec Mantuano, nec hoſti aduerſi, ſed inter pugnantes medij, cõcordiam, pacemq; conſulebant; ſæuitiam, incendia, rapinas, cædes oſtentantes: Etiam grauiora ſuperfutura, ſi Vicecomiti ac Scaligero fortuna arriſiſſet. Cæſaris lateri Ludouicus aſſiduus hærebat, Villas incendio hauſtas, abactos greges, ductos in ſeruitutem ſubditos referens. Hàc immiſſum ignem nullo hoſtium vſui, illic dirutas ædes, hìc afflictos ſolo infantes, ſpoliata delubra; & ſi quæ barbariem imitati inimici, atrociora commiſiſſent, proſecutus; oransq; ne tantum itineris, tot armatorum millia, fruſtra induxiſſet. Nullum apud perfidos pietati locum: Redderet infenſiſſimis Principibus vices; nec pacem ante, quàm expletâ vltione concederet. Onerabat indignationem præteritorum memoria; vt Scaligeri Cæſaribus infenſi, & Germaniæ ſeditionibus Carolo illigato, res nouas voluiſſent; tantò minus officio aliquo leuaſſent: Sic datus vindictæ locus. Pontificij, & Eſtenſes, iſtis tribus Mantuanorum millibus, quos Camillus Daneſius ductabat, Cremonenſem in agrum effunduntur; irâ, quàm prædandi ſtudio ferociores. Non ſacris, non profanis temperatum: Eodem impetu diſiectæ ædes, flammis vaſtatus ager, abducta iumenta, trucidati pagani, fruges maturæ aſportatæ, quæ nõdum maturauerant obtritæ, aut incenſæ ſunt. Nemo captiuus, niſi vt cæterorum pœnas daret, receptus eſt. Per iocum ac luxum, ictui infantes, dedecori fœminæ deſtinatæ; tantò maiori malo, quòd matres liberorum, filij parentum cædes, ignominiam ſpectarent. Nec aderat qui lugeret, aut diſſuaderet. Eadem quippe aduerſus Mantuanos patraſſe dicebantur. Ad extremùm ne ager quoq; incolis elapſis vſui eſſet, fędati fontes, rupta fluminum repagula, vt quoquo verſum effuſa, imperuiam paludẽ redderent. Cęſę arbores, ſpecioſiſſima Villarum exciſa; & omnia igni conflagrata. Sacras ędes eadem vis rapuit. Et tamen ſæuitia excuſabatur, velut nullo Numinis contemptu, in ſolam hoſtium vindictam perderentur. Et in quæſtu habebatur eripi hoſtibus etiam diuina. Daneſius omnis atrocitatis auctor, & extimulator acerrimus, plus ſuo milite calamitatis ac excidij in Cremonenſes, quàm comes externus exercitus, intulit. Et quidem eâdem formâ auitos agros, à Mediolanenſibus habitos ad Burgofortum referebat: Et orantibus Villicis ne Eccleſia domui nexa violaretur, non obtinuêre. Periêre decem & ſeptem miſerrimorum millia. Captiuorum pleriq; crudeliter habiti, & mactati: Incolarum prudentiores, cum futura prę-uidiſſent, omiſſis fortunis elapſi, ludibria ac cędes vitauêre. Bernabous inte-

Clades Vicecomitis.

Digitized by Google

interiora tutari, & dominij viſcera ab iniuriâ ſeruare ſatis habens, quod limitum, agriq; medium omiſerat, non munimentis, non numero aut virtuti ſuorum confiſus. Sed vbi conuerſam in ſe tempeſtatem vidit, hoſtes indies victoriâ, profectuq; gliſcere; nec niſi precibus flecti poſſe, ad ſaniora conuerſus, pacem orare, capta offerre, expenſas ac detrimenta compenſare, armentis, pecuniâ. Germanorum copiæ; cum tribus millibus Mantuanorum peditum, Mille equitibus, in Veronenſes ab Imperatore ducta, haud leuioribus damnis obuia quæq; affecêre. Mox in Vicentinos profecti, vniuerſum eum tractum velut in ſolitudinem redegêre: Exciſæ arbores, detritæ vineæ, abſumptum quidquid herbidum ac frondoſum, ſolo æquatæ ædes, armenta vſui militum permiſſa. Plus ſpoliorum quàm è Cremonenſibus habitum. Vix quinquageſimum poſt annum, priſtino decori ager reſtitutus. Et gaudebat cædibus & excidio miles; tamquam perditio populorum, non vllæ concordiæ pacem eſſent redditur. Pleraq; ad Germanos; nec pauca in Eſtenſes ac Mantuanos abiêre; dum fugientes, nec congredi auſos, ſpoliant, proterunt, interimunt. Pari ac Cremonēſes immanitate habiti, quòd primi in cauſam aduerſus Mantuanos, atq; adeo Cæſareos deſcendiſſent: Auſiq; forent, munimentis Vrbis, & iuuentute, dum aduentantem Imperatorem contemnunt, prouocare. Haud longè Veronâ, obuium ſe Cæſari Guido, cum quingentis equitibus, duobus millibus & quingentis peditibus præbuerat; tantamq; etiam in hoſte ſæuitiam, ſenili pietate miſerabatur. Primuſq; Cæſarem accuratiſſimis precibus lenire auſus eſt; trucidatorum innocentiam, poſſeſſionem Imperij, Chriſtianam pietatem obijciens. Ille quem non Pontificiæ literę; non Cypri Regis interceſſio; non deſolatio, excidiumq; tot populorum permouerant, ſupplici Guidoni acquieuit; & ſuppreſſis ad tempus armis, colloquia, conditioneſq; pacis admiſit. Siquidem Vicecomes ac Scaliger, quiq; minoris potentiæ tumultuántibus affuerant, precibus ac lachrymis Caroli clementiam orabant: Quæ Cæſar pacta dediſſet accepturos, & datam fidem ſeruaturos ſpondentes. Et Pontifex cōmuni bono, ſingulorum precibus ſuperatus, medius erat; eadem Imperatori, quæ Guido referens, & preces addens; quas ne barbarus quidem reieciſſet. Commeantibus vltrò, citroq; literis, & ambiguo quæ concederet, aut negaret Cæſare, Daneſius rapinis expletus, ſed iræ inſatiabilis reuertit. Hic flexum mitioribus Carolum fermè impulit, victoriæ ſeriem intercidere, nec pacem conditionibus accipere; quòd debellato hoſte ſecuriorem foret habiturus. Succeſſus rerum, & expeditionis fauſtus exitus Ludouicum ſuſtulerant; vt vindictæ deſiderio, bellum ſuaderet. Guido tamen maiori clementiâ, correctum paternâ caritate, ac mixtis blanditijs filium, iuſſit pietati ſuccedere. Caroluſq; victoriâ habitâ, & reductis in ordinem æmulis, ſatis famæ ac exiſtimationi ſuæ credidit, ſi ſupplices, ac pœnitentiâ demiſſos accepiſſet. Dari enim experimento potentiæ exemplum, & per Italiam cæteros obſequij admoneri. Vicecomitis preces miſſæ literæ, Scaligeri proprius legatus detulit. Promptius Carolo aſperioribus ingenium erat; ſed humilitate

Vicentinus ager exciſus.

Vicecomiti & Scaligero Carolus ignoſcit. litate euictus, imminuit ſæuitiam. Concordia itaq; ſic tranſacta. Oppida, ſpolia, præda, captiui, quæque ad inimicos ceſſiſſent, redderentur; pax ſacramento ſanciretur, Mediolanenſis ac Scaliger, dominationem, donum Cęſaris acciperent, Gonzagi fidi Imperio, intacti, inuiolati ſua poſſiderent; pax toti Longobardiæ eſſet. Et quia plus iniuriæ Mantuanis; hi plus prędarum cõgeſſerant, nec veteres patroni facilè deſignabantur, rara prædæ reſtitutio fuit; Gonzagis cum fęnore iactura. Omiſſus tantum ager, dimiſſi captiui; & profeſſione amicitia iactata. Daneſius paternam Villam grege captiuo repleuerat; cumq; Guido, reſtitutionis exemplum è duce poſceret, in aurem domino inſuſurrauit. Tot armentorum millia damno rerum mearum, ac ſanguine familiari coëgi; quæ amiſerim neſcius, nihil amplius ſatisfactionis petiturus, pauca hæc retineo: Si calculus excutiatur, multò plura debentur. Reliquus è Monferratenſibus metus erat; quos diuturno bello laceſſitos, Vicecomes in armis habebat. Cauſa, Prouinciæ deſiderium; vicinio, opulentiâ quæſitæ: nec adeo validæ, vt tuta inter potentiores ageret. Credebanturq; belli veſtigia, in magnam molem euaſura; niſi prorſus excinderentur. Palęologus ipſe diuerſus à conſilijs belli: & Vicecomes rerum ſuarum ſtudio aliena negligentius tractabat. Sic facilis vtriuſq; conciliatio, & iniuriarum venia fuit. Non longè Veronâ Carolus cum exercitu ſubſtiterat; incertus mitteretne ad ſua militem, an ſub ſignis retineret; falſis amicitijs metuens; & an Vrbem denuò repeteret; Pontificemq; nouâ officij demonſtratione recoleret. Ambigentem Guido perpulit, Mantuam cum præcipuis ſuorum diuertere; vt populus oſtentatione gratitudinis, agnoſceret per quem præſentes miſerias pepuliſſet. Miſitq; Ludouicum ac Franciſcum fratres, qui deducerent. Voluntati Guidonis, precibus fratrum ceſſit Carolus; & Coniuge, cunctiſq; Germaniæ proceribus comitantibus aduenit; breuem moram pollicitus, negociorum cum Pontifice magnitudinem cauſatus. Exercitus per Prouinciam diſtributus, ne communione inſoleſceret, aut copiâ hoſpites *Carolus Mãtuam.* oneraret. Aduentanti Cæſari per obſequium, tota Ciuitas obuiam proceſſit, feſtis acclamationibus; liberatæ Patriæ beneficio gratiſſima. Guido qui dominationem non ſemel, Cæſareâ munificentiâ acceperat, nullum officij genus omiſit, quòminus gratitudinem, lætitiam, & paratum ſeruituti animum teſtificaretur. Nec enim beneficium certius exoluas, quàm profeſſione debiti; & gratitudo, magis in animo cenſetur. Vocabat interim Pontifex, & vt Vrbem inuiſeret aſſiduis literis inuitabat. Videbaturq; totius chriſtiani Orbis bono, mutuum colloquium expedire. Nec enim ſimultates, æmulationesq; aderant, quæ ambiguos Principum decertantium congreſſus redderent. Sed detinebat Guido; tranſactos labores, imminuentem itineris moleſtiam, exercituum defatigationem referens: Dandos recipiendis viribus paucos dies; præcipuè quòd ſuo, & in ſuo vteretur. Et profitebatur Vrbem, agrum, potentiam, opes, pro Cæſare habere. Paratum itineri Carolũ ſpecie religionis aggreditur, Sacroſanctum Seruatoris Sanguinem, ac D. Lõgini corpus memorans; quæ Imperator antequàm diſcederet, inuiſere velle

præ-

prædixerat. Sic facto die effractæ fores,ſolido marmore olim firmatæ; dataque in cunctorum aſpectum, magnâ totius populi lætitiâ; quæ plures annos abdita fide, ſe tantum habere crediderat. Martyris quoq; Longini corpore adorato, pars eius, Pragam, aureæ pixidi incluſa, aſportata eſt, addendo Ciuitati ſplendori, cui Carolus profanis ac ſacris iuxta intendebat. Et quãquàm reſtituta Gonzagis Ciuitas; & in priſtinam libertatem vindicata,ſuo munere, armisq; foret; haud tamen beneficij deſiderio ſatisfeciſſe ratus (licet pridem parricidij abſolutos, Ludouicum ac Franciſcum, Patri,Patriæq; reddidiſſet) ad vlteriora proceſſit. Non enim tantùm Mantuanos Principes in votis habere, ſed & oſtentatione pietatis fouere volebat. Itaq; Imperiali diplomate vtroſq; Mantuani Dominij perpetuos Vicarios Imperij nomine decreuit: quantumq; ſcelere demeruerant,tantùm indulgentiâ elargitus eſt; ne obliterata præteritorum memoria obeſſet, quòminus conceſſo maioribus Principatui adſcriberentur. Addidit munificentiam, priuatim de Republicâ elargitus vniuerſæ familiæ, quidquid Cæſareo Fiſco emolumenti, toto Mantuano territorio accedebat. Videre eſt in eorundem Mantuæ Ducum Archiuo priuilegium ſub annum 1367. Viceſimâ Septembris. Nec minus aduerſus Caſaloldi Comites ampliora poſcentes, & agri partem Goitum verſus occupantes, animaduerſum eſt. Vulgatumq; decretum,vt ſuo iure Comites vſi,aliena non turbarent. Sic Mantuanis ſua reddita, eiuſdem anni menſisq; teſtimonio. Scaliger cum aduerſus Gonzagos liberalitatẽ Cæſaris expertus eſſet, auſus nullis meritis innixus, eundem etiam ſceleris requirere; orauitq; Solfarinum, Caſtilionum, Caprianam, Voltam; & pleraq; alia illius tractus Oppida Veronenſi iuriſdictioni adiudicari. Aſſerebat vetera,& bello vel pace abolita iura, quibus illa Veronenſium agri cenſebãtur. Cæſar ignaro Guidone, quid per literas ac legatos Scaliger pararet, exoletũ ius oppidorum, & tempore ac præſcriptione ad Gonzagos deuoluta retulit: Nec velle qui vniuerſis componendis acceſſiſſet, pridem rata turbare. Si quid poſſeſſioni deſit Cæſareâ auctoritate redditurum. Sic praua ſpes eluſa, & Imperator monitus, quantùm fidei Scaligeri in Mantuanos crederet. Decretum Cæſareum ſic habet.

Chriſti Sanguinẽ inuiſit

Gõzagos Priuilegijs ornat.

Carolus Diuinâ fauente clementiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Boëmiæ Rex, &c. Cum ſedulâ operâ, & accuratâ indagine perquiri, à noſtræ curiæ peritis fecerimus, Veronenſis ditionis veteres, ſeruatos,& conſuetos fines, quâ maximè Mantuanum agrum ſpectant; relatumq; nobis peritorum,& proborum miniſtrorum fide, ſit Solfarinum, Caſtilionum, Caprianam, Voltam, Medolum, Cereſarium, & omnes incluſos agros veteri & immemoratâ conſuetudine Mantuanorum fuiſſe: & ab ipſis poſſeſſa, & adminiſtrata. Hinc nos Imperiali auctoritate, quâ vigemus, ſtatuimus, & decernimus, dicta Oppida, agros,& confinia, cum omnibus eorum pertinẽtijs, eſſe Mantuanæ iuriſdictionis, & ad Imperiale ius ſpectare. Prout nunc decernimus & ſtatuimus. Inſuper dilectis nobis & Sacro Imperio fidelibus noſtris Guidoni, Ludouico,& Franciſco de Gonzagâ,noſtris perpetuis Vicarijs in

Decretũ aduerſum Scaligero.

in Ciuitate Mantuæ; præcipimus vt dictorum Oppidorum curam, adminiſtrationem, & gubernationem ſuſcipiant, & habitam continuent: provt Mantuanam Ciuitatem nobis concedentibus, eodem titulo regunt. Datæ Mantuæ Anno ſalutiferæ Incarnationis Milleſimo tercenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Viceſima octaua Septembris. Regni noſtri Viceſimo primo, Imperij verò decimo tertio.

Suſpenſum haud dubiè Guidonem Cæſaris auaritia, Scaligeri conatus attinuerant; ſed cum ſuperiorem virtutem vidit, plus meriti faſſus eſt. Vbi Scaliger conquieuit; & nihil reliquum ad concordiam fuit, vertit in Vicecomitem Cæſar; non vt ſupplicem peruerteret; ſed ne potentiâ olim per iniuriam vſus, infirmioribus imperaret. Quippe non vno bello arma in Gonzagos mouerat, Prouinciam vaſtauerat, Vrbem obſederat, coëgeratq; quacunq; conditione vexationes redimere, quamquàm leues forent. Sed altius ſpectabant: Sic enim geminatis iniurijs, poſſe liberum in ſeruitutem trahere, & Mantuâ quoq; potiri crediderat. Quod iniuriũ Gonzagis, inhonorum Cæſari, introſpicere & iura ſingulorum intueri placuit. Alios enim à Cæſare, potentiam ſupremam in Vicarios Imperij habere, dedecus ſciebatur. Et Guido inſtabat, nîl ſe aut ſuos, niſi per vim admiſiſſe; ſimul multa circumferri, quibus nec ipſe, nec parens conſenſiſſet. Eò prouectam Vicecomitis magnitudinem, vt debilioribus per Italiam, abſente Imperatore illuſerit, nullâ Germanici Regni reuerentiâ. Patuit ius, ac dominatio ſcelere quæſita; & Carolus etſi paratâ vltione in Vicecomitem vt Imperio infidum, animaduertere ex arbitrio poſſet; cum tamen Cremonenſem agrum, in vindictam, igni, ferroq́ue vaſtatum, & ipſum ſupplicem videret, ſatis habuit ius, faſq́; proſequi, & illatam vim repellere. Poſcebat Vicecomes à Gonzagis, vt honorifici feudi nomine, Mantuam retineret: Quòd vtrumq; ſub Imperio eſſet; & vnius obligatio, pro Cæſare in duos abiret. Sed Carolus deſiderij iniquitatem, pacti arrogantiam, nec id præcepti poſſe ſubditos accipere decreuit: Abſoluitq́; onere credito Gõzagos; & cædere Vicecomites, quæ per vim extorquere voluerant, coëgit. Bernabous terrore præſentium, æſtimatione futurorum, dictam à Cæſare legem libens accepit: nec impoſterum Gonzagos, pacti aut promiſſi (vt ferebat) requiſiuit. Cæſaris chyrographum videre non contigit; ſed concordię tranſumptum, haud dubiè cum fide. Quod ita habet.

Carolus pacta Gõzagorũ cũ Vicecomite reſcindit.

Carolus Diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Boëmiæ Rex, &c. Quatenus Nobilis vir, & Sacri Imperij Vicarius in Statu Ciuitatis Mantuæ Guido de Gonzaga; necnon Ludouicus & Franciſcus eius filij monuerunt, Bernabouem Vicecomitem Mediolani Dominũ, Imperialis benignitatis beneficio requirere; vt ſupradictus Guido, & omnes eius in perpetuum poſteri, ſint & eſſe debeant, adminiſtratores Mantuæ, & Oppidorum; ita tamen vt dictos Vicecomites directos Dominos agnoſcant, & vt ſubſint ipſis; tamquam Mantuanam inueſtituram ab ipſis accepiſſent; idq́; pacto & conuentionibus, inter dictos Gonzagos, & Vicecomites tranſa-

ctis,

ctis, tempore belli inter vtroſq;. Nos certâ notitiâ, & præcognitione, declaramus & cenſemus, & pro declarato & ſancito in perpetuum haberi volumus, dictos Gonzagos, ſupradictæ Ciuitatis Mantuæ dominium & Vicariatum, directè, immediatè, & propriè habuiſſe & habere, tenuiſſe & tenere, à Romano Imperio; & à nobis in dictâ dignitate confirmatos, & corroboratos. Igitur per cartam hãc noſtræ declarationis, omnibus in futurum temporibus certum ſit, nullâ ratione aut modo, dictos Gonzagos ſubditos, obligatos, aut ſubiectos, dictis Vicecomitibus; ſed provt illi à Sacro Romano Imperio dignitatem, ſic iſtos immediatè, ſolùm & liberè accepiſſe. Similiter dictis Guidoni, filijs, aut ſucceſſoribus illorum, in virtute ſacramenti nobis pręſtiti, & ſucceſſoribus noſtris præſtandi, præcipimus; ne ſe ſubditos mediatè aut immediatè, ſeorſim aut in commune, niſi Sacro Romano Imperio fateantur. Eiq; fidelem operam, & promptum obſequium preſtent, in Italiâ, & extra; quotieſcunq; requiſiti fuerint, aduerſus omnes & quoſcunque dicti Imperij hoſtes, & perduelles. Datæ Mantuæ Decimo nono Auguſti Milleſimo tercenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Regni noſtri Vigeſimo primo. Imperij verò Decimo tertio.

Sic compoſitis præſentibus; non minor moles ſuperat; & Romani itineris, quod Imperator præſumpſerat; & Hetruſci motus; quo Florentini, Piſani, ac Luccenſes agitabantur, conterminæ Vrbes, potentiam viciſſim expertæ, & vicinio infeſtæ. Sed ne deſpectui ſine viribus eſſet, Hetruriam magnis copijs comitatus tenuit; miſericordiam in obtemperantes, ſæuitiam in contumaces comminatus. Hîc cum Legati magno nixu cauſam agerent, Luccam Piſanis, Miniatum Florentinis ademit: ita ius poſcere ferebat. Quidã Luccẽſes magnâ pecuniâ Cæſareos corrupiſſe volunt; vt ſententia ſecundum ipſos eſſet. Vtriq; non præſentem iacturam magis, quàm imminens è bello diſpendium metuebant: Præcabanturq; Cæſarem, ne infeſto milite Prouincias deteреret, aut hoſtibus quàm honeſto propior eſſet. Ille comitatis ac modeſtiæ ſecurus, ſi pecuniâ ac muneribus præoccuparetur (magnis enim expenſis tot hominum millia ſuſtentabantur) exorabilem ſeſe oſtendebat, & pretio placabilem. Nam communem omnium culpam, & turbatis accolis ſcelus admiſſum referebat. Florentini pecuniâ, ac prudentiâ ſatis noti, quę deſiderata non petebantur, offerre iuditium arbitrati, multo auro venalem Cæſarem emercantur: vt minitantem à vaſtatione, aut obſidione diuerterent. Florentinorum exemplum ſecuti Piſani, Luccẽſes, Piſtorienſes, Reatini. Dictu mirum quanto ære turgeret Hetruria, & hauſtâ ingenti ſummâ, quantum Ciuitatibus ſuperfuerit. Non enim ad minima flectebat; ſed quò quæuis illuſtrior, eò certius in prædam deſtinabatur. Et Germani ſibi ſalutarem, vtilem ſuorum in Italiam reditum, per certa annorum ſpatia iactabant: quòd Imperatori quæſtus accederet; ciuibus diuitijs laſciuientibus, ſeditionum cauſa adimeretur. Romam delatus Carolus, benignè à Pontifice exceptus eſt; & voti compos (nam vniuerſa ſecundę euenerant) ad ſuos reuertit; non Boëmiæ ſuæ deſiderio magis, quàm conſcribendi militis,

&

& cogendæ pecuniæ; quibus contra barbaros Orienti imperantes vteretur. Nam Cipri Rex; non aliâ certiori causâ Mantuam venerat; quàm vt Cæſarem coram aſpiceret; rerumq; ſuarum miſeriâ impelleret, aduerſus hoſtes ſubſidium militemq; tranſmittere. Promiſerat Cæſar, Pontificis precibus euictus; & totius Chriſtianę Reipublicæ bono. Monuerant interim Germani, & indefeſſis nuncijs tum orabant, redire Cæſarem ad ſuos. Nec tamen ante obtemperauit, quàm inter Franciſcum Ludouici fratrem, qui rerum quoq; potitus eſt, & Guidonis Polentæ qui Rauennatibus præerat, cępta nuptiarum tractatio abſolueretur. Habuêre nouelli ſponſi arbitrum ſpectatoremq; Cæſarem, idq; ad gloriam erat; non ſilente Imperatore, præcipuis negociorum per Italiam expletis, quâ de causâ Mantuæ ſubſtitiſſet. Porro tot dierum præſentiam, & tantum fauoris Guidoni præ cæteris, Caroli gratiâ accedere, Vicecomes meritò ſuſpectabat: Et Eſtenſis habiti Regij conſcientiâ, vim potentioris metuebat. Neq; honeſtum credebatur, quamuis præſentem Imperatorem ſibi firmare; vt quod à Feltrini filio accepiſſet, ratum vellet: obſequium prætextui ſumptum. Sic auro ingenti victum, ne reddi iuberet, obtinuit. Non tamen bono iure retineri ſancire voluit; ne eo ipſo malè hoſpitem officioſiſſimum haberet. Pronus quidē Gonzagis Cæſar, ſed munerum magnitudine, Vicecomes, ac Eſtenſis gratiores erant. Et cum Guido vniuerſa largiretur, haud tamen æmulorum magnificentiam æquabat. Simul modeſtiâ ſilebat: Nam tot Oppidis auctas res ſuas; & redditum quaſi Mantuæ dominium, Regij vice nouerat: Imo ante alia ſtabilem in filijs domi potentiam; cùm conſanguinei errore Ludouici ac Franciſci filiorum, ex lege ſucceſſiſſent. Ergò nullâ Regij mentione, orādæ protectioni, & deprecandæ potentiorum iniurię aſſiduus erat. Haud dubiè Regium modeſtiâ repetebatur; & Carolus cū obſequio intelligeret, aliò flectebat. Rufinus tum Eccleſiæ Mantuanæ præſidebat; cuius iuriſdictioni nonnulla Prouinciæ Oppida ceſſerant; quæ multò ante Gonzagi Inueſtiturâ habuerant. Nec minus D. Benedicti Monaſterio, aduerſus Gonzagæ poſſeſſa, Suzariam, & adiacentia ius erat. Documento futuræ iuſtitiæ Guidonis, ac liberorum acceptum eſt; quòd cum mole ſuâ nixi, habere quæ olim tenuerant; nemine aut reclamante, aut vim inferente poſſent; veteri, ſolito, & honeſto inſtituto; poſcere, & accipere, nouâ ſingulorum conceſſione voluerint. Sic Aloyſium ipſum habuimus, eorundem locorum poſſeſſionem cum occupare poſſet, accipere voluiſſe. Itaq; viceſimâ quartâ Februarij

1368. Milleſimi tercenteſimi ſexageſimi octaui, Ludouicus & Franciſcus Patri ſubſtituti. Longâ Auorum ſeries conceſſionibus addita; vt non ſolùm accepiſſe noſcerentur; ſed quod maiores eodem munere tenuiſſent. Iam Carolus diſceſſum parabat. Et aderant Goiti, adiacentium Ciuitatum Domini (forte Tyranni) nec minus diſſitorum Legati. Itaq; cum obſequium in Reges Germanos, & ab his protectionem, ac ſubſidium memoraſſet, multa de Gōzagis interiecit, amicos, fideles, ſocios, Principes, atq; adeo adſcitos in familiam appellans: iubenſq; pares illis ac cæteris in imperando rationes eſſe;

Cipri Rex Mantuam.

Franciſci Gōzagæ nuptię.

nec

nec fœderibus aut dolo circumueniri; comminatus in aduerſos grauiora, ſi reuerſi in Boëmiam Domini, & otium laceſcentis, pacem contumaciâ perrupiſſent. Cum haud longè Veronâ cõſediſſet, Scaliger à Vicecomite ac Eſtẽſi doctus, Regio ſumptu obuium ſe præbuit. Cumq́; plus comitatis in hoſpitem, quàm reliquos Cæſar efferret, oblata Scaligero occaſio tentandæ regiæ auaritię; ſi coram auro corrumperet; quòd hactenus non fuerat aſſecutus. Diuiſa inter aulicos munera; maiora quàm vt iuſtitiam tolerarent; Et vbi minoribus prouidit, aggreſſus eſt Cæſarem precibus, quibus rarus abſtinuiſſet. Iterum petitum Solfarinum, Caſtilionum, Capriana, quæq́; eo tractu retulimus. Abſente Guidone, negari non potuêre, quorum fermè pretiũ obtuliſſet. Honeſtanda ſolummodo conceſſio; & promiſſum è Germaniâ Diploma eſt. Vel vt verecundiam vitaret; vel vt eluderet iniqua poſcentẽ; & oblatam pecuniam, in pœnam deſiderij retineret. Spes nimiæ, & promiſſorum facilitas Scaligerum circumuenêre. Nam cum Principum aulicorũ longè ab Italiâ agentium conſcientiam inuocaret, Cæſariq́; promiſſa obijceret, à nemine reſponſum eſt. Tantùm vt benè, ſic fruſtra ſperare iuſſus. Reuerſo Cæſare ad ſuos, facinus atrox, poſteritatis memoriâ indignum, falsò Mantuano, certò per Longobardiam admiſſum eſt; quo incolarum & adiacentium animi ſauciati. M. ſcripti Annales habent, & Germani meminêre. Familiæ poſteris, ne auctores recolerentur datum eſt; quando præceſſorum flagitia ac infamia, in poſteros abeant, tegiq́; turpitudines honeſtius ſit, quã recordatione doceri. Frater ſororem virginem, incuſtodito ac impudico amore deperibat. Cauſa, mali mores, familiaritas, conuictus erat; & quòd vtriq; nullis cuſtodibus, aut obſeruatoribus agebant. Sed inceſtus, turpitudo, magnitudo flagitij, puellæ pudicitia, diu iuuenem ſpei & audaciæ medium habuêre; modò ſororis repulſam, modò ſuam infamiam, modò ſuorum indignationem recolentem. Vicit affectus; effractoq́; pudoris ac honeſtatis vinculo, ſororem lachrymis & precibus adgreditur: Secretum, ſilentium oſtendens; nec magno negocio tegi, quod duo concordes tacuiſſent, propriâ vtriuſq; vtilitate. Nullum ex parentibus metum, fratribus formidinem, aut ſeruorum cuſtodiâ ſuſpicionem. Nec vllum adeo impium fore, vt fraternam caritatem vitio vertat, ſceleri aſſignet. Virgo nobilitate ingenitâ, ac in fratrem imperij ſecurior, fęditatem auerſata, rarius iuuenem ſecreto admittit. Et ſi quando tutus ſermo eſſet, reprehendere, obiurgare, comminari. Sed ille orare, flagitare, amori ac deſiderio imparem ſe docere. Illa dedecori infenſior ad minas vertit, parentes fratres, totamq́; familiam commonefacturam ſe profeſſa. Et ſi ne his quidem ceſſiſſet, domo abſceſſuram; & ſacrarum virginum clauſtris, quod vitæ miſerrimæ reliquum ſit, traducturam. Frater vbi omnem operam luſiſſe, nil fletu ac lachrymis profectum; nec ex futuro ſpem videt, in vim animum intendit. Nec enim commiſſo crimine, tantam ſororis inuerecundiam fore metuebat, vt ſuam ipſa turpitudinem fateretur, proprio odio: Se voti vtcunq; compotem futurum. Imo addi patientiæ puellæ neceſſitatem, vt quod corrigi nequeat, inuita toleret.

Caſus atrox per Lõgobardiam.

leret. Feſtus dies aderat, quo ruſticantes nobiles, templa, & amicos lõgius ſitos inuiſunt. Et ſoror quò fratrem publico vagum falleret, ſeque auidius aſpectanti ſubtraheret, valetudinem ſimulata, domi clauſo à matre cubiculo attinuit. Nec id fratrem latuit. Qui ſecretâ domus parte abditus tolerauit; dum Parentes ac famulos cluſiſſe fores, & longius domo progreſſos credidit. Mox reſerato oſtio irrumpit, & ſororem ſupplex ſtricto pugione oblato precatur, aut ſe vitæ ac dolori pariter eximeret, aut placabilem ardori pręberet. Illa mucrone accepto, tamquam periculi cauſam amoueret (non enim euadendi viam vllam nouerat) totum præcordijs abdidit. Et cum parricidium ac turpitudinem improperaſſet, exanimis fratris pedibus prouoluitur. Tum primùm mali magnitudinem frater excepit; conſtantiaq; ac prudentiâ conſternatus, incertus quid pararet, ſubſtitit. Clauſis domi foribus difficilem exitum; nec ſecurum aut incomprahenſum nouerat: Apertiorem cædem eſſe, quàm vt tegi poſſit. Nec enim humo tegi, celari, aſportari ſororem poſſe; quæ reſperſo ſanguine cubili, ſit indicium flagitij datura. Ergo ſcelere vecors, non aliud remedium reperit, quàm vt nouo crimine, præteritum velaret. Fores domus effringit; & ſeruum obuium, cui nullis cauſis infenſus erat, accerſitum, vt magna communicaturus cubiculo inducit, eumq; ſuo ſanguine ſororem inuolutam inſpectantem, eodem pugione tranſuerberat, & ſorori adiungit. Non tamen cætera probando flagitio diſpoſita, non thorus diſtractus; non ſigna libidinis ſuberant. Domo egreſſus, famulis obuijs primùm, deîn parentibus, Sororis ac ceſi ſerui ſcelus refert: ſed minori conſtantiâ, quàm vt ſentire crederetur; & verba ſua ipſe præpediens, doli manifeſtus. Quippe nulla adeo inuicta fortitudo animi eſt, quam non conſcientia facinorum quatiat. Suſpectabant parentes, odij ſeruilis ignari; ſeu à virgine aliquid ſuboleſcerant; ſiue cogitationum nimiũ, & mœroris obſeruauerant. Sed ſuper filio quæſtionem metuebant: iuxta periculoſâ, ac fędâ; ſiue fateretur, ſiue abnueret; quæ æterno ſilentio inuolui, honori familiæ expediret. Affuêre tamen Iudices, famam, factiq; ſæuitiam ſecuti, & miſerantes. Præter veritatem cætera credebantur: potiusq; ſeruorum dolum, vicinorum parricidium, Latronũ occurſum interpretabantur. eratq; difficile, nullo facti inditio ſtatuere; quando non minus frater quàm parentes lamentarentur: ſic ille delictum excuſare crediderat. Tandem in iudicium res delata. Vbi iuuenis interrogari ceptus, incertus quid reſpõderet, modò paueſcere, modò confundi; & victo metu diuerſa, nec congruẽtia proferre. Inde habita coniectura. Et cum ſceleris quoq; admoneretur; ne tormentorum quidem aſpectum tolerauit, ſuamq; ipſe ſtultitiam, ſuum ſacrilegium faſſus eſt; ſuſpensâ Ciuitate omni, quis quæſtioni finis; quis reus ſubderetur. Et quidem magnâ temporis cęliq; iniuriâ tantum facinus admiſsũ horrebant, eoq; acrius auctores requirebantur. Vt detectum flagitiũ, Ciues, nobiles, plebes, defixi, & mutuò ſeſe proſpectantes; taciti, & incerti: non accuſare, non tegere crimen auſi, honore familiæ hærebant. Id ſolùm audiebatur, quòd non crederetur. Miſerabilis præcipuè parentum conditio

vide-

videbatur; quos vnus exitus liberis viduaret. Quod tamen caritate euicti potuêre, ab Iudicibus obtinuêre; ne miſerrimus filius publico ſeruilem in morem pœnas lueret; ſed ſecreto perderetur; vt ſaltem id honori generis tribueretur. Ea Iudicum moderatio etiam apud exteros commendata: Et voluiſſe ſeruare iuuenem parentis precibus ferunt; ſed iuſti æquiq; reuerentiâ; ſimul quia nimia flagitij memoria erat, honeſto conceſſiſſe. Miſeriam illorum temporum quâ fide accepimus, referre libuit (cum nullius infamia recolatur) quibusq; calamitatibus expoſitum genus humanum mediâ in pace ſit, exemplo ac monitu futurorum docere. Quando publicam quietem, rarò domeſtica diſciplina comitetur; & laſciuiant homines, vbi exteris vexationibus non exercentur. Idem annus Guidonis teſtamento celebris fuit. *Guidonis teſtamentum.* Nam cum ſupra Octuageſimum, extremæ ſenectæ proximè accederet, ſolitas fratribus diſcordias, & ex eo familiæ perniciem metuens, vtriſq; in ſequentem formam conſuluiſſe traditur. Teneret Patriæ, Arcium Oppidorumq; dominium Ludouicus, Franciſco quoad ſine liberis eſſet annua tria aureorum millia priuato vſui ſolueret; domo, ſeruitijs, fratris menſâ vteretur. Sed ſi liberos ſuſcepiſſet, tantum agri in portionem acciperet, quod quinq; aureorum millia annua proferret. Remiſiſſe beneficium Franciſcũ accipio; quòd ſpes omnis filiorum exceſſiſſet; nec extra patrios lares tolerare poſſet. Sed vti Guidone in Frãciſcum liberalitate placuit, memori quæ vtriq; in Vgolinum immania admiſiſſent, honorum, bonorumq; deſiderio; eaq; inuicem poſſe reducere, quandocunq; Parens extremum diem clauſiſſet. Paucis à teſtamento diebus, Franciſcus graui ac diuturnâ ęgritudine exercitus, è viuis exceſſit. *Franciſci mors.* Quod Guidonis extremam ætatem curâ ac mœrore onerauit. Is vbi vitæ finem inſtare; & deploratam Medicorum opem, fruſtra tentato plures menſes ſubſidio vidit, parentem accerſiri iuſſerat. Erant qui Guidoni diſuaderent, ne filij exitu turbari ſe, aut augere dolorem vellet. Sed Guido caritate; ſimul deſiderio ſolandi (nam męſtitia cauſam valetudini præbuiſſe circumferebatur) dandum id amori ac naturæ dixit, & acceſſit. Haud procul puluinari Ludouicus aſſidebat, fraterni deſiderij impatiens. Franciſcus viſo Patre prorupit in lachrymas: Et tãdem fratris precibus, Parentis imperio vix ſuppreſſo gemitu, ſic proſecutus eſt. Vtinam pater optimè ſupremus hic qui me dies manet, ſextum ante annum obueniſſet. Deceſſiſſem flagitij, Patri ac conſanguineis nondum reus; & poſteris cæterorum, quæ benè per ætatem geſſi memoriâ commendatus. Nunc breui æuo, quæ deliquerim recolentur; vt ferè Principes virtutibus vitijsque, bonis, malisq; mixti, de poſtremis accuſantur, ſilentur potiora. Sic ſaucius dolore pater, Frater vulnere inter epularum lætitiam ad necem affectus, memorabuntur. Vicecomes, Scaliger, vxoria ſeruitus ſilentio tranſmittentur. Erat quidem in votis ætate confectum parentem, obſequio ac officio diu proſequi, & redimere pietate flagitium; ſed morte præuentus, debiti reus; hoc ipſo præcipuè crucior, quòd non exoluerim. Quare moriturus extremas preces coram relinquo; vt tu Pater ignoſcas, Frater meas vices, vt

 quon-

quondam ſceleris, nunc caritatis expleas. Nec enim Vgolini facta, communione cum hoſtibus conſiliorum, & fortè in Parentem temeritate excuſari volo. Quod ſcelus imminuit, totum fratri concedo. Hoc vno mihi fœlix exitus; & etiam bonis inuidenda mors obueniet; quòd pœnitentiâ veniam acceptam promeruerim. Cætera quietem addunt; non relictis liberis, non curis externis, quæ moriturum lancinent, tutores turbent; nec admiſsâ flagitij excuſatione, quæ ſponte occurrat. Vtinam defunctum obliuio ſequatur; ne benè geſtis id vnum addatur apud poſterorum memoriam; cuius recordationem excidere, obnixè precor. Guido filij, Ludouicus fratris amore lachrymas fudêre; & vt hilari animo toleraret, hortati ſunt. Addidit Pater, non aliâ ſe ſuperſtites, quàm defunctos caritate proſequi; & quod ſemel ignouiſſet, æternum velle. Sic lenito mœrore, ne filij exitu cruciaretur, cubiculo exceſſit. Altero poſt die extinctus eſt, magno Parentis, Ludouici, maximo Ciuium dolore: qui cum comitatem, æquitatem, & pronum beneficijs animum experti forent, præteritis ignouerant. Creditum tamen à prudentioribus, Franciſci mortem, familiæ bono eueniſſe: nam vtroq; ſuperſtite, domeſticæ ſeditiones metuebantur, aut potentiam ſuapte validam, diuiſione infirmari. Idq; poſterorum exemplo didicimus. Siquidem quò recentior dominatio, eò anxior; & inter auctoritatis ſocios, incerta fides; ferro ac perfidiâ plerumq; tranſigitur. Ludouicus quoq; perdito Vgolino, cōceperat animo potentiam; & cum promiſſis aduerſus fratrem nimius eſſet, adempto Patre, teſtamentum arbitrio executurus credebatur. Supremas etiam teſtamenti tabulas componenti Patri, & vt Ludouicus legeret, ferretq; ſententiam petenti, reſpondiſſe fertur, omnia ex prudentiâ; ſingularia exequi noluiſſe: Forſan quòd teſtator, cum parem inter filios pietatem oſtenderet, executio penès alium foret, nullâ ſuâ calumniâ. Recens Feltrini memoria, formam futuro dediſſe videbatur; monuiſſeq;, etiam minoribus filijs indolem, & regnandi deſiderium ſubeſſe. Proinde ſecuritate, & verſâ in vnum potentiâ æmulationi prouideri. Alij queſtum audito Legato Franciſcum referunt, tamquàm Vgolini necis cauſam malè genitor depræhendiſſet: Et accepto facti documento, malè concordiæ cauiſſet. In primos cedere rem omnem, decus quidem; ſed facilem domus interitum ſequi, quo enim ſubſidio, ſecundo loco eductos, Matrimonij onera toleraturos? Opibus ex æquo diuiſis plura coniugia, & prolis numerum ſequi; nō minus quàm potentiam ſpecioſa. Quæ incertis auctoribus vulgata, retulimus, vt prauitas interpretantium innoteſcat; ferentium mediâ in pace, & inter conſanguinitatum viſcera diſcordias; quas forſan nemo tractauiſſet. Recenti adhuc extincti filij dolore concuſſum Guidonem, Caroli Imperatoris literę perculêre; quibus (tamquam præterito non ſatisfeciſſet) pecuniam, in Regni vſum requirebat. Et cum Gonzaga, recentem belli, expenſarumq; pro exercitu memoriam teſtatus foret, Viginti aureorum millia tranſmiſit. Additis pro filio Ludouico protectionis ac tutelæ precibus; vltimis (vt ille ferebat) quòd præ limine exitum haberet. In eandem operam multa Scaliger, plura

Carolus à Guidone petit pecuniā.

Vice-

Vicecomes inſumpſit. Et motus Cæſaris docuêre, neceſſitate pulſum, quęſiuiſſe. His namq; temporibus, cũ vacua internis diſcordijs Germania eſſet, Carolus filij caritate plus honeſto illectus, euocatis Francofurtũ Imperij Electoribus; vt Vẽceslaus paterni Imperij hæres diceretur, conatu omni vſus eſt. Principes Germani, qui vniuerſa in libertate habent, vim modeſtiâ velatam lamentabantur. Adeſſe quippe Cæſarem ac militem, & niſi obtemperaretur, certã perniciẽ oſtẽtari. Indecorũ Imperatori, ab Electoribus exigere, quod niſi flagitio cõcederetur. Fruſtra libertatẽ prætendi, ſi nominatio, exprimatur, præſentiâ, auctoritate, contumaciâ poſcentis; pro puero nondũ ſui, minus Imperij valido. Clauſæ ad hæc Caroli aures erant. Sũmæ potẽtię nihil illicitum, ſuis meritis, tot laboribus, honeſtiſſimum id præmium credebat. Simulanda ergo iuſtitia; & ius faſq; gentis, pretio, pecuniâ promiſſis, effringendum erat. Vocatos ſecretò Electores, temporis ac deſiderij admonet; quæ accepto voto beneficia opperiri poſſint, quæ hactenus conceſſerit refert; offertq; in ſingulos Centum aureorum millia, ſi fautores adſtitiſſent. Illi quos libertas peruicaces, conſuetudo Patriæ, hoſtes fecerat; pecuniæ magnitudine turbati; & ſceleris fœditatem occaſionis vi palliari credentes, annuêre. Sed primùm pecunia efflagitari cępta; ſolutio differebatur. Nam plura Imperator promiſerat, quàm vt illico exolui poſſent. Et Electores irritam deſignationem filij, illatam electioni vim, & facilem regreſſum per literas perſtrepebant. Carolus quando aurum non ſuppetebat, nec à ſubditis exigi Patriæ libertas permittebat; detrahere nobiliſſimas Ciuitates Imperio, *Carolus IIII filium Regẽ Roman. dici procurat.* & Electoribus in pretium tradere auſus eſt. Decem & ſeptem Vrbes cenſebantur: quas auulſas Cæſaribus conceſſit: Magnum Imperij momentum ſi manſiſſent, & oblatis detrimentum. Id enim primùm Regnum Germaniæ fregit; Principum, ac Vrbium ſubditarum opibus, numero, potentiâ inuictũ. Sed vilior Carolo iactura viſa eſt, futuri metu. Nam vergenti ætate, & impuberis filij memoriâ, quem ad iniuriam relicturus formidabat, ſi rerum potitus foret, omne ſe punctum tuliſſe opinabatur. Cæſaris inuidiam, Ciuitatum conceſſarum tumultus onerauit. Quæ enim Vittembergenſi ſorte acceſſerant, dominum, vt imparem aſpernabantur; ſumptiſq; armis libertatem proclamabant. Imperator debiti memor, cum preces, exhortationes, legati fruſtrâ fuiſſent, & Principes promiſſum requirerent, ad arma vertit: Victor aduerſus ſingulas haud dubiè futurus, quod Ciues præuiderant. Ergo fœdere icto, & in vnum conſultato, militem è publico, quæq; bello neceſſaria nouerant parauêre. Tum primùm Carolus debilitatem ſuam, & ſe promiſſorum nimium agnouit. Neq; ceſsêre Vrbes, niſi datis, quàm acceptis à Domino conditionibus mollitæ. Plures menſes ea dimicatio, Imperatorem victoriæ, & honoris dubium habuit. Germaniæ illo tractu arctata decertatio, pacem Italiæ non turbauit; recenti adhuc fędere; & metu Cæſaris, qui initio motus audito, illico ſe affuturum minitatus eſt. Nec dubitabatur, cogendæ pecuniæ, quàm ſanciendæ pacis deſiderio. Et neceſſitas erogationum, quantaq́ue Electores requirerent, ſciebantur. Vbi tamen creſcere

turbas, & diſtractum domeſticis ſeditionibus Imperatorem Vicecomes ac-
Vicecomes procurat Papæ odium in Gonzagos. cepit (niſi etiam conſternationem ære ſuo iuuit) deſiderij ſui, non ſacramen-
ti accepti memor, ſecreto parare arma; & Pontificem Guidonis curæ ab-
ſtrahere procurauit. Legatione functus Petrus Lampugnanus, mandata ſui
Principis ſic expoſuit: Vſu rerum, & experientiâ prædeceſſorum Pontificum,
didiciſſe Vicecomites, nullam Pontifici per Italiam potentiam, aut auctori-
tatem eſſe, ſi Cæſar amicitijs auctus, coram, abſensue valeſcat. Huc Prin-
cipes, Reges, Vrbes populum flectere. Nec aliud ſpei, quàm ſi turbarum
ſuſcitator longè agat, ſeditioſorum & cõtumacium, in Sedem Apoſtolicam
arbiter Imperator. Haud quaquàm illius immanitatem hìc ſubſiſtere, ſed
abſumi Prouincias, expilari ærariũ; tolli, dariq; ex arbitrio ac pecuniâ, iniu-
riam proprijs, dominis libertatem. Quantam Italæ potentiæ partem Vice-
comites eſſe? Et tamen, facilè Bononiam, aliaq; conceſſiſſe; cum à ſeditioſis
pecuniâ, ac ſanguine habuiſſet. Non ſibi niſi rerum ſuarum tutam poſſeſ-
ſionem obuerſari: Nec aliud quàm quietem Italiæ, Pontificis auctoritatem
cordi eſſe. Quæ parari nequeant, niſi infirmatis ijs, quorum miniſterio Im-
perator, ſupra reliquos, & meliores valeſcat. An exceſſerit, interrogabat,
Mantuam Sedi Apoſtolicæ, Caroli Magni, Othonis, etiam Mathildæ, muni-
ficentiâ deberi. Nunc paruam nobiliſſimæ Vrbis iacturam cenſeri; ſi nega-
tum obſequium, auerſus animus, & pro Cæſare paratus æſtimentur. Certè
Vicariatus nomine, Aloyſium Guidonis patrem, à Romano Pontifice Cle-
mente, dominationem recepiſſe. Nec nunc vetera recenſere, quãdo ex ma-
nifeſta iniuria ſit, quòd Cæſaris dono habere malit. Impietatis, ac flagitio-
rum ſatis conuictum Cæſarem, qui parricidas ſubſtituerit; quos ipſe fortè im-
pulerat. Quem enim pro crimine magis inſtitiſſe? Accepiſſe filios veniam,
Irriſ. quàm vix orauerint. Ad extremum poſcebat fœdus ac amicitiam; vtq; cõ-
munione concordiæ obſtricti, Imperatorem Italiâ prohiberent. Pontifex
pro tempore, & veri reputatione reſpondit; ſuper re graui conſulturũ. Lau-
dare interim pietatem; & honeſtâ causâ promptiſſimam operam ſpõdere.
Sed ſcriptis ad Legatum literis, qui tum Rauennæ agebat, Vicecomitis pro-
miſſa, & tacita conſilia detexit; Imperans honeſto quàm obtruſæ occaſioni
deſeruiret. Debuerat pace ac bello, amicitijs, odijsq;, apud ſuos, exteros,
Cæſarem, Papam, exercitus, didiciſſe; nemini qui ſemel fidem eluſerit, in
poſterum credi; & ambitionis olim manifeſtum, totâ vitâ nexam ſuſpicionẽ
circumferre: Non ſacramento, nõ effectis credi. Vicecomitis aſtum, & quæ
aduerſa parabat excepit Guido, incertum quo auctore (quamquàm enim ſe-
nio deiectus, dominationem intentius curabat) ſed modeſtiæ retinens, fęde-
ris & conſilij Cæſarei memor; ne queri quidem voluit. Arma tamen, & bel-
lo neceſſaria parari ex vſu ratus, etiam amicitijs firmare ſe; & illicere Pon-
Guido fœdus iacit cum Legato Papa. tificium Legatum, ſtudij Vicecomitis gnarum properabat. Ille nihil cun-
ctatus, ſocium, amicumq; Sedi Apoſtolicæ dixit; mutuam operam, & auxiliũ
obtulit. Nec minus ſcriptis ad Vicecomitem epiſtolis, firmatum fœdus, &
quibus Pontifex annuiſſet docuit; cupiditatem, nimias ſpes, inquietudinem

obliquè

obliquè perſtringens. Subdidit pacis cõmendationem, eâdemq; Venetis ac Cæſari placere. Id profundè Vicecomitem ferijt. Offendebant dominationis ſtudioſiſſimum, varia, & quæ infauſto exitu, cum Mantuanis habuerat prælia; credebatq; mancum & ſine neruis Imperium habere, nî Mãtuam quoq; accepiſſet; medio campo, fertili ſolo, & iuuentutis robore ſpectatiſſimam; quæq; conatus omnes Mediolanenſium ſitu ipſo interrupiſſet. Et tamen diſſimulanda cupiditas; vt in tempore proferret: Intempeſtiuos conatus etſi validos irritè; cum fructu, minimo negocio ingentia volui eruditus. Paucos ante menſes Bernabous Vgolini filius exceſſerat: eiusq; obitu multa in fratres abiêre; niſi etiam dominatio. Quamquam deſignatione Cæſaris ac Senatus opus videretur. Extincto Franciſco pleraq; terrarum Epiſcopatui Mantuano deuoluerant; quę ipſe, aut maiores, honorifici feudi nomine viuentes acceperant. Itaq; Ludouicus, vt honeſto tantùm nomine clarus apud exteros eſſet; eadem ab Epiſcopo concedi ſibi, & orauit, & obtinuit; nullo addito onere, ſed ſuetis cęrimonijs conceſſione firmatâ. Viceſima ſecundâ Septembris, Milleſimi tercenteſimi ſexageſiminoni. Tanta illi modeſtia, vt cum ſumma auctoritate eſſet, iure tamen vti cum minoribus vellet. Sed quibus parentibus genitus, quibus moribus innutritus ſis plurimum intereſt; & data filijs honeſtatis documenta, fermè in poſteros abeunt. Iam Ludouicus potentiam, Rempublicam, priuatas opes ſolus curabat; quòd Guido fractus ætate, pluribus intendere non poſſet: Et alterum iam menſem lectulo attineretur, fomentis egêre vt incaleſceret, profeſſus. Anima in anguſto erat. Viceſimâ ſecundâ Octobris, cum ſumptis alimentis, quietem vellet; impræmeditato exitu deceſſit: Senectâ Patri minor, ſed *Guido moritur.* quæ tamen vltra Octuageſimum proceſſerat. Cum plerumq; tędio curarum, ætate, laboribus fractus; filij prudentiæ innixus, vix cubiculo, raro thoro 1369. egrederetur. Adeoque vniuerſos eius artus rigor inuaſerat, vt mediâ licet Caniculâ, nocturno fotu vteretur. Accepto fine viri, in Ludouicum filium totius Ciuitatis ſtudia flexêre. Vt qui iubente Patre, multò ante Rempublicam, & domeſticas res liberè tractauiſſet. Nec exteri amplius Guidonem, ſed Ludouicum, literis, legatis, commercio negociorum appellabant. Itaq; nobiliſſimo funere eductum Patrem commendatione virtutum, quarum famâ viguerat, apud D. Franciſci delubrum ſtatuit: Edito tumulo antiquitatis æuiq; retinenti; quem viuo è marmore, hodie viſimus. Sequenti cum titulo.

Quem genuit Gonzaga domus tua frigida Guido
Marmora membra tegunt. Heu nunc, heu funera plorant
Impenſis erecta tuis tot templa. Quis alter
Tecta ſuos poſuit, totidem ſacrata per annos.
Tu Princeps, rectorq; pie, patronus & cuſtos
Relligionis eras. Non te tenuêre labores,
Non te corporeus languor, non dura ſenectus
Quin diuina vigil ſemper mandata ſubires.

Oſſa

Oſſa tenet tellus tua nunc terrena; ſed altâ
Cæleſtis gaudet cæleſti ſpiritus aulâ.

Apud Ciues, ac ſuos, diuturna fuit tanti viri memoria; comitatis, munificentiæ, pietatis recordatione. Quæ ſuperſtite Parente non ſimulata, etiam adepto Imperio proſecutus eſt; eò acrius, quòd diuerſa crederentur. Imperium viro per proſpera per aduerſa mixtum, frequenti diſcrimini obuiũ fuit. Aſſiduis Scaligerorũ vexationibus exercitus, prudentiæ, ac fortitudinis famam retulit. Infractus, indefeſſus, ideoq; non circumuentus. Coniugem plures annos habuit Verdam Beccariam, quà cum vixit coniunctiſſimè: Suſcepitq; Vgolinum, Ludouicum, Franciſcum, ac Beatricem; Hanc multò ante Nicolao Eſtenſi locauerat. Eo de fortunâ quæri poteſt, quòd cum maximis, principibuſque virtutibus inſtitiſſet, quidquid gloriæ obuenerat, aut Parenti, aut filijs imputaretur. Nam ſenem ſenex eduxerat; & habito Patriæ Imperio, ætate, & fortitudine liberorum omnia tractabantur. Sed ſi virtutis ſemiram inſiſtamus, prædeceſſorum gloriæ participes, nullo labore noſtro eſſe poſſumus: Et apud ſecuturos commendationem habet, magnis progenitoribus ortos, non degenerauiſſe. Obijciebatur carminum ac literarum ſtudium plus quàm Principi deceat. Et eò magis, quòd cum ætate impetus ille frigeat, ſeruauerit tamen in extremum Poëtices vanitatem. Neq; tamen cura erat, ſed ſubitus conatus, qui multò ante cum calore elanguerat. Vitæ extremo, curâ delegatâ, poëtarum iocis leuari volebat; quia ſeria fatigabant; & in filios tranſmiſerat. Vt exceſſiſſe Guidonem per Italiã,

Ludouicus Tertius Capitaneus.

ac Longobardiam præcipuè vulgatum eſt, fortunam familiæ vniuerſi, & an Pontifex, Cæſarq; , eâdem caritate in Ludouicum filium, quâ in Parentem ferebantur, eſſent, attenti proſpectabant. Qui rerum nouarum ſtudio, & caſu Gonzagorum lætabantur, fatum Guidonis læti, accepêre; ſeditionibus turbiſq; occaſionem oblatam ſperantes. Quamquàm enim defuncto Franciſco Guidonis filio, potentia, diuitiæ, auctoritas, in Ludouicum abijſſe diceretur; & multò ante aſſiduâ adminiſtratione rerum, curarumq; moleſtijs, Parens abſtinuiſſet, Nuuolariæ tamen Domini ſtirps Feltrini, non temnendis opibus, nec vnquam ſine irâ, velut ereptam dominationem recolens; ſimul magno licet Imperio ſuſcipiendo parata, credebatur opportunitati acceſſura, quam hactenus non habuiſſet; & veteris æmulationis recordatione, etiam Mantuam in votis habitura, vexaturaq; Ludouicum, Patris conſilio, auctoritate, amicitijſq; deſtitutum: Vt velut profanum, parricidij conuictũ, ac cõfeſſum, poſſeſſione depelleret. Certè Creſcimbenus Pighius, Iacobum

Nuuolariæ Comites ſtuduiſſe nouitatibus crediti.

Feltrini nepotem, ad ſpem maiorum extuliſſe traditur: dum ille occaſioni vim, hic modeſtiam offert. Cum enim familiæ vilitatem, paterni cenſus inopiam, præſumptam apud conſanguineos indignationem proſequeretur; ad ea flexit, quorũ cum dedecore memoria apud Italiam recolebatur; Aloyſij erga filios neglectum, Guidonis aſperitatem, Vgolini violentiam, Ludonici ac Franciſci facinus, & ſpes communes. Sed Iacobus Gentem familiæ antehabens; honeſtum vtili, famam integritatis, dominationi; nec auree

præ-

præbuit; & ſe Ludouico additurum profeſſus eſt, vt in obſtantes, concordiâ valerent; tantâ dictorum fide, vt penitus ſentiret. Facti memoria, viget, conſilia ignorantur. Non enim, ſimulatio noua Dominationis virtus; ſed tum temporis vetus erat; & ſuis legibus exquiſita. Hodie fingimus, & cum neſciantur præcepta, opportunitates, loca; quod cęlari animus eſt, profertur. Scaliger Mantuanis ac Gonzagis ſemper auerſus, tum & recenti odio infenſus, Carolum ſuperſtitem, Pontificium legatum fędere deuinctum, congeſtas vſui futurorum ingêtes opes recentem Imperatoris fauorem reputabat. Nec quietem ſuam, quæq; aliquot annorum pace quæſierat, in caſum dare, ancipiti fortunæ arbitrio audebat. Sed temporis, occaſioniſq; proſpectator, cumulatas occaſiones facinorum, futuro ſeruabat. Ludouicus ipſe, quibus æmulis carperetur, quantum in ſuis fidei eſſet, non ignarus; frequentiori milite territorij extrema, portas Vrbis, ſuas ædes munierat. Ne perfidiæ aut flagitio, negligentiâ cauſam daret; quæ ſæpè ambigentes in abrupta traxit. Accepto tamen ab Imperatore Vicariatui haudquaquam metuebat: quem Patre ſuperſtite, & poſt admiſſam fraternam cædem, quamquàm diffamantibus, & contra nixis pleriſq;, acceperat. Vim tamen metuebat; cui & ipſe minor eſſet; & quam Cæſares longè ſiti, ægrè repellerent. Imperatoris quoq; conſcientiam animo voluebat; ſibi amicam, Scaligeris, & Vicecomitibus aduerſam; & promptè odium reddituram; ſi obſequij præceptorumq; negligentes, veterem indignationem, nouis delictis reduxiſſent. Præ cæteris memoriâ munerum, quæ Imperatori, & Germaniæ primoribus miſerat, leuabatur; eosq; recipiendis auidos lætabatur; Suppetête pecuniâ, cuius in aduerſis, nulla maior vtilitas. Nobilium ac Ciuium in Patriâ voluntatis ſecurus agebat; quòd fidem experimento cognouiſſet; & aduerſus ſuos Dominos inconcuſſam pietatem: Simul quando Imperator, Pontificius legatus, ſuiq; voto annuiſſent, irritos conatus hoſtiles nouerat; prævalidis dominationis munimentis. Ne tamen plus debito fidere; aut minus Imperatori, amiciſq; deferre videretur; citis equis nobilem à cubiculo, Pragam primùm cum donis ac literis, mox ad Pontificem in Vrbem, & Ceſenam ad Legatum miſit. Data in omnes munera. Quippe parens ſecretò non temnêdam vim pecuniæ, ac gemmarum celauerat; quâ eo ſublato, maiori parſimoniâ ac vtilitate frueretur. Id enim vitij filijs familias à naturâ inditum; vt erga Patris pecuniam prodigè, propriam ſint auari. Summa rerum cura erat, Cæſari placuiſſe. Hunc admonuit, ne oblatam quidem à ſuis potentiam; aut deuolutam Genitoris obitu auctoritatem, recipere voluiſſe; niſi Imperator, quem ante alios in votis habeat, mandauiſſet. Summum hominum, ſuę potentiæ, dominationiſq; auctorem velle. Quando diffidere non licuerit: quòd eius auſpicio veteri gratiæ ſeruatus, etiam priuilegijs ac immunitatibus auctus ſit. Et ea quidem apud ſe æterna fore. Nec alio certiori voto, adminiſtrationem poſcere, quàm vt redditâ optimo Principi vice, beneficiorum memorem, nec indignum agnoſcat; quæ vna gratitudinis ęſtimatio. Se Ciues, nobiles, diuitias, arma, & quidquid Mantuano agro miniſterio

Ludo. prudẽtia.

Imperatorẽ paterni obitus certum reddit.

ſterio paratum ſit, Imperatori ſuo intacta ſeruaturum; honorem quem dediſſet habiturum; potentiam ex Cæſaris placito tractaturum. Addidit Venceslao Romanorum Regi, aurum rudi pondere, in virgas fuſum, gemmas, purpuram, equos, munera; ſuam ipſe fortunam donatione tranſgreſſus. Reſponſum à Cæſare eſt, nobiliſſimam familiam ſibi ſemper cordi futuram: Nec omiſſurum tueri Gonzagos; quos obſequio ac fide ante alios, præſens abſensq; ſit expertus. Proinde frueretur à ſe datis, relictis à Patre: & meminiſſet per quem graui diſcrimine, cum patre ac fratre irretitus euaſiſſet; eundemq; animum erga Cæſaream Maieſtatem in tempore efferret. Haud diſſimilia à Pontifice, Legato, Eſtenſi, Venetis accepit. Nam iactum ſemel fœdus æternum fore, non illaturos hoſtes in collegatorum aliquem arma, niſi cunctis laceſſitis & aduerſis; communem vniuerſis pacem aut bellum fore: Conferenda tantùm conſilia; & ſuſpiciones, metus, minas deccendas; ne quid de nouo, impræmeditatumq; occurrat: Idq; ab omnibus ſciri ex vſu eſſe. Poſſe enim ceptos motus ſolâ opinione reprimi; & oſtentatam aduerſus ſeditioſos vim, plerumq; ambigentes in officio retinere. Cæterûm cum Principum nonnulli per Oratores coram, lætitiam dominij exordio, mæſtitiam paterno exitu teſtarentur, Vicecomes ac Scaliger, miſſis à cubiculo præcipuis, mendacium teſtari non erubuêre. Par in vtriſq; ſimulatio, maior Scaligeri impudentia fuit. Cum enim frequenti Palatio cauſam aduentus, profluēti eloquentiâ qui venerat proſequeretur; ijs quæ Scaligeri in Mantuanos egiſſent, auſus eſt proditiones iraſq; nectere: eas fortunæ, has prauis ſtimulantium conſultis referens. Subdidit eundem animum perpetuum ſeruaturum; & factis fidem in tempore liberaturum. Tacuit Ludouicus, cum opportunam perfidiæ orationem excepiſſet. Sed prudentiam Aui æmulatus, ambigua reddidit; quæ in vtramq; faciem flecti poſſent; prout occaſio obueniſſet. Quod tamen ex magnificentiâ eſt; vtriq; aureo torque donati, & dimiſſi ſunt. Vbi Ludouicus erga ſe amorem, odium in hoſtes conſenſu potentiorum accepit; tum primûm vt ſui maior, vires proprias, externa ſubſidia, ſpes futuri æſtimauit, pari rerum ſuarum cuſtodiâ ac vigilantiâ; quæ multos Principes cætera infirmos, tutos diu habuêre. Delegatam quin etiā auctoritatem acrius exercebat: non in ſubditos ſæuitiâ, ſed iuſtitiâ ac conſtantiâ; ne vel precario imperare, vel alienas cōminationes formidare videretur. Comitate tamen, & erga ſuos familiaritate, docebat nihil quod honeſto nomine cenſeretur, fruſtra Ciues petituros. Domeſticum famulitium, quod numero multum increuerat, & in Ciuitate tolerabat, opibus ſuſtentatum, paternam caritatem, non Patroni experiebatur: Eratq; iactare ſolitus, nullam certiorem Principi poſſeſſionem, quàm neceſſitudinum copiam, amicorumq; fidem. Certiori in ſuam gentem ſtudio erat; inter ærumnas alleuator, inter indigentiam largitor; & fouebat vt munimentum, & ſpes futuri. Tot enim vno ictu peruerti non poſſe; & mutuo amore firmitudinē comparari nouerat. Monebat tamen, ne aſperitate, auaritiâ, licentiâ, cæteros irritarēt, aut odia conciperent, quæ ferè tempore increſcunt; & in multorum

Is pronus eſt in familiam

Oratores Vicecomitis, et Scaligeri.

torum promiſcuè perniciem terminantur. Mox accerſitum Ciuitatis Epiſcopum; quæ viuente Patre, vtilia ac honorifica accepiſſet, retulit: orauitq́; vt quando vnus è familiâ Principe, ſummum ad faſtigium natâ ſuperſit, ſibi in feudum perpetuum ac honorificum concederet; quæ iuris Eccleſiaſtici, Guidoni Parenti eodem titulo quondam permiſiſſet. Sufficere quidem vetetem Inueſtituram; ſed teſtimonio reuerentiæ ac modeſtiæ, preces offerre; vt incorruptæ voluntatis depræhendatur; præbeatq́; Prælato optimo, repetendæ quâcunq; causâ gratiæ, ſi quando Eccleſia eguiſſet. Epiſcopus, cui nihil antiquius obſeruantiâ in Dominos erat, Ludouici deſiderio annuit; eumq́; ac poſteritatem omnem, quæ certo coniugio ſequeretur, diplomate honorifici ac perpetui feudi complexus eſt. Erat quippe moris, quamuis latê fuſam inueſtituram, & ad vniuerſos poſteros traductam, nouo quouis, & conferētis, & accepturi Dominio reſumere; ne cauillo, aut detractioni locus eſſet. Idq́; nec dantis auctoritatem minuebat, nec onerabat recipientem. Huic ſimile, ab Abbate D. Benedicti habitum, facili Religioſorum hominū in familiam voluntate. Ciues interim, quiq́; publico impoſiti; veteres, ſed ſolitos patriæ ritus curabant; liberam nimis, & Principatui proximè accedentem Ludouici potentiam, ſi non intus ægrè ferebant, per cætus tamen, & conciliabula carpebant; quòd nullo Senatus Mantuani decreto firmaretur; nec eſſet qui poſceret, obijceret, conſuleret. Miſerrimam eam donationem circumferebant, quæ coactè exprimeretur; à non requirente acciperetur. An ideo datam poteſtatem, dicebant, vt mores Vrbis abolerentur, quos Guido, Aloyſius, cæteriq́; ante Gonzagos, eo ordine ſeruauiſſent? Nō id Cæſarem, non Pontificem auerſari; & decorum Patrono eſſe, nullâ ſuſpicione tyrannidis, & honeſtiſſimo titulo imperare. Sua Germanis Regibus, ſua ciuibus in Patriâ iura eſſe; quæ ab vtroq;, vni committi deceat, ſaluâ ſingulorum differentiâ. Ea non aliter multos ante annos, Ciuitatem à Cæſaribus accepiſſe; vt nouitas, ambitio, ſuſpicio deſit. Noluiſſe Carolum Regem, alieno iure Gonzagos ornare: ſed cùm reliquis antetuliſſet, oſtendiſſe, cui ciuium animi obſtringerentur; eaq́; conditione, vt acciperentur, non raperentur. Sic Aloyſium, ſic Guidonem adſcitos; & Ludouico idem incumbere; niſi potior ac validior, maioribus ſuis hæreditariam in Ciues auctoritatem iactet. Tacitis hæc primùm ſermonibus, mox manifeſtô ac libero exitu, per templa, per fora, per domos priuatas efferebantur; non hoſtili animo, aut negandi deſiderio, ſed vt Ludouico patriæ ſuæ caritas, prona Senatus voluntas, honeſta Ciuium vota aperirentur. Nec defuêre qui deportarent, augerentq́;. Vulgatâ Principum gratiæ præoccupandæ conſuetudine, vt vbi metus introſpexerimus, ſecuritatem aut timorē incutiamus: Vt illinc amorem, hinc ſollicitudinem; in amicos gratiam, in hoſtes iram proferamus. Ludouicus Patriæ mores primâ ab iuuētâ, magno ſub Patre, Auoq́; doctus; inanes vulgi ac Senatus querelas ſecretò ridere, publicè negligere, neſcium agere; iactis in caſum ſermonibus, quibus ciuium ſuorum, nobilium, ac plebis amorem teſtaretur. De Capitaneatu vaſtum ſilentium: Et prorūpere

Ludouicus ab Epiſcopo quorundam bonorum inueſt. ſumit.

Ciues de Ludouico queruntur.

pere auſi carpebantur; ſiue ne auctoritas minueretur; ſiue Senatus precibus

Alieneg ligit. deferendum, vltroq; ſibi obtrudendum agnoſceret. Et quò ſecretas conſultationes, publica conſilia auerteret; præcipuos Senatorum, prætextu fideî Patriâ amouit; pro limitibus & Caſtris diſponens: Neq; illi honorem, fiduciam, quæſtum, præmia abnuebant. Cæteri minori nomine, tanto negocio impares Mantuæ relicti; haud dubiè obſequio parati, & ſuſceptos à ſingulis ſermones delaturi. Quos exegerat, Gubernatorum vocabulo tumentes, diuerſos locos inſidere iuſſerat: Datiq; in vſum præſidij milites; quibus tamē Centuriones ac Tribuni præerant, quos penes arbitrium armorum erat; & ſecreta ab Ludouico mandata. Gaudebat pompoſam illam electionis conſuetudinem aboleri; & in hæreditatē abire, maiori Imperij ſimilitudine. Ciuitas interim commeatu, pecuniâ, iuuentute, omnem in euentum muniebatur. Sed ea Ludouicus comparabat, auidè pluribus intendens; licet otium ſuorum, nimias curas, dominandi faſtidium increparet. Sic exprimi à contumacibus preces credidit; quaſi cum ornarent, onerarent. Suum tamen cuiq; ius erat, nihil per vim aut ambitum ſumebatur; veræq; pacis fructus, iuſtitia & abundantia valebant. Et iam Ludouicus pro Capitaneo, quamquàm nondum collato munere habebatur; vt qui iure ſuo, nullo exterorum auxilio, & paci & bello proſpiceret. Satis ad potentiam interior vis, & Vicarij Imperij nomen credebatur, cui Guido ac Aloyſius ante alia ſtuduerant. Sed Senatus adhuc conſuli, & datam maioribus auctoritatem, à ſe recipi geſtiebat; non ſeruando Patriæ inſtituto magis, quàm promerendo fauori; quamuis enim non dediſſet, ſatis rebatur ad gratiam, obtuliſſe. Inuictus ad hæc Ludouicus, orari ſtatuit. Et erat ſpecioſum electionis nomen, decora deſignatio. Repertus eſt qui plurimorum ſecretos ſenſus erueret, excuteretq; ſilentium. Solemni declamationi, quæ in D. Petri templo habebatur, Guido Caprianus, Rambaldinus de Montechio, Iulius Andreaſius, Fabricius Gazius, aliiq; eiuſdem notę viri intererant. Sed Capriano ac Andreaſio plus nobilitatis, eoq; animorum erat. Hi ſacris expletis, dum ſermo

Guido Caprianus pro Ludouico. de Principe inſeritur (otioſorum, & curioſorū vetus materia) Guidoni cauſam erumpendi præbuêre. Nam famâ vulgi, nîl patriæ fęlicitati eueniſſe iucundius retulêre, quàm Ludouicum, optimo Parenti, & curandæ Reipublicæ ſucceſſiſſe: quando Vgolinus auctoritatis nimius, Franciſcus ſuſpectę caritatis defecerint. Tantam in viro comitatem, modeſtiam, liberalitatem domi; foris æquitatem, iuſtitiam, fidem eſſe; vt nec ſperare, nec quidquàm auguſtius à Diuis orare liceat. Ingentia facinora, plerumq; Numine permittente, & ſeruatâ in abdito cauſâ euenire; vt pœnitentiâ, & deteſtatione flagitij meliores reddat; Plures magis alieno dominio commendari; ſumpto à Ludouico documento, quem priuatum olim, nunc Principem, pari æquitate depræhenderint. Capitaneatum ab ipſo non quæri, verecundiam; à Senatu non offerri, ſecordiam, contemptum eſſe; parum in tempore profectura; ſi cum contumaci ac meniori ageretur, qui delatum, & negatum iuxta contemneret. Certè ſiue concederent, ſiue abnuerent, ipſum potenriam habere,

habere, maioribus, ſuis magnis amicitijs, Cæſarum voluntati innixâ: Quin (dicebat) offerimus volenti, aut etiam inuito obtrudimus dignitatem; quæ ex dantium modo, aut grata, aut non deſpecta cenſeatur. Offenſionis metus nullus eſt: Nam grati animi ſignum nullo maiori inditio proferas, quàm ſi conſenſu tradatur. Senatus auctoritatem eſſe aliquam, hoc ſaltem tempore, & occaſione expedit; vt quò de ſuo Principe benè mereatur, habeat; oſtendatq; non niſi eius ornamento Patriæ vires (ſi quæ ſunt) impendi. Seu ſpõte deuolutam, ſeu conceſſam Dominationem teneat, ſatis ipſis & Patriæ futurum; quia quod dare poſſe credidimus, tranſtulimus. Si ille manſuetudinem addiderit ac modeſtiam, increſcet conſilij ſuſcepti commendatio. Rara enim auctoritas moderata eſt; & malis temporibus habita potentia, ferè modeſtiam excludit. Nihil in viro veterum inimicitiarum, nîl ſimultatum, nulla offenſionum memoria: Et ſi quid ſuſpicacem regnantium animũ quatit, amoris & fidei demonſtratione obliteratur. Ferè non alio validius indignati potentiores retinentur, quàm humilitate. In nobis offerendi audaciam; honeſtas, iuſtitia, antiquus mos, & in Principem pietas, caritate & dilectione excuſabunt. Multa dominis concedi, plura offerri debent; nec ideo noluiſſe credendi, quòd non petierint: Hoc infirmitatem habet, illud gratã audaciam: Neq; minuendi, quos ſuper alios efferre cupimus. Placuit conſilium. Id ſolùm prouidendum erat, ne paratus ſuſpicioni imperantis animus, inanibus læderetur: neu obſequium, contumeliam interpretaretur. Nam à dominantium auidis nihil longius abeſt, quàm deſiderij oſtentatio, nîl infenſius habent, quàm ſi æquitatis & loci admoneantur. Proinde explorandum ante animum, & an Senatus voluntatem æqui conſulturus ſit, detegere. Potior Caprianus viſus, quem magni natales & Principis domus conſuetudo, ſecuriorem reddebant. Ille veniam à Senatu poſcens; quòd quę Ciuitati profutura crediſiſſet, in præſentem diſtuliſſet; magnæ negociationi ſeſe accingit: Non vt Senatum tueretur, ſed vt Ludouicum officij magnitudine peruinceret. Sextus iam menſis, à Guidonis exitu numerabatur; & Ludouicus quamquàm Imperij Vicarius, eoq; nomine, ſummo in Ciuitate loco eſſet; non tamen adhuc Capitaneatum Ciuitatis deſignatione occeperat: Non deferente dignationem Magiſtratu ob formidinem; nec petente illo ob magnitudinem. Caprianus velut aliud acturus, dies aliquot benè agendæ rei occaſionem opperiens (ſepoſito enim & hilari Ludouico opus erat) tandem oblatam arripuit, dum ille conſilij neſcius, incomitatusq;, vacuis porticibus expatiaretur. Priorq; (nam ſpẽ metùmve vultu coniectauerat) Caprianum compellauit. Scio Capriane angi te interius, & deſiderio agitatũ altè abſtrahi: nec nouam hanc, ſed plurium dierum & veterem conſternationem eſſe. Caprianus contra; Equidem Ludouice quod dicam habeo: Sed offenſionum non ignarus, quas facilè eſt pro Republicâ ſumi, meam ipſe ſortem, tuam fortunam metuo. Facilius enim incautus offenderis, quàm gratiã cautus promereare. Sed vtcunq; res cadat; per veterem amicitiam, etiam Patri tuo probatus; & expertá, à te plures annos fidem, oro obteſtorq;

 dicen-

dicentis animum intueare. Ne ſi quid inconſultum exciderit, interpreta-
tione prauitatis, quàm caritatis excipias. Annuente illo, addit: Etiam fi-
diſſimis è familiâ id priuilegij obtigit, vt impunè proloqui, & extra indi-
gnationis formidinem poſſint: Quamquàm ipſis obſequium magno diſcri-
mine quæratur: Quòd plerumq; Principum voluntas in abdito ſit; & gratū
illud ſecretum perrumpi ſine iniuriâ nō poſſit. Id alijs probatum, ſibi quoq;
accidere. Qui Patriæ ſuæ bono; Principis honori ſtudeat; poſſitq; vel opti-
mè factis & impetu amoris, iram Domini concire. Hoc nomine ſubditos
excuſandos; ſeu nihil, ſeu nimium tribuant, animo, factis, aſſentatione. Ple-
rumq; etiam prudentiſſimis adulationem probari; libertatem interdum pla-
cere; modò in virtutem, pronis, modò in vitia corruptis. Etſi alienus ſit
animus, etiam quibus non iraſcare in cauſam trahi. Poſſe ac debere Sena-
tum, populumq; excuſari, ſi Guidone defuncto, non illico Capitaneatum
contulerint; incertâ ſucceſſoris voluntate; nec vllo alio in Ciuitate ſuperſti-
te, qui æmulatione, ambitione, pecuniâ, ambitu, abeuntem fortunam cap-
tare præſumat. Expectaſſe vniuerſos; non vt oraret ſed poſceret; non fla-
gitaret ſed requireret; non aliâ Aloyſij & Guidonis, optimè meritorum re-
cognitione; quibus ſe cæteris, & famæ antetulerint. Turpe eſſe vt ſuum
proferre, quo quis indulto, auctoritate, virtute parauerit: Et ſi quæ oblatio-
nem gratia comitetur; præſumptione, audaciaq; amitti. Perſpectum ſibi vt
Ludouicus, modeſtiâ cùm Senatus reuerentiâ certauerit, quâ nec ille peti-
turus; nec iſte oblaturus erat. Et tamen eâ temporis conditione Italiâ eſſe;
vt & peti, & dari expediat; quorum vtrumq; ſine pudore tractari vix poſſit.
Quòd ſi requirere animus non ſit, orare ſe optimorum ciuium nomine, vt
oblatam potentiam iniuriæ non adſcribat; nec crimini vertat, ſi in meritiſ-
ſimum ea omnia conferantur; quibus non auctoritas, ſed teſtimonium me-
ritorum proferatur. Senatum diſceptatorem actoremq; requirere: Eſſeque
prorſus deſiderij ſecurum, niſi metu ab officio arceatur. Ludouicus ſe Sena-
tus conſenſui imparem reſpondit: id tantùm poſcere, ne nimio amore ſui ad
inſolita decurrerent, aut vim cōſilijs afferri crederent. Cæterùm quidquid
potentiæ, & exiſtimationis, apud ſuos, apud exteros habuiſſet, commodis
ſuorum reſeruare. De amici pietate ſecurum agere, quem nouerit niſi vtili-
tatis ſtudio errare poſſe. Demùm ne prolixiori excuſatione, orare ſe
velle oſtenderet; Caprianum dimiſit. Qui ad amicos regreſſus, Ludouici
animum retexit. Ergo Poteſtatis iuſſu Senatus coactus eſt, penultimâ Mar-
1370. tij Milleſimi tercenteſimi ſeptuageſimi. Nos è veteri Ciuitatis ac ſtatuto-
rum Archiuo id tantum è verbo reddidimus, quod Gonzagis Capitaneatum
adiudicat.

Senatus Ludouicum Capitaneū dicit

Nomina Dominorum Antianorum, qui huic conſilio intererant, fuerunt
ſequentia. Dominus Antonius de Smeris Iuriſperitus, Abbas dictorū An-
tianorum. Dominus Loyſius de Gonzaga, Dominus Ioannes quondam
Domini Philippini de Abbatibus, Dominus Nicolaus de Accabis, Dominus
Galeatius de Viſcontis, Dominus Bartolinus de Rotingo Scabizata, Domi-
nus

nus Bonauentura, quondam Scaiolini, Dominus Franciſcus de Ripâ, Dominus Andreas de la Paga, Dominus Petrus Ioannes de Mignacha, Dominus Rambaldinus de Montechiaro, Dominus Iacobus de Toualeis.

Infraſcripti ſequentes, ſunt Sapientes, qui erant electi tres pro quarterio quolibet Mantuæ. Dominus Antonius de Gonzaga. Dominus Conſolatus à Strate. Dominus Amadeus à Spighis: Iſti tres ſunt de Quarterio Ciuitatis veteris. Dominus Federicus de Petraſtis. Dominus Ioannes de Pezarolo. Dominus Albertus de Mazalis. Iſti tres ſunt de Quarterio S. Martini. Dominus Bonauentura de Gazijs iudex. Dominus Viualdus de Caprianis. Dominus Guido de Caprianis. Iſti tres ſunt de Quarterio maiori. Et ſic congregatis in dicto loco, ipſi Domini Antiani, & Sapientes, in præſentiâ præfati Domini Poteſtatis, Sapiens vir, Dominus Naſcimbenus de Cittadella Epiſcopus Paduæ, Iuriſperitus, Vicarius dicti Domini Poteſtatis; de mandato ipſius ibidē præſentis, expoſuit; inter ipſos, & per antiquas conſuetudines, & annis Centum circa, & citra, ipſum commune, populum, & Vniuerſitatem ciuium Ciuitatis Mantuæ, fuiſſe ſolitos eligere, vnum Capitaneum qui habebat in defenſione ipſum populum, & perſonas, & ſtatum Mantuæ. Et quòd poſt mortem Magnifici Domini Guidonis de Gonzaga eorum Capitanei, vſq; nunc, non fecerant electionem de aliquo eorum Capitaneo. Vnde quòd cum non eſſet vnus Capitaneus, qui haberet talem defenſionem, ortę erant in ipſo populo, & ſtatu multæ ſeditiones, diſcordię, & quæſtiones: Et ſic ſtatus & res publica Ciuitatis Mantuæ, tendebant in malum. Et multa alia verba ipſe D. Vicarius dixit, & propoſuit, in conformitatem illorum prolatorum, in ſupradictâ electione; ſeu tempore quo fuit electus dictus D. Guido: quæ omittuntur propter nimiam prolixitatem. Et ſic proponendo & hortando eos, ad prouidendum & eligendum, vnum Capitaneum qui haberet, talem defenſionem, auctoritatem, & regeret. Replicando verba prout in dictâ electione, dicti quondam D. Guidonis. Et ſimiliter legi fecit publicè Statutum, cōditum, & celebratum, per ipſum commune Mantuæ, de poteſtate, auctoritate, & arbitrio, datis & conceſſis quōdam Mag. Domino Loyſio de Gonzaga, olim eorum Capitaneo. Quo lecto, ſurrexit ſupradictus Dominus Antonius de Smeris Iuriſperitus, Abbas dictorum Dominorum Antianorum, & laudauit omnia expoſita, & propoſita, per ſupradictum Dominum Vicarium Domini Poteſtatis. Et ea exequēda eſſe, & executioni mandari. Et deinde multa honorabilia verba protulit de ipſo Mag. quondam D. Guidone, de Gonzaga, olim eorum Capitaneo generali; & de eius bono regimine; quod fecerat per circa decem annos, quibus rexerat ipſum populum, Commune, & Vniuerſitatem Ciuitatis Mantuæ, in officio Capitaneatus; exhortando omnes ipſos Dominos Antianos & Sapiētes, ad electionem faciendam, de vno alio Capitaneo; & eis proponendo, vt in eorum Capitaneum generalem, & defenſorem, & rectorem eligerent, Magnificum Dominum Ludouicum de Gonzaga, filium præfati quondam Domini Guidonis: In eâdem auctoritate quæ aliàs fuit data Mag. quondam

Domino Loyſio de Gonzagâ, eius Auo; & ipſi ſuo Patri. Et ſecundum illud ſtatutum, quod fuit conditum quando fuit electus ipſe quondam Dominus Loyſius, vt eidem Domino Ludouico, daretur & concederetur ſimilis auctoritas, &c. Item propoſuit, quòd bonum eſſet eligere Centum homines ex ciuibus Ciuitatis Mantuæ; quod repreſentarent totum commune, & populum Mantuæ, & diſtrictum. Et quidquid per ipſos Centum homines, Sapientes, & officium Antianorum, deliberatum & firmatum foret, aut ſtatutum; eſſet firmum & ratum, &c. Sequendo formam, & ſtilum, prout fuit obſeruatum in electione ſupradicti Domini Guidonis. Poſtea ſurrexit Dominus Ioannes de Perarolo, vnus ex ſupradictis Sapientibus, & laudauit, approbauit, conſuluit, & confirmauit omnia prædicta, à Domino Antonio de Smeris dicta & conſulta. Et ea repetendo conſuluit fieri; & executioni mãdari debere, cum multis alijs exhortationibus. Et videns præfatus Dominus Poteſtas, quòd omnes Domini Antiani & Sapientes, nec aliquis eorum contradicebat; & facto partito ſolito; omnes vnanimiter & vnâ voce dixerunt: Fiant quæ conſulta ſunt per dictos conſultores: præcepit & commiſit generale Conſilium, totius populi, & Vniuerſitatis ciuium Mantuæ, conuocari & cõgregari, in Palatio veteri cõmunis Mantuæ, ſono Campanæ, & voce præconis. Eâdẽ die penultimâ Martij, Milleſimo tercẽteſimo ſeptuageſimo, cõuocato & cõgregato cõſilio generali, totius populi & Vniuerſitatis ciuium Ciuitatis Mantuæ, in Palatio veteri communis Mantuæ, vbi aderant ipſe D. Poteſtas, Vicarius, Domini Antiani, & Sapientes, fuit lectum publicè, & narratum id, & totum quod fuerat ordinatum, per dictos Dominos Antianos & Sapientes. Et ſimiliter lectum ſtatutum, conditum, & celebratum, quando fuit electus in Capitaneum generalem, & defenſorem populi & vniuerſitatis Ciuitatis Mantuæ, ſupradictus quondam Mag. Dominus Loyſius de Gonzaga, vulgari ſermone. Et tunc ſurrexit Dominus Franciſcus de Iudicibus, nobilis Ciuis Mantuæ; & conſulendo dixit, omnia & ſingula, propoſita, facta, & firmata, & decreta per dictos Dominos Antianos, & Sapientes, & hìc narrata & lecta, cum totius auctoritate præſentis conſilij; ſint firma & rata, tamquam ſalubria Ciuitati & populo, & Vniuerſitati Ciuitatis Mantuæ: Et prout ordinata & decreta ſunt, &c. Et ſpecialiter, quòd dictus Dominus Mag. Ludouicus de Gonzaga, ſit Capitaneus, Dominus, & defenſor Ciuitatis & diſtrictus Mantuæ, hominum & perſonarum ſingularum, & bonorum, &c. Demũm ſurrexit D. Petrus Amadeus Iudex vnus ex ſupradictis Sapientibus, & arrengando conſuluit, omnia & ſingula ſupradicta, in totum ſicut conſulta fuerunt & decreta; ſicut per dictos Dominos Antianos & Sapientes, & in præſenti conſilio lecta; firma, & rata; ac ratificentur, firmentur, & ſtatuantur. Et ſit lex Municipalis huius Ciuitatis; & pro lege debeat obſeruari, &c. Deniq; nullo alio apparente, qui plus conſuleret, facto partito, ordine ſeruato, vt ſupra dictum eſt in aliâ electione, ſupradicti quondam Domini Guidonis; omnes de dicto conſilio, nemine diſcrepante ſurrexerunt; & vnanimiter & vnâ voce dixerunt; & ſit dictus D. Ludouicus

Capi-

Capitaneus, Defenſor, & Gubernator Ciuitatis Mantuæ, territorij, & diſtrictus; cum omni poteſtate, ſignoratico, Dominio, iuriſdictione, &c. prout in alia electione, &c. Et poſtea his peractis, & aduocato dicto Domino Ludouico de Gonzaga in dicto conſilio, & ipſo ibidem exiſtente, præfatus Dominus Poteſtas, Dominus Philippinus de Sauiola, & D. Ioannes de Abbatibus, vnus ex dictis Antianis Sindici Communis Mantuæ, ad hoc electi in ſimul; & quilibet ipſorum nomine Communis, & populi, & conſilij antedicti, prædicto Domino Ludouico, dictum officium, poteſtatem, dominium, Capitaneatum, dictæ Ciuitatis Mantuæ, territorij, & diſtrictus, modis, formis, & arbitrijs prædictis obtulerunt. Et in ſignum plenitudinis poteſtatis & inueſtituræ, virgam & ſceptrum dominij, in eius manibus poſuerunt. Qui Mag. Dominus Ludouicus, nomine indiuiduæ Trinitatis; & Beatæ Virginis Mariæ; & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, omniumq; Sanctorũ & Sanctarum Dei; Ad honorem, & exaltationem Sacri Romani Imperij; ad bonum & pacificum ſtatum, augmentum & defenſionem populi, Ciuitatis, Territorij, & diſtrictus Mantuæ; præmiſſo venerabili ſigno Crucis; dictum officium, dicti Capitaneatus, defenſoris, & gubernatoris dictæ Ciuitatis, Territorij, & diſtrictus, benignè acceptauit. Et in ſignum plenitudinis poteſtatis, virgam & ſceptrum ſibi oblatum, per dictos Sindicos, in ſignum veræ Inueſtituræ, ſuſcepit in ſuis manibus. Et ſic ex inde, præfatus Mag. Dominus Ludouicus de Gonzagâ, Capitaneus electus, fuit aſſociatus à toto populo prædicto; vſq; ad Palatium ſuæ habitationis. Et continuè campanæ pulſarunt, pro lætitiâ talis electionis. Et de prædictis omnibus actis, rogatus fuit Iacobus de Robis, Notarius ſupradictorum Dominorum Antianorum, &c.

Id omne, è veteri M.S. Archiui Mãtuani tranſtulimus: Vt nõ minus prona ciuium in familiam principem voluntas, quàm modus conferendæ potẽtiæ ſciretur. Prolixior electionis modus, & longior conſuetudinum obſeruatio, haud quaquàm Ludouicum offendiſſe creditur: firmatâ longo imperio domo, nullis æmulis, & ſponte oblatâ potentiâ, quam ipſe non petijſſet. Ea tamen Otinum morum Patriæ nimis obſeruantem, ſiue illud ars erat, ſubuertiſſe traditur. Vbi enim res in tuto non creduntur, etiam obſequia examinantur, ſuſpicioniq; comparantur. Et cum adulationi, ſimulationi, miniſterio inſiſtas, eo ipſo lædis, quod grata & ambita credas, aut potentiorem ſimilibus egere. Porro Ludouicus, Sindicos, Antianos, & Ciuitatis præcipuos epulo excepit, ac in multam noctem, gratâ comitate attinuit, ſolo officij intuitu. Et vt facilitatem, gratitudinemq; teſtaretur, ſublatis menſis prior ad ſeria verſus; Sextum menſem numerari teſtatus eſt, ex quo Ciues Capitaneo, ipſe optimo parente careat. Sed facilius ipſis fuiſſe, nullo eius ductu, quàm ſibi ſine fideli Patris conſilio, muneri ſatisfacere. Placuiſſe prædeceſſorum ſuorum merita ipſi imputari, vt eius modeſtia ac gratitudo iuxtà onerarentur. Sed ſuis debere; amicis, & conciuibus obnoxium eſſe, ſpes ſubleuare; vt eâdem voluptate debitum, quâ beneficium acceperit, reddat. Non petijſſe ne ambire; nec abnuiſſe, ne diffidere crederetur. Cupere, *Ille recipit.*

ſecum ſemper eas vires eſſe quas aſſingunt, opinentur, præſumunt. Eundem certè animum, eandem in omnes caritatem ſeruaturum; honori proprio, deferentium vtilitati. Neq; res ſuas, ſed ſpes Patriæ ſuſtentaturum. Et quãquàm reieciſſent, nullo aduerſus ipſum beneficio; debuiſſe tamen collatis à Senatu, in Patrem, Auumq; honoribus, pari voluntate reſpondere. Nunc geminatis meritis, additurum deſiderio ſtimulos, vt indefeſſus beneficijs in Patriam, amicos, ac conciues depræhenderetur. Cupere ipſos populo, ſuo nomine vades accedere. Induſtriam, amorem, iuſtitiam ſpondere; ipſum datam fidem, effectis liberaturum. Mox ſingulos amplexatus domum dimiſit: Capriano præ reliquis exultante, quòd intentatum Patriæ officium, pari audaciâ ac fortuna tranſegiſſet. Decretus quoq; ad Carolum Legatus, qui Patriæ ac Senatus voluntatem deferret. Sciret in Gonzagos, multitudine honorum Mantuanos & Cæſarem decertare: Placuitq; electio; ne in alium egreſſa dominatio, turbas ſuſcitaret, aut conſilia maiori prudentiâ Mantuanis quàm Imperatori crederetur. Soluta morum diſciplina, diſcordias plerumq;, & inter ciues diſſenſiones importat: Quò minus mirum, iuuẽtutem bello armiſq; exercitam, eadem in pace actitaſſe. Siquidem Vrbs ſummâ quiete haberi ſolita, nocturnâ petulantiâ imperuia, & iuuentutis licentiâ fœda erat. Neq; illico ad Ludouicum vniuerſa, vt corrigeret, deferebantur; quòd maius onus, & grauiora Patriæ conſilia ſuſtineret. Ad Poteſtatem ibatur: qui iuuentutis nobilitatem, Ciuium inuidiam, Principis indignationem metuens, mitius quàm ſeditioſis expediret, prouidebat. Secutæ tamen in nonnullos plagæ, & cædes Petri de Goito, Ludouicum aduertit, vt minoribus quoq; conſuleret. Nihil inquiſitione profectum. Ergo grauibus edictis repreſſa licentia; & nocturni cætus formidine Domini diſſoluti; nam hinc initium mali. Id tamen diuersè acceptum; alijs libertatem, potioribus modeſtiam commendantibus. Quare Ludouicus reddẽdam facti rationem putans; libertatem nullam, vbi nimia ſit, & tum pollere, vbi vniuerſi pari iure agant, admonuit. Nec ante proſequi ſicarium, aut de ſeditioſis quæſtionem habere deſtitit, quàm auctores vinculis retineret, puniretq; cæterarum documento. Auctor capite pœnas luit: Vrbe pulſi alij, coactiq; conſanguinei, ſuo diſcrimine exilium ſpondere. Hos interè nobilioribus nonnulli erant; qui conſilio, armis, pecuniâ, nutrijſſe ſimilia dicebantur. Et ne minoris fortunæ, delectu offenderentur, in vniuerſos animaduerſum. Pœnæ flagitio reſpondêre: Nam intactis facultatibus; noxij ſecreto puniti; aut leuiori culpâ Patriâ exuti ſunt. Malè Ludouicum, in reos exilio vſum exitus docuit. Nam Patriâ prohibiti, ad Scaligeros, Vicecomites, Venetos abiêre; ſuam miſeriam, vim Capitanei, ſeruitutem Ciuium, vt degenerem improperantes. Et nonnulli credidêre. Neſcius interim Ludouicus, quibus contumelijs apud exteros diſtraheretur, agebat: Sed cùm apud accolas tumultuarentur; ſolida domi quies, & pœnæ metu modeſtia erat. Haud minus Imperatoris auctoritate, ciuium concordiâ, Veronenſes, Brixiani, Cremonenſes quieſcebant: Florente præſertim iuſtitiâ, cui proprius in pace, ac

Licentia Vrbis reprimitur.

otio

otio locus. Sed cùm Ludouicus publico prouideret, ſibi tamen, domuique proſpiciens, munimenta dominio parabat. Pecuniam maximè; cuius beneficio tenuiſſe potentiam, & diſieciſſe obſtantia maiores ſuos nouerat. Fęderibus niti infirmitatem, iactare ſuperbiam; vniuerſa valida, cum auro necterentur didicerat. Summa plebis cura erat, quam munere, officijs, magiſtratibus deuinxerat, vt nobilitati obſiſteret: Nec enim niſi ab æmulis ſuſpicio erat; apud quos libertatis ſtudium eſt, inuiſa ſeruientium æqualitas. Erat in Ciuitate Federicus Gonzaga Aloyſij filius, Ludouici Patruus, prouectæ ætatis; ſed quæ nondum cupidinem dominandi, & gloriæ exuiſſet. Non coniugio illigatus, non liberis onuſtus. Hic rarus apud Ludouicum erat, ſiue neglectu; ſiue nepoti Domino, Patruus famulus ſeruire dedignaretur. Etiam inopia ſecreto attinebat; & iuncti magnis natalibus vaſti ſpiritus; quòd non ſatellitio, non turbâ ciuium ambiretur. Quidam Ludouico imputabant, quòd animi faſtu turgidus, plus alienis, quàm ſuis deferret; nec comitatem niſi ſimulatione proferret. Itaq; ſecretis ſermonibus per nocturna ſilentia, & aſſumptis ciuium perditiſſimis; quibus otium cauſam flagitio & nouitati dabat, in eandem conſcientiam, multorum animos aggreſſus eſt: ſuetam ſeruituti patientiam, nimias vnius vires, paratos facinori multos obtrudens: Ne pulchram libertatem, Patriæ dilectionem proijcerent; ſed impetu ictuq; vno, detraherent iugum ceruicibus; ſeſeq; in ius priſtinum vindicarent. Ignouiſſe Pontificem ac Cæſarem parricidio, ſed hunc muneribus, illum pietate euictum. Nec ideo tamē elotam ſceleris notam; aut flagitium, imperio Patriæ dignum creditum. Ciuitatis ac Senatus placita timori danda: Neq; enim is benè iuſteq; dederit, qui negare non potuit. Qualem eam ſuperbiam fuiſſe, vt orari voluerit, eius cui auidè inhiabat; ne gratitudine teneretur? Nihil tamen ab eo flagrantius deſideratum; & ſolemnibus epulis, decorâ in ſpeciē oratione ſpecimen datū. Pontificem curis hauſtum, fini propius accedere; Cæſarem longius abeſſe; quàm vt opportunum auxilium in tempore tranſmittat: Approbaturum cędem, auulſamq; manibus immeriti potentiam bono conſulturum. Non enim nouum eſſe, rem poſtquàm euenerit, nec emendari poſſit, laudari. Non ſibi aut ſuis dominationem; ſed Patriæ quæri: Quamquàm non parricidio; non ciuili ſanguine fœdiſſimâ causâ contaminatum eſſe, ſed veteris Aloyſij prorſus retinere. Affuturos vindictæ ſuperos, & potentiam translaturos. Conſilio inerant Guido, Gulielmus, & Odoardus è ſtirpe Feltrini; quos conſcientia prauis cogitationibus, & noctis ſecretum illigauerant. Non enim tuta Mantuæ nobilibus conuerſatio, aut fida erat. Hi diuerſos nobilium in partes traxêre; tamquam id è Republicâ eſſet; aut exitus coniurationis, non honeſtas cauſæ quęrenda foret. Præcipui cenſebantur Paulus de Aſola, Iacobus Gazius, Philippinus de Rambaldis, Fabius Otinus, Angelus de Guidottis; pluresq; alij, impetu ſeditioſorum abſtracti. Et vt ferè imprudentiâ in ſimilibus peccatur; aut vis flagitij conſilia peruertit; hi quoq; alios impulêre; auctoque numero etiam fœminæ coniurationi nomina dedêre. Quas inter

Cōiuratio in Ludouicum.

famoſum

famoſum in Vrbe ſcortum Lucia Brixiana, Gazij amore vecors, & conſuetudine Guidonis Capriani vſa, hunc quoq; trahere geſtiebat: cui paratus ad Principem acceſſus, & ex eo prompta inſidiarum occaſio. Interim Caprianus Ludouici, quàm propriâ ſorte fœlicior, miſſo famulo ad Luciam, ſecuturæ noctis licentiam requirit, orans vt breui morâ Gazius excluderetur, voluptatis ſatiatus, & haud quaquàm vices amori reddens. Annuit fœmina, nec dilata lætitia eſt; paratam fortunam occurrere rata. Gazium tamen id quod parabat feſellit. Ad medium noctis, libidine fractus, & ſomno victus Caprianus conquieuerat. Lucia Gazij memoriâ inquies, metuq; ſecreti conſilij, per ſuſpiria & formidinem plurimum noctis tranſegerat. Foſcente illo iactationis cauſam, primùm dolores, mox amorem cauſata; non tamen cum fide audita eſt. Sed acrius magni arcani ſilentium perrumpente Capriano, erupit; alienas ac ſuas fraudes, ſeditionem, coniurationemque retexit. Capriani multò ante perſpecta Gazij in Patronos alienatio erat. Ergò ſimulandum ratus, dum plenius doceretur; ſe quoq; inter conſcios eſſe retulit; quod muliercula vt vero ſimile credidit; velut longa Principis familiaritas, contemptum induxiſſet. Datâ demum redditaq; fide, Caprianus tamquam ſocios petiturus abſceſſit; iubens vt ſi Gazius occurreret; ſe quoq; ſocium offerret, peteretq; colloquium, vtriq;, ac toti ſocietati profuturum. Sed quia magno diſcrimini plerumq; dilatio nectitur, ædes Ludouici properus accedit, admittiq; orat; ſe magna, & quæ illico audiri expediat, afferre. Nunquam Principibus Gonzagis ſuſpecta Capriani fides fuerat, ideoq; ſtatim vocatus, & intimo Ludouici cubiculo inductus eſt. Animo æger credebatur, quòd euoluta nox, frequentibus ſuſpirijs, inquietum reddidiſſet. Ergo edicere quorum causâ aduenisſet, iubetur; nec metuere aſpectum Domini, quem ſemper placabilem, amicumq; expertus fuiſſet. Caprianus rem ordine ediſſerit; muliebres illecebras, amicorum meditamenta, ſuorumq; perfidiam proſecutus; vtq; ſibi caueat, admonet. Ludouicus (quod accepto beneficio obuium eſt) gratias agit; iubetq; poſtico excedere; ne ſe perfidis ſuſpectum, aut cōſcium Dominum doceret: plura diem & tempus detectura. Sed Caprianus pietati ac officio minimè ſatisfeciſſe credens, niſi delatam coniurationem deprehendi, & in publicū dari cogeret, Luciam inuiſit, tamquam ad matutinum ientaculum acceſſiſſet; vt parricidas in vnum cogeret, audentioresq; redderet. Iam Lucia amentiæ ſocijs Capriani conſilium detexerat; & Federicum, Odoardum, Otinum, Guidottum, Gazium, velut captandæ fidei conuocauerat. Nemo Ludouici ſuperbiam Capriano acrius inceſſebat: nō veteribus nō nouis parcens: & modò ſecretas ſibi odij cauſas, modò hoſtilem in ſubditos Domini animum carpens; tantâ contentione animi, vt auctorem, non tractum crederes. Non enim leuibus inditijs, aut fruſtra credi poterat; manifeſtâ per apertum Capriani in Gonzagos veteri amicitiâ; & non niſi vrgentiſſimâ causâ æſtimatâ, quæ familiaritatis veterem abſtraxiſſet. Miſerrimi quæ dicebantur, ſorte, an imprudentiâ (nam flagitijs conſtantia deeſt) admisêre; ſtatuta dies patrādæ facinori;

Detegitur.

facinori; nec habita effugij memoriâ: Tamquàm ciues ac Senatus omnis auxilio adeſſet. Dataq; Capriano cura, nocte concubiâ pandendi fores, & inducendo globo coniuratorum. Sed ille quò ſibi plus delegaretur, eò certius inditium, & ſecuriorem Ludouicum putans, diſcrimina poſcebat; fidẽ ab audaciâ, & quòd non ſui anxius ageret, mutuatus. Proinde ſeruandam ſolitam cum Dominis conſuetudinem, aiebat: ne ſeceſſione ſuſpiciones augerẽtur; aut Ludouicum ſciendæ cauſæ deſiderio, anxium redderet. Plures quàm magnis conſultis expediat, acceſiti. Nec in tantâ ingeniorum varietate, etiam fœminis in ſocietatem aſſumptis, ſecretum poſſibile erat; ne quis volens, nolens, ſtudio, caſu, metu, ſpe agitatus detegeret conſilium, cæteris formidine tacitis & defixis. Ludouicus interim, licet deſtinatæ noctis certior, tamquàm valetudine præpeditus domi attineretur, fortiſſimos ſeruorum adſciuerat. Qui temerè irrumpentes; & Caprianum ipſum, vt inditiũ falleret, compræhenderent. Nec illi aliud quàm inijciendas cathenas; & in cuſtodiâ plures habendos nouerant, cauſam ignorabant. Cuſtoditi, & ipſi, ne cui imperium detegerent. Paratis quæ tempus & magnum facinus requirere videbantur, omnemq; moram pertæſi, præter Gonzagos vniuerſi affuêre. Siue illos pœnitentia, & turpitudo retinuerant; ſiue hos facinoris magnitudo impuliſſet; ne aut ſocios in gloriâ haberent; & ſuſpicione familiæ caritatis. Niſi fortunæ ſuæ partes ſunt; & conſilia fati arbitrio voluuntur. Quidam delegatam Gonzagis Rempublicam à conſcijs putant; tamquàm patrando ſceleri ipſi ſufficerent, Gonzagi coërcendo Senatui requirerentur. Certè ſi deſignato flagitio Gonzagi præſentiâ inſtitiſſent, facilè vis cuſtodibus illata, & oppreſſus multitudine clientium Ludouicus foret. Vtcunq; res habuit; quos memorauimus capti; & ne conſcijs quidem ciuibus, arctæ cuſtodiæ commiſſi: ſed diſcreti, vt niſi verum prodidiſſent, diuerſitate iudicij conuincerentur. Additum ſilentium; ne quid Ciues perciperent, aut ne conſcij flagitij elaberentur. Federicus Gonzaga, quiq; è Feltrinis, facinori nomina dederant; vbi tardè dolum procedere, & neminem è conſcijs apparere orto die vident, clam Vrbe exceſsêre: ſed quieti, ac diuerſi, nec feſtinatione metus manifeſti; ne fugâ inditium firmarent, aut formidinem præſeferrent; & impunitatis, & famæ, magnitudinis animi deſiderio; quæ vtraq; ſimulatione fugæ corrumpi metuebant. Et quamuis ſummo ſilentio quæſtio haberetur, ductâ tamen in carcerem Luciâ, manifeſtius quid actitatum foret, innotuit. Ciues modò confuſi, modò in ſecretum reducti, futuri ambigui erant: neũ miſcuiſſe conſcientiam, aut timuiſſe publici præſentiam viderentur. Poteſtatis Mantuæ indicio primus oblatus eſt Otinus. Et ille ex parentis exitu, ſuum præſumpſerat; ſiue eâdem, ſiue diſpari cauſâ, impietatis tamen reus, quamuis inditium eluſiſſet. Abnuenti flagitium; & quò ſuſpicionem auerteret, etiam à Ludouico ac Guidone Dominis, accepta beneficia recolenti, inductus Guidottus. Hic & delicto, & pœnitentiæ facilis; ſimul ſpe impunitatis (quæ ferè degeneres probat) ſeque ac complices nominauit: Suſpenſo Ludouico, quomodo gratia, merita, comitas, lar-

gitio,

gitio, in irritum apud tot amicas familias cecidiſſent. Non tulit aduerſi & confeſſi aſpectum Otinus, ſed ſuam ipſe ſtultitiam, Fabij Gonzagæ aſtum faſſus eſt. Tum Ludouicus (etenim iudicio ſingulorum adſtabat) mendacium, perfidiamq́; obijciens, innocentem Patruum, ac conſanguineos reſpondit: Sed integerrimos nominari, vt ſocietate culpæ, excuſaretur. Exẽplum cæteri ſecuti; Ludouicum pietati paratiorem credentes, ſi ſponte crimen ac conſcios edidiſſent. Lucia vbi ſe Capriani blãditijs circumuentam, & inutilem contumaciam vidit, confeſſionis palmam amplexata; & vniuerſos retulit, & quos alio nomine exoſos habuerat, vt perderentur, nominauit. Sed paucis à quæſtione diebus, vanitatis manifeſta, fœminilem in modum lachrymis ſe tegebat, ſexus infirmitatem, viriles artes & minas, quibus impar fuiſſet, cauſata. Ioannibonus de Fulcialis ſupererat; non ſcelere, non reliquorum inquiſitione nominatus, ciues, orbus, & ſolâ inuidiâ, diſcrimini obiectus. Hic certior per Scribam conſanguineum redditus, impudico ſe Pellicis ore cecidiſſe, voluntario exitu damnationem præuenit; infixo pectori mucrone, & diuiſâ ante inter affines, ſeruosq́; pecuniâ (quam longâ parſimoniâ immenſam conflauerat) ne cui iniuſtus finis lætitiæ cederet, aut per contemptum recoleretur. Quippe domeſticas opes ſuas poſci crediderat; idq́; non ſemel teſtatus ante fuerat; nondum criminis requiſitus. Circa Vrbis medium, vbi nunc Mincius intercurrens elabitur, eminentes ædes habebat, & præcipitem ſe ſummo tecto dare meditatus ſubſtiterat: regreſſuſque in cubiculum, loculos auro turgidos deprompſit; obuerſusq́; ad coniugem: quando (inquit) habitis frui, per ſummam iniuriam prohibemur, ſat vindictæ ſumimus, ſi alienas ſpes, excidij noſtri cauſam perdimus. Itaq́; domo egreſſus, medio lacu pecuniam omnem, quæ donationibus ſuperfuerat, credidit. Et erat vaſtus paludi hiatus, quàm vt recipi, aut conquiri poſſet. Secuta ætas, rudere ac purgamentis Vrbis profundum repleuit, texitq́; diuitias, quas ille requiri metuerat. Domum reuerſus, cum ſe ſupremis diſponeret, vbi ſe à milite ac lictore poſci, cinctamq́; domum ſatellite conſpicatur; cruciatus ægræ mortis perhorreſcens, petito cultro iugulum perfodit; demùm & pectori abdidit. Cæteri coniuratorum ſponte, vel minis facinus confeſſi ſunt. Poteſtas Vrbis, ſolito ſibi officio, iudicia & confeſſiones ſingulorum excepit; tandem res ad Senatum delata. Non vt nocentibus impunitas daretur (nec enim aliq̀uis orabat) ſed vt atroci ſententiâ in reos ſæuiretur: nunquam ſatis in eos expletâ vltione creditâ, qui ſui Domini hoſtes, atq; adeo patriæ ſalutis inuidi, tantum ſceleris agitaſſent. Et quamuis ſeditioſorum nemo, culpâ aut pœnâ vacuus eſſe debere diceretur; in quoſdã tamen mitius agi pleriq; nitebantur; velut conſenſu, non malo animo, in facinus tracti eſſent. Sic Franciſco de Ripa, diſcors Franciſcus de Cremis obſtitit, his ferè verbis: Scio Senatores viri, ſi flagitij immanitatem ſpectemus, quo Deos, homineſq́; pariter coniurati læsêre, nullum pœnę genus, ſed nec ſeruiles cruciatus ſufficere: quò Principis optimi iniuriæ, vniuerſi populi indignationi ſatiſfiat. Sed ſæpe à maioribus noſtris dictum accepimus,

Diſputatur quomodo in coniuratos animaduertendum ſit.

plus

plus clementiâ quàm rigore profici; & beneficio certius obſequium, quàm comminationibus parari. Simul nos ſub eo Principe degimus, cui exoſa ſæuitia, & pronus ſemper ad pietatem animus eſt, Guidonis & Aloyſij exemplo; quorum indulgentiam, etiam hoſtes contumaciâ infenſi, experti ſunt. Ita malorum remedijs inſiſtendum; vt cum vindictâ ſecuritas obueniat; quam amore, non metu haberi, optimi morum eruditores tradidêre. Mactabuntur quidem, qui nunc in cuſtodiâ habentur; ſed parentes, fratres, conſanguinei, liberi, quorum intemerata in familiam principem fides, admiſſum ac agitatum ſcelus, non magis quàm vindictam & dolorem ſuum memorabunt. Nemo ſui ſanguinis adeo prodigus, vt crudelitatem, quàm miſericordiam malit; aut publicum exemplum, priuato ſuo luctui antehabeat. Hac velut atroci pœnâ liberi, pudore ſceleris, confuſione acceptæ gratiæ, toto æuo & emendabuntur pœnitentiâ; & vitam dono conceſſam, acceptam dantibus referent. Credite Patres conſcripti, vindictam è ſuis atrocem in modū ſumptam, contumeliâ non vacare; manſuetudinem etiam apud barbaros commendari. Alexander Macedo, in ſuos ſæuitiâ vſus, id expertus eſt, quòd rigor amari non poſſit. Auguſtus magnis animis, condonatam coniurationis iniuriam, in bonum ſuum vertit: nullis ſecurioribus incolumitatis ſuæ cuſtodibus, quàm quos ſeruauiſſet. Nero non vnâ coniuratione impetitus, vbi crudelitatem in priores exercuit, à poſterioribus iugulatur. Etiam Bonifacius in Auogadros implacabilis; æternum Veronenſium odium, & vexationes expertus eſt: Animi enim etiam teſtamento legantur. Abiectis ac ſordidis metus, quàm beneficium æſtimatur: Nobiles in pericula ſecuri, mãſuetudine quàm pœnis docentur. Hi ſeditiones ac coniurationes mouent, proferunt, exequuntur; illi non vires, non aſtum, non audaciam habent, niſi impreſſa à validioribus & imperata. Sed & pœna culpę æqualis ſancienda. Quid verò crudius in conuictos ſtatui par erat, ſi Principis ſui ſanguine manus inquinauiſſent? An miſerrimis poſt vitam & facultates aliud ſupereſt, quo plectantur? Nunc Capitanei, Dominiq; noſtri ſalus in tutò eſt; illi tantùm deliberarunt: Quod quamquàm deſciſcere ſit; eſt tamen, quo grauius offendere potuiſſent. Tot nobilium cladem Ciuitas omnis toleratura eſt. Nec enim in condemnatos quidquam ſtatui poteſt, quod vniuerſos non afficiat, amicitiâ, conſanguinitate. Et innoxij optimèq; de ſuo Principe meriti; non minus cæteris dolore plectentur. Deniq; ſi Ludouici cauſam agimus, ipſum diſcuſſorem relinquamus: Neque enim crudelitatis metus in eo eſt, qui alienam potius quàm ſuam ſortem miſeratur; & nos inuidiæ ſubtrahimus; ne apud exteros circumferamur, placabili Domino, ſeuerius animaduertiſſe. Franciſcus de Ripâ, veteri nobilitate, Principum mores alibi quoque doctus, ſiue ita ſentiret, ſiue gratiam rigore quæreret, ita egit: Commendatam ſibi potentiorum in miſeros ſemper clementiam fuiſſe: Ita tamē, ne indulgentia ſcelere, ne pietas flagitio exſoluerentur. Nam facinorū reos, vbi effugia deſint, perpetuò miſericordiam cōclamare, quam aduerſus alios non exercuerint. Si quibus benignitas rigori antelata eſt, expertos fuiſſe ita

ſui

ſui ſæculi mores ferre; nunc malignitate temporum, benignitatem licentiæ, veniam temeritas inſequitur. Prorſus corruptos Italiæ mores, effractam veteris diſciplinæ modeſtiam, vt mitis, clemensq; Princeps pro ſecordi ac ignauo temnatur: Et in ſummâ potentiâ, deliberationem pro flagitio cenſeri. Iam verò cum pares, inchoatis ac conſumatis vitijs pœnæ inferantur, præſentes, & futuros doceri, quid attentari, quid cogitari debeat. Fruſtra culpas auerti; niſi occaſio, cauſæ, origo timore arceantur. Raros pietate ſeruatos, plures metu. Et ſi ſeueritas infracta fuerit, pariter & diſciplinam negligi. Seruandum eundem legum, ac rerum ordinem: vt punito priori certum ſit, nullam ſecuturo impunitatem fore. Clemētiam Auguſto pernicioſam futuram fuiſſe, niſi nepotum ac quos adſciuerat filiorū; & mutuâ æmulatione ſeruatâ, in longam ſenectam proceſſiſſet. Alexādrum Macedonem, vt moribus diuerſum, ita libidinibus diſtractum, non diù eandem regulam tenuiſſe. Bonifacium cæde ac fuga traxiſſe vitam: Sed ideo cæſum, quòd non omnes & depræhenſos & ſuſpectos perdidiſſet. Nîl ſalute Principis Ciuitati ſalubrius. Hanc metu, pœnis, & vigilantiâ tuendam, quamquam Ciuium diſpendio & curâ. Eandem rationem publici, quę totius corporis, eſſe. Huic vnum cordis, illi Domini ſui ſalutem expedire. Cætera mox adeſſe, libertatem, pacem, fas, iusq; gentium. Certè Deos Mantuanis affuiſſe, quòd optimus Princeps ſeruatus in tutelam ſuperſit. Quid enim interempto ſpei, ex Scaligero & Vicecomite ſuperfuiſſet; quos longa æmulatio infeſtos, infenſosq; reddiderat? Deploratis Patriæ rebus vnius imperium profuiſſe; qui Pontificem ac Cæſarem ſecum traheret, proſperorum aduerſorumq; ſocium. Eo deſiderato, incerta Senatus, populiq; ſtudia, diſpares animos, in propriam miſeriam ac perniciem properare. Nec præſentē Principem minus futuro expedire. Imo tutelam in futurum facere. Et quamuis clementiæ detur exemplum, id innocuos non tangere; reos parricidij promptiores flagitio, vt impunito reddi. At pœnas, & vindictam in reos tranſire; ſed cunctorum monitu; ne integri occaſione corrumpantur. Niſi ſumma flagitia, proditio, ſeditio, coniuratio multentur, minora quoq; contemni; & in vniuerſis conniueri. Sed quantò longius à iuſtitiâ & legibus tranſgreſſum eſt, tantò maiori pęnâ in reos animaduertendum. At deliberatum ſolummodo; non item expletum ſcelus eſt; Sed non niſi prouidentiâ Numinis in res Patriæ. Præcipuam tamen prudentiæ partem eſſe, curare, ne quæ corrigi nequeunt, admittantur. Quòd ſi cuiq; in vitam Domini cōſulere ac deliberare licuerit, flagitia non caſu aut impetu, ſed cum præmeditatione fore. Ipſam cogitationem perdendi Principis, occupandæ Reipublicæ, euertendæ Patriæ, horrorem incutere; quia atrox, ſceleſta, execrāda; ergo & pœnis coercenda. Placere deniq; clementiam; niſi flagitium origo ſit; cogatq; Magiſtratus, ſæuitiâ, immanitate, rigore accuſari; dum atrocitate facinorum aduerſari, & adhibere ſecuritati pręſidia vrgetur. Senatus inter vtrumq; Franciſcum ambiguus, hinc Ludouici, illinc æqui curâ diſtractus, & quid decerneret intentus, conſuli Principem cenſuit. Ipſe auctor

con-

conſtitutionis fieret, & ex arbitrio ſanciret. Grata Ludouico Senatus modeſtia fuit; vt potentiam ac clementiam oſtentaret. Nec dubium habebatur promptum Senatui ad mitiora animum: ſed ipſi diſcrimen adeundum erat, ex Principe ſi ignoſceret, ex parricidarum conſanguineis ſi puniret. Id interius; palam quæ Ludouicus poſceret, neſciebantur: & conſuetudine humani ingenij, peiora credi, in ſeueriora flectebat. Die ſequenti celebri Senatu, Ludouici nomine, Poteſtas mitius in cõuinctos agi petijt (nam excidium vniuerſæ familiæ ſtruebatur) quod non parum pœnarum in depræhenſione ſumptũ; & habituri totã vitã pœnitentiã, quòd clementiſſimo inſidias, pietiſſimo perniciẽ parauiſſent. Sed preces fuêre; nullo Imperio, nullo cõſilio, nõ impetu aut nixu prolatæ, quibus ab inſtituto moueretur. Senatus tamen, qui aut adulatione innoteſcere; aut Domini gratiam, officio ſectabatur; perſpecto Principis odio, etſi non proferretur; & ſubfrigidis Poteſtatis verbis, nullo ardore inductis, nihil mitigatã irã, differebat: Debere Ludouicum proprias, non Reipublicæ iniurias largiri; non enim cæſo Principe, Patriam ac Senatum ſalua eſſe potuiſſe. Pro conſceleratis habendos, qui in Patriam ac Imperantes coniuraſſent. Nec ignoſcendum eã pietate, quæ nouis ſeditionibus ſpem veniæ promittat. Et quia in omnium perniciem conſenſu ibatur, placuit Ludouico, Senatus conſilium valere: Sic ſeueriores Republicã, mitiores Principe vtebantur, aut excuſabantur. Nobilioribus inter coniuratos mediã nocte laqueo gulam fregêre. Viliores, qui pretio in caufam tracti fuerant; quibusq; inter plebeios, longiores neceſſitudines intercedebant, ſeruilem in modum publicè ſtrangulati. Maior moles ſupererat, quid de Federico, ac fratribus è ſtirpe Feltrini ſtatueretur. Viſum tamen nec nobilitatem, nec conſanguinitatem ijs prodeſſe debere, qui fœdiſſimo crimine, ſeq; ac ſuos notauiſſent: Creditumq; extra iuſtitiam eſſe, tot interfectis; quiq; minorem in ſcelere partem habuerant ſublatis, auctores & turbarum ſuſcitatores ſeruari. Ergo Poteſtatis ac Senatus decreto, capitis rei iudicati; & facultates in Fiſcum verſæ ſunt. Tolerabat hæc Ludouicus, ſed anxius animo, tot ciuium necem, conſanguineorum fugam, ſuam vitam tanto ſanguine ſtetiſſe horrebat: Donec Senatu ad infimas adulationes effuſo, pati iuſtitiam coactus eſt. Satis liquet acceptã de conſanguineis coniecturã, fidem primùm, mox indicia abnuiſſe; dediſſeq; tempus elabendi; ne quod actum noluerat, ipſi intra quæſtiones faterentur. Cumque amici opprimi Federicum conſulerent, reſpondiſſe; Serpentem illaceſſitum & fugientem minus, quàm occiſum nocuum eſſe. Hæc in annum Milleſimum 1376. tercenteſimum ſeptuageſimum ſextum, quidam referunt. Nos celeberrimã memoriam, in plures annos abeuntem, vno filo deduximus; ne temporum diſtinctione, rerum ſeries confunderetur. Amotis parricidis, ſed ſuperſtite etiamnũm ſuſpicione ac diffidentiã; Ludouicus Senatum ingreſſus, multis cum lachrymis calumniam, inuidiamq; ciuium deprecatus, ne ſibi tot nobilium clades imputaretur, enixus eſt: Et quò promptius acciperetur oratio, Senatum pietatis teſtem requiſiuit. Anxiãq; licet ſibi vitam, inter tot con-

Coniurati puniti

iuratorum conſanguineos ſciret; abolitam tamen iniuriæ memoriam, & expletam vindictam circumferebat; adeò vt non amplius cuſtodiæ egeret. Sed aliter ſentiebat: Nam milite cinctus etiam per domum, agroſq; incedebat; adeò clauſus admiſſoribus ac ſatellite, vt ne amicis quidem facilis acceſſus eſſet. Tribus fermè ante annis, Vrbanus Pontifex in Gallias reuerſus, fato conceſſerat: Succeſſeratq; Gregorius Vndecimus: Vir cui quidquid potentiæ ac gloriæ, Romanum nomen habet, facilè acceptum poſſit referre. Hic ſeptuageſimum annum firmatam apud Gallos aulam, Vrbi retulit: & Gonzagos ac Eſtenſes, amore & odio inuicem mutari faciles, vno ſecum fœdere illigauit, iunctoq; Legato vnanimes, aduerſus publicæ quietis turbatores, arma tractare iuſſit. Bellis interim indefeſſi Veneti ac Genuenſes toto Aegęo digladiabantur, Cypri Rege in Venetos proniori. Ideo pax Italiæ, & modica & infida erat. Florentini ac præcipuæ Vmbriæ Ciuitates, ſuſpicionibus potius quàm honeſtis belli cauſis agitabantur: Ne aut Pontifex contra ſingulos valeſceret, aut caram libertatem amitterent, pro quâ decertare ſe iactabant. Sed Vicecomes fouere diſcordias; & turbarum ſemina iacere, apud prudentiores credebatur; ne Pontifex, ac Legatus vetus hoſtis, aliud quàm ſua tutari poſſet; ipſe per vim & fraudem occupatis ſecurè vteretur. Nam repoſci pleraq;, & niſi concederentur, inexplicabile bellum, denunciari audierat. Minus futuro, domeſticis malis diſtracti Mantuani prouidêre: Et fatis ad tutelam inter potentiores natæ diſcordiæ, & minitantes mutuò vicini videbantur. Veris initio tota Vrbs motu terræ contremuit, domorum editiſſimæ in præceps raptæ: non minus earum concuſſa fundamenta, quæ vdo paludis ſitæ, ſolido non nitebantur. Delubris ac turribus eadē calamitas, & cæteris ruina maior, quâ prociderant. Ludouici palatium validè quaſſatum, vicinarum molium adhæſu, ne corrueret ſuſtentatum eſt. Ciues ipſi malo improuiſo, dum huc illuc diſcurrunt, & denſâ obſcuritate noctis, ſalutem quærunt; hiatibus terræ hauſti, aut ædificiorum ruinis obtriti ſunt. Nec ſuppetebat in aperta prodire; quia lacus, pontes, mœnia aut idē experta fuerant, aut præpediebant. Lacus ſecreto auctu intumuerat, & agitatus, non nauigio, non nando ſuperari poterat. Quîn monſtruoſâ mutatione; modò gurges, modò arida prominebant. Vix orto ſole calamitas depoſuit: Et præcipuè miſerabilis ea ſpecies adſtantibus viſa, cum Templa, turres, domus, vaſtâ confuſione in cumulum mixta, aut pleræq; ædium nutantes, minitanteſq; ruinam ſpectarent. Plus è ſepultis aut laceris miſerationis fuit. Et ſemiuiuos ſcrutari periculoſum erat, inter vulſas murorum reliquias, aut incertos hiatus. Mantuanus ager amœnitate, & fœcunditate nemini ſecundus, iniuriâ cœli, aëris intemperie corruptus, vix agricolis ſemina, & commiſſas fruges reddidit. Neq; tamen Padus ſuperſtagnauerat (quæ clades hodie Mantuanos exercet) aut Locuſtæ recentia germina depaſtæ fuerant. Superum indignatio in res Mantuanas, & ſcelerum magnitudo accuſabantur. Sed pleriq; fortuita ad culpam referentes, Vgolini cædem, occupatam Patriæ libertatem, tot illuſtrium neces, aut exilia cauſabātur.

Clades Mantuana Terræ motu. Fame. Peſte.

Digitized by Google

tur: Tanquam Senatus ac populus, cum arcere poſtrema poſſet, neglexiſſet. Flagitium alij in Ludouicum meditatum referebant; vt inter multos ac ſententiarum diuerſos, nîl certi eſſet. Sed ille neſcius ſermonum vulgi, fruges ab accolis ingenti pretio conducere, & ab exteris longiuſque ſitis emercari conabatur. Verùm quæ Mantuanos, eadem cæteros inopia vexabat. Quãtum autem humano ingenio niti, aut prouidentiâ ſuccurri potuit, neceſſitati extremæ ſubuentum. Nec tamen aliud per ſummum ſtudium effectum eſt, quàm vt diurna alimenta, inualidis & egenis diſtribuerentur; quæ ditioribus argenti æſtimatione pendebantur. Præcipua Ludouici cura fuit; qui refertas annonâ domos viſens, dominis ſuperfutura diſtraxit, vt in pauperes regiâ munificentiâ erogaret. Fuère tamen (vt vana in plebem Principis caritas, & nullo beneficij genere ſatis vulgus obſtringitur) qui Capitanei & ſuorum auaritiam per ſecretum carperent; tanquàm ciuitatem ſuam pauperem mercaturâ reddidiſſet: Tranſmiſſis ad exteros frugibus, pretio, quod in Principis quæſtum verteretur. Sed Ludouicus quò acerbius lacerabatur, eò pro Republicâ impenſius niti; & famam inuidię ſtudio ac diligentiâ auertere conabatur; dum è longinquis Calabriæ ac Siciliæ finibus commeatus inueheretur; famem, ac aduerſam famam propulſaturus. Nulli quàm Ludouico grauior ea miſeria fuit; fuſis in publicam vtilitatem opibus, quas Auus, Paterq; familiæ munimento reliquerant. Id ſibi Ludouicum monuerant; ſed ille, populorum caritate, ſuorum ſtudio, non alia potiora præſidia reſpondit. Longiorem inædiam, & peregrinos, corruptoſq; cibos ſecutâ ſatietate, morbi prodiêre: Quoſq; motus terræ, ac fames ſuperſtites reliquerat, plenitudo ſuſtulit; ob auiditatem, nimio ſucco viſceribus veniſque turgentibus. Hinc cõtagies; & auctâ paſſim labe, tota Ciuitas inquinata. Accedebat & metus, quo pater à filio, coniunx ab vxore, amicus ab amico diuidebantur. Interciderat ſortis humanæ commercium, frequentiâ languẽtium, & formidine relictorum. Non enim tectis excedere, aut publico aſſiſtere dabatur, ſi quis domi contagionem paſſus conuincebatur: Sed clauſis ædibus, vt carcere detinebatur. Impreſſa non minus foribus Crux, omnes auertebat, documento morbi, & exemplo. Plures indigentiâ periêre; nam rarâ & tranſeunte caritate, alimenta miniſtrabantur; pluſq; timor ad impietatem, quàm cura Principis ad remedium proficiebat. Ipſe placandam Numinis iram prece, ieiunio, largitione, ex vſu ratus; nullum pietatis officium neglexit, quò humaniſſimus ageret; cæteroſq; exemplo præueniret. Tandẽ vertente æſtate, ſalus reddita: magno frigore putredinem, corruptionemq; corrigente. Priuſquam tot malis Vrbs compræhenderetur, cenſus à Ludouico habitus; repertaque incolarum Viginti octo millia, ſeptingenti. Poſt contagionem, Sexdecim millia trecenti numerabantur: Tot ſimul, quinque aut ſex menſium clades abſtulit. Sed ea Ciuitatis conditio erat, vt fertiliſſimo ſolo inſidens, rerum copiâ diues, & negociationis commoditate, incolas etſi longius agentes aduocaret, ac detineret. Verſus demùm Ludouici animus in publicam ſecuritatem. Quippe nîl Patri & Auo magis obfuiſſe

Cenſus Mantue ſub Ludouico.

nouerat, quàm Ciuitatem non mœnibus non foſsâ quantum vſui præſenti expediret, munitam eſſe. Nec tamen æternam pacem ſpe præſumebant; quòd Italia facilè, ſi non externis, internis ſaltem diſſenſionibus conuelleretur. Præcipuè quòd reuerſus Romam Pontifex, Tyrannorum auiditate, diſtracta recipere, Eccleſiæq; libertatem aſſerere pararet. Germani, non niſi Cæſarum ignauiâ, aut modeſtiâ, vltra Alpes retinebantur: Sed aſſidui deſiderio opum, odio gentis expeditionem orabant. Scaliger ac Vicecomes pro finibus imminebant; vtriq; ſi occaſio inceſſiſſet terminos ad aliena prolaturi. Verùm ſecutâ bellum pace; id ſolùm eueniſſe, vt quæ ab hoſte capta Oppida fuerant redderentur. Populationes agrorum, direptiones oppidorum, cædes miſerorum haudquaquàm ſarcita. Prouidendum vt etiam in bello, facultatibus ac ſubditis caueatur: Vt ſi quid hoſtile ingruat, recipere ſe, & tutari aduerſus irrumpentes poſſent. Orientē ac Septentrionem Vici duo,
Ludouicus Mantuā munit. incolarum frequentiâ ſatis celebres erant; D. Georgij, ac Portus (ſic nomē erat) contra Veronenſes incurſus (ſi ſtudium naturæ locorum acceſſiſſet) munimentum. Ergo vtroſque foſsâ, aggere, ac muro ducto, magnâ ſuâ, maiori ſuorum expensâ circumdedit. Viſebantur etiam pueri ac fœminæ, virili nixu, ac conſtantiâ, humum infra moliri, tumulos proferre, miniſtrare cæmenta, egerere paludem. Ea populi ac Principis ſui hilaritate, intra duorum annorum ſpatium, perfecta ſunt, in ſpeciem ac terrorem. Quæ maioris ambitus oppida Mantuano erant, quàm vt munimentis vallari poſſent, ijs Arces ſuperadditæ; quibus ſe ac ſua, ſi bellum ingrueret, ſeruarent. Ijs domeſticæ opes, fruges, iumenta inducebantur, aduerſus diuturnas obſidiones ſecuritati. Ab hoſtibus ſola ædium iactura metuebatur, quæ reliquis in tuto, pro vili habebatur. Sic Sermidum, Gonzaga, Caſtilionum, Burgofortum, Gouernolum, validius quàm hactenus, minori fortunâ & inimicitijs munita. Hæc auiditate potentiorum hoſtium illicò peti, Ludouicus didicerat. Diuiſæ quoq; inter incolas vices; vt alij agros, alij ſecuritatem ſociorum curarent; minorq; per interualla labor redderetur. Iuſſa quoq; iuuentus inferre arma, queis bello vteretur; & quorum inopiâ laboratū hactenus, non vno experimento cognouerat. Dum hæc Mantuæ agerentur, Germania in pace erat, Cæſari, Electoribus, ac Regni proceribus, quāta nunquàm hactenus concordia interceſſerat; vt nullo extrinſecus conuelli poſſe crederetur. Nec ea populorum, ſed Domini modeſtia erat; quo turbas ac diſcordias auerſante, ſubditi fermè omnes conquieſcunt. Itaq; Carolus, præſentis ac futuri iuxta prouidus, demendas conſternationibus gentis cauſas iudicans, legesq; imponendas, quibus contentionum ſemina vellerentur, &
Caroli Bulla Aurea. æterna Magnatibus amicitia interponeretur, animum remedio intendit. Longâ enim experientiâ innotuerat; ſi inter Electores diſſidio certaretur, difficillimo bello cauſam dari, quæ reliquum Imperium abriperet: Sic Henricos, Federicos, nec minus ſe contumaciâ exercitos, & victoriam Imperatori ſuo, ſanguine quæſitam. Conuocatis Regni proceribus, Milleſimo tercenteſimo ſeptuageſimo ſexto, de modo dicendorum Cæſarum, ordine Principum,

cipum,

cipum, Imperij iuribus actum eſt. Sic vetus conſuetudo reſtituta, abuſus qui obrepſerant ſublati; & addita quæ communi bono profutura credebantur, idq; Diplomate, cui Bullæ aureæ nomen, ex rei dignitate impoſitum. Ita domeſticæ, externæq; concordiæ prouiſum videbatur; niſi præſumptam Italis pacem, ſors aduerſa, & Ioannes Aucuth (cuius ſupra meminimus) ſeditione, auſu, temeritate ſubuertiſſent. Dolus, auaritia, indignatio cauſâ malo dedêre. Bernabous aſtu, Pontifex parſimoniâ vſus, acre viri ingenium extimulauerant. Cum enim Bernaboi de Pontifice metus, huiusq; ſuſpiciones concordiâ abolitæ putarentur; & inter potentiores medij, voluntate Cæſari hæſiſſent; Aucuth copiarum Pontificiarum ductor, vt nullo amplius vſui, ſepoſitus & exauctoratus eſt. Et tamen ne contumeliâ notaretur, ſeruatum viro Ducis nomen, ſed ademptæ vires, miles, ſtipendium; vt ſaltē iacturâ laceſſitus, procul Italiâ ageret. Nam verſo ſtudio, ne in Pontificem, ac Italos ſæuiret metuebatur. Magnâ quippe famâ erat; & virtus (cui cæteri impares eſſent) metuebatur. Id multò ante præuiderat Vicecomes; & occaſione vſus, perdere hoſtes Gonzagos fraude aggreſſus eſt. Aucuth otij ſtudium inimicum, quies pro flagitio erat; querebaturq; de Pontifice, quòd ſubſidio per turbas adiutus, quieſcentibus Italis gratitudinem excluſiſſet. Neq; enim pacem æternam eſſe; & poſſe ſilenti Italiâ futuro prouideri; præcipuam in eo prudentiam verſari, ſi Princeps ita in pace agat, vt nîl improuiſi occurrat. Sed nullo milite opus Romani reſpondebant; & vrgebat Vicecomes dimitti copias, pariterq; Duces exauctorari: Sîn minus indignationem, ſpes, metum offerri; aut, quod minimum, diffidentiam: Parato ſub ſignis milite, & Duce ad manus, incredibilem concordiam eſſe. Anglus ne virtus ac experientia nullo vſui foret, quod turbidum ac ſeditioſum ſub ſignis colligit: Secuti quibus æs alienum conflatum fuerat, decocti, indicijs metuētes; & apud quos futura, quantâcunq; ſpe, præſentibus & tenuibus potiora cenſebantur. Hos in iuſti exercitus ſpeciem coactos. Mantuano agro, inter Suzariam, & Luzariam induxit; vt primùm de agendis conſuleret; interim rapto & licentiâ, per Prouinciam vteretur. Sed diuerſa prætendebantur: In Hetruſcos bellum, Tyrannos expeditiones, ſpecies abeundi, aliaq; non facto, non iudicio congruentia. Vicecomes conſilium dederat; vt eò verſus Aucuth, ditionem ferro, flammaq; conficeret; nec ante abſcederet, quàm magnâ auri copiâ, Ludouicus vexationem redemiſſet. Sic militarem vſum requirere; nec honeſtior furto titulus præferebatur. Ludouicus vbi ſecreto fraudes, aperto rapi agrum Mantuanum videt; & paganos in prædam deſtinari; ne ſecordiâ damnum gliſceret, aut prudentiæ, cum maximè opus eſſet, indigus videretur; antequàm Anglus, moribus, inſtitutis, linguâ diuerſos, obedientiæ ac diſciplinæ aſueſceret, Octingentos equites, quorum pars Hoſtiliam, pars Caſtilionum ſeruabat, ſimul tria peditum millia, iuſtis in armis, in ſeditioſos ducit; adeo properè, vt imparatis circumfunderētur. Miſerat interim ad Bononiēſes ac Vicecomitem literas, cauerent virum magni animi; ne audaciâ militeq; firmatus; vbi creuiſſet, datas ſibi condi-

Ioannes Aucuth.

Mātuanum vaſtat.

tiones abnueret; aut per tumultus quæſitam potentiam honeſto dominationis nomine inſigniret. Cauenda principia ac ortus rerum: nam vbi valuiſſent, cum viribus creſcere reprimendi difficultates. Aucuth pecuniæ indigus, nullâ inſigni amicitiâ, non voto Principum, non nobilitati innixus, paulatim à ſuis deſeri cęptus. Simul Ludouici armis è vicinio auditis, paucis comitantibus, medio noctis Caſtris exceſſit, vt ſibi fugâ conſuleret. Qui remanſerant, vt veniam pœnitentiâ quærerent, ad ſua quiſq; digreſſi ſunt. Et quibus ex ſcelere metus erat, Italiâ profugi, externa petiêre. Germanorum militum, qui Britannico aderant, in commune conſuluêre; & facto Duce Ioanne Haydelio, per medios Mantuanos, liberum diſceſſum habentes, in Veronenſes abiêre. Equidem eò ad ſuos redire conceperant; & ſolutior Scaliger, minus abeuntibus decertaturus credebatur. Vbi Goitum peruenêre, (ſiue id pacto Ludouicus, ſiue pretium alimentis accepiſſet) præter arma, vniuersâ reliquêre, veſtem, pecuniam, iumenta, impedimenta. Mox expediti montium anguſtias, quâ Tridentinę Valles funduntur, peruasêre. Ludouicus, quiq; auſpicia Domini ſecuti ad bellum proceſſerât reuerſi ſunt, haud dubiè victores; Nam ſpolia deferebantur ſeditioſis abſtracta. Nec multum intererat, fugeretne an ſponte cæderet; vinceretur, an concederet inimicus; idq; ſpe fieret; an metu. Proinde Ludouico ac Mantuanis parta gloria, liberatâ Prouinciâ, Vicecomitis aſtu eluſo, & valido hoſte exacto. Nam pugnam non abnuerant; quamuis numero par Aucuth, fugam quam diſcrimen probauiſſet. Sed nec ſemper à virtute aut magnis euentis exiſtimatio eſt; plerumq; fortuna ſufficit, cui in imperijs ſumma vis cenſetur. Fixa delubris ſigna Aucuth, ædes Principis ornatæ: & pleraque in nobiles familias translata. Federicus ac Gonzagi Feltrini filij, ſcelere, pudore, formidine, Ciuitate exacti, memoriâ indecoræ operæ ſecreti, erga Ludouicum tamen pacificè agebant. Victam enim peruicaciam conſenſu ſeruientium viderant; & quando priora non ceſſiſſent, auerſos ſingulorum animos, etiam eorum, qui fortè conſilium præbuerant. Vt fermè proſpera ſors multos, aduerſa paucos fautores habet. Confiteri tamen ſummum malorum crediderant; quòd honoris ac famæ diſpendium veritate præſumerent: Et orare, fateri erat. Medium quid commentati ſunt, quo ſe integrâ exiſtimatione accuſarent, & delicti veniam impetrarent, cuius nondum conuicti fuerant. Carlotto vnanimes vſi ſunt (hic è Cremis erat) Rogant communem cauſam mediator proſequeretur; ſcelus ſecreto fateretur, publico abnueret; intimo cubiculo veniam poſceret, publicè ne conceſſam quidem reciperet. Denique placabilem Ludouicum, deteſtatione flagitij redderet. Ille rectâ ad Dominum contendit, admittiq; requirit. Et vbi contigit (nam etiam Ludouico nobilitate opibusq; acceptus erat) præſcium ſic affatus dicitur. Niſi Ludouice quibus moribus, quâ animi moderatione ſis, perſpectum multò ante habuiſſem, vt debitam prauis conſanguineis pœnam remitteres oraſſem. Sed quam à ſicarijs & externis, inſtante & vrgēte Senatu deprecatus es, eandem inter affines ſumere te velle haudquaquàm credidi: Erratum eſt; & vt

Aucuth fugit.

Gonzagi quęrunt reconciliari Ludouico medio Carlotto Cremo.

credas

credas pœnitentiam, confeſſio meretur; quæ niſi cum fide & libertate exprimi poteſt. Summis virtutibus inſiſtere, magnis, nec frequentatis exemplis licet. Quotus enim quiſq; Princeps eſt; qui ſuorum coniurationes experiatur, aut depræhenſis facilè ſpontéq; ignoſcat? Cæteræ virtutes, munificentia, pietas, iuſtitia, paſſim in dominantibus elucéſcunt, faciles & interpretatione gloriæ frequentatæ. Quos enutrieris, ditaueris, potentiâ auxèris, ingratos inſidianteſq; experiri, ſimulq; parcere, conſtantiam ac fortitudinem, vero Principe dignam oſtentant. Satis pœnarum miſeris in ipſâ profeſſione euenit: Quòd nobiles, opulenti, ſuum ipſi ſplendorem, ſuum decus peſſumdederint. Neq; mediocriter ſatisfactum puta, quòd in tuto poſitos, genibus tamen aduolutos, preceſq; vitæ offerentes aſpicis. Ea conſanguinitatis conditio eſt, vt etiam infeſta diligatur; & ſi irâ tranſcurras, poſt receptam vindictam pœniteas: ea neceſſitas, vt nullius delicti pondus, ſupplicem orationem adæquet. Non Patriæ, non auitis laribus reddi, quibus ſe indignos nôrunt, Patruus, conſobriniq; tui requirunt; ſed vt eos longius agentes veniâ proſequare: Vtq; gratiæ receptæ conſcij, quod vitæ reliquum, haudquaquàm reclamãte conſcientiâ tranſigant. Magna internorum affectuum vis eſt; quâ vt in flagitia deuoluimur, irâ, metu, cupiditate, deſiderio; ſic admiſſorum pœnitemus, pudore, auerſione criminum, formidine, fœditate. Neq; graue pietati tuæ condonaſſe, quæ nunquam inpoſterùm meminiſſe velles. Hæc aliaq; eorum nomine non inculco, tamquam aſſenſum expreſſurus, ſed conciliandæ clementiæ. Abſit Principe ſuo meliores ipſos credere, cui vt ſupremo loco, ſic virtute concedunt. Etiam vitæ partem agnoſcunt: nam ſe dimiſſos, & furorem ciuium euitaſſe, tuâ contatione cognoſcunt, cum capi & ſeruiliter perire potuiſſent. Deniq; ſupplices accedent, & coram preces afferent; ſi non aliter ignoſci ſibi poſſe depræhenderint. Ludouicus ad hæc; meminiſſe ſe quidem iniuriæ reſpondit, ſed nullâ vindictæ cupiditate. Id ſibi indigniſſimum in vitâ accidiſſe, vt alio quam conſanguinitatis nomine, neceſſitudines noſceret. Indoleſcere quòd non adeo promptum animis mortalium ſit, obliuiſci; ac indulgere. Quod non coram ſupplices accedant, verecundiæ eorum condonare; ne illos ſaltem præſentiâ conturbet. Cæterùm Vrbem & quod rei familiaris ſit, communia offerre, ſpe meliorum; vt ſaltem confuſione emendentur. Neq; fingebat, ſed tantâ animi frontiſq; conſtantiâ Carlottum dimiſit, vt culpæ neſciũ crederes. Nec illi aut precibus vlterius ob modeſtiam, aut Ludouicus recordatione, ob firmitudinem proceſsêre; Manſêreq; diffiti potius, quâm infenſi. Multi Ludouici cum ſuis reconciliationem pietati, plures prudentiæ adſcripsêre. Non enim inter Italiæ turbas, iras ciuium, ob vindictæ recordationem, exterorum potentiorumq; minas, foueri in ſuos odia ex vſu cognouerant. Neq; aliud facilem veniam, quàm futuri ſecuritatem interpretabantur. Per hæc ferè tempora, grauis Mantuam tumultus, ad ſeditionem vſq; turbauit, Mercaturæ vitio, & eorum qui veno expoſita, auaritiâ diſtrahebant. Nam frequenti bello, & properatis delectibus, rari negociatores

Ludouicus ignoſcit.

Seditio ob auaritiam Mercatorũ.

res

res actitabant. Simul militaris licentia; & mixti paganis manipuli, intuta
Longobardiæ itinera reddebant. Quod importabatur paucorum libidine
venundabatur. Eoq; maior, quò apud potentiores vſitatior auaritia erat.
Frequenti Senaru rem agitatam, Ludouico coram libens omiſiſſem; niſi
plebis ac mercatorum diuerſa ſtudia, Principiſq; eâ in re moderationem
ſciri expediret. Qui auaritiam inſectabantur, intra paucos quæſtum, vti-
litatemq; omnem ſubſiſtere;& vniuerſa libidine vendentium tranſigi quere-
bantur. Intereſſe Reipublicæ, vt tractabili cuicunq; pretio, neceſſaria com-
parentur; Debereque Senarum prouidere. Non enim mercatorum mode-
ſtiam; ſed inſatiabilem habendi cupiditatem expectandam: Egere quidem
Ciuitates mercaturâ; eoſq; qui communi causâ, periculis ac caſibus obie-
ctentur protegendos; vt ſaltem communi curâ, priuara incommoda penſen-
tur. Sed modum requiri; ne qui furandi ſtudio inuigilant, arbitrio graſſen-
tur. Quòd ſi indulgendum ijs ſit, qui terrâ mariq; diſiecti, peregrina Vrbi
inferunt; coërcendos adminus eos, quiditione genita, ſummâ ſecuritate, ac
minimâ expensâ illata, Ciuibus magnâ ſæuitiâ vendunt. Ingentē alimento-
rum neceſſitatem, ineuirabilem ſingulorum vſum inferre. Et ramen ijs, qui
diſtrahant, preria veluti leges impoſuiſſe. Pari immanitate merces expelle-
re, & cogere ementes. Negociatores veteri vſu nitebantur; quo cuiq; lici-
tum fuerat, quanti libuiſſet concedere. Neminem ad emendum cogi. Plu-
rima luxum ac ornatum ſpectare. Quæ vt non haberi citra damnum ſit, ita
comparari abſque vendenrium iniuriâ deceat. Crudas hiemes, exercitas
æſtates, maria, flumina, latrones, naufragia, labores, & ex mercimonijs ip-
ſis diſpendium, putredinem, corruptiones, difficiles & ad annos moroſas di-
ſtractiones, æſtimanda; ijſq; rebus pretium imponi debere. Neq; enim in-
certiâ & ſecuritate, iacturas ac diſcrimina æſtimanda. Varijs hæc inter ple-
bem, medioq; Senatu ſententijs agitata; non tamen modus obuenerat; niſi
Ludouicus ſtatuendo remedio, ciuibus ac venditoribus pariter conſuluiſſet.
Et lex ſpectabatur; quam ferre Senatores metu inuidiæ, referre Poteſtas,
ignauia non audebant. Princeps mercandis alimentis, pro cuiuſq; condi-
tione modum impoſuit, quo venditores perpetuò vterentur: Peregrinis quę
non neceſſitati, ſed luxui comparabantur, mercatorum arbitrium permiſit:
vt ſaltem pretij magnitudine, bona paterna haurientes, modeſtius ambirēt.
Sic negociationum re compoſitâ, abundè Ciuitati prouiſum. Nam quæ vi-
ctui neceſſaria, Mantuanus ager abundè ſumminiſtrat; Sericum, Lana, Fru-
mentum, Vinum, adeo neceſſitati ſupererant, vt ad exteros quoq; tranſmit-
terentur. Sic permutatione quædam ab accolis accepta; Sericum, Lanaq;
cum Calabris Appuliſq; oleo permutara; Quod vnum Ciuitatem deficere
videbatur. Hæc pro omnibus erant. Sed plus negocij ex militiâ: Nam
longis prælijs fatigati, laboribus requiem, nec inopem orabant. In Senatum
admiſſi Centuriones, Tribuni, & longâ expeditione meriti, rem familiarem
profligatam expenſis, incuriâ farebantur. Nec minus abſentiam obfuiſſe,
cum procul domo, pro Principe ac Senatu, decertare cogerentur; agrum in-
terim,

terim, negligentiâ horruiſſe, & cultu ſublato vilem euaſiſſe; non locarioni, non domeſtico vſui proficuum. Ergo ab vtriſq;, tam laborioſæ, ac diſpendioſæ militiæ præmia requirebant: Succiſos poplites membris ſuſtentandis impares eſſe; truncum per vulnera corpus, feſſam ætatem obtrudebant. Quibus vigens æuum erat; non laborem quidem aſpernari ſe, ſed pauciſſimis alimentis, vitam incolumitatemq́; æſtimari lamentabantur. Paratos ſe pro Principe ac Patriâ; non labori, non ſanguini parcere; ſed largitione opus, vt ferre tot mala, & ſufficere neceſſitati poſſint. Quæ tantâ contentione animorum poſcebantur; vt non multum à vi abeſſent; niſi Ludouicus vniuerſos ſpe, & reuerentiâ retinuiſſet. Ne tamen improficua modeſtia foret; ſenes & bello inutiles, prouiſis in totam vitam alimentis ad ſua dimiſſi. Seniores, quiq́; viridi adhuc æuo, facere ſtipendia volebant, præſidio Arcium, ad munimentorum Ciuitatis impoſiti. Iuuenes denario diurno aucti, nullâ præteritorum memoriâ, bello retenti: Vt quamquàm pax eſſet, Patriæ tamē neceſſitati inſudarent. Ducendis foſſis, expurgando Mincio, dilatādis Portubus, quæ durante bello negligentius habebantur. Iiſq́; à Principe, quidquid comparandæ Annonæ pecuniarum ſupererat, collatum eſt. Minorem auri, quàm militis iacturam credidit. Maxima enim Imperia; & longis dominationibus firmatæ Reſpublicæ, virtute potius, quàm diuitijs valuêre. Primores tamen Ciuitatis, Ludouicum profuſæ nimis expenſæ onere leuarunt; Collatâ in publicum ſtipe; quâ militi ac plebi ſubueniretur. Neq; ea prima populi liberalitas fuit; ſed ſueta bello & pace, ne Principi præter curas, aut Ciuibus præter labores, militia oneroſa eſſet. Veterem id libertatem olebat: quâ ſublatâ, & traditâ Gonzagis Republicâ, boni mores adhuc retinebantur. Non aliâ pietate in ijs actum; quos Scaliger & Bernabous, hoſtilibus excurſibus, fortunis omnibus exutos, ſolum vertere, & ſe Ciuitate tutari coëgerant. His enim ex cuiuſq; profeſſione, de publico ſatisfactum; ne qua pars Ciuium, damni, non item vtilitatis particeps eſſet. Ciuilium virtutū gloriâ magis magiſq; Ludouicus clareſcebat. Nā prouidētiæ, munificentiæ, comitati, addiderat iuſtitiam, & æquitatem; quibus apud ſuos, & exteros commendabatur. Eâ Principes viri fortunâ agunt; vt non alias virtutes vulgus requirat, quàm quibus maximè indiget; & cum pleraſque nullâ obligatione exerceant, minus tamen laudis habeant; quàm ſi debitas, & quarum cauſâ imponuntur, proſequantur. Sed harum maior neceſſitas; & ſi adſint commendatio accedit. Addebat Bernabous gloriam; tanquam belli, pacis etiam artibus æmulum vellet. Domeſticis tamen virtutibus Ludouico impar, ſæuitiæ nomen promeruit, auxitq́; Gonzagorum famam, quibus diuerſi mores inerant. Vicecomes venationis ſtudio ſęuus, acrius animaduertebat, quàm vt ſubditi tolerarent. Si quis enim Leporem, Capreā, Aprum, aut id genus ferinæ, inſecutus conuincebatur; huius facultates omnes Fiſco adiudicabat; oculos eruebat, etiam laqueo necabat. Plures eo immanitatis genere abſumptos referunt, magno familiæ Vicecomitum dehoneſtamento. Qui crudelitatem fugâ euaſerant, perpetuo exilio, & bonorū amiſſio-

amiſſione multabantur. Non ciues, non nobiles, non Principes à lege exẽpti: pari in omnes feritate vtebatur. Nec gratiæ locus erat: Sed ſi quis precibus tutus, validas amicitias interpoſuiſſet, ad tempus ſilebatur; vt vbi oſficium deſijſſet, grauius plecteretur. Quibuſdam etiam ædes ſolo æquatæ; cum pecuniam omnem detraxiſſet. Tantâ immanitate in leuiſſimis erat. In grauibus, libido tolerabatur; ſtupra, cædes, vulnera ſine animaduerſione erant; Si quis aulicorum nobiliſſimos, donis illigaſſet; aut prior querimonias ad Dominum detuliſſet. Inaudita hactenus Principis viri ſæuitia, duos Cucullatos impulit, atrocitatem morum coram deteſtari; & habito acceſſu, impietatem acerrimè accuſare. Intumuit alieni conſilij inſolens Bernabous; & increpatis Monachis, quòd faciendis ſacris addicti, ſæculi ſtudijs implicarentur, ad dolum tranſijt; ſi correctores immanitatis, impietate accuſari poſſent. Ergo ſciſcitatus, an lepus à venatore ſubdito captus, eius ſit, cum affirmantes accepiſſet, ore renidens, ſublato capite, & velut rabie agitatus ſubiunxit; non ergo Dei? Nec reſponſum tolerans, vt perfidiæ, hæreſeoſq; conuictos, carcere claudi; & ſequenti cremari viuos iuſſit: Vulgatâ causâ in populum; tamquam miſerrimi, Diuis rerum poſſeſſionem abiudicaſſent. Cæterùm vt venatio oblectamento, non item diſpendio onerive eſſet, quinq; canum millia nutriri à ſubditis iuſſerat; diuiſis per Ciuitates & Oppida ſingulis; vt quâcunq; Imperij parte proceſſiſſet, haberet ad manus, quibus expleret voluptatem, otiumq; ſatiaret. Graciles, aut plus iuſto obeſos, menſe quouis, ad id delegatis oſtentaſſe, capitale erat. Illo auaritiam, hoc negligentiam accuſans: Cum prædixiſſet, macilentos inædia, ac languore; pingues onere inutiles eſſe. Perniciosum maximè incolis erat, morbo aliquẽ deficere. Nam in pœnam facultates abſtrahebantur; & vix conceſsâ ſalute, fortunis omnibus iactura penſabatur. Seditio ac bellum (quæ miſeriarum extrema ſunt) à ſubditis deſiderabantur; vt domeſtica ſæuitia excleſceret. Adeo quod præter æquitatem toleratur, nimium durumq; cenſetur. Hæc Bernaboo morum via, his monimentis inſtiterat; & quia etiam virtutes, nullo imitatore ruborem afferunt, Ludouicum in partes allicere, & ſectari immanitatem conſulebat. Quaſi tum flagitia excuſarentur, vbi optimum auctorem habuiſſent. Dignæ recordatione literę ad Ludouicum eâ causâ miſſæ. Nobili ac Magnifico Domino Ludouico Gonzagæ, Cõmunis Mantuæ Capitaneo, & amico, ſalutem. Veniet ad te Generoſus miles Carolus de Piozaſco noſtræ venationis præfectus, à quo intelliges, quemodo campus omnis ad Burgofortum, & Bozolum eſt refertus omni genere ferarum; etiam Luporum. Nec minus vltra Padum, inter Zaram flumen, eſſe magnam copiam Aprorum, & Leporum. Eorumq; venationi plus debito intentos ruſticos, omittere agrorum curam; & Dominum ſuum iucundiſſimâ voluptate priuare. Itaq; hortamur te, vt ſolito magnis Principibus more, aſſiduè illi exercitio inuigiles, iubeaſq; nutriri multos canes indagarios, & curſores, quibus in venatione vti valeas. Et nos etiam (ſi quando otium dabitur) forte veniemus illuc; & tecum perſequemur illas feras. Etſi

tibi

tibi placuerit ad nos proficiſci, poteris tecum ducere canes, & venatores, vt nobiſcum, ad Padum maximè Cremonenſem, oblecteris. Vale Magnifice Domine, amice. Datæ Cremonæ. Anno Domini Milleſimo tercenteſimo ſexageſimo octauo, primâ die Martij.

Reſponſum à Ludouico eſt, feras, & ſi qui venationi campi, ſaltuſve Mantuano ſint, vniuerſa amici gratiæ concedi: etiam operam, ſocietatemq; (licet minus eo oblectamenti genere teneatur) offerre. Sed officio. Intus, ſecurus, quibus nominibus, malè Vicecomes ab vniuerſis audiret, auerſabatur infamiam; totumq; ſe ciuibus ſuis dabat; aſſiduus in Senatu, precibus ac querelis accipiendis indefatigatus, cultui Vrbis, templorum ornatui intentus; nihil negligere quòd militiam, omnia curare quæ Patriam ſpectabāt, mutuam Epiſcopo operam offerre. Nec liberalium artium gloriam abiecit: pubem ingenuam ſtudijs operatā, pecuniâ, & eruditoribus iuuit; ſegniuſq; intentos corripuit; velut pulcherrimum otium perderent. Eâ causâ miſſæ duos ante annos, Auinionem à Ludouico literæ fuerant, quibus Franciſcus Petrarca, vir omni inuidiæ, & poſteritati ſuperior, accerſiretur. Fama viri & Patriæ honeſtandæ amor illexerant; vt pro nihilo pecunia haberetur, quâ gloria parabatur. Reſponſum à Petrarcâ perhumaniter eſt. Eius literas, quamquàm cætera inutiles, commendatione magni iudicij, & antiquitatis monimento, inter Archiua Mantuanorum Ducum aſſeruatas, huc transferre libuit. Sic habent.

Franciſcus Petrarca. D. Ludouico de Gōzagâ, Capitaneo Mantuę, S. D. Accepi litteras tuas, & coram reſpondere, quàm abſens volueram; ſed feneſcens (vt vides) inter ludos, atq; præſtigia fortunæ, multa mihi promittentis, obtemperare non poſſum. Pecuniam cum Petro de Crema, familiari tuo remitto; quod animi deſiderio inſeruire nequeam, non contemptu. Aetas hæc profundo decurrentis æui rotata, ad finem properat, non laborum, atq; eò minus longi itineris patiens. Neq; Auenione auelli, integro ſpiritu poſſum, infęlici amoris ictu, & ætate fatigatus. Si accederem, oneri non ſolatio eſſem; nam frequentes morbi, & mœror aſſiduus, fomenta potius requirunt, quàm obſequium permittunt. In futurum ver, ſi Columnenſis annuerit, hoſpitem me forſan habiturus es. Caue beneficio & gratiâ, meritum, atq; adeò deſiderium meum ſuperare. Quod enim imprudentiâ peccatur, munificentiâ non excuſatur. Vale. Auinione Salutis Milleſimo tercenteſimo ſexageſimo nono. Duodecimo Calend. Aprilis.

Nobiles de Cremis paſſim inter patritios reperio, poſt Mathildæ exitum; & quâcunq; origine fuerint, Mantuæ Quingentos ante annos, cum locum tenuiſſe. Sed cum ſplendore familiæ, plurimas anteirent, conſilio tamen occupandæ potentiæ abſtinuiſſe; ſiue modeſtia id, ſiue paupertas fuerit. Quâ vrgente, claritudo deſideratur, potiſſima apud exiſtimantes; & quæ nobilitati, apud viliores contendit. Antiquitati gentis communis exiſtimatio reſpondet. Quando Patriæ decori, nobili monimento, apud D. Dominici Aedes, poſito marmore conſultum eſt. Bernabous interim, cuius de ſæuitiâ Cremi.

paucâ

paucâ addidimus, experimento, vſuq; doctus, ſecuritatis, quàm augendę potentiæ ſtudioſior; non magis componendis rebus ſuis, quàm cui caueret, quẽ ſuſpectum haberet intentus; Ludouici vires, amicitias, opes, ante alios æſtimabat. Nouerat plerisq; Ciuitatum Tyrannis, recentia non in ſolido iacta iurium, dominationisq; fundamenta; & pulſis auctoribus, vniuerſam memoriam aboleri; Ludouicum Mantuæ, vocantibus Ciuibus, iubente Imperatore, Dominum appellatum. Nec vnius æuo potentiam inniti, ſed innumeros Inueſtituræ ſubſtitui; ne quando vacua ſucceſſore Ciuitas ambiretur. Vniuerſos quoq; excindere arduum; ſingulos caueri non poſſe. Quippe Mantuę, Veronæ ſi qui erant, & per Ditionem fuſi; vniuerſi in Principatum vocabantur. Id Familiæ Principi ius erat; ſed maior à ciuibus auctoritas, quorũ operâ ac viribus ſuſtentabantur. Quod quia in memoriam incidit, non abs re fuerit, quantùm militiæ, qui reditus, quæ amicitiæ Ludouico eſſent, vt cætera innoteſcant, tradere. Mantua arctato licet ſitu, vt facilius palude munimẽtisq; ambiretur, incolarum Viginti octo millia habebat: Toto agro, quâ in Veronenſes, Cremonenſes, Regienſes, & Ferrarienſes extenditur, Octoginta nouem millia numerabat. Ex his pedites, equitesq; deſcripti, pro Arcibus, limitibusq; diſpoſiti fuerant. Equites inerant Mille ſexcenti, Peditum decem millia. Rari tamen adſciti, nominative in militiam fuerant; ne Prouincia cultoribus vacua, minus expectationi reſponderet. Neq; tamen ſtipendio omnes in pace vtebantur; ſed per vices, Arces, munimenta, limites, Portas ſeruare iubebantur. Menſtruus labor erat; & vix ſæpius quàm ſemel in annos ſingulos curabatur. Capitanei ſeu Domini (etiam Principis dicebant) populiq; reditus, diſcreti exigebantur. Illi Portoria ac vectigalia, quę per Ciuitatem, & Oppida pendebantur erant: Hinc militiæ, paciq;, ac decori Vrbis prouidebatur. Huic externæ merces; & quæ flagitijs conſceleratorum amittebantur, nullo onere ſoluebantur; ſed vt vſui honoriq; domeſtico eſſent. Populus triginta octo, Capitaneus quinquaginta aureorum millia cenſebant. Exigua vis; ſed fęlici æuo præualida; & pluribus, tempeſtate hac comparanda. Adhuc viliorum quoq; artium annua munera ſoluebantur; quæ honori Domini populus conferebat. Mercatores enſem argenteo manubio decorum: Laniones, Piſcatoresq; viliori quàm cæteris, carnes piſcesq; miniſtrabant. Pharmacopei Cæreos ingentes, Piſtores ſaginatum cicurem offerebant; Et ante alios Textores, picturatam intexto auro chlamidem; Portabantur quoq; fructuũ ac pomorum primitiæ. Horum in præſentẽ quędam veteris inſtituti retinent; aliqua conceſſione Principum, mutatione, ęuo exoleuêre. Ea redituum conditio erat, ſed vis maior in militiâ. Quippe populi licet Capitaneus cenſeretur, Principem agebat; & cum Vicarium Cæſaris ſtatuiſſent, Dominum. Si quid Senatui auctoritatis, id in ſpeciem. Cõdonabantur pleraq;, vt recens imperium, paucioribus aduerſantibus proficeret. Etiam Ludouici voluntates, non ſemper in aperto; ſed amicitiâ ciuium vſus, procurabat, vt iuberet Senatus, quod ſe voluiſſe, ſciri nolebat. Oratores, vni Capitaneo deſtinabantur, fędera innominato Senatu ſanciebantur;

Cenſus Mantuanus.

etiam

Digitized by Google

etiam populi pecunia publicis vſibus, arbitrio impendebatur. Valuêre hæc apud exteros comparandis amicitijs; & obſtringendis in ſocietatem etiã potentioribus. Quando retinendo militi,& captandis Imperatoribus,pecunia vſui eſſet. Cæſar ipſe Ludouicum paternâ caritate proſecutus, Vicecomiti ac Scaligero præceperat, ne quos Mantuanis fines dixerat, perrumperent: bellum minitatus, Regiamq́; indignationem; etiam proſcripturos ſe turbarũ auctores ſpoponderat. Pontifices eorumq́; per Italiam Legati, Gonzagos plurium annorum fœdere obſtrictos, vt ſuos tutabantur. Veneti nobilem, Ciuem, Senatus filium appellabant: vt quoad obſequio durauiſſet, certa tutela crederetur. Gnarus Vicecomes erat, pronos in Gonzagos,ſibi hoſtes eſſe: Nec aliam promptiorem turbandis rebus occaſionem ſore,quàm ſi hoſtilia Mantuanis intuliſſet. Simul cauſam diſcordijs quæri,ſeque conſenſu peti: Nam qui omnibus circũ inhiaret, nec ſalleret; eum credibile erat ab omnibus odio haberi. Et tamen ſagaci viro certum erat, non fœdera,non vires inimicorum citius deteri, quàm ſi colligati ſuſpicionibus obiectis,aſtuq́; diſſoluerentur. Proinde artibus Pontificij Legati vſus,id præcipuè curabat,ne aduerſis concordia eſſet; ſed mutuò carperentur. Ergò auellere peruicaciſſimis hoſtibus Gonzagos; & quos ſibi ſubdere, validis contra viribus exterorum, proprijsq́; non poterat, adſcire prudentiam opinatus eſt: Idq́; pronum factu, aut certè non arduum,tacitus ſecum agitabat; dũmodo cum fide apud ſuſpectantem Ludouicum acciperetur, illigareturq́; amicitiâ, quam aſtus,interpretationesq́; inſenſorum ſalſi non inſimularent. Vetus Aulæ cõſuetudo Ioanni de Turre erat: Qui negociorum pleraq; cum externis agitare, non incallidus conſueuerat, & Dominis aſſiduus conſilio eſſe. Hunc Bernabous ſilentij monitum,iubet Mantuam proficiſci,ſtatum Vrbis, Ludouici animum, populi fidem, Senatus auctoritatem, etiam filij indolem perſcrutari. Et vbi opulentiam,facilitatem, ſecuritatem, quæq́; Principem deceant introſpexiſſet, fide ſuâ, filiam connubio offerre: Conſcientiam ſimularet, tantùm opinionem proferret: Et poſse modicis officijs,ſe medio, rem componi. Nec enim aut ſecurum exitum crediderat, aut repulſam voluiſſet. Filiæ quæ deſtinabatur Agnetis nomẽ erat; & par magnis natalibus dos, ac ſorma. Ioãnes vbi Mantuam attigit, populum, opes, amicitias edoctus; mox Franciſcũ Ludouici filium expertus; vbi magna,& quocunq; Principe digna reperit; Ludouici ſecretum orat; ſeſe non miſſum, ſed ſponte acceſſiſſe; quâq́; pietate ſuos Dominos, eâdem amicos proſequi aſſeruit. Hinc nubilem Bernaboi filiam; proximam coniugio Franciſci ætatem attigit; poſſeq́; ſi peteretur, de matrimonio illicò tranſigi. Ludouicus paratum ſe, vbi certus animi foret, reſpondit: Iret,& quod in ſimilibus expedit, feſtinatione deſtinata proſequeretur. Sed ſecretum vſui: Ne aut Scaliger obſiſteret, ſuas ſpes deſtrui opinatus; aut Pontifex accepto olim ſacramento diffideret. Sed Ioannes dexterè præcepto vſus, per literas Ludouico reſpondit; concluſum in re eſſe; nec niſi contatione, cęptam negociationem reſcindi poſſe. Paulus Agnellus, Iulius Caſtelbarcus legantur: Ille ſenio & rerum experientiâ probatus; hic milita-

Vicecomes clam procurat amicitiã & conſanguinitatem cum Ludouico.

Mm ribus

ribus ſtudijs notus; Vtriq; veteri nobilitate; niſi quod in Iulio plus claritudinis, opumq́; eſſet. Annuit Vicecomes; & Decimâ quintâ Auguſti Milleſimi tercenteſimi ſeptuageſimi quinti, Franciſco decimum quintum annum nato, Agnes Bernaboi Vicecomitis filia deſpondetur.

Nuptiæ Frãciſci, Ludouici filij. 1375.

Cuncta in adoleſcente, ætatem præuerterant, proceritas, fortitudo, agilitas; & quod omnia habet, ingenium. Nuptiarum ſolemnia Mediolani expleri Socer Franciſci peruicit; quando negociorum mole obrutus, longius à domo abeſſe non poſſet; & tamen ſponſi hilaritate coram frui geſtiret. Delectus Principi puero, dignus comitatus. Iulius Caſtelbarcus filio ac nepote addito. Anſelmus Crema, Hilarius de Ripa; Petronius, Azius, Franciſcus Gonzagi. Paulus, Lepidus, Alfonſinus Agnelli; Camillus, Petrus, Nanus, Oleſinus, Fuluius Andreaſij; Simon, Innocentius Daneſij; Andreas de Doneſmonte. His vt proceribus addidêre ſe quibus non patritia, ſed plebeia nobilitas erat; ætate, cultuq́; regium ſplendorem oſtentantes. Excepti à potenti viro Mantuani, & cum ſummâ comitate detinuiſſet, etiam donatos ſingulos ad ſua dimiſit. Certè Franciſci, modeſtiâ, ſpecie, obſequio enictus, vix abeuntis deſiderium tulit; cum arctiſſimis amplexibus illigatum, filium appellaſſet, oraſſetq́; comites, æmulari caritatem.

Mantuam ſponſi veniunt.

Dos ſimul tradita, Aureorum quinquaginta millia; præter gemmas, & veſtes; quę pro fortunâ fuerant. Secuti proceres Mediolanenſium recentem nuptam: Et Ludouicus in filij, Nurus, ac reliquorũ lætitiã effuſus, eâ oſtentatione munificentiæ aduentantes recepit, quæ apud potentiores Europæ Principes inuidiam pararet. Sed & gratificaturum ſe Vicecomiti crediderat, ſi depoſitâ emulatione, certam in Nurum caritatem induiſſet. Etiam ipſa, conciliandis animis à natura compoſita, formæ elegantiâ erat; accedebat dulcedo morum, & effuſior in ſpõſum amor. Seniores, & vſu rerum memores, iniurias docti; vtq́; inter Vicecomites ac Gonzagos, vetus inimicitia, atq; de imperio fuerit; fluxam concordiam, & haudquaquàm diuturnam fore, prædixerant. Neq; fidei Vicecomitum ſecuri degebant; quem deſiderij dominationis immodicũ, prætextu veræ caritatis, & nouo connubio, nouæ potentię ſubrepere exiſtimabant. Exitus oſtendit, documentis bene vſos. Et Ludouicus quamquam affinitati crederet; id tamẽ dicto ac facto profiteri, imprudentiam ratus, ſummâ pace, præſidia bello cõparabat, amicitias, arma, pecuniam, fędera, militem: Quòd tumultuariæ expeditiones nequaquã ex diſciplinâ, & ambiguo exitu ſumerẽtur. Parum abfuit, quîn ſimulata, ſeu vera pietas excluderetur, eiuſdẽ anni Nouembri. Initium apud iuuenilem licentiam, mediâ Vrbe fuit. Mixti quippe Mãtuanis non Mediolanenſes ſolùm, ſed & Cremonẽſes; quòd eodem Domino vterentur, & nuptiarum occaſione frequentius conuenirent, in diſcordias erupêre; dum Cremonenſis Patriam, Mantuanis antehabens, non laudat ſolùm, ſed præponit comparatione quæ nũquam abſq; odio eſt. Mox diſceptatione accenſus, ſitum Mantuanæ Vrbis, mores, munimenta, etiam viliorem nobilitatem appellando carpebat. Non tulit inſolentiam Mantuanus (familia ignoratur) & cum mendacium ſuperbiamq́; obieciſſet, aduerſus tendentis

frontem

frontē ſtrictā manu percuſſerat. Cremonenſes numero tum, & forſan animis potiores, acriter vim propulſantem, cum famulo auxilium ferente confodêre: Et velut honeſtè egiſſent, ſucceſsêre Palatio virtutem ſuā, Mantuani temeritatem accuſantes. Vulgata per Vrbem iniuria conciuit innumeros, vt ſæuum in modum hoſpites exercerent. Ante alios defuncti germanus, poſcere percuſſores, exigere vindictam, conclamare auxilia. Ludouicus acceptâ conſternatione velox, in publicum ſe dedit; cumq; vim, & imparem in Mantuanum pugnam percepiſſet, incolumes & repræhenſos Cremonenſes dimitti Ciuitate iuſſit. Si non viſerentur compoſitam indignationem putans. Mantuana iuuentus, quando Porta tenebatur, ne perſequerētur; lacu præuecti, incautos Cremonenſes, non longè Caſtellucio inuasêre; & nihil eluctatos confecêre. Ad famam rei, qui adhuc Mantuæ Mediolanenſium tendebant, illico abſceſsêre; ſilentio vſi vt fallerent: Et delati ad ſuos, cum hoſpitalitatem, comitatem, ſuorum temeritatem ſiluiſſent; vim, cædem, iniurias onerauêre. Creditum haud dubiè; & ſtatim publicè bellum indictum foret; niſi Ciues quàm Dominus accuſarentur. Incerta & magnis nouitatibus turgens pax, inter incolas, ac exteros, Mantuæ durauit, in Millesimum tercenteſimum octuageſimum primum. Franciſcus interim cum facti ignorationem excuſaſſet, frequens cum coniuge Mediolani erat. Ipſe Bernabous obliuionem prætexens; ſiue cauſam approbaſſet, ſiue prudentiā ſileret; viſendæ filiæ ac Generi deſiderio, ſæpè Mantuam conceſſerat; eâ cū Ludouico animi concordiâ, vt nullus diſſidij metus videretur; qui inter labores ac diſcrimina, plures annos eluctatus, quietem ſinu detinere credebatur; eoq; otij ac voluptatum ſtudio intentior euaſerat. Rerum viciſſitudinem, & quantum ſibi quiſq; è fortuna ſpondere poſſit, Aldæ Eſtenſis Ludouici coniugis finis, fatis docuit; Ludouico grauis, Ciuibus calamitoſus, toti familiæ luctuoſus. Huic magnæ fœminæ, plures annos Ludouicus conuixerat, tanto animorum nexu, vt eo maximè beneficio ſubditi vterentur. Nihil in Principe muliere, quod honorem, ac regias virtutes adornet, deſiderari poterat. Magnis progenitoribus, magno marito, magno filio; & ante aliâ, clementiâ, pietate, liberalitate commendata: Quiq; Ludouicus caſus fortunæ infracto animo expertus fuerat, huic vni affectui ceſſit; paſſus abripi ſeſe, & nullum mœrori ſolatium admittens. Nobili funere D. Franciſci templo illata; & marmore Pario (extructo veteri ſed decoro tumulo, quiq; maieſtatem præferret) condita eſt; carmine adſcripto.

1381.

Aldæ Eſtenſis mors.

Cuius in hoc modico requieſcunt oſſa ſepulchro,
Mensq; Polum ſublimis habet, clariſſima multis
Alda fuit titulis. Eſtenſis Marchio quondam
Hanc Obizo genuit. Ludouico coniuge charo
Sceptra ſua Patriæ, curá, ſtudiiq; regente.
Mantua magnificam fecit virtutibus altis.
Plus tamen enituit, quibus hæc conſortia linquens
Intulit heu terris luctus, & gaudia cœlo.

Mm 2 Haud

Haud minus Mantuanis Ferrarienſes indoluêre : virtutibus, origini. Credita cum in viuis eſſet, Parentis coniugisq; amicitiam, & inter æmulas Ciuitates concordiam ſuſtentaſſe. Aucta his fermè temporibus Franciſco gloria eſt; acceptâ in coniugium à Cypri Rege Angleriâ Vicecomitis filiâ, Agnetis ſorore : Quam ille famâ venuſtatis expetitam, à Bernaboo popoſcerat. Nec iſte abnuerat inferiorem nobilitatem, Regiæ potentiæ inſerere, Regisq; Socerum agere. Dos etiam quæſita fertur : Nam Vicecomitis ingentes opes, collationem non vulgarem promittebant. Pariter à Rege præſumptum munimentum ferunt; ſi Prouinciæ turbarentur. Poſſe enim nauali copiâ Ludouicum ſubuenire, & Venetos amicitiâ deuinctos, paratiores fore. Nam Cyprius pro his erat; & in Genuenſes ſocietate fortunæ decertabat; quâ tempeſtate, inter vtrumq; Senatum, magno nixu pugnabatur. Non alia Ludouici mens fuerat; ſed libero Liguriæ appulſu, ſperauerat ſubſidium Generi, ſi vocaſſet. Alterum ante annum Carolus eo nomine quartus Imperator, de Chriſtiano nomine, atq; adeò de Gonzagis optimè meritus, è viuis exceſſerat; triceſimum alterum Imperij annum ſupergreſſus. Fœlix bellis quæ per Italiam Germaniamq; tractauerat; & longâ pace vſus: niſi traditæ Vittembergienſi Ciuitates, vilioris dominationem abnuiſſent, ijsq; in ordinem retrahendis, armis opus fuiſſet. Munificentiâ, iuſtitiâ, prudentiâ, omnibus commendabatur; quibus promeruerat Imperium, tenueratque. Neq; Germanorum Regum vllus, maiori queſtu deſideratus à ſuis eſt; tanta illi popularium virtutum acceſſio erat, quæ fermè vulgo expetuntur. Didicerat infirmitatem Ludouicus, eumq; mali præſagum, infauſtus nuncius Burgoforti aſſecutus eſt. Certè plures ante menſes, valetudinibus agitatum acceperat; ſed quæ tamen, nondum præualuiſſent. Et eâ ætate lubricus caſus, quamuis leui ægritudine metuebatur. Ergo Ludouicus eo ſenſu doloris Caroli mortem accepit, quo toto æuo, beneficia, ac paternam caritatem notauerat. Siquidem familiæ ſuæ bono, nobilitatem, vitam, opes impêderat: Manetq; in præſentem gratiſſima, poſterorum Ludouici recordatio; & certitudini amoris mutui, inſignia geſtantur. Sed abditos ſenſus animi ægrè perſuaſeris, niſi externorum occurſu veritas prodatur. Placuit ſolitis tali funeri inſiſtere; eaq; addere, quæ licet amore redderentur, gliſcens tamen temporum adulatio repererat. Erecta publico, ac templorum celeberrimis in Vrbe Trophæa, victorias, imperia, varios belli cum honore exitus præferebant. Ornatæ aræ funebri pompâ; ſacris religionibus, fuſisq; in egenos opibus, abundè merito Principi parentatum. Etiam ingeniorum monimentis itum in laudes Imperatoris, quæ venerantes & repetunt, & extremi officij curâ perſoluunt. Quod Mantuę, id apud pręcipua Mantuanæ ditionis Oppida frequentatū: ne qua Prouincię pars, doloris ac ſtudij vacua cenſeretur. Ampliſſimâ Ciuitatis plateâ expreſſus cū Imperij inſignibus Carolus, & aſſiſtens reuerētiâ Ludouicus, ſceptroq; donatus: cōtra Pontifex elato ſuggeſtu, populo ac Principibus benè precatus. Quæ licet ambitione quæſita viderentur; ſibi tamen ac poſteritati profutura credidit:

Caroli Imperatoris mors

didit:

didit: Vt iuuenilis filij animus, ſtudio gloriæ elatus, Parentis exemplis inſiſtens, quid etiam poſt fata nominis ſuperſit, velut è propinquo videret. Cęterùm anxia pro Carolo ac Cæſaribus, apud Mantuanos Principes reuerentia ſemper fuit; obtinueruntq; apud ſecutos Reges (quod raris ſeruientium obuenit) vt negligentia ſi quæ foret, familiaritati; modica officia certitudini caritatis darentur. Quamquàm, fide, ſeruitio, conſtantiâ; non minus de Venceſlao Caroli filio ſperaret Ludouicus; opportunam tamen Vicecomitis affinitatem credidit; quem proferendi imperij inquietum nouerat; & Mantuanis præcipuè inhiare. Licèt enim in partes Pontifex deſcendiſſet, Imperator tamen deficiens, & longè agens, metum addiderat: Et filius auctoritate nondum adultâ, parum præſidij ſibi, minus cæteris promittebat. Medium inter funera luctum, modicum ſolatium excepit; erepto è viuis Scaligero; qui Mantuanis per apertam vim, per fraudes æternus hoſtis, ac metuendus fuerat. Incertis furtiuisq; nuptijs filij tantùm ſupererant; nō virtutis paternæ, non iræ memores; & cuicunq; conditioni faciles, dum Imperij adipiſcerentur. Non ideo tamen amoto æmulo, negligentior Ludouicus agebat; ſed intentus & metuens, eâdem curam, pari vigilantiâ proſequebatur; conſilij Veronenſium, & illatæ non ſemel iniuriæ memor. Simul in nothis liberis, plus audaciæ, minus virtutis, ac fidei nouerat: Vicecomitem quoque ſuſpectabat; ne pulsâ paternâ in Franciſcum caritate, & deſiderio regnādi pronior, Scaligeros acciret, vilibus natalibus in omne ſcelus paratos. Quinquageſimum ſextum annum quo vis ingenij, & prudentiæ ſumma eſt, Scaliger expleuerat (licèt aliqui varient) cum finem vitæ poſuit. Idq; Milleſimo tercenteſimo octuageſimo ſecundo. Nam eodem defeciſſe, quo coniunx exceſſerat, pleriq; tradunt. Etiam Mantuani Annales vtriq; eūdem ſupremum annum addicunt. Franciſcus interim ætate proceſſerat (nam viceſimum alterum agebat) patriſq; locum ac ſuas vices implere poterat. Et quartum ante annum Pater adminiſtrationi Ciuitatis iuuenem addiderat; vt quandocunq; finem habuiſſet, imperij non rudis, dominationis onus facilè toleraret. Equidem bonis artibus in Principe opus eſt; ſed ante alia experimento indiget, quo plura certiusq;, quam conſilio diriguntur. Luiſino de Gradi præceptore vti iuſſerat; quem nō indigenam, rectè tamen eruditum, & opibus expletum, corruptelæ metu vacare opinabatur. Exteri minori affectu Ciuibus nectuntur, ſapientia gnarū iuſti & exerciti reddit; opes, ſordes non admittunt. Si patriæ mores, inſtituta, leges ad manus ſint, nîl quod eo muneri deſideretur, ſupereſſe opinabatur. Et quia fallax agendorum coniectura, neq; ſinguli vniuerſa aſſequuntur, dati in curæ partem Lucas Fabrius, Camillus Andreaſius, Antonius Aliprandus, prudentiâ, vſu rerum, integritate commendati. His amicitijs imbui rectorem ciuium, talibus præceptis vti volebat; vt vel integrè ageret, vel excuſatus delinqueret. Inualidum ſe eruditioni cognouerat, præcedētis anni adulto autumno: nam lentâ febri illigatus, dolore primùm, mox tumore artuum ſubſecuto, & quatiente præcordia ſpiritu, ſibi ipſi maturum exitum prædixerat. Vis morbi

haud dubiè Principem rapuit; ſed occaſio ex acri indignatione fuit; quã in Luiſinum de Gradi conceperat; quod ſumi Vicecomitum inſignia, & Gonzagiacis inferi Franciſco perſuaſerat; tutelæ prætextu. Quo agnito, cum proprium pondus, Cæſarum, Pontificumq; amicitias obieciſſet, acerbius in conſultorem inuectus, vilitatem, ignauiam, formidinem obijciens, plus ſolito incaluit, auctoq; æſtu, & ſiti viſcera torrente, intra paucas horas, eadem intonans, exceſſit. Tumulo Guidonis patris illatus eſt; manſitq; viro expectatione & opinione hominum maior fama; fortè præteritorum memoria exoleuerat. Diuerſis quippe moribus, iuuenis ſenexq;, alieno ac ſuo imperio egit: ferèq; ſuorum temporum Principes, commendatione ſupergreſſus eſt, vnicus ſui æui Dominorum, aut virtutum tenax, quas ante habuerat; aut ſi quo ante potentiam deliquiſſet, in melius mutatus. Exitus Ludouici, vt ſummum malorum, temporum calamitati acceſſit. Carolus enim fato conceſſerat; ſecutus Gregorius XI. qualicunq; cõditione compoſitam Italiam, nouis turbis expoſuerat. Ioanna Neapolitana poſt deditionem vinculis arctata; inter Patres ſententijs decertatum, quiſnam Pontifex ſufficeretur. Non tamen eadem Mantuanis euentuum formido erat; fractis iam Scaligeris; & conſanguinitate Franciſci cum Vicecomite, ſecuri crediti. Accedebat vulgata fama defuncti Regis Cypri; quem Bernabous generum adſciuerat. Et videbatur potẽtiſſimo, & parum aliàs amico Principi, labor auctus; vt tueretur ſua & aliena. Frequentes certè affinitates, filiarum copiâ contraxerat: quæ vt tutum Principem rerum ſuarum, ita externorum anxiũ habebant; adempta ſpe proferendi imperij, quæ olim aſſidua erat, & pronis in quietem ſubditis, quos frequẽtibus expeditionibus fregerat. Franciſcus vt ſui maior, & ſimilem iuuentam ingenio præferens, ſummo ſtudio niti, vt modeſtiâ & famâ virtutum, ſuis ac alienis innoteſceret; & præteritorum laborum gloriæ pars aliqua obueniret. Summa illi cura Venceſlai Caroli filij erat. Qui in Regnum aſſumptus; vt ambitu, ſic corruptis moribus in laſciuiam abripiebatur. Haud minus ſollicitum habebat Gonzagorum memoria; qui contra Parentem primùm ſeditioſè egerant, mox prætulerant pœnitentiam. Nec in certo erat, caritate ne Domini, an metu rediſſent; & Franciſci iuuentam deſpicientesne, an amore proſecuti, præteritorum obliuionem an contumaciam cum alienatione minitarentur. Et ſua cuiq; vis, ſuæ amicitiæ cenſebantur, quibus nobilitate, opibusq;, reliquis ſe pares reddiderant. Iam Venceſlaus ſecordiâ ac ignauiâ torpidus, vix ſibi, tantò minus cæteris ſuffecturus videbatur. Adeò paratus ac compoſitus in flagitiũ erat, vt niſi reliqui meminiſſent; quique prætulerunt, fouerent, ipſe paterni ac ſui Imperij obliuiſceretur. Quo plurimum eos à vero deſcire iudico, qui ſtollidos ignauosq; Principes, proximè ad populorum libertatem facere credunt. Nam iuſtitia, æquitas, munificentia, fortitudo, exiſtimatio, vt Regi certam poſſeſſionem, ſic quietem ſubditis promittunt: Diſſolutio, ac calcatæ leges, diſcordias, & in quoſcunque iniurias propagant; eaq; bello deteriora ſunt. Neque impar adminiſtrationi, ſtatim onus in gnaros reijcit; ſed quò plus

Ludouici mors.

Franciſcus IV. Mantuæ Capitaneus

Venceſlaus vino.

plus ſecordiæ eſt, eò præualet ambitio, & ingenij reputatio. Venceslaus documento fuit, vim in Principe (ſi quies, Regnorum quæratur) deſiderari. Non deerant per Germaniam, ſeditionum reliquiæ, quibus Parens cauſam dederat, Cæſareis olim Ciuitatibus, cõtra Vittembergenſem nixis; nec dum compoſitis animis, quos exitu Imperatoris reſumpſerant, eò validioribus, quò arctiori inter ſe fœdere illigabantur. Sed has obſequij admonere; & vt imperia Dominorum acciperent, Imperio non minus, quàm Ducibus intererat, ne hi promiſſis fallerentur, ille auctoritate procideret. Ad Ludouici quoq; fratris nomen Venceslaus excitabatur: qui natu minor, ingenio commotior; ideoq; barbaris acceptior erat, ne maiorem poſſeſſione detruderet, ſuo alienoq; impetu, iuxta agitatus. Franciſco nequaquam negligẽdum officium, reddendæq; filio optimi Parentis vices erant: Cuius armis amiſſam dominationis ſpem recepiſſet, & nobiliſſimæ ditionis curam Vicarij titulo nactus foret. Titubantem iuuenem; & mœrore defuncti Parentis, metu futurorum ambiguum, Guido Capilupus conſtantiâ firmauit. Vndiq; ſpem meliorum imminere, nullibi ſuſpiciones ingruere, ſi vniuerſa contenderentur, docens. Diſcordibus, & furto genitis Scaligeris, Gonzagos ſufficere. Vicecomitem patrocinio, in filiæ tutelam; Pontificis Legatum per Italiam, Malateſtam, Florentinos, etiam Venetos fœdere affuturos. Ciuitatem ſtudio, populum omnem armis, pecuniâ. Indueret fortitudinem, ſuis ac longius ſitis approbaret, adeſſe Gonzagis cum natalibus animos; occaſioni, quàm formidini paratiores. Populo interim, ac Senatui frequẽter ſe oſtenderet, vulgi ſtudia, amorem procerum, apud accolas bonam famam captaret. Nomini, familiæ, ætati, multam caritatem, multum fidei apud omnes fore. His alijsq; in ſpem certiorem erectus (nec enim ſeruorum fidiſſimi, miniſterio, monitisq; deerant) componit ad Cæſarem literas; quarum hæc forma erat: Prædeceſſorum ſuorum conſuetudine, tanquàm voto vſum; dominationem velut lege habitam, ſtatim Imperatori acceptam referre. Magna parentis ſui erga Patrem, Auumq; beneficia mereri; vt honores, potentiam, facultates agnoſcat; non verborum magnificus, ſed rerum probatus. Meminiſſe ſe quibus hoſtibus impetitus; quæ Vicecomitum ac Scaligerorum arma tolerârit, quas accolæ, quiq; recentem auctoritatem metuebant, inſidias ſtruxerint, vix reſtitutæ familiæ, & veterum Principum nobilitatis æmulæ. Proinde cenſere; confirmatam iuriſdictionem, datam potentiam, collata priuilegia, pulſos aut oppreſſos infeſtos, donum Caroli fuiſſe. Defuncto eo, quamuis ab alienis auxilium, ab hoſtibus ſecuritas haberi, temporum benignitate potuerint; non alio tamen auctore, ac vindice, quàm Cæſare, veterem exiſtimationem, præſentem poteſtatem habere velle; eumq; vt Gonzagæ domus, ac Mantuanæ Vrbis ſydus, in æternum colere ſtatuiſſe. Interim orare; ne deditiſſimos Imperio, ſibiq; miniſtros, ſatellites Germanorum Regum, aut neglectos, aut hoſtium libidini expoſitos ſeponeret; non ſuo magis, quàm Romani Imperij ludibrio: in cuius contumeliam, minores, fideiq; delegati atteruntur; & quorum iunctis obſequijs

Cæſarum

Cæſarum res increſcunt. Reſpondit Venceslaus promptâ facilitate: Non ſe magis ſuo, quàm ſuorum vſui imperare. Nouiſſe quibus amicitijs fretus Pater, Orbi Italo comminatus ſit, obedientiamq́;, quamuis ab inuidis ac contumacibus expreſſerit. Nec minus quinam ſeditionibus intacti, aut inquinati egerint. Italiam magnam Regni partem, haudquaquàm extrâ votum poſitam; ſed excluſis ſuorum turbis, profectionem meditari; quâ amici ſubleuentur, hoſtes, ac ſuſpectæ fidei communione beneficiorum arceantur. Interim pronum ſe amici commodis; & ſi occaſio obueniſſet, daturum protectionis quam deſideret, experimentum. Boëmiam ſuam, hoc motu rerum, & poteſtatis initijs præſentiâ ante alia egere. Franciſcus tempori ac muneri ſatisfeciſſe ratus, ſi veterem amicitiam; & quæſtuoſum Patriæ fędus continuaret, nouis petitionibus, quæq́; inchoantem auctoritatem agitant, abſtinuit. Similibus enim Regnorum exordia, ad nauſeam conflictari ipſe minori fortunâ didicerat: Miſit tamen equos, currus, arma, gemmas, pecuniam; munera Cæſaribus dari ſolita, & nullo licet exigente expetita. Pleno Senatu lectæ Venceslai literæ, populum ſeruituti Gonzagorum paratum, promptiorem reddidère. Quando Imperatoris ac Franciſci cauſa eadem videretur. Accedebant procerum Germaniæ ad Principes Italos monita; quibus temperare iniurijs in iuuenem imperabant; tutoremq́; Cæſarem docebant. Aduerſus Romanum Pontificem Vrbanum ſextum, par cogitatio ſuberat. Nam Schiſmate, & diſcordantibus electione Patribus, arduum profiteri erat, quis potior haberetur. Ad cultum tamen delectus Vrbanus, ſanguinis Itali, & morum dulcedine acceptus, quiq́; veteri ritu ſeruato electus, & plurium voto nominatus dicebatur. Adeò manſuetudo placet in Principe; vt cum iuſtitiæ, rigor magis reſpondeat, pietas tamen antehabeatur. Miſſus Bonamontus de Aliprandis legum peritiâ, & ciuilibus artibus câ tempeſtate ante cæteros. Hic Patriæ ac Principis ſui legatione, communem cauſam, eloquenter proſecutus; quid in Franciſco Sedem Apoſtolicam deſiderare deceat admonuit. Et cum ætatem commendaſſet, prudentiam, iudicio approbauit. Cæterùm cùm viri celebris memoria ſæpius occurrat, inſtituti rationem poſcere exiſtimauimus; ſi quâ domo, quibus moribus, fuerit tradiderimus; vt optimis ciuibus ex poſteritate gloria aliqua maneat. Bonamontus, inter Principis familiæ adoleſcentes, primâ ab iuuentâ enutritus, animũ bonis artibus induerat; legumq́; ac Philoſophiæ ſtudio emenſo, id maximè peruicerat, vt bona eruditio nobilitati elegans crederetur. Mox vbi iuuentæ lubricum exceſſit, quòd Militia præualeret, armorum ſtudio anxius; plura ſub Guidone ac Ludouico Dominis ſtipendia meruerat. Centurio primùm, creſcentibus meritis Tribunus; etiam Alæ Mantuanorũ equitum à poſteriori impoſitus. Seneſcens iam, & ingentibus negocijs par habitus, Rempublicam amplexus eſt; non quia ambitio, ſed Princeps monuerat. Valido tamen ſtimulo opus fuit, vt accederet; vicemq́; obtinuit Domini ſui ſententia; quâ, neceſſitatibus Patriæ ſubtrahere ſeſe, & contraniti, vix diſtingui docuerat. Eâ cauſâ Ludouico ac Franciſco indiuiduus, conſilio,

Bonamõtus Aliprãdus.

Digitized by Google

conſilio, manu, opibus aderat; quas labore expeditionum ex hoſtibus ſpoliatis, cæſisq;, parſimoniâ, modeſtiâq; immenſas conflauerat. In extremũ gratiâ, exiſtimationeq; apud omnes, eâdem ſecuritate retinuerat, quod fide promeruerat, & honeſtis miniſterijs comparauerat. Virũ hunc Franciſcus ad Pontificem in Vrbem miſit, nullis certis mandatis; ſed vt tempori ac neceſſitati deſeruiret; quamuis Vrbanus occurreret; & in eundem Bonamontus inclinaret. Repertus in Vrbe Pontifex, vbi Franciſci indolem, pronam in Sedem Apoſtolicam voluntatem, & Aliprandi prudẽtiam excepit, eò magis gauiſus eſt, quòd minus crediderat. Cæſarei enim, inter Pontificum diſcordias contumaces, & conſceleratorum fautores credebantur. Et Gonzagi ante alios miniſterio in Reges Romanos, minus hæſuri Pontifici, ſed peruicaciam retenturi circumferebantur. Eò maior Franciſci prudentia, ſurgente Imperij ſui ætate viſa; quòd Papæ ac Cæſari medius, nullâ cuiuſquàm iniuriâ, aut indignatione conſtitiſſet. Ergo referre iubet, Sedem Romanam Chriſtiani Orbis, & Italiæ maximè arbitram, caritate vniuerſos, ſed benè meritos præcipuè amplecti; acceptas amicitias, cõſtantius quàm ſeculares Principes ſeruare; iuſto & honeſto, non commodis aut vtilitatibus duci; pacem in commune procurare; odiſſe ciuiles diſcordias: quibus iuſtitia, ac Religio corrumpantur, ſeditioſi ſupra integros attollantur. Et quando defuncto Ludouico, dominationem, natura ac ſors in Franciſcum filium tranſtulerit, eandem ipſum quam Parens, facilitatem experturum. Meminiſſet modò fidei; & quibus auctoribus, flagitio exolutus genitor, in filium, inter tot æmulos, aut malè concordes, imperiũ tranſmiſerit. Palàm iſta; ſed vbi ſecreti commoditas fuit, Antipapam execratus, dira fautoribus imprecatus, ſacrarum ædium curam, Eccleſiaſticæ libertatis iura commendaſſe fertur. Sed & propria Mantuano Epiſcopo præcepta dediſſe; vt Cleri immodeſtiam, ſeueris decretis coërceret; ne cùm cæteros exemplo præuenire teneretur, corrumperet. Cuiuis etiã prudentiſſimo Venceslaus Imperator, ſagacis, intentiq; ſpeciem obieciſſet: ſed naturâ ita comparatus erat, vt cũ perditiſſimè ageret, optimè loqueretur. Hũc obliquè Vrbanus vt ſchiſmati non eluctatum carpebat: ignauiam accuſans, cũ virtutem obijceret. Hæc tamen minima Aliprandi curarum fuit: non enim cenſorem morum acturus aduenerat, ſed Patrono à ſummo Principe gratiam quæſiturus. Id vbi peruicit, ſecretò publicoq; ſchiſma deteſtatus eſt; & Eccleſiarum indemnitati, Franciſci nomine cauit; redijtq; Mantuam ſpei plenus, & magnâ amicitiâ Domino fulcito. Nec minus Franceſchinus Gazolus ab Senatu Veneto (quo miſſus fuerat) reuerterat; inuictiſſimæ Reipublicæ amore, non promiſſis inanibus, Franciſco iuſſus, fędus, amicitiamq; polliceri. Plerique Senatorum ſimulationem blanditijs velatã referebant; ſed experimentum contra fuit; doctiq; Gõzagi, ob benè facta, pietatẽq; in Rempublicã ſecuritatẽ opperiri. Pauci ſub obitu Ludouici diebus, legati Principũ Mantuam venére, doloris ac lætitiæ mixtis officijs, vt ſolarentur, vt gratularentur; Venetûm, Florentinorum, Malateſtarum, Eſtenſis, Vicecomitis: qui reiectis pridem

odijs,

odijs, fautor, protectorq́; acceſſerat, ſuæ quieti, amori filiæ compoſitus. Vſus aduerſus ſingulos ſplendoris ac munificentiæ oſtentatione eſt; & cum muneribus dimiſit. Quippe populus Mantuanus futuras expenſas præuidens, pecuniam vſui obtulerat; ne regius cultus in ſuo Principe, minor quàm foris, domi eſſet. Iam verò amiſſum Regium multò ante, lacerabat animum; & fidiſſimi amicorum hortabantur, vt Venceslaum, conceſſionibus facilem, iuſtitiæ & auxilio aduocaret. Nõ vt arma aduerſus Eſtenſem moueret; ſed vt auctoritate Regiâ; & redditâ (quam dediſſe iactabat) pecuniâ, Ciuitate excederet. Surdæ ad hæc Eſtenſis aures, & maiores quàm Franciſco vires erant; neq; tamen Imperatoris mãdato obtemperaturus credebatur. Functus tamen eo munere Leopoldus Haydelius, Cæſari à ſecretis; cui miſſo Legato, Eſtenſis reſpondit; præſcriptam Ciuitatis illius poſſeſſionem, quam tot annos in pace habuerit. Dediſſe pecuniam, quam nec requirat, nec habere poſſit. Carolum dum Italiam teneret, nõ conſilio, non vi obſtitiſſe, ſed ſilentio annuiſſe. Quod enim voluntatis ſummæ certius teſtimoniũ, quàm cum nutu obtemperetur, longiori vſu, ne hiſcere quidem? Gonzagis pleraque conceſſa, Cremonenſis ac Veronenſis agri; vt quantacunq; iactura, vtilitate penſaretur. An ignorationem in eo Imperatore fingi poſſe; qui cum Italiam omnem triumphis luſtrauerit, Mantuæ apud querentes diù ſubſtiterit; non tamen paruerit? Parum quæſitæ excuſationes valuiſſent, niſi ingentia munera, & maiorum expectatio, diſieciſſent vana rationum: Niſi quòd neceſſitas honeſtam cauſam habet; & non ſemper iuſtitiæ locus eſt; ne ſpreta Imperia auctoritatem corrumpant; & cæterorum peruicaciam, vt ſecuram accelerent. Quæ tamen Venceslaum, ac Eſtenſem detinerent perſcripta ſunt, timori ac ſpei adeò confuſa; vt manifeſtum Franciſco eſſet, ideo Regiũ non concedi, quòd non liceret. Quin inter contationis cauſas, aurum, gemmasq́; referenti familiari, velut indignatione reſponderat; reſtitui ſibi, non veno concedi Regium poſcere. Sed deglutire iras, & erumpentia reſponſa monitus, eâ ſolùm causâ conticuit, ne quod habere non potuerat, importunè quæſiuiſſe diceretur. Venceslaus tamen ne Franciſco deeſſe, aut ſegnius familiæ commiſſæ res curare videretur; vulgato nouo Diplomate, eum Imperij Vicarium, non Mantuæ ſolùm, ſed & Regij, atq; adeò adiacentium locorum eſſe voluit. Nonâ Iunij, Milleſimi tercenteſimi octuageſimi tertij. Fuſum in liberos beneficium, eosq́; qui in poſterum legitimi hæredes naſcerentur. Quod licèt Eſtenſem non imminueret, ægrè tamen tuliſſe, certum eſt; & quaſſato vertice, vultu indignationem ſpirante, addidiſſe; nõ dantis, non accipientis, ſed poſſidentis Regium eſſe; & tale tantumq́; imperium breui duraturum, in quo Pater quæ pulcherrima habuiſſet, filius etiam quæ non teneret, largirentur. Et quia longè Imperator, & recuperandæ Ciuitati, impar Gonzagorum potentia erat; non arcem nouo milite, armisve, nõ munimentis ſecuriorem reddidit. Legatus quoque Pontificius, cætera Frãciſco fidus, Eſtenſi præceperat, ne Regium concederet; & ſi vis pararetur, Sedem Apoſtolicam appellaret. Sic noua iura, nouam potentiam Pontifici

Franciſcus Regium ſibi reſtitui fruſtra precatur.

Venceslaus Vicariũ Imperij Franciſcum dicit, Mantuæ, Regij, & Mirandulæ.

1383.

acquiri

acquiri præſumpſerat. Forſan plures annos exercitæ amicitiæ, fœnore ingẽti exolui voluerat. More potẽtioribus ſolito oblatam mediâ neceſſitate protectionem gratuito iactare; ſed quæſtu ingenti pretium operis requirere, nũquam deficientibus titulis. Hinc modò arma, modò pecunia, modò præſidia requiruntur; quaſi illa in tutelam, pecunia in ſolutionem, Arces in ſecuritatem quærantur. Rumorum è bellico apparatu pericula, cupido obæratorum, vires inualidæ aduerſus potentiores oppugnatores, in ſpeciem prætenduntur. Et quò promptius à debilioribus annuatur, fides, iuſtitia, Numina ſacramento cientur. Ea plerumq; neceſſitas excidij eſt; vt credere hoſtibus, ac fidem potentioris amici abnuere, iuxta officiant. Silentij & promptitudinis, breue ſubſidium, quod nouis conceſſionibus exoluatur, promittunt: Simulq; cum ſpe euaneſcunt. Vetuſtiſſimum iam eſt, acrem miſeriæ ſpeciem eſſe; cum poſſis, aliquid, ita validiori fidere, vt minus poſſis. Non deerant, qui ſimilia Franciſco obtruderent; & quia honeſtatem faſq; cauſæ Venceslaum negligere animaduerterat; facilemq; ab neglectu ad iniuriam tranſitum; ne quæ Regienſi agro, Mantuano contermina poſſidebat, Regio ac Eſtenſi accederent; alio Diplomate, firmari veteres Cæſarum donationes procurauit, idq; anno eodem. Quæ Cremonẽſi, Veronenſi ac Brixiano territorio habita fuerant, ſeorſim nominata, tollendis ambagibus; eaq; in perpetuum teneri iuſſa. Quaſi cum abſtracta reſtituere Cæſar non poſſet, alienis ſaltem, præſenti damno occurreret. Iam cenſum hominum Prouinciæ habenti Franciſco, multa Cremonenſium Oppida occurrebant, quæ licet à Socero eripi ſibi per vim non metueret, prouidere tamen ſecuritati poſteritatiq; conſulebant: Quòd affinitatem diutius quàm fidem; & cupiditatem dominandi quàm amicitiam durare cognoſceret. Tertio itaq; Diplomate Venceslaus, memor bellorum, quæ Gonzagi pro Patriâ, contra Vicecomites geſſerant; & quibus damnis exerciti, Mediolanum non ſemel raptis, prædaque expleuiſſent; quidquid Brixienſium ac Cremonenſium Mantuanis parebat, duraturâ in perpetuũ donatione conceſſit. Vicecomitibus, quiq; hæredum eſſent imperium habituri, vt ea Mantuani iuris agnoſcerent, nec Mediolano adſcriberent, mandauit. Speciosiſſima ea pars agri eſt; & in præſentem familiæ ſubdita. Canetum, Rotundeſcum, Aquanigra, Bozolum, Gazolum, Sanmartinum, Riuarolum, Inſula, Oſtianum, Doſolum. Ad extremum, nõ libertatem quidem reddidit, (vt quæ extra dubium haberetur, propriâ potentiâ, & præteritorum Cæſarum decretis) ſed omnem ſeruitij notam detraxit. Cum enim Mantuani Principes, non ſemel armis impetiti forent à Vicecomitibus, Ciuitatis deſiderio, quæ antiquiſſima ſimultatum cauſa fuerat; credebantur ab incepto deſtitiſſe; quòd Gonzagi, feudi nomine, poſſidere ſe Vrbem recepiſſent; & certum tributum in annos ſingulos exoluturi. Id acceperat Venceslaus, nullâ Franciſci querelâ. Sed licet Vicecomes erga generum ſileret; in futurum tamen, ſuo ſe iure vſurum, iactabat. Quod indigniſſimè Imperator tulit; velut imminutus potentiâ; & ſuorum beneficiorum gratia in alios abiret. Itaq; nouo Diplomate, Gonzagos in ijs quæ per Italiam

Venceslaus alys Triuile gys Franciſ. ornat.

Italiam

Italiam poſſiderent, liberos Dominos; nec alij quàm Cæſaribus ſubditos decreuit: merum & mixtum Imperium, non onere, nō tributo grauatum, profeſſus. Prohibuitq; in futurum; ne qui poſterorum, Mantuam eodem indulto haberent, Vicecomites vt directos Dominos agnoſcerent. Sed hæc ad pompam, & ſecuritatem futuri erant: Non enim Mediolanēſibus, obſequio, aut tributo paruiſſent. Cæterùm quia Franciſci præceſſores, certo quodam officij genere, Vicecomitibus obſtrictos vulgi opinio differebat; irritas ceſſiones, donationes, tributa, & obligationes ſanciuit. Placuit occaſiones cauſaſq; erroris conticeſſere, quòd famâ quàm veritate niterentur. Quatuor hæc Venceslai Imperatoris Diplomata, eodem Archiuo aſſeruata vidimus. Satiſq; fuit, Priuilegiorū ſummam huc inſerere; ne tædio tranſcriptionis; nos alioſq; fatigaremus. Admonitus à Cæſare Franciſcus fuerat, vt generis memor, nobilitatem ingenitam; datam potentiam, aut quæſitam, vero pretio æſtimaret: Nec formidine aut ſpe, natam prouectamq; dominationem, alterius arbitrio permitteret. Id cum omnes, tum præcipuè Vicecomitem tāgere videbatur; quem alienæ iuriſdictioni inhiare, prædeceſſorum memorijs didicerat: Metuebatq; ne Franciſcus conſanguinitati plus iuſto fidens, aſtu ſenioris circumueniretur. Neq; enim vbi ſpes regnandi eſt, iuſtitia, pietas, conſanguinitas (aut quæ ſpecioſa circumferuntur) æſtimantur. Ignauiam certè ſecordiamq; in eo Imperatore publicè accuſaſſes; ſed inerant feminã virtutum; & cuicunq; negocio par ingenium: Quòd tamen iuuentâ, licentiâ, ac neglectu torperent, ignorabantur. Quidam ſecus interpretabantur; rerum diffidentiam mortuo Patre obueniſſe; & fractum magnitudine rerum iuuenilem animum, Imperij curarumq; æſtimatione. Sed ſi reliquę virtutes, conſtantia certè in iuuene rara eſt. Siue monuerat Venceslaus, ſiue ea vis Franciſci erat; quamquàm affinitate mediâ, Burgofortum tamen foſsâ ac muro vallari iuſſit. Contra Socer vanam expenſam, inutilem curam perſtrepebat; quòd amicis armis ambiretur; & res mutarentur, non ſufficerent. Haud dubiè ſuſpicionem credidit; niſi ab Aulâ Cæſaris conſilia excepit, vtq; inſida amicitia crederetur. Antonius Scaliger Veronâ potitus, vt diximus; & veteris in Gonzagos odij hæres, dum Franciſcus Cæſare, Pontifice, & pleriſq; potētiorū ſe illigare, occaſioneſq;, belli externi arcere procurat; inquietudine in res nouas, propriamq; perniciem ſtimulatus; pecuniam, milites, amicitias, & ipſe occulto comparabat: quibus varijs diſcriminibus implicatum, animiq; dubium Franciſcum, ſi ſors daret, Mantuâ exigeret. Sed incautius, quàm vt imponeret magnos motus agitabat. Nam Franciſcus ſecretorum eius per exploratores doctus, ſtudia, literas, munera, cōſilia, quęq; aduerſa parauiſſet, in excidium hominis vertebat. Ne tamen aut ſuis viribus (quę modicę erant) plus honeſto dare; aut reijcere auxilia offerentes videretur, Vicecomiti denuò, mox Carrario ſe iunxit. Pontificius Legatus ac Cæſar, ſtimulis haud quaquam egebant; tempori tamen expedire crediderant, ſi cunctis cauſæ honeſtas, Scaligeri mores exponerentur; vtquę prauâ ambitione, magno labore paulò antę compoſita Italia, turbarętur.

Scaliger cogitat bellum in Mātuanos

Addebatur

Addebatur cæteris proprias res, quas pace bonisq; artibus parauiſſent, ſuffi-cere; nec de alienis meditari: Solis Scaligeris Veronã, & Brixiam (quæ ho-neſto titulo non poſſideant) pauca eſſe; imo aliena ſpe præſumere; velut non aliud habendi ius, quàm quod in armis ac dolo cõſiſtat, requiratur; aut Cæ-ſar ætate, abſentiâ contemnatur. Pronam quieti ſemper Italiam; raroq; di-uerſis quam Scaligeri ſeditionibus agitatam. Neq; tamen proſcriptionem ab Imperio paueſcere, ſed niti aduerſus præceptum; indulgentiaq; inſoleſce-re, quam amiſſis rebus ſuis, non ſemel apud hoſtes inuenerit. Nullam ipſi in fœdere fidem, reijcere, repetere, approbare, renuere conditiones ex com-modo; id honeſtum, quod vtile cenſere. Neq; maiori verecundiâ poſcere veniam, ſi ſuperetur, quàm alienis, ſi vigeat, vti. Antonius iam ſe calumnijs ac querelis diſtrahi nouerat; obijciebatq; Franciſco turbatos fines, Benacũ piſcatione violatum, abducta quæ damnum non feciſſent armenta; & quoſ-dam paganorum, verbere ac vulneribus malè habitos. Nec aberat veri ſpe-cies; ſed præſumptio aduerſabatur. Nam perſpecta vicinis modeſtia Franci-ſci, & opinio integritatis, ſatis videbatur, excuſationis proferre. Scaligeri cauſam onerabat, potentiorum reputatio, ſumptum pluribus annis experi-mentum, vt nunquam pro ſuis tutandis; nunquam Gonzagi pro alienis di-ripiendis arma tractauiſſent. Scaliger quinq; peditum millia, octingentos equites, vt ad certam victoriam & prædã aduolans, Goitum patentiori agro inuadit; Id Franciſcum non latuit; quietis deſiderio, vbi cum pluribus ſimul certandum foret, nunc aduerſus vnum æmulum, pugnæ. Vicecomes ne in-ductis à Franciſco in hoſtem armis, poſteriora ditionis nudarentur, trecen-tos equites præſidio miſit; quibus ea pars agri, in tuto ſeruaretur. Iſte ma-nifeſtis iam armorum cauſis, duo agmina Mantuanorum parat, quæ diuer-ſa hoſti inducerentur; tertium quod domum & fines ſeruaret, Mantuæ, & haud procul Hoſtiliâ diſpoſitum. Præpoſitus Petrus de Ripâ, ferox animi, militiæ inexpertus: ideoq; in conſiliorum partem Franciſcus Gornus adſci-tus, ætate & vſu rerum prudentior. Sed potior in iuuene nobilitas, & grata Domino indoles, opeſq; ampliores, dignationem addiderant. Maiores co-piæ Franciſco erant, iiſq; Canedolum, Caſtellarum, & Caſtilionum aggreſ-ſus eſt; Oppida paucos ante annos, turbatâ Longobardiâ; & Parente ſubſi-dijs deſtituto, à Scaligeris Mantuanæ ditioni abrepta: & valido præſidio etiã in pace ſeruata. Expectabatur quoq; Antonius, vniuerſis copijs, quas in vicina duct auerat, velut illâ erupturus. Non enim noua occupare, niſi fir-matis prioribus deſtinauerat. Quod virium Gonzagæ erat, è Mantuanis cẽ-ſebatur; rari Mirandulâ aut Ferrariâ, apud exterum ſtipendia facturi adue-nerant. Et ipſe ſuorum virtuti & fidei certus, exteros niſi coactus admiſerat. Itaque non procul Caſtiliono Caſtra poſuit; cum octingentis equitibus, & quinq; peditum millibus; & ſi Scaliger ſummæ rei diſcrimen tentare cogita-ret, dimicationi paratus. Iuuenilem animum gloriæ deſiderio elatum, ſu quoq; extimulabant; deſpectu hoſtium, quos ſemper cecidiſſent, & reputa-tione perfidiæ. Sed Scaliger bellum trahere meditabatur. Neq; illi prudẽ-

Mantuana expeditio.

Nn tia,

tia, aut vis animi deerat: Nam ſummis Alpium, Germanorum auxilia ſibi affutura opperiebatur. Sed pecuniæ defectu (nam plura promittebantur, quàm vt exolui poſſent) & Cæſaris minitantis formidine, qui expleturus in conſanguineos, ac familiam omnem vindictam minitabatur, mox diſſoluti, ad ſua rediêre. Franciſcus benè agendæ rei occaſionem elabi, negligentiæ ducens; obſidere Caſtilionum parte copiarum, cæteros hoſtilem agrum populari intendit: Quippe à Gorno, citatis equis, ſuorum impetu direptum, quidquid Hoſtiliæ circum funditur, acceperat; & metuere ne cunctis viribus eò Antonius occurreret, auxilio, & vindictæ ſuorum properus. Miſit Franciſcus qui fortibus Ducis auſis, laudem, imperiaq; deferrent: ne labori, aut periculo parceret; ſed intima Veronenſium eo tractu popularetur; vbi tamen cautè rebus ſuis ante proſpexiſſet; & diſpoſito effugio, ſi fors ferret, in ſecura. A fronte hoſtem non metuendum; Qui ſi maiori mole, quàm vt reſiſti poſſit; ingruat; facilem in vicinia receptum; & prædæ, Tartaro ſubuectionē: Tergo prouidendum; ne inconſultò in medios hoſtes delatus, ſeptis effugijs opprimeretur. Se interim inimici vires in contraria diducturum; &, ſi fortuna cœptis affuiſſet, conſilium gloriæ reſponſurum. Erat in exercitu Franciſci, Ioanninus de Fontanula, ætatis quæ quidem vergeret, ſed viribus animi corporiſq;, iuuentæ conatus ſupergreſſæ. Is à Franciſco Centum quinquaginta equitibus Dux datus, nullo certo mādato; tantū occaſioni & tempori deſeruiret, imperatum. Qui vbi Scaligerum, quidquid militis haberet Goitum traxiſſe, intima vacua propugnatoribus videt; medio noctis, per occultos tramites (hi gnari viro erant) & incerta collium, cuncta haud procul Veronâ, igni, ferroq; populatus, in proxima diuertit. Abſtinere rapinâ militem iuſſerat; & expeditum, nec onere tardatum, tantùm vindictæ ſtudere. Miſſi ad Scaligerum, qui leuem equitatum, diruere incuſtodita referrent. Sed dum vltrò citroq; literæ ac nuncij recurrunt, Fontanula agrum vaſtare, prædam corrumpere, ignem Villis, caſiſq; immittere, pleroſq; obtruncare; nec vllum laboris pretium, præter vindictam habere: Furandi quàm pugnādi meliorem credidiſſes. Sed modica manus in aciem duci non poterat; ſatiſq; videbatur, ſi offenderet, carperet, vexaret, mox elaberetur, & falleret. Sæpe inſequentes, notis itinerum ambagibus fruſtrabatur; rurſus improuiſus aderat; & extrema hoſtium laceſſens, metum afferebat. Et tamen minoribus copijs Scaliger, non tutari, non offendere ſimul poterat. Etiam Germani auxilij ſpes, cui fidebat, exciderat. Præcipuè anxium habebat, quòd Gornum, Fontanulam, Franciſcum, pluribus ſimul locis inſultantes, non celeritate, non vno ictu coërcere poſſet. Gorni tamen fortunâ acceptâ, ruſticam manum miſerat, quæ fulgorem armorum non perferret; vt aduentantibus populatoribus obſiſteret. Sed primo acceſſu diſiectum vulgus fanaticum, non imperio, non diſciplinæ ſuetum; cæſi pugnam auſi; cæteri aut in ſeruitutem abducti, aut palantes, fugâ ſe periculo ſubtraxêre. Præda omnis Gouernolum deducta, multâ & ſecurâ ſubuectione; cum littora miles teneret, claſſis ſecura pado veheretur. Iuuentus non aliam libertatē depoſitis armis

Proſpera ad Hoſtiliam.

Ad Veronā.

armis voluit, quàm vt libera, mutato domino, Mantuano agro conſideret, ſtabili ſemper fide. Scaliger quamuis milite inſtructus, & honoratâ militiâ validus eſſet, Franciſci tamen iuuentam, pronas potentiorum in eum volũtates, lubricam ſuorum fidem æſtimans, inſidijs graſſari ſtatuit; vt vno velut facinore, bellum inimicitiamq; profligaret. Fingit ſe totis copijs, in Caſtilionẽſem agrum accedere: Nec fides deerat; ſed ſpecies ea prętextui ſumpta; vt Franciſcus manifeſtis intentus, ſecreta negligeret; nec periculum flagitio tentatum exciperet. Iamq; aduenerat octo hominum millibus comitatus: Nec tamen illico in dimicationem deduxit, ſed capto Caſtris loco, ac munito, tempus dolo quæſitum. Leues tamen excurſiones quotidie habebantur, vt meditatæ, intentæq; pugnæ ſpeciem hoſtibus obijceret; ſuoſque mentito ſigno, aduerſis hoſtibus miſceri doceret. Duodecim è fidiſſimis deligit, animi corporiſq; viribus, cuicunq; facinori paratos. Hos vt à ſuis noſcerentur, flauâ ac nigrâ Caſſidis plumâ, ornari iuſſit (& ea Frãciſci inſignia, ij colores erant) iubenturq; proprijs ac ſuorum viribus, mediam aciem, quãtumuis haſtatam perrumpere; & in denſiſſimos Mantuanos, quos inter Frãciſcus egiſſet, penetrare; tum puluere, rumore, turbâ confuſis omnibus Frãciſcum petere (quem non ſemel magnitudo animi, in primam aciem rapiebat) & coronâ ſeptum confodere. Additur flagitio parata faciliſq; executio. Nam inter confertos, & eadem ſigna præferentes, neminem ſuſpectaturum, aut falſos à veris ſocijs diſcreturum. Promiſêre operam perditiſſimi; & vt læthale quoduis vulnus eſſet, veneno infectis mucronibus accinguntur. Sequenti die moræ intolerantem Antonium, pugnam poſcere, & dimicationi interfuturum, vulgi fama circumferebat. Et Veronenſes congreſſus ſignum alacres accepêre. Nullo nouo præcepto Mãtuanis opus erat: adeò paci ac bello cuncta Franciſcus compoſuerat. Et inter cõcordes detrectari pericula, infamiæ dabatur. Sors tamen Franciſco ſalutem tulit. Nam aduerſus manifeſta, aciem inſtruxerat, fraudẽ nec quidem ſuſpicatus. Erat in exercitu Scaligeri miniſter Caſtrenſium operarum, Mantuanâ matre Veronæ genitus, nomine Iacobinus. Is longo domi foriſq; apud Scaligeros miniſterio vſus, incuſtoditus, inobſeruatuſq; tentoria & domum Principis frequentabat: Rarò enim ſeruitij liber agebat; quòd Dominus, quietem ſerui pro ſcelere reputaret. Neque tamen caritatem Scaligerorum imbiberat; quod egens, multaq; patientiâ laborum tolerans, nulla munificentiâ leuatus foret. Hunc hominem fortuna conſilio obiecit, dum coniurati, tempus & agendorum ſeriem diſponunt. Nec acri licet indagine, aliud excepit, quàm flauas, ac nigras plumas, puluerem fraudi ſuſcitandum, & penetrandam aciẽ, dum in medios peruaderent. Quod tamen parabatur ſuſpicatus, nocte intempeſtâ, per auia, & nulli nota, ad Franciſcum non procul agentem elabitur; ordinemq; fraudis executus eſt (Ea ſeruilis animi conditio eſt, vt impunè delinquere facilè velit; benè agere gratis nolit: quod virtutis aut fidei intercurrit, ſceleribus maculatur, & præmijs flagitiorum corrumpitur) ſimul monuit, ſi concordes & ſtabili greſſu, hoſtem excepiſſent, cuncta ipſis in tuto

Scaligeri fraus.

Detegitur.

fore: plus apud Veronenſes armorum, quàm virtutis; ſermonis, quàm animorum eſſe. Patriæ tantùm gloriæ meminiſſent. Franciſcus raptim dono addito indicem dimiſit; & ad ſuos euadere iuſſit; debita fidei præmia, poſt pugnam redditurum ſe profeſſus. Hortatusq́; vt ſi quę vtilitatem haberent, afferret; & quando ſecuritati diffideret, Mantuam regrederetur. Colorum diuerſitas, plumarumq́; vanitas conſueta Mantuanis erat; nec niſi manifeſtâ ſuſpicione auelli poterat; & tamen fraudis initium docendum erat. Ergo ſecretiſſimis mandatis; quicunq; plumati aderant, ſiniſtro plumas flectere iuſſi, adeo certo ordine, vt à proditoribus æmulatio non metueretur; & dato ſigno in eos impetum fieri, qui diuerſimodè detuliſſent. Nulla Mantuanis longior nox viſa; & dandi in manus hoſtis, & deprædhendendi flagitij. Vt dies affuit, Mantuani medio, cæteri extra Vrbem deſcripti, in cornibus diſpoſiti: Pedites,equitesq́; mixti; vt mutuis viribus iuuarentur. Quatuor tamen equitum alæ à corpore ſeparatæ (ſi præualuiſſent hoſtes) iuſſę impetum retinere, eodem Fontanulâ Duce: Qui ſtrage Veronenſium ſatiatus,vbi aciē ſuos meditari acceperat, præceps reuerterat; ne tantùm tumultuario certamini ſufficere crederetur. Veronenſes ſic inceſsēre: Ruſticus numerus cornua, Ciues medium tenebant; vtriq; diſtincti, proceritate, aut ignauiâ manifeſti. Vbi vicinæ acies, pronæ in vulnera fuēre, Mantuani conſilio & viribus fortiores, lento inceſſu, non curſu in hoſtem rapi iuſſi; ſenſim inuaſêre. Sed conſtantiam ac fortitudinem edocti, ſtabile ad prælium animos diſpoſuerant. Incurſatio quidem in formidantes, & fugæ paratos ex vſu magis; tarditas & lenta inuaſio, aduerſus pugnaturos commendatur. Plurimum negocij in retinendâ Veronenſium acie, Gonzagi pertulêre, quòd aperire ordines, & virtuti, & fraudi iuxta proficeret; ſed conſtantiam ac fortitudinem edocti, ſtabile ad prælium inſtructi fuerant. Magna ruſticorum clades impetu primo; mox æquata Veronenſium fortitudine fortuna fuit; qui ſimul temerè fuſos, & pugnę metuentes paganos retinuerant. Vbi feruere prælium, & cęlum puluere inuolui Scaliger aduertit; delectos facinori, animorum ac promiſſi monet. Illi ſenſim Mantuanorum aciem,cuneo aperuēre. Nec tamen aduerſi cædere, ſed locum corpore ſtrato ſeruare videbantur. Vt in medios delati, verſâ facie, in Veronenſes ſecutos veſtigia depugnabant, fallaci ictu, inaniq́; impetu, ſed valido: Vt virtutis conſcius Franciſcus proprius ſuccederet. Ille tamen vt oblatos parricidas vidit, cinctos fortiſſimis armatorum, voce, vultu perterruit: parricidas, proditores, ſicarios increpans. Id ſatis fuit: Nam tot mucronibus imperiti, diſcerpti potius, quàm iugulati concidêre. Plus dolo, minus virtuti Scaliger fidebat. Plurimum enim intereſt, quâ quis famâ ſit; & præſumpta apud hoſtes fortitudo, quamuis falſa, veræ, nec celebratæ potior habetur. Contra Franciſcus vnā in virtute ſpem, inſiſtendum cędibus, ſeruandos ordines conclamabat; captiuos dono dimitti, vt rurſus bellum moueat; populi excidium ſecuritatem afferre. Quibus bellis, quâ inuidiâ Veronenſium, exerciti plures annos fuerint, monebat. Sed nec exhortatione opus erat, apud infenſos, & iræ non

Veronenſes ſuperati.

minus

minus, quàm victoriæ paratos. Veronenſes fracti diuturnitate pugnæ; nec adhuc proditionis exitum docti, ſenſim inclinabant; vbi verò detectam fraudem, mactatos parricidas accepêre, animis conſternati, in fugam verſi ſunt. Franciſcus clamore, exemploq; conſpicuus, expedito equitatu, fortunam victoriæ, in noctem proſecutus eſt: ne colligere ſeſe, aut nouo congreſſui parare poſſent. Caſtilionenſes vbi amiſſas res; nec auxilium in propinquo vident; nullo proditionis pacto, deditionem loci fecêre. Amicè recepti, iuſſiq; milites iniuriâ abſtinere; ne Veronenſibus compararent; quòd per vim habitos, & nexos Mantuanis beneuolentiâ, Franciſcus nouiſſet. Et ante belli meditamenta, paratos ſe veteribus dominis, per literas teſtati fuerant; ſi præſidium Veronenſium pelleretur; nouoq; ac fido in ſecuritatem vindicarêtur. Mox Canedolum, & Caſtellarum verſus, ductus exercitus, gloriâ & ſucceſſu elatus, & nil inuium virtute credens. Medicâ Veronenſium cuſtodiâ vtrũq; ſeruabatur; eductis in bellum paulò ante, qui præſidium agitauerant; Et oppidani ſolitos pridem dominos meminerant; neq; deuincti Scaligeris caritate erant. Itaq; receptus Franciſcus, copias commeatu inſtruxit; recepitq; milites; & alij additi qui ſeruarent. Inter Scaligeri cædem, quem Veronenſes ipſi oderant, & Caſtella in ius reducta, modicum otium interceſſit; quo Veronenſis ager vaſtatus, abductæ pecudes, ruſtici ſub coronâ venundati; non pueris, non fœminis temperatum, quin belli more, cædes ſtupris, ſtupris ignis miſceretur: Quaſi vagum, & ſolutum diſciplinâ militem, in quiete habere, abſq; ſcelere, flagitium eſſet. Eâdem fœlicitate à Gorno pugnatum eſt; leuia prælia, & furtiuos egreſſus auſo hoſte, & (quod acrius angebat) ſemper fuſo. Nec tamen ſtrenuo Duci, ſine ſanguine victoria ceſſit; nam Lorenzinus filius, dum ardore equi, & iuuentâ præceps, in medios hoſtes inuehitur, agnitus à Scaligeri ſatellite; & lanceâ transfoſſus ceciderat. Neq; Pater vbi recipere amiſſum, & patriæ ſepulturæ reddere licuit, caſum impatientiâ, gemituq; proſecutus eſt, ſed Principis lætitiæ comes, ſolantes repulit; & temporis virtutiſq; admonuit; ſubinde dictitans, benè filij clade, Ciuitatis victorias quæſitas. Etſi ſic ſemper vincendum ſit, habere ſuperſtites duos, propriamq; vnam animam, quam libens offerat diſcrimini. Prior Mãtuam Franciſcus, demùm Gornus aduenit; ditatis prædâ militibus; & inductâ Ciuitati annonâ, quam ab hoſte rapuerant. Obuij Senatores, quoſq; publica munia, aut ætas domi attinuerat, redeuntes feſtis acclamationibus excepêre. Nam rari in tot millibus deſiderati, magnus ſauciatorum numerus cenſebatur; ſed vulnera decori erant, cædes iacturæ non imputabatur. Diſplicuit fortiſſimis reditus; quaſi omiſſo victoriæ curſu, otium interieciſſent; & cõfeſtim regredi parabãt; niſi imperio Franciſcus obſtitiſſet; ne inferre, ſed tantùm propulſare iniuriam crederetur. Inuitauerant efferos animos Brixiani, ac Vicentini; vt alieno ſanguine vindictam explerent; ſed abſtinuit magni animi iuuenis, idq; ad gloriam potentiores flexêre: Quod cum rari habere poſſint, etiam qui contempſerit, reperiretur. Veneti interim, quiq; Italicis Ciuitatibus, conceſſo aut vſurpato iure præſidebant, Franciſci

Nn 3 fortunam,

fortunam,& inuidebant, & ſuſpectabant; tanquàm ſe Scaligero validiorem præſtitiſſet; poſſetq; illatas iniurias aut propulſare, aut ſaltem inferentes, nō impunitos omittere; Et cum multi victo Scaligero gauderent, nemo victorē Gonzagam voluiſſet. Sed nouerat Franciſcus primos conatus, comparandę exiſtimationi conducere; & prout infeſtos ipſo occurſu accepiſſet, fore quæ ſequerentur. Nam tolerandæ contumeliæ inſolentem, raros extimulare. Cęterùm quamquàm apertâ pugnâ fuſum Scaligerum ſciret; ad ſuos tamen peruaſiſſe crediderat, vt tumultuarijs delectibus reficeret vires; maioriq; virtute in nouam dimicationem deſcenderet. Attamen certiores nuncij attulēre, omiſsâ Veronâ, & præcipitato itinere Venetias conceſſiſſe: Siue ſpem proieciſſet; ſiue à Venetis auxilium præſumpſiſſet. Ergò Franciſcus inſtructum militem, & quieti otioq; intonantem, minas inſuper ab hoſtibus iactantem, prædâ, cædibuſq; imbutum, vt parēret vocantibus, denuò in Veronenſes rapit; adeo properus, vt ne ſpatio quidem famæ dato, Veronæ mœnibus aſſideret. Dum Ciues arma, ac obſidioni neceſſaria conquirunt; vallarìne ſe, an foras ad pugnam progredi deceret, incerti; improuiſo Mantuanorum impetu turbati, Ciuitas capta, & portarum munimenta, milite firmata ſunt. Pedites equitibus additi vltrò citroq; per plateas, viarumq; frequentiores victorē Gonzagam tollebant; additis incolis, quorum nonnulli (forte vitandæ indignationi) ſocios ſe lætitiæ præbuēre. Et quia pleriq;, ſpontaneam deditionem fuiſſe referebant (ſiue ſic eſſet, ſiue cogitaſſent) Franciſcus modeſtos ſuos milites, rapinis ac iniurijs parcere imperauit. Satis toto agro prædæ abactum, & ſeruandam vſui Ciuitatem dicens, quam virtute accepiſſent. Impoſitum tamen Vrbis Arci præſidium, viri Octingenti; & pro portarum munimentis mille pedites, equites Quadringenti; ne vis externa, aut ciuilis diſſenſio ingrueret. Sic miſera Verona, ſpecioſiſſima Ciuitatum Italiæ; iam non ſemel Gonzagorum armis capta, æmula Mantuæ, pugnaſq; ferè non niſi cum damno experta, in ſeruitutem venit. Haud dubiè metus è Vicecomite impulit; ſed gloria Franciſci fuit; quòd ille auxilium aliquot millium contuliſſet; hic fortitudine ac conſtantiâ, ſæuum inquietumq; hoſtem fregiſſet. Ciuitas Ioanni Galeatio Vicecomiti ſeruata: ſic cum auxilium miſiſſet, conuenerat. Cætera ad Gonzagam ceſsēre, vnâ cum Oppidis, quæ antiquo iure Gonzagorum fuerant. Impoſitus præſidio miles, victorum & hoſtiū more, licentiam, ſæuitiamq; induit; Nam mox cuſtodiæ Vrbis Mantuani à Franciſco impoſiti, euocati ſunt; & Mediolanenſes, minori in captos pietate ſubſtituti. His fermè temporibus, Bernaboum domeſtica ſeditio peruertit. Nā Ioannes Galeatius nepos, conſobrinorū, atq; in primis Patrui ſæuitiam, prauumq; animum, in familiam, ciues, exteros perpeſſus; quâ ſe arte, tantæ, tāq; lōgæ vexationi ſubtraheret, cogitauerat. Nec aliud reperit, quàm vt in Patruum reuerentiam, in conſobrinos caritatem exueret; cum modeſtiâ, & obtemperantiâ diu peccaſſet, nouaſq; veteribus iniurijs prouocaſſet; quòd ferè patientia temnatur. Conſilij ambiguum, intimi familiarium firmabant: Deponeret ſegnitiam; & patriæ, ac ſuorum vindictæ accingeretur. Idem

Frāciſcus iterum in Veronenſes, & Ciuitatē capit.

Io. Galeatius Bernaboum peruertit.

omnes

omnes cupere, quibus aliqua honeſti cura: & vrgere, vocare, conqueri. Quę enim auidè deſiderantur, nunquam ſatis feſtinantur. Externos, ſuperbiâ, auiditate, frequentibus bellis nullâ causâ illatis, infenſos; ſubditos impotẽtiam, ſæuitiam, libidinem, onera inſolita horrere. Nec ad vindictam procurrere; quòd nemini flagitij impunitas, niſi Bernaboi, ijsq; quibus ipſe iuſſerit, eſſe poſſit. Aggerebantur cædes innocentium virorum; nec tacebant ſtructas nepoti à Patruo inſidias; & finem ſuorum cum voto & curâ habitum: Sed fortunâ obſtitiſſe, aut puſillanimitatem. Iam etiam apud inuiſum virtutes odio habebãtur; modeſtia ignauiæ, prudentia torpori dabatur; Et cum obuia vitia ſpectarentur, ſocietate virtutum ſubſtitiſſe negabantur: Simulationem, aſtum, fraudes, malas curas appellabant. Vbi ſatis amicorum, & toto dominio eandem voluntatem accepit (plures enim nomina facinori dederant, & plerisq; nouæ res pro honeſtis habebantur: non enim interpretari magnas curas, tempus aut occaſio ſinebant) Quadringentis equitibus Papiâ profectus, famâ Religionis Vareſium ſe procedere euulgauit. Flexit tamen Mediolanum, velut per officium Patruo gratificaturus. Iuêre obuiam conſobrini duo, Bernabois filij, Patre medio excepto; aut ſanguinis amore, aut fato abſtracti: Quæ ferè affinium diſcordias intercurrunt. Ioannes Galeatius ſigno ſuis dato, Patruum fræno abreptum, ac filios captiuos iuſſit, duciq; in Trecij arcem, arctâ cum cuſtodiâ; tantâ animi conſtantiâ, vt fortunam arbitrio habere videretur. Bernaboum minas ac preces miſcentẽ, ne reſponſo quidem dignatus eſt, flagitij verecundiâ; aut indignationis oſtẽtatione. Nam longo vſu reuerentiæ aſſueuerat: Quæ vbi diutius hæſerit, non niſi cum vitâ amittitur. Abducto à ſatellitibus Bernaboo, celeritate opus erat. Plurimi quippe veteris Domini miniſtri compræhenſi, & in vincula ducti ſunt: Accurrentibus populo, ac nobilibus ad ſpontaneum obſequium. Nec quidquam inhumanum videbatur adeo, vt præterita Bernaboi flagitia adæquaret. Et exſoluere ſe imputatione antiquæ ſeruitutis erga Patruum videbantur, quòd præceptum deſciſſionis non expectaſſent; ſed laude & gloriâ incitati, cum excuſatione ſingulorum, Ioanni Galeatio aſſuiſſent. Orto die Portæ Romanæ Arcem, nemine obſiſtente accepit: Milites ſponte conceſsêre, ſiue perfidiâ, ſeu nihil ſpei reliquum crederent. Auri, argẽtiq;, aut informis, aut opere figurati, currus ſex; numeratæ pecuniæ aureorum Septingenta millia reperta. Hac velut immensâ opum acceſſione; iniquæ publicorum onerum rationes; nondum in Fiſcum relatæ, flãmis exuſtæ ſunt. Quod pulcherrimum donum, in plures annos, magnâ commendatione extulerunt. Bernaboi caſum, etiam cęleſtia monita docuêre. Nam frequentibus fulminibus, Patris ac filiorum ædes, tactæ è cœlo, & impetu ventorum, Anguis inſigne familiæ, è ſublimi deiectus eſt. Fato potentiæ rarò ſempiternæ, aut diuturnæ ſunt; maximè vbi ad ſummum deuenêre, faſtidio ſeruientium, impotentiâ Dominorum, & rerum omnium certo quodam orbe, referentis ad ſuæ originis modum vniuerſa. Quamuis opinione ac famâ ipſâ Bernabous accuſaretur, & digna factis recepiſſe crederetur; Ioannes tamen Galeatius,

Bernabous nepotis captiuus.

officium

officium ratus, ſcripſit ad Italiæ Principes literas, ſæuitiam Bernaboi in ſubditos, in ſuos impietatem, inexpletam regnandi cupidinē, & ſi quæ conciliandis animis idonea, aut ipſe iniqua crediidiſſet, criminatus. Nec erat qui excuſaret, dum timeri à ſuis, quàm amari maluit; exteros metu, quàm officio proſequi. Sic ſenio ac languore ſuperatus, eodem carcere, cum filijs, fato, ſeu vi conceſſit. Fuêre qui Franciſcum impietatis in Socerum accuſarēt; quòd non armis, non amicitijs, non precibus, caritatem teſtatus foret. Sed maior in Ioanne Galeatio vis, plures amicitię, contumax aduerſus gratiam animus erat, quàm vt vrgeri, aut ad libertatem Bernaboo reddendam cogi poſſet. Etiam fraudem deprehenderat; Nam cum Scaligero decertaret, vt extrema Cremonenſium tutaretur, caueretq́; Soceri inſidias, per fidiſſimos monitus fuerat. Sed non crediderat: & imprudentiam opinatus eſt, conſilio aut bello libertatem ſenis promouere; quibus aut fruſtrâ niteretur; aut grauiora auerſantem, ad præcipitia conuerteret. Poſtquam tota Mediolanenſis ditio, Ioanni Galeatio acceſſit, Franciſcus Papiæ agentem, ſucceſſus belli contra Veronenſes per literas certiorem reddidit: Vrbem eius arbitrio, ac milite ſeruari; & quandocunque libuiſſet, affuturum innouandæ amicitiæ; & ſanciendo fœderi, cui ſemel in perpetuum annuiſſet. Reſpondit Tyrannus, id ſolum ſibi ad plenam fęlicitatem deeſſe; vt cuius virtute, fortunæ ſuæ exordia, nobili victoriâ inſigniuiſſet, coram aſpiceret; conſanguinitate digniſſimum, & cui pro fortitudine, ac fide, merita redderentur. Profectus eſt Papiam Franciſcus; & regio apparatu, fraternâ comitate à Vicecomite exceptus; nullo officij genere neglecto, quo veri animi fidem teſtaretur. Bernabous ne nominatus quidem; nec Ioannes Galeatius memoriam dedecoris, aut ſui, aut Soceri recoli malebat: cauitq́; Franciſcus quæ offenderent proferre, nullo vſui aut ſibi aut defuncto. Altero aduentus die orto de inſignibus familiarum colloquio, petijt Vicecomes (neſcius enim Caroli gratiæ erat) quid ſibi Leo, ſcuto Gonzagorum additus præmōſtraret: Neq; enim ea Gonzagæ familiæ, vetera decora eſſe. Subdidit Franciſcus, honori ſuo id à Cæſare conceſſum; vt neminem in poſterum lateret, per quem inclinatæ res ſuæ ſurrexiſſent; & quantum præſidij in eo Principe ſperare potuerit, qui communem ſerui nobilitatem, conditionemq́; voluerit. Tum Vicecomes, eandem ſibi fouendæ Mantuanorum Dominorum familiæ neceſſitatē eſſe, affinitate, meritis, virtute, ſubiunxit: Et quando Vicecomitum ſplendorem, ſuo adijcere non pœniteat, orare exequeretur. Siquidem nemini pudendum, eos in familiam inſignibus adſcire, quos ante pares conſanguinitate iudicaſſet. Sed fidam certamq́; amicitiam poſcere; vt quomodo ſignis nectuntur, ſic affectibus illigarentur. Paruit Franciſcus; addiditq́; templis, ędibus, vexillis, armis, Mediolanenſem Draconem. Credidit nempè vano colori; eoque etiam à ſuis obiurgatus eſt; quòd non niſi potentiorum fauore vti debuiſſet; nec iniuſſu Imperatoris, Regia inſignia, minori commaculare. Hanc vt inferioris nobilitatis oſtentationem, breui duraturā, prudentiores Mantuani præſagio acceperant. Sed multa impetu admittuntur, quæ

Franciſcus Papiam.

Franciſcus ſuis inſignib⁹ addit Vicecomitis Draconem.

quæ vbi matura deliberatio accedit infecta cupimus. Accedebat reputatio, breuis Vicecomitum potentiæ: quòd non ſuâ vi niteretur; ſed torpore Imperatorum, in licentiam elata foret: Adeo, vt ne Cęſarem Dominum quidē, niſi ſubmiſsâ voce appellaret. Pariter Vicecomitis ac Franciſci diuerſi mores erant; quibus arctam amicitiam intercedere poſſe, nemo credebat. Nec deerant qui flagitio quæſitam dominationem auerſarentur; quærerenturq; fœderis profani & infidi connexionem. Obſeruauerant oculatiores, malas ſpes, cum inter epulas iocosq;, anxius alienę fortunæ, inſatiabiliter requireret; quot Mantuanorum millia arma ferrent, quot Arces, Oppida, Villæ ſubeſſent; qui Senatui, qui Domino reditus annui forent. Deniq; quibus fœderibus ſeſe defuncto Ludouico patre obſtrinxiſſet. Impudētiam vocabāt; ſed præ deſiderio dominandi, ſcelerum vniuerſa in vili habentur. Mediam Franciſci lætitiam, męſtus Ferrariâ nuncius turbauit, delato Alberti Eſtenſis obitu: In quem vt conſanguineum dilectio, pietasq; erat, plurium annorum profeſſione, vſuq; probata. Parentandi officio erga optimum affinem teneri ſe Franciſcus credidit. Quæ cauſa virum Mediolano in Patriam reduxit. Funus oſtentatione pietatis, & principis munificentiæ, maximè celebre fuit. Oſtentati publico Eſtenſium proceres; quiq; Ciuitatem ſpecioſo Marchionum titulo poſſederant. Earum quoq; effigies additæ, qui conſanguinitate iuncti, acceperant, reddiderantq; decorem. Plena luminibus templa, & in modum meridianæ lucis, quamquam denſis tenebris obducta, radiabant. Claudius Arriuabenus, meditato argumento, originem gentis; & quæ nobili inſtinctu domi, foriſq; per ſummam virtutem egiſſent proſecutus eſt. Id præcipuè commendatione dignum occurrebat, quòd Claudius militiæ artibus, primâ ab adoleſcentiâ inſtructus, dicendi artem, cui gratia ſonusq; venuſtatem indiderant, inter turbas non dedidiciſſet; ore ac ſermone decorus, & ſingula referens, vnde gentis gloria emergeret. In Rugerium, quem poetæ inanibus proſequuntur, familiæ originem referens, & ad Albertum integrâ ſerie deducens, cuius è poſteris haud dubiè cenſebatur. Neq; eadem vniuerſis Scriptoribus, nobilitatis origo credebatur. Sed apud pronos, laudes facilè, apud auerſantes obtrectatio admittuntur. Vix dolor externus conquieuerat; & quæ Ferrariam, præcipuasq; Longobardiæ Ciuitates, contagio exercuerat, Mantuam quoq; afflixit: Non eam quæ Ludouici æuum turbauerat; non veteres & domeſticas clades ſecuta; ſed augmento miſeriæ, cunctas ſupergreſſa. Quod humani diuiniq; auxilij erat tentatū: Largitionibus, ſupplicationibus, peruigilijs cœleſtis ira deprecata. Et ad humana verſus Franciſcus, Medicos ac fomenta languentibus, ſummâ pietate largitus eſt: Ne ſi præſidia deficerent; negligentia, contemptus in Principe culparentur. Cura eò valuit, quòd biennium effuſa labes, cum non ſexui, non ætati, totâ Italiâ pepercìſſet, tertiam ſolummodo partem viuentiū abſtulit. Et Bononiam, mox Flaminiam peruagata, Rauennæ ſubſtitit. Nō minori ſæuitiâ, Veronenſes, Brixianos, Parmenſes; ac quos retulimus Bononienſes habuit: Non ſitu, non cęli diuerſitate fracta, aut in mitius verſa.

Peſtis Mantuæ.

Hetru-

Hetruriæ, ac regionum Italiæ, quæ ad Meridiem inclinantur, eadem iactura fuit. Sed mares præcipuè abrepti; ſiue luxus illos, ſiue tacita pernicies ſexui infenſa corrumperet. A ſuperis immiſſum flagellum videbatur; adeo quidquid præſidij, artiſque fruſtra erat. Captâ à Franciſco Veronâ, Vincentia ſupererat, recentem ſeruitutem vicinio metuens. Nec credebatur potentioris vires toleratura; quòd Veronenſes non ſuffeciſſent. Id graue erat: Sed angebat præcipuè vulgatum inter ciues fœdus; quo capti Veronenſes Vicecomiti debebantur, Vicentini Carrario Pataui Domino cedebant; in quos ille recenti irâ, & veteri deſiderio ferebatur. Carrarium Ciues multis iniurijs acceptis capitaliter oderant: Et præcipuè quòd libertatem æmulatos, primus in ſeruitutem retrahere conatus foret. Ergo priuſquàm hoſtem reciperent, ſemet velut impoſito præſidio muniuêre, miſêreq; ad Galeatium Vicecomitem oratores, qui Ciuitatis nomine, acres Carrarij iniurias, populi voluntatem, proprio excidio compoſitam, ne hoſti ſeruire cogerẽtur, docerent. Et quò preces facilius acciperentur, ſeq; ac totam ditionem, Vicecomiti libenter acceſſuros ſpopondêre; æſtimatione Domini, & minoris, & infenſi. Ioannes Galeatius ſatis meminerat, quid belli initio Carrario promiſiſſet; ſed occaſione, tempore, cupidine Vicẽtinorum, inhonora & diſpendioſa nouerat. Simul plurima ſucceſſu componi, quæ ſtatim intoleranda videantur: Pariter oblatam occaſionem ſi negligeretur elabi. Sic Vicentiam celeri itinere profectus eſt; acceptoſq; in fidem Ciues, magnâ comitatis & modeſtiæ demonſtratione admiſit; palam pro Carrario, tacitè pro ſe nixus: Sparſis etiam per Vrbem, qui conſilia, & exhortationes repellerent; ne quod conceſſerat, ambitu ſibi adſciſcere videretur. Eo in Senatu, virtutem, vires, prudentiam Carrarij miris laudibus attollente; qui iuſſi fuerant obturbabant; quaſi cum Ciues vellent, ipſe inuitus potentiam acciperet. Species pro Vicecomite, res pro Carrario erat. Neq; enim obiecta, atque adeo in manus tradita auctoritas, pro nihilo haberi exiſtimabatur; vt quæ etiam furto quæſita grata foret. Nec deſtitit Carrarius datam à Vicecomite fidem, violatas conditiones belli (nam pars periculi, viriumq; fuerat) & laborum pretium in alium tranſlatũ lamentari; ſed irritis queſtibus, quęq; frequentius, ac diutius repetita, addidere ſuſpiciones, & vniuerſæ familiæ perniciem accelerauêre. Nam Vicecomes obiectâ veritate, ſupra quàm credebatur offenſus, indignationem intendit, eo acriorem, quò in potentiorem erat. Ergo ne neceſſitate inductus, quæ ſine labore acceperat, tradere cogeretur, Ciuitatis alienationem, priuata Carrarij odia, conditiones, expugnationis, non deditionis prætextui ſumebantur; ſi vera, aut vero proniora fotione, cum improperatione; ſi falſa, & in ſpeciem affecta, cum odio. A queſtibus ad minas, ab his ad arma progreſſi ſunt. Nullis enim blanditijs, aut Vicecomitis promiſſis, abolere memoriam tranſlatæ Vicentiæ Carrarius poterat: per aperta, per ſecreta, ab amicis ac vicinis arma in fœderum corruptorem, poſcens. Nec Vicentini mutatâ pridem fide, aut Eſtenſis bellum aſpernabantur. Qui tamquam minores, & ad iniurias potentioris expoſiti, ſpem

Vicecomitis & Carrarij bellum.

Digitized by Google

ſpem ac metum inter hærebant. Quantum enim Vicecomiti deeſſe, quo minus, totius Longobardiæ Imperium, amotis infirmioribus requireret? Quidquid Alpium decliui, & Apennino inſidet, iam ſubditum. Mantuam, Ferrariam, Patauium, & pauca Venetorum ſupereſſe. Nec diù abſq; Domino futura; ſi pudorem rapinarum, fauſtis euentibus, fronte deterſiſſet: quē non Patrui, non conſobrinorum cædes affecerint; aut ſi qui petantur, minus concordes, occaſionem irrumpenti Tyranno aperuiſſent. Hæc aliaq; in maius aucta, non deerant qui Ioanni Galeatio deferrent, metumq; ingererent, poſſe multitudinem deſtinatis obſiſtere, & fœdera etiam parta detrahere, niſi prior cōſilia hoſtium, præueniſſet: & verâ formidine oſtentatâ, ad ſua defēdenda conuertiſſet. Itaq; falſis ſeu veris cauſis euulgatis, bellum Carrario per literas indicit; quem iam ira, & deſperatio, præcipitem agebant; iniurię ferendæ neſcium, & deſiderio promiſſæ Vicentiæ languentem. Quæcunq; vires Flaminiâ, Eſtenſi, & minoris ordinis vicinis erat, Patauium auxilio accurrêre. Quidam Malateſtam Ariminenſem, profectum cum pluribus bellatorum millibus, referunt. Franciſcus inter tot iratos & potentiores medius, quamquam Vicecomiti hæſiſſet, futuri incertus tamen, & quæ moderatio victoris expectaretur ambigens, licet virtuti ac prudentiæ inſiſteret, fortunæ arbitrio tamen ſe ſuaq; permiſit. Validiſſimis aduerſis, etſi virtus in integro, cætera non reſpondent. Quod tamen ex vſu fuit, Vicecomiti vt potētiori, & cui multis nominibus illigabatur obſtringi placuit. Iudicium in viro fuit, caſum Carrarij & Vicecomitis progreſſus præuidiſſe. Vniuerſis qui pro Patauino fuerant, non ſpes, non ira; ſed æqui cura, & fœderis vlciſcendi, quod Vicecomes effregiſſe dicebatur. Nec minus Ioannes Galeatius, peditum, equitumq; apparatu, quò confederati conuenerant, Patauino agro inſedit. Veneti propinquitate moti; & ne tracta illuc diſcordia, maris etiam intima carperet, ſollicitudine primùm, mox conſilio, ſibi ipſis non defuêre: Vt qui occaſionum ſtudioſiſſimi, nîl per ignauiā lābi finerent. Quæ hoc bello tranſacta ſunt, proprijs ſcriptoribus tradita, hîc tranſponere ſuperſedeo; ne externorum ſtudio, inſtituti ratio ſuperetur. Bellum Venetis Vicentiam, Vicecomiti Patauium tulit. Sed temporum viciſſitudine, ad hunc, illumve; pace, bellòue tranſiuêre, maiori ſuo, quam dominantium exactorum incommodo. Nam frequentes Domini; vt non diù in Imperio futuri, ſubditos conuellunt, & velut pœnam reddituri, præueniunt vindictam, ſæuitiâ, auaritiâ, libidine, belli præmijs. Acceptum Patauium Vicecomes, velut per ſomnium habitas opes reputabat; neq; diu ſibi futurum credebat, Venetorum virtute ac prudentiâ; nec minus ob Gonzagos in medio ſitos. Nam ne præualidum metuerent ſuſpicabatur. Sed fractus Carrarius, & Veneti nondum quid amplexuri forent manifeſti, ſpem viro addiderant, poſſe proxima quæq; ſub Dominium accipi. Hinc potentiâ tumidus, aliena vt ſua metiebatur. Cogitauerat haud dubiè Franciſco inter ancipitia bellorū vti; & ſpecie caritatis conſanguinitatiſq; merſare periculis, expenſis, turbis; quas inter potentiam amici vireſq; perderet; vt in tempore etiam inualido

Man-

Mantuano potiretur. . Et Veneti manifeſtâ ſuperbiæ coniecturâ miſſo Cla-
ro Paſqualigo Gonzagam monuerant, cauere potentioris amicitiam, eiq́ue
familiaritati ſeſe illigare, quæ ſeruitium acceleraret. Sed qui pro Ioanne
Galeatio coram curabāt; eadem in Venetos retorquebant; docebantq́ue fi-
liorum parentes hæredes eſſe. Ipſe cum Vicecomitem anteferret, Venetorũ
conſilia non reiecerat: Sed intacto agro, non imminuto milite, non proiectâ
pecuniâ, totus futuri erat. Fama prudentiæ latius euagata eſt, quàm vt in-
tra Longobardiam ſubſiſteret; Cum enim Reipublicæ Florentinæ patritij,
natis intra viſcera ſeditionibus exercerentur; eò vſq; Strozij vetuſtæ ac ho-
noræ originis nobiles proceſſerant; vt cum vniuerſa Patriæ, arbitrio tracta-
rent; in Tyrannidis ſuſpicionem inciderent. Pulſo enim Benedicto Alberto,
Strozij. ſiue ea mens Strozij, ſiue Senati voluntas eſſet, ſoli ardua negociorum obibāt,
auſi Patres arcere Curiâ & in vinculis conſtitutos, arbitrio exoluere. Quod
vbi æmuli depræhendêre, ne vnius exactio, alterum prudentiorem include-
ret; Thomam Marci Strozij filium, licētiâ auctoritatis ad frequentē Senatus
contemptum prouectum obſeruauêre. Id proximè excidio Ciuibus erat. Ille
ſalutis ſuæ, & amicorum poſtulatis conſulturus, magnâ auri vi, Mantuam
venit. Exceptus à Principe, & cumulatè pro generis claritudine, cæteris
antelatus. Mox amore Vrbis, caritate populi illectus, pecuniam mercandis
agris omnem impēdit; & ductâ vxore Iuliâ Maleſpinâ, ſuſceptisq́; ex eâ libe-
ris (quamquàm ſuperatâ Florentiæ inuidiâ, eôq́; reuocatus) ſedes nouas ve-
teribus antehabuit. Propagata in præſentem familia, non Comites ſolùm,
ſed & Marchiones habuit, ſecuto Principum in Thomæ poſteros fauore.
Cęterùm ſparsâ per Europam proſapiâ, ciuiles diuitias ſupergreſsâ potentiâ,
& raris in domo Principibus Clericis, vt vetuſtate, ſic per bonas artes quæſi-
tis opibus cōmendatur. Cum ductores exercituum, Patriæ arbitri, ad ſum-
mos Reges oratores, liberalium artium cultores, Mediceis etiam iam ſum-
mam fortunam tenentibus, neceſſitudine illigati plurimi numerentur.

DOCT.

ANTONII POSSEVINI IVNIORIS
PHIL. ET MEDICI MANTVANI
GONZAGÆ
LIBER QVINTVS.

ROMA

BREVIARIVM LIBRI.

VICECOMITIS filia, Galliæ Regis fratri magná dote nubit, & à Franciſco deducitur. Caroli Malateſtæ mors. Franciſcus eligitur Capitaneus Mantuæ, & Veneti D. Marci filium dicunt. Franciſci coniunx impudica; cum adultero à marito punitur. Eius cum Pontifice fœdus. Patauium, & Verona à Vicecomite ad Carrarium fruſtra deficiunt; Duce Franciſco. Huic Vicecomes Aſolam vendit, Oſtiliam pignori tradit. Florentini Franciſcum amicitiæ requirunt; Eſtenſis inſtat, ideoque obtemperat. Vicecomes Aſolam armatá manu recipit; & agrum Mantuanum inuadit. Mincium Mantuá auertere fruſtra nititur. Franciſci cum Margaritá Eſtẽſi nuptiæ: & Aldæ Agnetis filiæ cum Carrario. Cum Vicecomite induciæ. Imperator firmat Gonzagis Boëmica inſignia. Arx D. Georgij extruitur. Bombardarum inuentum. Ioannes Galeatius Dux Mediolani dictus, à Venceslao Cæſare; Denuòq; Mantuanos infeſtat Duce Verme, ac Biancardo. Excinditur Pons ſupra Padum à Mantuanis extructus; eorumq; ad Burgofortum clades. Fœdus Venetis, Florentinis, Eſtenſi, Gonzagæ. Naualis contra Vicecomitem victoria, non longè Gouernolo, & terreſtris ad Burgofortum contra Vermem. Hic fugiens Mercariam capit, & ſeptingentos captiuos Mediolanum ducit. Induciæ decennales; & Mantuanorum voti exſolutio ad D. Agnetis. Peſtis Mantuæ. Franciſcus Hieroſolymam voti causá. Margaritæ Franciſci coniugis mors. Franciſcus pro Maleſpinis apud Vicecomitem intercedit. Venceslaus Imperio exigitur. Roberti

GNARA Vicecomiti, non Venetorum ſolùm, ſed & Franciſci conſilia erant: Diſpoſitis per Aulas procerum exploratoribus; qui vniuerſa perſcriberent. Sed maiori mole ac prudentiâ erat,quàm vt corrueret,& profiteretur. Proinde cũ nihil viribus ſuis impoſſibile per Italiam crederet; Regiam auctoritatem præferre, Venetos ne amicitiæ quidem requirere, Gonzagos vt adminiſtros reputare, exteros omnes vt imbelles, nec in tempore affuturos, contemnere. Eadem Galliæ, Angliæ, Cypri Regum opinio erat; quam ipſe faſtu & ſeruitiorum immenſitate nutriebat. Mox vbi ſuperbus animus vires ſuas æſtimauit, diſſitos Reges ſibi conſanguinitate illigare; non inani animo concepit. Habebat domi filiam, formæ elegantiâ, & morum ſuauitate ſpectatiſſimam: quam non niſi regiæ ſtirpis viro tradere, approbandæ potentiæ, decreuerat. Omnium qui minori nomine eſſent, eadem repulſa fuerat. Itaq; pecuniâ enixus, Gallorum Regis fratri, quem muneribus euinxerat, puellam nuptui tradidit; tractâ in plures dies negociatione; quod Rothomagenſis Antiſtes operam ſpopondiſſet. Dos & gemmæ, immenſæ quidem erant: Sed qui deduceret, ac nouam nuptam comitatu ornaret, non ſuppetebat. In eo tamen quidquid exiſtimationis, ſitũ credebatur. Vnus Franciſcus occurrebat, cui Ioannis Galeatij & Galliæ Regis honos, committeretur. Nec tamen orare virum auſus; ſed familiaribus literis queri; quòd Principem ex voto non reperiret, cui nubilem filiã in Gallias, regiâ pompâ deducendam crederet. Se longius à Patriâ abire, ex ſuâ, aut ſuorum vtilitate non eſſe: attamen ductore egere, qui patris vices impleat;non accepturus magis,quã daturus officio dignitatem. In æquo rem velle: quòd accipiant alij, alij largiãtur. Sufficere deſiderio, ſi vtrinq; pares, communione honoris,ſuam cauſam promoueret. Franciſcus dignitatis & conditionis memor, licet conſanguineo pronus; non tamen in promiſſa lapſus eſt; Sed Vicecomitum ſplendorem, ætatem, curaſq; familiares pulchrâ excuſatione obiecit. Spem tamen Ioanni Galeatio dedit, vt audaciæ inſiſteret, ſibiq; permitteret; quod obnixè, amotâ verecundiâ petijſſet. Non hæc tamen rudi ingenio ſatisfactura erant; niſi quæ pompoſâ in ſpeciem oratione efferebantur, ad id quod poſcebatur, flecterentur. Vetus dominantium conſuetudo eſt, vt quamquam ſeruitium prono obſequio velint, iubendi tamen onere premi nolint; cupiantq; per ſecretum intelligi, quæ vix expreſſa interpretêre. Senſit non ignarus prudentiæ, rem vt ſumebatur potius, quàm exprimebatur; auſuſq; eſt, opinione firmatam cupiditatem exerere, per literas; lætitiæ impetu potius, quàm modeſtiâ dictatas. Totâ Italiâ neminem ſuorum, multò minus exterorum, æquè probatũ,fide,

nobilitate: Talem à ſe, deſiderari potius, quàm orari par fuiſſe; fiduciæ tamen, mutuæq; caritati; necnon conſanguinitati accidiſſe, vt cupere & poſcere, inter ſcelera non habuerit. Non enim ſuam ſuperbiam; ſed in Galliæ Regis, & Generi gratiam magno amico vti: vt tanquam dato pignore, amorem, fidem, debitum, profiteretur. Præcepit orationem Franciſcus; ſeque breui Mediolani futurum promiſit, vbi itineri neceſſaria, comitatumq; nominatū inſtruxiſſet. Annus erat Salutis Milleſimus tercenteſimus octuageſimus nonus, cum Franciſcus Quadringentis equitibus comitatus, ſibi, Vicecomiti, ac Regni Galliæ honori, Mediolanum delatus eſt. Hos inter nobiles viri, & antiquæ apud Vrbem nobilitatis Centum numerabantur. Obſtupuêre Mediolanenſes, & pompam, & anguſtias temporis, quibus vſus Franciſcus, Regiam potentiam æquauerat. Et Valentina ſponſa, non alio Duce, tutius ac ſplendidius deduci credidit, quàm quem, fors ſpectatiſſimum obtulerat. Franciſco alij velut miniſterio acceſsêre; diſpari tamen animo; & velut in Gallias Italiæ ſplendorem inducturi. Ferebantur in dotem aureorum Quadringenta millia; ſimul conceſſio Ciuitatis Aſtenſis; necnō Arces, Oppida, Villæ totius Prouinciæ, olim Ciuitatis iure vſæ. Quæ alliciendo Gallo Rege valida occaſio; & retinendo non anguſtæ vires erant. Mediolanenſes ac Sabaudij, magno diſpendio Regiam amicitiam parari, diſtrahi partes imperij velut fortiſſimos artus, nullo Imperatoris placito, cui inter Longobardos iuriſdictio eueniſſet; conceſſum ditionis terminum, lamentabantur: Didiciſſe non ſemel Italiam, quantum tranſalpinis fidei, & ſuis virium eſſet. Impoſſibilem quietem, ſi turbidi miſcerentur. Franciſcus contra præcipere; vix nobilitatem vireſq; niſi magnis coniugijs accedere. Aſtenſem Ciuitatem poſſeſſionis minimam partem eſſe; & comparando decori; etiam Foſſanum, & Vercellas benè cædi. Et peruiciſſet; niſi Rex pecuniæ magnitudine ſuperatus annuiſſet. Illud prudentiores ſecus ac dicebatur interpretabantur. Velut Gonzaga imminui potentioris conſanguinei potentiam gauderet: quam ſibi cæteriſq; infirmioribus, aduerſam in tempore futuram opinabatur. Et cum ſententijs certaretur, vicit ambitio, & Franciſci conſtantia; vt abnuente Rege conditiones, opulentiora concederentur. Sed & ſi pęnitētia obueniſſet, tranſacti negocij nulla retractatio: Et cum pace ſecuritas à Rege; Vicecomiti, cum apertâ iniuria, certum exitium ſperabatur. Vt Pariſios ventum, effuſi obuiam Principes, nobiles, plebeij, inſolitum aſpectum, comitatem, pompam admirabantur. Sed nihil æquè cunctorum animos detinuit, ac Franciſci ſeruitia, munificentia, decor; magno Principe digna. Erant qui Principis reditus, ciuium Mantuanorum potentiam, tranſacta per Italiam bella ſubtraherent; crederentq; impoſſibilem expenſam; quā tamen vſus, omnium expectationem ſuperaſſet. Neq; illi æs alienum conflatum fuerat, fidemve conſumpſerat; ſed ſuo vſus, dedit experimentum, maiores ſibi opes, vulgatis eſſe; licet palam modeſtè res ſuas proſequeretur. Quo maximè Principes inſectatione dignos cenſeo, quòd reditus, theſauros, quæq; ad potentiam, ſpeciemq; comparantur, in maius tollant,

Franciſcus deducit in Gallias Vicecomitis filiā 1389.

lant,

lant; ſuis exteriſq; imponere credentes; neſcij, quæſtus, erogationes, ſtipẽdia, prouentus à vili quolibet, certius ſciri, quàm à Principe: nec vulgatam cenſuram fallere. Expleto nuptiarum ſolemni, Franciſcus Papiam reuerſus eſt: Relicto ſui apud Proceres Gallos, ingenti deſiderio. Quæ omnia Ioanni Galeatio cognita; non tamen ſuperbiâ turgentem hominem molliuêre; vt gratitudinem promeret, fatereturvé. Satis habuit de rebus Gallorum quærere; vtq; filia excepta, & quo cultu habita foret. Tandem Mãtuam redijt; vbi à coniuge ac ciuibus deſideratus, vniuerſos expectatione laſſauerat. Hæc in ſequentia tempora egreſſa, continuatione hiſtoriæ proſequi libuit: vt quibus apud Ioannem Galeatium, meritis, odijq; cauſis fuerit, innoteſceret, eius fidem, Mediolanenſis inſidias accepturis. Vix Mantuam attigerat, & nouo ac domeſtico vulnere ſauciatus eſt, accepto Caroli Malateſtæ exitu; cui duos ante annos ſororem deſponderat. Dos Viginti aureorum millia dicta, fuerat; & nobili erogatione, inter nuptiarum feſtiuitates exſoluta. Iſabella (id puellæ nomen) luctu coniugis, & longè à domo, inſolabiliter caſum ferebat; Proinde regredi, ad ſuos, & paternis laribus vti iuſſa. Reuectam omni officij genere proſecutus eſt; inſigni illius plures annos in fratrem caritate: Nec ſecundis nuptijs, quamuis obnixè rogata, vnquam cõſenſit: Sed intra fratris arcana, ſtabili ſubſidio tolerare ſatis habuit. Carolo Piceni, ac Flaminiæ pars magna ſuberat: cui virtus & bellica gloria, natalium nobilitatem commendauerant. Reditu ſororis illicò domus in partes diuiſa; fœminilibus æmulationibus; huic aut illi pronis ſeruorum animis. Ioannis Franciſci coniunx, faſtu, & morum licentiâ, Iſabellæ inuiſa erat: Et quia prudentia hortabatur, monebat, carpebat, improperabat; indecere Principem coniugem, ijs inſiſtere, quorum domi exempla non offerantur; pudicitiam ſecreto niti; publico, ac petulantia, quòd minimum, famam conſumi. Illa peruicax, & admonitionum intolerans, diſcernere ſeruitia, ſeiungi cubiculis, non auerſum ſorori fratrem, extimulare. Hinc ſuſpicio viri, de ſororis ſanctimoniâ manifeſti, quaſi bono iure, coniugis moribus intonaſſet. Iam quinquennium exceſſerat; nec Mantua, cum facto Dominum haberet, iure Capitaneum præferebat: Licet vires ac potentia in Franciſco; nec eſſet qui ius Senatus, populi auctoritatem, vetera inſtituta requireret. Quo electus modo fuerit, haud ſatis conſtat; iuſſeritné, an rogatus acceperit; Nam vtrumq;, mole ſua, in poſſibili erat. Collatum tamẽ officium, è veteri codice; cui Mantuæ indubitata fides eſt, hũc tranſtulimus.

Mantuam redit.

Iſabella Caroli Malateſtæ coniunx.

Die Lunæ, quintâ menſis Octobris, Indictione Vndecimâ, Milleſimi tercenteſimi octuageſimi octaui: Ipſa Ciuitas, populus & vniuerſitas Mantuæ; necnon omnes Antiani, & Sapientes, iuxta ſolitum congregati, crearunt ſupraſcriptum Magnificum Dominum Franciſcum, filium quondam præfati Mag. & Excelſi D. Ludouici de Gonzaga, in eorum Capitaneum, & Dominum generalem. Ad hanc Capitanei creationem, interuenerunt ſpectabilis miles, Dominus Caſtellinus de Beccaria, eiuſdem Ciuitatis Mãtuæ Poteſtas, & Iuris peritus, D. Ioannes de Baldachinis de Parmâ, Vicarius præ-

Franciſcus eligitur Capitaneus Mantuæ. 1388.

fati D. Poteſtatis. Ac Domini Antiani, & Sapientes ipſius Ciuitatis; quorum nomina ſunt infraſcripta.

Sapiens vir Dominus Ioannes de la Capra. V. I. peritus, Abbas Antianorum. Bonacurſius de Faſtis, Guido de Crema Campſor; De Quarterio S. Iacobi. Conſolatus à Strata, Franciſcus de Spighis, Franciſcus de Acerbis; De Quarterio Ciuitatis veteris. Federicus de Rozijs, Bonauenturinus de Steis, Guido de Bagnolo; De Quarterio Sancti Martini. Bartholomęus de Monſilice, Rambaldinus de Monte Claro, Ioanninus de Parmâ, de Quarterio maiori.

Sapientes verò fuerunt infraſcripti: Magiſter Gabriel à Torculis Phyſicus. D. Philippus de Boſco V. I. peritus. Matthęus à Canurâ, de Quarterio Ciuitatis veteris. D. Iacobus de Coneglano legum doctor, Nobilis miles Dominus Gonzellarius de la Turre, Bartholinus de Cappo, de Quarterio S. Martini. Nobilis miles Dominus Roſinus de Cereſarijs, Bonamontus de Aliprandis, Bruſchinus de Caſtellario; De Quarterio S. Iacobi. Nobilis miles Dominus Viualdus de Cereſarijs, Antonius quondam Federici de Nuuolono, Donneſmôtus de Donneſmontis, de Quarterio maiori. Omnes ſupradicti Antiani & Sapientes, electi; ad hæc ſpecialiter deputati. Supradictus Dominus Vicarius Domini Poteſtatis, ad eius mandatum, coram ipſis orauit; & propoſuit pro vtilitate Ciuitatis Mantuę, & diſtrictus, vnum Capitaneum & Dominum generalem eligendum eſſe, iuxta ſolitum; propter mortem Mag. D. Ludouici de Gonzagâ. Et ſic legi fecit ſtatutum, poteſtatis, arbitrij, & bailiæ, conceſſæ per populum Mantuæ, dicto quondam Mag. D. Ludouico de Gonzagâ; ſub Rubricâ, de Capitaneatu Mag. Domini Ludouici de Gonzagâ, communis, & populi Mantuæ Capitanei generalis. Et eſt ſimile conceſſo alijs, mutatis nominibus. Et ipſo lecto, ſurrexit ſupradictus D. Ioannes de la Capra Abbas Antianorum; & orando propoſuit, Magnificum Dominum Franciſcum, filium q. ſupradicti Domini Ludouici, eligendum eſſe, in Capitaneum generalem Mantuæ: Laudando multum prædeceſſores ſuos; & vtilitates attributas communi Mantuæ. Poſtea ſurrexit, Dominus Philippus de Boſcho, I. V. peritus, vnus ex ſupradictis ſapientibus; & orando confirmauit dicta, & electionem fiendam, de ipſo Domino Franciſco, prout propoſuit ipſe Dominus Ioannes de la Capra. Et his peractis, fuit conuocatum totum & vniuerſum conſilium ciuitatis Mantuæ in Palatio magno; vbi ipſe Dominus Franciſcus de Gonzaga, ſeruatis ſeruãdis, more ſolito fuit. In quo conſilio interfuerunt Centum homines, repręſentantes totum populum, & vniuerſitatem Mantuæ & in ipſo generali conſilio, ſurrexit Sapiens vir, V. I. peritus, Dominus Bartholomęus Galuagnus. Et Sapiens vir legum Doctor, Dominus Iacobus de Coneglano; & arrengando conſuluerunt, in fauorem prædicti Domini Franciſci de Gonzaga. Et nemine contradicente fuit electus, in Capitaneum & Dominum generalem Mantuæ, ſeruatis iuxta ſolitum, &c. Dato Sceptro in eius manibus, per ſupradictum Dominum Poteſtatem. Et per dictum Philippum de Sauiolâ,

I.V.

I. V. peritum,& Dominum Guidonem de Crema, ſiue de aurificibus, vnum ex Antianis, Sindicis dicti communis Mantuæ, in ſignum plenitudinis poteſtatis, & inueſtituræ. Qui dictus Dominus Mag. Franciſcus inuocato indiuiduæ Trinitatis nomine, & iuxta ſolitum acceptauit. Et his peractis, ipſe Mag. D. Franciſcus, ibidem ex auctoritate ſibi attributâ, fecit exemptum ab omnibus oneribus Ciuitatis Mantuæ, & diſtrictus, Magiſtrum Gabrielē de Torculis, eius Phyſicum; & Dominum Galeaz Buzonum eius Cancellarium ſecretum; & eorum hæredes, & ſucceſſores, vniuerſales, quouſq; in perpetuum,&c. Adduntur Centum Conſiliariorum nomina; quæ nos vt parum firmitatis allatura prætermiſimus. Satis enim propoſito egiſſe credimus, ſi cæptam, conſummatamq; Franciſci Capitaneatu dominationem, vt in veteri codice habetur tradidiſſemus. Pronos in adulationem Senatores, ac ciues, ſummâ animi conſtantiâ, Franciſcus excepit; velut non accepiſſet, ſed publico potentiam oſtentaſſet. Secretorum intimi; cuiq; iuuentutem Principis familiaribus colloquijs erudiebant, collatam dignitatem aſpernari, tanquam potentiæ aduerſam volebant: Non ille tamen verbis, aut animo commotior, quod acceperat, firmari abnuit; cunctoſq; Prætorio, eâdem vultus ſeueritate, cui comitas inerat, dimiſit. Neq; feſtis epulis, aut ludis teſtatus lętitiam eſt, ſed vt rem veterem, nullâ demonſtratione proſecutus. Habito Senatus decreto, Patritij quid Franciſci prædeceſſores à Patriâ accepiſſent, Cæſarem ac Pontificem per literas ac Legatos certiores reddidêre; licet nouus Princeps, quamquàm ſuperiorum gloriam trangreſſus, in lætitiam non proruperit, ſed ſatis crediderit ſi habuiſſet, ſilentio, rebus ad alia conuerſis, negocium inuoluens. Ne pulcherrima poſſeſſio, virtuti ſuæ, auorum nobilitati, firmato iuri debita, populi aut procerum donum putaretur. Quidam neglectam Venceslai ſecordiam putant; apud quem nouerat, prauis ac honeſtis, eandem gratiam eſſe: Et ipſis dominij exordijs, non Vicarium ſe aut Capitaneum tulerat, ſed Dominum. Memini me, in eodem libro Priuilegium artis agriculturæ, membranâ exceptum legere, cuius initium ſic habet: Franciſcus de Gonzaga, Mantuæ Dominus; & totius tractus, à Regio ad Benacū Rector; dilectis agricolturæ ſtudioſis, ſalutē,&c. Sub annū Milleſimū tercenteſimū octuageſimū ſextum, Die nonâ Auguſti. Traditâ tamen dignatione, veluti exceptioni nullus locus eſſet; Vicarium ſe Imperij, & Ciuitatis Capitaneum profeſſus eſt; quibus pleraq; Diplomata, etiam ad exteros tranſmiſſa atteſtātur. Magnus ille, & veteri Romanæ Reipublicæ, diuturnitate imperij, prudentiâ, cultu religionum, fortitudine æmulus Senatus Venetus, tanquàm è ſpeculâ, Italiæ ſtatum, Principum vires, futuras ſpes metiebatur; ſuis conſulturus, & agendorum iudicia à ſucceſſu deſumpturus. Quâcunq; verterat oculos, Franciſci indoles, gliſcens potentia, magnis amicitijs nexa familia obuerſabatur; & ſummum gentis ſplendorem præuidebat. Ergo frequenti conſeſſu, primâ Aprilis, Milleſimi tercenteſimi octuageſimi noni, coacto; Antonius Venierus Dux, multa de Aloyſio, Guidone, Ludouico; plura de Franciſco proſecutus, vt 1389.

Franciſcus filius D. Marci.

mere

more maiorum, Princeps latis exordijs; & expectatione futurorum, etiam è præſentibus commendatus in Senatum adſciſceretur, petijt. Nec ignorabatur validum Principem, in ſuam tutelam ac gloriam adſcribi; & plus accipi, quàm offerri. Itaq; parte (vt aiunt) ſancitâ, miſêre nobiles Patritios, qui Diploma deferrent, & mutuam lætitiam præſentiâ teſtarentur. Excepti honorâ in ſpeciem demonſtratione; & datis muneribus ad ſua dimiſſi ſunt. Franciſcus legationem modeſtè habuit; neq; publico ſeſe obtulit, vt gratulantes falleret, & maieſtatem, decuſq; retineret. Suſpenſa interim cogitationibus Italia, opperiebatur, quid apud potentiores, de nobili familiâ crederetur: Quæ tot annos neglecta, velut è caudice, ſuis viribus, ſuâ virtute rurſus emergebat. Quantam eam potentiam fore, ſi aliquâ acceſſione diteſceret? Et quid in pace iudicandum, ſi nec bellis quidem concidiſſet. Iam Cæſares, Gallos, Vicecomites, Eſtenſes, Malateſtas, neceſſitudini permixtos, Pontificem, Venetoſq; fœderibus obnoxios. Prima dominandi exordia in arduo; vbi inceperis, & fortuna arriſerit, cætera ſtatim adeſſe. Haud vanam præſagientium coniecturam fuiſſe, ſecuta ætas docuit: Nam ijſdem artibus vſi Gonzagi, quibus Imperium Patriæ nacti fuerant, plura veteribus addidêre: Adeo vt Veneti, Patauio, Veronâ, Brixiâ, Bergomo, Cremâ, Vicentiâ, alijſq; continentis Ciuitatibus aucti; quamuis intra viſcera eos Principes habuerint, & frequens irarum belliq; occaſio inciderit, non tamen depellere poſſeſſione, aut arbitrio flectere potuerint. Niſi proferendæ dominationis deſiderium, vt cunctis affectibus maius, ſic extra Venetos cenſeatur; aut Senatus voluntatem, ſecutorum Principum commodo paratam cauſaueris; vanuſq; per ludibria credaris, eorum opinione, quæ vulgi ſenſa reijciunt. Rara certè dominatio, conſanguinitate & fide infirmioris, quàm viribus, & iudicio diu ſtetit. Pecuniâ ac milite opus; nam fides plerumq; occaſioni accommodatur: Quippe minores ad potentiorũ iniurias, ac incrementum reliquuntur; labor, expenſæ, officia erga validiores, profeſſione, non beneficio exoluuntur. Nec tamen inuictiſſimæ Reipublicæ iuſtitiam, aut ſacroſancta inſtituta conuellere animus eſt; ſed monere, raram in conceſſione imperij modeſtiam, etiam apud optimos eſſe. Quæ omnia gnara Franciſco, fidiſſimi aulicorum, & exploratores longè curantes firmabant; eoq; cum ſe Venetorum patrocinio vti, & beneficio obſtrictum fateretur, in ſuſpicione agebat; pecuniam, arma, ſocios comparando, quibus in tempore vteretur. Frequentes expeditiones, & itinera (cum modò Gallias, modò Venetias, modò ditionis extrema peteret) Franciſco occaſionem præbuêre, detegendæ in Agnete coniuge impudicitiæ; quæ luxu, cultuq; ſolutior, ſummam fortunam in licentiâ ſcelerum reputabat. Addebat Ioannis Galeatij fraterna caritas ſecuritatem; tanquàm fœditati annueret, aut depræhenſæ conniueret; coniuxvé accepto inditio, aduerſus nobiliſſimam fœminam, vt impar fortunę, mollius acturus foret. Nullus tamen aut Vicecomitem, aut Franciſcum, flagitij manifeſtos reddere, vtriuſq; metu audebat; pari diſcrimine, ſiue credidiſſent; ſiue abnuiſſent. Quamquam manifeſtius crimen

Agnes Franciſci coniunx impudica.

eſſet

Digitized by Google

eſſet, quàm vt diu tegi, aut ſimulari poſſet. Sed Agnes impotentiâ, violentiâ, ſuperbiâ ferox; etiam mariti ſuperior; ne inditia, aut probationes eluderet, formidabatur; omnibus quæ illi coram dicerentur, aut abſenti ſcriberentur, intenta; totiuſq; Aulæ arcana, diſpoſitis per negocia exploratoribus, rimari ſolita. Plures maritum ambiebant; quos aut ipſa delegerat, aut pecuniâ in omne ſcelus corruperat; vt nil quamuis per iocos aut epulas expreſſum fugeret. Verba, vultus, ſeria, etiam nugæ deferebantur. Sic aut ignaro imponere crediderat; aut ſi aduertiſſet, aſtu ac fugâ præuenire. Vtriq; parata erat, coëgeratq; vim pecuniæ ingentem, veſtem, & gemmas; quibus longum exilium, licet conſobrino non minus quam marito inuiſa, toleraret. Simul bello, aut per quietem, ſummis negocijs irretitus Franciſcus, ſimilia neglecturus; & quæ ſciri nollet, abditurus putabatur. Ante alios Alexium quendam ab intimo cubiculo, vilibus miniſterijs marito aſſiduum, auro pellexerat; vt quamuis lapſas in caſum voces, ſibi offuturas exciperet; vt ſaltem effugia tuta forent. Ciuitatis diuiſus diuerſuſq; ſermo erat, apud curioſos, & otio corruptos; nam prudentes abſtinebant. Alij detrahendam fragili iuuentæ materiam ſceleri dicebant; ſeparandos nobiles iuuenes; ætate, & licentiâ, libidini proniores: Ducendam potius vxorem, etiam inter militiam; vt quondam veteres Duces; quàm domi relictam, aut ſuſpicioni, aut impudicitiæ exponere. Neq; enim Principum cubicula tuta eſſe, vbi corruptela è domo oriatur: Pluſq; poſſe flagitium, otio, & voluptatibus enutritum, quam recti honeſtiq; vanam memoriam. Alij nullis illecebris, pudicum animum effringi; & ſi turpitudo arrideat, ſuperuacuam quamcunq; cuſtodiam futuram referebant. Principis mulieris maieſtatem, multitudine ſeruientiũ, iuuentute, nobilitate ornari: Et ſi inter tot millia vna peruertatur, non ideo, eundem reliquis animum eſſe; ſed quò nobilitas maior eſt, eò plus virtutis habere. Expeditis pugnas, & bellorum ancipitia expedire; ne vxoris ſollicitudine, formidoloſiores, hoſtibus obijciantur. Sed & Domini in propinquo ſitam coniugem: Non enim apud exteros; ſed pro limitibus decertari; vt diei itinere adeſſe poſſit. Fœminilem incontinentiam accuſandam; cui nulla ars, nulla prouiſio occurrat. Sic varijs rumoribus Franciſcus, apud ſuos diſtrahebatur; neſcius, eoq; à perditâ muliere magis neglectus. Sors contumeliam deterſit. Tacitis regiæ aulæ ſimultatibus, Aloyſius de Brixiâ, & Vincentius de Scandiano agitabantur. Aemulatio an inuidia foret, in incerto erat; quæ plerumq; Dominorum adminiſtris perniciem accellerat. Ergò validior in animo Principis Aloyſius, ſecretis primùm ſermonibus, mox inter ſocios, manifeſtè Vincentium lacerare, licentiam, audaciam; poſtremò aut flagitium, aut ſpeciem ſceleris obijcere, obloqui, cauſam diſcordiæ, & inſectationi quærere. Paucis nobilium Vincentius acceptus; ſiue ingenitâ aſperitate, ſiue ob conceptã magno crimine ſuperbiam erat. Franciſcus per cubiculi miniſtros, ac admiſſores contentiones doctus, quæq; in Vincentium cumularentur, intus attentè, per manifeſta negligentior excepit. Sed erat ſuſpicioni paratior. Nam infœcunditatem, auerſionemq; in-

con-

coniuge multò ante depræhenderat: & didicerat, pudicitiam generationi proficere. Etiam noctium imprudentia ſuſpiria, in ſuſpicionem traxerat, quæſita enim veritas, emendicata occaſione innotuerat. Itaq; vocatos iuuenes Aloyſium temeritatis, Vincentium ſuperbiæ causâ admonuit: & tanquàm nîl accepiſſet, hortatos ad concordiam, dimiſit; vultu adeo compoſito; vt ignarum, aut oblitum facilè crederes: Sed intentus ſingulis, certitudinem expectabat. Obſcuro noctis, & amotis cæteris cum Agnetis ſtolidæ otium, luſusq; Vincentius oblectaret, Aloyſium obiecti amico criminis requirit; quibusq; coniecturis vſus, tantum facinus aſſecutus ſit, edicere iubet; ſecuritatem, ac magna detecti dedecoris præmia oſtentans. Ille veniam in præteritum poſcens; quod cis bellum Veronenſe, cis iter Gallicum ſiluerit, incuſtoditam Vincentij aſſiduitatem, ſeruitij ſecretum, totius domus ſuſpiciones, & cunctorum dolorem retulit. Mox cætera proſecutus, præcedentem inopiam, recentes diuitias, nullo manifeſto incremento adauctas, & malè cęlatas memorauit; quæ non niſi ſcelere comparari potuerint: Sed ſacrilegium potius placere, caritate Dominæ in ſuſpiciones leuiores tractus. Addit teſtes inculpatæ fidei; qui rem ordine, & turpitudinem velut exprobrantes docuêre, conſentientes & contexti. Hos inter hortorum cuſtodiæ additus Villicus, & ſeruili verbere, iuſſu Agnetis iniquè pulſatus, quod iocos Vincentij obſeruaſſet; etiam locum oſtendit. Adeo cum diſcrimine eſt, atrocia committere; vt non minus periculi in conſcijs ſubſit; quos opporteat, aſſiduâ munificentiâ, ac licentiâ, ſecretum orari. Sed apud prudenter ſceleſtos, teſtibus ad voluptatem opus non eſt; & pro hoſtibus perdunt. Vbi ſatis probationum, & qui conuincerent reperti; mittit Centurionem cum militibus, qui Vincentium vincirent; & remotiſſimæ ædium parti occluderēt. Ipſe Agnetem, ſecreto & impenetrabili cubiculo ſiſtit; vt non videre, non miniſtrorum quemquàm alloqui poſſet. Mox ad inquiſitiones conuerſus, Ciuitatis Poteſtatem vocat; & cum ſilentium, fidemq; promiſſis ac minis imperaſſet, de Vincentio quæſtionem haberi iuſſit. Non tulit iners, & effœminatus animus minas interrogantis; & Franciſci iniurias, ſuum ipſe flagitium profeſſus eſt; ſpe veniæ, quæ in ſimilibus nō niſi à conſcio ac ignauo coniuge impetratur. Auxit perfidiam, cum in fœminam cauſas mali, blanditias, ſtultitiam, lænocinia reieciſſet. Agnes muliebri facilitate, confeſſionem multis cum lachrymis, ac mixtam precibus edidit; attonito & indignante Franciſco, tantum externo ſeruo, & ſilentio in Principem licuiſſe; vt ſimul & læderetur, & cum ſcirent omnes, ipſe ignoraret. Confeſſiones ac probationes deſcriptæ, non in poſteritatis memoriam (quam vitari par erat) ſed Ioannis Galeatij Vicecomitis ſatisfactionem. Vt nîl per ſummam potētiam (cui nixa ſuſpicio eſt) actum videretur; ſed vrgentiſſimis cauſis. Non deerant qui cum miſerrimâ, mitius agi, eamq; ſeponi ac reddi conſulerent. Satis quippe vindictæ ſumptum credebant, ſi infamis, & ſummo matrimonio depulſa oſtentaretur; ac in longam ſui pęnamupereſſet. Alijs rigor placebat. Dimiſsâ enim coniuge, plus marito quàm vxori malorum accederet:

non

non enim aliam induci poſſe, vnde ſucceſſionis ac liberorum ſpes habeatur; ſicq; crimen fœminæ, viri damno æſtimari. Neq; mitiorem Vicecomitem fore, docebant, ſi in ſuâ ignominiam pelleretur; quàm ſi perderetur. Memoriam dedecoris, cum vitâ excedere; ſuperſtitem ad contumeliam ac infamiam vniuerſæ familiæ oſtentari. Neq; placabiliorem flagitio conſanguineum credendum, vbi veritatem excepiſſet, quam haberi nollet. Valuêre præſentia, Franciſci animo ad ſeueriora conuerſo, nullâ Vicecomitis curâ; ſiue annueret, ſiue pœnam auerſaretur; dum honori ſuo conſuleret. Agnes interim irritis lachrymis, mariti præſentiam, nobilium auxilium, Mediolanenſium fauorem opperiebatur. Adeo corrupta ſcelere, vt iniuriam, vim, odium, conuicta licet ac confeſſa, perſtreperet. Sed induruerat coniugis animus; & acceptâ Domini voluntate, etiam qui iocos commendauerãt, ſæuitiam conſulebant. Monacho etiam inducto, vt ſaluti, animoq; proſpiceret, dira imprecata; marito excidium familiæ, & ſuorum implacabile bellum minitari auſa fuerat. Id conſilij certũ Franciſcum maturare compulit; vt eodem cubiculo, ſecuri percuteretur. Vincentio laqueo ſpiritum præcluſêre; & vtroſq; ſecreto tumulo abdidêre: Lætâ Ciuitate omni, quod honorem ſibi, Curiæ veterem lætitiam decuſq; Dominus reddidiſſet. Iudicio tolli conſceleratos placuit; ne quod iuſtitia erat, indignatio crederetur. Certior quoq; Ioannes Galeatius Franciſci literis redditus eſt; quarum hic ſenſus fuit: Iuſtiſſimâ causâ, & per integerrimos Iudices cognitâ, in flagitioſiſſimam vxorem animaduertiſſe: quæ ſeq; ac nobiliſſimas familias commaculârit, licentiâ ſtupri, & ſcelerum, quorum & conuicta, & faſſa turpitudinem foret. Caſui quidem indoleſcere, ſed potiorem honoris ac famæ curam credidiſſe; cui viueret; & pari animi æqualitate conſanguineum, pœnã approbaturũ; quâ ſcelus auerſetur. Simul ne iniuriâ procurriſſe crederetur, probationes tranſmittere; quas examinatas vri deſideret. Repentem ægritudinem ſimulari poſſe, quæ miſeram rapuerit: Apud ſe ſuoſq; ſilentium facti æternum fore. Ante alios pretio ſanguinis ac vitæ, cupere turpiſſimam memoriam, apud poſteros aboleri. Cæterùm eodem obſequio ac pietate, in conſanguineum futurum; quem extra iniuriam, culpamq; nouiſſet. Acceptis literis, quamquam intuitu primo, ac nouitate Vicecomes inhorruerit; illico tamen conquieuiſſe traditur; quaſi conſobrinæ impudicitiam prior exploratorum operâ, quos Mantuæ habebat, accepiſſet. Fingendum tamen odium, & iactandam in muliere innocentiam credidit; vt cum vitâ tranſiſſet, integritas affingeretur. Agente in Gallia Franciſco, Vrbanus ſextus fato conceſſerat; ſubſtitutuſq; Bonifacius nonus, Milleſimo tercenteſimo octuageſimo nono fuerat; quem Triceſimus ætatis annus, Pontificatu, atq; adeo ſpe videbatur excludere. Contra vulgatam eligendæ ſenectæ conſuetudinem, valuêre modeſtia, pietas, honeſtas morum, munificentia, eruditio: Eoq; acceptior, quia rarior; & tanquàm dictante Numine habitus putabatur. Ad vtroſq; Pontt. literas & legatos Franciſcus miſerat; obſequium, fœduſq; offerentes; nec diſpari affectu receptæ ſunt. Non enim leuis per Longobar-

Punitur.

Franciſci cũ Pont. fœdus.

gobar-

gobardiam Gonzagorum auctoritas: Et ex eo ſpes Romanis Pontificibus oblata, poſſe à Tyrannis occupata, cum tempore, & tali ſubſidio recuperari. Dum res Pontificiæ tranſeunt; Veneti occaſionibus intenti, aliena ſpeculantur; Vicecomes, & Gonzaga, aut parum fidi, aut crediti odia nutrire, Carrarius Petro Lepſio vſus, cui apud Patauinos non leuis exiſtimatio erat, nutantes ciues impulit, pulſo Vicecomite, ad veterem Dominum redire; &

Patauium & Verona deſciſcunt à Vicecomite.

profeſſione indignationem obliterare. Scaliger conſilij, & audentiæ ſocius, pari aſtu Veronenſes, ſequi exemplum compulit, recepitq́; : ſed inutili conatu, & non ſatis ante ratione æſtimatâ. Ioannes Galeatius vbi deſciuiſſe Patauinos ac Veronenſes accepit, vt erat præceps deliberationũ; miſit Frãciſco equites octingentos, peditum quatuor millia; qui ciuibus adhuc in fide perſiſtentibus iungerentur; & nouatores opprimerent. Minimo negocio

Sed recipit.

res tranſacta. Nam vbi internas externasq́; vires, qui turbauerant, conſpicati ſunt; traditis armis, victoris arbitrio ſe permiſêre. Acrius in Veronenſes animaduerſum. Nam Franciſcus Quadringentis equitibus comitatus; & iuſſo Paulo Caſtelbarco, cum duobus peditum millibus ſubſequi, Vrbi ante ſe oſtendit, quàm ſeruandæ contumaciæ neceſſaria pararet. Qui conſilia auctoritatemq́; rebus nouis contulerant, omnes reliquorum exemplo interempti; bona in Fiſcum verſa; ſacramento reliqui illigati; nouo præſidio Ciuitas & Arx firmata. Idq́; per literas Ioanni Galeatio ſignificatum; vt continuatione ſeruitij, eandem Franciſci voluntatem ſciret. Non enim cõiugis iniurias inter inimicitias reputabat; videbaturq́; honeſta cauſa, ab flagitioſâ ſeparanda; vt officio conſanguineum proſequeretur; ipſe ne ſcelus imputaretur, corrigeret. Redditę Franciſco grates; iuſſusq́; arbitrio Veronenſes in obſequio continere; & Viginti quinq; aureorum millia tranſmiſſa, quò ſtipendij fides, apud militiam liberaretur. Neq; minori curatore opus erat: Nam maximo fortiſſimarum gẽtium bello irretitus Ioannes Galeatius, nec vniuerſis prouidere vnus poterat; nec ſuberat pecunia deſcribendæ militiæ. Franciſcus auri non indigus degebat: Nec obtulit; quòd ſe habere Vicecomes ſciret; & mutuum, turbatis rebus præferret indigentiam. Sed neceſſitas ſilentium vicit. Ergo nobiliſſimum Brixiani agri Oppidum Aſolam (quam olim Mantuanorum fuiſſe diximus) incerto caſu ad Vicecomitẽ reuolutam, Triginta aureorum millium pretio Franciſco venundedit: Simul quia expenſarum magnitudine vrgebatur, Oſtiliam ad Padum, Veronenſe municipium, Viginti millibus pignori ceſſit; definito tempore, intra quod

Aſola & Oſtilia conceditur Franciſco à Vicecomite.

mutuum redderetur, illud reciperetur. Vtriuſq; tranſactio, Anno Milleſimo tercenteſimo octuageſimo nono, habetur; viſiturq́; Vicecomitis chyrographum, ſub diem Viceſimum octauum Septembris. Mantuanorum quoque Annalium memoria habet, Aſolanos ambigentem Franciſcum, maiori pecuniæ ſummâ traditâ impuliſſe, vt reciperentur; durius ſeruitium, & præſumptam Franciſci facilitatem cauſatos. Statim Franciſcus metu futuri, militem præſidiarium Oſtiliæ impoſuit; & Aſolæ equitatum, qui conceſſa ſeruarent. Neq; id Vicecomiti placuerat; & ſuperbiam, odium, diffidentiam interpre-

tatus

tatus eſt. Plura inciderant, ſuſpiciones vtriuſq; promouentia; quæ ſeorſim inualida, iuncta concluderent. Præcipui per ea tempora Ioannis Galeatij hoſtes Florentini erant: qui populo ac pecuniâ dites, Duce Ioanne Aucuth (de quo ante tradidimus) inſtantem ſtrenuè reiecerant, vt aduerſas vires æſtimaret. Quia tamen res in longum proceſſura, & propoſiti peruicacem Vicecomitem ſuſpectabant, ſocios belli, & qui eandem ſecum fortunam currerent, inquirebant: Ijs præcipuè intenti, quos metus aut ſuſpicio, obnoxios iræ oſtendiſſet. Iucundiſſimum, aut pulſo, aut neglecto pridem Aucuth Anglo fuit; quamuis non diſſoluto inter Ioannem Galeatium, ac Mantuanum fœdere, ſuſpicionem tamen auerſi animi perua ſiſſe, Agnetis morte; quam conſanguineus magnâ caritate proſecutus ferebatur: Et rebus agendis opportuniſſimum, è Franciſco auxilium ſperabant, ſi Principis vires, ſuis addidiſſet. Itaq; miſſæ in eam ſententiam literæ. Non ſe irritis conatibus opem, aut recentem Vicecomiti iniuriam ſtruere; quando florentiſſimum in armis militem; & fortunâ proſperæ expeditionis ducet; ſed nouiſſe vt Vicecomiti, conſueta ſit erga Gonzagos alienatio; ideoq; non ſemel Ciuitatem obſidione, agrum prædationibus laceratum. Nullam præſumptæ aut iuratæ amicitiæ diuturnitatem eſſe; ſi nouæ ſuccedant iniuriæ, veteres ſimultates refricaturæ; imo in maius, præteritorum recordatione exardeſcere. Quippe apud potentes, ſileri ad tempus, cauſas, non aboleri. Præueniendum hoſtem; & Bononienſibus ac Eſtenſibus in partem curarum additis; etiam hoſtili ditioni arma inferenda. Nam cum Florentinis ſuis, ſatis ſuperq; virium; & diuturno bello ſuffecturum. Præſentibus ſatis, maximè futuro confidere; ſi Franciſcus iam inter infidos habitus, & in exitium à Ioanne Galeatio deſtinatus, quibus tutò inniti poſſet, ſeſe adiunxiſſet. Eandem laborum ac præmiorum conditionem omnibus futuram; ne dubitaret eius amicitiæ periculum facere; cuius maiores ſui, conſtantiam non ſemel experti fuerint. Ad ea paucis Franciſcus meditato temperamento: Dignitati, dominationi, opibus, fidem ante habere: Cauſę honeſtatem adeſſe; proinde nequaquàm hoſtilia inducere velle; niſi perfidiâ prouocatus, id quoq; occaſionibus addidiſſet. Orare ſe fortunam, ne præcipitibus conſultis actus conſanguineus, ſeq; ac ſuos nouis vexationibus abſtrahat. Quâ tamen conſtantiâ datam fidem, ſartam, tectam ſeruauerit; eâdem arcẽdæ violentiæ, & propugnandæ iuſtitiæ, ad arma, & fœdera noua tranſiturũ. Non aliter Aucuth Gonzagis firmius credere potuiſſe; quàm accepto integritatis documento, & remiſſo beneficio; eo tempore, quo diſcrimini obnoxius maximè eguiſſe videbatur. Aſſiduis interim literis Eſtenſis Franciſci Patruus, monebat, caueret blanditias Vicecomitis, ſemper falſi, tum & infenſi: Occiſâ conſobrinâ, ſeu cauſæ accederet, ſiue auerſaretur, indignationem competere; vt ſeruando honori, per ſcelus coniugis interempta vulgetur. Nec aliud diſſimulationem, quàm confeſſionem flagitij eſſe. Quocũque ante vinculo; amicitiam cum Vicecomitibus firmauerit, ſublatâ neceſſitudine reſciſſum; & additam inimicitiæ cauſam; quamuis memor veteris

Florentini conantur auellere Franciſcum à Vicecomite.

Ille renuit.

in Mantuanos odij, & Ciuitatis poſſeſſioni ſtudere noſcatur. Maior in nepotem Eſtenſis amor fuit, quàm peruicacia propoſiti, quo ſe Franciſcus aduerſus conſilia amicorum munierat. Non illicò tamen Ioanni Galeatio aduerſus, aut datam fidem irritam voluit; ſed maturâ deliberatione opus, ac causâ reſpondit; & quando animi ſenſa, malè per literas tradantur, multaq; ſine periculo committi non poſſint, Ferrariam accitus eſt. Aderat Aucuth confœderatorum Dux, voce, aſpectu, auctoritate, peruincendæ voluntati ſtrenuus. Multa in commune propoſita; quæ à Franciſco, teſtimonio fidei, eluſa ſunt. Donec certiores nuncij Mediolano detulêre, Vicecomitem & pecunias, & militem comparare, vt Aſolam & Oſtiliam, quæ Mantuano habebantur, recuperaret. Lenta Vicecomitis expeditio fuit; dataq; occaſio Franciſco, citis equis Romam ad Pontificem, mox Florentiam, & Piſas proficiſci; vt potiores cauſas tumultus, effictaſq; occaſiones doceret; & quibus acceſſerat amicitijs, præſentiâ noſceretur. Vbi non Sedem Apoſtolicam ſolùm, ſed Piſanos ac Florentinos factorum gnaros, ſimul conſilio annuere depræhendit; inſtructos quæ vires ſibi, & quibus Ducibus bellandum aduerſus turbatorem publicæ quietis foret, officium conſtantiamque pollicitus; dicto citius ad ſuos redijt. Reliquerat Mantuâ diſcedens, Malateſtam, Ciuitatis atq; adeo rerum ſuarum cuſtodem; ne vbi profectum Ioannes Galeatius accepiſſet, acceleratâ expeditione, impetum in ditionem faceret. Iuuit viri prudentia; ſimul iam iam Franciſcum affore, per exploratores audierat. Conditionum ac fœderum ea ratio fuit, vt Pontifex ac Florentini certam iuuentutis manũ, Eſtenſis ac Mantuanus quinq; ſinguli militum millia conferrent. Incerta belli, expenſæ, quæſtuſq;, pro erogationũ magnitudine diuiderentur. Itaq; delectum Mantuæ Princeps habuit, imbellem ætatem, ac commeatum munimentis intulit; expeditos, & inſtructos armis, in hoſtem ire; cæteros pro ciuiũ incolumitate remanere, iuſſit. Haud dubium, belli motus, & deceſſionis initia penès Vicecomitem fuiſſe; quem conſtat, fatum Agnetis aſſiduè queſtum, & Aſolam malo iure emptam lamentatum. Id tamen viro honoris fuit, vt culpa in Franciſcum reijceretur; quòd hoſtibus & iniquis fœderibus, prior aures accomodauiſſet; etiam vltrò amicitias hoſtium præſentiâ quæſiuiſſet. Nam cum hoc vno ſpeciem honeſti prætuliſſet, cætera in abdito; & Agnes, venditio, oppignoratio nõ excuſabant. Itaq; dum Romæ Franciſcus collegatos ſollicitat; miſſis Mantuam literis, perfidiam, odium, ſacramenti contemptum obijciens, bellum indixerat. Prorſus certum Franciſco erat, aduentanti hoſti obuiam procedere: Vt vaſtationes, rapinæ, aliaq; bellorum mala, agro inimico inferrentur; ſui à tergo tuti, fortunam pugnæ opperirentur. Belli initium, penès Ioannem Galeatium fuit, qui neſcio, & alibi curante Franciſco, Aſolam armata manu inuaſit; adeo ſecretus ac properus, vt portarum cuſtodes fefellerit. Primo acceſſu firmatæ militibus mœnium ſtationes, mox cæteri ſecuti Ciuitatem recepêre; ciuibus contra niti, obſtante multitudine armatorum non auſis. Mantuani qui præſidio inerant, liberi dimiſſi; Id primùm pietatis

Ioan. Galeatius in Mantuanos.

viſum

viſum : Et erat modica manus. Nam vt ſeſe tutarentur Aſolani obtinuerāt;
ſuffecturos profeſſi aduerſus irrupturos. Iniquum id toti Italiæ viſum ; tan- *Aſolā capit.*
quàm Vicecomes vellet, abnuerétue pro arbitrio; nec fidei locus eſſet, niſi
libuiſſet. Ergo Ioannes Galeatius, ne ſiniſtro vulgi rumore diſtraheretur;
mittit Franciſco Triginta aureorum millia; addito, læſum ſe eâ venditione;
& plura Procuratorem, quàm ipſe dictauiſſet, ſpopondiſſe. Eodem iure ac
impetu, in ea quæ pignori ceſſerant, vſus eſt; repente illatus, expulſis qui *Et Oppida Franciſco pignori data.*
querebantur; & perniciem comminatus, niſi illicò annuiſſent. Nec tamen
Oppidi, & agrorum pecunia ſoluta; quaſi irritè bonæ famæ adreperet, qui
iam flagitij alicuius conuictus eſſet. Et mota arma, ſeriemq́; fœderum ex-
cipiens, vtiliorem tempori pecuniam crediderat, quàm vt ſtatim ſolueretur.
Vicecomes certè, haudquaquàm improuiſus Franciſco, oppidisq́; ſuperue-
niſſet, ſi fœderati conſilium ſecuti, totis exercitibus properauiſſent: Sed dum
illi fauorabilia facinoribus tempora, vanâ conſultatione ludunt, oblata benè
agendi occaſio Ioanni Galeatio eſt; & opportunitas ab illis omiſſa, quæ ſola
belli ancipites exitus, ex voto concludit. Neq; tamen vano rumore, illatā
iniuriā queſtus Franciſcus eſt; ſed vt ruptæ fidei cauſam accepit, certioribus
redditis cōfœderatis, vt dicto parati pro Cremonenſi limite adeſſent monuit.
Non enim ſimulationem, aut inanem formidinem eſſe, ſed hoſtem in armis,
quæ ſemel conceſſerit, per ſummam iniuriam recepiſſe; & inſtare alienis, niſi
obuiam audentię eatur. Obtemperatum à ſingulis. Cæterùm quia Burgo-
fortum, & Seralium, vulgo dictum, Vicecomites populari; & eâ parte Man-
tuanos laceſſere ſoliti erant, Pons à Franciſco Amni Pado impoſitus; quò
miles vltrò, citròq́; permearet; & claſſis Mediolanenſis (iam enim ſexaginta
nauibus imminebat) retineretur. Vicecomes quod in alieno non poterat,
in ſuo egit; iecitq́; magni operis pontem, non longè Cremonâ; vicinio Vr-
bis tutum, & tranſponendæ militiæ idoneum. Id magno conatu, & expen-
sâ properatum, perfectumq́;: Nullo tamen aduerſus Mantuanos vſui futu-
rus credebatur, ſi Burgofortum, ac Gouernolum, clauſtra Ciuitatis, ſerua-
rentur. Additus vtriq; oppido præſidiarius; deductaq́; ſex hominum mil-
lia; ne Padi aggeres, facilè perrumperentur; aut hoſtes imparatis ſuperfū-
derentur. Eo à Vicecomite erratum eſt; quòd Aſolam & Oſtiliam ſuis viri-
bus muniſſet, ingētibus copijs cōſcriptis, cum hinc illincq́; vexare, & carpe-
re agrū omnē, & pluribus occupatos hoſtes diſtrahere poſſet, toto nixu tamē
Padi ripam obſediſſet. Tentata leuibus incurſibus, ea pars agri, ac Villarū,
quæ non procul Burgoforto ſeruabatur. Et vbi firmatos ſtabile ad prælium
Mantuanos vidêre, innocui, ac inoffenſi abiêre; è longinquo copias, appa-
ratum belli, ac minas oſtentantes. Contra Iulius Buccamaior (Quadrin-
gentis equitibus pręerat) impiger; & quamquàm non militię vetus, gloriæ
tamen bellicæ auidus, Caſtra Mediolanenſium obequitabat; modò frontē,
modò latera carpens, prædam abripiens; & quamuis nullo lucro, pugnæ ta-
men deſiderio obuius. Non minus Cremonâ aduectum commeatum per
noctis obſcurum; & raras onerarias, vt adeſſent, fallerentq́; decurſu flumi-

Pp 2 nis,

nis, non remis vſas, intercepit (leue lucrum ſi diſcrimen æſtimaſſet) & igni iniecto dimiſit. Vicecomes ſeruare ſtationes, vigilias obire, munire Caſtra, diuidere annonam, vt ſumeretur, non raperetur iuſſerat; nec fortunam belli experiri, donec ipſe totâ mole delectus aduenisset. Sed alia voluebat; nam irritam Burgoforti oppugnationem, & Gouernolum longius ſitum, quàm vt ſimul obſideri poſſent, tardè comperetat. Et tamen cum iræ voluuntur, occaſio armorum exprimitur, ſimilia prænoſci expedit; ne quid inopinatum deſtinata corrumpat. Sic prudentiſſimi ductores exercituum, locorum gnaris, exploratoribusq; ingentia bella, minimo negocio patrauêre. Vicecomes, cum facilia neglexiſſet, in Ciuitatis excidium ſupra ſpem nixus eſt; bono quidem conſilio, caput rerum excindi debere; ſed vano, vbi impoſſibilia præſumuntur. Mincius patentiori quàm profundiori alueo Benacoerumpens, per Veronenſes Valleſium permeat; mox vt Mantuam attigit, immēſo tractu exceptus, in lacum funditur. Hinc negociatio. Portoria, Molatrinæ, & quæſtus promiſcui. Nec minus Ciuitati munimentum, vt medio velut Pelago inacceſſa conſiſtat. Pariter ſalubritati ea vaſtitas conducere credebatur; ne Palus, cæno, ac herbarum marceſcentium halitu, circumfuſum aërem corrumperet. Quippe plurimæ ſordium, currenti abripi; & ſuperſtagnante flumine, tegi putredinem ſciebatur. Properatum Mantuæ excidium, Ioanni Galeatio viſum; ſi Fluuium quantumuis ingenti expenſâ aliò verteret. Nam vniuerſa quibus Ciuitas vtebatur, vtilitati ac decori, eo opere amitti cognouerat. Irritos conatus Mantuani ridebant; quibus decliuia, veteres ſedes, & pars ea agri, quà inferre cogitabat, perſpecta erat. Redemptores tamen, quorum vtilitas impoſſibilium operâ procuratur, facilem curſus diuerſionem; planitiem alibi, quò deducatur ſubeſſe, & vno labore totam victoriam inniti, ſtollidâ iactantiâ promittebant. Vicecomes deſiderij impatientiâ, agendorum incurioſus; & præcipitatâ operâ, ſuas ipſe ſpes confundens, vim auri immenſam, multa hominum millia vano machinamento, quod eâ cauſâ ſtruebatur, impendebat. Nam aggerenda humus, cauandi altiſſimi ductus, obſtruendus vetus ſulcus erat, quò vis naturæ fieret. Augebat difficultatem vis imbrium, quâ turgentior Mincius, maiori gloriâ, impetuq; profluebat; & quibus id curæ erat, luto ac madore conflictabantur. Sed Mantuani ſecurioribus intenti, alienam ſtultitiam, ſuam vtilitatem æſtimabant. Neq; enim, celerrimum aquæ curſum, tot annorum millibus eâ ſede deuolutæ, auerti per altiora, ſaxoſaq; poſſe nouerant: Summam tellurem vtcunq; labori cedere; ſed inferna duritie marmorum, & ſolido Saxo inſuperabilia. Fallaces Architectos; eorumq; præcipuos, ditiorum opibus illudere, & ex eo quæſtum retrahere; quòd cū maiora vero ſpondeant, minores ſumptus præfigant. Et non ignorationem eſſe, ſed mendacia; ne Dominus magnitudine expenſæ deterreatur. Mantuani licet improficuum Vicecomitis laborem, & in longum proceſſuros conatus ſcirent, quâ Ciuitas æquo adiri poterat, ingentes hiatus effodêre; vt reciperent paludem: & ſi fors lacum arido mutaſſet, cum præſidio tamen eſſent. Exitum quoq; Fluminis,

Vicecomes conatur Mincium Mantua diuertere.

minis, vbi nomen vetus reſumit, lacumq; exonerat, iniectis impedimentis, ne promptè laberetur (nauium eroſarum quinq; fuêre) obſtruxerant: Vt turgeſceret alueus, & quamquam adempto Mincio, ſolita altitudo præſidio ſufficeret. Excreuerat interim, immenſæ vaſtitatis murus; qui mille quingentos paſſus porrectus, profluenti retinendo deſtinabatur; ſimulq; cũ erogatione & operâ apud hoſtes opinio, & fiducia gliſcebat. Sed malè vſos labore Mediolanenſes; & Mantuanos benè conſiliũ riſiſſe, exitus oſtẽdit. Quãdoquidem ſuperſtagnantis aquę vis, vbi obſtructo exitu, nec datâ viâ effundi potuit, obſtante ſitu accliui, & trahente vndâ in præceps, obiectam molem impulit, & quidquid curſum, ſoliti aluei morabatur, diſiecit. Quod agri medium inter Vicecomitem ac Mantuanos erat, fragore ac impetu, erumpentis Amnis euerſum: Neq; hìc mali finis, eâdem ſiquidem violentiâ, Mãtuam delatus, præcepsq;, obiectum Pontem (quem Molendinorum vulgo dicunt) magnâ parte à fundamento vulſum ac lacerum, in infernam Lacus voraginem abſtraxit. Aucta tamen aqua, Ciuitatem munimento firmiorem reddidit. Minimo negocio ſarcita à Mantuanis iactura eſt; ducto in Arcum argine, & ab euentu nomine impoſito. Qui eorum temporum memoriam poſteritati tradidêre, molem illam, Vicecomiti Tercentum aureorum millibus ſtetiſſe referunt: Quamuis ſtipendiarius, cæmentum, lapidem, ligna, humum ferret; pluſque in bello aureus, quàm decem in pace proficiant. Effractis molibus irritæ ſpei, tanquàm ſatis vltionis ſumptum in Mantuanos foret, receptâ Aſolâ, ac Oſtiliâ (vt quidam referunt) cæteriſque, quæ pridem Mantuano dederat Vicecomes, ad tutiora conuertit. Nam incerto auctore per militiam vulgari fecerat Franciſcus, merſam penè Vrbem; & quamquam lacus ſupereſſet, diſiecta tamen mœnia, & pleraſque ciuium ędes ſolo æquatas. Nec ille plura ſciſcitatus, aut certitudinem proſecutus, à vi deſtitit: Auxit tamen militum numerum, quò ingruenti confœderationi obſiſteret, aduentantemq; depelleret: Non enim ſoli Mantuani, hoſtes cenſebantur; ſed Bononienſes, Carrarij, Eſtenſes, Piſani, Florentini debellandi erant; Vicecomitis minoribus viribus, quàm vt omnibus par eſſet. Et data interim Franciſco reſpirandi licentia; vt firmaret inualida, & futuro proſpiceret. Continuationem fœderis ſufficere in ſummam credebat; & cum omnibus conſuleret, concordiæ tantùm apud belli ſocios ſtudebat; ne metu aut perfidiâ diſſoluti, minorem iniurijs exponerent. Id vſu venire inter ſocios experimento cognitum; quando vbi plus querelarum eſt, minus virium occurrat; inferiores præcipuè lamententur. Haud multum diſtanti tempore, Malateſta Ariminenſis, Margaritam ſororem, Franciſco coniugio dedit. Et erat in viro potentia, nobilitas, & magno nomine amicitiæ; ſimul prudentia, magnum Gonzagis momentum allatura. Et quò eâdem lætitiâ, nuptiarum ſolemnia expleret, Alda defunctæ Agnetis filia, Carrario locata; annuente Pontifice; quòd inter contrahentes affinitas intercederet. Carrarius nouâ, ſed prævalidâ nobilitate, haud aſpernarus puellam eſt, quamuis maternâ memoriâ imparem, Gonzago tamen ſanguine, & cognomine illuſtrẽ:

Ruptura Pontis Molendinorum.

Margarita Malateſta uxor Franciſci.

Et ſecretò res tranſacta; ne quid incurreret, quod compoſita turbaret. Ni-
hil regij, veteriſq; ſplendoris omiſſum, quo nouæ nuptæ Principi familiæ in-
ductæ, olim excipi conſueuerant. Eadem in cunctos liberalitas, & appara-
tus magnificentia fuit. Sed dum hæc apud Malateſtas, Carrarium, & Gõ-
zagos, velut otioſos aguntur, Vicecomes inani opere exauſtus, quod Min-
cio obiecerat; & aliquot ſuorum millibus ægritudine abſumptis; quam hu-
midam tellurem molientes; & inter aquam ſudore madentes contraxerant,
Induciæ fœderatis, & Vicecomiti. emollitus; non ingratas aliquot menſium inducias cum fœderatis pactus eſt.
Quo præcipuè ipſum deliquiſſe, occaſionum ac temporis gnari faſſi ſunt.
Nam bellum ipſi vtile, pax pro hoſtibus erat. Et inter Malateſtas & Vrbi-
nates Principes, graues decertationes obuenerant, quæ in pugnam vſque,
bellumq; proceſſerant. Equidem cęptum, & ſuo conſilio inchoatum bellum
proſequi Ioannes Galeatius poterat, diſtractis confœderatorum viribus, &
ſibi mutuo parum fidis. Eo quoq; imprudentiæ accuſabatur; quòd cum
vtroſque prælicantes auxilio iuuare poſſet, vt inuicem deterrerentur; idque
partes miſſis literis monuiſſent, ſuperſederit; ad nugas, & Villas verſus, quæ
mollem, non intentum oſtendunt. Sic vires ſuas reputantes, vbi nihil exter-
næ opis vidêre, in pacem conſensêre. Carrarium apud ſocios bellum impe-
tu quàm iudicio poſcentem, Franciſcus repreſſerat; an pecuniam, commea-
tum, militem parauiſſet ſciſcitatus; & illo fœdera, ſocios, & inania proferen-
te, addidiſſe; atqui nos duo diſſidemus, putaſné ſi plures acceſſerint, con-
cordiam allaturos? Tacente Carrario, reliqui annuerant, vt causâ quàm
vi ageretur. Nullum adeò præceps belli conſilium Franciſco inceſſerat; vt
domeſticas curas, & Ciuitatis ſuæ ornatum negligeret; Ante alios ſplendo-
ris auidus; & nullam potentiam principem iudicans, cui externa non reſpon-
derent. Vetus Sacellum domi erat, illuuie, & negligentiâ ſordidum; Bona-
colſorum opibus, dum res priuatæ erant, extructum; ſed accepto Ciuitatis
Imperio, pro magnitudine animi prouectum; Quod, vt minus nobilitate
ſuâ, & recipiendis Mantuanis proceribus, ſimul turpitudinis, & abolendæ
memoriæ conſilio, Franciſcus diruit; nouumque extruxit, eo decore, quod
rudi ſeculo reſpondebat. Salutiferæ Crucis nomini ſacratum eſt; & in præ-
ſentem viſitur; incompoſitum quidem, ſed accuratæ antiquitatis. His alijſ-
que Vrbis ſuæ decoribus intentum Gonzagam, literæ Cæſaris turbauêre:
Secretos Germaniæ motus; & non ſatis manifeſtas ſeditiones deferentes;
poſcebatque haud dubiè pecuniam; ſed ſpecioſus titulus prætexendus erat;
vt cũ onus eſſet, pro beneficio haberetur. Et quò manifeſtâ caritate, præ-
mittere gratiam videretur tranſmiſſo Diplomate, conceſſa Boëmiæ inſignia,
à Carolo parente, firmauit; ſub diem ſecundam Decembris, Milleſimi tre-
1394. centeſimi nonageſimi quarti. Quæ frequens erroris occaſio; dum confir-
matio pro conceſſione habetur; & Priuilegiorum ſimilitudine, tempora con-
funduntur. Eâ causâ Ioannem Agnellum Pragam ad Cæſarem Franciſcus
miſit, grates acturum. Sed viginti aureorum millia deferebantur, ne vacuus
ad Aram acceſſiſſe videretur. Iuſſus etiam inopiam, recentes Longobardię
tumul-

tumultus cauſari, ſi voto minus reſpondiſſet. Abeuntem Venceslaus, etiam datis ad Franciſcum muneribus, proſecutus fauore eſt; addito torque aureo, quo legatus locum expleuiſſe approbaretur. Minora certè, quàm quæ accepiſſet; ſed magno æſtimata apud fauorum auidos. Cæterùm quia ſecordia, profuſo luxu, inertiâ tantum notus Italis Imperator erat; nihil ex ipſo ſecuritatis aut ſpei, procul ſuorum tutela; ſatis Franciſco viſum, ſi obſequio aſſiduus eſſet; & profeſſione gratitudinis, maiorum debito reſponderet. Vigilantior tamen erga Italos Principes agebat; iactum fœdus, literis, communione ſecretorum, etiam muneribus proſecutus; ne reliquis Vicecomiti (ex quo vno metus) reconciliatis, ipſe ſolus, & tanto inimico impar, excidio permitteretur. Plures nobilium Ciuium legatione functi ſunt: Carolus de Ripâ Venetias; Octauius Caprianus Romam, Flauius de Cremâ Florentiam. Omnium præcepta eadem; iuſſiq; non in ſpeciem compoſitis, ſed vero erutis monere, vim, ſalutem, dominationem ſingulorum extra concordiã non eſſe. Quodq; apud collegatos vſu venit, cum omnes rationibus acceſſiſſent, non eâdem conſtantiâ durauêre. Non ideo tamen rerum cura Frãciſco omiſſa; aut negligentior officio adſedit; ſed cum Pons Molendinorum multò ante, ducto aggere ac foſsâ, aduerſus Veronenſes munitum foret; quâ ad D. Georgij templum itur, libero acceſſu adhuc hoſtium arbitrio expoſitũ viſebatur. Ergo aduerſus otium Caſtrorum, & laſciuiam, militiæ plerumq; adrepentem, quod ſub ſignis militum, in Ciuitate habebat, ducendæ vaſtiſſimæ foſſæ, & ſtruendo Propugnaculo intulit. Mille fermè paſſus ambitu complexus eſt; & egeſtâ humo, ac in vallum elatâ, inducta ſuper muri moles, cuicunq; oppugnationi ſuffectura. Lacunæ aqua addita; vt etiam hiatu hoſtis arceretur. Speciosiſſima & opportuniſſima tempori ea Arx viſa: quod loci medium, ciues ædificijs impleuêre; vt aëris puritate tum commẽdatum, & vicini agri commoditate. Licet neglectu, & adnatâ mox palude, præſenti ſalubritate non reſpondeat. Tantum huic munimento ſecuritatis erat; vt cum obuij inimici cunctas Vrbis partes, inſultu aggreſſi ſint, hâc nunquam irruperint, acceſſu deſperato; & metu irriti conatus. Nouæ curæ, veteres & exoletas Arcium ſtructuras inutiles reddidêre: Repertis tormentis bellicis, quibus plana atq; edita, iuxta atteruntur. Longâ iam dimicatione, Veneti ac Genuenſes, ingenium vireſq; experti, attinebantur; in hos aut illos deerante fortunâ; & cladibus triumphos ingerente; cum otioſi hominis inuentum, pernicies exitiumque humani generis, Bombardæ vſus repertus eſt, anno circiter Milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio. Huius ope ſuperatos Genuenſes quidam volunt; Alij nullo belli vſui fuiſſe tradunt: ſiue Venetorum virtutem id exigere, ſiue veritatem Hiſtoriæ credant. Nec ignoro, altiora quoſdam tormenti principia commentari; ſed vulgatis vtimur. Florentini quos Gonzagis fœdere nexos docuimus, aſſiduis literis ac legationibus, de Vicecomite apud Venceslaum Cæſarem querebantur; vaſtas cogitationes eius, ambitionem, turbatam Hetruriam, exercitos vicinos, vim, impotentiamq; arguentes. Nec ſilebat Ioannes Galeatius, muneribus

Arx D. Georgij.

Bombarda.

ribus inſiſtens, & corruptâ pretio veritate; ſe Imperij miniſtrum, ſubditum, fautorem profiteri. Nullas à Florentinis (qui libertatem iactent) Imperio vires accedere. Etiam Carolo Venceſlai Patri, per Italiam obſtitiſſe; & vix licet requiſitos, pecunias quas cæteri ſponte obtuliſſent, perſoluiſſe. Fruſtra meliorem animum ſperari, cùm longè Cæſar agens, minitari quàm cogere valeat. Adetant ſtipendio obſtricti miniſtrantium præcipui, qui Imperatorem argumentis adorti, vtile Imperio, vtile famæ ſuæ, Vicecomitem foueri docerent: Facili adeo & præſentium ignaro Venceſlao, vt nîl niſi conſulentium arbitrio ſanciret. Quod vbi Ioannes Galeatius introſpexit; & corruptam adulatione aulam, proniores Germanos in res ſuas accepit, maiora meditatus, Ducem ſe Mediolanenſibus imponi, per ambitum procurauit; profuſus largitionibus, dum voti potiretur. Venceſlaus Caroli parentis liberalitatem doctus, facilisque hauriendis Imperij iuribus, vbi pecuniæ ſplendorem, & maiora promitti vidit, non præſentis non futuri ſollicitus, ſiue id Imperio, ſiue hoſtibus proficeret, Ioannem Galeatium, Ducem Mediolanenſium dixit; auctâ dignatione, conceſſoque Diademate, reditibus, ſupremo iure; quæ omnia Imperio adimebantur. Nec erubuit ineptiſſimus Imperij dilapidator, eum filium Cæſareæ Maieſtati adſcire, qui cum Italiam omnem, eodem domino vſam laceraſſet, palam in Germanos Reges armatractauiſſet. Sed multum intereſt in quæ tempora, cuiusq; virtus, fortuna incidat. Quod enim ab ignauo facilè expreſſerat, à ſtrenuo Principe, non niſi probatâ fide habuiſſet. Eo certè Vicecomes commendatus eſt, quòd tempori ſeruiuiſſet. Vbi enim Oratorum quos miſerat literis, pulſos obtrectatores Florentinos, ſeq; caritati admiſſum accepit; quam ante dominationem ſuæ potentiæ, impoſterum Imperatorum indulto acceptam retulit; voluitq; procerum Italiæ concurſu, Beneſij Cæſarei commiſſarij præſentiâ coronari. Mirari Principum artes, & vicinam dedecori fallaciam interdum ſubit. In Vicecomitem, Veneti, Florentini, Piſani, Carrarij, Eſtenſes, Vrbinates, Patauini, Bononienſes, Senenſes, Luccenſes conſpirauerant; rebus nouis, & Italiæ Imperio adſpirantem, armis, amicitijs, mox apud Vêceslaum querelis attinuerant; & tamen celebri apparatu, quo Diademate inſignitus eſt, aut præſentes affuêre, aut miſſis legatis, lætitiam teſtati ſunt. Adeo regnandi causâ cum ius fasque violentur, etiam verecundia detergitur. Conſtantiam, animique firmitudinem Franciſcus teſtatus eſt; qui non literis non oratoribus, præferre amicitiam, apud pridem creditum hoſtem voluit. Eo tamen publico conuiuio à Ioanne Galeatio commendatus eſt: Nam cum ſinguli ſuam ac ſuorum fidem teſtarentur, velut per iocum fertur reſpondiſſe; id apud ipſos cupere, ac credere; Gonzagam integritate laudare; quòd amorem, odiũ, iniurias, fateatur, & proſequatur. Sed fatale Germanis Regibus in præſentem fuit, res Italiæ, vt modicas, & tantę Maieſtati impares negligere; patriamque ſolummodò potentiam ob oculos habere. Et tamen ab Italis domitas gentes exteras, etiam illi ipſi, proprijs commentarijs teſtantur. Florentinorum Legati, qui cum Mediolanenſibus Pragę erant, iudicio

Io. Galeatius Dux Mediolani. 1395.

iudicio Cæſaris depulſi, & ad ſuos redire iuſſi: Velut in maieſtatem iniurijs & non tempori, non occaſioni competentia oraſſent. Sed non tanta Venceslai, in Vicecomitem caritas erat; vt non Florentinos quoq; amplecteretur, ſi eâdem arte, pari munerum magnificentiâ acceſſiſſent. At illi promiſſis intenti, non ante prodigere quæ bello vtilia fore crediderant, voluêre; quàm Imperator deſiderijs annuiſſet, & Vicecomitem mandato coërcuiſſet. Expletâ Vicecomitis lætitiâ, Franciſcus ciuium importunitate, amicorũ precibus euictus, vt teſtandæ fidei, ſerò licet, legatum tamen mitteret; Paulum Daneſium nobili comitatu inſtructum, cum literis Mediolanum flectere iuſſit, vbi extrema Mantuani luſtraſſet. Habuerat in mandatis, vt ſecreta æmulationum obliteraret, futuræ amicitiæ ſpem præberet, gratareturq́; accepto decori. Vbi affuit, rogatus ab intimis Domini, cur tardius, & non cum reliquis adueniſſet? reſpondit, diſcreta adulationis, veritatiſq́; tempora eſſe debere. Se fide, alios ſimulatione veniſſe. Sed aditu dies aliquot excluſus, cum turbæ ſeruientium immixtus, admiſſionem adoraſſet, re infectâ, Mantuam reuerſus eſt. Neq; Franciſcus indignationis neſcius degebat; eoq́ue ſecurius imminentem hoſtem fruſtratus eſt; quàm ſi oſtentatione caritatis, ſubdolũ animum blanditijs velauiſſet. Plures in menſes producta lætitia Vicecomitis; quæq́; in adulationes fuſi Italiæ Principes erogabant, Frãciſcus parſimoniâ ac prouiſu, futuræ neceſſitati reſeruabat; militari diſciplinæ, & firmandis munimentis Ciuitatis adeo aſſiduus, vt menſes integros, eidem curæ impenderet. Finitis nugis (ſic Mantuanus vocauerat) quibus Cæſaris exiſtimatio lacerabatur, Vicecomes ad maiora conuertit: Specioſo enim Ducatus titulo, nîl fortunæ ſuæ indignum credebat; & faciliorem voto Cæſarem expertus fuerat, quàm vt pecuniam cuicunq; deſiderio oblatam aſpernaretur: Daturum etiam Regnum ipſum, cui innutritus, & impoſitus à Patre fuerat, ſi auro euiciſſet, aut emptor repertus foret, non erat: Adeo auaritia decori regio contraria eſt, tollitq́; exiſtimationem. Sed momentum habet, quæ tempora prudentia vnius incurrat. Non enim apud ſagacem Imperatorem, quiq́; res intus, non ſordido pretio æſtimaſſet, Ioãnis Galeatij ſpes, eundẽ exitum, eâdem facilitate ſortitę forent. Impoſito ſemel ſtulto & ignauo Principe; aſſiſtentibus, conſultoribus, nouitatum, etiam iniquitatum auidis, facilè eſt adulationem ſecretò, publicè libertatem inducere; & prudentis famam, apud vulgum nanciſci; qui fere res euentu metitur. Deniq; (quæ vna difficultas ſuberat) aſtu, pecuniâ, vi à vicinis abripiẽdum erat; & labore, induſtriâ, expensâ retinendum; Cæſaris aſſenſus auro, & mendacio habebatur. Italiæ Tranſpadanæ Imperio deeſſe Mantua videbatur; vbere ſolo, ſitu, incolentium numero valida, aditumq́; in propinqua patefactura; ijſdem ſemper cauſis, à Ioannis Galeatij maioribus expetita, & non vno bello exercita. Aderant recentes iræ, ob conſanguineæ necem: Quam cum veneficio honeſtius (etſi per iniuriam) extinguere potuiſſet, cauſâ per Iudices cognitâ, damnare maluerat, vt ſimul honorem familiæ perderet. Itaq; ne pluribus agitaretur, miſſus Albericus Balbianus in Hetruriam,

vt periclitanti Applano ſuppetias, & Piſanis metum faceret: Qui dominatione exactum, Ciuitate eiecerant, non tam imperantis, quàm cuiuſcunque ſeruitutis odio. Sed fraudibus omnia expediebantur; aibitrumq; ſe, ac oppreſſorum tutorem circumferebat; ne quâ aduersâ famâ macularetur: Non enim irâ in Gonzagam, res Italas turbaſſe, videri par erat; ſed honeſtiſſimo nomine militiam ſeruare: Secretis tamen mandatis Iacobum è Verme, cum expeditis equitibus, Mantuanum agrum populari, & infenſa arma inferre iuſſit.

Iacobus è Verme in Mãtuanos.

Neq; apud ſuos indignationem tacuit; quod certiores ſpes ſectatus, fęderibus, amicitijsq; ſtuduiſſet; quibus non ſua ſeruaret, ſed in Mediolanenſes vteretur. Prætextus erat, negata annona, interceptæ onerariæ, impeditum iter, quâ in Flaminiam properaret. Ille maiori mole, quàm vnius Ciuitatis oppugnationi expediat, incubuit; dictoq; citius aduolans, primo impetu Luzariam, Suzariam, Campitellum, Gazolum, & quæ villarum obuiæ fuêre, populatus eſt. Igni abſtinuit; quod Ioanni Galeatio moris erat; quoties non iniuriam, ſed poſſeſſionem ſectabatur. Onerofum videbatur tot Legiones ſub ſignis habuiſſe, tot Duces impoſuiſſe; quorum repens interdũ diſcordia, trahere factorum exitum poterat; ſed Mantuæ deſiderio tolerabat, præſenti ſpe, & ingenti ex Cæſare fiduciâ, eodem animo ac cupidine ſemper compoſitus.

Vgolottus Biancardus in Mantuanos.

Miſſus proinde Vgolottus Biancardus, tertiâ cũ exercitus parte (octingenti equites, ſeptem hominum millia traduntur) vt Mellaram deditione, aut vi reciperet, improuiſusq; Gouernolo intercurreret. Iacobo è Verme fauſta omnia, Franciſci errore fuêre. Qui cum militiam pro finibus ſtatuiſſet, vniuerſos tamen, ſuſpicionibus propinquis è Viceconite, Mãtuam retraxerat; vt munimentis Ciuitatis occupatos, otij vitijs eriperet. Sed plus pro finibus periculi, quàm Mantuæ erat. Et primos hoſtium conatus retundere, vt victoribus animos, ſic pulſis metum incuſſit. Irritos primos impetus Vgolottus expertus eſt; incolis, ac præſidiarijs, pro męnibus fortiſſimè dimicantibus. Et ne tempus terere; & vnius Arcis obſidione retineri videretur, Gouernolum inuaſit; Clauem ditionis, ac ſuperbiæ Gonzagerũ cauſam appellans. Quo optimis militibus ſeruato, & nullâ deditionis ſpe, in conterminos Ciuitati agros (Serralium vocant) copias induxit; vt alij oppugnationem, populationem alij aggrederentur. Si forte Mantuani rerum ſuarum amore victi, pacem fędiſſimis conditionibus, & ſpontaneâ ſeruitute redemiſſent. Vermis eòusq; vaſtationibus proceſſir, vt Burgofortum in propinquo aſpiceret. Sed pons Flumini impoſitus, firmata præſidio Arx, Carolus Malateſta, vetus militiæ copiarum ductor; moram cupiris afferebant. Ante alia, Pontis vtilitas obſeſſis erat. Ideoq; diruendi conſilium, à Mediolanenſibus ſumptum eſt. Neq; ſatis vtilitati, aut neceſſitati Franciſcus prouiderat; vt intactus, illaceſſitus, hoſtili claſſe eſſet: Non naues, non diſpoſiti præſidio milites; non obſtructus Amnis maiori ſui parte fuit. Decem onerarias vaſtis carinis, vetuſtate nullo ad reliqua vſui, ſtrue ingenti aridorum lignorum Vermis onerat; & expectatâ luce, ne ripis impingerentur, immiſſoque igni, præcipites ſecundo decurrere, in obiectum Pontem im-

pulit

Digitized by Google

pulit. Non cuſtodes, non rectores impoſiti; ne maior irriti conatus iactura eſſet. Quippe magnitudine, aut pontem tracturas; aut eo validiori, hæſuras nouerat; acceptumq; incendium communicaturas. Nec opinio fefellit. Orto die flammantes Naues medio Pado conſpectæ, prout vndæ raptauerant, diſiectæ ſunt. Ea ſpecies Mantuanos, vt improuiſo malo turbauit. Sed illæ valido in Pontem impetu delatæ ſunt; cuius partem fractis compagibus, quâ inciderant, diſiecêre; pars dum obnititur, incendia miſcuit. Accurrêre Mantuani, vt graſſantibus flammis obſiſterent; iniectæ pollutæ veſtes, affuſa aqua, recentibus ramis diſcuſſa pernicies; ſed acrior peſtis erat, quàm vt ſiſti aut cohiberi poſſet. Nam dum repellunt, turbant, ſuccutiunt; flatu, motu, occidentes flammæ increuêre; coactiq; deſerto Ponte in arcem ſe recipere. Mediolanenſes expectationis ſecuri; non longè in ſuperiori ripâ, exitum opperiebantur: & in riſus ac ludibria verſi, obſtrepebant. Carolus Malateſta dum reſtinguit incendia, Mantuanos metu pauidos retinet; & aduerſus quoſdam Mediolanenſium, qui viſâ conſternatione accurrerant, depugnat, præceps cum ingentis Pontis parte, in profluentem lapſus eſt. Nec deſtitit ſiniſtrâ fluctibus, intercurrentibusq; tignis obniti cùm alterâ mucronem ferret; donec in tuto conſedit: Ad extremùm illuuie deformis ad ſuos in Arcem regreſſus eſt. Vermis exturbato Ponte, vires in Arcem intendit. Seb labor irritus Mediolanenſibus duplicabatur; & à clauſis intra præſidia Mantuanis, propius ſuggreſſi hoſtes figebantur. Subſtiterat Mantuæ Franciſcus, vnde in omnia regimen, & prouiſus erat. Qui quamuis virtuti non diffideret, haberetq; octo armatorum millia; immenſo tamen exercitu Vicecomes inſtiterat; nec ſi quid ſiniſtri eueniſſet, alio quàm fœderatorum auxilio farciri poterat. Forte decreſcente Lunâ, Brixianus ſtipendiarius, Burgoforto egreſſus, Mantuam venerat, periculum Arcis; & Mediolanenſes adſidentes referens; niſi nouo commeatu, & iuuentutis robore addito, ſecuritas obſeſſis fieret. Miſſus Clarus Agnellus, cum Quadringentis, vt metum pariter, famemq; depelleret. Ille ipſe Brixianus, ſecretos calles, & hoſtibus imperuios profeſſus, ducem ſe itineri, ſequentis noctis ſecreto præſtitit. Iamq; haud longius mille paſſibus ab Arce ſubſtiterant; cum præmiſſi Vicecomitis exploratores, hoſtem, & ad arma conclamarunt. Mantuani quamquàm obrui ſe multitudine; nec auxilium in propinquo viderent, virtutis tamen memores, ſarcinas in medio ſtatuêre. Mox conglobati circumfuſos hoſtes retinebant. Sed vbi feſſis nemo recens ſuccedebat; & Mediolanenſes nouis additis ingruunt, pauculis ſuperſtitibus, reliqui trucidati. Quinquaginta integri in cuſtodiâ habiti. Sarcinæ abreptæ; & cæſorum capita, truncis arborum affixa, ortâ luce Mantuanis oſtentata. Id pietatem, deſperationemq; tulit. Tanquam pacem quam tãta ſæuitia obtuliſſet, auerſarentur. Ergo maiori curâ munimentis hæſere; & partitis vigilijs, nihil negligentiâ obuium hoſti reliquêre. Gonzagiaci modicam iacturam, magno quæſtu proſecuti ſunt. Fuêreq; qui proditorem Brixianum, deductos in inſidias miſerrimos iactarent. Sed neq; inditio vllo res innotuit, & tormentis

Mediolanenſes Pontem vrunt.

Mediolanenſes Burgofortum obſidet.

Mantuanorum clades.

Digitized by Google

mentis conſtantiâ illuſit. Accelerabantur iteratis literis, qui fœderi illigati eandem potentiam metuebant; ingens cuiuſcunq; moræ diſpendium; & irreparabile damnum ſeri ſubſidij docebatur. Primi Florentini cum Mille

Confœderati ſuccurrunt.

equitibus affuêre, mox Bononienſes, Secutus Eſtenſis; poſtremi Veneti, tædióue longi belli, an prudentiâ, in incerto habeo: Nec enim pecuniâ aut milite egebant. Duodecim millia armatorum cenſebantur, robur ac exiſtimatio partium: Franciſcus octo peditum millia, Mille quadringentos equites deſcripſerat; vt etiam ſuo niteretur, nec arbitrio auxiliorum vniuerſa permitteret. Diſiecto pridem ponte, cum liber & incuſtoditus Padi tranſitus eſſet, Quinquaginta onerarias, valido milite inſtructas, ſeruare vacua, & non longe Gouernolo conſidere Vermis imperauit. Sed pondere ac magnitudine inutiles apparuêre, aduerſus celeres, & cito remige impulſas. Franciſcus interim pulcherrimam victoriam ſpe præſumens, ſuorum claſſem, elapsâ cuſtodiam inimicorum ſcaphâ ſollicitabat; & vt maturè properaret, orabat. Se enim vniuerſis populi viribus, vnâ cum auxilijs eâdem erupturum; vbi nexas, & dimicationi intentas claſſes accepiſſet. Nam vaſtas, & ſolo pondere habiles Ioanni Galeatio eſſe; ſuas ac ſociorum, celeritate & agilitate valere: Quæ firmâ ac fluente vndâ pariter æſtimentur. Miſerant Veneti Triremes duodecim; Naues decem Eſtenſis; Viginti Franciſcus; prædictoq; die vniuerſæ Gouernolum conuenêre; trahendo bello, aut dimicationi, provt Princeps imperaſſet, accinctæ. Non omnes tamen in hoſtis cōſpectum datæ; ſed præmiſſæ Eſtenſes, vt ſuperbum euentu hoſtem excirent: Secundum locum Mantuanæ tenebant; vt cepto bello, fractis aut vrgentibus adderentur: Extrema Veneti tenuêre; vt pugnæ; & ſi elabi ſecundo hoſtes cogitarent, incurrerent. Sed cunctabatur Mediolanenſis, num pugnam inciperet, aut Pado aduectas onerarias opperiretur. Vicit ſpes, & fortunæ Vicecomitum reputatio; ſimulq; in aduerſas Eſtenſes, ſecundo flumine incubuit. Irruentium impetum, vtcunq; Eſtenſes ſuſtinuêre: Et eò præcipuè arſere inimici, quòd paucæ plures contempſiſſent. Mox Camillus Hyppolitus, qui Mantuanis impoſitus à Franciſco fuerat, in medios ſe dedit; parem vtrinq; numerum teſtatus; ſed cauſam, virtutem, vſum Fluminis pro ſe eſſe. Simul repagula, vncos ferreos, cathenas in defluētes conijci iubet; vt nexu valido, nullum hoſti effugium eſſet, ſui ad victoriam, virtutemq; incitarentur. Plures horas decertatum; multum vtrinq; ſanguinis fuſum; Mātuanis in ſuo vincere cupientibus, Mediolanenſibus, in alieno ſuperari nolētibus. Sors tamen in Mantuanos ceſſit. Hoſtilium nauium ſeptem profundo merſæ; cæteræ inter ſpem ac metum; modò fugam, modò pugnam retentantes, conſtantiâ & pugnæ genere ſuperatæ.

Mantuanorū victoria naualis in Mediolanenſes.

In diſiectas, & quò ſe reciperent neſcias, Venetæ triremes inuectæ, remis celeres, citæ velis, fortiſſimo milite inſtructæ. Hìc Mediolanenſibus aucta ex neceſſitate virtus, ſed modicum ſtetit: Iam enim Mantuani & Eſtenſes eò verterant. Sic victa peruicacia. Veneti belli vſu exerciti, flammas, cathenas, ſaxa, certiori ictu in deploratos iaculabantur. Et cominus congreſſi, per tranſtra, & tabulata

delati,

delati, conſternationem auxerant; iamq́; extremam perniciem res ſpectabat. Franciſcus interim Mantuâ egreſſus, Carolo Malateſta comite, mille equitibus, quinq; peditum millibus Vermi inuectus eſt, fortunam alienam proſpectanti potius; quàm quid amiſsâ claſſe ageret gnaro. Subitus incurſus pugnæ imparatum,& præſciæ mentis formidine concuſſum Vermem,ſuosq́; turbauit. Dum tamen dimicationi accingitur; & irruẽtes Mantuanos, ſummâ virtute ſuſtinet, periculi rumorem auget; interq́; ſuos accurrentes confuſionem inducit. Hinc primùm cędi Mediolanenſes, mox inclinare,poſtremò terga vertere coacti ſunt. Nam dum inter ſuos Vermis recipitur, qui egreſſum acie protegebant, paueſcere, imperia non accipere, confundi. Franciſcus contra voce ac manu conſpicuus, impetu hoſtem proterere, & ad ſuos conuerſus clamitare,ſatiarent ſe capitalium hoſtium ſanguine,vltionem vulneribus explerent,fortunam ſequerentur: ſeq́; aut cõfoſſum,ſcutoq́; impoſitum, honeſto per pulcherrimam virtutem exitu ad ſuos referrent; aut victoriâ, & gloriâ inſignitum, nauatâ fortiter operâ, in communi Patriâ ſiſterent. Pauciora Malateſta: & quamuis altero iam ſuffoſſo equo, in alium impoſitus,acerrimè decertabat; vt nihil pulcherrimum inter ſuos admiſſum diceretur, quod non ipſi imputaretur. Incerto murmure vulgatum fuerat, claſſem infęliciter pugnaſſe, nauium plures hoſtibus ceſſiſſe, quaſdam profluenti,alias igni hauſtas. Ergo quidquid Mediolanenſibus virtutis ſuberat, exceſſit: Velut nulla amplius ſpes eſſet; & adempto nauium vſu, perditi eſſent. Poſt multum cædium, vbi fugere tantùm; & abiectis armis, confertos orare vitam Franciſcus vidit, ad miſericordiam flexit: Recepitq́; captiuos, quorum ſuperbiam tamdiù tolerauerat. Quadringenti equites, Quatuor fermè hominum millia, ſeſe victoribus permiſêre. Qui omni armorum genere exuti; & immenſo armatorum globo cincti,Mantuam deducti; & Ciuibus communione lætitiæ ad ſpectaculum expoſiti ſunt. Naues duodeuiginti in poteſtatem reductæ, bellici apparatus, ac manubiarum ingens copia. Vermis miſerandæ concertationis reliquias, hinc inde ſectatus, fugâ ſe Marcariam ſurripuit. Aggregati plures in itinere; qui pugnæ tempeſtatem euaſerant, infractum Ducis animum ſuſtulêre. Nam quinq; armatorũ millibus ſeptum ſe videns,ipſo tranſitu, aliquâ honeſti ſpecie, obliterare pręteritum decus crediderat. Ergo Marcariæ Caſtellum,quod Treceti Vgone Capitaneo ſeruabant, conatu valido, ac celeritate aggreditur. Oppidani nec ſuperatum qui vltrò bellum inferret rati, & minus deditione ſæuum Ducem credentes, ſeſe, ac ſua potentiori permiſêre. Ille præteriti anxius, & culpam in decus vertere properans; ne famam immanitatis incurreret, ab innocentium cæde abſtinuit: Sed domos agroſq́; prædatus, abductiſq́; Septingentis, quos ſors hoſti efferato obtulerat, Mediolanum reuertit, in ſpeciẽ commendatus, ſed acceptæ cladis memoriâ ſaucius: Nam pleriq; equitum ceciderant; Tormenta,& quæ oppugnationibus vſui ſunt, amiſerat; peditem fugâ vagum, ſub ſignis nondum receperat; & commeatu ac pecuniâ dites Mantuanos, & forte vindictæ præteritorum adfuturos, à tergo reliquerat.

Et terreſtris in Vermem.

Vermis Marcariã capit.

Qq Pluri-

Plurimùm ſpoliorum Franciſco,non minus militi ceſſit; ditato exercitu omni, quem teſtimonio virtutis, partis donauerat. Miſsâ à Ioanne Galeatio in Mantuanos expeditione,nouos inſuper delectus Cremonæ, Papiæ,ac Mediolani habebat; quibus ſi prior conatus ex voto non ceſſiſſet, fortunam pugnæ verteret. Neq; Franciſcum quæ agebantur latuerant, frequentibus exploratoribus eò miſſis; & viſâ Vermis fugâ & audaciâ. Neq; aliâ causâ fuſos hoſtes proſequi noluit; quàm ne ſpatio itineris fatigatos, recentibus obijceret. Vltioni ac expenſis ſatisfactum videbatur; nec eò ſæuitiæ procedendũ, vt cępta à Pontifice ac Venetis de pace agitatio præpediretur. Captiui humaniſſimè habiti; neq; aliâ quàm ciues comitate. Animus Malateſtæ erat, ſucceſſu rerum elatum militem, Cremonenſibus inferre; vt conſternatos deditione reciperet; aut medio tractationis prædaretur; quæ in pace reddi inauditum erat. Nihil æquè ſuperbiam hoſtilem retundere,aut animos nouis inſultibus auertere, ac rapinas, incendia, vaſtationes agrorum monens; vnde pecuniæ ac commeatuum apparatus ſuppetunt, præcipua belli materia. Franciſcus Principis impetum retinuit; incerta belli metuens; & ne linguis, moribus, inſtitutis diuerſi, in ſocietatem adſciti, parum competerent. Suas vires non ſufficere; alienas pro arbitrio moderari non poſſe depræhenderat; ſimul minus in alienos auctoritatis, aut apud externum militem obedientiæ: Ioanni verò Galeatio multum militum ac pecuniæ eſſe; paratum tentandæ fortunæ; neq; ictu vno ſpem omnem concidiſſe; ſed laceſſitum potius iniuriâ; & Vermem abolendæ infamiæ anxium. Et iam Pontificis Legatus, additis oratoribus Venetis,Mantuam primùm, mox ad Viccecomitem Mediolanum peruaſerant, bona pacis oſtenſuri. Sed potiſſima in Loredano Veneto efficacia. Is nullũ quieti opportunius tempus veniſſe Ioãnem Galeatiũ docebat; quãdo pacato Imperio, & ſpecioſo cum titulo, vti poſſet. Procurandas imposterum amicitias; vt ſecurum in filios tranſmittat, quod ipſe inter turbas æmulosq; accepiſſet. Arbitrum ſe Regni,Italiæ exiſtimatione factum;quod non longè à dominatione diſtet. Vaſta Imperia, diuerſos populos, eodem vinculo malè necti. Sæpe Principem,paci optimè conſulentem,ſubditorum diſcordijs,& auerſis mutuò animis cõuelli. Vſu obſeruatum, dominationes vbi ad ſummum acceſſiſſent, niſi in pace habeantur, illicò corruere. Rem ſibi cum validis gentibus; quas inter, non temnendos Mantuanos; & additis confęderatorum auxilijs etiam formidandos. Vniuerſos impelli non minus difficilè, quàm ſingulos vitari. Fallacem belli exitum, & dubiam rerum aleam eſſe. Parum ſibi ad veterem potẽtiam addi; plurimùm amittere poſſe,ſi in medio fortiſſimorum hoſtium ſitus, ſingulos irritaſſet. Nec in Gallo,aut Cæſare fiduciam; Illum fluxæ fidei,& in Pontificem proniorem; nunc longè agere; & ignauiâ ne rebus quidem ſuis ſatis prouidere. Quòd ſi Imperatorum vires hùc vertiſſent; nemini dubium faciliores in Gonzagos fore; quorum obſequia, longâ,nec interruptâ annorum ſerie experti ſint. Ad extremùm vtile ſibi ac decorum; medio Pontifice ac Senatu pacem velle. Neq; enim formidinem incuſari in eo poſſe; qui multa bellatorum millia

ſub

ſub ſignis, & ingentem auri vim habeat, diuturnis motibus ſuffectura. Ioannes Galeatius, ſiue otium, ſiue ſatis amplam dominationem ſuam, ſiue partium vires æſtimaret; cum in Decennium inducias recepiſſet, pacem tamen abnuit; ne aut in totum ignoſcere; aut nullâ causâ hoſtilia intuliſſe videretur. Idq; Vndecimâ Maij, Salutis Milleſimo tercenteſimo nonageſimo ſeptimo. Placuit vtriſq;, nullo pretio captiuos dimitti; & quæ Gonzaga amiſerat, reddita. Prædarum nulla mentio habita. Neq; vulgus queſtus eſt abacta iumenta, aſportatas fruges, dirutas villas; quæ maiorum metu in vili erant. Nec ſemel Longobardi didicerant, longiori inter accolas concertatione, vt nec cædium, ſic nec prædarum finem eſſe. Quis etenim irati ac victoris licentiam moderetur? modeſtiam requirat? Gratiſſima Pontifici cōcordia fuit: Exemptusq; periculo Frāciſcus, quem vnicè dilexerat; quemq; primo ſtatim monitu, à Gallorum Regis fœdere receſſiſſe cognouerat; in quē diris imprecationibus, & exauctoratione inuectus fuerat; ob Antipapam ab eo, cum honore habitum; & velut inter Chriſtianos diſcordias enutritas. Sed me Mediolanenſis Scriptoris, aliâs probati auctoritas retinet; vt quod ille aut ductu ſuo, aut referentium fide tradidit, falſum eſſe doceam; afferamq; teſtimonium, cui etiam diuerſis innixi, fidem non abnuant. Is Annalium ſuorum parte quartâ, Franciſco inducias eo pacto permiſſas docet, vt ſe Vicecomitum Feudatarium fateretur; & eodem velut filo, ſucceſſores omnes continuaret. Quod adeo à vero abeſt, vt riſum cuicunq; cordatiſſimo exprimat. An victor, iniquiſſimas conditiones à victo recipiat, quibus ſeq; ac ſuos, infamiâ ac dedecore inurat? An inuito Cæſare, quodq; Carolus ante irritum decreuerat, attentet; recipiatq; ſeruitutem, quam ne libens quidem ſumere poſſit? Sed nulla commentantibus fides ſit: Veritas Ioannis Galeatij teſtimonio eruatur; quod Archiuo Mediolanenſium habitum, Mantuani annales continent; & nos hoc loco, ne voculâ quidem mutatâ inuertimus.

Induciæ ad Decennium inter fœdera tos, & Vicecomitem.

1397.

In nomine omnipotentis Dei, Patris, Filij, & Spiritus ſancti. Anno ſalutari Milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſeptimo; die Vndecimâ mēſis Maij. Fidem facio ego infraſcriptus Notarius; qualiter, anno & die dicto, Excelſus, & generoſus Dominus Ioannes Galeaz de Vicecomitibus, Dux Mediolani; Papiæ, Cremonæ, Lodij, Alexandriæ, Vercellarum, Bergomi, Brixiæ, Comi, Nouariæ, &c. Dominus; Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Legato, & Senatus Venetiarum oratoribus; nec non Domino Franceſchino de Caſtelbarco, miſſo ab Excelſo Domino Franciſco Principe Capitaneo Mantuano præſentibus; idem Dominus noſter Dux, conceſſit inducias ad decem annos proximos, dicto Domino Franciſco Gonzagæ, & confœderatis eius. Volens in totum, & nullâ ſuſpicione, inter Mediolanenſis ditionis incolas, & externos, & præcipuè Mantuanos, intercedere ciuile commercium. Et vt liceat omnibus vltro citròq; permeare, merces inferre, & auferre. Nec non imperauit Domino Iacobo de Verme, vt militiam, & equitatū, quem ad Mariam, & Aſolam reliquit, reuocet, & dimittat, saluâ Aſolæ cuſtodiâ. Si-

militer prohibuit ne quis, aut qui ſuorum hominum, in territorio alieno prędam capiant, ſed amicabiliter conuerſentur. Inſuper iuſſit ſpectabili viro, D. Leonello de Turre, Poteſtati Ciuitatis Cremonę, vt ſeptingẽtos captiuos in templis cuſtoditos, ad ſuos abire permittat; vbi prius omnes Mediolanenſes, qui Mantuæ detinentur, ipſi conſignati fuerint. Quod factum fuiſſe, Dominus Caſtelbarcus iuramento affirmauit. Itaq; durantibus decem annorum inducijs, promittit ſe nihil hoſtile, contra ſtatum, & perſonam, Domini Franciſci Principis Capitanei Mantuæ, facturum aut iuſſurum. Sed antequàm hæc induciarum & pactorum conuentio finiatur, vult dictus Dominus Dux, vt dictus D. Franceſchinus Caſtelbarcus, cum iuramento promittat, quòd D. Franciſcus, nec eius poſteri, per decem futuros annos, imponent Pado pontem, in aliquo loco, vt nauigationem impediant; ſimiliter præſidium magnum, Burgoforto & Gouernolo remouebunt. Præterea mittet dictus Dominus Princeps Capitaneus Mantuę, nouum Oratorem cum mandatis, qui ferat Chyrographum ipſius, quo ſupradicta omnia confirmẽtur, & ſanciantur. Et hanc mutuam ipſorum concordiam, iuſſit & voluit à me Notario ſtipulari; cui ipſe Excelſus, & generoſus Dominus Dux Mediolani, manum ſuam primùm, & mox Excelſus Dominus Franciſcus de Gonzaga, Princeps Capitaneus Mantuæ, apponent. Teſtes iſtorum fuerunt, Spectabilis miles D. Ioannes de Lampugnano, Dominus Fęlicius de Tertio, Doctor Iudex Curiæ Excelſi Domini Ducis. Dominus Fabricius de Ceruarijs. Dominus Petrus Præpoſitus, & Dominus Franciſcus de Vicedominis. Actum in Portâ Romanâ, Anno & die dicto.

Ego I. Galeaz. Dux. S. S.

Ita quidẽ vetus Scriptura habet; quamquã ignarus non degam; vulgatas & alias, Viceconitibus adſtipulãtes, quas Mediolanẽſes Annales ſectati ſunt. Hæc quoq; inuerſo ordine, à quibuſdam diſpoſita comperior; Sed Principis familiæ memorias proſequi libuit; quas cum fide ſectamur. Cum ad Vẽceſlaum conditiones delatæ ſunt; neq; contentum ſe reſpondit; & indignatione proruperat, vbi peti Gonzagam Principem feudatarium accepit. Niſi trãſacta res credita, quæ apud Imperatorem promouebatur. Addidit, debuiſſe Franciſcum, non ſuis magis, quàm Imperij iuribus intendere. Aegrè quippe tulerat, magni belli motus, alio quàm ſe leges dante compoſitos; & iræ manifeſtus; ne munera quidem ab vtroq; decertantium miſſa accepit. Sed forte minora cupitis erant. Quamquam ingenitâ vilitate poſtmodum factis annuerit; & nullâ verecundiæ cura, quod aſpernatus fuerat, repetierit. Pulſo Vicecomite, & metu belli in futurum reiecto, Principi Mantuano ac proceribus, qui ſimul bellauerant, Religio inceſſit, quonam in templo, ſingulari oſtentatione, habitæ victoriæ grates redderentur. Nam etiam poſteritati fauor Numinis creditus, qui tot aduerſis conflictatos Gonzagos ſeruauiſſet. Neq; aderat Diuo Auguſtino ſacrum, cuius in feſtum diem fœlicis pugnæ exitus inciderat. Inſtituti tamen profeſſores, apud D. Agnetis erãt; ijſq; exolui viſum, gratitudine, quæ cum familiæ penderetur, Patronum

reſpi-

reſpiceret. Ergo cultui ſacrorum veſtis auro, argentoq; intexta, vaſa argento ſolida, cereorum ingens numerus importatus. Et antiqui moris teſtimonio, literæ gratiam inſtitutumq; atteſtatæ inſculptæ, eodem templo, ſiniſtro ingreſſui ſpectantur; quæ ſic habent. *Franciſcus D. Auguſtino votum ſoluit.*

Vos Patriæ ciues, quibus hic pater expulit olim
Inſubres, lætum dedit & his habere triumphum.
Eſte boni memores, & grata aduertite dona.
Et mecum hic laudes, mecum hos celebretis honores.
Protector Patriæ, ſpes & tutiſſima noſtræ
Auguſtine parens, Doctor, lux inclita ſacri
Eloquij; innumeras Oneas aſpice laudes.
Tendimus vnde manus humiles oculoſue precantes
Venturo aduerſis, vt quondam protege Princeps.

M. CCC. LXXXXVII. Die 28. Auguſti.

Publica voti profeſſio, atq; exſolutio fuit. Et cauſa lætitiæ nobilium ingeniorum commendatione expreſſa. Etſi enim captiui ac naues abreptæ, triumpho non ducerentur; vexilla tamen ex hoſtibus, & arma in trophæi modum præferebantur. Arcus quin etiam, medio D. Andreæ foro extructus, magnifico cum titulo: Franciſcus de Gonzaga S.R.I. Vicarius, & Mantuæ Capitaneus perpetuus, cæſis, fugatiſq; Mediolanenſibus, receptâ Prouinciâ; & pace Vrbi partâ, M. P. Parte aduerſâ, Vermis fugatus, ſtratæ hoſtium copiæ, & abducti captiui viſebantur; Sic ſcripſerant. Franciſco de Gonzaga, Mantuæ Capitaneo perpetuo, victor exercitus Mantuanus, & vindicta hoſtium ſatiatus G. M. P. Iuuentus quoq;, ſiue pars belli, ſiue præſidio Vrbi fuerit, locum Caſtrorum mediâ D. Petri plateâ; diuerſas hinc Mediolanenſium, inde Mantuanorum acies, euentum ac modum pugnæ, captiuitates ac cædes, ludicro apparatu imitata eſt: Ficto ad veri ſimilitudinem Verme, ac Carolo Malateſta: Vt inſtarent, premerent, cæderent, fugarentur: Vtq; Franciſcus victoriæ ſecurus accurreret; & vires languẽtibus ſuis, metum hoſtibus inferret. Iam per Italiam omnem, carmina nobiliſſimam victoriam teſtata legebantur; & Mediolanum delata, in Ioannis Galeatij aulam peruaſêre. Quibus ille non minus, quàm infauſto belli euentu offenſus, parum abſfuit, quin fœdus abrumperet; & conceptam indignationem, in auctores verteret. Sed adhuc confœderati in armis erant; & Franciſcus militem retinuerat, quem dimiſſurum ſe ſpoponderat, vbi pacto, concordiæ ſocij annuiſſet. Audito tamen Vicecomitis dolore; & Arcum amolitus eſt; & literas miſit, priuatam lætitiam, iuuẽtutis incuriam, ſuam ignorationem cauſatus. Sic potentiſſimi hoſtis iræ ſatisfactum; & paruo negocio, ſecuritas quæſita. Copiarum quoq; Ductoribus honoraria à Franciſco conceſſa; quos inter Camillum de Hyppolitis ſupra nobis memoratum, Torque aureo, equiſque; & Ciuitate donatum reperio. Virtus in homine placuit; & non minus pri nceps nobilitas, quàm trecentos ante annos continuatam referebat. Certè Gazoldi, ſiue Villæ Comitatum, toti familiæ, re-

giâ inueſtiturâ à Cæſaribus conceſſum, à Carolo quarto, Venceslao, & ſecutis in præſentem Imperatoribus præ manibus habuimus; quâ cum ſuperſtitum nobilitas, & vetuſtæ originis decor innoteſcat; etiam potentia, virtutisq; teſtimonium datur: Non vt leuibus natalibus, ſed magnis Auis, bello ac pace conſpicuis, Cæſarum, Gonzagorumq; Principum miniſterijs nominantur. Sed viget noſtro æuo, ex poſteris, certa prædeceſſorum Comitum nobilitatis coniectura. Caſtelbarcus Prædio ad Goitum auctus eſt; & reliquis conceſſa pro meritis præmia; vt fortes ſeruarentur, ignaui æmulatione incitarentur. Sequens annus cum ingentium motuũ ſpeciem prætuliſſet; etiam toti Italiæ formidinem à Vicecomite incuſſit. Qui Ducis nomine tumens, & (vt ferebat) debellatis confœderatorum exercitibus, per Hetruriam proferre imperium nitebatur. Gerardus Appianus Piſas imperio habebat; nobilitate Vicecomiti, nõ fortunâ, aut potentiâ comparandus. Hic vbi auerſos ſibi potiſſimos ciuium, parum militis, ideoq; haudquaquàm in longum duraturam auctoritatem videt; internuncio Porro, Ciuitatem (Piombino ſibi retento) Ioanni Galeatio conceſſit, pecuniâ promiſſâ; quâ modicam, ſed manſuram dominationem ſeruaret. Quod licet vltra Apenninũ eſſet, ſpem tamen ac deſideria impotentis viri detexerat; quocunq; loco, ac causâ proficiendi; incuſſeratq; Longobardiæ omni formidinem, etiam Venetis nouitati intentis. Hos Franciſcus certiores reddiderat; vt imminentium gnari, veterem amicitiam, & Vicecomitis animum iuſtè æſtimarēt. Mutationem quoq; rerum portendi, fuſa ſub Aprilis finem totâ Longobardiâ nix oſtēdit, quæ adeò vniuerſa obruit, vt mixta grãdini, pecudes, ſegetem, Villas rueret. Mantuanus quâ Benacum accliui agro ſpectat, miſerè laceratus, vitiferæque arbores exuſtæ ſunt. Ea clades, Vicecomiti, quòd latius imperaret, grauior fuit; creditaq; retinuiſſe potentem Tyrannum; ne habitis Piſis, cætera per Europam præſumeret, & Hetruſcam potentiam in perniciem Longobardiæ verteret. Nam etiam Senenſes, Ordelaffis, ac Malateſtis digladiantibus, ipſi vt potentiori, & æmulos exacturo, acceſſerant. Exercitâ à Vicecomite Italiâ, Conſtantinopolitanus non minori quiete agebat; qui nõ vno congreſſu fuſus, cum Turcarum res gliſcere, ſuiſq; formidinem augeri videret, ad Galliæ Regem ac Venetos delatus, totius Chriſtiani Orbis opes, auxiliumq; inuocabat. Nec à potentioribus ſolùm, ſed inferioris quoq; ordinis Principibus arma, pecuniam, militem, orabat. Annitente Romano Pontifice, vt promptè conferrent. Viginti Triremes, remige ac milite inſtructæ, tranſmiſſæ ſunt; Et cum Franciſcus mari non vteretur, Centum octuaginta iuſtis cum armis, ac pecuniâ permiſſi; qui pro fortunâ, quæ tum erat, & internis ſuſpicionibus, partes iuuarent. Nondum per Longobardiam belli metus, & externorum curæ depoſuerant, cũ interna calamitas ſecuta eſt. Nam æſtatis initio, & præmaturo æſtu, aquæ penuriâ, vndequaq; Paludis alueus nudatus, adnatoq; profundo gramine ac putreſcente, ingens Ciuitatem contagio excepit. Teter halitus vulgares morbos primùm, & ab his perniciem intulit, vt communis cauſa ſuberat, ſic latè fuſam. Nobiles primi correpti, mox

Margin notes: 1399. (beside "tarentur. Sequens annus…"); *Nix ingens.* (beside "Mantuanus quâ Benacum…"); *Peſtis.* (beside "datus, adnatoq;…")

mox in viliores peſtis debacchata eſt,& magnus incolarum numerus raptus. Vocati Medici, modò abnuere pericula, modò curationes profiteri; & (quod in vſu deploratis) deſperationem ingerere. Simul vbi euagata lues nemini parcere,curatos neglectosq́; perdere viſa; longè agere, auerſari curationes, & ſibi quiſq; ſollicitus, in abdito tolerare. Exteri famâ contagionis exterriti, non alimenta inferre, non mercaturæ aut comercio ſtudere. Franciſcus damno ciuium potius, quàm ſui metu, vocatos Medicos precibus ac præmijs illexit; vt vel ſuo diſcrimine, laborantibus opem ac præſidia miniſtrarent. Sed quamquam remediorum præcipua tractarentur, vigebat tamen morbus,curatosq́; ac neglectos hauriebat. Verùm altior cauſa erat, quàm vt ope humana ſubueniri poſſet;idq; pietatis profeſſores perſtrepebant. Et acceptum à Franciſco conſilium. Indictæ templis ſupplicationes, largitiones publico factæ, pietatiſq; operis cœleſtis indignatio mitigata. Mox conuerſus ad vota Franciſcus, ſi Numen incolumitati ſuorum,fugatâ pernicie conſuluiſſet, Redemptoris ſepulchrum inuiſurum ſe recepit; ductis in idem obſequium nobilium pleriſq́;, vt Religioni etiam ex modo, honor accederet. Illico peſtis abolita; fuſo imbre, palus contecta; & quod ſordium innatabat in Padum abreptum; aër purior, viſq; languentibus reſtituta. Ciuitati Caroli Malateſtæ præſentiâ conſultum; quem in affinem pietate, in ſubditos temperamento, vſurum ſperauerat. Data etiam ſecreta mandata, vt iuuentutem militaribus exercitijs eruditam, longè ab otio, ac corrumpente licentiâ haberet; neû illatas admitteret, aut prouocaret iniurias; ſed alienis abſtineret, ſua ſeruaret. Pontifex Franciſci voto excepto, duos Auguſtiniani inſtituti miſit, qui comitarentur, conſilio, ſacriſque deſeruirent. Ipſe ſecreto vſus; non hoſpitalitate potentium, non inferiorum pecuniâ iuuari voluit: Sed arcto comitatu, & comparato commeatu vſus eſt; non minori modeſtiæ, quàm pietatis famâ. Fortiſſima triremium, præteritæ victoriæ iure habita, delecta eſt; cui arma, remiges, miniſtri impoſiti; eo numero qui ſuper neceſſitatem eſſet. Franciſcum comitabantur, Vgo de Gonzaga, Franciſcus Caſtelbarcus, Camillus de Hippolitis, Flauius Anguſciolus, Petrus Agnellus, Nicolaus de Rubeis, Franciſcus de Vicedominis, Cæſar Andreaſius, Octauius Capilupus, Ioannes de Ripâ, Antonius Gornus, Gaſparinus de Albericis, Ioannes de Nerlis, Gabriel à Torculis, Federicus Arriuabenus, Ioſephus Benius, Iulius Caltius, Andreas Gazolus, Michelettus Facinius, Ioannes Groſſus, Cæſar Guaſtauilla, Octauius Caprianus, Paulus Emilius Bazonus, Lorēzinus de Pretis. His, ne multitudo, oneri aut impedimento eſſet, rara ſeruitia conceſſa. Veteranorum, & ſtipendio Principis tolerare ſolitorum ſexaginta; è Principis domo famuli viginti. Quod loci reliquum commeatus obtinuit. Remiges delectu impoſiti; ne qua mora cupitis eſſet. Feliciſſimis auſpicijs, & compoſito velut in obſequium mari, tantum Pelagi emenſus eſt; & intra octauum menſem ad ſuos redijt; liberatâ fide, quam ſuperis dederat; & nemine ſociorum deſiderato. Reuertentem Senatus Venetus, Regiâ munificentia excepit;

Franciſcus Hieroſolymas ex voto.

pit;

pit; conceſſitq; ſuum inter Patritios Senatores locum; vt quod olim ius dederat, Franciſcus coram exerceret. Margarita coniunx, vniuerſiq; Ciuitatis nobiles, appellentem litori Mantuano Triremem coronâ cinxêre. Haud minus læti recepto Domino, ac nobilibus qui ſimul aderant; quàm dum captiuam Vicecomitis claſſem, victricibus copijs circumſideri, eodem portu viderant. Nec publicâ lætitiâ abſtinuêre; clauſa fora velut iuſtitio; palam ſuperis gratiæ redditæ, & in egenos largitionibus certatum. Cæterùm conceptum ab omnibus gaudium, non in longum fuit; ſed victoriam ſummo honore habitam, ſancitas ad Decennium inducias, repetitam cum ſocijs Patriam, ingens luctus excepit; ereptâ è viuis Margarita coniuge, optimo Principe dignâ fęminâ; & quâ cum ſummâ concordiâ vixerat. Nec adhuc Carolus frater Mantuâ exceſſerat; auctuſq; dolor vtroq; viſo, & vidente. Ciuitas in mœrorem luctumq; compoſita, defunctam inſatiabili queſtu proſecuta eſt: Nam parentem Patriæ, Patronam miſerorum, auxiliatricem oppreſſorum appellabat. His enim artibus gloriam apud ſuos, exteros famam comparauerat. Haud dubiè honor familiæ, populorum tutela, in bonâ fęmina eſt; quòd prono in clementiam ſexu, pleraq; pietate apud ſubditos tranſigantur; viris aut ſeuerioribus, aut neceſſitate minus intentis. In Medicos ira omnis: Et Gabriel à Torculis, qui Principum valetudines regere ſolitus fuerat, præcipuus in calumniâ erat; quòd longâ valetudine abſumptæ, & ſummo aëris rigore, venam aperuiſſet. Princeps miſſo ſanguine interitum ſecutum nolebat; cum diuerſa accuſarentur. Sed ſiue adiuuantibus in perniciem, ſiue diſceptantibus Medicis erepta eſt, florente ætate, & eo maximè commendata; quòd cum in mariti dilectionem effuſa eſſet; Paternam nihilominus domum caritate proſequeretur. Ductum funus ad D. Franciſci templum, lugubri & regio cultu: quod nobiliſſimum, coniugis, fratris, ciuium lachrymæ reddidêre. Et Franciſcus, vt habito, paucos ante annos ex eâ filio, lætitiæ nimius egerat; ita doloris impatientiâ, ſuam ipſe impotentiam teſtatus eſt. Miſerabile ſpectaculum, cum defunctæ fratrem, maritum, ſororem, vtriq; filium ac nepotem, hos omnes, ciues, nobiles, conſanguinei, conſtantiæ ante alios indigi, ſolarentur. Dum auitis Rimini penatibus, fratris cuſtodiæ commiſſa tolerabat, magnam parentem fore, Mathematici prædixerant; cęterorum neſcij egêre. Plenam luctu Vrbem, grauis inſuper à Maleſpinis Marchionibus nuncius confecit. Qui miſſis literis, inductas Vicecomitis magnas in fines copias; & amiſſa pleraq; docebant, iamq; de ſummâ rerum agi; niſi amici expergiſcerentur. Equidem veteri conſanguinitate illegati Gonzagis, & recenti amicitiâ fuerant. Hinc dolor; & quando longius ſiti forent, quàm vt promptè iuuarentur, aucta męſtitia. Neq; manifeſta ſolum, ſed futura iniuria metuebatur. Nam ſenſim proficere magnum hoſtem; & eò potentiæ accedere formidabat Franciſcus, quę pudori, honeſto, iuribus potior euaderet. Reſponſum tamen, ſeruiendum tempori, & irritari potentiorem ex re non eſſe. Pluſque obſequio profecturos, quàm æmulatu. Miſſus nihilo-

Margarita Franciſci vxor moritur

Franciſcus intercedit p Maleſpinis apud Vicecomitem.

nihilominus Albertus Cappus Mediolanum,vt preces pro deploratis affer-
ret.Ioannes Galeatius,cum ſuperbiam,audaciam,infeſtatos fines;& pleraq;
honeſtandæ libidini interieciſſet; paratum ſe reconciliationi tamen profeſ- 1400.
ſus eſt; ſi ſupplices conceſſiſſent. Milleſimus quadringenteſimus aduene-
rat, turbis & recentibus apud pleroſq; offenſionum cauſis ſuſpectus. Gre-
gorium Pontificem in primis Româ abſentem, ciues orabant,rediret in Se-
dem Imperij; nec humanũ genus, cui cuſtos impoſitus eſſet, præſentiâ frau-
daret. Ille ſecretum redeundi deſiderium, ſpecie recuſantis texit; vt obſe-
quium abnuentes, officio promptiores redderet. Id proximè ad prudẽtiam
accedere creditum; expedireq; celato affectu,eos voti reos facere,qui ſimul
cupiuiſſent. Celebrem annum,eorum quoque temporum apud Germanos
mutationes reddidêre. Siquidem Venceslaus Imperator,otio & torpore ſo-
lutus, nullâ Imperij aut ſociorum curâ, neglecto in Eccleſia Schiſmate, Hæ-
reſibus per Boëmiam pullulantibus,contempto per ignauiam Chriſtiani no-
minis iurato hoſte Ottomanno, qui magnis progreſſibus,Hungariam victri-
ci exercitu attigerat; ſubrogato Bauariæ Duce, pulſus Imperio eſt; quod in
filium licet degenerem, ſtudio & expensâ Carolus tranſtulerat. Sed malè
quæſitorum breuis ac turbata poſſe[illegible]io eſt. Nec teſtibus opus erat,vt ſecor-
dia probaretur. Quâ enim collatum Imperium facilitate acceperat,eâdem *Venceslaus*
negatum dimiſit; non doloris,nõ indignationis ſigno dato: ſed nec apud fa- *Imperio exu-*
miliares queſtus iniuriam, ſed modico Boëmiæ Regno contentus. Adeò vt *tus.*
niſi negligentiam nouiſſes, æquanimitatem iudicaſſes. Decreto,quòd Prin- *Robertus*
cipes Imperij Francofurti tulerant, Bonifacius qui Vrbano ſucceſſerat, votũ *Imp.*
tulit. Potiſſima in Venceslaum indignationis cauſa Florentini erant; qui
populo ac pecuniâ validi, exigi Cæſarem procurauerant, ne fauore Viceco-
mes præualeret. Iam enim, bona pars Hetruriæ in ius abierat; & potenti
Tyranno vallati,extrema metuebant. Certè cùm in Boëmum plurima cu-
mularentur, illud in primis Germaniã augebat, quòd Ioanni Galeatio Du-
catus nomine,ſpecioſiſſimam Italiæ partem cõceſſiſſet. Quâ translatâ,mo-
dicæ aut nullæ Imperio trans Alpes vires Cæſaribus Germanis ſupereſſent;
licereq; Italis oſtentatâ virtute, etiam Ducem iactare. Eâ causâ in Carolũ
parentem contumeliâ accendebantur; quòd ille indulgentiâ, potentiſſimas
Germaniæ Vrbes, Imperio auulſas, libertate donaſſet. Frãciſcus ſanè, mo-
tum loco Dominum, à quo pleraq; beneficio accepiſſet, ægrè ferebat,& Pa-
rentis recordatione, quem Gonzagis fauorabilem non vno documento co-
gnouerat. Sed tutelam profiteri,augebat Vicecomitem, abnuere ingratitu-
dinem proferebat. Neq; Venceslaus ipſe,aut requirere, aut velle ſubſidia
teſtabatur; ambiguus cuperétne,an contemneret. Cæterum vt Vicecomi-
tis,ac Florentinorum diuerſæ ſpes erant, ita mutatione Cæſarum varij affec-
tus prorupêre. Ioannes Galeatius, Venceslaum,cuius donum Mediolanen-
ſem Ducatum reputabat, apertè fouebat: Non expenſis, non labori, nõ diſ-
crimini parcens; ſi torpido, & magnæ fortunæ impari, cupido regnandi af-
fuiſſet. Bauaro plus cauſæ ac virtutis, minus virium ac fortunæ erat. Hunc
ancipi-

ancipitem, & quo facinore Imperatoriam auctoritatem teſtarentur ignauiam, precibus ac muneribus, Florentini Vicecomitis hoſtes occupauêre. Neq; eius ſtudio magis, quàm ne Venceslaus potuiſſet: cuius fauore proficere Mediolanenſem, & maiora Duce concipere ſuſpectabant. Conſulebant in Italiam properaret; & quo læſa Cæſarea Maieſtas, regno & exiſtimatione à Vicecomitibus foret, coram deprehēderet. Etiam Franciſcum, eodem metu ac ſuſpicione iactatum, trahere in partes, & hoſtem Venceslao reddere maturabant. Sed præſentem Ioannis Galeatij potentiam, Germanorum ignauiam reputanti, tutius videbatur, odiſſe, quàm offendere. Roberto miles quidem inuadendæ Italiæ non temnendus erat, ſed deerat pecunia, quâ vniuerſa tranſiguntur. Dites Florentini erant; & vt Ioannis Galeatij conatus fruſtra eſſent, dubia bellorum metuentes, perpulêre Italiam magnâ manu ingredi, & in Vicecomitem Imperij contemptorem inferri; Daturos ſe quippe pecuniam, & Venetos cauſam cappeſſituros promiſerant. Vicecomes, quamquam nullum in Venceſlao præſidium foret, potiſſimam tamen odiorum cauſam agnoſcens, & eâdem aleâ res ſuas, quâ Venceſlai verſari, milite ſe ac pecuniâ inſtruxit; miſſisq; ad eum literis monuit, honori ac vtilitati mutuæ conſulendum. Plurimùm enim intereſſe, commendatione omnium, an calumniâ exceptus vitam quis tranſigat. Sed non ille decoris, non Regni, non amicorum anxius, eandem ignauiam, pari luxu ac negligentiâ continuabat. Et Robertus ſollicitudine, officio, precibus eò progreſſus fuerat, vt viginti quinq; hominum millia, ſine pecuniâ, & commeatu, rapto & licentiâ vſuros, per Alpium anguſtias, in Benaci planitiem traxerit. Tacitis conditionibus cum nouo Cęſare Florentini tranſegerant, vt vbi Italiam tetigiſſet, Mediolanenſi ditione, cum vniuerſo exercitu conſideret. Abſtracturus haud dubiè Vicecomitem à Tuſciæ bello, quod ille magnâ curâ proſequebatur. Itaq; vbi non longè Brixiâ conſedit, Vicecomitis copiæ vniuerſæ accurrêre, & Caſtris iuxta poſitis, frequentibus velitationibus congreſſæ; vt quæ conſtantia, qui animi ſubeſſent, noſceretur. Mediolanenſis equitatus validior, & ad celerem pugnam inſtructior, quàm Germano erat. Hinc Italo animus, Germanis metus acceſſit. Sed vbi quotidiano excurſu, pabulum intercipi, ſpem futuri adimi, & inſoleſcere ſucceſſu rerum Vicecomitē videre, Germani iniuriarum neſcij, tota mole cōcurrêre. Aequata plures horas inter pedites pugna; & victoria pro Germanis credebatur; niſi expeditus eques, dorſo ac lateri inuehi iuſſus, ordines primùm turbaſſet, mox in confuſos delatus, cladem ac conſternationem intuliſſet. Sic flexa in præceps acies, fugam arripuit. Cęſi Germanorum innumeri, quos victores in noctem conſectati ſunt. Quod ſpoliorum fuit, in Mediolanenſes ceſſit. Sequenti, paganorum relatione innotuit, celerato itinere, plures hoſtium in Mantuanos peruaſiſſe; vt ſeſe alieno tutarentur. Miſſus Camillus Saccus cum octingentis equitibus, vt perſequeretur; qui palantes ac viarum neſcios in tertium cecidit. Franciſcus potenti ac victori hoſti obſtrepere abſtinuit; metu veterum irarum; Ne toties fruſtra quæſita occaſio, promptè arripe-

Vicecomitis & Cæſaris congreſſus.

Vicecomitis aduerſus Imperatorē victoria.

arriperetur. Imperator flagitij manifeſtus, depoſiti locum malè impleuiſſe, & minus Germanæ virtutis opinionem approbaſſe videbatur. Sed Vicecomiti gloria addita; & metus odij ſuſpectis. Hos inter Franciſcus, olim proſperâ, ſæpius aduersâ in potentiorem fortunâ vſus, velut ad certum ictum deſtinaretur, militem parabat. Sed nihil æquè glorioſum victorem angebat, quàm Ductorum inopia; & rari copiarum magiſtri, quos virtus, fideſq; commendaret. Multò ante, quamuis otium laceſſentem, & prouiſu aſſiduum Franciſcum recoluerat; quem ſuper ætatem rei militaris gloriâ vsû, & cuicunq; militiæ validum nouerat: Sed vxoris cædes, aduerſa pugna, cōtracta cum inimicis fędera, animo obuerſabantur; cupidumq; amicitiæ arcebant; ne ſperare, ne poſcere auderet. Donec Pandulphus Malateſta Caroli frater, inanes ſuſpiciones detulit; & paratum ſecuritati, rogari impulit. Franciſcus pomeridianis receſſibus, cum fidiſſimis amicorum tempus trahebat, quando delatæ literæ, Vicecomitis voluntatem, & delegatum ſuarum copiarum imperiū docuêre. Has Princeps ac Mantuani proceres, vt finem malorum accepêre; rerum ſuarum ſtudio, belli odio, quod intra viſcera metuebât, gloriæ laboriſq; deſiderio: quæ præcipua potentiorum poſſeſſio creditur.

Franciſcus Capitaneus exercituum Vicecomitis

Nec mora ſex peditum millia, equites octingentos, cum mandatis, nō longè Mutinâ, Franciſcum Ducem opperiri delatū eſt: Illum priuatæ quoq; cauſæ ad iras extulerant. Nam fęderibus ſancita multò ante, Bononienſes in quos certabatur neglexerant; fortunæ, quàm fęderibus & ſacramēto ſeruientes. Bernardonus pro Bononienſibus erat, qui Florentinorum auxilijs excitis ſumpſerant animos. Et vbi ſatis militum, ſub ſignis vidit, auſus fuit Franciſco cōgredi; quem peritia locorum, diſciplina militaris, & virtus ſuorum paratiſſimum reddiderant. Orto die cępta dimicatio. Bernardonus Ciuitatem dexterâ, frequentes vineas ſiniſtra habebat: vtrinq; aut virtute, aut ſolitudine ſecurus: Tergum accliues agri, frontem planities ſpectabat. Franciſcus diuiſo exercitu (nam quinq; millia prioribus acceſſerant) ſic inceſſit. Tria millia portæ Bononienſi oppoſita; non vt irrumperent; ſed ne obſeſſi prodire in fatigatos auderent. Dextro lateri Caſtelbarcum, ſiniſtro Carlottum Gonzagam ſtatuit; ipſe mediā aciem ductabat, quæ duobus peditum millibus maior erat. Equites inſultare, & quò hoſtes incubuiſſent exilire iuſſi ſunt. Diei medio ſignum ab vtriſq; pugnæ datum.

Pugnat cū Bononienſibus, & Florentinis.

Sed quamuis Bononienſibus numerus, ars tamen virtuſq; deerat; at in Franciſco prudētiæ opinio, & exiſtimatione gloriæ, præſumpta victoria, acriores ſuos reddiderant. Tribus horis certatum, & fugatis cęſiſq; hoſtibus, victoria Franciſco fuit.

Et vincit.

Duo millia quingentos, è Bononienſibus ac Florentinis perijſſe reperio; plures in traduces vinearum, & vicinos colles fugâ euasêre; multi in captiuitatem abducti. Quos inter Iacobus Carrarius, accuratiſſimis Franciſci precibus imminentem perniciē vix effugit. Eandem fortunam pleriq; Florentinorum ſecuti ſunt; Vniuerſi Cremonam in cuſtodiam à Duce miſſi, ſub noctem tria millia, quos ante portam Vrbis à Franciſco diſpoſitos, aduerſus Ciuium eruptionem retuli; vbi victoriam ſuis, exitium aduerſis vidēt;

& in

& in prædæ partem accitis alijs, qui non longè fugientes inſecuti fuerant, moliri fores, quatere mœnia, excidium minitari, niſi dederentur cœpêre. Bononienſes licèt aliquot dierum obſidionem ferre, & nouis ſe delectibus tutari poſſent, ſpontaneam conceſſionem prætulêre. Accepit obſequentes Franciſcus; ſed exploratâ ante vrbe, & diei medio, vniuerſo cum exercitu ingreſſus eſt. A populatione temperatum, quòd ſeſe dedidiſſent: Alimenta tantûm & veſtis militi imperata; cum cætera intacta forent; Nunquam ita vindictæ intento Franciſco, vt clementiæ famam obbliuiſceretur. Bentiuolius cædere neſcius, & pro dignitate, pro Ciuitate acrius, quam deceat Principem dimicans, fortè non agnitus, à denſiſſimis, in quos irruerat, obtruncatus eſt. Id ſolùm Ioannis Galearij fortunæ deeſſe videbatur; vt non ſolùm hoſtis cederet, ſed perderetur quoq; & Franciſcus totiens hoſtis, totiens oppugnatus, tot inſidijs, tot bellis impetitus, in ſuam cauſam deſcenderet; plusq; amicus officio, quàm hoſtis aduerſo conatu conſtantiæ præferret. Belli aduerſa vrgebant; & externarum licet copiarum ductor, non tamen ſine erogatione erat, quæ bello requiritur; nihilominus Deiparæ Virginis (quam Gratiarum appellant) ædes, apertâ areâ, ad lacus ſupremi ripam, magnâ expenſâ Franciſcus attollebat: Præteritarum calamitatum, & cuius ope, tot aduerſorum victor euaſiſſet, memor. Additi Franciſcani inſtituti Religioſi; qui ſacris præſiderent; & aſſiduas preces, honori ſuperùm funderent. Quinq; paſſuum millibus ab Vrbe locus eſt; quò ne Ciues incerto ac tortuoſo calle, per ſiluas, aut obuias paludes ire cogerentur, patentem viam aperuit; & vtroq; latere, aquarum effluuio recipiendo, foſſas duxit. Hoc ferè tempore Vicecomes Franciſcum, miſſo oratore peruicit, vt ſui videndi deſiderio Papiam accederet. Itaq; obtemperauit, bello ac pace iuxta facilis. Accedebat abolitam alienationem, contractamque aut iuſſam fidem mutuam malè necti, niſi præſentiâ annuatur; quæq; ſciri ab vtroq; expediat, medios pacis fugere: Plus horæ vnius colloquio profici, quàm protractis in menſes literis & legatis; & pleraq; illicò concludi, quæ ſi meditatio addatur, abnuantur. Hæc cauſæ itineris. Neque enim tantæ Franciſco vires erant, vt Ioanni Galeatio, ſi peruicaciam odij retinuiſſet, reſiſtere diutius poſſet: Et vicini aut longius ſiti, fœderibus ac ſocietate laborum delaſſandi erant. Vbi ſecretum conceſſum, prior Franciſcus prorupit: Quem abſentem ſemper hoſtem credideras, ò Dux; fidum miniſterio, & coràm amicum expertus es, non labori, non curæ parcentem, dum honori tuo, commodo, imperioq; conſulatur. Ira tua, & facilis concipiendæ iniuriæ animus, hoſtiliâ me exercere, & tutari tenues res meas impulerunt. Nec enim eæ mihi vires, illi animi ſunt, vt latè potentem Ducem, ſeditione armiſq; laceſſere cogitauerim. Modica pecunia, anguſtis limitibus Mantuana ditio arctatur; & cum tibi pax vtilis, mihi etiam neceſſaria eſt: Nam viliores & alienis abſtinentes, modeſtiâ & paupertate negligimur, potentiores metu, inuidiâ, ſuſpicionibus peruertuntur. Et apud ipſos plus eſt quod amittitur, quàm quod inquietudine comparatur. Infirmiores & nemini iniurios,

Franciſcus Bononia pro Vicecomite recipit.

D. Mariæ gratiarum Templū erigit.

Franciſcus Papiam ad Vicecomitē.

anguſtiæ

anguſtiæ tegunt, & indigentia tutiores facit. Cui tamen incerta bellorũ, & cum validioribus pugnas deleges, habere te fidum expedit; vicinio,caritate obſtrictum,experimento probatum. Hic vallat imperium,pro limitibus decertat;& cum ſua tueatur,ſecuriora reddit aliena. In Mediolanẽſem eò minus prorumpit, quòd irrita meditatio, vaneſcat; nec infirmitas eas ſpes admittat. Domeſtica quidem ſed aduerſa inter nos fortuna, diſcordiæ cauſa fuit. Et tamen expergiſci,honori meo,famæ tuæ intererat; poteraſq; me inſcio turpitudinis è conſanguineâ infami pęnas exigere. Sed tardè parentes, tardius mariti,coniugum ac filiarum flagitia docẽtur. Quis etenim vt veritatem detegat, inuidiam familiæ ſponte ſubeat; etiam exitium,niſi probauerit? Sat citò vtriq; admonemur,ſi animaduertimus; ne cõſenſiſſe credamur. Huius tu memoriam ſi reijcis, quæ me quoq; ſauciat,nulla tibi actionum mearum odium, aut ſuſpicionem incutiet: Sed contra obuium obſequium, paratum officium, fuſæ opes,vita non ſemel inter diſcrimina exercita occurrent; quæ te arguant, me commendent. Hæc forſitan pacem expreſsêre. Ea tamen inter ſuſpectos haud diuturna eſſe poteſt; niſi veterum grauis recordatio, recentibus beneficijs obliteretur; vtrumq; exitus docuit. Vicecomes tanquàm depręhenſus,& leui cauſâ nimiũ irâ prouectus,culpam nec abnuit,nec admiſit; ſed diuerſa reſpondens, partiri in cõſanguineam ac maritum culpam viſus eſt. Id ſolùm ſe ex Franciſco requirere; ne futurum præteriti æſtimatione iudicet: & fidem mutuam accepêre. Mox inſtituti rationem docuit; & quâ operâ immortale decus amico cõpararet,expoſuit. Vetuſtiores inter Florentinos,ac ſpes ſuas iniurias eſſe, quàm vt leui ſatisfactione componantur. Quamquàm nec illum ſibi animum fuiſſe; vt Piſas, ac Senas in ſeruitutem retraheret; ſed ne tot laborũ ac expenſarum conatus, ſibi ludibrio verterentur. Modò Pontificẽ,modò Bononienſes,modò Florẽtinos, honeſtis conditionibus bello finem imponeret quò minus obſtitiſſe: Haud dubiè ęmulatione & inuidiâ; ne quæ ipſis negabantur,ſibi vltrò accederent. Fędera & diſſolui faciles amicitias potentiorum Italiæ ridere; quibus nulla fides, & oblatâ ſpe ſecurioris conditionis, promptus ad validiorem acceſſus ſit. Neq; ſe ſocietates neglexiſſe,quas aduerſis opponeret; quando Franciſcum caritate, Carrarium recenti beneficio obſtrinxerit: Sed infida omnia,& ſimulatum ſtudium excepiſſe. Proinde ſe bello neceſſaria paraturum; nec ipſum Mantuâ, niſi in manus conceſſo exercitu abſtracturum. De Eſtenſi tacuit; ideo Franciſcus ſilentium cauſamq́; perrupit: hortatus quietas res ipſi quoq; & vicino concordiam vellet; quem affinitate contingeret; & cui arma inferri,niſi ſe laceſſito & iniurijs expoſito non poſſent. Secretum donis Franciſco oblatis ſolutum; qui accepto honore lætus, & certiori rerũ ſpe, Mantuam redijt. Carolus tamen Malateſta Ducis fidem conuellebat; neq; ſtabilem amicitiam,vbi occaſio augendæ dominationis inceſſiſſet, profitebatur; ætate,rerumq́; vſu,mores Vicecomitis ac potentiorum doctus. Vix Patriam attigerat Franciſcus, & noui inter Eſtenſem ac Vicecomitem tumultus,præſumptam quietem interrupêre. Nulla in aperto cauſa erat;

niſi inſatiabilis Ioannis Galeatij animus,& ſpes nouæ inceſsêre; vt quiſcentem, nec bellum agitantem Eſtenſem armis adgrederetur. Etiam veterum bellorum aſuetudine, cò pax verterat; vt ſuſpicioni ſemel imbuti animi, tanquàm recens cicatrix, quocunq; etiam leui contactu indoleſcerent. Gonzaga quidem Vicecomitis, ac ſuorum promiſſis crediderat; fide tamen & opinione omnia complecti; & prudentiam vanâ æſtimatione abijcere, ſecordiã iudicabat. Si Eſtenſis ad arma proceſſiſſet, Mantuanum agrum, Mediolanenſium copiarum libidini exponi; eius indefenſi, incuſtoditiq́ue Territorij vſum futurum. Etiam ſi ſuos tutatus foret, aut ſe cuſtodiâ ambiuiſſet, diffidentiam, metum, ſuſpicacem animum oſtentaſſet. Timeri Vicecomes ab omnibus, ſed negligi ſecuritates, ſibi permitti volebat. Vtrique concordiâ prouideri credidit Franciſcus; Eſtenſi ne palàm, ſibi ne ſecretò detraheretur, apud Dominum cuicunq; relationi paratum. Minima viatici iactura erat: Itaq; Mediolani agentem Vicecomitem conuenit; ſed Marignani magno cum equitatu obuium habuit; cui ſe comitem Franciſcus addidit, itineris moleſtiam, negociatione ſubleuaturus. Reſponſum à Ioanne Galeatio eſt, verbis contumacibus: Non nouas Eſtenſis iniurias vltum ire; ſed continuatione recentium, veteres, & fidem ſupergreſſas. Gonzagorum æmulationem animo excluſiſſe; eiuſq́; cauſam à cęteris ſeparaſſe, minori eius offenſione; virtute, meritis, officijs potioribus. Sineret ſe contra peruicacem ſeuerioribus vti; vt eo ſaltem corrigatur, quo non ſemel deliquerit. Frãciſcus conſuetudine obſequij, Principe familiariter vſus, & cõſanguinei voluntatis gnarus, non ſtatim acquieuit; ſed quæ Eſtenſis olim, pro Ioanne Vicecomite Mediolani Archiepiſcopo ſtrenuè egiſſet, facundè proſecutus eſt; quæq́; Eſtenſis in potentioris gratiam acturum ſe ſpoponderat, expoſuit; donec iræ, quàm mãſuetudini propiorem; quos ad damna præmiſerat reuocare, & hoſtilibus abſtinere peruicit. Cæteri partes Vicecomitis ſecuti, in pace egẽtes, inter turbas opulenti, belli auidi; nec rapinis, quibus Italiam conuulſerant exſatiati, querebãtur. Virum Principem, rerum experientiâ probatum, fortunâ ex arbitrio vſum, totius Italiæ Imperio imminentem, Franciſci Gonzagæ iudicio ceſſiſſe; cui vnica Ciuitas vix obtemperet; & pauci, niſi pretio ſeruitium addicant. Cæſares diſcordijs abſtractos; Romanos Põtifices Schiſmate, populorum contumaciâ corruptos; Florentinos vix pro laribus decertare; Ioanni Galeatio integra omnia; non militem, non commeatus, non pecuniam deeſſe; ſupereſſe Theſaurum, agendis rebus adminiſtrum; & in Vinceſlao, quam Ruberto, plus ſpei eſſe. Italiæ Imperium proponi; nec defuturum, niſi neglectum ac reiectum. De Regno certare regium eſſe; ſuo contentum degere, puſillanimitatem ac ignauiam credi. Quærendam in aduerſis pacem; blandiente fortunâ ſecundis inſiſtendum: Habere ad manus ſocios, ac fidiora conſilia, quæ ſi admittat, nullâ fortunâ agere: Vbi pulſum Schiſma, & vniuerſæ Imperij vires vni acceſſiſſent, irritos conatus fore; nec leue negocium tueri parta. Iam vilitatem Ducatum eſſe; tot Vrbibus, tot populis obedientiâ iunctis: Regnum cui ſtudeat, niſi augeat, miſerrimum fore.

Vicecomitẽ iratum Frãciſcus Eſtenſi conciliat.

fore. Non latuêre Gonzagam, quâ famâ carperetur, quàm iniqua ſuaderentur: Ergo ad Ioannem Galeatium componit epiſtolas, in hanc formam: Nihil æquè ſibi iniquum, ac oſtenſam totiens, per ſecunda, per ſiniſtra fidē, quotidie probationis egere, metu detrahentium; quorū ſermonibus excipiendis Principum aures obnoxiæ. Id tamen in amici Principis gratiam ſubire; quem prorſus in cultum delegiſſet. Inter Eſtenſem ac Mediolanenſes pacem conſuluiſſe, pari vtriuſq; vtilitate; ſi præterita, ac præſentia penderētur. Hinc imminentium conſilium valere. Nec pro confecto reputandum, quod fortuna abſconditum, ſecreto contineat. Etiam ſi ſibi iniuriæ reus Eſtenſis crederetur, non tamen bellum conſulturum fuiſſe, quòd recens Mediolanenſium Imperio additi, ſeceſſionis occaſionem obſeruent; qui ſeruitutem euasēre, fœderibus illigentur. Florentinos, Venetos, Carrarios, Eſtenſes, atq; adeo Pontifices æſtimādos, qui Vicecomitum res, in æquo toleraturi ſunt, in ſummo faſtigio inſectaturi. Relinqui ab latere Veronenſes, Bononienſes, Piſanos, Senenſes; quorum alij longius ſiti, alij obſequij neſcij ſint, & ex vtriſq; metum. Spontaneam ſeruitutem crediſſe flagitium eſſe; apud homines libertati innutritos, & alienos Dominos ignorantes. Magno diſcrimine, minimum quid; & incerta, certiſſimo periculo quæri. Nondum Rubertum Bauarum à potioribus Cæſarem dictum; & licet clade acceptâ; nouo tamen milite, & auxilijs inſtructum conquieſcere; forſitan & meditari. Eſſe illi ingentes vires; & continuis lamentationibus gentium in Italiam vocari, ab ijs qui palam hoſtes Vicecomiti, etiam intus infenſi degant, oſtentatâ pecuniâ; cuius gens auida, hac vnâ, Patrium ſolum inuertit. Hanc meditationem optimam, hæc conſilia ſcientiam habere. Quantò prudentius recentem potentiam, tempore, milite, pecuniâ foueri; vt in poſteros intacta poſſeſſio, ac diu duratura tranſmittatur? Recentius Vicecomiti imperium, quàm vt ſubditi aſueuerint, cum lacte, & ab incunabulis obſequium imbibere. Dandum interſtitium, vt temporis beneficio, res ex ſeſe nutantes, ſoliditatem nanciſcantur. An aliquid inconſultius, quàm vlteriora tentare, prioribus nondum firmatis? Se ex conſcientiâ & vſu loqui; cęterûm paratum vtcumq; voluntas inceſſiſſet, bello ac paci; dummodo ſiniſtra, ac ſibi præuiſa, diuerſa conſulentibus, imputaret. Vbi præualere cauſam qui contraria propoſuerāt vidêre; ad vim imperij conuerſi ſunt: Sed rationibus penſitatis, tumultus libidinem præferebant. Attamen ſeu ratio, cui ſuus in dubijs locus; ſeu Gōzagæ auctoritas, fluctuantem, inter pacis belliq; conſilia attinuêre, ne Ducū exercitus præcipuo diſſentiente, aduerſa fortunæ in ſupremum Principem reijcerentur. Sic Eſtenſis Vicecomiti compoſitus, aut ad tempus expeditio ſimulatione dilata. Sunt qui credant reiecta Franciſci conſilia cauſam offerre potuiſſe; ne Vicecomes bellum ſumeret; parum ceſſura, Imperatore indignante, & militarem diſciplinam corrumpente. Rem portētoſam, haudquaquàm proſequi animus fuerat, niſi Mātuanos quoq; ſocietate veſaniæ attigiſſet. Cum enim modica per Italiam pax, ſummis diſcordijs intercidiſſet, Cottijs Penninisq; Alpibus, ingens hominum colluuies, in ſubiectas Ci-

uitates defluxit. Sacerdos quidam (origo parum ſcitur) ſingulari in ſpeciē pietate, quoſdam ſibi eodem prætextu addidit; etiam famâ ſui illectos. Inſtituti ratio non alia, quàm vt puritatem, integritatemq; profeſſi, albo tegumento noſcerentur. Simul Cruce inſigniti, quem Ducem ſibi delegerant, ſequerentur; conclamatâ vbiq; æterni Dei miſeratione. Ipſe agmen ducere ſolitus, ſeruatoris Cruci affixi imaginem præferēs procedebat. Vbi ſatis comitatus, & plures opinioni acceſſiſſe comperit, Longobardiam primùm; mox Hetruriam; demū Romanum Patrimonium peruaſit; tanto accurrentium numero; vt plures Viginti millibus numerarentur. Hinc apud intentos, varia de homine fama erat: Alij pietatem affingebant, cuius ductu tot millia reſipuiſſent, corruptis maximè temporibus; cum ius, faſq; exutum, & nulla foret honeſti cura. Eo ſtimulo conſceleratos; & quos publici mores non mouiſſent, eguiſſe: Neque leuiora æſtimari; & magno exemplo apud peruicaces opus eſſe. Contra alij, affectatam publico oſtētationem; neſcios conſilij comites, morem vitæ barbarum; non idem ſemper apud ſuos egiſſe, in ſuſpicionem trahebant: Ne homo, viliſſimo loco natus, ſi vires ſuas introſpexiſſet, ad ſuperbiam mutaretur; aut diu abditam proferret. Inconditam, promiſcuamq; multitudinem, poſſe vel ſine armis, & temeritate, obuia quæq; perfringere. Bonifacius Pontifex habito ſuper re magnâ & vrgenti, conſilio, metu maioris incrementi, cui ægrè obſiſti poſſet; non longè Vitetbio cum ſuis agentem, oſtentata honorum ſpe, & amplioribus promiſſis circumuenit. Mittit qui conſcientiam quoq; ementirentur; & res nouas oſtēderent, occupanti paratas, ſi nauare voluiſſet: ſed ſecretò rem indigere; ſeq; ſocios ac adminiſtros offerrent. Quos ille (adeò temeritati parum conſtantiæ eſt) vt fidos accipiēs, inter amiciſſimos recepit; vt egredi è turbâ, & longè à ſuorum tutelâ agere non metueret. Occaſionem conſpicati qui miſſi fuerant, hominem cathenis onerant, & in Vrbem trahunt. Quæſtioni admotus, quia diſſona & parum hærentia proferebat; per tormenta interrogatus eſt, & veritas expreſſa. Patuit ambitione, ac ſuperbiâ, tectis pridem vitijs, tam magna tractauiſſe; & pietatis ſimulatione, etiam Regnum quæſiuiſſe. Exitum rei neſcimus; niſi credamus quorundam ſententiâ, ſecretâ Vaticani parte ſuffocatum. Socij, quiq; minori nomine, ſine flagitio præſentia ſequebantur, diſiecti; & in varias Italiæ partes trāſmiſſi. Didicere Principes, etiam Religionem obtentui ſumi, & eâ perditos ad ſcelera vti, vbi turbare compoſita aggrediantur; neque illicò ſimulationi credendum, ſed niſi probatâ veritate, certam pietatem admittendam. Vicecomitem ſimilia nō permouêre; ſiue qui Mediolanenſi inceſſerant, minori numero erant, quàm vt metum facerent; ſiue ad externa diſtractū, reliqua non afficiebant. Itaq; Florentinorum vires exoſus, qui totiens obſtitiſſent, vt iniuriam recolens, ſtatuit Ciuitatem formidabili exercitu cingere. Comitemq; Albericum, miſſis literis iuſſit, vim omnem equitum, peditumque, quos totâ Hetruriâ diſpoſuerat, in Florentinos rapere. Et Albericus minus incertos belli euentus, quàm ſui Principis iram metuens, obſecutus eſt: Nō ante præmeditato,

Candidatorum exercitus.

Diſſoluitur.

ferretne

ſterretne ſolum, pabuli ac frugum indigum, tantam vim hominum; an paucioribus ſatis eſſet, cogendæ arctandæq; Vrbi. Non enim ingentes exercitus, quos alere nequeas, opportuni; ſed militiæ numerus agro conferendus; ne in manifeſtam perniciem indigentiâ frugum trahatur: Si præcipuè, neq; ab exteris haberi commeatus poſſint. Numerabantur Duodecim millia equitum, peditum duodeuiginti; quos vniuerſus Apenninus nutrire nō poterat: quamuis illorū vſui, omnis agrorum prouentus inſumeretur; quemq; Florentini Paganis in portionem tradiderant. Nil Florentinis inexpectati accidit. Nam receptis à Vicecomite Senis, Piſis, Bononiâ, vniuerſas vires Florentiam miſſurus credebatur. Eâ causâ, commeatus Vrbi importatus, arma, miles, pecunia conquiſita; & ſcriptæ ad Pontificem, Venetos, Carrarium ac Gonzagam literæ, vt fœdere icto aduerſus communem hoſtem accingerentur. Ioannes Galeatius deditæ Florētiæ nuncios indies opperiebatur. Non enim vires reſiſtendi nouerat; ideoq; validiſſimum exercitum immiſerat, vt bellum vno ictu patraretur. Quidam annonæ metu, repentinam, arctamq; obſidionem imperaſſe volunt; gnarum arido ac egenti ſolo, homines ac iumenta diutius tolerare non poſſe. Nil aliud rebus ſuis, votisq; deeſſe crediderat. Et velut in propinquo, inſignia, apparatumq; nouo Regno formauerat. Franciſcus in Hetruriam parari expeditionem ſæpe aliàs, tum ſecretis amicorum literis edoctus, grauiter admodum tulit; quòd in fidem receptus negligeretur; & velut exteris, rerum maxima permitterentur; ipſe virtute ad Bononiam approbatâ, ſecuritati cauiſſet. Vnde formido motæ mentis, & ſi vita Vicecomiti diutius fuiſſet, ſuſpicio noui belli. Non deerāt amici qui monerent, diſſimilium infidam ſocietatem; nuſquàm tantùm caritatis effingi poſſe, vt Mantua non deſideretur: Etiam Ieſum ſe Ducem profeſſum, ſtudio Eſtenſium, quos ſemper Gonzaga protexiſſet. Neq; alij concitores irarum in Mantuanum erant; quàm qui Ferrariam inuadi, aduerſante Franciſco cōſuluerant. Obſecutum quidem Franciſco Vicecomitem dicebant; ſed altius indignationem proceſſiſſe; quaſi promptum ſe voluntati præſtare renuiſſet; aut prudentiam maiorem iactauiſſet. Nec minus petulantiâ Nicolai de Turre excanduit; quod in Hetruriam ad bellum profecturus, delegatos ſibi Sexcentos equites Mantuano raptauiſſet; quaſi facturus iniuriam, populatione agri, oſtentatione militum, qui Franciſco negarentur. His alijsq; expergefactus, intentior agere, pecuniam ac iuuentutem retinere, munire ditionis extrema, & ſecretis ſe amicitijs vallare nixus eſt. Quippe impoſſibile videbatur, vaſtas Ioannis Galeatij ſpes, habita Florentiâ, per Lōgobardiam expleri: Quin ſimul Gonzagos Mantuâ, Patauio Carrarios exactos vellet, & parte Lōgobardiæ opulentiſſimâ, eâq; ſpecioſiſſimâ, quæ in Mare vſq; protenderet, potiretur. Parum ſecuritatis Eſtenſi ac Venetis erat: Nam ſi principia ambitioni ceſſiſſent, cætera neceſſitate ſequebantur. Quòd ferè magnorum exercituum prior victoria, exiſtimatione virtutis ac fortunæ, reliquos deliberantes in obſequium cogat. Id ante alios Veneti, nec minus Franciſcus, & Eſtenſis præuiderant: quæ fortiſſima fœderis occaſio, commu-

Vicecomes Florentiam obſidet.

nione periculi, ineuitabilis & inſtantis. Quæ Mantuam ac Ferrariam labes
pręcedentibus annis infeſtauerat; Mediolanum quoq; grauiter afflixit, mul-
titudine & diuerſitate incolarum. Ciuitatem morbis obnoxiam, præter aë-
ris corruptelam, vicorum anguſtia, annonæ penuria reddiderant: quâ Ioan-
nes Galeatius correptus eſt, vergente iam ætate; & pleriſq; nobilium Vrbis
deficiētibus. Conſuluêre Medici perflatum purgatumq́; cęlum requireret:
Nec dubitatum, Papiam ſalubriorem eſſe; patenti circum campo, Ticino ir-
riguam, & ædificiorum altitudine, anguſtiaq́; vicorum aduerſus Solis æſtum
munitam. Eò vbi ventum, anguſtia obſtitit, quòminus rerum publicarū
adminiſtri, & Ducem comitari ſoliti, reciperētur. Itaq́; relictis Papiæ pro-
ceribus, Marignanum delatus eſt; pulcherrimo proſpectu; & Lambro Amne
amęnitatem conferente. Sed iam ante contagies hauſta fuerat; & cœli mu-
tatio, proferre, nō vincere morbum poterat; qui cautione, quàm curatione
eguerat. Tertiâ Septembris Milleſimi quadringenteſimi ſecundi, inter vi-
Io: Galeatij mors. 1402. uos agere deſijt, cum Florentiæ deſiderium; & ſerum victoriæ nuncium que-
reretur; neque tot millium ſecordiam magis, quàm Ducum ignauiam accu-
ſaret; ætatis Quinquageſimo quinto. Vir magnitudine animi, & bellicis vir-
tutibus, neq; minus fortunâ commendatus: Cuiq́; haud falsò totius Italiæ
Imperium eueniſſet, ſi plures in annos æuū produxiſſet; aut fortioribus mi-
litiæ Ducibus vſus foret, fidemvé certiorem ſeruauiſſet. Acceleratum glo-
riæ curſum, & Regiam potentiam, incertis conſilijs, inſtabili animo, cupidi-
tatum, dominandi nimius, ipſe corrupit: Nec minus dum in plures expedi-
tionibus intendit; & diſtractū exercitum, qui ſimul valuiſſet, infirmat. Sed
præcox cupiditas, maturare oppugnationes, & pluribus ſimul locis bellare
compulit. Altero ante obitum menſe cum delectum militarem, Ducumq́;
apud legiones haberet, Ottonem, Iacobum, & Ioannem de Terzis, copiarum
rectores, oppidis aliquot Parmēſi ditione ornauit. Sed ſecuta tempora inu-
tilem donationem, turbato Parmenſi reddidêre. Mors Vicecomitis, Franci-
ſcum formidine ſuſpenſum abſoluit; quòd vniuerſa potentia in tres filios di-
uiſa, minus in ſummam valeret; & fratrum concordia, etiam vbi dominia
minora ſunt, raro ex fide ſpectetur. Ioannes Maria cui Mediolanū ceſſerat,
Philippus Maria cui Papia; necnon Gabriel Anglus, furto ſuſceptus, cui Pi-
ſæ ac Crema, de imperio dimicaturi videbantur. Et quia auidis nullus eſt
habendi modus; Ioannes Maria, prior naturæ lege, credebatur cōceſſam re-
liquis fratribus poſſeſſionem repetiturus; nec illi niſi armis deuicti, ceſſuri
auctoritati ſperabantur. Deniq; verſis ad interna armis, pacem exteris fu-
turam. Sed iactum pridem cum Ioanne Galeatio fędus, nouo obſequio fir-
mare, & non niſi laceſſitum, fidem mutare decorum famæ Franciſcus opina-
batur. Quippe potentioris gratiâ plures in votis habituros, & ambitu quæ-
ſituros ſciebat: neq; vltimum amicitiæ acceſſiſſe expediebat. Inter has tur-
bas, & obuerſos ſingulos in ſua commoda, (nam nonnullis ſeditiones vſui vi-
debantur) diuerſi diuerſa tenuêre. Apud Italiæ proceres, affuturum tempo-
ri Franciſcum circumferebatur; veterum ſimultatum recordatione; vbi agri

vaſtita-

Digitized by Google

vaſtitatem, cędes, rapinas animo reduxiſſet; etiam paucos ante menſes dubitaſſe, num palam fęderibus, omiſſo Vicecomite, accederet; præuentamq́; morte ſeceſſionem. Hæc in Principe Mantuano erant; ſed vbi ſupremis tabulis relictũ ſe tutorem filijs accepit, pietas iram obliterauit, nec minus famæ ſtudium, cui ſe quocunq; titulo occidere nouerat, ſi in creditos, hoſtilia tractauiſſet. *Franciſcus tutor filiorũ Io. Galeatij.* Certè impar Mediolanẽſibus Mantuanus erat, ſed firmatus ſocietate aliorũ, & intus vi valida, plus opinione, aduerſus diuiſos fratres profeciſſet. Id illi æuo integri iudicij ſuberat, vt iuriſdictiones, tituloſq́; iuxta non æſtimaret: Quod illa dominationẽ ſitam in ſolido, hi appellationes inanes præſeferrent. Nec quibus ſupremi erant, ſtatim inferioris ordinis Principes potentiâ, aut diuitijs ſuperabant. Imò minori re, Comitatus, ac Marchionatus iactabãt. Et facilè apud venalem, & Imperatorem corrumpi facilem, ſimilia auro parabantur. Franciſcus licèt auctus reditibus, inauium tamen deſpectu, adhuc Imperij Vicarium, & Ciuitatis Mãtuanæ Capitaneũ agebat. Id ſuo dedecori cedere Venceslaus opinatus, tanquàm vulgatũ honorem, meritiſſimo negaſſet; & minori apud ſe gratiâ Gonzagam valere oſtenderet; nobilitatem vimq́; certioribus pretijs æſtimauit. Eo excuſatum ſe credidit, quòd non datam repulſam, non petitam dignitatem à Mantuano Principe ſciret; cui mole ſuâ, & innatâ familiæ claritudine, adſpirare potuerit. Eadem cæteri aulici, ſeu vero, ſeu adulatione prorumperent, teſtabantur: quibus euictus, miſſis literis, Franciſci modeſtiam perfregit, paulò minus, quàm ſuperbiam obijciens. Illum vetuſtate obſequij, eo meritorũ proceſſiſſe, vt nîl deſiderare poſſit, quod non fides, ac officia in Germanos Cęſares mereantur. Multitudinem beneficiorum, quamquàm honori addat, augere tamen gratitudinis neceſſitatem; quâ non ſe ſolùm, ſed & eius poſteros obſtringi deſideret. Obligari quidem Carolo Diuæ memoriæ parenti, totiens confirmato Vicariatu; nec minus conceſsâ Boëmici Regni nobilitate, Regijsq́; inſignibus: Se tamen vt ex illo ortũ, ita hæredem caritatis in Gonzagos eſſe; ingenuèq́; fateri, quibus amicitijs ſanctiſſimus Parens, Italos hoſtes aduerſos fregerit, & in ſeditioſos valuerit. Titulo quidem non augeri potentiam; ſed Orbem terrarum, honoris cauſas, & ſupremi Imperatoris dilectionem præſumere. Id Gonzagis, dignatione potius cenſendum; vt qui obſequium aduerſus ſe, ac ſucceſſores Cæſares iurârint. Quòd ſi nobili titulo antetuliſſet, dantis non minus quàm recipientis gloriæ futurum. Non vno documento Gonzagos didiciſſe, vniuerſos falli, ſi gratiam, dignitates, Magiſtratus, ab alio quã Imperatoribus requirant. Indueret proinde Principis animum; & pleriſq; magni nominis virtute ſuperior, etiam titulo Marchionis æquaretur. Franciſcus inter vtrumq; Cæſarem medius, obtruſa ab ipſis beneficia, ita recepit, vt negligens, intentusq́; ageret; prout viciſſitudo rerum, ac tranſitus Imperij ſuaſiſſent. Miſſus tamen Iulius Caprianus, qui verecundiam, modeſtiam, gratitudinem, & paratam cõtinuationi officij voluntatem teſtaretur, beneficium non remitteret. *Venceslaus creat Franciſcum Marchionẽ Mantuæ.* Milleſimo quadringenteſimo tertio Petrus Lupxouicius, miſſus à Venceslao Cæſare Mantuam venit; *1403.*

vt

vt Diploma conceſsionis coram deferret. Sed id in ſpeciem erat; nam ſuberant diuerſa, quæ poſcebantur; pecunia, miles, fœdus aduerſus Bauarum Imperatorem; quem contemptu Venceſlai electũ habuimus. Non quod prorſus ſperaret (iam enim torpore reſolutus, ſpem proiecerat, ſi virtute ſeruãdo ordini eguiſſet) ſed vt alienis conatibus in ſuam cauſam vteretur, retineretq́; Imperium, vt ſine curâ habitum, ſic nullâ futuri ſollicitudine. Crediderat, tum ſe Cęſarem circumferre; vbi ingentia quamquam abnuentibus, obtuliſſet. Nec à vero diſſidet, ſectatum munera; quorum deſiderio, ad ſubditorũ faſtidium annos aliquot peccauerat. Priuilegij ea forma eſt, quàm nos Archiuo Mantuæ Ducum exſcriptam, exhibemus.

Venceſlaus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Boëmiæ Rex: Illuſtri Franciſco de Gonzagâ, Vicario noſtro Mantuæ, & Imperij Sacri Principi, nobis ſincerè dilecto, gratiam Regiam & omne bonum. Sceptrigera Regiæ dignitatis ſublimitas, ſicut inferioribus poteſtatibus, officij & auctoritatis datione præfertur; vt commiſſos ſibi fideles optatè gubernet, cõſolationis præſidio; quòd tronus Regius tantò ſolidetur fortius, & vberiori proſperitate proficiat; quantò indeficientis ſuæ virtutis donaria, longiori benignitatis munere fuderit in ſubiectos. Sicut à coruſcante ſplendore, Regalis ſolij nobilitas, alij velut à Sole radij prodeuntes, fidelium ſtatus & conditiones illuſtrant; quòd primæ lucis integritas, minorati luminis detrimẽta non ſentiat: imò amplioris vtiq; ſcintillãtis iubaris expectato decore perfunditur; dum in circuitu Sedis Auguſtæ, Illuſtrium Principum numerus, ad Imperij ſacri decorem, fœliciter adaugetur. Sanè attendentes multiplicia munera probitatis, præclaræ deuotionis inſignia, quibus præclaræ memoriæ tui progenitores, de inclitâ & generoſiſſimâ proſapiâ de Gonzagâ Sacrũ Romanum Imperium, dignis ſtuduerunt quidem honoribus hactenus venerari. Conſiderantes etiam feruidum tuæ mentis affectum, quo ad Imperij procurandos honores inclinaris attentius: Necnon fidem, deuotionem, atq; conſtantiam; quas & animi creſcente fauore continuò, & corporis exercitio, ad noſtram Regiam maieſtatem, augmentumq́; & decus Imperij, te gerere & geſſiſſe; non opinione ambiguâ, ſed experientiâ certâ, & clarâ mentis acie, ſæpenumero contemplati; quem vera virtus illuſtrat intrinſecus, dignificat fides extrinſecus, totumq́; celebrat ſummis odoribus flagrans fama, ad decorem Imperialis culminis, ad augmentum faſtigij Auguſtalis, ad retributionem, etſi non dignam totifariam meritorum; ſano, maturo, & benè digeſto, noſtrorum & ſacri Imperij procerum accedente conſilio, te Illuſtrem & clariſſimum Marchionem, dilectum noſtrum Frãciſcum prædictum, in partem noſtræ ſollicitudinis euocamus. Cæterorum Illuſtrium, ac clariſſimorũ Hæroum Imperialis ſublimitatis numero, venerãdoq́; cętui duximus aggregandum. Ac hodie in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius glorioſiſſimo nomini colla ſubijcimus, à quo omne Imperium, cuncta bona prodire & credimus & fatemur: Non ad tui, aut alterius ſuggeſtiones & preces, ſed ex liberaliſſimo, & proprio noſtro motu; te, hæredes, & poſteros tuos, in Il-

luſtres

luſtres Marchiones Mantuæ, & eius territoriorum, diſtrictuum ſublimantes creauimus. Et de Romanæ Regiæ poteſtatis ſublimitudine, ereximus gratiosè; prout in alijs Maieſtatis noſtræ literis, tibi deſuper datis plenius continetur. Et ne aliquibus in antea ſuper præmiſſa, illuſtratione, creatione, & ſublimatione, ſtatus tui, hæredum & poſterorum tuorum valeat aliquod dubium ſubrepere; Nos de abundantiori plenitudinis gratiâ ſpecialis, ad maiorem tui gloriam & honorem; & pro cõfirmatione huiuſmodi illuſtrationis tuæ, hæredum & poſterorum tuorum, ſigna armaturæ tibi, hæredibus, & poſteris tuis legitimis, ad vſum armorum, perpetuâ tali differentiâ diſtinctum: quòd ſcilicet in ipſius Clypei campo albo, Crucem rubeam, ab vnâ ſuperficie ad aliam; & in quolibet quatuor angulorum clypei, vnam aquilam nigrã alis extenſis, & flammeis pennis; vt hæc omnia Magiſtrali pictoris artificio, itidem ſunt depicta, concedimus; ſimulq; motu proprio elargimur. Taliter videlicet, quòd eadem inſignia geſtare poſſitis, more aliorum Sacri Imperij Principum; & ipſis vti in prælijs, torneamentis, haſtiludijs; & generaliter in omni exercitio militari. Gaudeat igitur fauore Regio, & de tanto pietatis munere, etiam tua proles exultet; & tãtò fideliori ſtudio, ad honorem Sacri Imperij, tua intentio ſolidetur, quantò ampliori te præuentum adſpicis munere gratiarum præſentium. Sub appenſo noſtro ſigillo, teſtimonio literarũ. Datæ Viennæ, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo primo, Die ſeptimâ Septembris: Regnorum noſtrorum Boëmiæ Quadrageſimo primo, Romanorum verò Vigeſimo octauo.

Aquilarum quæ Gonzagorũ gentili ſtemmati additæ ſunt occaſione, moneri ſtudioſum lectorem decet; eas flãmatis, & ignitis alis à Franciſci poſteris plures annos vſurpatas. Donec aucti potentiâ, & Imperatorum fauoribus, flammas, neglectu, aut ſponte omisêre. Franciſco Italiæ motibus, ſuis rebus intento, Boëmi Priuilegium quidem attulêre. Quod ille non faſtu, nõ ſtudio excepit. Non enim prudẽtiſſimum fefellit, præoccupatam ab Imperatore gratiam; quòd Regnum per diſcordias poſſideret, Bauarus eodem titulo vteretur. Et tamen aſpernari, quæ nullo impendio acciperentur, inſipientiam putans, integra re ſuâ; ſiue valerent, ſiue pro irritis conceſſa haberentur, muneribus ad Venceslaum miſſis, & in legatum munificentiâ, gratitudinem teſtatus eſt. Veterum Annalium M.S. memoriâ traditum reperio; etiam Bonifacij Pontificis ſententiâ, approbata; quæ in Franciſcum Venceſlaus honora contuliſſet. Viſunturq; Pontificiæ literæ, quibus Franciſcus Marchio Mantuæ appellatur. Sed vtcunq; ſe res habuit; nequaquàm titulo vſum Franciſcum ſcimus, non adeò honoris auidum, quàm modeſtiam, prudentiamq; præferret. Dum hæc in Italiâ geruntur, verſis omnibus ad ciuiles diſcordias, & metu ambitioſi Sacerdotis, de cuius exitu ſupra retulimus, cùm non Bononienſes ſolùm, Brixiani, Veronenſes, Peruſini, Senenſes; ſed & Mediolanenſes tumultuosè agerent, Duciſſæ matris, & liberorum deſpectu: id vnum temporis honori acceſſit, quòd Chryſoloras Bizãtius, proprios Imperatores pertæſus, vt ignauiâ ac ſeuitiâ notatos, Romam venit. Reductum ab

Aquilæ Gonzagorũ erãt alis flammãtibus.

Chryſoloras.

ab homine Græcarum literarũ ſtudium,quod Quingentos ante annos, abolitum fuerat: ſiue luxus expuliſſet,ſiue res bellica, ciuiles artes proſequi prohibuiſſet. Ab hoc veluti fonte, Græcæ Latinæq; Scholæ redire, Guarino, Victorino, Philelpho, Ambroſio Monacho, Leonardo Aretino, & id notæ hominibus velut ab equo Troiano manantibus. Queſti Mantuani fuerant, vltrò conceſſos honores, à Frãciſco neglectos; & vniuerſis in ambitum titulos iactãtibus, ſolum maiori potentiâ, minori nomine degere: Sed exitus demùm oſtendit, rectè Franciſcum Marchicnatus titulo abſtinuiſſe; quem Vẽceslaus inter diſcordias conceſſerat. Nam iiſdem fermè temporibus Rubertus Bauarus, duplici priuilegio; nec requiſitus, nec oratus, Gonzagorum res augere intendit. Ijs Franciſcum Imperij Vicarium Mantuæ ſtatuit, necnon Quarantulæ & Mirandulæ; in eumq; quidquid honorum, Romani Imperatores Aloyſio, Guidoni, Feltrino, Franciſco, Ludouicoq; cõceſſerant, recepto fidei ſacramento cõtulit, ſextâ Iunij Milleſimi quadringenteſimi quarti. Ita ſciſſo Imperio, ſinguli potentiorum, fauorem amicitiaſq; captabant; in mutuam perniciem, rebus dubijs præſidium, aut bello materiam. Bauarum cui Frãciſcus propinquior erat; quiq; acrius oblatum Imperium procurabat, miſſo Oratore docuit; non ſe rerum arbitrum, aut potentiam in manu habere: Familiæ ſuæ incrementum quodcunq;, Cæſaribus acceptum referre, quos conſenſu dictos, ad extremum ſpiritum ſit ſeruaturus. Minimum ſe ſubditorum eſſe: nec Venceslaum aut Robertũ poſſe Imperio accire; quando ſors & electio, inter vtrumque ambigat. Medium potiùs pacis futurum; ſimul amoto æmulo, primum obſequio acceſſurum. Cupere quidem ſe, optimum imponi, quem noſceret; ſed nominationẽ alieni iudicij eſſe; nec profuturam. His licet annuere videretur, refricare tamen eius apud Principes Italos auctoritatem, arbitrum rerum appellare; & ne fruſtra obijcere potentiam videretur, monere; vt paucos ante menſes, inter Pontificem Romanũ, ac Mediolanenſem Ducem, pacem conſilio interpoſuiſſet; cum Bononiam Pontificius Legatus obſidione vallaret. Plurimùm quippe valere, quia Bononiam, Peruſium ac Aſſiſium arbitrio tradidiſſet. Tum Franciſcus (quando exprimi profeſſionem videt) liberè faſſus eſt; non ſe Germanũ Cæſarem, niſi concordibus procerũ votis recepturum. Mors Ioannis Galeatij, vt Gonzagam formidine liberauit; ſic Gulielmum Scaligerum longè apud Gallos agentem impulit, vt Veronam repeteret; quam tot annos maiores ſui poſſediſſent. Cęperat ante Franciſcus; & Ioanni Galeatio cõceſſerat, cuius exercitum eâ expeditione ductauerat. Neq; Scaliger Gonzagorum opem, quos totiens læſiſſet, require auſus eſt. Flexit ad Carrarium, in quo plus fidei crediderat: quemq; auxilio imploratum, ſuppetias miſerrimo ſibi laturum opinabatur. Data pecunia, mileſq; quibus ex neceſſitate vteretur. Et vetus quidem inter Carrarios, ac Vicecomites alienatio animorum erat; quam bellis, ſimultatibuſq; contraxerant: putaueratq; ſciſſis Mediolanenſibus, & diuiſâ potentiâ, tutò vindictã exerere. Celeritas Scaligerum iuuit, quâ plerumq; difficillima ſuperantur. Nam veterum Dominorum nomine exciti

Robertus Imperator Priuilegiis Franciſcum ornat.

Ciues,

Ciues, aduentantem recepêre; non magis dilectione, quàm odio Vicecomitum; quorum armis, incendia, populationes, cædes, barbarum in morem, nõ ſemel experti fuerant. Vix ingreſſus Ciuitatem, datos ſibi à Carrario milites, per ſæuitiam, auaritiáq; malè habuit; qui ne diutius eaſdem iniurias tolerarent, indonati ac inſoluti ad ſuos regredi coacti ſunt. Id Carrariũ iniuriæ impatientem, ad vindictam accendit; deſcriptisq; ſeptem hominum millibus, in Veronenſes mouit. Capta illicò Verona; Scaliger veneno ſublatus, filij quiq; è familia erant, laqueo necati ſunt. Sic nobiliſſimæ familiæ reliquiæ abolitæ; & de Tyranno in Tyrannum translata potentia. Creuerat Carrario, cum augmento fortunæ ſuperbia; præſumpſeratq; deſiderio Vicẽtiam, quam receptâ Veronâ, facilè habiturum ſe crediderat. Vicentini mores hominis, ac peruicaciã, vulgatis per amicos querelis acceperant: quodq; ſecuriſſimum in tempore videbatur, Venetos, quibus ſe crediderant, appellauêre. Siue proprio ingenio flexiſſent, ſiue Catherinæ viduæ Ioannis Galeatij coniugis, monitu ducerentur. Secuti exemplum Feltrini, Bellunenſes, ac Baſſanenſes: quos præſidio deſtitutos, ne viliori deſeruirẽt, metus & ſuſpicio ad Venetos tranſtulit. Hinc inter Carrarium, ac Venetos cœpta dimicatio; quæ eò acrius eſt exercita, quòd miſſum Tibicinem, qui Senatus nomine abſtinere Vicẽtino Carrarium moneret, interfecerat. Incerta plerumq; fatorum occaſio; & futuri iudicium. Nam ſuſpectis totâ Italiâ Venetis; Carrario valido & propinquo, Gonzagis ambiguæ fidei proſpectantibus, parũ opportuna tempori arma Venetorum credebantur. Attamen bellum Carrarios fregit, Gonzagos Senatui illigauit, huius in continenti incrementum prouexit. Siquidem Paulo Sabello Patritio Romano in Ducem aſſumpto, magnâ in Patauinos cõtentione proceſſit. Eoq; fato functo, ſuffectus apud Venetos exercitui Franciſcus eſt; quem Veneti, non ambiguitate magis, quã virtute, ac fide cognouerant. Et quia Eſtenſis in Carrarium, manifeſto fauore inclinauerat; oratusq; à Franciſco, vt ſe communi hoſti auelleret; nec ſua in diſcrimen daret, ſuperbiâ proruperat; hic quoq; turbator declaratus: & terrâ ac Mari miſſis copijs impetitus eſt. Gonzaga delegato muneri eò promptius acceſſit; quòd requiſitus, & inter turbas armatus, honorem, ſecuritatemq; proferret. Ducentos tamen Cataphractos, & peditum ſexcentos Reipublicæ ære conductos, ſeruare extrema ditionis, quâ Cremonẽſis excurrit, obtinuerat; ne alienis diſtractus, ſua perderet. Ipſe Veronam rectâ contendit, quam haud diù cunctatam partibus addidit; fatali Mantuanorum in Ciuitatẽ victoriâ, & erga veteres hoſtes imperio. Mox pulſo Carrario, vniuerſam ditionem Venetis adiunxit. Ille ſe Patauium receperat; ſed inſecutus Frãciſcus, intercepto commeatu, & ſuſcitata in Tyrannum ſeditione Ciuium, eòvſq; proceſſit, vt cum inducias, pacem, ac belli finem oraret, nõ obtinuerit. Miſſum quoq; eâ cauſâ Ioannem Leſcum à Secretis, ideo Franciſcus reiciſſe dicitur; quòd integris vtriuſq; rebus, cum quietem ſuaſiſſet, ludibrio habitus, & pro ignauo reputatus foret. Ciuitas populationem agri deprecata, ſeſe Gonzagæ permiſit. Carrarius ac filij in vinculis habiti, & paulò

Scaliger recipitur Veronæ.

A Carrario ſuperatur.

Franciſcus Capitaneus Venetorũ.

Veronam capit.

Patauiũ, & Carrarios.

paulò poſt Venetias miſſi ſunt. Quidam morbo deceſſiſſe, alij Senatus decreto extinctos tradunt. Etiam liberos Venetias proceſſiſſe volunt; & in Senatu grauiter accuſatos, enecti parentis, belli in Ligures ac Vicecomitem; vtq; Italiam omnem, Venetosque præcipuè detriuiſſent; tracto vltra Alpes bello; ne quæ pars Venetis in tuto eſſet. Gonzaga Franciſcum Carrarium impietatis reum, ac turbarum conueniri patienter tulit; ſed in filios aut neſcios, aut parentis imperia ſecutos, pari ſæuitiâ animaduerti, queſtus eſt. Niſi præuiderat, altius Senati conſilia ſpectare; & habita Veronâ, Vicentiâ, Patauio, intutos vicinos fore. Mitius cum Eſtenſi actum; quem conſenſu Carrarij in bellum tractum, Franciſco Gonzagæ affinitate propiorem nouerant. Iuuit neceſſitudo, & opportunè arma depoſita; ne totus in prędam dederetur. Suberat tamen Papæ exiſtimatio; ideoq; niſi irritato eo, ſeuerius in feudatarium agere licebat. Et haud dubiè Pontifex turbari Venetos, vel cũ Eſtenſis diſcrimine procurabat; nec minus Malateſtæ, ille ſuſpicione, hi formidine. Sed Gonzaga quantum de ſuo peteretur Eſtenſem docuit: & poſſe leues motus componi; vbi miles præda ac ſanguine imbutus foret, modum miſeriarum non eſſe. Eo nomine à Legato Pontificio ac Malateſta correptus fertur; quaſi meditatores imperij per Italiam, & æqualitatis dominorũ inimici protegerentur. Sed ille præſentia ante habens, iniqua arma deteſtabatur. Alterum iam annum Franciſcus in armis pro Venetis erat; omiſeratq; curam Mediolanenſium, quos diſcordiæ, & Guelfi ac Gibellini aſſiduè raptabant. Quippe vbi vana cõſilia, plures Dominos, & Barbauarum rigore vniuerſa concludere deprędendit; deſerere tumultuãtes voluit, quàm aut operam ludere, aut inſeri depręliantibus cogeretur. Nullus quoq; bello finis apud Venetos fuiſſet; niſi Franciſcus, vt Sabello moribus diſpar, ſic quietis ſtudioſior, vniuerſa in eũ finem collineaſſet. Et quamquàm multis Oppidis per vim captis, pluribus ſpontè accedẽtibus, facilis exercitui ſuo occaſio inceſſiſſet, prædarum, libidinis, ſæuitiæ, quæ victores ſæpè abſtrahunt, & præſumptâ fęlicitate corrumpunt; nîl tamen per immanitatem admiſſum, & capti confeſſi ſunt, & fama clementiæ, deliberantes ad deditionem perpulit. Sed & incorruptus, immotusq; aduerſus bona, ac quęſtum animus circumferebatur. Præſertim cum Carrarius, miſiſſe pecuniam ſecretò diceretur, quâ Franciſcum molliret; eamq; redditam, ne gnaro quidem Senatu. Sed eà veritatis, ac virtutis vis eſt, vt cęlari non poſſit; faciliusq; vitia ignorantur, quàm benè acta ſilentur. Quadringenta aureorum millia, in Patauinum bellum; & aduerſus Carrarios erogata, qui publici rationes ſubtrahebant, tradidère. Nîl Franciſco præter gloriam, in partem ceſſit; & ob ſopitas diſſenſiones, nobiliſſimæ victoriæ magna reputatio. Id tantùm monendus lector eſt; ne Galeatium pro Franciſco reputet, quo maximè Mediolanẽſium Annales decipiuntur. Veneti receptis Ciuitatibus, Gonzagæ iudicio præſidiũ impoſuère: Veronæ Octingentos pedites, equites trecentos; Patauij Mille pedites, ducẽtum equites; Vicentiæ quingentos, exteros omnes, & nullâ incolis neceſſitudine obſtrictos. Validi certiq; documẽti ignoratione,

Franciſci laus.

Ducum

Ducum pleriq; , ludunt præſidia,operamq; : Nam vt maiori caritate Ciues, quàm exteri in ſuos ſunt ; ſic rerum ſuarum metu ; ne contumaciâ hoſtis irritetur, promptiores deditionibus accedunt : honoriq; ac ſeruituti, vtilitatem anteferunt. Nunquàm hactenus adeò frequenti cōſeſſu Veneti vſi fuerant : Nam productos per Longobardiam fines, magnâ ſpe æſtimabant, & certiorē quàm mari poſſeſſionem prævidebant. Sed ante alia, Ducis ratio habenda erat, vt profeſſione beneficij, & redditâ gratiâ, amori ſuo illigarent. Mantuam Franciſcus reuerterat, eumq; diuerſa agitantem nobilis à Senatu Venetus conuenit, Principis literas, & adſcitum eum Patritiorum numero referens. Gratum Gonzagæ accidit, creditum ſe apud tot Patres honore dignum ; aureoq; monili ornatū qui venerat dimiſſit, addito : Habere ſe, quod ſuorum ac Senatus iudicio acquieſcat ; illos veteri ac longâ ſeruitute, fidem approbaſſe ; ſe demonſtratione caritatis gratitudinem teſtatum. Eandem quam ſui maiores viam calcauiſſent, inſiſtere ; non excuſſurum obſequium ; ſed rectè factis, & integrâ Imperij reuerentiâ ; noua Patrum debita acceleraturum. Placuit modeſtia;& honeſti cura : Non enim cum perfidiâ commēdaſſent. Genuenſes per hæc tempora, agitatæ plures menſes concordiæ tædio, internis diſſenſionibus,odio Vicecomitum; & ne cæteris Italiæ Principibus de bello diſceptantibus,ſoli ignaui,taciti; degerent, præſentem rerum ſuarum formam, fortunamq; deteſtati,ad Gallos deſciuêre. Illinc præſidiū, opes, ſecuritatem credentes : Miſeruntq; Legatos,qui Ciuitatem Regi offerrent, ſi validâ, & propulſandis hoſtibus ſuffectura manu aduéniſſet. Ille negocia variè cauſatus, neq; ſe præſentem eſſe poſſe teſtatus ; curam tamen Ciuitatis habiturum ſe promiſit. Nec mora, Bucicalo Duce,tria equitum millia, ſeptem peditum tranſmiſſa ; & Pēninis iugis in Ligures ducta, formidantes Vicecomitem ciues firmauêre. Metus an ſecordia fuerit ambigitur,quâ plerumq; ſeruire potius libet, quàm cum curâ imperare. Eadem Gallo Duci, quæ militi temeritas,maior iactantia fuit. Galeatius Gonzaga arctâ cōſanguinitate Franciſco illigatus, Genuæ tum agebat; ſiue accerſitus, ſiue occaſionem belli excepiſſet. Eius in Patauino bello operâ Veneti cum commēdatione vſi fuerât,curante omnia Franciſco. Forte inter epulas orto ſermone, Bucicalus (quem moles artuum, ſolitam ſupergreſſa, pareſq; corpori vires, ante alios ſuperbiâ extulerant) nobilium Italorum ignauiam, per ludicra primùm, mox per ſeria vrgebat. Donec per iocum lis agitata, ſatis Galeatio fuit, facetijs eludere ; aggeratâ Gallicæ gentis formidine, temeritate, impotentiâ. Vbi potationis æſtu, conuicia, iræq; creuêre; Gallus acrius obniti, & vilitati Italicæ virtutis intonare. Hic ſibi Galeatius, vt in tempore non defuit ; ſed Italorum virtutē, retundendæ Gallorum ſuperbiæ ſuffecturam reſpondit : ſeq; vice omnium,ſingulari congreſſu fidem dicti liberaturū. Gallus ſpectatæ fortitudinis, & animi nimius, facto dictoq; iuxta paratus, ſolitis ſibi armis equum inſcēdit. Ad famam certaminis illinc Galli,hinc Itali, campum omnem coronâ cinxêre. Nîl equo haſtaq; in ſummam profectum eſt, quamuis vtriq; deſtinato, robora perfregiſſent. Vbi inter pedites conſerta

Franciſcus Patritius Venetus.

Galeatij Gonzaga cū Bucicalo Gallorum Duce pugna.

ſerta pugna, cùm fortitudine ac mole Gallus, agilitate ac arte Galeatius ictus vibrarent, primùm in ancipiti, mox pro Gonzago fuit. Nam ſummo genu aduerſi mucronem fixit; mox geminato ictu, ſummô vertice ſauciauit: Caſus illico ſecutus; & niſi ad manus præſidia, & caritate aſſiduus Galeatius fuiſſet, actum de Gallo foret: læthali vulnere eâ parte credito. Quò maior Bucicali fortitudo, eò celebrior victoria Itali fuit. Ille tamen, & victum ſe

Et Victoria. faſſus eſt; & annum integrum inermem futurum ſacramento recepit; eluendo dedecori, quod per arma contraxerat. Victori torquem, equum nobilem, veſtem, & decora auro arma Franciſcus tranſmiſit: Nam Patriam, & Principem maximè familiam, gloria attigerat. Idq; nouerat cæteris ad virtutẽ ſtimulos additurum. Rex ipſe famâ viri illectus, Galeatium accerſitum, ſolitâ gentis comitate, communi mẽſâ excepit; donatumq;, ac iuſſum ampliora ſperare, ad ſuos dimiſit. Tranſijt in poſteros fortitudo; & è Gonzagis pleriq; inaudito robore fuêre; non efferâ audaciâ, ſed eruditâ virtute. Delatus ad ſuos, & dies aliquot in Patriâ Galeatius immoratus, Ioannis Mariæ Vicecomitis Mediolani Ducis literis accitus eſt; & mille equitibus, totidem peditibus impoſitus; vt Trezum ſeditioſorum ac flagitioſorum aſylus excinderetur. Iam enim præcipuæ ditionis Vrbes in Tyrannos abiuerant; Brixia in Malateſtam Pandolfum, Bergomum in Ioannem Suardum; Trezum in Coleonês, Crema in Benzones, Lodium in Vignatos, Cremona in Fondulos, Parma & Regium in Ottobonum Terzum. Vbi Galeatius Trezum aſſedit, inſuperabilem ſitu, ac defendentium copiâ Arcem ratus; in adiacentes colles diuertit; & Mediolagum obſidione vallauit. Incolæ, ſiue minus præſidio fiderent; ſiue nobili flagitio famam apud poſteros aucuparentur, colloquium Ducis, velut pactis acceſſuri petiêre. Galeatius ſecuritatem inter pericula ratus, detractâ fronti galeâ acceſſit; vt reddita vox liberè exciperetur; & cõtumaces aſpectu minitantis deterrerentur. Vbi ad certum ictum datus eſt; Gregarius vicinum ſibi contubernalem monuit, primo ſe ictu in hoſtis aduerſam frontem telum fixurum. Quod vbi rideri, neq; dicto fidem vidit, vibrato deſuper ictu iaculum torquens, ſiniſtro Galeatij oculo impegit. Qui ſtatim concidit; nec minus Ducis Mediolanenſis ſpes, quas tali Imperatore iure conceperat. Neminem per Italiam fortiorem, audentioremve arma induiſſe, Mediolanenſes Annales cum inſectatione facti prodidêre. Infractâ Vicecomitum potentiâ, miſera Italia reſpirare viſa; ſed Schiſma ſupererat, Petro Lunâ Antipapâ contumaciam retinente; & viuis adhuc inter Romanos ac Innocentium ſeptimum contentionibus. Querebantur Romani, Põtificem cum in minoribus ageret, domeſticis ſermonibus Bonifacij prędeceſſoris ſui mores inſectari ſolitum, vt ignaui ac torpidi; at vbi rerum potitus fuerit, eandem negligentiam retinere; & quæ reprobaſſet veſtigia terere. Præcipuam ditionis Romanæ partem à Tyrannis poſſideri: ius in armis ac dolo eſſe; & Pontificatum, inane ſine viribus nomen cenſeri. Iam contumelioſum eſſe, dici Pontificem; quòd perditiſſimo cuiq; compoſitis illudere, & negligere impunè auctoritatẽ liceat. Clauſæ ad hæc Pontificis aures erant;

ſiue

ſiue nepotibus omnia deferret, quorum commodis quantacunq; pax proficere videbatur; ſiue faciles ijs criminandis ſumus, quæ delinquunt alij, nos ſectamur; vt ſaltem deteſtatione ſcelerum expurgemur. Pro Romanis Columnenſes, pro Innocentio Vrſini Narnienſi in agro concurrêre. Fuſi Columnæ; nec ideo tamen victoria in Vrſinos ceſſit, refectis viribus ciuium; & tempus, locumq; reciperandæ gloriç opperientibus. Manſêre plures ad mẽſes, ſuſpecti & minitãtes; donec ſponte Romanorũ Pontifex accitus, armiſq; depoſitis reconciliati ſunt. Haudquaquàm tamen Innocentius ideò in melius mutatus eſt; aut ſeſe diffamantes, vigilantiâ & fortitudine retinuit; ſed caritate nepotum, Eccleſiaſticam modeſtiam tranſgreſſus, Piceni Principem eſſe voluit. Adempta Sedi Apoſtolicæ quantum in ipſo erat, pulcherrima, opulentiſſimaq; Prouincia; Cardinalium tamen deſtinatione, prudentiam teſtatus eſt; quòd breui imperio tres delegiſſet, ſucceſſione, generis humani arbitrium aſſecutos. Florentini veterem, ac ſibi connatam, cum Piſanis irã fouentes; vbi defuncto Ioanne Galeatio, tutelam ademptam vidêre; ne occaſio elaberetur, magnis copijs deſcriptis, Piſas conuertêre. Miſêre obſeſſi Mediolanum qui anguſtas res, parum firmitudinis niſi ſuccurreretur referẽt; cogerentq; Ioannem Mariam antiquum ius ſuum, miſſo exercitu retinere. Et delectus Franciſcus, qui expeditioni præficeretur. Ille paci facilior, miſſo Mediolanum Paulo Andreaſio, Vicecomitem docuit, quantùm diſcriminis adeundum ſibi, quàm leui maximorum laborum præmio bellandum. Hetruriæ poſſeſſionem diù à Mediolanenſibus haberi non poſſe; ſiue reclamante iuſtitiâ, ſiue Pontificis metu: Quem iam pleraſq; Longobardiæ Ciuitates repoſcere acceperat: Seruaret vſui domeſtico militem; nec ſe multorum odijs obijceret; quando nec quidem ex fratribus tutus ageret. Valuêre conſilia Piſanorum damno; qui licet menſes aliquot inſtantes Florentinos ſuſtinuiſſent, ad extremum fracti vexationibus, leges accepêre; idq; Millesimo quadringenteſimo ſexto. Sublato Innocentio, Gregorius duodecimus ſubrogatur; cui cum Petro Lunâ ſimultates variæ fuêre. Dum hæc in Vrbe, & adiacentibus agitarentur, Balthaſar Coſſa Cardinalis, & receptæ Bononiæ Pontificius Legatus, cum Ioanne Mariâ Vicecomite, pro finibus primùm; mox ob poſſeſſas per Longobardiam Ciuitates, quas Sedi Apoſtolicæ deberi referebat, in nouum bellum accingebatur. Certè non alio fortiori aut ſtrenuiori repetita Eccleſiaſtica iura ſunt, aduerſus externas dominationes, aut internam potentiam. Et quamuis non expenſæ; non curæ Ioannes Maria tẽperaret; & Paternam gloriam æquare fortitudine niteretur; Catherinæ tamen matris auctoritate retentus eſt: quæ nouas diſcordias; & Imperiũ quod armis tuendum foret, horrebat. Hæc Franciſcum Gonzagam; cui nunquam irata, morte conſanguineæ fuerat (tanta illi honeſtatis cura, & flagitij auerſio erat) & quem fide ante alios crediderat, inculcatis precibus induxit; vt communis cauſæ mediator accederet: Nec toti Italiæ vtilem quietem, nouis diſcordijs turbari permitteret. Sed laborioſa reconciliatio, difficilis concordia diſceptantium videbatur: Illo ſua repetente, hoc ſeruante; & vtroq;

Piſani Florẽtinis ſubditi. 1406.

magnas vires ſuas proſpectante. Franciſcus tamen in dubijs prouectam operam laudari ſciens, Legatum precibus, rationibus, auctoritate compulit, non quidem cædere, ſed iura differre: Seq; pro Vicecomite Pontifici cauentem, recipere; Eccleſiaſtica iura in integro fore. Legatus retento ſub vexillis milite; nec extra pelles tendere iuſſo, Pontificem inchoati motus certiorē reddidit; & quid ex Vicecomite ſpei credat, addidit; quoq; conſultore vſus, hoſtilia depoſuerit: Vt ſi Pontifici nouandi animus eſſet, & à Tyrannis abſtracta repetere, paratam iuuentutem; & Ducem nullis externis bellis illigatum, integrumq; haberet. Pariter nullas Vicecomiti amicitias, incertā fratrum fidem, Matrem fœmineę impotentiæ docebat: Vt non alio magis opportuno tempore, vis arceri, aut profici poſſet. Sed ſurdo fabulam canebat. Non enim & nepotibus, etiam luxui ſuffecturam pecuniam relinquere, ſi in belli vſus erogaretur; & Sedis Apoſtolicæ vtilitati, cum ſuorum diſpendio conſulere poſſe cognouerat. Alij magnam Vicecomitis potentiam, & ex Rege Gallo metum afferunt, toleratæ Tyrannidis cauſas. Quæ etſi inania, trahi tamen in ſuſpicionem poſſunt; quando ſcriptorem iudicio, quàm facto Pontificem erraſſe, credi expediat. Plurimùm id Franciſco gloriæ tulit, quòd ſuſcipiendo bello facilis, etiam prudentiâ pacem in tēpore conſuluerit. Ergo vbi etiam annuentem concordiæ Pontificem accepit, Venetos occupato intentos, Vicecomites recipiendis iniurijs faciles, Tyrannorum ſibi quemq́ue ſtudere, & Legatum plus quàm Pontificem nolle; licet bellicum apparatum, & diſciplinam non omitteret, Caprianam tamen duodeuiginti Mill: paſſuum Benacum verſus reficiendi animi causâ profectus eſt. Vbi cum venationi, plus iuſto indulgeret, febri primùm, mox figente lateris dolore correptus, vt Mantuam veheretur imperauit: Nam graueſcens valetudo minitabatur. Primâ ſtatim die morbi ſe violentiæ imparem cognouit. Ereptus eſt Decimâ à decubitu, Martij Octauâ, Milleſimi quadringenteſimi ſeptimi: Aetatis Quadrageſimo primo. Funus totius Ciuitatis mœrore illuſtre viſum: Cum populus omnis, ciuiles ac militares virtutes; & inter proſpera & aduerſa, cōpoſitum, imperruptumq́; animum laudibus ferret. Pietatem in Deum alij, alij iuſtitiam, firmitudinem alij; nonnulli munificentiam, cæteri benignitatem referebant. Exteri quibus tantùm per arma cognitus, fortitudinem, modeſtiam, ac victorias; quæ raro (corruptelâ temporum) iunguntur, celebrabant. Nulla illi in ſermone iactantia; nullus ab euentu faſtus; non belli niſi amore pacis, non pacis niſi ex honeſto, cura erat. Simul operis ac laboris infractus, modò annonam, modò Vrbis itinera, modò ſacrarum ædium decora promouebat; vt pace penſaretur, quod per bella defuerat. Honeſtiſſimam coniugem, quamdiu inter viuos fuerat dilexit; defunctam queſtus eſt: Nec aliud domi ſolatium quàm ex filio erat. Dictu mirum quâ animi conſtantiâ, aduerſantem Ioannem Mariam Vicecomitem induxerit, totius Italiæ bono, Aſſiſium, Peruſiam ac Bononiam Pontifici concedere ſine armis; niſi id quoq; Franciſci gloriæ detur, relictum coniugi ac filijs tutorem, quem integerrimum, licèt olim ſuſpectum, crediſſet; & quia præſentibus

Franciſci mors. 1407.

maximè

maximè conduceret, leue damnum, magno bello prætuliſſe. Nec enim vbi interni tumultus vrgeant, miniténtur externi, deſeruire tempori ignauia eſt; & parte conceſſâ, reliqua ſeruare. Non ſemper armis inniti, plerumq; potentiæ opus eſt; & ex eo commendationem habet deliberatio, ſi quæ retineri nequeunt, ſponte offerantur, quàm vano conatu defendantur: Porro tãta viro actorum meritorumq; ſecuritas fuit, vt cum Pontifices ac Cæſares Ioanni Franciſco filio, tutores liceret imponere; potentiores tamen, & fortè ſuſpectos nominauerit; Malateſtas, ac Venetos. Quæſitum apud Senatum fauorem eâ deſignatione volunt; quomodo veteri æuo, immenſi Reges, Romanos curatores dixêre. Quidam quæſitam gratiam non abnuunt; ſed ſpeciem non vim fuiſſe; quando Malateſtæ conſanguinitate iuncti coram curabant; & ea vis familiæ erat; quæ non longum potentioris impetum retineret. Breuis quoq; adminiſtratio conſtantiam tulit; Nam duodecim annos natus Pupillus, ab illinc quadriennio, capeſſiturus adminiſtrationem ſciebatur. Auri, argenti, veſtis, gemmarum copiam, in egenos viuens erogauerat: Fruſtra differri ratus, quæ præmitti expediret. Paucis ante obitum diebus, ne Senatus Mantuani antiqua decreta; & continuo Patriæ vſui, tempore aut ignauiâ obſoleſcerent; vniuerſa proprio volumine inſeri voluit; & futuræ memoriæ ſacrari: quâ formâ hodie leguntur: Vnde pleraq; nobilitatum teſtimonia detraximus. Carolus Malateſta, ſiue adhuc exequeretur Vicecomitum imperia, ſiue priuatas res curaturus; auditâ Franciſci morte, Mediolano Mantuam aduolauit; vt nepoti prẽſtò eſſet; quem ætas magnis curis inualidum, & periculis obnoxium reddebat. Prodigentia (rarũ Principis fortunæ vitium) metuebatur; quòd ab infantiâ donare ſolitus, munificentiâ niſi cum lachrymis prohiberetur. Carolus ipſe, nobilitatis ac virtutum gloriâ ad ſummum prouectus, quantò exteris formidabilior, tantò Mãtuanis commendatior erat. Quamquàm tot virtutibus, poteſtatis licentiâ, ſæuitiæ, ac ſtultitiæ quidquam obrepſerit; licèt nonnulli aſſentandi ſtudio veſaniam excuſent. Magni quippe nominis viri, flagitium non tacuêre, ſed conuicijs inſectati ſunt; adeò, vt duraturis totam æternitatem monumẽtis, querelas inſeuerint. Plurium ſæculorum memoriâ; & redditâ ad viuum effigie Virgilij Maronis ſtatua, medio in foro, vbi nunc ſordidiſſima veno exponuntur, Pario marmore viſebatur: Ferrati cancelli ambibant, & gradibus octo plana Vrbis ſuperabantur. Ipſa Senatorium induta, dexterâ prominenti attentionem orabat; ſiniſtra volumen oſtentabat; cui inſculpta carmina viſebantur.

Io. Frãciſcus Marchio primus.

Mantua me genuit, Calabri rapuêre, tenet nunc
Parthenope: Cecini paſcua, rura, Duces.

Hanc Otho primus, & ſecuti exemplum cæteri in Italiâ Imperatores, venerati fuerant; ſingulari viri exiſtimatione, operæq; præſtantiâ. Vernante cœlo pubes ingenua, coronis ornatam, ipſa eodem cultu, feſtiuis anni diebus frequentabat; Choreas circum ducens, & decurſibus equorum, epuliſq; magno conciui parentata. Lætitiam plebis, præter Cæſares ac Pontifices,

etiam Mathilda,ſeueritate morum,nugis infenſa tolerauerat: Inſtituti aut originis ob vetuſtatem nulla memoria. Sed tempore, & opinione ritus inceſſerat; cui aduerſari flagitio vertebatur. Malateſtæ Vrbis curâ delegatâ, aliquid honori Principis additum; Nam perfuſa odoribus, & multo flore ornata; Sono ac Muſicis inſtrumentis plus ſolito culta fuerat. Matutino cōgreſſu,cum adhuc Carolus cubiculo attineretur, Iuuentutis Mantuanæ frequentia, fauſta Principi ominata, & caput ſertis florentibus redimita ſalutē tulit. Additi concentus teſtandæ lætitiæ, voceſq; ſolito lætiores. Ille militiâ, quàm prudentiâ melior; vbi extera compoſita vidit, ad ciuilia conuerſus, mirari primùm conſuetudinem; mox ſeditionem, aut Diuinum cultum formidare; poſtremò conſultore nemine, ſpecioſiſſimum antiquitatis munimentum eruere meditatus eſt. Vno eodemq; ſcelere, in Patriâ, Ciues, omnis inuidiæ ſuperiorem Poëtam,impietatē profeſſus. Et tamē ſubſidio opus nouerat; vt clam auferretur, quod die medio, ſine tumultu patrari non poterat. Nicolaus quidam Neapolitanæ originis, & ſuorum æmulatione inuidus, promiſit operam; noctiſq; beneficium opperiri voluit. Hic intempeſtis tenebris vſus; baſi abreptam Statuam, & currui impoſitā, Pado merſit. Orto die nobiles, & ante alios ſtudio plebes,ingenti numero Palatium obſedêre. Carolus vim Vrbanam metuens,qui obſiſtentes diſijcerent miſit, vulgarentq; non iniuſſu abolitam ſtatuam, ſuperſtitionēq; quàm multò ante fuerit auerſatus. Parum à ſeditione abfuêre. Nam cum auctores,locūq; vbi haberetur intentius requirerent,Nicolaum obſtrepere deſiderijs auſum, in intima Palatij obturbarunt; oſtenſiſq; mucronibus, rationem repetituros ſe profeſſi ſunt. Neq; tamen abſceſſêre; ſed vbi rumorem vulgi, ſcintillantia arma, clamorem ſingulorum Carolus excepit, pœnitentiâ admiſſi ſceleris; & metu futuri proceſſit, conteſtatus, redditurum ſe Statuam quàm requirerent,nec perditam, ſed occultatam eſſe. Illi querelas addidere; minas, execrationes, & vim niſi reponeretur oſtentantes. Carolus cum deſideria Ciuium, modò ſermone, modò obiectis militibus luderet; & augeri ſenſim ſeditionem videret, ſacramento quod promiſiſſet,ſeruaturum ſe ſpopondit. Quieuêre indignati; Ioannis Franciſci Principis caritate potius, quam Caroli præſentiâ molliti. Nec tamen reſtitutus Virgilius eſt, manſitq; Carolo æterna ſæuitiæ,ſtolliditatiſq; memoria; quòd iocos & feſtiuitates ciuium, à cultu Numinis diſtinguere neſciuiſſet. Blondum ac Pogium ſcio facinori ſuffragari. Illum Marco Catoni Cenſori, Malateſtam doctrinâ ac conſtantiâ æquare; hunc virtuoſum dicere; ſed bellorum exitu fortunæ aduerſæ. Pontanus,ac Paulus Florentinus, ignominiam facti, quam ignorantia peperit, inſectantur. Veritati ſit ſatis, aliam Deo, aliam virtute inſignitis reuerentiam cultūq; deberi. Neq; tamen Idolorum religionē,ſed gratam recordationem dici; & ſi ſceleris ex eo metus erat,potuiſſe integrâ inuiolatâq; ſtatuâ, pueriles iocos, plebiſq; licentiam arceri. Sed impetus ſine ratione fuit; cui credibile eſt Carolum ipſum tractu temporis indignatum. Quibus honor Patriæ in pretio fuit; cum Pado merſam crederent, alueum omnē, inani

Carolus Malateſta Virgilij ſtatuam Pado mergit

operâ

operâ luſtrauêre,cratibus,vncis ferreis, accitis Venetis vrinatoribus. Tandem labore irrito delaſſati; ne magis angerentur, præſentium ac præteritorum memoriam abiecêre. Exceſſerat Franciſcus, vniuerſæ Italiæ damno; ob conceptam ſpem quietis, & finem ſeditionum. Rari enim quibus vis animi; aut potentia inter cæteros erat, pacem ac bellum eâdem prudentiâ curabant: Sed omnia ſuis commodis metientes, quod extra ipſos erat negligebant,vt improficuum & alienum. Mediolani Dux præcipuè, materq; adminiſtrationi rerum admota, ereptum ſibi præſidium, & ante alios amicitiarum ſtudioſiſſimum doluêre. Cùm corruptis æui moribus; non fidei inter familiares, non caritati inter conſanguineos locus eſſet; ſed omnia libidine turbantium nobiliorum,potentiorumq; arbitrio agerentur. Principum diſcordias inconciliabiles, Romana Sedes, ſeditione & Schiſmate, inter Benedictum Decimum tertium,Gregorium Duodecimum,& Alexandrum Quintum diſtracta, effecerat. Sic vnde concordiæ ſpes erat, bella excidiumq; imminebant. Pontificum volũtati cuncta Europæ Regna annuebant;adeò iuſſas irarum cauſas promptè recipientia; vt vix imperatâ quiete reſponderent. Nam quas diſſenſiones ipſi Pontifices fouere non poterant, Regum ac Principum armis proferebant. Per Aſiam ac Thraciam, Chriſtiani nominis hoſtis Turca, erepto Tamerlano vires reſumpſerat; Pannoniæq; ceruicibus imminere, haud inani rumore differebatur. Veneti alienam ſtultitiam ſuæ vtilitati aptantes, Vicentiâ, Veronâ, ac Patauio (quas Vrbes qualicunq; iure habuerant) potiebantur: Eoq; cùm continentis imperium faſtu auerſarentur, vtilitate æſtimabant. Ioanni Franciſco Franciſci filio;non eæ vires aut opes erant, quibus aut ſeditioſos per Italiam compeſcere; aut cõtra Vicecomites,Venetoſq; nullo externo ſubſidio tutari ſua poſſet. Magnam quoq; pecuniam, ambiguis adhuc Italiæ motibus, & inter bellum pacemq; medijs, aliquot ante obitum annis Parens effuderat; quam filij, ac ditionis ſecuritati congeſſiſſe, decorum fuerat. Hoc rerum humanarum ſtatu,Ioãnes Franciſcus, nondum duodecimum annum ſupergreſſus,in Patriæ curam aſſumptus eſt; credente nemine Patruum, ac puerum diu in Parentis imperio futuros, licet quieſcente Italiâ;quantò minus ſi bellum ingrueret. Non minor ex vicinorum, ac potentiorum æſtimatione metus erat; qui augendæ indies potentiæ ſtudio, debiliores in iniurias & excidium deſtinabant, velùt ſponte ceſſuros; etiam querelas irritas fore præſumentes. Et ſi inter Reges aut Cæſares diſcordię ad arma per Italiam proceſſiſſent, abripi infirmiores neceſſitate opinabantur, vt miniſtros ſeruitij. Quippe Ciuitates opeſque, conciliandis æmulis deſtinari, & eorum pecuniâ, in expenſas nouerant. Aliqua in Ioanne Pontifice fiducia credebatur; cuius amicitiam, cum Legatũ Bononiæ ageret, Franciſcus obſequio, ac muneribus emercatus, promeruerat. Apud quem ſimilia ſine ſcelere habebantur: Vt qui eâdem viâ Pontificatum habuiſſe diceretur, quâ reliqui, fauorem illius inter minora quæſiuerant. Hæc in ore famæ. Internam conſtantiam nemo nouerat. Quãdo conditione temporum, accipi reijcique munera bono iure poſſint. Et

Ioannes Frãciſcus Marchio.

ſcriptæ

ſcriptæ ab eo, ad Ioannem Franciſcum & Malateſtam literæ, ſuſpenſum animi firmauêre, tutelæq; ſpe, metu proiectum erexêre. Miſſi quoq; ab eo Nuncij ad Facinum Canem, hortabantur, Mantuano agro ignoſceret; nec in prædam deſtinaret, quos ipſe in tutelam recepiſſet. Nam Facinus; nullo honeſto nomine; nec aliâ quàm per turbas, ſeditionem & audaciam famâ, vniuerſam Ciſalpinam, mercenario, & quibus compoſitis rebus, nulla ſpes accitis, exercebat. Hos cum pecunia (quam non habebat) retinere ſub ſignis nequiret, prædâ, & Ciuitatum direptionibus explere ſatagebat. Neq; enim vt capta retineret, ſed vt carperet, & populationem larè faceret, inſultabat. Huic homini contra Gibellinos graue odiũ, & quia Papienſes Guelfos auerſabantur, improuiſo irrupit, accepitq;. Deditio pietatem apud immanem expreſſit, vt fortunis ciuium in præmium ſeruitij parceret. Qui fouerant, acciuerantq; turbatorem, pœnas proſcriptione bonorum dedêre. Nam cùm Guelforum omnia dicerentur, à Dominis ad Latrones tranſiêre. Vagis hûc, illûc hoſtibus, extrema Mantuani agri peculatum ſenſêre: Et tum reſpirare viſa, vbi exercitus, ſpe potiorum in Papienſes ductus eſt. Sed cum illicò oppugnationem excidiumq; minitantem recepiſſent, auctâ opinione potentiâ, ſed ſpe eluſi, leui relicto præſidio, Brixianos, Bergomenſes, ac Cremonenſes inuasêre. Miſſus ad Carolum, Paulus Corius, orans iuuẽtutem communibus victorijs commodaret; vt ſi non ſacramento, factis adminus cui hæreret, profiteretur. Qui cum tutelam, immaturam Domini ætatem, domeſticas neceſſitates excuſaſſet, alienis conſultò abſtinuit. Sed ne aut palam obſiſtere, aut tranſeuntem laceſſere, prouocata aduerſum ſe vi omni, videretur; dum tranſgrederentur, intra mœnia ſe continuit. Mox negligentiæ metu; & ne prædantium arbitrio ſuos defereret, Quinq; peditum millia, equites Quingentos, pro limitibus diſpoſuit, Viadanam Mille pedites, equites Centum quinquaginta tenuêre. Totidem Caſtilioni additi. Quod reliquum per proxima municipia diuiſum; cum præceptis; vt mutuã operam, & vbi incumbere hoſtem accepiſſent, conferrent. Ducem iuuentuti Camillum Aliprandum impoſuit. Qui prudentiâ non minus, quàm fortitudine validus; vbi imparem ſe forti prædatori vidit, in propinquo degentem, munificentiâ nec minus viribus oſtentatis, innocuum, illaceſſitũq; dimiſit. Etiam ruſtico munere peruicit, vt procul Mantuano ſequiret. Nam per æſtiuos ardores populatione prohibitum; Peponum, ac horariorum fructuum aggeſtu recreauit. Nulla Facino Cani aduerſus Ioannem Franciſcũ amicitia, ſed validius in Vicecomitem odium erat. Hinc Mantuanis mitior inceſſit. Niſi impendendas contra Vicecomites vires, Mantuanorum decertatione imminui noluit. Quod per ſecretos exploratores gnarũ Aliprando erat: & opportunitate vſus, literis ac commeatu, vel vno ingratitudinis pudore, à vaſtatione agros tutabatur. Haud longè Viadanâ tamen, globum militum populari agrum, & Vitulos auehere conantem, miſſo equitatu detriuit. Sed minor numerus erat, quàm vt potens hoſtis aduerteret; & qui ſimilia prohibuerat, pro contumacibus diſquiſitionẽ contempſit. Aliprãdus

quoq;

quoq; cum faſſus vindictam literis ad Carolum Malateſtam foret; iniuriam apud Facinum tacuit. Triginta octo fuerant, quos omnes equitum vis abſtulit, non vi magis quàm prudentiâ; ne quis ſupereſſet qui quereretur. Nõ enim hi tantum diuiſi à corpore populationes agitabant: Sed quod latronibus ſolitum, tum in numerum ac Legiones conueniebant; vbi prædam abegiſſent. Iam longius hoſtis receſſerat, quàm vt eâ expenſâ Ciues indigeret. Sic regreſſus ad ſuos Aliprandus, rarâ militiæ diſciplinâ, & Ducis integritate; è ſuis eadem quoſdam auſos; & carpere vicinia, mentito titulo Facini præſumentes, Carolo ad pœnam obtulit. Quod non longè exitio erat; apud hominem ſæuitiâ nimium, cætera commendatum. Hæc vbi ex voto ſucceſſêre, vertit ad interna; plenoq; Senatu Ioannem Franciſcum Parenti ſubſtituit, & Capitaneum Dominumq; Mantuæ perpetuum decerni, ad maiorũ ſuorum formam voluit. Repertum neminem qui contradiceret nonnulli admirati ſunt; ſed mirum magis crediderim, ſi manifeſto diſcrimine quiſpiam præſumpſiſſet. Siue parentũ quos coluerant ſanctâ memoriâ, ſiue metu; ne incerta, ipſiſq; nocitura inciperent, quæ non exequerentur. Nam Veneti Gonzagis fautores oſtentabantur; & Principem domumq; Carolus patruus milite ſepſerat; qui non interdiu, non per noctem excubias omitteret. Ita quamuis ſummo animorum conſenſu, inter amicos, velut inter infeſtos agebat. Perſpectum Carolo erat rerum vſu firmato, dominationis principia in ſolido ſtatuenda, iisq; ex voto iactis, prauas æmulantium ſpes arceri; quibus niſi gliſcente ſecordiâ locus ſit. Principem aliàs conſilio firmum, vt cauſam præferret, permouêre ſecreti per populum, & incertis auctoribus ſermones: Quibuſdam electione, nonnullis ſucceſſione Principes commendantibus. Illa optimos ſemper deligi; nec potentiam opprimendę libertati ſuppetere; quæ ferè diuturnitate imperij coaleſcat. Electione cum Imperio indui pariter Ciuium amorem; & ex eo ſubiectorum commodis tãquam rebus ſuis prouideri. Nam vbi prouectum ſe quis viderit, ſubrepere gratitudinem, omnis virtutis parentem. Alijs Ioannes Franciſcus, eo ipſo acceptus etiam hæreditate erat; quòd optimis Parentibus genitus, probis moribus inſtructus, eam iuriſdictionem accepiſſet; quam maiores ſui, ſumma opinione pietatis, plures annos exercuiſſent. Neq; nouam aut exoſam Ciuitati ſeruitutem eſſe, aſuetudine, & erga notos. Puero ſupra ætatem prudentia erat: Nam & publicè oſtentare ſeſe; & inopes largitionibus ſubleuare, & Senatum colere gaudebat; velut, quod virtutis ab ipſo quærebatur, id in ſubditos impenderetur. Ipſe decorus facie ac ſermone; quæ Principibus propria vulgus æſtimat. Ad extremùm cum ſucceſſio valeret, acceſſit electio. Et viua populi ac Patritiorum voce Capitaneus perpetuus nominatus eſt. Satis electionem in hæreditatem tranſiiſſe ætas Ioannis Franciſci docuit; quòd Duodecimum annum natus, niſi ſucceſſione propinquior, reciperetur. Quâ cauſâ, vt deſignationi apud vulgum fama accederet, imminuta Tributa, pauperes ſubleuati, nobiles priuilegijs ornati ſunt. Nîl ſine auctoritate; quamquàm nemo ſummam rerum haberet. Venceslaus ſui, Imperijq;

Carolus Malateſta eligi procurat Io. Franciſcũ in Capit. Mantuæ.

perijq; oblitus, otio, & ignauiâ torpeſcens, clauſtris Boëmiæ, velut pudore lucem auerſatus, Robertum Bauarum, ſibi virtutis opinione ſuffectum tolerabat. Anxio fratre, qui Pannoniæ Regnum, minus quàm natalibus conueniret, à ſe teneri ægerrimè ferebat. Curas augebat fratris ſecordia; tamquam ſuis quoq; virtutibus, & ſpei aduerſa. Non eædem populi vires, maior animi conſtantia, plus decoris inerat. Pro bono pacis, & Chriſtianæ Reipublicæ aſſiduus, & tollendo Schiſmati indefeſſus; precibus, præmijs, auctoritati innixus: ne vnquam defeciſſe videretur; quò minus etiam Eccleſiaſticis pax; & eò maior reuerentia ordinis accederet. Eâ causâ, miſſis ad Pontifices literis, nuncijs, conſilijs, quamquàm propoſiti tenaces non commouerent, famam tamen prudentiæ nactus eſt. Id per ſummam quietem proſequi dabatur; quòd non à Venceslao fratre armis impeteretur, ſed intactus, illaceſſitus degeret. Vtriq; tamen eodem nomine ac iure vſi; minores Principes beneficijs præueniebant, vt gratiam auxiliumq; pararent. Mediolanenſis Ducatus; inter fratres ambiguus; & diuiſione imminutus; Guelforum, & Gibellinorum contentionibus ſcindebatur. Et Facinus Scaliger, cui omne in lubrico ac turbido conſilium erat, ſeq; ac reliquos excurſionibus, rapinisq; fatigabat. Quibus haudquaquàm expletus etiã in Mantuanos impetum facere cogitauit: Veteres familiæ inimicitias; & expleta vindictis odia, ad ſe quoq; trahens. Ioannem Franciſcum quoq; pueritiâ inualidum, Carolum Malateſtam alienis incurioſum, vt non ſuffecturos diſcrimini, contemnebat. Sed Carolus mores hominis, etiam viuente Franciſco doctus, conſilio ac viribus, irruentem hoſtem reijcere, ſecretis amicitijs, communione Principum Facinum detrudere; nec ſua tueri tantùm, ſed & inſoleſcentem proſequi. Id Aliprando duce pridem agitauerat; cum eadem conſilia de viro eſſent. Ergo Claudio Caſtelbarco Duce, cui fortuna nobilitati par, & affines maioribus virtutes erant; laceſſere hoſtem, carpere, vexare inſtituit. Cæterùm vt lentæ; & furtim frequentatæ dimicationes; non niſi magnâ aliquâ pugnâ dirimuntur; ſic carpentem incuſtodita; & aperto Marte congredi paueſcentem Facinum deterere adortus eſt. Sed dolo opus erat, ac ſecreto. Vicentinus gregarius, pretio corruptus, in Facini exercitum ſeſe inſerere, fidemq; mentiri iubetur: Admonere Ducem, Veronenſi ac Brixiano agro, quâ Capriana ac Volta inſident, cauere. Eo enim plura Mantuanorum millia tranſmiſſa; vt hoſtibus à tergo ſuperfunderētur. Siluas ac ſaltus latebris quæſita; vt incautum inſidijs circumuenirent. Facinus vniuerſis qui aderant, in commilitium adſcitis, intempeſtâ nocte Voltam primùm; & vbi neminem videri accipit Caprianam; demùm Caſtilionem proficiſcitur: multis à tergo relictis, qui ſecretas inſidias; ſi quæ forēt, præcauerent. Sed Caſtelbarcus, quatuor hominū millibus comitatus, quos inter reliquos, vt ſtrenuos habebat, non longè Voltâ, inter arborum ſiluarumq; ſecreta conſedit: vt redeuntem Scaligerum, apertam in planitiem traheret; & nolentē in pugnam alliceret. Cum Facinus vanam indicis fidē nec milites aut qui detulerant vnquam apparere vidit, Veronenſem in agrū

reuer-

reuertit; vt ſeq; ac ſuos quiete reficeret. Aduentantes hoſtes à Caſtelbarco viſebantur; ipſe edito colle fallens; & vbi cum impedimentis affuiſſent, in cædem ac rapinam erupturus. Vt æquo loco inceſſêre, ſignum inuadendi ſuis Caſtelbarcus dedit. Præcipitibus ac ſubitis, ægrè remedium ex conſilio attuleris; eò minus ſi cum metu, aut inſcius facti agas. Quò acrior vis Mantuanorum, eo maior Scaligeri afflictio fuit. Iuſſos tamen ſeſe in orbem componere; & aduerſos pectore, ſtrictiſq; mucronibus ſuccedentem excipere diutius ſuam ſuorumq; virtutem frangens, obſtitit. Victa tamen fortitudine peruicacia eſt; & Octingentis in ſeruitutem abductis, duo millia, ſeſe exitio fugâ ſurripuêre. Cæteros belli vis rapuit; cum truci hoſtium clamore, & paratis bellatoribus impeterentur. Scaliger in Mediolanēſem agrum, vires refecturus conceſſit: præſentibus indignatus; nec ſatis ſecurus futurorum. Caſtelbarcus ſuos ſpolijs ad moleſtiam oneratos, formato tamen ordine Mantuam reduxit. Et mediâ D. Petri plateâ, ciuibus viſendos expoſuit; iuſſoſq; mandatis paratos eſſe, domum dimiſit. Angebat quidem Scaligerum, aduerſi prælij fortuna, minor tamen clades accepta, quàm vt deſperaret: ſiue aucto ſeditioſorum numero, ſiue non ſua, ſed aliena amiſiſſet; poſſetq; minimo negocio, eaſdem vires denuò reparare. Non tamen ſine Mantuanorum odio, quod recens iniuria onerauerat, cum vltrò citròq; properauiſſet, Mediolanum contendit; vt Duci iunctus, adauctis viribus, grauior in victores incumberet. Gratus Ioanni Mariæ Dux ac miles fuit; cui aduerſus fratrem Papiæ Comitem bellanti, exercitu & conſilio opus erat. Sed Ottobonus Terzus Gibellinorum ductor debellandus ante offerebatur; ne relictus à tergo, carperet, cæderetq; imparatos. Itaq; cum Vicecomite Mediolano egreſſus, haud longè Ticino pabulantem, cum Sexcentis equitibus aggreditur. Diù victoria in incerto fuit, quoad Terzi copiæ, deſperatione ad virtutem accenderentur: Nam fluuius frontem, ſaltus vtrumque latus claudebant; & ſuperandus hoſtis, aut omnibus ad vnum occumbendū erat. Cæſi plurimi quos Scaliger ductauerat; & ipſe turpiſſimâ fugâ, fortunam ac fortitudinem hoſtium teſtatus eſt. Id vulneris altius animo Scaligeri adactum eſt; memoriâ infauſti cum Mantuanis prælij, & metu contēptus; qui fere infęlicibus ſuccedit. Aliprando ac Caſtelbarco ditionis extrema cum milite ſeruantibus, Carolum Malateſtam Mantuæ indiuiduum, duo Mediolanenſium legati conuenêre. Orantes inexperto Duci Gubernator, & totius Mediolanenſis territorij adminiſter accederet. Ille breuem reſponſo moram poſcens; cum Ioannis Franciſci nepotis caritas, potentia, auctoritaſq; obuerſarentur, frequenti Mantuano Senatu cōuocato; cui puer Dominus intererat, nec minus cæteri primores, quantum de ſuo, à Mediolanenſium Duce peteretur expoſuit. Siue vt conceptum contra ſe odium, maiori comparatione leniret, ſiue vt obnixè rogaretur. Contra Paulus de Buccamaioribus, totius Ciuitatis ac Ioannis Franciſci nomine ſic diſſeruit. Eam eſſe Caroli virtutem; & in pace belloq; ſapientiam; vt nihil ſatis merito offerri poſſit; quando omnia nepotis vtilitati contuliſſet. Non mirari ſe, *Scaligeri cū Mantuanis pugna.*

quòd

quòd Mediolanenſes accerſant; ſed non idem totius Italiæ iudicium eſſe, obſtupeſcere; diſſenſionibus & internis bellis agitatæ. Et illi quidem plus potentiæ Mediolani; non tamen amoris, aut commendationis fore: Quòd hìc puerum nepotem, optimè meritos ciues, gratam conſanguinei memoriam ob oculos habeat; quibus naturâ, officio, promiſſis teneatur. Reddendas proinde Mediolanenſibus gratias; quòd iudicio Mantuanorum voto acceſſiſſent; quòdque factam ab ipſis electionem, imitatione approbauerint. Ceterùm eandem ſibi cum Principe puero, & Senatu potentiam Mantuæ eſſe. Nam dempto ſupremo nomine, cætera in æquo haberi, pecuniam, militem, ius ipſum Imperij. Nil reliqui eſſe, quod cum tradi potuerit, non accepe rit. Etiam perennem poteſtatem Mantuæ, quamquàm adulto pupillo habiturum; quod fruſtrà Mediolani deſideret. Aſſensêre Patres tacente Domino; nec inuentus eſt qui profectionem laudaret: hinc virtute hominis illecti, inde voluntatis Principis, niſi eo ſenſu gnaris. Plures vt abiret, licet intus concupiſcerent, diuerſa proferebant; metu ne id ad iniuriam traheretur; ij maximè, quibus multò ante iniuriâ Virgilianæ ſtatuæ vindictâ perſuaſerat. Ioanninus Danesius, nobilis ac honoræ familiæ, quiq; fortuitos natales habuiſſet, conſilijs tamen Io: Franciſci; & adminiſtrationi rerum adnotus à Carolo, tantumq; auctoritate prouectus, vt ciues ac Dominum in poteſtate haberet; vtilem omnibus viri abſentiam, & rerum arbitrum fore iactans, pulchro temperamento, non Domino, non Senatui ingrato, conſuluit: ne vel retinere coactus, Patriam offenderet; vel oſtentatâ profectione, inimicitias Caroli prouocaret. Eius ſententia talis fuit: Fortiſſimum Patruum, rerumq; experientiâ probatum, aliò abire, & tanquam ſalutis publicæ tutelam auelli, non ſine dolore poſſe recolere; & ſi in defunctos ſenſus meſtitiæ irrepat, poſſe Franciſcum Principis parentem lugere. Cauſas in promptu eſſe; quòd eo Ciuitatem curante, nil triſte ob externas iniurias euenerit, pax aut fœlix prælium contigerit: Perculſos ſolo nomine turbatores, & auditâ vindicis famâ aliò verſos. Quia tamen Mediolanum iuxta ſitum petatur, ſolatium diſceſſus aliunde capere: ſolitas Vicecomitum iras, Scaligeri audaciam, auctoritate, non minus, quàm armis prohibere: Et ſi longius hoſtis ingruat, non inutilem Patriæ ac Nepoti, Patrui potentiam futuram. Acceſſuram interim Ioanni Franciſco cum ætate prudentiam: In dubijs non adeò diſſita conſilia fore; vt citatis equis, intra biduum reſponſa non deferatur. Orare tamen per natales, neceſſitudinem, & ſuo Principi nexum ſanguinem; ne abſentiâ paternas curas exuat; aut maioribus abſtractus, hæc vt modica omittat. Patriam interim, mox prouectum ætate nepotem, meritas gratias reddituros. Decorâ in ſpeciem oratione, Carolus à Danesio, quem antetulerat, circumuentus eſt. Quippe regnandi auidum, & congenitâ ſuperbiâ, cæterum domi præſidium, quamquàm familiariſſimum, iniquè tuliſſe tradunt: hoc vno quidem impotentē, ſed cætera commendatum. Comitas, liberalitas, fides homini non deerant, vbi omnes conceſſiſſent; ſi æmulatio innotuiſſet, in contraria flectebat. Profecto Carolo, cum quid-

Carolus Malateſta Mediolani Gubernator.

1408.

quid

quid curarum delegari; & quæ rectè aut contra ceſſiſſent, Daneſius ſibi imputari cognouit; ſummâ vi mentis in curas intentus, Principi, Ciuibus, exteris conſilja approbauit. Legata Franciſci teſtamento, ſiue Religionem, ſiue familiam ſpectarent, exſolui voluit. Famam auaritiæ pernicioſam etiã exhauſto Domino fateri ſolitus. Principem ſuum fido milite, quem ex amicis delegerat, ambiuit; ne domi, forisve incuſtoditus, aut iuuentutis licentiâ vagus, flagitio locum apperiret. Annonam quæ præterito bellorum vſui inſumpta fuerat, reſtituit; contractò à vicinis, quidquid frumenti ſuperflui coëgiſſent. Quâ in re ne Fiſci quidem rationibus condonatum voluit; dummodo Ciuitas ad ſatietatem expleretur. Iuſtitiam Senatui ac minoris ordinis iudicibus ita imperauit; vt nullum ambitus, nullum diuitiæ locum, in causâ, vt potiora haberent. Sanè prudentiſſimorum documentis acceperat; nũquã in eo populo diſcordias, aut ſeditiones emergere, cui Princeps æquitate præfuiſſet: Et multum honoris ſui intereſſe nouerat; ſi ciues, & exteri, quàm honeſta præciperet, depræhendiſſent. Principem verò, ne prauis moribus imbueretur; aut ſedentariam adoleſcentiam, ignauâ iuuentute continuaret, literarum non minus, quàm militiæ ſtudio exerceri conſuluit. Quòd nullam prudentiam admitteret, cui doctrina viam non ſtrauiſſet. Nouerat pariter Scientiam præferoces animos emollire, & in mitiora flectere: In quo ipſo pleræq; virtutes, clementia, æquitas, munificentia credebantur: experimentum cuius cauſam ignores, fallax eſſe; & ſæpe poſſeſſori periculoſum: Si ſcientiam adiunxeris, omne punctum ferri. Ioanni Franciſco feſtis diebus, inter æquales, ac paternas ædes, familiaria erant equeſtria certamina, bellorumq; imitamenta. Et gaudebant Patritij militaribus ſtudijs Principem attineri; quæ ipſi decora, Patriæ in tempore vtilia forent: Simulq; nobilium ciuium pubem, pulchrâ æmulatione virtutẽ imbibere; Patriæ amorem, ſuorum in Principem caritatem capeſcere. Et Daneſius hoc quoq; celebris erat; velut non ſuo Principi magis, quam cunctorum ciuium decori ſtuderet. Talia per Longobardiam rariora viſebantur; ideoq; quibus lene otium, & ſoluta ſuſpicione perſequentium fortuna erat, frequentes Mantuam conueniebant; vt tali præceptore, tanto æmulo diſciplinam condiſcerent. His ipſis temporibus, Guelfi ac Gibellini, pernicies Italiæ, Mediolanenſi præcipuè ditione vigebant; factionibus nullâ ſufficienti causâ enutritis, adeo durâ contumaciâ, vt à patre filius, fratres à fratribus mactarentur. Nec vllius certa, & diù vigens victoria; ſed prout Ioannes Maria, aut qui gubernaculis admoti fuerant, inclinauiſſent, in hos illoſue, miſerâ vexatione deerrabat. Carolus Malateſta conſilio ac manu, adminiſtrationi rerum, quibus præerat, aſſiduus; ſerpentem latè diſcordiam excindere conatus eſt. Sed plures in præceps trahebant, quàm vt vnius ſtudio vniuerſa componerentur. Qui ſemel liuore animorum infenſum acceperant, eum non vt diſcordantium medium, ſed vt aduerſum inſectabantur: Et cum multum operæ communi ſaluti impendiſſet, plus tamẽ propriæ ſtudere cogebatur. Itaq; Ducem puerum, turbis quibus ille cauſam daret, diſtractum vidẽs, remiſsâ

Redit ad ſuos. publici imperij curâ, ad ſuos redijt; non attentati negocij, quàm infęliciter & irritè aggreſſi famam antehabens. Neq; iterati cum hoſtibus congreſſus, ex voto ceſſerant; & ſi quando potior receſſiſſet, manifeſtè iuuentute imminutus. Id Facino Cani ſpem addidit, poſſe aduerſus diſtractos, & magno Duce orbos præualere. Nam Ducum ignauiâ, ac contentionibus, ſubditi delaſſati, ad quoſcunq; facilè tranſibant, quamuis minoris fortunæ; dum tamen tutela oſtenderetur. Neq; quòd plus onerum in pace ſubituri forēt, *Miſeria temporum.* æſtimabant; quando, plurima à potiſſimis auctoritate ac deſpectu requirantur, quæ minores Domini, velut precariò obtineant. Contra aderant, quos diſcordiæ nutriebãt; eoq; ipſo quietem vt improficuam aſpernabãtur, abiectâ publici curâ. Plures aliorum exemplis docebantur, ne ſeditionibus immerſi, Patriam, liberos, amicos, fortunas perditas vellent; nullâ niſi miſerrimæ ſeruitutis ſpe reliquâ. Sed malè quidem cum ijs agebatur, qui intra viſcera Imperij conuulſi, non externas ſed proprias tantùm miſerias experiebantur: Deplorata eorum conditio erat, qui pro limitibus ſiti, intus amicorum, extra hoſtium inſolentiâ lacerabantur; quibusq; non vires, aut non aliena fiducia ſuppeteret. Accedebant adeunda diſcrimina: Nam cui ſe dederent ignari; & ſæpè inualidos nacti vicinos, tutelam habere, quam recipere cogebantur. Conſilij ambiguos; & quò ſe conuerterent neſcios, parati deliberantibus Tyranni præoccupabant; velut ſine Dominis nutantes, Dominum poſcerent. Inter tot æui aduerſa, ad adoleſcentem Ioannē Franciſcum, magnæ tamen exiſtimationis, Bozolum Cremonenſis agri non ignobile Oppidū defecit; vicinitate, diſſentione reliquorum, bonæ famę Principis innixum. Etiam impunè ſimilia exerceri, non vno exemplo didicerant, ſiue Patrono parum valido, ſiue inani Imperij nomine; quibus parata in libertatem occaſio. Bozolani etiam Municipiorum adiacentium conſcientiâ ſuperbè egerant in Vicecomites; oſtenderantq; communione iurata arma; & non aſpernandam iuuentutem; Niſi Facinus turbator rerum, maiori motu impunitus, minoribus flagitijs impunitatem promiſerat. Dignum mihi *Bozolum ſe Io. Frãciſco ſummittit.* viſum literarum exemplum, quod Oppidani, additis Legatis, in hunc ſenſum miſêre. Sęuitiam & auaritiam exuendis Tyrannis cauſas honeſtas eſſe. Et quando per ſummam modeſtiam cum ijs agatur, continuatione ſcelerū admoneri ignauiæ ac ſecordiæ, & velut ad diſceſſionem prouocari. Datos potentioribus ſubditos, non vt perdantur, ſed ſeruentur; vtq; pace, ſummo vitæ bono contineantur: Eam ſi cum immanitate ſit, bello optimè mutari: Sed vtrobiq; iuſtitiæ, æquitatisq; leges eſſe; niſi quid aſpera ſeditionum effringant. Parum intereſſe; exterine an proprij; intus foriſne lacerentur, negligentiâ miniſtrantium, crudelitate imperantium. Deſertos per ægritudinem ſeruos à Dominis, vbi proprijs viribus conualuerint, in libertatē vindicari; quantò honeſtius neglectos, in prædam ac rapinam datos, ſaluti & immunitati propriæ conſulere? Non ſe inferendo bello Duci Mediolanenſi pares, ſed nihil magis in defectione, quàm continuatione obſequij toleraturos, vbi protectione caruiſſent. Neq; ſe tamen deſperationi inſiſtere; ſed

tranſire

tranſire ad Principem, cuius nobilitas, prudentia ſupra ætatem, exiſtimatio in pace ſuffectura tutelæ ſint, bello vires animiq;. Sequidem minimam acceſſionem eſſe; datam tamen ſemel fidem ſeruaturos, & locum pro virili impleturos; nullo Guelforum Gibellinorumq; inter ipſos audito, qui turbet ſemel compoſita. Non aliud opportunius, excutiendo iugo tempus occurrere potuiſſe; cum Ioannes Franciſcus pace ac quiete, Vicecomites turbis in mutuum excidium lacerentur. Deniq; tranſitionis pœnam apud ipſos, iudicij gloriam apud Gonzagos fore, ideoq; fortunam prudentia temperandam. Magnum quid è Republicâ peti Ioanni Franciſco ac Senatui viſum: Et hinc diſcordibus ſententijs inter proceres certatum. Neque enim inconſultis ſenioribus, ardua negociorum à Principe tranſigebantur: Sed ſibi ac Ciuitati iuxta profutura vniuerſorum arbitrio tractabantur. Quibus Vicecomitis metus inerat, manifeſtis dominationum præceptis nitebantur: Ioannem Franciſcum iuſtitiæ memorem; & ſubditos alieni iuris æſtimari: Liberos vtcunq; ſubditos, ſine iniuriâ veterûm dominorum non recipi. Nõ enim Ciuitatum Italiæ Iudicem Gonzagam; & Imperatorium munus eſſe vtroſq; in officio continere, & qui dominantur & Dominos; hos vt iuſtè præſideant, illos vt obtemperent. Introſpectam quoq; vtilitatem diſuadere. Nam quietas Mantuæ res periculo exponi, laceſſito potentiori. Et minus eâ iniuriâ peti, quàm diſcriminis magnitudo comminetur. Non puero Principi, & qui alieno conſilio regatur, bellum conducere: Et pro alienis pugnare, eius eſſe qui præualeat. Quod pari iacturâ petitur, & dedecore omittendum eſt, prudentius omitti. Deniq; non minoris commendationis in puero modeſtiam, quàm in viro fortitudinem cenſeri. Contra temporũ, ac morum callidi conſulebant; quos inter Aliprandus mihi ante nominatus, intempeſtiuam prudentiam obturbabat. Paratis abſtinuiſſe torporem, & quando ſponte offerantur, ignauiam eſſe. Agitatam ſeditionibus Italiam, eò diſcordijs proceſſiſſe, vt tanquam legedictâ, per vim, fraudem, amicitias, dominationes quærantur. Libertatem omnibus à naturâ datam, iure gentium obliteratam; & id vnum populis iure concedi, vt ſeruiant. Vſu eueniſſe, vt non aliâ quàm belli causâ parta amittantur. Et ſi iactatæ æquitati ſtãdum ſit; quo nomine aut Vicecomites auulſi Mantuano Regij excuſandos, aut Gõzagos, toties illatas iniurias vltum ituros? An cum licita in potentiori vis ſit, in minori ne ius quidem valuerit? Præter hæc gnarum eſſe, quædam ſuâ ſponte valida per ſcelus accipi, quæ mutatione rerum, bono demũ iure retineãtur. Succedere præſcriptiones, quibus honeſti tituli ſpecies obtentui fuerit, pacta, pecuniam, Cæſarum, populorumq;, etiam hoſtium conuentiones; vt ſola ignauia inexcuſabilis, reliqua pactis accomodentur. Sic Rotundeſcum, Cannetum, aliaq; Cremonenſis ditionis Oppida, in pace Gonzagis manſiſſe; cum inter diſcordias, bello & rapinâ acceſſiſſent. Vel totalem reſtitutionem fieri; vel quæ quis acceperit, armis retineri debere. Quamquàm ne vim quidem illatam, ſed prædationibus & libidini, ſeditioſorum expoſitos, ab iniuriâ defendi. Quòd ſi Gonzagis, nulla ratio in Vice-

comitum fortunas ſuperſit, Bozolanos audiendos; qui defectionem imputari ſibi ſponte cupiant: & ſi pœnituerit, poſſe reſtitui, beneficij memoriâ, apud accolas & recipientes æternâ. Dotem cęteris Ioannis Galeatij filiabus exſolutam, multa aureorum millia, inſuper & gemmas; Ioannis Franciſci patri, etiam potiora promiſſa, quæ matrimonij onera leuarent; ſed fidem non liberatam. Quæ flagitij & adulterij rea ſit, eam iure gentium vitam, cum dote amiſiſſe. Si Bozolum reijciatur, aut Eſtenſi aut ſparſis per Longobardiam Tyrannis acceſſurum; quo illi in Mantuanorum perniciem vtatur. Prouincias, & Ciuitates rarò concedi, rariſſimè Dominationem. Proinde ambigentes præueniendos; & dandum Principem, cum recipere, & reijcere in manu eſt. Pœnitentiam non laboris, non expenſarum, non ſanguinis impendio grauem fore. Poſtremò certam poſſeſſionem, incertam iacturam eſſe; quando in ſinu fortunæ ſit, quæ tempora, occaſiones, proſpera, vel aduerſa ferant. Querenti Vicecomiti ſatis futurum, ſi, receptos Bozolanos fateamur, vt in loco redderentur; ne ad potentiorem conuerſi, armis opus ad reciperationem foret. Hæc ſententia potior viſa: Vt ferè non minus alijs, quàm nobis ipſis applaudimus; promptiusq; blandientibus vitijs, quàm obſtrepentibus virtutibus aſſentimur. Niſi ea temporum conditio viſa, id mores volebant; cum ius faſq; ſilerent, & potentia pro æquo eſſet. Miſſi illico à Ioanne Franciſco qui Bozolanos reciperent; nô vectigalibus nô cenſibus onuſtos; ſed tantùm quadringentorum præſidio impoſito, aduerſus exteros, & Ciuium validiores, ſi ſeditionem veterum Dominorum caritate, aut odio præſentium ceptauiſſent. Acceptæ quoq; à Ioanne Suardo literæ Bergomo ſunt, vbi tum imperitabat; quibus Ioannes Franciſcus orabatur; vt ſeſe, infeſtanti Pandulfo Malateſtæ ſocietate fęderum obijceret; addito metu eiuſdem periculi. Iuuenis, nobilitatem magni viri doctus (vt qui traditam Ducenteſimum ante annum potentiam à ſuis maioribus, Federici

Suardi. Aenobarbi Cæſaris munificentia retineret) ſolatus eſt; & quâ cauſâ nouis inimicitijs abſtinere expediret, docuit. Cæterùm ſi cædere Vrbe (iam enim de conditionibus trãſactionis, cum Pandolfo Malateſtâ Brixiæ Domino agi nouerat) & vitare turbas vellet, ſitus, agros, amęnasq; ſeceſſui villas promiſit. Tum Suardus magnâ vi pecuniæ delatâ Mantuam conceſſit, diuiſâ fratribus bonorum portione; & partitis in familiam agris, quos Pandolfus emptione non acceperat. Superat in præſentem familia cuius originem (cum Scriptorum celeberrimi tradiderint) non proſequimur; ſufficere inſtituto rati; ſi quod publicâ fide è vetuſtiſſimis M. S. habuimus; horumq; non interruptam à prioribus Dominis ſeriem ſincerâ veri profeſſione fatere- mur. Hic idem annus, ſurgenti virtute ſuâ, Sfortię familię, magnum incrementum tulit. Nam poſt deuictum Ottobonum Terzum; & non confuſas

Sfortia familia. 1409. Longobardiæ ſolùm, ſed Hetruriæ ac Liguriæ res, pronisq; Genuenſibus in Theodorum Monferrati Marchionem; Sfortia alterum iam annum Eſtenſis miniſterio illigatus, Legati Pontificij precibus, qui tum Bononiæ erat, Ducem ſe Eccleſiaſticis ac Florentinis præbuit; mox auctâ exiſtimatione Fran-

ciſci Salimbeni Senenſis ſororem cõiugio accepit;dotiſq; nomine plura Oppida; vt iam non delegato ſolùm, ſed proprio milite metuendus eſſet. Milleſimo quadringẽteſimo decimo, erepto è viuis Ruberto Bauaro, inter Electores diſcordia inceſſit, quiſnam ſucceſſor deligeretur, Schiſmate ac Imperatorum interregno, totâ Germania infeſtatâ. Ioannis Pontificis conſilio & auctoritate opus erat; qui Sigiſmundum Venceslai fratrem, Boëmiæ ac Hungariæ Regem, adſciri anxiè cupiebat; Maieſtatem Imperatoriam, virtutem, ac potentiam prætendens: Ne Princeps ſine viribus & nullo cæteris nomine ludibrio eſſet. Sed inteſtina cauſa Ioannem permouerat, vt Ladislao Neapolis Regi, armis ac contumacia infeſto, ſtrenuum Cæſarem opponeret; qui res ſuas, qui Sedis Apoſtolicæ, memoriâ beneficij per Italiam repeteret; pulſiſq; Gregorio ac Benedicto (quos Antipapas dicebat) ſtabile ſibi imperium relinqueretur. Quæcunq; cauſa fuit, electus & diademate inſignitus Sigiſmundus eſt, cunctorum procerum aſſenſu: pariter famâ virtutis, Italiæ bella finem habitura putabantur. Hæc eadem tempora, ſalutem Mantuanis tulêre, acceptâ à Ioanne Franciſco in matrimonium Paulâ Malateſtâ, Pandolfi qui tum Brixianis imperabat, filiâ, Carolis nepti: Dos regiam magnificentiam æmulata eſt. Quippe Oppida Brixiani agri, Gonzagis in præſentem habita, pater aut manſura tradidit, aut poſſeſſa in futurum ſcripto firmauit. Filij ac neptis caritate, Margaritam dum inter viuos ageret, coniugium tractauiſſe ſatis conſtat; ne tot Oppidis alius potiretur; aut concordi domo, nouercales ſimultates inducerentur. Cæterùm puella decimum ſextum annum nata, tantâ ergâ maritũ caritate, erga ciues pietate egit; vt ſubleuatâ multorum inopiâ, Aduocatæ nomen promeruerit. Neq; ætate prouectâ, virtutes maximas infregit, ſed auctâ cum annis prudẽtiâ, in maius auxit. Aduenêre teſtimonio lætitiæ Principes Italiæ viri, Rerum publicarum oratores; & Pontificis nomine Legatus, qui Matrimonium ſolemni religione firmaret. Decorum generi & ſtirpi erat, in tanto procerum numero, duos & quadraginta, è principi familiâ numerari, qui in belli morem armati, ſpeciem equeſtris pugnæ referrent: nemine admiſſo qui non è domo eſſet. Multis certè nominibus Gonzagi apud ſuos apud exteros laudem meruêre; ſed eò præcipuè ex fortunâ commendati, quòd liberorum multitudine ac ſpecie fecundi, multos magnoſque viros Orbi addiderint. Celebres quoq; nuptias nobiles exteri, moxq; inter Ciues recepti Arriuabeni reddidêre. Nam cum Principis filiam, Brixiâ aduentantem, Parens põpoſo comitatu deduci cuperet; non alios potiores credidit, quibus puellam commendaret. Oprandinus magno munere functus eſt; & alij è gente additi; qui Mantuæ amœnitate, & certâ Ciuitatum plures annos caritate, ſimul comitate Ioannis Franciſci ſubſtitêre; leuem ſoli mutationẽ rati, quòd ab amicis ad amicos tranſiſſent. Ijs paulò poſt Meduſas (non longè Aſolâ Oppidum) dono à Principe conceſſum reperio, ſub Annum Milleſimum quadringenteſimum duodecimum, in veteri Cancellariæ Ducalis volumine, cui Taurus nomen erat, folio Octuageſimo octauo. Etiam Ducenteſimum

[Margin: 1410.]

[Margin: *Paula Malateſta vxor Ioannis Franciſci.*]

[Margin: *Arriuabeni*]

Tt 3 ante

ante annum Philippum Tridentinum Epiſcopum Annales referunt Pinciani, Milleſimo nempè ducenteſimo;quamquàm Franciſcus Mantuanus Princeps, & Epiſcopus, ſuo de Seraphycæ Religionis ordine libro, Bonacolſum opinetur. Iam verò ſolidam nobilitatem, gens virtutibus atteſtata, Eccleſiaſticis Dignationibus, Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibuſq; ; nec minus, Comitatu ornata, maiorum in poſteris gloriam retulit. Opinio haud dubiè Principis familiæ, vniuerſos illexit; nec minus vitæ ſecuritas. Nam Vicecomites mutuis diſcordijs,& defectione ſuorum illigati, pars pacis erãt. Alioqui domeſticis curis exoluti,animos ad externa conuertiſſent. Sic Mãtua,& quod agri erat, triennium ſummâ quiete habitum; camporum prouentus illati; contracta pecunia; exercita mercatura, dites incolas, opulentum Principem reddidêre. Siquidem tranſalpinis Italiſq; vltrò citroq; permeantibus, Mantua vt in medio conſedit; mercimonijs terrâ ac flumine conuehendis recipiendiſq; opportuna. Paucos ante mẽſes Antonius Vaincouius (natales ignorantur) ciuilibus ſtudijs, & aulico inſtituto celebris adminiſtrationem negociorum acceperat; principio per ſummam integritatem; ſed aucupatâ fide Domini, non ita publico aut Principi prouidens; quîn res ſuas auctum iret; & honeſta conſilia, vtilitati miſceret. Quamquàm enim iuſtitiam, Ioannis Franciſci nomine, ſummo ſtudio haberet; ad miſſiones tamen, celereſq; expeditiones pretio capiebantur; cuius ipſe non alienus; & fortè intus auidus erat. Si quid per ſecretum offerebatur, quod auaritiam retegeret, aut ſordes oneraret; prætextu laborum, periculi, amoris velabat. Et vt neceſſitatem fateretur; externum ſe dicebat; quiq; non cœli cauſa, ſalubritatem Patriæ, paludi Mantuanæ mutauiſſet. Pleriq; auiditatem excuſabant, quòd mereretur, nec falleret: Satis gnarus quid perſpecto Principis ingenio promittere, quid deſperare poſſet. Vbi ſpoponderat, inuitum licet Dominum annuere cogebat, vt fidem liberaret. Simul vt diuturna & proficua auctoritas euaderet; prauè ſolers, machinamentis inopinatis Fiſcum ſaginabat. Ioannes Franciſcus, vbi iure & æquo talia conflari vidit, & laudauit ſtudium hominis, & collecto lætatus eſt. Sed quia nullo belli vſui contractæ opes videbantur, verſa in luxum potentia; & depulsâ ſobrietate, ac modeſtiâ, quâ plures annos vſus, ſub magiſtris fuerat, immenſi, impareſq; fortunæ Gonzagorum ſumptus inducti. Inexperto iuueni, alterum vitiorum ſpecie libertatis imponere facile potuit: Dum ſummum ius, famam, gloriam, ſplendore aulico, & ſparſis in plures qui ligurirẽt alimentis præſumit: Negare poſcentibus, etſi non peteretur, vtendi neſcius. Id Vaincouius introſpiciens, vel è plebe, vel è Domino neceſſitatem odij cõiecit. Itaq; Principem antehabens, noua prædandi nomina, nouos modos, fucatas gratias, inanes fauores commentatus eſt: Quibus inſani auidi, pecuniam impenderent. Venundati equitatus, immunitates, Magiſtratus; quæq; flagitioſum ignauumq; emptorem, deteriorem, nõ meliorẽ reddebãt. Etiam optimis nobiliſſimiſq; facta iniuria; quòd vel poſtpoſiti, vel comparatione fędati eſſent; quia pecuniâ non valuiſſent. Viſebatur regium in morẽ,

Io Frãciſci luxus.

nobi-

nobilibus, ciuibus, plebeis Aula referta; raræ, & mores exteros æmulatæ veſtes, equorum, canum, curruum copia; nullo ordine, cuiuſuis arbitrio parata; & inter tot perdentes & abſumentes, cum multitudine, vaſta confuſio. Sed rari è ſuo, plurimi Principis munificentiâ vtebantur; quòd tantâ facilitate largiretur; vt iuxta ſtultitiam eſſet, non requirere. Qui per Vrbem nobiles, officio aut miniſterio aderant, prodigalitate viſâ ac laudatâ, ſua & aliena hauriebant; gratiam Principis, ſimilitudine inſtituti captantes. Vbi fortunas fidemq; conſumpſerant, à Domino quod libidini ſufficeret ſumebatur; quodq; communicata reliquis vitia enutriret. Ioannes Franciſcus, ætate ac licentiâ vſus, excuſſiſq; modeſtiâ ac frugalitate; ſi copiâ, vbertate, ſuperfluo; atria, cubicula, coquinæ fatiſcerent; ſi cocus cenſum ſui Domini peritè mergeret; ſi cæteris eadem neceſſitas, & voluptas eſſet, gaudebat. Paula coniunx, & iam ſatietate Vaincouius inuiſus; quiq; è proximo longinqua æſtimant, irritâ operâ parſimoniam obſtrepere, perditos maiorum Theſauros queri, minorem è futuro ſpem oſtendere; etiam neceſſitatis memoriam obtrudere. Sed ille congregandi ignarus; & nullum pecuniæ niſi in pace vſum edoctus; quòd aduerſa præliorum expertus non eſſet, magnificum rebatur effundere; nec quantum, quando, & vbi nouiſſe: Ne ſcientiâ ijs qui fouerentur, improperare videretur. Quâ in ſuos, eâdem in exteros liberalitate vtebatur. Munera ad Pôtificem, Sigiſmundum, Venetos, Eſtẽſem, Malateſtas, velut habito illuderet, deſtinabat: Perdere potius, quàm dare ſciens: Licèt hæc quoq; in tempore profuerint; veteri conſuetudine mortalium, fortuita ad gloriam & virtutem, finem verò rerum conſilio imputare. Sed nepotina conuiuia, medio in lacu cęnationes, Mimi, Paraſiti, ac Scurræ, Aulæ dehoneſtamenta, nunquam laudem meruêre: Niſi quòd cum luxum Ioannes Franciſcus proferret, ipſe non vteretur; modico cibo, & tenui vini vſu ſatiatus. Adeò cum alij peccarent, ipſe ſe luere ignorabat. Sed canum equorumq; ſtudio profluebat. Trecenti equi, quingenti venatici Patrimonium abſumebant. Et Princeps non ita priori vtebatur, vt denuò repeteret. Siue multitudo faſtidium, ſiue genium mutationes vellet. Creſcebat interim Facini potentia, qui Dertonâ, Alexandriâ, Vercellis, Papiâ in poteſtatem redactis, maioribus accingebatur, quàm à natalibus habuiſſet. Paula coniunx, ſupra ætatem ſexumq; prudentiâ vſa; ſiue ſponte, ſiue alieno conſilio inducta, per ſecretum, Ioannem Franciſcum temporis, ac neceſſitatis admonuit; vtq; in theſauros reconderet, quæ inutilibus impendebantur, orauit: Ne Facinus acceptæ cladis memor, deſideratam vindictam, in præſentem reijciens, occaſionem raperet; & maiori fortunâ, omiſſas iniurias reuocaret. Iam Pontificum diſcordias arma reſpicere; & ſi pax obtigiſſet, diſpendioſum hoſpitalitatis officium propoſuit, Imperatore ac Principibus hâc tranſituris. Et tamen oſtentandam exteris munificentiam, eamq; regiam laudem eſſe, ſi per commendationem, generoſâ erogatione effunderetur. Nihil adeò ſiniſtri euenire poſſe; quîn ſe pecuniâ ac ſuos redimat: quæ ferè potentioribus eò acceptior eſt, quò pluribus indigent, maioribus

ioribus intendunt. Se primam exemplum dare; nè laudatam parſimoniam
prodigentiâ renuat: Imminuere ſeruitia, reſcindere ſuperflua conuiuiorum,
ornatui ac gemmis modum ponere: Securam nihilominus, auctoritatem,
ac reuerentiam apud ſubditos manſura. Plus valuêre ſecretò prompta cō-
ſilia; & blanditijs mixta, precibus propiora; quàm publico iuculcata præ-
cepta, & velut indigo intruſa. Dictu mirum, arctata domus, rari aulici,
inutilia miniſteria exploſa, Mimi, Paraſiti exacti; & congregandis pecunijs
ſtudium inductum. Aderat Paula, ſingulorum formam, modumq; præſcri-
bens, nè (quod iuuentutem peſſumdat) in ſordidam auaritiam, vitato extre-
morum altero laberetur. Idq; Principi, nobilibus, ac plebi incremento fuit,
nemine luxum, & affluentiam, auerſante Domino ſectante. Secutum in iu-
uene acrius habendi deſiderium (quamquam Vaincouius aſperè rationes
Fiſci, redituumq; reuocaret) ciues patienter tulêre, quòd bono publico, &
vſui futurorum deſtinarentur; non vt ante, perderentur. Neq; tamen au-
ctionibus, aut illicitis quæſtibus inſudatum; vſui ac decori neceſſaria reten-
Corrigitur ab uxore. ta; vana & quæ corrumperēt, exoleuêre. Vix veteri prodigentiæ, duos tem-
perantiæ annos Ioannes Franciſcus addiderat; & Ducenta aureorum millia
ærario numerabantur; vectigalibus, agrorum cenſu, diſtractione inutilium,
hoc vno ſtudio collecta. Auxerat quippe diuitias; & acceſſione bonorum,
ac pace, Centum aureorum millia in annos ſingulos Principi pendebantur;
Præter, Villarum prouentum, vnde domeſtica neceſſitas explebatur. Mu-
tatio haud dubiè morum fuit: Sed è vicino ſtrepere arma audiebantur; miſ-
ſo à Sigiſmundo Cæſare in Venetos exercitu. Quæ arma quo euentu, qui-
bus cauſis, quot ſocijs diſcriminis, alij tradidêre. Nos neque auxilium
Imperatori à Ioanne Franciſco collatum, neq; requiſitum à Principe com-
perimus; quem Imperij reuerentia ac Senatus auctoritas, retinebant. Nul-
lo hactenus tempore, futuri magis ſuſpenſa Ciuitas Mantua fuerat; decer-
tantibus Venetis, hinc Scaligero, alibi Vicecomite minitante. Neq; vni-
uerſis obſiſtere ſolus Gonzaga poterat; & nullus fęderibus locus erat; con-
uerſis omnibus ad ſeruandas res ſuas; & aſpernantibus tutelam; quæ ipſis
periculoſa eſſet. Sed mors Facini plurimûm ſecuritatis tulit. Qui quò ini-
quior hoſtis, eò acrior erat: & à perfido vis tantùm ſperabatur. Sed vbi
Ioannes Maria Vicecomes fato functus eſt, plus opinione, animorum acceſ-
ſit. Quippe potentiæ nimius; & certo quodam iure Dominus, Scaliger li-
bidine, ac temeritate prouectus ſciebantur. Et quieti conferre nouerant; ſi
non ſolùm hoſtes, ſed ſuſpecti quoq; tollerentur. Ladislaus interim Neapo-
lis Rex, Vmbriam omnem, poſſeſſione aut metu continebat. Et Ioannes
Pontifex, literis ac nuncijs Sigiſmundum in Italiam vocabat; exponebatq;
Ladislaum Italiæ regnum, contemptu Imperij, per ſummam iniuriam agi-
tare: Non ſacris, non profanis parcere; dummodo vtilitate penſarentur.
Simul electionem, & interpoſitam negociationi auctoritatem refricabat; vt
quem dominandi deſiderium non permouiſſet, gratitudine flecteret. Ni-
mius certè in gerēdis quæ promeruiſſet; ſed metu ac neceſſitate coactus, ne

vanis

vanis quidem abſtinebat. Haud vlterius cunctatus Sigiſmundus, magnis copijs inſtructus Alpes tranſcendit, Italiamq; deſtinationis certus irrupit. Non enim Schiſmati conſulturum ſe prius, quàm Vicecomites in ordinem redigerentur, exiſtimabat. Hoc vno potētiſſimo hoſte, Imperij res conuelli ſciens, & abſentibus Cæſaribus, diſcordias & ſeditiones excitari. Miſſi in Italiā qui Principis aduentum nunciarēt, Cęſari exercituiq; neceſſaria compararent; Mantuæ præſertim, in quā omnium ordinum conuentus futuros; & commeatus ſuffecturus ſciebatur. Ioannes Franciſcus diuiſis per Oppida alimentis, ſepoſitisq; vſui diurno, ac ſementi frugibus; quod reliquum Vrbi intulit; vt eâdem vbertate, quâ olim ſuperfuerat, in tantâ occaſione ſatis eſſet. Cæſari, Pontifici, Principibus, Cardinalibus, Regia ſatis viſa; reliqui nobilium ciuium hoſpitari permiſſi; vt æmulatione pulcherrimâ, ſibi ac Patriæ famam gloriæ compararent. Conceptam tot Procerum aduentu lætitiam, natus Ioanni Franciſco filius nomine Ludouicus, ad ſummū protulit. Lætâ Ciuitate omni, quòd optimis Dominis hæres acceſſiſſet; quos ingenti Patriæ damnò deficere metuebatur. Oblata nobilibus ingenijs occaſio, plurimos excitauit; vt Patriam Poëtarum genitricem carminibus teſtarentur. Et Cæſar proniori ſimilium adulatione, laudi mixtus eſt; velut eius fauori, Numina ac fortuna arriſiſſent. Conſtantienſis interim Synodus, multis Patrum congregatis; & nondum conſenſu finita, Imperatorem compulit, citis equis in Germaniam properare. Nec enim niſi præſente Cæſare, quæ ſtatuiſſent, momentum habitura videbantur: Noueratq; Sigiſmundus diſcordias Pontificum, Principes quoq; trahere; in hunc illumve obſequio; & ſic contra tumultuantes; vires, nec minus auctoritatem Imperatoribus accreſcere. Tanquàm in Vicecomitem expeditionem diſtuliſſet, Conſtantiam delatus eſt. Ioannes primùm, & Gregorij nomine Carolus Malateſta cum mandatis affuêre; Benedictus Concilij voluntatem doctus congreſſu abſtinuit; dubiam poſſeſſionem, certæ abdicationi præferēdam credens. Ingreſſo Longobardiam Ioanne, obuium ſe Gonzaga obtulit; non tam officio ſtudioq; partium, quàm in omnes liberalitate: Excepitq; Mantuæ eâ munificentiâ, quæ vtrumq; Principem deceret. Sunt qui Sigiſmundum per hæc tempora Mantuæ fuiſſe velint. Nos inter ſcribentium diuerſitatem ambigui, quod Mantuani Annales M. S. proferunt, pro comperto recipimus; ſucceſſus rerum ex fide; ſi non in tempore proſecuti. Ioānem Papam interim, cōſilij incertitudo, ac Patrum placita angebāt; ſed Ladiſlaum Neapolitanum Regem infenſum Eccleſiaſticæ libertati, ac poſſeſſioni à tergo relinquere; poſſeq; Bononiā facilè potiri, ante alia cruciabat. Nempè fluxa ciuium fides, calcata ſui exiſtimatio, magna hoſtis potentia animo obuerſabantur. Ergo nullo certiori præſidio, nutantia Sedis Apoſtolicæ iura inniti poſſe, quàm ſi Ioannes Franciſcus pręficeretur exiſtimans, iuuenem vniuerſis Capitanei Generalis nomine impoſuit: Addito milite, quo Bononiam aduerſus Ladiſlaum tutaretur. Et quò mutua protectio eſſet, Legato per Flaminiam ac Picenum imperauit, vti Gonzagorum iura ſerua-

Sigiſmundus Imp. in Italiam. 1414.

Ludouici natales.

Ioannes Papa Mantuæ.

ſeruaret; & aduerſus externas vires vocatus accurreret. Placuit Pontifici nobilitas, & familiæ in aduerſis conſtantia: Niſi ſuus fortunæ locus eſt; & proſpero ſucceſſui, vniuerſa concurrunt. Princeps accepto munere acrior, veteres glorias; & inſeſſam maioribus virtutis ſemitam continuare parabat.

Io. Frãciſcus Capitaneus Pontificij exercitus.

Itaq; Vaincouio Ciuitatis curâ ad præſens commiſsâ; iuſſoque ſi quid improuiſum ingrueret, cum Paulâ coniuge conferre, in Bononienſes profectus eſt. Venerat enim Venceslaus, & obſidione Ciuitatem quatere parabat; intercepto commeatu, & Amne; ne quo ſubſidio leuaretur. Viginti hominũ millia Ladislao erant, vſu victoriarum cuicunq; negocio par exercitus. Decem millia colles, totidem quâ in planitiem ager protenditur, ſeruabant: Modico tamen diſcrimine; vt ſi concurrendum erupentibus foret, vniuerſi incumberent. Ioannes Franciſcus quatuor peditum millia, equites Quadringentos, conceſſos à Pontifice habebat: Addideratq; ſuorum tria millia; quatuor Bononienſes è populo deſcripſerant. Sed nemini duratum labore corpus, non ſucceſſu firmatus animus, aut belli experimentum erat. Itaq; partitur vigilias; foſſas ingentes ducit, ſub Sole, ac dio detinet, cõportari neceſſaria iubet; vt maioribus admoti, conſuetudine ſimilium facilius tolerarent. Ladislaus numero, & fortè virtute ſuperior, excire hoſtem, & propius ſuggredi; etiam moliri fores parabat. Id Gonzaga ægrè ferre; & vbi obiurgatos milites, temporis, decoris, & officij monuit, oſtentare aciem, & ſummæ rei periculum facere cogitauit. Neq; Ladislaum animi Principis vis fefellit; quòd exploratores (vtiliſſima rerum agendarum inſtrumenta) vniuerſa perſcriberent. Et primùm quidem campum deligere, ſolutaq; obſidione occaſionem egreſſui præbere cępit. Sed vbi menſem iam in exercitio ac labore habitos hoſtes, accinctum dimicationi Gonzagam, fortunæ quàm virtuti metuens accępit, ſenſim Flaminiâ regreſſus eſt. Locum tamen Caſtris præceperat; & reuerſurus videbatur. Nam recedere non fugere; abire non vitare erat. Prouido Regi inconſulta decertatio credebatur, ſi veteres, & plures eam in diem victorias, vno velut ictu in præceps dediſſet; aut quod durius erat, ſi à ſene & experto bellorum; iuuenis & vſu rerũ inferior, quidquid gloriæ circumferebatur ad ſe traxiſſet. Vbi elabi hoſtem certi nuncij attulêre, ac Florentiam toto exercitu properare, Gonzaga carpere extrema, Sexcentis equitibus nixus eſt. Auerſabatur victoriam, opinione, non virtute partam; vt animo ſuo imparem; nec gloriæ maiorum æqualem. Sed vbi iam Apenninum inceſſiſſe, præmiſſos à Rege frumentatores, commeatum in medio haberi vidit; locorum anguſtias, & poſſeſſionis ſecuritatem æſtimans, Bononiam repetiturus ſubſtitit. Abactum tamen Regem Neapolitanum; & quò minus armis decertauerit, initium illinc fuiſſe, conſtantiam per literas delatum eſt. Hinc magnus Ioannes Franciſcus; & cum fortitudini locus non fuerit, conſilio validus creditus; cunctis procerum famæ intentis. Aggregatum interim Conſtantienſe Concilium, quatuor hominum millia Ciuitati intuliſſe ferebatur. Quos inter Cardinales Triginta duo, Patriar-

Concilium Conſtantiẽſe

chæ quatuor, Archiepiſcopi Quadraginta ſeptem, Epiſcopi Centum ſexa-

ginta

ginta fuêre. Theologorum cuiuſcunq; ordinis numerum inire haud facilè fuerit. Accedebant multarum Rerum publicarum, Principum non ſecularium modò, ſed & Eccleſiaſticorum, quos honeſtæ cauſæ retinuerant oratores. Ioannis Franciſci nomine quatuor miſſi. E familiâ principe duo; Franciſcus Andreaſius, Carolus Caprianus; Poſtremi præter illuſtres natales, rerum ſcientiâ conſpicui etiam Patribus viſi ſunt. Sed non perſuaſuri quid è fide eſſet, at concordiam, paciſq; bona oſtenſuri aduenerant. His ſe pleriq; nobilium, viſendæ celebritati; & honeſtandæ legationi addidêre. Quod decorum Principi, Ciuitatis quoq; famam in maius tulit. Nam præter vulgatum à quouis obſequium, Concilij ac Cæſaris voluntati, pecunia, milesq; promiſſus; quando concordia his adminiculis eguiſſet. In Benedicto abſente; nec concilium pro rato habente peruicacia; in Gregorio modeſtia; in Ioanne qui ſe calumniatoribus ſponte obtuliſſet, audacia notabatur. Et quò præſentia componerentur, grauiter Ioannes accuſatus, dignitate exutus eſt; & in vinculis retentus. Gregorius totius Chriſtiani Orbis bono potius, quàm vllius flagitij compertus, honoris ſpecie in Picenum miſſus;cum ſe Dignitate abdicaſſet. Paucos vitæ annos addidit, angore animi (vt ferebatur) abſumptus; & neſcius tolerandi. Sed non minor moles ſupererat, ob contumaciam Benedicti; quem non Concilij monita; non publica vtilitas, non Regum aut Cæſaris preces molliuêre, vt ſummæ fortunæ renunciaret. Obſtrepebat ille diuerſis incitamentis: Modò ſeruatis antiquis inſtitutis electum ſe Patrum conſenſu; modò non ſecularibus, non Eccleſiaſticis potentatibus; non deniq; Concilio ius vllum in Pontificem eſſe: Quòd ſuprema Sedes à nemine iudicetur; & Concilio nulla auctoritas ſit, quam non à Pontifice mutuetur: Sed nec alterius iuſſu congregari potuiſſe, quàm illius,cuius arbitrio Orbis legesq; innitantur. Contra reſcriptum eſt, eaſdem pro Gregorio ac Ioanne cauſas afferri: Et honeſtiori nomine potentiam in vtroq;, maiori eligentium numero collectam; eos tamen voluntati ac conſenſui paruiſſe; & Chriſtiani nominis concordiam, vel cum damno ſuo acceptam habuiſſe. Si cauſæ confideret, accederet: nec dubitaret Numen ſupremum ſibi defuturum, cuius afflatu Imperium Eccleſiæ ſe iactet habuiſſe. Ille quantum è ſuo peteretur animaduertens, non precibus, non comminationibus flectere animum, aut certam quam rebatur potentiam in diſcrimen dare voluit. Neque tamen ad vlteriora tranſire Concilium, niſi amotis ambagibus,& ſublato Schiſmate volebat. Sed vulgaria remedia minora erant, quàm vt Benedictus Regum fauori innixus, peruicaciam deponeret. Ergo velut decoris oblitus, Sigiſmundus in Gallias profectus eſt; & Rege ipſo in partem officij aſſumpto, Benedictum inuiſit. Hic cum publica vtilitas,pax Europæ, Concilij voluntas, Nationum animi exponerentur; non tamen Benedictum peruicêre, quin ſe legitimum fateretur, & cedere Pontificatui recuſaret. Perfrictam ſenis frontem, immotum aduerſus obſequium animum, viri obſtinationem,Patres, Reges, ac Principes conclamauêre; non imperio, non honore dignum; paucisq; reclamantibus pro illegitimo

timo habitus eſt. Sed minoribus maior æmulandi conatus incidit. Tum de nouo Pontifice ſufficiendo agitatum. Dum hæc Conſtantiæ aguntur, Ladiſlaus Pannoniæ Rex, diem ſuum obijt. Hinc in Sedem Apoſtolicam verſa omnium ſtudia ſunt. Ioannam enim defuncti Regis ſororem, tanto Regno imparem; & aduerſus exteros parum validam credebant. Introſpiciebantur procerum Regni voluntates; nec fœminæ imperio, nec mutuis ſtudijs paratæ; & ex ijs ſi quis potior deligeretur, certa inuidia in Reginæ perniciem ceſſura. Hinc Italiâ Tranſalpinorum libidini expoſitâ, eò certior quies promittebatur; quòd Pontificibus addicta, honeſtas artes crederetur reſumptura; quibus bono pacis proſpicitur. Ioannes Franciſcus accepto à Pontifice muneri aſſiduus, Flaminiā & adiacentia pręſidebat: Modò Bononienſium contentiones, quæ turbas ſuſcitant, componens; modò externa inuiſens, ne quid incuriâ peccaretur; & ſi Mantuam regrederetur, relicto ad officij curas Epiſcopo & manu iuuentutis, quæ ſemper in armis habebatur; ne bellum inopinatè ingrueret. Nondum electo ſucceſſore Pontifice, Ioannes Franciſcus menſes aliquot, ab externis curis conquieuerat; non ſuâ, nō alienâ causâ tractare arma, aut ſuſpicionibus intendere coactus. Quamquā digladiantibus de futuri Pontificis electione Patribus, concordiam, & rerum Eccleſiæ curam inculcaret. Non enim ſe Concilij adminiſtrum eſſe voluerat; aut minori dignatione, iniunctum munus exercere. Sic diſtracto domeſtica mala ſeſe componenda obtulêre; quæ ferè compendio tractātur: Cauſa ab intimo cubiculo fuit; vbi ignobilis, & viliſſimis miniſterijs deſtinatus, corruptam iuſtitiam; & omnia in Vrbe venalia conqueſtus eſt. Nos rem fuſius proſequemur: Quando hoc præcipuè documento admoneri Principes viros, & vetera exempla in præſentem vſum trahi expediat. Nondum orto die lecto ſurrexerât, cum innominatus ille cubiculo ſucceſſit. Hunc velut de tempeſtate ſciſcitaretur, quid in Ciuitate parum gnarâ, & facilè profe-
Io. Frāciſcus animaduertit in iuſtitia venales. rente agitaretur, interrogauit. Ille dicendi licentiam poſcens, reſpondit: Aſuetudine ſeruitij, eâ in Dominum caritate proceſſiſſe; vt nihil vtile ſine illius commodo; nihil honorificum ſine gloriâ credat. Illud in primis omni ſtudio procuraſſe; hoc, etiam vtilitatis diſpendio quæſiuiſſe. Sic merita, quibus ſe Principi obſtrictum ſciret; & quando vacuus beneficij fuiſſet, naturam, votumq; requirere; his enim ad fidem trahi. Tolerandum pecunię Principis diſpendium; ſed vbi honori metus ſit, exuendam ſimulationem; & omnino veritatem in medium proferendam. Quamquam lacerari cenſus omnes, & effringi Aerarium, in publicam iacturam vertat; maiori Domini detrimento. Neq; enim populi ac ſubditorum leui damno, ille decoxerit: Per ſcelera ac rapinas expleri, libidinem habendi, & partas diuitias, etiam flagitio augeri. Hinc in Principes auerſum ſubditorum animum; quorum facultatibus & exiſtimatione, luxus explendus eſt. Hæc tamen æquitatis nomine defendi; & apud miniſtros excuſationem accipere: Sed iuſtitiam (quam non adimi, non imminui conueniat) pretio corrumpi, fœdiſſimum eſſe. Id tamen per ſummam iniuriam admitti. Non incolas, ſed exteros

maximè

maximè fateri; quorum gemitibus nectatur Principis infamia. Duplicia eſſe Aulæ inſtrumenta; quæ pecuniam, quæ ius miniſtrent. Illis reditus Principis hauriri; his etiam gloriam crimine lacerari. Cauſam omnibus ſecordiam, & quæſtum eſſe: Quibus nec pœnę, nec præmio locus ſit. Et tamen etiam perditiſſimos Cæſarum, iuſtitiæ famâ celebratos; quoſdam optimis moribus, ignauiâ peſſimè audiuiſſe. Ita Dominorum ac ſubditorū res naturâ nexas; vt vnius vtilitas in alterum neceſſitate voluatur. Verùm plus à miniſtris quàm Principibus peccari; & hos omiſſis grauius, quàm illos admiſſis delinquere. Ita ſeruis fidendum; vt ſe tamen obſeruari nôrint, & requiri in tempore rationem. Deniq; honorem curæ habendum; nec minus rem familiarem; quâ tenui, vix honori locum eſſe, corruptis æui moribus. Simul ignoſcendum ſubditis; ſi potius lædi velint, quàm conqueri. Nam prætenſa voluntas Domini, ſilentium indicit; & Regum aures iniucūdam veritatem rarò admittunt; conſuetudine adulationis, cuius nomen odere; facto delectantur; & quæ in debitum conſuetudine tranſierit. Obſtupuit oratione Franciſcus; non veritate potius, quàm conditione dicentis; quem vilibus addictum, haudquaquam tam magna percepiſſe crediderat; ac tum primùm didicit, ex intuitu, populi caritatem non æſtimandam. Eos quoq; fingere conſueuiſſe; quòd ſimulatione non rarò deludantur. Ne tamen alieni conſilij egere videretur, in iocos flexit; & quò veritatis aſſertorē in officio continuaret, domeſtico munere exhilaratum dimiſit, ſecum ipſe reputans, quàm fallaci ac lubrico, principum exiſtimatio conſiſtat. Octo erant, quibus vniuerſa agitabantur; ex queîs Antonius Francus, Benuenutus Pecorinus, Gabriel Farnonus, Creſcinbenus Lugalius iuſtitiam; & difficillima Dominationis tractabāt. Cæſar Polinus, Camillus Acurſinus, Fabius de Pianica, Lucas Regalius, agreſtia præcipuè curabant; remq; Principis familiaré, diuiſis operis exercebant. Prioribus objiciebatur, venditata ab ijs munera Principis; Iuſtitiam pretio adminiſtratam; oppreſſos inopes; nîl ex recto, & fide ſancitum: Poſterioribus Principis reditus deſpilaſſe; in ſuam fortunam etiam agros traxiſſe; per auaritiam nemini peperciſſe; niſi ſæuitiam munere auertiſſent. Et erant illis magnæ, ac recens partæ opes; ſordidamq; paupertatem, præcipitatâ mutatione, in immenſas, nec celatas diuitias cōuerterant. Vnde manifeſtior coniectura erat: quòd vili loco nati, repente diuites, malè rapinas ac furta texiſſent. Hos ergo corripi, & quibus artibus, adeò feſtinanter, tam magna comparaſſent, docere viſum: Ne contra indefenſos, velut innoxios ex libidine animaduerteretur. In poſterioribus manifeſtum ſtatim crimen prædarum depræhenſum eſt. Qui iuſtitiæ præerant, ægrius conuicti; quòd flagitia ante texiſſent; vſi patrādo ſceleri eâ prudentiâ, quàm ſanctius ſtudio recti impendiſſent. Difficilè quidem detegere turpitudinem in eo eſt; qui iudicio valeat, vtaturq; in crimina. Edicto opus fuit, quo Ciues monerentur, receptas à Principe ſuorum querelas; ad quæſtionem vniuerſos vocari; vt cui pecuniæ indebitè expreſſę forent, redderentur. Aſſuêre innumeri. Quidā ſentētias præcipuas, fauore

& pecuniâ habitas; alij vanis, & ſine pondere rationibus ſe oppreſſos, plures gratiam miniſtrorum ſcelere quæſitam proferebāt. Et plebes incerto murmure,eâdem irâ ſimilia perſtrepebat. Inducti teſtes,tempori,perſonis,negocijs congruentia protulêre. Perfidi defenſiones remisêre; ſeq; ac ſua Ioannis Franciſci arbitrio, velut clementiam orarent; aut inter flagitia aliquid conſtantiæ eſſet, permisêre. Siue vt multitudini obſtrepentium, ſe impares oſtenderent; & quem crimina irritauerant, humilitas molliret. Qui furto deliquerant, facultatibus flagitium luêre; auulſaq; omnis Domini liberalitas, vt malè ſita. In iuſtitiæ corruptores acrius animaduerſum eſt. Quorum alij cum fortunis libertatem,alij Patriam exilio amisêre. Demùm ſublatis è medio conſceleratis, ſuus iuſtitiæ, ſuus veritati locus redditus;magnâ Principis gloriâ; quòd iuuentâ minus firmus, prudentiam, ſupra opinionem in tempore exeruiſſet. Delegerat è nobilium numero; quibus flagitia animi magnitudine, natalibus, fortunâ, rariora erant; Paulū Gornum, Iulium Buccamaiorem, Petrum Puſterlam, Claudium Albricium: Hoſq; intimo cubiculo inductos, ſic fertur allocutus. Si immenſum publicę rei pondus, ſine adminiculis librari; & iudicij facilitas, ſine prudentiâ in promptu eſſet; dignus eram,qui ſolus omnium vices explerem. Nunc ætate, negociorum multitudine, varietate, excuſationem habeo, ſi præſidium peto. Nec id hactenus defuit; Sed perditiſſimi,optimæ coniugi, & puero Principi impoſuêre; profeſſi iuſtitiam, quod crimen erat. Cæteri è propinquioribus deligunt, ego conſultores è melioribus; quò maximè commendari Principem accipio. Nam ſcire honeſtis amicitijs vti; & eos aſſumere,qui iuſtitiam, quàm gratiam mâlint, proximè ad integritatem, & ſummam prudentiam accedit. Ego quâ lege Deum, eâ me vos vltorem vindicemque eſtis habituri; niſi fas iuſq; foueritis, & ſcelera excluſeritis. Non tamen feciſſe bonos,ſed inueniſſe deſidero; quòd illi tempore proficiant; in his nullâ curâ opus ſit; ſed ſtatim expectationi Principis, deſiderio populorum reſpōdeant. Certiſſimi ſunt conatus naturæ: Si in ſcelus deflectas,æternūm prauæ inclinationi colluctandū eſt. Vigilantiæ præmia nō vulgaria habituros vos credite; nam vt rectum iter & puras manus ſeruitio intuleritis, ego munificentiam exercebo; ne aut vos ſpem, aut ego præmia exhauſiſſe videamur. Pari quidem alienatione vitia auerſor, ac amore virtutes proſequor; ſed acrius munera,quàm pœnas diſpenſo. Cæterùm non bellis,non internis diſſenſionibus conuulſam; verùm in pace facilem curam accipitis: Cui vnâ æquitate ſufficitis. Pariterq; vos ac me, Numini ſubditiſq; datâ fide exſoluitis; tantò laudabiliores, quantò pluribus pauci imponimini. Poſtremò familiari colloquio erectos conuiuio excepit, & poſt epulas Magiſtratui induxit; dubiâ Ciuitate omni quibus legibus,quibus inſtitutis imbuti,tantum muneris expleturi forent, quòd tot inſignes famâ viros peruertiſſet. Annonam ipſe niſi infimis adiutoribus, qui manu miniſtrarent, curandam ſumpſit. Vnde præcipuæ vulgi querelæ; & facilis per ambitum & gratiam lapſus vitabatur. Paucis familiarium comitatus, plena ditiorum horrea reſerari,

Deligit nouos miniſtros.

rari,

Digitized by Google

rari, & fruges in communem vſum conferri quæ auaritiâ abdiderant, imperauit: pretio frumenti imminuto, vſq; ad quatuor Denarios. Pauperibus è publico prouiſum: Nec tamen ingens numerus cenſebatur; ſuffecturus labori munimentorum Vrbis, reſtitutioni itinerum&,agrorum culturę. Scilicet vt alieno enutriti, publicâ beneficentiâ reſponderent. Lanarum ac Serici exercitio plurimi intendebant: cum hoc vno celebris Ciuitas, famam nobilitatis apud exteros haberet. Supplicibus libellis admiſſis, certâ diei horâ aſſiduus aderat: Neq; enim pro vili habebat, quo quiſq; lamentaretur diſquirere; nec nullâ causâ facilè Principem conueniri à miſerrimis crediderat. Delationibus intentos; quiq; eâ infamiâ quæſtum ſectabantur, nec admittebat,& Talione propoſito, ad Iudices Capitalium delegabat: Ne aut genus hominum, in publicam perniciem enutriret; aut contra ius gentium, delicta impunitate approbaret. Sic Ioannes Franciſcus, benignitate Numinis, fauente Fortunâ, vnico Vicecomite aduerſante; quem domeſtica arma; & hinc inde auditæ defectiones, illigatum detinebant, ſummâ pace, famæ ſuæ, vtilitati ſuorum incumbebat. Id enim ſupremæ Principis gloriæ requiri videbatur; vt bello optimus, paci inutilis non crederetur. Interim Annos paucos coniugis ac ſuorum ſuppreſſa prodigentia erumpebat; neſcio viro paupertatem, & ſordes, vel ſolâ præſentiâ teſtari. Sed cum vicinos faſtu, comitatu, equorum curâ, venationibus laudari acciperet; ſectabatur creditam gloriam; cum liceret, & ad tempus oblectamentis abſtinuiſſet. Et quia plurimùm inſumebatur, & collectorum ignauiâ; ſi quid deſiderio defuiſſet accuſabatur; admiſſum aliquid; quod etſi extra virtutem, cæterarum tamen præſtantiâ, pro vili erat. Toto Mediolanenſi tractu raræ Ciuitates, datam Vicecomiti fidem ſeruabant: pluribus ad Tyrannos, quos virtus aut fortuna obtuliſſet,tranſgreſſis. Cremona præcipuè,vetus ſeditionum ac excidij materia, ad Caualcabouem defecerat; erga exteros perfidiâ, ſubditos ſæuitiâ famoſum. Abiecerant præcedenti anno obſequium, Oſtianū, ac Inſula, ditionis Oppida; exactionibus, & quibus ciues otij ac belli causâ onerantur vexationibus, ad deſperationem coacti: Delegerantq; cuius ſe miniſterio ſubderent, Principem Mantuanum; famâ virtutū, & quibus apud accolas, prudentiâ & clementiâ circumferebatur. Auſi quoq; (gens minima) armatam iuuentutem pro finibus, pro muris in tutelam diſponere; velut conſenſus deſciſcentium, & certitudo flagitij tutiores reddidiſſet. Cæteri officio aſſidui, eadem tolerabant: Ne in pace quidem clementiam aut quietem experti. Reperio etiam Franciſco ea loca paruiſſe. Sed inter tot turbas, & promptam in hos aut illos Dominos mutationem, vſu ſæculi, exiſtimo cauſam fuiſſe; vt pariter abſceſſerint. Aſola pridè à Ioanne Galeatio Vicecomite, pecuniâ quidem,ſed iniquè recepta; mutatione temporum, & exemplo reliquorum, infida; pulſis qui præſidium iuſſu Gonzagorum agitabant, ad Vicecomitem, vt potentiorem, & aucupandæ gratiæ (quod tamen fruſtra fuit) redierat. Nec Mantuani, effractam fidem, aut ius amicitiæ violatum queſti ſunt; vtilitati quàm honeſto propiores. Quidam me-

Io. Franciſci cura.

Cremona Caualcabouis.

Aſola deditur Io.Franciſco.

1415.

Vu 2 tum

tum credidêre, ne Ioannes Franciſcus expergiſceretur; & in rebelles potentiam, vindictamq; proferret; ſatis vnoquoq; inter turbas valido. Clementiæ ac iuſtitiæ famam crediderim, perfidiæ conſcios, ad ſaniora conſilia traxiſſe. Siquidem Iunij Decima octauâ Milleſimi quadringenteſimi decimi quinti, ciuilibus curis implicitum Ioannem Franciſcum, Aſolani Legati cõuenêre. Admiſſi, retulêre veteris poſſeſſionis memoriâ ductos, quando parem Dominum ſucceſſio reduxerit, in poteſtatem redire: Quam Gonzagis honorificam, ſibi vtilem conſenſu crediderint. Non enim potentiores quęſitos, ſed iuſtitiæ opinione meliores. Nec excuti ſeruitutem; ſed mitius imperium reſumi: probatis vtriſq;, & eo deteriori depręhenſo quẽ deſererent. Nullas à Mantuanis Principibus inter ipſos iniurias: Non auaritiam, non ſæuitiam accuſari. Hinc votis omnium, in priſtinum ſeruitium rediiſſe; paratosq; ſi compoſita turbentur, etiam bello decernere; & pro ſuo ac veteris dominij iure, etiam obſidionem tolerare. Aſola nobilis ac valida colonia erat; quò maior acceſſio credita, & promptius recepti ſunt. Deſtinatum præſidio militem abnuêre; tanquam quod ſpontè conceſſiſſent, nullo extrinſecus auxilio forent ſeruaturi. Miſſum quoq; olim militem ægrè tulerant. Et Ioãnes Franciſcus ipſe peruincere ſuperſedit; ne vix receptis diffidere, aut præteritam perfidiam meminiſſe videretur. Ioannes Caprianus peritiâ legum Mantuæ celebris, Iudex ſolummodo delegatus; ne velut nullo domino pręſente, in diſcordias erumperent; aut amoto cuſtode modeſtiam dediſcerent. Tributum à Principe non impoſitum; ſed annui Cenſus, tria aureorum millia à Ciuibus oblata ſunt. Caualcabous, defectione Aſolanorum auditâ (quamquam iure veteri Brixianos ſpectarent) quò famam præueniret, aut nondum caritate in Mantuanos deuinctos antecaperet, Quadringentos equites, Octingentos pedites, ductu Fabritij Alati miſit, mitiora tentare iuſſum; & ſi non obtemperaretur, prædatione ac rapinis euagari; vt ſaltem populatione reducerentur. Medio noctis, trepidi nuncij Aſolam deferunt, armatos toto agro diſcurrere; nîl quidem in ſpeciem hoſtile, ſed libero acceſſu inimicorum, nullam ſegeti, armentis, villisq; ſecuritatem eſſe. Illi conſcientiâ pauidi, misêre qui Ioannem Franciſcum admoneret, Caualcabouẽ ad vim conuerſum. Proinde accurreret, & inopinatos diſijceret: Sibi datã fidem cum vitâ æternam fore: ſed plus conſtãtiæ, quàm virium apud Ciues eſſe. Alatus procul Aſolâ iuſſis militibus ſubſiſtere ad teli iactum, progreſſus ad mœnia; & vt qui dicta referret, mitteretur, petijt. Expoſitus Ciuitatis ſcriba, recepto obſide, & Alati ſacramento: Neq; enim decipi in vili erat. Tum cęptæ querelæ; & plurium annorum obſequium perditum, improperatum eſt. Caualcabouem tamen clementiæ paratum, ſi ſupplices & iuſſis faciles Aſolanos vidiſſet. Ideò hoſtilia tramiſſa; vt ſpes reconciliationis ſupereſſet: Communem Italiæ ſtatum (quæ turbis expoſita ſit) in flagitij excuſationem acceptum: Sed vbi contumaciam depræhendiſſet, ferro, igniq; culpam proſecuturum; & exciſſo primùm agro, promiſcuâ inter ciues internecione vſurum; Vt quantum initio pietatis, tantum in obſtinatos ſæuitiæ

Caualcabos irritè repetit Aſolanos.

ſæuitiæ proferret. Mox ad externa, & quorum nullum momentum eſſet, conuerſus; Quæ (inquit) ludicra illa mutatio? An Aquilas ac Leones, inania Imperij inſignia, quorum vix nomen audiatur, veteribus & propè ſitis ante habetis? Num agitatus Imperator, infirmus Gonzaga ſubſidium promittunt? Quin Caualcaboues figite, abiectis Gonzagis; & facili voti nouitate, culpam reijcite, gratiam parate. Reſpondêre Aſolani, Ciuitatem plures ante annos Mantuano conceſſam, Caualcaboues illatâ vi recepiſſe; & toleraturos diutius ſeruitium fuiſſe, ſi diligi quàm metui voluiſſent. Non magis Caualcaboues quàm Vicecomites exactos; omnemq; vno velut ictu alienam colluuiem. Etiam apud coactos virtutes victoris æſtimari. Hauſtos ciuium cenſus illicitis exactionibus, quibus Tyranni ſpecioſa nomina, ſubſidij, donatiui, largitionis indiderint. Fugatos Patriâ nobiliſſimos incolarum; non aliâ de causâ, quàm vt facultates innocentium in vſum Fiſci verterentur. Quos nobilitas, opes, conſanguinitates, ſuſpectos turbarum reddiderant, mactatos. Obſequij ac contumaciæ eadem præmia recepiſſe. Cæterùm nec ſe ſibi, nec Gonzagos defuturos; ſi ad vim accingeretur. Alatus ſpem meliorum dedit; & leui errore poſſe veniam opperiri teſtatus eſt: Non enim niſi ignoratione meliorum peccatum. Vbi producta arma ſint, & impunitas iniuriarum; vt flagitium, ſic neceſſitatem promendæ ſæuitiæ accedere. Sed illi extrema quæq; paſſuros ſe, quàm datam Mantuano fidē deſerant, reſpondêre. Et diſceſsêre infenſi, Alatus minitabundus, Scriba renidens. Delatæ ad Ioannem Franciſcum literæ, feſtinatum auxilium expreſsêre: Et exitioſa mora omnis videbatur. Carolus Gonzaga cum Quingentis equitibus miſſus eſt; quos per Vrbem diſpoſitos, repentinis incurſibus reprimendis, Ioannes Franciſcus vicinio deſtinauerat. Is quâ hoſtem vertiſſe nouit, camporumque excidio inſtare, repentè ſecutus eſt. Haud longè Rotundeſco tumultuariè congreſſi ſunt. Sed inter arborum ramorumq; tegumenta, & fallaces foueis agros abditus Alatus, quamquàm Mantuanos inſtantes moraretur, ceſſit tamen virtuti; ſatisq; officio feciſſe credidit; ſi cū Aſolanos recipere non potuiſſet, ſaluum tamen militem, paucis ſauciatis reduxiſſet: Quæ præcipua Ducum gloria eſt. Proſecutus Carolus fugientes, non tamen prædam omnem retulit; quam Alatus paucis cuſtodibus creditam præmiſerat. Peditum tamen quoſdam, reliquorum celeritatē non aſſecutos cepit; & Mantuam miſit. Didicêre Aſolani, quantùm ſecuritati & rerum ſuarum bono, præſidiarius miles conferret: vt parato auxilio aduerſus ſubita tuti agerent. Ergo accepti Ducenti equites, pedites Trecenti; ijsq; è publico (quod Ioanni Franciſco aſſignauerant) ſtipendia exſoluta. Dux Michaël de Ferrarijs datus; olim dum ſeditio Italiam omnem haberet Latronum ductor, & rapinis intentus: Non quidem velut furaretur; ſed aduerſam aciem, iuuentutis copiâ, Principum Ducibus oſtentaret. Tum prioris vitæ inſtitutis mutatis, ſub Ioanne Franciſco pro Bononienſibus, honoram militiam ſectatus; præterita flagitia, naturæq; ferociam, virtuti vertit; arctæque adeò diſciplinæ ſectator euaſit, vt ſtricto mucrone in militem

animaduertiſſe tradatur; qui ſubleuandæ fauciũ ariditati, tranſgreſſus publicæ viæ limitem, vuas amico agro decerpſiſſet. Egere Caualcabouem prudentiâ & conſilio creditum. Quâ causâ; & quia multitudo inimicitiarum vſui non erat, miſſus Philippus Nuuolonus nobilis & honoratæ familiæ; qui recentem eius potentiam, plures hoſtes, ac viciniores, minora effugia, certiores odij cauſas; non Pontifici, non Cæſari, non Vicecomiti innixam auctoritatem refricaret; moneretq; abſtinere Aſola, Rotundeſco, Aquanegra, Oſtiano, Bozolo, Canneto; ſimul ſponderet vſuros Gonzagos modeſtiâ; neq; quos ipſi ſibi fines præſcripſiſſent, tranſgreſſuros. Ille (quod conuictis euenit) cum poſſeſſionis iura non præferret, Alatum onerauit; neq; inpoſterũ arma moturum ſe ſpopondit, ſi concordia ſpectaretur. Neq; tamen fœderi annuere Nuuolonus, aut conditionibus accedere voluit; Quòd alio titulo Gonzagi niterentur; Caualcabos, ſocietate melioris honeſtatem quæreret. Spes tamen quietis, ſi ſtabili fide vſus foret, oſtentata. Ioannes Franciſcus interim, Ciuitatis cultui intentus, Pontem Molendinorum, aduerſus tempeſtatis iniurias, & vim aquæ, in ſubiectum lacum effuſæ; lateribus ab imo ductis, & tecto ſuper impoſito firmauit: Struxitq; domum exactionibus recipiendis, & ductus profluentis arctauit, vt maiori impetu, ac vtilitate laberetur. Paula Principis coniunx, cum edificationibus, magnam auri vim maritum inſumere videret; vt eâ voluptate non arceret; familiæ ſecuritati conſuleret, Arcem aduerſus externos impetus validã extrui conſuluit. Prono in eam rem viro, & plures ante menſes formâ æſtimatâ. Machinatore non vulgari, aut qui ſolito vſui ædes conſtrueret, ſed qui bello valida molíretur, opus erat. Nec enim ſtrues murorum inconſultæ; ſed quæ Arci altitudo, quæ vaſtitas murorum, quâ profunditate, aut latitudine foſſę cauaretur, quærebatur. Paulus à Villa Ferrariæ Domini ab intimo cubiculo, nobile Munimentum extrui retulit, quod mediâ Vrbe ſitum, ſecurum Principẽ reciperet. Profectus mentito habitu Ferrariam Ioannes Franciſcus eſt; & cum vniuerſa an reſponderent deſiderio cõparaſſet; auctoremq; didiciſſet, ad ſuos reuertit; miſſoq; Iulio Anguſciolo Eſtenſem orauit; vt ſtatuendo Caſtello, Bartolinum Nouariam, nobili loco, & militiæ decore præfulgentẽ, quo ipſe vteretur; mutuò in paucos menſes concederet. Gratum Eſtenſi fuit, vicino Principi, nullâ rerum iacturâ gratificari. Itaq; feſtinatâ Quingentorum virorum operâ Caſtellum, Ponti lacus inferni (Diui Georgij dicunt) nexum, in ſummum faſtigium, vertente anno elatum eſt: foſſa ambitum, profluens inducta; vt niſi Pontibus ſublicijs acceſſus foret. Nouaria ſolito illi tempeſtati munimine vſus; Auro gemmiſq; donatus eſt; & opere expleto, ſacratoq; apud Mantuanos æternitati nomine, ad ſuos reuerſus eſt. Superſunt, ducenteſimum poſt annum nepotes; vt Ferrariæ inter nobiles tolerantes, ſic proaui nobilitatem, continuatione decoris atteſtati: Dum hæc Manuæ geruntur, Braccius Peruſinus, magnitudine animi, & fortunâ rerum notus, maiori Vmbriæ parte (Ducatum Spoletanum dicunt) receptâ, in Picenum, quâ Malateſtæ dominium protulerant, conuerſus eſt. Rebus

Nouaria familia.

Braccius Peruſinus.

nouis

nouis cauſam, ceptæ olim nec adhuc ſopitæ Pontificum diſcordiæ; & Concilij Conſtantienſis occaſione, abſentia præbuerant. Ipſi Vmbri mutari faciles, & opulentiâ laſciuientes, arma cupiebant, ſuam pacem oderant, aut reliquorum laceſſebant. Florentini latè potentes, & aſſiduo milite vallati, metuebantur; quos Braccius amicitiâ deuincire, proficuum crediderat; cõſuetudine contentionum, etiam Pontificibus aduerſos: Mox in Picenum decurrere; cum minor Malateſtis vis; & hi quoq; ſimilitudine ſtudiorum, prolatare fines per arma, vt per iuſtitiam dedicиſſent. Sed inter perfidos, & alieni inuaſores, mutuum bellum iuſtum habetur; fœdus violatum, flagitiũ. Aduentante Braccio, Ariminenſes ac Piſaurenſes in armis inuenti; ſiue externâ irruptionem ſuſpectarent, ſiue ſic paratos, frequens diſcrimen reddidiſſet. Inceſſebat ille Flaminiæ extrema; & quò mitius imperium apud deditos crederetur, populationibus abſtinebat; dummodo pagani, copijs alimenta, pretio ſumminiſtrarent. Malateſtæ ſatis prouiſum credentes, ſi inſultatem hoſtem finibus depuliſſent, irritis conatibus, & nullo vſui delaſſabantur; minitante illo tamen; & ſpeciem obſidionis præbente. Sed labor aſſiduus erat; quaſi vexationem, vtilitate aliquâ redimi vellet. Sed nec totis viribus congredi, ſibi Malateſtæ vtile putauerant, fortiori Braccio, quàm vt his hoſtibus frangeretur; ſimul arte militum, & virtute ſuperabantur. Vbi certam ſuis victoriam Braccius oſtentauit, Roccacontradam (ſic vulgo appellant) coronâ cingit; ſuam dictitans, & imperans deditionem; & ſi accedere recuſaſſet, excidium comminatus. Sed incolæ audaciâ & fide valuêre, quò minus à Malateſtis deſciſcerent; quamuis magno ſe diſcrimini obijcere, & longâ auxilij expectatione fruſtrari metuerent. Igitur Malateſtæ ad conſanguineum Gonzagam mittunt, ſubſidium, & celerem expeditionem orantes. Ioãnes Franciſcus accitâ iuuentutis manu; Octingentos equites, duo millia & quingentos pedites delegit; quos Flaminiam tranſuectus, Piceno intulit: Nec longè Roccacontradâ priuatis Caſtris conſedit; non ante Braccium conſectaturus, quàm ambiguas conſanguineorũ res accepiſſet. Braccius vbi aduentare Gonzagam; & aucto hoſte metũ videt, Mille & quingentis equitibus, Tribus peditum millibus aſſumptis, aduentanti obuiam proceſſit; relictis pluribus qui cęptam obſidionem proſequerentur. Haud quaquam aſpernatus certamen Ioannes Franciſcus eſt; ſed ab equo ſublimis, ſuos virtutis monuit: Quòd longè à domo; decus, incolumitatem, famam in fortitudine haberent. Superari turpe quidem, ſed pondus infamiæ accedere; vbi inuadentes non impetiti, prouocantes, non laceſſiti, in alieno non in ſuo cędantur; & qui minitabundi aduenissent, vix hoſtium aſpectum ferant. Nec honoris tantùm, ſed ſalutis, fortunarumq; iacturam ſequi: Aut enim arma, pecuniam, equos, commeatum, additis hoſtilibus manubijs pretium laborũ; aut vniuerſa cum vitâ, inimici fore. Nobili facinore docendos Malateſtas, & ſparſos per Italiam proceres; quæ robora Mantuanis ſint, quantùm etiã in alieno poſſint. Id præcipuè pacem ac ſecuritatem ferre: Siquidem virtutis ac ſecordiæ famam etiam futuri præſumptionem habere. Hoſtem ipſum

Io. Franciſcus ſuppetias fert Malateſtis.

ſum, Mantuanos non ad pugnam delegiſſe vt faciles; ſed vt non expertos; & formidine, ne iunctos Malateſtis malè ſuſtineret. Mox ad equitatum cōuerſus; Cuneus, inquit, ille perrumpendus eſt, per quem ad ſocios itur commilitones: Nec aliter victoria veſtra eſt; niſi & vobis, & ſocijs, viam virtute facitis. Conſtantia veſtra, pedites retinebit. Tum duxit in aduerſos. Qui cum Braccio erant, multitudine & vſu vincendi, velut ad certam victoriam, temerè confuſi properabant. Quod ipſum Ionnes Franciſcus præſagio fauſti exitus accepit. Contra Mantuani, diuiſis locis, firmo greſſu, ſtrictis mucronibus, protenſis lanceis incedebant. Braccius ſuorum temeritatem proſpectans, ordines conclamabat. Et quia flectere acies ſuorum viſa, conſternatam miſſis recentibus firmauit; etiam gladio trepidantibus minitatus. Sic belli facies mutata; & Mantuani, quamquàm ſtrenuè dimicantes, cædebantur. Ioannes Franciſcus ad Paulum Riuam (is eâdem ætate, iiſdem animis cum domino erat) conuerſus, vt Ducentum equites quos Cremonenſibus Oppidis ſubditis deſcripſerat, & quadringentos Hoſtilienſes pedites, vrgentibus obijceret, imperauit. Vna nobilis iuuenis cupido erat, vt nobilitatem, virtutemq́; , vel cum animæ iacturâ, ſuo Domino approbaret: Itaq; dicto citius erupit. Superata nouo acceſſu Braccij fortuna fuit. Et quando inclinantes hoſtes vidit, equo in confertiſſimos inuectus, acriusq́; quam Duci expediat pugnans, & tertio iam vulnere ſaucius; non tamen ante certare deſtitit; quàm diſiectis obſtantibus, Braccij ordines diſſoluerentur. Ioannes Franciſcus, cum proficere ſuos, & ſpem gloriæ in propinquo accepit, inclamans, Vicimus ſocij, globo equitatus, obſtantes, & adhuc vim tolerantes impulit; Secuta manifeſta victoria; & Ducis ſui virtutem miles æmulatus, fortius proſecutus eſt. Nox trepidantibus, fatigatisq́; ſalutem tulit; dataq́; fugientibus occaſio, longius, & per ignara inimicis elabendi: Donec orto die in tutiora ſe recepêre. Gonzaga in loco Caſtra immuniuit, ſuo ac inimicorum commeatu refectus. Spolia in ſequētem, vt legerentur dilata; ne fraus ſubeſſet; aut palantes in diſpoſitas inſidias offenderent. Sed quibus belli fortuna pepercerat, longè aberant. Lætitia breuior fuit, quàm tantæ victoriæ deceret; erepto Riuâ iuuene ſtrenuo; quamuis hoſtilem gloriam ipſe promouerit; quòd geminato iam vulnere, ex acie abſcedere; & fomenta recipere, niſi victo hoſte voluiſſet. Fuſo plus nimio ſanguine, dolor accreuerat; cui impar, intra paucas horas exceſſit. Diurnæ cladis recens memoria, etiam integros terrebat: Et Malateſtæ non procul aberant, ad famam victoriæ aduolantes: Ne ſoli Mantuani quæſitis potirentur. Orto die, & miſſis circumquaq; ſpeculatoribus, præda collecta eſt; Veſtis, equi, arma, pecunia; multitudine ac pretio, magno exercitui par. Et ne rebus agendis impedimento eſſent, in tuto poſita. Iam enim Malateſtæ exercitus in vicinis collibus ſpectabatur; & Braccius refectis viribus redierat, fortunam belli denuò tentaturus. Nihil æquè carpebat animum, ac corruptam vno prælio famam; cæſum ſe à Gonzagâ; cui victoria illa, decus militiæ fuiſſet. Vmbriæ ac Hetruriæ triumphos nullo vſui fuiſſe;

Io. Frācifcus Braccium cædit ad Roccā Contradam.

fuiſſe; & ante alia, arctatos formidine milites, parum virtutis in tempore exerturos. Nono ab infœlici pugnâ die, Braccius ad Roccamcontradam Caſtra metatus eſt; ſitu delecto; ne iniuriâ ſui prorumperent, aut coactus in pugnam traheretur: quando bellum cunctatione duceret, an illico concurreret, in incerto habebat. Gonzagam quidem alieno ſolo conſiſtere; non ante à Malateſtis prouiſo commeatu; & pro alienis certare nouerat; fortunâ tamen Principis, & prœteritæ cladis recordatione cruciabatur. Nec minus aduentantem Martinum Pontificem formidabat; ſiue Peruſium præſens teneret; ſiue longius abeſſet; virtute ac nobilitate Columnenſium innixum. Hæc & ſimilia agitanti, memoria pacis oblata eſt; quam ille vt proficuam, deſiderio præceperat. Sed indecorum nomini; & fœderi illigatis, ingratum futurum nouerat, poſcere, proponere, commendare. Neq; tamen vilia à Ioanne Franciſco ſperanda erant; quem maieſtatis retinentẽ, famæq; bonæ ſtudioſum, ante alios audierat. Repertus eſt, qui nemine cõſulente, ſuoq; impetu, Principem reconciliationis admoneret; induceretq; cum Malateſtis inducias; quoad Pontifex reuerſus, quid in ſingulos moliretur, innoteſceret. Delecto rerum arbitro Gonzaga; non ante bello finis credebatur; quàm ſi toto Piceno Braccius exceſſiſſet; & occupata per Flaminiam Malateſtarum Caſtella reddidiſſet. Honorificam nec diſpendioſam militiam poſcebat. Quod manubiorum erat, militibus diuidi, & procul, Braccium recedere placuit. Conditionum nulla adeò grauis fuit, quîn ſpõte annueret; & Peruſium luſâ exiſtimatione remearet. Creditum ignauiam ſuſpicioni datam: anxio futurorum homine; & quò ſe, aduerſante Pontifice reciperet, ambiguo. Niſi vetus militiæ, & aduerſus quæſtuoſos milites bellare ſolitus, aliam apud Mantuanos virtutem deprœhendit, pro gloriâ certantes. Malateſtæ ſuis ſe potitos, Gonzagorum virtute faſſi ſunt. Et Ioannes Franciſcus, vbi munus exſolutum, nec vllam turbarum ſuſpicionẽ reliquam vidit, Mantuam reuerſus eſt; curatis in itinere militibus, quos vulnera prœpediebant. Tempeſtiuè Mantuam attigit, quòd celerato itinere aduentare in Italiam Martinum Pontificem, certi nuncij detuliſſent. Nec expleturus hoſpitalitatem, famamq; comitatis credebatur, ſi imparatus excepiſſet; quòd oſtentatione regij apparatus, maiores ſui munificentiâ commendarentur. Aliquot ante menſes; variâ fortunâ, ſed ferè proſperâ, Sfortia Franciſci parens, in Braccium, ac Tartaliam certauerat. Iecceratq; initia potentiæ, quæ apud poſteros manerent. Franciſco filio magnum ex ætate decus acceſſerat; quòd decimum ſextum annum natus, ductor copiarum apud Patrem ſtrenuè meruiſſet. Cum Ioannes Franciſcus cultui Vrbis, & properanti Martino neceſſaria compararet; ipſum in propinquo, feſtinatione aduentantem, nec ſummæ maieſtati compoſitum accepit. Et quamquàm pompam exteram, ſumptuſq; deprecaretur; vix tamen aliud à Principe Mantuano obtinuit; quàm vt, Ciuitatem, non accitis Prouincialibus, officio impenderet. Nec hoſpitio excepiſſe ſatis habuit, ſed pecuniâ ac ſatellitio auctum, ſpeciem regiam aſſumere compulit; eo decore, retineri ſubditos

Induciæ Braccio, & Malateſtis arbitro Io. Franciſco.

Martinus V. Mantuam.

ditos; & ſi qui Sedis Apoſtolicæ iura non tolerent, allici teſtatus. Tantűq; fauore proceſſit, vt per Longobardiam ſeditiones, inter Malateſtas ac Vicecomites reliquæ, eo adhuc præſente componerentur. Quippe inter Pandolfum Malateſtam;& Philippum Vicecomitem diſſidium inceſſerat. Hoc Brixiam ac Bergomum repetente; illo plurium annorum poſſeſſionem iactante: Siue belli iure (quæ potentiorum inſuperabilis cauſa eſt) ſiue ob ingentem pecuniæ vim, Vicecomiti defuncto mutuo conceſſam, cui Ciuitatum permiſſione cauiſſet. Vicecomes ſine armis, præcipuas Dominij Ciuitates aliò trãſiſſe inſolabiliter ferebat. Dolori ſuo, ſubditorum etiam querelæ id ipſum refricantes indignationem, ad extremum vim, vt recuperaret expreſsêre. Ante alios Iulius Viſdominus ætate extremâ,& Bernaboi, ac Ioannis Galeatij mores, longâ conſuetudine expertus; cum abolitam, & olim formidini, tunc ludibrio habitam dominationem retuliſſet, acriter in domeſticas, fraternasq; diſcordias inuectus, amiſſarum Vrbium, & ignominiæ adſcitæ cauſam, eò referebat. Rogare quîn etiam ſolitus Philippum traditur; an Malateſtas ac Gonzagos, inter miniſteria habuiſſet; vt pudorem rabiemq; induceret. Quaſi vix ſe aduerſus eos tutaretur, qui olim ſtipendia ſub Vicecomitibus feciſſent. Sed Pandolfus Venetorum auxilio fretus; qui militem ac pecuniam ſecretò miſerant, intrepidus contrâ Carmaniolam Vicecomitis Ducem, bellum ſumpſerat, euentu vario; vt cum inter ſtrenuos certatur. Donec à Pandolfo Ioannes Franciſcus auxilio vocatus, res hoſtiles in peius vertit, tranſtulitq; ad infirmiorem, fortunam. Et credebatur bellum anceps, victo,& victori iuxta periculoſum; niſi pax interceſſiſſet: Quæ honeſti ſpecie, validioribus plerumq; addit, infirmioribus exiſtimationem opesq; adimit. Agebat etiam tum Mantuæ Martinus, plures menſes immoratus; vt pacem Italiæ curaret; quæ Principibus vtilis, ipſi & decora, & plus opinione neceſſaria erat. Sed aduerſæ res, proſperæque, viciſſitudine diuiſę, negocium concordiæ protraxêre. Hærebat Pontificis lateri Gonzaga; docebatq; vt totius Italiæ bono expediret, imminui Vicecomitum potentiam, Pontificibus plerumq; aduerſam; & cum floruerant, toti Italiæ grauem. Acceſſione temporis firmari imperia; & plus opum ſumi, plus audaciæ occurrere; niſi fortuna, aut prudentia contra ſit. Pontifex laudato conſilio, non pari tamen facilitate accepit; nam eandem in Venetis ac Pandulfo fidem, ſi in molem creuiſſent, ſuſpicabatur. Auctoritatem, vires, diuitias; amicitias; ius, fasq; niſi modus adſit, conculcare. Non omnibus eoſdem ſpiritus, eaſdem fortunas eſſe. Multos rerum magnitudine modeſtiam, alios inſolẽtiam induere; proinde in ambiguis orandam ſortem, negocia ex æquo æſtimanda. Etiam Gonzagos, magnis natalibus, gliſcente fortunâ, Cæſarum fauori, amicitiarum numero fretos; ſi fors eſſet, auſuros Italiam depræhenderat. Cauſâ ex Ioanne Franciſco erat; quem Valtherij, Mathildæ, cæterorumq; meritis, nec non Longobardorum Regum decori memorando intẽtum viderat: Quaſi maiorem multò potentiam, ſpecioſis titulis,& antiquitatis iure præſumeret. Gonzaga tamen ſuſpicionum Papæ neſcius perſtitit inter-

intercedere; donec Brixia, & Bergomum Pandolfo manſêre; leui cenſu a nnuo Vicecomiti exſoluto; vt certus futuri Dominus ſciretur. Tum nullo ſponſore vſi, vtriq; Mediolani datâ dexterâ pepigére. Gonzagæ dicto ac promiſſis, fides ſine ſcripturis habita. Et Vicecomes miſſis ad Ioannem Franciſcum literis teſtatus eſt, Ciuitates ab eo ſibi reſtitui debêre, qui fidẽ contrahentibus interpoſuiſſet. Nondum Pandolfus libero Imperio vtebatur; cum ſuperbire concordiâ, & conſanguineum Mantuanum deterere meditatus, omni vi nixus eſt; vt Aſola Brixiano iterum redderetur. Certa hęc belli cauſa erat; niſi Martinus, Malateſtam ſtolidè euectum repreſſiſſet; & amiſſum ius omne docuiſſet; quando de pacis cum Vicecomite conditionibus tranſigens, Oppidi, nominati, ac certi; mentionem non habuiſſet. Reuerentiâ Pontificis, quàm vt prorſus obtemperaturus foret, Pandolfus conticuit. Sed eò maximè vanitatem teſtatus eſt; quòd etiam fraudibus aditũ præcluſiſſet. Gnaro iam Gonzagâ, cui caueret, quantum fideret, amicitiæ, conſanguinitati. His ex voto compoſitis, Martinus Romam profectus eſt. Et quamuis nobili comitaru decorem retineret; addendæ tamen exiſtimationi, proſecutus abeuntem Ioannes Franciſcus eſt; etſi, ne multitudine incolarum, & exterorum, Flaminia ac Picenum plus iuſto onerarentur, Bononiæ ſubſiſtere, & Mantuam regredi iuſſus fuerit. Grata Mantuanis ſui Domini præſentia fuit: Nam erumpentibus quæ delituerant, vicinorum cõtentionibus, ne Patria ſimul raperetur, metuebant. Paucos enim ante mẽſes, Gabrinus Fondulus, Caualcabouem Cremonâ depulerat; vſusq; Ciuitate non alio iure ferebatur, quàm quòd inter alieni raptores, præualuiſſet. Ioannis Franciſci incrementum, quâ Cremonenſes ſpectabantur, tutius ſub Fondulo, quam Vicecomite, aut Caualcaboue ſperabatur. Non tamen lõgum Fonduli imperium; iiſdem cauſis; quia minor, quia inualidus, quia inuiſus ſuis: Et ſi Philippus Vicecomes, Cremonam armis repetitum veniſſet; iiſdem peti ſe Gonzaga pro certo habebat: Bozoli ac Viadanæ præcipuè causâ; quæ Cremonenſibus auulſa, in Mantuanos tracta conſtabat. Ioannes Franciſcus, quid debellato Fondulo ſibi immineret, haud ignarus, militem ac pecuniam ſecretò comparabat; ne quid inexpectanti imparatoque occurreret; pulchriusq; pugnantem vinci, quam ignauum opprimi putans. Simul memoriâ præteritorum, præuiſas inſidias minus ſibi obfuiſſe compererat. Philippus Vicecomes, Tyrannorum odio vecors, duo equitum, quatuor peditum millia, in ſeditioſum mittit, habendi potius Fonduli, quàm recipiendæ Cremonæ deſiderio: Eâ vindictæ curâ agitabatur. Fondulus iuri ac viribus diffiſus, ciuiumq; perfidiam ſuſpectans, Pandolfum Malateſtam, vt eadem auſum, & mox amicitiâ receptum, conditionibus pacis aggreditur; vt conceſsâ ſibi Cremonâ; quidquid Brixiani agri ad Benacum vergit; in portionem acciperet. Neq; Fondulus Pandolfo crediderat; ſed potentiori medio, rata quæ pepigiſſent, opinabatur. Malateſta nobilitate Vrbis, ditioris conditionis ſpe motus, pacto facilè acceſſit. Sic potentiam ſibi increſcere, neq; Vicecomiti promptam receptionem fore crediderat: Immemor

quæ

Google

quæ Martino Papæ ſacraméto ſpopondiſſet: Et perfidiam à nemine integro foueri. Sic res contra quàm Malateſta ſibi ſpecioſè promiſerat, vertit. Dilato enim ad tẽpus Fondulo, vt ſaluo honore ac fide, in Malateſtã Vicecomes pugnaret, cui Martini Pontificis auctoritate ignouerat, Ioanni Franciſco, velut Aſolam, Peſcheriam, Viadanam repoſceret, apertè bellum comminatus eſt. Nec Gonzaga Vicecomiti prorſus commendatus, ſed aliquo odio cognitus; vt qui Ioannem Galeatium armis retinuiſſet; conatus totâ Longobardiâ irritos reddidiſſet; & non exilem Cremonenſis tractus portionem, famâ nominis, quàm virtute, ſuam feciſſet. Hunc perſequi; tanquàm Pandolfus neceſſitudini illigato ſuppetias laturus foret, ex vſu præſentium cenſuit; vt violatum ab ipſo ſacramentum, & fractas conditiones pacis obijceret. Brixia à Pandolfo accepta acrius animo hæſerat, quàm vt obliuiſceretur. Maior interim Philippi potentia credebatur; neq; habitâ Cremonâ, receptisque Oppidis quæ Gonzagæ erant, ſuſpenſurus vim putabatur; ſed maioribus poſſeſſa repetiturus. Quippe haud multum diſtanti tempore, Monſerrati Marchioni, minimo negocio, victricia arma intulerat: Nec belli prætextus alius, quàm proferendi Imperij deſiderium occurrebat. Vicecomiti per literas à Ioanne Franciſco reſponſum; Oppida quæ requireret, nullo iure repoſcere: Quòd bello aliqua, conceſſione quædam receperit. Vt quondam Vicecomites, Regium Gonzagis ademiſſent. Aut omnibus, aut nemini præſcriptionem ſuffragari. Et quando ea ſua crediddiſſet; cur præſente Martino, cum ſe medio, de Bergomo, & Brixiâ tranſactum eſt, horum non meminiſſet? Dolum prorſus conſilio, & ſilentio tectum; & repens deſiderium prauis conſultoribus hauſiſſe. Magnis ac multis æmulis; plurima quæ olim habuiſſet, poſſideri recordaretur. Nec ſe ſine viribus, precariò, aut apud nouos ſubditos, nouum Dominum imperare. Cætera ex arbitrio ageret: Non enim vel agri tranſuerſum vnguem, ſine ſudore ac ſanguine conceſſurum. Perſpectus Philippo, Gonzagæ animus erat; placuitq; acceptam belli conteſtationem; vt præceps Malateſta in partes deſcenderet; liceretq; velut honeſto titulo, illatam iniuriam, & fractam fidem vlciſci. Nec minus delectum militem, carpere fines iuſſit; prouocando Pandulfo, & bello cauſam. Sed nulla Vicecomitis publicè iuſſa; latrocinia præferebantur; vt aliò ſuſpiciones flecterentur. Veneti prudentiâ ad tantum faſtigiũ euerti, motus externos, cauſas, & ex his finem æſtimabãt. Dominationem enim eſſe ſine fine; & vniuerſam Italiam inueteratum Vicecomitum deſiderium nouerant. Veronam quoq; ac Vicentiam Mediolanenſibus abſtractas, Peſcheriam intra viſcera Dominij ſedere: Eaq; acceptâ, facilem ad reliquos acceſſum eſſe; Gonzagam obtentui ſumptum, vt in cæteros eo colore pugnaretur, qui bonis fruebãtur; quibus maiores ſui ſemper inhiauerint. Addebant prudentiores, diuiſas & modicas vicinorum vires, Reipublicæ ſpes augere; quòd regi obſequentes, infeſti eijci facillimè poſſent: Perpetuum incrementum, quod reliquæ familiæ tantùm præſumant, Reipublicæ indiuiduum accedere; vt quæ pariter ſit æterna. Afferebantur Carrariorum

Vicecomes in Io. Franciſcum.

ac

ac Eſtenſium exempla; quorum tenues vires, fortunam Venetorum promouerant. Itaq; ſumpta in ſpeciem honeſti cura (his enim ipſis temporibus Monferrati Marchio iniuſto bello, à Vicecomite impetitus, Venetijs ſuppetias efflagitans degebat) miſſiq; legati, non expectatum auxilium detulêre. In fœderis partem Marchio quoq; Eſtenſis aſſumptus eſt; vt cõmunione tutior, victos ac victores iuxta caueret; nec prædâ aut gratitudine obnoxius ſeruituti eſſet. Et placuit Venetis amicitia; ne qua pars agri, vnde Mediolano in Adriaticum excurritur, negligeretur. Longius quoq; ſubſidia quæſita; vocatis in eandem concordiam Florentinis; quorum potentia acceſſu Liburnij adaucta, plus negocij Mediolanenſibus factura videbatur. Idem per literas à Cæſare quæſitum; ne Vicecomitem damno ac dedecori Imperij, ſupra reliquos gliſcere permitteret. Erant haud dubiè qui delatas preces irriderent. Non enim quod Philippus è ſuo amiſiſſet, illico Cęſari acceſſurum; & familias mortales, Reſpublicas æternas eſſe. Placuêre tamen conditiones, quibus gloria offerrebatur: Et quia certiſſimo Imperij arcano didicerat, faſtu elatos correctione, fractos auxilio egere; & vtrinq; vtilitatẽ ac famam arbitrij: Ad hoc accedere rerum propriarum incrementum; & reliquos in æquo ſtatui, vt obſequio obſtrictos, ſic formidine turbantium exſolutos. Pontifex, vbi fœdus iactum; & concordes in Italiæ excidium, tot Principes videt; officij & temporis memor, Legatos Venetias, mox Mediolanum mittit, qui precibus aut imperio æſtuantes retinerent. Vicecomes accedere conditionibus facilior erat, Veneti orari voluêre; quòd proprijs alieniſq; viribus freti, & incremento vtiles turbas reputaſſent. Etiam maieſtatem induerant; vt parum decori conduceret, ſi arbitrum rerum Pontificem perpetuò, velut quæſito iure reciperent: docti, ſi quo iactura ſuccederet, exiſtimationem præferre. Et fortè proximiores deteri extra prudentiã non erat; In eoſq; certâ aut ſimulatâ causâ inſurgere, vbi reliqui quieuiſſent. De alienis certare; & iure belli habita, rectè ſeruari, occulto velut pacto inter potentiores conuenerat; eo maximè documento, quod nemo redderet. Perſiſtebat interim Pontifex, concordiam per literas, pacem, pietatem, & id genus vana, apud validiores, ſi fortuna ſpem offerat, intonare. Nec tamen vltra profectum, quàm vt Decennales induciæ traherentur; omnes in vnam cauſam coïrent; pax, bellumq; communia eſſent. Primos deſideraſſe Venetos, poſtremos conditiones firmaſſe reperimus; Et id ſecretâ ipſorum prudentiâ actitatum; quòd eo temporis decurſu, pecunia ac commeatus comparari; & certiori ſpe bellũ reſumere liceret. Non enim omittendas, ſed differendas inimicitias; ſpario ac diuturnitate Vicecomitem abſumendum, diſſentionibus hauriendum, quando ſuperbiâ, ambitione, odio, non ſibi, non exteris quietem vellet. Nec minus opinioni conſultum eſt: Nam pacis conditiones ita tranſactæ; vt propoſitâ benè agendæ rei occaſione; ad manum vires ac cauſa foret, iuſtitiæ, conuentionum, iniuriarum prætextu, aliena rapiendi. Quem enim alium proferendi dominij modum ſecuriorem, poſt hæreditatem eſſe? Conſuetudinem pro lege haberi. Ioã-

Fœdus Venetorum, Eſtenſiũ, Florentinorũ & Gõzagorum.

nes Franciſcus & ſuâ & ſuorum cauſâ anxius, citatis equis Venetias aduolauit, Senatumq́; docuit, inutilem ipſi, contra Vicecomiti pacem eſſe; nam *Io. Frãciſcus Venetias.* ditionis Mediolanenſis magnam portionem à ſeditioſis exceptam; domeſticas diſcordias plures eſſe; pronum iam, facilè in excidium præcipitem dari poſſe. Quam aliam prudentiæ apud dominantes rationem certiorem eſſe; quàm ſi opportunitates, propriæ vires, aliena infirmitas intus æſtimentur? Non aliud Vicecomitem & Venetos ſuſpectare aut odiſſe; quàm vt præcipuis Vrbibus abſtractis, cætera exemplo & conſenſu accedant; ſimul quietem ſuis, hoſtibus turbas proponant. Nihil Mediolanenſi Ducatui integrum; quædam Monferratenſes, aliqua Genuenſes, alia Malateſtas occupauiſſe. Neq; ſe poſtremum in queſtu; ſed Bozolo, & plerisq; eius plagæ Oppidis receptis; poſtremò Aſolam non habuiſſe ſolùm, ſed armatâ quoq; manu tutatum. Vbi ſemel Vicecomites, potentiam accepiſſent, perpetuò alienis aut comminatos, aut inuectos. Neq; ſemper iniurias; ſæpius cupiditatem habendi per vim proſecutos. Iuſti ac honeſti ſectatores ægrè offenſas, ægerrimè odia accipere: Nam vbi potentior vindictam expleuerit, offenſum extra metum degere; eum qui odio habeatur, in æternum formidare. Ad extremùm ſe pro Patriâ, pro amicis arma ſumpturum. Et quãdo illi ſibi torpentes, alienam virtutem procul è latebris ſpectare mâlint, approbaturum vniuerſis, quos ſibi viros Mantua ſepoſuerit. Poſtrema hæc Senatum permouêre, vt annueret, belloq́; neceſſaria pararet. Iam enim Cremonenſes, quiq́; limitem Dominij colunt, Vicecomes in arma raptauerat: Ferebaturq́; oppreſſis Fondulo ac Malateſtâ, maioribus copijs Veronenſes ac Mantuanos inuaſurus. Philippus ſuſcepti à tot coniuratis ſacramenti certior, faciliorẽ ſe Legato, qui pacem curabat, præſtitit. Non enim eas vires ſuas nouerat; quæ diſſoluẽdis vniuerſis ſatis eſſent; & dilationem in tempore vtilem rebatur; quò validiſſimi confęderatorum, ac præcipuè Veneti ab vnione vellerentur: Simul vt ſpectatores tantùm euaderent, aut (quòd vix crediderat) in cauſam deſcẽderent. Rogari tamen ſpecie fortitudinis ac fiducię voluit; velut certo aliorum metu, & potioribus rebus ſuis. Hinc publico minæ ac iactantia; per ſecretum reconciliationis ſpes proferebatur. Pecuniam tamẽ (quæ modica erat) paratumq́ue militem, in maius celebrari, per fidiſſimos miniſtrorum; velut alieni ſecretos delatores, & ſcriptis circumquâq; literis procurabat. Ad poſtremùm, neceſſitate ipſâ, oratione Legati victum ſe profeſſus, cum Venetis inducias ad decennium recepit. Occaſioni tamen paratus, ſi quæ obueniſſet; quæq́; nullâ perfidiæ opinione, arriperetur: dum conſilium victoria ſequeretur, cuius nunquã ratio reddatur. Quæ eueniunt, animi fidem retegunt. Siquidem Pandolfus Vicecomitis viribus, Ciuitatũ poſſeſſione deiectus eſt, & Fondulus ſeruili ſupplicio, audaciam imperandi eluit: Eaq́; Philippi animum extulêre, vt pari facilitate, reliqua æſtimaret. Oblati ſimiliter, vetus odij materia Gonzagi; quorum incrementa maiores eius, aut inuidiâ aut æmulatione proſecuti fuerant. Itaq́; tentatâ per exploratores Aſolæ deditione; cum res ex voto non ſuccederet, ad vim vertit.

Miſſus

Miſſus Paulus Caimus, cum Sexcentis equitibus, & duobus peditum millibus, qui bellum inferret. Ille dicto citius agrũ tenuit; & cum obuia quæq; ferro igniq; corrupiſſet, pro mœnibus pugnam fecit. Contra Mantuani numero pauci, & fidei Aſolanorum formidantes, acriter decertabant. Trecenti tantùm inerant; numero incertâ causâ imminuti. Teſtabantur, deditos etiã apud nouos Dños pœnas daturos; acceptâ nemini perfidiâ; & pari integritate æſtimatâ conſtantiâ. Adeſſe tempus, quo Mantuanũ Dominũ facto doceant; maiori præſidio retineri noluiſſe, quòd virtuti confidiſſent. Et Ciues quidem primò validi, poſt minis, quàm vi inſtantium fracti, virtutem cum fide imminuêre. Niſi præmia detexêre flagitium, & faciles nouitatibus, primâ ſtatim occaſione prorupêre. Itaq; nullo incolarum auxilio, abire Municipio Mantuani, & vix conceſſis armis, ad ſuos regredi coacti ſunt. Caimus quoq; belli haudquaquàm rudis, cuncta itinerum diſpoſito equitatu ſepſerat; ne quis ingredi aut egredi mœnibus, eo inſcio poſſet; aut Mantuanos auxilij admonere. Aſola in hos aut illos dominos facilitate mutationis deerrare ſolita, Brixiano denuò aggregata eſt. Et quia pecuniâ, quàm vindictâ Philippo, veterem ſibi potentiam, & ſubditorum gratiam paranti, opus erat, Ciues quindecim auri libris multati; vt cum incolumitate, cætera remanerent; fidesq; pacti ſeruata. Ioannes Franciſcus apud Legatum Pontificium ac Venetos queſtus eſt; abrumpi fœdera, quibus ipſi leges præſcripſiſſent: Nec eum vexationi finem; ſed ſe laceſſito, in reliquos ſimilia meditari; Vbi experimento verum didiciſſent, tum vanum præſidium fore. Vicecomes miſſo Oratore ad vtroſq;, nullum ius vetus, non pactum cum Dominis, non cauſam recentem in Mantuanos eſſe referebat: Sponte deditos, ſine poſſeſſoris iniuria recipi non potuiſſe. Defectores & perditos, officio tantùm redditos; quorum flagitio etiam apud exteros oportuerit pœnam eſſe. Cerni adhuc abraſos ornamentis murorum Dracones; & impreſſas Aquilas, augendæ iniuriæ: Se aliena nec quidem animo complexurum. Inter diſcordias, cum Venetis, Pontificijsq; cautum foret, non exceptos Aſolanos; ſed ſilentio tramiſſos; tanquàm iure debitos. Hæc in ſpeciem à multis commendabantur: Sed exarmari legiones, dimitti exercitus, & diſſolui quæ in Longobardiâ parauiſſet; ne ſuſpiciones intenderentur, pars conuentionum erat. Non id tamen Philippus exequi; ſed reliquorum expectationem ludere, miſſo in Genuenſes milite conatus eſt: Veluti nouo bello diſtractus, hoſtilia procul à ſuſpicacibus, & eos quos concordia non excepiſſet, agitaret. Compertum eſt Philippum inermem deprehendi noluiſſe; nè ſi alij clam deliberaſſent, ipſe imparatus opprimeretur. Breuem enim moram deducendis è Liguriâ, in Longobardiam copijs requiri nouerat: Et animo prorſus inſederat, Paternum imperium, ſibiq; ac poſteris reſtituere. Interim carpi confœderatorum fines, Peſcheriæ, ac Mantuano territorio comminari; Bozolum, Cannetum, Rotundeſcum, & alia pleraq; eiuſdem agri, frequentius audiri, tanquàm cuperentur, & ad ictum hoſtilem deſtinarentur, ægrè Veneti ferebant. Non ignari quò belli apparatus, & ſimilia ſpectarẽt,

Vicecomes Aſolam recipit.

Digitized by Google

& artium Philippi magiſtri. Deprehenſi quoq; Veronæ milites, vt otio & negocijs intenti, Venetias tranſmiſſi; fraudes, & ſecretas deditiones detulerant; pluſq; Venetis quàm Mantuano formidandum. Nunquàm hactenus inermes Veneti fuerant; minimè inter has ſuſpiciones bellorum. Itaq; cum dedecêre Senatus maieſtatem prouocari, iudicaſſent, de inferendis Vicecomiti armis deliberarunt. Nec qui potior, & qui acrius cauſam alienam vt ſuam ageret Ioanne Franciſco viſus eſt; animo viribuſq; freto, ſolito agere patique ingentia bella; & opinione accolarum, ſecum fortunam ferentem. Venetias accerſitum, ſecreto Senatui inducunt; & tacitis mandatis (quæ vna Imperij vis ac ſecuritas eſt) potentiaq; inſtructum, Ferrariâ Mantuam remittunt; vbi vim omnem, & iuſtum expeditioni exercitum eſſet acceptu-rus. Mantuanus non alia Patrum conſulta; nec certiora, quàm quæ naturâ, vſuq; imbibiſſet monita reperit: Cumq; ignara alijs ipſe retexiſſet; ſumpſêre Veneti documentum; quantùm vicinis ac potentibus hoſtibus, inter res dubias fidei haberent. Marchio quoq; Monferrati, Eſtenſis ac Florentini, per literas certiores redditi; quo animo Vicecomes eſſet, quo ingenio compoſita turbare niteretur. Cauerent inſidias Ducis antiqui hoſtis, & infidi. Veterem & paulò ante inter ipſos ſancitam confœderationem; ratam contra communem inimicum vellent; curamq; expeditionum Veneto Senatui delegarent, qui vi ſuâ hoſtem eſſet tracturus in præceps. Marchio Monferrati recentis, Florentini nondum abolitæ iniuriæ memores; quæ ſemel placuiſſent, æterna fore perſcripſerunt: Coërcendam inquieti hominis inſolentiam, & turbidum, cuius armis vniuerſa Italia tumultuetur, opprimendum. Non conſilio locum, viribus tantùm opus, vt modeſtiam doceatur. Proclamatus interim Veneti exercitus Ductor Ioannes Franciſcus, deiectos multorum animos, ad meliorem ſpem erexit; virtutis ac virium, non ignaros. Neq; tamen ſi miles, reditusve conſerentur, is exceſſus innotuerat; ſed nobilitas, fauor Cæſarum, gratia Pontificum, exiſtimatio cauſæ, & exercita armis Mãtuana iuuentus; inter bella & expeditiones educata, opinioni virtutis pondus addiderant: Haut dubium Mediolanenſium, Cremonenſium, ac Veronenſium, beneficio, excitatam, ac forte bellorum neſciam, in ſingulorum perniciem eruditam: quòd leuibus excurſibus tentata foret; cũq; ictu vno obrui poſſet; non detritã. Cremonâ, Brixiâ, ac Bergomo ad Vicecomitem trãſlatis, dictu mirum quantum ſæuitiæ Principi ſuo addiderint. Nam parum tempori idonea; neque firmandis ſubditorum in fide animis ſæuitia, cunctorum ſecretas voluntates, ab obſequio ſui auertebat. Dites velut auctoritate, inopes tanquàm manu deliquiſſent; in prædam, ac labores abſtrahebãtur. Coacti quoq; ſedibus Patrijs excedere; & exteri incolæ inducti. Quò fidem impoſiti ſeruarent; auulſis nouandi occaſio demeretur. Vtile quidem dominationis arcanum, ſi cætera reſpondeant. Parte enim detractâ, multos potentes & infenſos relinqui; in cæteros crudelitate ac rapinis graſſari, imperium non tuetur. Simul veteribus longa Patriæ ac Principum ſuorum caritas à natalibus ſubeſt; quæ ferè præſidio ſunt; inducti, plures

Io. Frãciſcus Dux Venetorum.

ante

ante annos, quàm credatur, approbare conſtantiam debent; & quâ facilitate natale ſolum deſerunt, ſi quæſtus ac ſcelerum præmia offerantur, nouas inuertunt. Erant Brixiæ Achilles ac Petrus Auogadri fratres, nobilitate, opibusque conſpicui: ſiue ipſis veteri origine, eæ ſedes eſſent; ſiue Mantuâ primùm ſub Marchione Bonifacio, mox Veronâ exacti, ea loca delegêre. Hi ſeruitutem rigidam ſeruire ignari, mitioribus Dominorum imperijs aſueti fuerant. Proinde vt Pandolfi aſſeclæ, mox defectionis ciuium auctores correpti, vniuerſis fortunis exuti ſunt. Conceſſa vita miſerationem addidit; quòd Primates, caritate in ciues ſuos, amicitijs maximis, nobiliſſimis conſanguinitatibus illigati, vix diurnis alimentis, de ſuo vterentur. Et quamquàm ademptis facultatibus, & ad ſordidam inopiam deuolutis, ſupererat auctoritas, ſuis & exteris commouendis. Hi publico expoſiti, à ciuibus proſpectabantur; vt dominio Patriæ, per genus ac virtutem pares, pulſo Viccecomite potirentur. Nec ciuium ſuorum animi Auogadros fefellêre; cum per ſecretum qui miſerias ſolaturi accedebant, parata omnia, & qui arbitrio adeſſent, referrent. Achilles natu maior, Cubiculo inductum minoré Petrum admonuit: Se auitis bonis exutos, Dominanti inuiſos, miſerrimam per aduerſa vitam trahere, oneri ſuorum, proprio dedecori: Non enim cauſam, ſed inopiam æſtimari. Id vnum ſolatium calamitati accedere, quòd per virtutem exciderint. Nobili conciuium opinione vſos; & famâ etiam apud exteros celebres, à perditiſſimo Duce in exitium proijci; non quia meruerint, ſed quòd genere metuerentur. Quod reliquum ſpei ſit, id irritum deſiderare; niſi prudentia, & iuſtitia cauſæ intercurreret; quæ non excuſent, ſed commendent; non conſulant, ſed renuētes licet, impellant. Si honeſtæ vindictæ locus; vbi per ſummam iniuriam quis laceratur, famæ ac facultatum iacturam grauem ſubijt; & perpetuo timore areſcit, in rebus ipſorum & infœlici caſu requiri; qui communem Patriæ motum ſecuti, non ducentes, ſed tracti expergiſcantur. Dominis pro tempore ſeruiuiſſe; nullo publico muneri implicatos; & priuatis vtilitatibus intentos. Obfuiſſe familiæ antiquâ nobilitatem; & ex potentiâ præſumptum nocendi animum; quamuis perfidiæ aduerſum. Quod inditum generi, & inſtituto æternum apud ipſos fuerit, perpetuum manſurum; magni animi, fidei, prudentiæq; reputationem. His præſentia maximè indigere; quò magis in præcipiti res ipſorum, & cædens ſpes, in vicinio conſiſtant. Ad Imperium Patriæ ſe vocari; quod vt conciuibus vtile, ſic ipſis honorificū, & in ipſorum manibus ſitum credatur. Sed non eâ facilitate poſſideri, quâ ſumatur. Turpe eſſe incipere, quod nō ſis executurus; & pecuniam præcipuum regni inſtrumentum, nec habere, nec amicos offerre; etſi eodem dominationis permittendæ ſtudio teneantur. Accedere occupationis iniquitatem, quæ rarò perfidis ex voto adſtipuletur. Vtraq; causâ, quàm lubrica Pandolfi potentia fuerit, exitum oſtendiſſe; & ipſos meminiſſe debere, documento agendorum. Vnicam ipſorum incolumitatem, quam in diſcrimen reijciant, ſupereſſe; eam tamen certâ vanitate, manifeſto periculo obijcere, proximè ad ſtultitiam accedere; vt ſi amiſſis

Auogadri Brixiam ambigunt.

pulſos cognoſceret; plus tamen vero ſpopondiſſe credebat; vt facilem conſilijs aſſenſum reperirent. Etiam ignarũ Vicecomitem proditionis; continuum in armis militem, & aperta excurrentem acceperat; quaſi paratâ in quoſcunq; deſciſcentes vltione. Qui Mediolanenſis partes tutabantur, captâ Vrbe, ſe in Arcem recepêre. Mox collectis armis obſidioni neceſſaria; parare, obſtruere acceſſum, conferre alimenta, auxilium ſuorum requirere cepêre. Habitæ Ciuitatis fama, primùm Venetias à Mantuano tranſmiſſa; mox facti ſeriem, Dux ex fugitiuis accepit; & rebellionis auctores Auogadros indignatione prorupiſſe, acciuiſſe Senatum; cuſtodes incautos oppreſſiſſe. Seruatâ tamen Arce, & fortiſſimorum præſidio tutâ, res adhuc in integro credita; quando ſubueniri obſeſſis poſſet, miſſis Mediolano copijs. Etiã à Franciſco Sfortia (cui hæc militia in immenſam gloriam accreuit) quidã Monteclaro educti, præmiſſiq; poſtico Arcis ab obſeſſis recepti fuerant; quãquàm ſecutus Sfortia maiori auxilio affuiſſet. Vt verò admiſſum illum; & recenti milite infrequentiæ præſidiariorum ſubuentum, Gonzagæ innotuit; ne obſeſſi eruptionem in ciues, aut inductas Vrbi Venetas copias facerent; firmiſſimo munimento viarum exitus, quâ in Arcem ſpectabatur, occluſit. Neq; ſecius aſſiduis ictibus tormentorum Arx quatiebatur. Sfortia quò ſe verteret dubius, auxilium dimiſſis qui fallerent cuſtodias cõclamabat. Quî Flaminiâ aduentabant, cum Ferrarienſi inſtitiſſent, ab Eſtenſi repulſi ſunt; quòd licet amicitiam præferrent, hoſtiliter tamen, nondum adultas, aut matureſcentes fruges protererent; & ab inuitis colonis diurna alimenta, nullo pretio extorquerent. Tria millia fuêre, quæ à Philippo, Sfortiæ miſſa ſunt; quadrageſimo ab obſidione die. Et quia tot ſine bello induci fortiſſimo Mãtuanorum exercitu intercurrente non poterant, Duci viſum duo millia Arcis præſidio relinquere; & cum mille quingentis, orto die & deſtinato per medios Venetos itinere aduentantes accipere. Procul agebat Gonzaga; & ſuorum ignauiam increpans, quòd Sfortiam (cuius virtute cæteri hoſtium inniterentur) neglexiſſent; copiarum ductores immutauit, in eorum qui errauerant contumeliam. Non deerant qui Ioannem Franciſcum inſectarentur: Quippe parum prouidentiæ arguebant, imminente inimico Caſtris excedere; & fortunam in caſum dare; quando celeritate ac vigilantiâ ſumma rerum agerentur. Corripuêre quoq; Veneti acriori ictu; nam iuueniles cupiditates, militiæ Ducibus aduerſas inſectati ſunt. Factus euentu cautior Gonzaga, pulchrâ virtutis æmulatione Sfortiæ contendebat; vt hoc ipſo nomine, maiori gloriâ eſſet. Sfortia eâ victoriâ decus ſuum, Gonzaga veterem ſuorum famam ſeruatum ibant: Vigilantiâ, labore, aſtu aſſidui; vt quiſq; potior haberetur. Procedẽte bello incertis auctoribus vulgatum eſt, legionem Mediolanenſium, in Mantuanos impetum facere: Id eò maximè graue erat; quòd licet ſubſidio crediti militis Veneti vti poſſet; detrahere tamẽ ab oppugnatione niſi manifeſtâ ignominiâ nõ liceret. Quod tutiſſimũ in tempore viſum, Caprianus Mantuam remiſſus; vt Trecentis equitibus, Mille quingentis peditibus, Burgofortum, Cannetum, & adiacentia firmaret;

ret;

ret; donec famæ veritas, vanitaſve aperirentur. Augebat quidem Vicecomes ſuorum numerum, vt ad certam victoriam; non tamen tot erant, vt obſiſti Venetis ad Brixiam, & nouus delectus in Mantuanos tranſmitti poſſet. Piccininus non ignarus militiæ (is quoq; res Mediolanenſium curabat) Gonzagam non ſuſpectantem, & Florentinorum auxilia opperientem (quæ Tolentino Duce properare dicebantur) ictui deſtinauerat; ſed tardè deliberauerat, nam expectati affluere. Aucto Florentinorum militiâ Ioanne Franciſco, de pugnâ agitatum; & quia Mille octingenti adhuc in Arcem euaſerant, vtraſq; vires ſeparandi conſilium initum. Ita octo millibus paſſuum foſſa producta eſt, aggeribus ac præſidio immunitam; vt ſi partium duces in prælium deſcendiſsent, fuſis hoſtibus à tergo, non turbarentur. Mirâ celeritate perfectum opus. Nec Sfortiani interpretati ſunt; donec educta moles finem habuit. Non enim quãquã exitu libero, qui ſeſe Arce continebant, egredi, aut niſi permittente Gonzagâ, ad ſuos regredi poterant; obſeſsâ viâ omni; & hinc foſsæ præſidio, illinc vniuerſi exercitus mole clauſâ. Triginta ferè hominum millia pro Vicecomite in armis erant; nec diſpar Venetorum exercitus; cupiebatq; Sfortia virtutis periculum magno prælio facere: Nec Gonzaga abnuebat, fortitudine ſuâ, cæterorum animos dimenſus. Carmaniola ſecurioribus, minori gloriâ inſiſtens; orare Franciſcum ne tot millia diſcrimini obijceret; poſse tempore, mutatione fœderatorum, internis diſcordijs, tantam hoſtium multitudinem diſsolui. Nec moram diuturnam fore. Quippe Mediolani, Sfortiam ex æmulis malè audire, qui ſufficiatur perquiri, & non niſi in inexpertum poſse conſilium cadere. Placuit Gonzagæ Carmaniolæ prudentia; ne certam cunctatione victoriã præcipitaret. Aduentare enim Carolum Malateſtam audierat, militiæ infauſtum, domi clarum; quem conſanguinitate, conſuetudineq; nouiſset; vt nihil fortunæ deferentem, ſic ferè obnoxium aduerſæ. Haud minus Caprianus, firmatis Burgoforto, Canneto, cæteriſq; oppidis, conſilium approbauit; nullas hoſtium copias, tuta omnia eo tractu, & verſum totum Vicecomitem in Brixianos referens. Simul, Ioannem Caſtelbarcum pro Ciuitate in armis, etiam longè agente Domino ſecurum. Hæc primùm Philippi deſignatio. Mediolanenſes res infregit. Carolus enim eadem belli quæ pacis documẽta putans, dum ſtultâ morâ opportunitates ſuas corrumpit, commodis hoſtium conſulit, expectationem Mediolanenſium in præceps dedit; tempuſq; præoccupandi collis, qui exercitibus interiacebat, Carmaniolæ; & obijciẽdi ſibi Solis, vt Gonzagam à tergo reſpiceret. Mantuanus impedimenta medio recepit; latera ac deorſum curribus firmauit; quos ſarcinis fœno ac paleâ repleuerat, obijciens ictibus, & in ſpem prædæ: Vt oblatâ hoſtibus furandi occaſione, ſparſi & incauti auaritiâ opprimerentur. Vicecomes quoque vbi ſatis virium, & qui decertandum conſuleret, reperit, Cremonæ ſubſtitit; miſſis qui Malateſtæ imperarent, tentare pugnæ vias, & vniuerſis exercitibus concurrere. Seu temeritas, ſeu animus cuicunque periculo maior, impatienter Vicecomes agebat. Diſpoſitis vtrinq; exercitibus, Ioannes

Fran-

Franciſcus per nuncios ac literas monetur, Ioannem de Pergolâ,cum octingentis equitibus,toto Mantuano agro, rapinas agere, & incendia miſcere. Nec ille tamen imminenti certamini detrahere ſeſe,aut gloriam prælij omittere voluit; miſſi tantùm quadringenti equites totidem pedites, eodem Capriano Duce ,qui audaciâ progreſſum coërcerent. Fortitudine ac conſilio bene vſum Caprianum euentus docuit: Cum enim tot armatorum ad Brixiam millia, iam iam manus conſertura ſcirentur, vix futurum crediderat, octingentos equites, magnum afflictarum rerum ſubſidium, à corpore abeſſe. Quod inclinatâ vtcunq; acie,ea ſola vis, exprimendæ victoriæ ſufficeret. Proinde validè niti Caprianus, Cremonenſem agrum, Villas, Oppida excindere; latè metum facere; nunquam adeò regredi, vt non maturè reuerteret. Etiam ad Caſale maius pabulantia armenta, & defluentes Pado naues interceptæ; tantâ vi ac celeritate; vt cum octingenti eſſent, plura millia dicerentur. Id haud dubiè Vicecomitem accelerare certamen, vt vniuerſis prouideret, impulit. Altera diei hora erat, cum vniuerſi exercitus, quiq; e ſubſidio Mantuano agro miſſi fuerant, concurrêre. Carmaniola montem præſidio tenuit; & quinq; hominum millia in ſubiectam planitiem effudit. Gonzaga mediam aciem; cui quinq; peditum Mantuanorũ millia, & octingenti equites inerant, aduerſæ Vicecomitis aciei obiecit; reliquos Caprianus facem belli præferens, per hoſtile ſolum raptabat. Dux ipſe, equo, operimento, fortitudine manifeſtior, ſuis animos, hoſtibus metum incutiebat. Siniſtrum cornu Tolentinus cum ſuis ſeruabat: Et quia latior ambitus, pluresq; ordine contineri poterant, decem millibus conſtabat. Ioannes Franciſcus à tergo Sexcentos equites, mille quingentos pedites locauit; non niſi plenâ victoriâ, aut ſi res contra vertiſſent, erumpere iuſſos. Montem tria millia ſeruabant, eodem imperio; vt vniuerſi aut ſimul vincerent, aut in acie oppeterent. Haud diſpari formâ Vicecomitis exercitus inceſſit. Medium Carolus Malateſta, cum Duodecim hominum millibus tenebat; ſiniſtrum Sfortia ſex millibus ſeruabat; Dextrum Antonius Landrianus, octo millibus tuebatur. Nec minus diſpoſita auxilia aduerſi certaminis, non longè erant. Primo ſtatim congreſſu fuſi Tolentinates, nudata latera hoſtibus obtulêre; Dexterum cornu diu ſtetit. Seruare locum ſatis credidêre, dum ſparſos in prædationem Vicecomites,& vniuerſis viribus Gonzagam inſiſtere viderent. Ad Tolentini inclinationem accurrêre Mediolanenſes, currus inanes prædam rati: Sed dum ſolutos ordines, & tanquàm partâ victoriâ ſecuros Tolentinus vidit; equo illatus, magnâ voce conclamauit; recurrerẽt; & quæſtui quàm honori paratiores inuaderent. Vis eadem Carmaniolæ; maior in Gonzaga erat; qui fronte aduerſi hoſtis perruptâ, quò plures inerânt, eò plus conſternationis intulit; mox ſparſos & metu pauidos, velut ad certamen prouocauit. Pugnatum horis ſex;& fuſis aut cæſis innumeris, tria captiuorum millia habita. Sumpta ex inimico ſpolia, equi, arma, commeatus, cunctos onerârunt. Vix ira depoſuerat; & fuſos Mediolanenſes prædatores, qui agrum Mantuanum incurſauerant, certi nuncij ad Gonzagam detulêre.

Ducũ pugna

Io. Franciſci victoria.

detulēre. Pauciores numerabãtur;quã pugnaturis in Caprianũ opus fuerat; & temerè,ſtrenui Ducis impetum ferre auſi. Inſecuti fugientes Mantuani, vltione ac ſanguine, ſeſe exſatiarunt. Pulſo Carolo, diſiectis ordinibus; & magnæ cladis memoriâ, futurorũ ambiguo Vicecomite, facilè Ioanni Franciſco fuit, Aſolam datæ olim fidei, veteriq; obſequio reuocare. Ciues vim externam, procul auxilium, & impoſitum à Mediolanenſi præſidium, turpi fugâ cunctorum fidem contaminauiſſe queſti ſunt: Vel vt ſeſe abſoluerent; aut pœnâ quam facili adeò perfidiâ meruiſſent, neceſſitate excuſati liberarentur. Gonzaga ſpontaneâ deditione ſubditos recepiſſe ſatis credens, belli vim, formidinem, hoſtium numerum accuſauit: Et acceptâ redditaq; fide, labefactatam toties abſoluit. Sed ſeuerius interpretantes monebant; non vi, non armis à Vicecomite oſtentatis; & vix vocatos perfidiam oſtendiſſe. Municipium numero Ciuium præſidij opinione, & commeatu refertum, etiã ad menſes, ſaluâ ſui Principis fide, tolerare potuiſſe. Irrequiſitis aliena placuiſſe; & promptam defectionem teſtimonio eſſe. Dandum ſeueritate exẽplum, vt cæteri in officio aſſidui, ſimilitudine doceantur. Gonzagæ promptum ad mitiora ingenium erat, vt quamuis fraus apertè patuiſſet, pœnitẽtiâ ac deteſtatione flagitij flecteretur. Vt tamen qualicunq; vindictâ, depoſuiſſe odium videretur, pecuniæ vis imperata; & Sexcenti retinendæ conſtãtiæ impoſiti, qui Aſolanorum expensâ ſuſtentarentur. Vtrumq; miſerrimis grauius, quàm vt tolerarent, viſum; ſed flagitij conſcientiâ, nec Aſolani lamentabantur; nec Gonzaga querente nomine corrigebat. Anno Milleſimo quadringenteſimo viceſimo ſexto, Mantuani deprædantiũ metu, Ducis Mediolanenſis apparatu bellico, ac ſuſpicione armorũ liberi, Principi ſuo triumphum erexēre: Et vt gloriam ſudore quæſitam, receptâ pietatis oſtentatione capeſceret, orarunt. Erectę montium ac fluuiorum; necnon Oppidorum, quæ in poteſtatẽ armis recepiſſet, imagines: Aſola compedibus vincta; Brixiâ cathenis cincta; Arx quæ tot conatus, tamdiu paſſa, eluſerat, viſebantur. Cernere erat hìc pugnâ elapſos Inſubres; illic congreſſos exercitus; hìc fugientem Carolum; illic victorem Gonzagam; hàc irrumpere Mediolanenſes in prædam; illâ Tolentinum magnis animis referri: Trepidantium, fugientium, cæſorum magna varietas, ac confuſio ſpectabatur. Ad plateæ medium fortuna ipſa fręno quod virtus iniecerat, vincta; & fatum arctatis poſt tergum brachijs trahente prudentiâ, viſebantur. Ante regias ædes Victoria, nondum ſudore ac puluere deterſo lucentior erat. Obuiam proceſsēre nobiles adoleſcentes albo induti. Quâ in Palatium tendebatur, feſto ornatu omnia conceptam lætitiam teſtabantur. Ioannes Franciſcus ſublimi equo vectus, medius inter Caprianum, cæteroſq; belli Duces, ac proceres Ciuitatis, fauſtis acclamationibus proceſſit. Compoſita quoq; carmina celebritati opportunè erant; quibus, non ſolùm Princeps, quiq; incolumes parto honori ſuccedebant, ſed Iulius Agnellus, quod ſub Arcis męnibus dimicans cecidiſſet murali, Andreas Gornus, quòd inclinantes ſuos retinens occubuiſſet, Ciuicâ coronâ ornati, laudibus decorabantur. Vtriq;

Io. Franciſcus recipit Aſolam.

Io. Franciſci triumphus. 1426.

inter

inter Arcus vacua ſublimes, hoſtemq́; calcantes ſpectabantur, quòd meruiſſent, plus celebrati. Qui belli huius euentum poſteritati tradidêre; vtilitate, odio, aut amore corrupti; vel Mediolanenſibus victoriam affinxêre, vel dubiam prodidêre. Nobis (quando non veritate, non mendacio, potentioris gratia quæritur) quæ M.S. Annalibus compoſita depræhendimus; liberè traduntur. Satis ſit ex labore & curâ, commendationem apud poſteros eſſe. Annales Venetos nondum typis permiſſos; & ſecretas Principum epiſtolas, quibus belli exitus deſcriptus eſt, fidâ inuerſione noſtris indidimus; non aliâ quam ſermonis mutatione. Veritatis teſtimonio, libuit, literas Venetorum Ducis inſerere, quibus victoriæ gloria, in Ioannem Franciſcum, eiusq́; vigilantiam transfertur.

Franciſcus Foſcari Dei gratia Dux Venetiarum. Dilecto nobis excelſo viro Ioanni Franciſco de Gonzagâ, Mantuæ Domino, ſalutem. Magnâ animi noſtri lætitiâ; & totius Senatus noſtri accepimus, virtutis ac vigilantiæ tuæ fructum; Quomodo magnâ fortitudine; non longè Gotolengo, cum Carolo Malateſtâ dimicans, victoriam & honorem tibi, & Senatui noſtro reportaueris. Gratulamur itaq́; de tuâ fortunâ; & cupimus vt eâdem virtute continues, ſtrenui Ducis decus referre. Cęterùm quibus honoribus & vtilitatibus ornare te, & Carmaniolam, ſocium laboris tui decreuerimus; ex noſtri Senatus Secretario, præſentium latore intelliges, & ſimul quid te in poſterum agere velimus. Datæ Venetijs Vigeſimo ſeptimo Auguſti, Milleſimi quadringenteſimi vigeſimi ſexti. 1426.

Habitæ victoriæ gloriam penès Ioannem Franciſcum, & Carmaniolam, acceptæ cladis dedecus penès Carolum Malateſtam fuiſſe, conſenſu traditur: & potuiſſe fœliciori ſucceſſu decertari, ſi Sfortia vniuerſis imperaſſet, etiam Gonzagę teſtimonio (qui partiũ errores obſeruauerat) ſatis innotuit. Sed detractores frequentiſſima ac perniciosiſſima Principum labes, ſeueris ſermonibus Philippum Mediolani Ducem vrgebant, detraheret tot millibus hominum, nouum, externum, & expertum Sfortiam; metu perfidiæ (quàm ipſi præferebãt) & paucis licet ſtipendijs exercitum, opportunitatum tamen perſpicacem. Hinc initium excidij: & ſpecioſior ſubſtitutus, quamquàm agendis rebus impar, partes in præceps traxit. Sed tollenda Ducum æmulatio præferebatur. Philippus non ante pernicioſa conſulta, quàm magnâ clade affectus foret, intellexit. Et tamen nè erraſſe videretur, mutatione abſtinuit. Ioannes Franciſcus deſiderij certus; & victoriam prudentiâ habendam doctus, acrius indies Venetorum conatus, ſuas vires ſtimulabat. Non enim licet magno prælio ſuperatum Vicecomitem ceſſurum rebatur. Sufficiendis quippe exercitibus in propinquo materiam, validiſſimis circum Ciuitatibus, & populis bellum agitantibus nouerat. Neq́; alio certiori præſidio, decus partum retineri poſſe monebat, quàm ſi victorem militem ſub pellibus detinuiſſet. Iacturam pecuniæ paruo æſtimari, quæ dominij acceſſione rependeretur. Sic dedecori, & auaritiæ obuiam itum; retentis in nouam expeditionem, quos Eſtenſes, Florentini, ipſeq́; conduxerat, oſten-

oſtentando robori; & comminatione, ſi Philippus vlteriora tentauiſſet. Pōtificius legatus nihilominus precibus aſſiduus erat. Sed nihil in ſummam profectum; Vicecomite conditionum aſperitatem, Venetis niſi cum gloriâ, & vtilitate, concordiam aſpernantibus. Illi honeſtius videbatur; bello quā pacto nobiliſſimas Ciuitates amittere; his, vires & certi Duces, non quærēda, ſed ad manus erant. Et ſperabatur, facilè ad vlteriora poſſe tranſiri, ſi Philippus præcedentium incurioſus egiſſet. Itaq; re infectâ, de bello inter vtroſq; decretum; validiori haud dubiè Veneto, & Longobardiæ Imperium præſumente. Cæterùm Carolus Malateſta, elapſæ pugnæ infœlici exitu paueſcens, iterum nouæ expeditioni præfigitur: Obſtrepentibus Mediolanenſibus, quibus Sfortiæ viuida, non minus, quàm huius torpida ætas inuiſa erat. Non tamen Ducem Mediolanenſem perpulêre; quin quod ſemel decreuiſſet, ratum vellet: Siue ne Sfortia potiretur; ſiue vt pœnitentiam vitaret; quæ in Principe leuitatem, & mentem motam præfigurat. Niſi inter turbas, & mediâ tranſactione rerum, inutilem mutationem opinabatur. Potiores interpretabantur; eo honore induci ad perfidiam Gonzagam potuiſſe; vt ſanguine Malateſtis nexum, & mutuâ familiæ caritate. Alij Caroli auctoritate, Brixiam quæ familiæ ante ſeruiuiſſet, facilè reuerſuram exiſtimabant: Sed quando neutrum ſucceſſiſſet; iuſſus tamen Carolus Mantuano agro ignoſcere, vt Venetorum ſuſpiciones, pietate augerentur. Gonzaga conſanguinitati amicitiæque honorem prætulit, immotus, incorruptus quocunq; affectu, vtilitate, metu, quæ gloriam excluderent. Brixiani quādo mutandi Domini tempus acceſſiſſet, promptiores in Venetos erant. Neq; perſpecta Ducum ars fallebat, mutuò condonandi; vt dimicatio, labor, diſcrimina, reliquorum iacturâ penſarentur. Quamquàm prudentiſſimis mortalium imponere; & Venetos fallacijs illigare, ſuperuacuum. Non defuêre, qui calumnias in Gonzagam retorquerent, miſſis ad Venetos epiſtolis; vt Ducem hoſti propinquum cauerent; tacitas inter vtrumq; conuentiones interceſſiſſe, vniuerſi exercitus pernicie: Quâ causâ Vicecomitem, eâdem ab ipſo Venetos formidari: Et ſi vterq; mutuis armis detereretur, addi Ioanni Franciſco potentiam; & (cui maximè ſtudeat) ſecuritatem. Magnas enim ſpes nutrire; & captâ retentaq; inconſulto Veneto Aſolâ, dediſſe experimentum, quid bello peteret; & in pace ambiret. Satis Senatui viſum, ſi quibus calumnijs Gonzaga laceraretur, alieno monitore cognouiſſet. Non tamen perſcripsêre; quaſi reieciſſent. Ille non animo, non conſtantiâ motus, non excuſationibus Patres fatigauit. Quò maior integritas in Principe viſa; inania ac falſa contemnente. Nam ſi conuicijs offenſus, acrem ſe purgandis quæ obijciebantur præbuiſſet, conſcientiæ ſceleriſq; ſuſpicio erat. Tantûm orati Veneti; ne parcè pecuniam tranſmitterent; quâ rem confici, apud militiam cognouerant. Dum hæc, & his pares nugæ, frequentibus relationibus, conſultationibuſq; voluuntur; tempus, occaſiones, opportunitates à Carmaniolâ negligebantur: Et Gonzaga vlterioribus intentus, per exploratores quorum operâ plurimùm vtebatur,

Bellum reſumitur.

medio

medio noctis hoſtes incompoſito agmine affuturos, docetur. Id ſtatim accerſitum Carmaniolam monet; vt curatum militem in armis, ſimulatâ negligentiâ haberet. Carmaniola mille ab Caſtris paſſibus frequentes ignes accendi, vt hoſtem auerteret, præcepit. Ille non credidit; niſi à proditore amico veritatem accepiſſet. Clarior Mediolanenſium inuaſio fuit, quàm vt nocte tegeretur. Ignes enim nō tam aſtu, quàm formidine ſuſcitatos crediderant; & incompoſiti ac truci clamore elato properauerant. Ergo conuocatis ordinibus, ad arma ventum. Plurima virtus, multa ſors, per tenebras regebat. Sed loco inſiſtere; non niſi in certum ictum tela iacere admoniti Veneti, ſedem retinebant; ſtabiles pugnæ & imperio. Quâ tamen Sfortia perauſit impelli cepêre: Et iam Carmaniola ſuffoſſo equo, & vulnere inualidus, vltimum diſcrimen adierat; niſi Ioannes Franciſcus ſuperueniſſet; & laborantem periculo exemiſſet. Verſa hinc in Venetos fortuna, & acri conatu preſſi Mediolanenſes, coacti ſe recipere; captis mille quingentis, & plus octingentis aut amiſſis aut ſaucijs. Sabaudius Dux interim, vicinio, deſiderio, forſan & odio, Mediolanenſes fines carpebat. Quem cum miſſis Ducibus, non retinere, non vrgere Vicecomes poſſet; præcipuâ copiarum parte comitatus eò flexit: Gnarus potiſſima rerum præſentiâ egere; vbi præferox hoſtis, Ducum decertantium virtuti ſuperior, adſpirat dominationi. Abſtractio Vicecomitis, occaſionem Gonzagæ, ac Carmaniolæ dedit, firmādi, quæ recepiſſent; & Brixiani agri reliquum trahendi. Quòd ferè infirmiora, validiorum fortunam ſequantur. Quamquàm breuibus obſidionibus, Pampinianum, & Caſale maius ad victores abiuiſſet; inuictis circum hoſtibus, agro, ciuibusq; minitantibus, & longè ſubſidij ſpe. Inſtabat Martinus Pontifex, ne tot cladibus potentiſſimi Italiæ Principes lacerarentur; aut acceptas ſemel pacis conditiones effringerent; execratus diſcordias, quas cùm intra domos non habeant, apud accolas aucupentur: Et quando Schiſmatis abolitionem à Concilio petijſſent, mali eam cauſam, concordiâ faterentur. Si quid pacti promiſſionumq; aſperius depræhendiſſent (pleraq; enim exitu deteguntur, quæ diſceptatione non diſplicent) amantiſſimo Parenti condonarent; cui ſubditorum quies, vitâ ſit potior. His ac ſimilibus, facilè Philippus pluribus difficultatibus illigatus, ægrius Veneti acquieuêre; maiorū ſpe conceptâ, & quòd peruicacem Vicecomitem, Bergomi, ac Brixiæ petitione audirent. Vicit manifeſta neceſſitas, permiſſaq; vtraque Vrbe, Veneti tanquàm ſua retinuiſſent, arma depoſuêre: in propinquo tamen miles ſepoſitus; vt ſi opus foret, illicò reſumeretur. Bello capti ad ſuos dimiſſi ſunt; ſeu permutatione, ſeu placito victorum. Quos inter Carolus Malateſta, Ioanni Franciſco, matre ac coniuge patruus; qui poſtremâ pugnâ captus, & ad neptim Mantuam amandatus, paternâ caritate exceptus fuerat. Iuſſerant vtrumq; Veneti; vt læto carcere conſanguinei, & exſolutione vinculorum, captiuum Ducemq; iuxta deuincirent. Sic nauatæ operæ pretium reddere meditati. Publicè ac profeſſione fauor credebatur; quod neceſſitas intus erat. Hæc in annū Milleſimum quadringenteſimum viceſimum octauū 1428.

proceſsêre; cum reliquis Europæ Prouincijs aut turbæ, aut bella eſſent; Italiam contentiones, Schiſmata, æmulatus Dominorum exercerent. Medio temporis, & iteratis cladibus fracto Vicecomite (qui multo ante Longobardiam omnem vexauerat) prædarum occaſione, Mantuani ante alios fortunam auxerant. Nam cum Villas hoſtium igni abſumpſiſſent, agros vaſtitate fœdaſſent; armenta quoq; abduxerant, & in ſuos quiſq; agros impertierant, opulentam militiam fatebantur. Sub anni finem Gonzaga velut

Io. Frãciſcus Venetias. adminiſtrationis rationes redditurus, Venetias profectus eſt, paucis comitãtibus; quorum pleriq; Duces copiarum, Tribuniq; erant. Frequenti Senatu; vbi quid conſtantiâ ac fide actum foret, expoſuit; pacis belliq; conſilia proſecutus eſt; quid ſpei in Vicecomite, quid apud ipſos metus foret docens. Poſtremò ſuas ipſe fortunas, & exercitam laboribus vitam ſeruitio obtulit; tantâ Patrum comitate ac gratitudine exceptus; vt tum primùm victoriæ nuncium allatum crederes. Vbi domum redijt (nam ad Franciſcum Lonatum, ciuium nobiliſſimum, longâ familiaritate cognitum diuerterat) affuêre Senatus nuncij, qui gemmas, veſtem, arma detulêre; dona victori, & ſpes potiorum, ſi eâdem caritate præteritam virtutẽ vſui Reipublicæ, quod ſpoponderat, impediſſet. Et quia frequenter in Ciuitatem reuerſuro, domo

Donatur à Senatu, nobili Palatio. opus erat, Palatium veteri elegantiâ, ac magnitudine Princeps, cui Turriũ duarum nomen erat, dono datum. Idq; Diplomate firmandum, quod Mã-

1429. tuam mitteretur, promisêre: Nec ſpes intercidit, nam Viceſimâ primâ Februarij, ſequentis anni, literæ delatæ, poſſeſſionem liberam Ioanni Franciſco, ac ſucceſſoribus permisêre. De Municipio Aſolâ, ſeu caſu, ſiue ſtudio mentio non habita: Siue in vili, receptâ Brixiâ à Patribus cenſeretur; ſiue occaſio expectaretur, quâ Palatij pretio, & iure Vrbano, rependeretur. Intermiſſo prælio, bellum tamen erat; turgidis ſuſpicione hoſtium animis; Vicecomite Brixiæ ac Bergomi amiſſione; Venetis non præſenti magis, quã futuro anxijs. Opportuniſſimum Reipublicæ viſum, (quod ſtatum præſentem ſpectabat) vt ij, qui iacto ante pacem fœderi acceſſiſſent, imminentiũ ſecuritati necterentur. Quos inter Eſtenſis, Marchio Monferrati, Mantuanus, præcipui erant. Pontificius Legatus olim obſtrictus, tum vt maior, arbitrũ inter diſceptantes agebat. Simul non fallacibus nuncijs, Sedis etiã Apoſtolicæ per Longobardiã poſſeſſio, in lubrico eſſe ferebatur: Siue quòd pacis bona ignorabantur; ſiue aſperitate Legati: cum mitiora, tempori, & recenter habitis populis conuenirent. Quippe Longobardi, ſueta libertati, ac luxui gens; malè priſcæ moderationi & temperantiæ flectitur, facilè ab inuiſis ſecedit ad blandientes; & promptè bellum amplectitur, ſi ſplendorẽ armorum, Ducemq; proſpectet. His animorum motibus; non propriarum virium curâ ſolùm, ſed per ſecretos exploratores, amicitiæ recenter iactæ obſeruabantur; quibus apparatus moles increſceret. Vicecomes domi foriſq;, inter luſus ac ſeria, ſecretò ac publicò, cum familiaribus ac Legatis, voce ac literis, pacatus aut prorumpens, etiam fuſis indignatione lachrymis, Brixiam, Bergomumq; meminerat, repoſcebat. Modò ſuorũ Ducum ignauiam,

uiam, modò perfidiam ſubditorum; etiam fallaces amicitias, & Venetorum libidinem, poſtremò Pontificis auerſionem incuſabat. Quæ olim in bellum eruptura, certâ coniecturâ ferebantur. Incertos fidei & auidos rerum nouarum Longobardos eſſe, non diu latuit. Siquidem Bononienſes Pontificio Legato Vrbe exacto, contra Papam moliri res nouas; & non minus Florentinos, contrà Luccenſes armis inſurgere delatum eſt. Cæterùm hos turbari, & reliquis per Italiam pacem eſſe, impoſſibile erat; adeò amicitiæ, fœdera, elati animi, præualebant; in potentiores hos illosve, pronis decertantium voluntatibus. Occultas ſpes agitaſſe Vicecomitem, ſatis docuit Picininus, aduerſus Florentinos miſſus. Qui & Luccenſem agrum, vt amicorũ tutatus eſt; & verſis ad offenſam armis, plura Florentinorum Oppida vi cępit. Florentini pro Venetis olim fuerant, & pacto fœderis, hi quoq; reddere in tempore operam cogebantur. Sed iſti (quorum modeſtia an prudẽtia maior ſit, in dubio habetur) quamquàm fracto concordiæ ſacramento, in Vicecomitem tamen mitiora tractauêre. Miſſus Flauius Ciconia, qui Ducẽ primûm, mox Pontificem moneret, cõtra ius gentium, vim paci illatam, neq; eâ viâ ad Italiæ quietem properari. Nullis ſe à Luccenſibus iniurijs laceſſitos; ſed amicitiâ Florentinis obſtrictos; ideo eandem ſibi aut præliandi, aut quieſcendi neceſſitatem eſſe. Proinde conſulere, vt reuocato Picinino, quę ſemel ſancita forent, pro compoſitis haberentur. Vicecomes rationũ vim eludens, & deſiderio turbarum æſtuans, eadem actitabat; Martinoq; inter preces ac minas cõfuſo, eundẽ Ciconiã Senatus ad Florẽtinos deſtinat, cum mandatis; irritata arma acrius reſumerent; ſibi rem cum diuiſo hoſte futuram. Simul Carmaniolam belli Ducem admonent; vt natas apud Patres, perfidiæ aut negligentiæ ſuſpiciones, conſtantiâ ac virtute ſuperet. Gonzaga velut officij certior, aſſiſtere conſilio iubetur, nè quod per ignauiam aut prauum animum detrimentum Reſpublica acciperet. Plures eâdem auctoritate, bello imponi, prorſus inutile Senatus crediderat; nè quod prior iuſſiſſet, alter irritum vellet. Ergo conceſsâ Carmaniolæ poteſtate; id præcipuè apud militem peruicit, vt obtemperaret. Neq; enim pari opinione auctoritatis, aut exiſtimatione, apud minores erat. Aduentare quoq; Picininus, auro ac milite inſtructus ſciebatur: Multato ingenti pecuniâ Senatu Luccenſi; & coacto bellicas vexationes pretio redimere. Tanto armorum apparatui, id vnum officere videbatur; quòd Martinus Pontifex, preces, minaſq; cenſurarum interijceret, & pronos in decertationem retineret. Sed vbi ſublatus eſt; & Eugenius quartus Venetus ſuffectus; Principes nouæ potentiæ ignari, ſtatim ad arma conclamarunt: Quod incidit in Annum Milleſimum quadringenteſimum triceſimum primum. Picininus interea Florentinos ac Piſanos, multis Oppidis, & magna agri parte ſpoliauerat: Videbaturq; fatali omnium ignauiâ, Venetæ Reipublicæ ſocios perditum ire; niſi ipſa vt conſilio, ſic viribus ante alios; imminens exitium pepuliſſet. Miſſus obuiam Carmaniola terreſtri itinere, cum Viginti hominum millibus; & paratæ ante claſſi, Nicolai Taruiſino, decem millia impoſita. Eâ

Eugenius Quartus. 1431.

tamen lege; vt quamquàm Cremonam iturus, iuxta tamen aſſideret: & in propinquo agés, communionem ſubſidiumq́; præferret. Carmaniola quinque millibus paſſuum prope Cremonam Caſtra habuit; iuſſâ claſſe præcedere; & ſi metueret, auxilium appellare. Credidit Taruiſinus; & velut ad certam victoriam properauit. Philippus cui vires ſuę, perfidia Carmaniolæ perſpecta erant, Grimaldum ſuis præfecit: Cui vt aduerſam claſſem magno impetu inuaderet, imperauit; nec terreſtrium copiarum metu paueſceret; prouiſum enim ante, vt Taruiſino cæſo, Carmaniola victoriæ annueret. Grimaldus cogitationes ſui Principis doctus, in naues Venetas, haud longè Cremonâ inuectus eſt. Neq; Taruiſinus perfidiam Ducis metuerat; pugnatúq́; acerrimè; donec fortuna pro Vicecomite fuit; torpente Carmaniolâ; & laborantibus ſocijs afferre ſubſidium recuſante. Nec tamen Taruiſinus per literas, ac nuncios, queri, orare, obteſtari deſtitit. Sed Duci ſurdæ aures erant; prætendebatq́; facti aut futuri ignorantiam, quam Patres, non credidiſſent. Multa Venetûm millia cæſa, multi profluente abſtracti, claſſis ferè omnis ad victorem ceſſit: Irridente Carmaniolâ Senatus ſtultitiam; quòd fortunam belli, claſſi credidiſſent; aut naualis pugnę eandem vbique ſortem. Multi ſecreta cum Vicecomite pacta, & Gentis odium interpretabantur: Ne partæ ferè gloriæ decus, nouo homini concederet; ipſe longo labore ac curis exercitus, nullo inpoſterùm nomine eſſet. Ferunt Ioannem Franciſcum vbi delectum Carmaniolam, & ſummam adminiſtrationis permiſſam accepit; prudentiam Patrum carpſiſſe apud fidos, & ſilere iuſſos; quòd fidei deſertoris ac profugi credidiſſent: Et ne irâ (quòd poſterior habitus foret) prorupiſſe diceretur, cum ſuſpicionis cauſas tacuiſſet; multa in laudem viri, virtutisq́; publicè contuliſſe. Vbi manifeſta Venetis clades, & disiecta claſſis innotuit; dolore ac męſtitiâ primùm, mox ſuſpicionibus vniuerſi de vno Carmaniolâ conquerebantur: quem negligentiâ, inuidiâ, metu deliquiſſe deprehenderant. Etiam perfidiam obijciebant; Vt ferè non ſatis in inuiſos vindictæ, æmulantibus eſt; ſi manifeſta flagitia cōgerantur; niſi cætera quoq; affingantur; quæ licet abſuerint, occurrunt. Cur enim Senatus imperiũ, quo belli ſocietas, inter vtroſq; Duces iuſſa fuerat, effracta? Aut ſi Reipublicæ ſalus cordi fuit; cur fama amiſſæ claſſis, in ludibriũ verſa, & irriſi legati ac literæ ſubſidium orantes? Alij culpam quidem in Carmaniolam, originem verò in Senatum referebant; qui ſuperſtite Mantuano, indubitatæ fidei Principe; eoq́; Brixiam miſſo; vniuerſas ſociorum vires in exterum contulerant. Potuiſſe bellum ictu vno tranſigi; ſi vis omnis in Gōzagam abiuiſſet; quem fortitudine & conſtantiâ, ante alios nouerant. Cæterùm Ioannes Franciſcus, Brixiam intentius curabat; ne dum noua tētantur, vetera & pridem poſſeſſa dilaberentur. Picininus nauali victoriâ elatus, & Carmaniolæ proditione ſecurus, Marchionem Monferrati procul agentem, vniuerſis copijs inuaſit. Nec omninò paratum inuenit; ſed ægrius imminentibus conſulentem; ſpe Carmaniolæ, opinione Venetorum. Cauſa omnis, Reipublicæ ſocietas, & Gonzagæ amicitia; illam potentiâ, hunc in-

genio

genio metuebat. Leues Marchioni vires propulſando hoſti erant. Ergò Carmaniolam ſui periculi admonet; & quando iuſſa à Senatu protectio, & Longobardia omnis in pace agat, auxilium conclamat. Ille modò valetudinē, modò turbas, modò rarum ſub ſignis militem cauſatus, ſuccurrere renuit; & multa ditionis Oppida tranſire ad hoſtē contatione permiſit. Marchio peruicaciam ſuſpicatus, firmato vtcunq; dominio, Venetias profectus eſt; quòd inanes querelę, abſētiâ perderētur. Exceptus â Senatu perbenignè; cauſamq; aduētus frequentiſſimo ordini expoſuit: Torpere Carmaniolā; & velut è ſpeculâ, ſociorum miſerias faſtu irridere. Quamquàm non torporem, ſed perfidiam cenſeri; nullâ virtutis ſpecie oſtentatâ, renitentem ſe beneficio prębere. Paucos vexillarios ſufficere potuiſſe retinendo Picinino, ſi tergum ac latera ſecuritatem credentis, inuecti forent; dum validiora pararentur. Sed nec ſolatium aut ſpem literis oblatam, quaſi, perirent omnes, reſpondiſſet. Mox preces addit, cunctoſq; temporis ac neceſſitatis admonet. Prouiſum Patribus erat, ne quo inditio conſcios ſe fraudis oſtenderent. Nam mentitis epiſtolis benè ipſum de Senatu audire delatum eſt. Sed diutius nutrire perfidiam, inter medias curas, ex vſu non erat. Imo multorum dierum ſimulationem, perniciosſam Publicæ rei depræhendêre. Itaq; velut nouæ expeditioni, & recipiendo bene factorum præmio accerſeretur, Venetias conuocatur. Nec progredi formidauit, conſtantiâ proditionis, & fallendi ſecuritate. Nondum excitus à Senatu fuerat; & delectus exploratorum Mediolano profectus, ad Gonzagam in Brixiano tendentem, delatus eſt; docuitq; non longè, mille equites, totidem pedites deliteſcere; quos Philippus Vicecomes, in Aſolani & ſubiecti agri planitiem ire iuſſerit; prædam acturos. Sed alia quæri, vt Mantuanus periculo minori intentus, ciuitatem exercitumq; deſerat; aut inexperto alicui permittat. Tum immiſſo milite repentinam incurſionem cogitari. Arduum id Ioanni Franciſco viſum; neq; ille hactenus negligenter curauerat; poſſe tamen Carmaniolæ præſentiâ, arceri camporum excidium ratus, mittit fidum à cubiculo, qui aduentantem hoſtem, horamq; referat. Simul monet formoſo ſtratagemate gloriam quærat, præuento hoſte, & nondum inuecto. Carmaniola licet in præceptis à Senatu habuiſſet, vt Gonzagæ conſilio, ſuis cum copijs adeſſet; imperium tamen neglexit; & aſperè in nuncium inuectus, inclamauit; Gonzagam ac Marchionem Monferrati, inanes metus incutere; vt in quo ipſi deliquiſſent, cæteris imputaretur. Sub noctem miſſi à Vicecomite, Rotundeſcum, Cannetum, ac Villas Brixiani territorij, abactis primùm armentis inuaſêre; multis ignis immiſſus; quæ frugum aſportari non poterant, corrupta aut detrita ſunt. Vbi id Mantuano notum, generoſum animi impetū continere non potuit, quîn per literas quereretur, & obijceret, & minitaretur. Venetias tamen dati Imperij teſtis, & factorum nuncius tranſmiſſus; vt ſuſpicionem ignauiæ amoliretur. Senatus geminatis indicijs, perfidiam depræhendit. Has curas agitantem Venetum Carmaniola inuenit: Captusq; illicò & quæſtioni admotus, ſuas ipſe literas, ſuam proditionem

confeſſione detexit. Teſtatus pecuniâ ac promiſſis, recipiendæ Brixiæ, diu Vicecomitem fouiſſe. Id, etſi ignarum Gonzagam, vigilantiâ eluſiſſe. Ergo meritas ſceleri pęnas, cæterorum exemplo dedit. Verſa hinc vniuerſi Senatus ſpes in Ioannem Franciſcum; miſſæq; literæ quibus iubebatur, eũ exercitum recipere; cuius ſe olim partem agnouerit; & illi Senatui operam impendere, cui maiores ſui, germanam nobilitatem, fortitudinemque factis approbauiſſent. Reſpondit Mantuanus, præpoſitum magno conſilio vniuerſis Carmaniolam; neque ſe ſemel poſthabitum (quamuis infractæ fidei) conceſſæ adminiſtrationi parem fore. Duas Legiones quas ſibi tradidiſſent curaturum quidem; ſed nouo Duce opus, qui teneat Ciuitates, inſidijs & turbis obnoxias; longius prouideat, conatusq; hoſtiles prudentiâ retundat. Veneti modeſtiam quidem interpretabantur; ſed generoſam indignationẽ metuebant; ne Carmaniolâ ante habito, Gonzaga fœderibus nouis, etiam aduerſis auerteretur. Sed maior fides erat, quàm vt ſordidam & indecoram vindictam proſequeretur. Id vnum Veneti obtinuêre, vt cura ad tempus eſſet; dum Senatus, quem tanto muneri admoueret, reperiret. Creditus quoq; Ioannes Franciſcus, rerum ſuarum metu (neq; enim inoffenſo Mãtuano Cremonenſis aut Brixiani extrema carpebantur) delatum onus ſuſcepiſſe: Ne inexperto ac parum fido impoſito; nullo nomine, inter arma tolerare cogeretur. Itaq; ne curæ impar crederetur, vniuerſis copijs, Brixianũ inſedit, delectus militares habuit; & metu præteritæ proditionis Centurionatum egit. Quod vnum fido Principi opus; ne cum omnibus ex prudentiâ proſpiciat, alienâ culpâ accuſetur. Etiam auctoritas, potentia, adminiſtratio manca eſt; niſi executioni rerum admoti, conſilijs imperioq; reſpondeãt. Qui militaribus muneribus ſufficiebantur; merita & ſtipendia referebant. Nec enim alia quàm per virtutes ad honorem via erat: Neque nouus ac inexpertus, eò gratiæ efferebatur, vt veteri ac benè merito anteponeretur. Vbi ſolutum confuſumq; diſciplinæ morem correxiſſe; & Legionum infrequentiæ prouidiſſe credidit, fidens animi, in Bardolanum mouit, per agrum Cremonenſem; vt ſimul metum vaſtitatemq; afferret; ditiſq; campi opulentiâ, hauſtum laboribus militem reficeret. Tractum eum omnẽ Carmaniola deſeruerat; facilium negligens, difficilium pauefcens. Auſi ciues tueri propugnacula, & furtiuis excurſibus validiorem laceſſere. Quibus irritatus Gonzaga, captum Oppidum in prædam ſuis, mœnia excidio deſtinauit: Si reliqui vicinorum damno corrigerentur. Romanengum tamen Principis conatus eludere auſum, ad plures dies magno animo obſidionem tulit. Sed fortitudine oppugnantium victa peruicacia: Miſeratione tamen Mantuanorum, in perditos, & extrema quæq; meritos leuius actũ eſt. Alimenta exercitui imperata, cætera deuictis intacta manſêre. Sed comminationibus in futurum admoniti, ne quàuis ſpe proditionis raptarentur, ſed ſtabili officio, gratiam pietati redderent. Soncinates ſupererant, numero, opibus, propugnaculis, quamuis longiori dimicationi parati. Et ſummæ Arci Octingentos addiderant; miſſos à Philippo Mariâ, vt etiam nocturnas eruptiones auderent.

Carmaniola ſupplicium.

Io. Frãciſcus Dux exercitus Veneti.

derent. Hoc leuibus prælijs Carmaniola quondam tentauerat (niſi ſimulatio odij,fidei prætendebatur) auxerantq; vexatione virtutem,& improuiſos paratiores reddiderat. Quaſi ad retinendam perfidiã, proditionem inſultu ſimulato erudiret. Non recipiendi magis, quàm comparationis deſiderio Ioannes Franciſcus vrgebatur: Si breui imperaturus,plus longo prædeceſſoris tempore profeciſſet. Ergò cincti munimentis,& bellicis machinis nullâ intermiſſione quaſſati; non ante tamen deditionem meditati ſunt,quàm æquatis ſolo mçnibus, & diſiectis ædium ſummitatibus, etiam abſumpto cõmeatu, interna ciuitatis, & infirmitas propugnantium detecta ſunt. Recepti nihilominus ſummâ Ioannis Franciſci pietate. Qui perfidiam agitauerãt, tantùm in vincula coniecti, nec quid grauius paſſi ſunt: Tantus apud Principem pietati locus erat. Quidam fugâ aut latebris fefellêre; ciuibus in Vicecomitem Dominum veterem ac vicinum; quam Venetos longius ſitos & nouos pronioribus; nec minus incolis effugia militibus, ac pericula accomodantibus. Reductus demùm in Hyberna miles; iam enim hiems inſtabat; & continuis laboribus fatigatus, ſub dio haberi non poterat. Mox Venetias miſſo nuncio, quantum breui tempore profectum in hoſtes foret, perſcripſit. Et Ioannes Franciſcus, hactenus pollicitus, Senatus procuratoribus copias omnes permiſit. Ipſe in quietem compoſitus;& auerſus à cõſilijs belli; ne vlterius detineretur, cum ſuis Mantuam reuertit. Diuiſus miles per ditionis extrema, Patrum voluntatem, in futuram æſtatem ſuſtinebat. Cum Mantuanus procul à ſuis bellum ageret, Paula coniunx viriles curas,magno animo,& nullo extrinſecus auxilio tolerauit: Iuſtitiç annonçq; intenta; quibus Ciuium fœlicitas continetur. Ipſa Senatores domi audire, reorum cauſas exquirere, forenſia tractare; tantâ animi conſtantiâ, vt his innutrita crederetur. Reduci coniuge, non alios mores, aut inſtituta ſecta. *Paulę virtus.* ta eſt. Quippe Ioannes Franciſcus, pernicioſam miniſtrorum mutationem nouerat, quoties honeſto inſtitiſſent. Iamq; ver in limine,& armorum ſtrepitu Inſubria omnis agitabatur. Recuſante militiam Venetam Mantuano, Gregorius Cornelius Patritius Venetus rector copiarum deligitur. Sed magni animi Dux,experimento & fortunâ minor erat. Exercitum omnem pugnæ accinctum intra Alpium valles habuit. Neq; ipſe Ioannis Franciſci veſtigijs inſiſtens, præteritum decus æquare ſatagebat; ſed ſuas ipſe ſpes prçcipitans, cunctatione corrumpebatur; feſtinatione in præceps ibat. Quod vbi Picinino cognitum (nam neq; Duci auctoritas, neq; militi obedientia coaluerat) vt temeritate lapſum funderet, in pugnam elicere properauit. Non abnuit, vniuerſarum virium fortunam, vno congreſſu Cornelius experiri. Sed Picininus locorum gnarus,& belli artium callidus, depræhenſum inter anguſtias, magnâ dimicatione cęcidit. Periêre Venetorum quinque millia; plures in vicinia fugâ dilapſi ſunt. Dux Mediolanum captiuus abductus, dedit experimentum, æmulationem virtute ac prudentiâ temperandam. Nam vbi manifeſta aut nimia eſt, quòd præruptis innitatur, exitium maturat. Etiam rari terrâ Veneti ductores valuêre; ſiue mari ſueti, ſeu ex- *Veneti cęſi.*

ternam

ternam militiam aſpernati, ſiue minus dominationi expediat ſummos belli Duces intra viſcera habere; qui turbas auſi, ſapientiam conſilijs adaptent. Magno cum dolore Senatus caſus viri, & fortiſſimorum militum cædes accepta; Sed in Gonzagæ virtute ſpes vna ſupererat: quæ res amiſſas, & extremis proximas reſtitueret. Et quamquam ſparſi totâ Italiâ Duces, otio torpeſcerent; in eum tamen omnium oculi flectebantur; in quo vno fortitudo, vires, fidesq́; & Prouinciarum cognitio ſpectabatur. Datum enim Senatui ſacramentum, proſperę foris expeditiones, ſtipendium honore non quęſtu æſtimatum, in Carolum conſanguineum pro ęquitate ſeueritas, amici ac inimici pro Reipublicæ bono delecti, commendationem, & meliorum ſpem addiderant. Miſſi qui ſupremam exercituum adminiſtrationem deferrent, orarentq́; recipi. Abditam enim, & nullâ oſtentatione manifeſtam virtutẽ pro vitio contemni; dignitatem auctoritatemq́; etiam quæſitam honori eſſe; quantò magis oblatam? Eo pignore Venetum Senatum æternùm obſtringi; nè Gonzagorum commodis minus, quàm ſuæ rei proſpiciat. Amicitiam non prece, non mercede obuiam, ſed maximè cum vtilitate amplexandam. Poſtremò communem cauſam, communem hoſtem monere; ne gloriam aut famam nominis aſpernatus, virtutem ipſam negligere videatur. Permotus his; & quia dignitas in alium translata, minus agro Mantuano proſpexiſſet (quòd Ducis arbitrio, per fines ſuos exercitum trahentis, camporum decora in prædam deſtinarentur) oblatum munus recepit. Profeſſus ante, non alio ſe, quam ductu proprio bellum tractaturum: quãdo inexpertis ignarisq́; diſcriminum obtemperaſſe, victoriam tranſtulerit. Quòd ſi medio curſu agendorum interrumperetur, ceſſurum alteri; cui honeſtius ac tolerabilius ſit, & vinci, & pro arbitrio temerè imperantis impelli. Se cum ſeruitute nolle imperare; ſed libertatem etiam in armis alienis velle; quando qui cõtuliſſent, fidem crediderint. Senatui etiam in ijs, quæ ex Republicâ peterentur, libertas; & magni animi demonſtratio placuit; exiſtimanti parem in reliquis illi virtutem eſſe; cui nîl niſi ſplendidum ac magnificum peteretur. Et iam non vno monimento didicerat, ſummam auctoritatem malè in plures diſtrahi; vbi celeritate opus ſit; & conſilia impetu poſcantur. Plerumq́; in bellis deliberationem ſecordiam eſſe, opportunitatiq́; officere.

Io. Frãciſcus iterum Dux exercitus Veneti.

Accepto imperio Gonzaga ductis mille equitibus Mantuanis, & tribus peditum millibus, Venetorum Legionibus (quæ tres erant) per Brixianum ac Bergomenſem agrum ſparſis, nullo certo Duce, aut imperio habitis ſe iunxit; vocatis ad cenſum omnibus, vt belli leges, pugnarumq́; præſcriberet. Qui pro Republicâ Proueditorum nomine aderant, Annonam, non ardua belli curabant. Ipſe immerſus conſilijs agendorum, cætera vt faciliora & tutò in alios flexa, tranſmittebat; ne cum totus grauioribus intenderet, viliorum inſuper ſtudio oneraretur. Cæterùm non aliò transferri arma, quàm vbi Gregorius infęliciter pugnauerat, decorum credidit; vt fortunæ diuerſitas gloriam augeret; doceretq́; Senatum; non tantùm in difficilibus facto quàm conſulto opus. Duces niſi aliter experientia ſuaſiſſet, è nobilitate

d eli-

deligendos. Et nouerat aptam dimicationi planitiem, ſed modum ordinemq́; defuiſſe. Itaque valles acceptæ cladis memoriâ celebres, infeſto exercitu, & munitis à tergo anguſtijs inuaſit. Multa per vim, plura deditione ad famam nominis acceſsêre. Et dum milles in labore, & aperto haberi, tolerabili cœli conſtitutione potuit, bello & victoriæ pariter inſtitit. Vbi plus ſibi è tempore, quàm hoſtibus detrimenti vidit; firmatis quæ ante cęperat, vniuerſos Brixiam Bergomumq́; reduxit. Sed dum Patriam meditatur, Heluetij temeritate, penè quidquid gloriæ Venetis acceſſerat, amiſſum eſt. Is ſeu vino turgidus, ſiue efferra cogitatio (vt quocunque flagitio gloriam auſpicaretur) obrepſerat; tentorio ſe Principis ferro accinctū abdiderat; vt obſeruatore nemine quieſcentē Ioannē Frāciſcū obtruncaret. Neq; Secius ad Picininum miſerat, admonens; preſtò in armis eſſet; & Venetos Duce deſtitutos ſterneret. Se daturum ſignum patrati facinoris: Itaque depræhenſus, quâ temeritate ſcelus agitauerat, faſſus perfidiam eſt. Et cū de conſcijs interrogaretur, voce, vultu immotus, vim tormentorum ridebat; *Heluetius proditor Io. Frāciſci.* ſeq; auctorem ac conſultorem gloriabatur: Neq; communem alteri, famam virtutis voluiſſe. Non odio, aut fortitudinis inuidiâ acceuſum, quam etiam in hoſte diligeret, ſed vt Veneti Vicecomiti dederentur, vnius Heluetij fortitudine; quando tali Duce ſecuri degerent. Placuit efferum hominem dimittere, teſtem virtutis ac vigilantiæ; & ne Picininus ſæuitiam accuſaret. Mox ſuum militem in Patriam gloriâ ac prædâ exſatiatum retulit; iuſſum in armis agere, ne quid inopinatò ſuccederet. Philippus Vicecomes captas aut obſeſſas Alpes, Bergomum & Brixiam ad Venetos ceſſiſſe, Picinini torporem, aduerſam Ioannis Franciſci Gonzagæ fortitudinem, potētes Florentinos, cætera nullâ fide haberi recolens, medius dolori ac iræ; Sigiſmūdum Imperatorem literis, nuncijs, & muneribus in Italiam vocabat. Beneficiorum memoriâ, quæ maiores ſui à Cæſaribus accepiſſent inductum, noua petere auſum; quando nullum cenſeatur, quod nouo non firmetur; & negatio ſequentium, præteritorum pœnitentiam in dante arguat. Vicecomites Mediolano, & Ducis honore, Boëmiæ Regum fauore vti. Fateri acceptam gratiam, quæ prima ſit gratitudinis oſtentatio, Cupere ſe etiam maioribus obſtringi, & reddendo beneficio acrius ſtimulari. Non Mediolanenſis dominij eam faciem, eos fines eſſe, quos Carolus ſtatuiſſet; ſed inimicos Venetos, peruicacem Gonzagam, callidos Florentinos, imminuiſſe potentiā, detraxiſſe ciuitates, prædam abegiſſe. Quod reliquum ſuſpicionibus obnoxium, aduerſum ſibi, aut alienum reddidiſſe. Et niſi præueniantur conatus illiciti, vertendam in eos potentiam, quorum dominatio Reipublicæ nomine, ſit æterna; nec vnquam ad Imperium reuerſura. Familiæ cuiuscunq; libertatem, ſæculorum decurſu in donantem redire. Eos in Pontifice Romano mores, eam Longobardiæ perfidiam ſpectare; quæ nîl ſecurū, nîl ab vllo tutum polliceatur. Proinde in Italiam properaret, dum Germaniæ conquieſcunt; nulla interna æmulatio, nulli metus obſiſtunt. Sibi ac rebus ſuis auctoritate opus; nam militem ac pecuniam non defutura.

Non

Non alio compendio, quæ auulſa ſint in priſtinum ius reditura, & poſſeſſa directo Imperatoris ſui dominio acceſſura. Addit munera & Legatos; & quò peruinceret, promiſſa; ne fidiſſimo quidem, ac potentiſſimo Principi poſſibilia. Quippe Sexcenta aureorum millia, Triginta millia delectus Itali; hos inter Decē equitū; & promiſcuas amicitias, paratosq; ſeruituti prouinciales ſpoponderat. Sigiſmundus ſpecie inanium; nec dum compoſitis Boëmorū hæreticorum ſeditionibus, paucis procerum, raro milite comitatus, Sabaudiâ, Alpes tranſgreſſus, rectâ per Inſubriam Mediolanum tendit. Vbi Philippum præſtolari aduentum Domini crediderat. Sed Vicecomes, cuius conſilijs parum firmitatis inerat, expectationem luſit; pudore fallens, quòd maiora obtuliſſet, quàm vt exſolueret. Picininus tamen ac primates; tanto hoſpiti, temporiq; congruentia parauêre; & conſueto Cæſaribus more, ferreâ coronâ inſignitum, Parmam comitati ſunt; vt multorum ſpe, ſic Ducis expectatione fatigatum. Non deſiſtebat Vicecomes per literas ſpecioſa quæque oſtentare; & cauſas abſentiæ valetudini imputare. Sed Imperator depræhensâ vanitate eorum, quæ promiſiſſet, moram omnem abrupit. Parmæ tamen dies aliquot immoratus eſt, vt Principum oratores exciperet, ſeq; coli gratâ reuerentię demonſtratione permitteret. Pręter oratores ac Legatos, Principum pleriq; officium rati acceſſerant. Hos inter Ioannes Franciſcus, miniſterio, munere, pecuniâ aſſiduus aderat; vt ſatis notum Cæſari eſſet, multos per Italiam maiori nomine, neminem pietate ac potentiâ certiori. Nam cum ſatellitem Regium ageret, aurum vſui diurno conferret; alimenta è ſuo ferè corraderet; conſilio tamen adminiſter, veri amici locum implebat. Et videbatur non gratitudini ſolùm, ſed opinioni quoq; ac honori Imperij ſatis agere debere. Hìc cum pleraq; veteri Regis inſtituto ſciſcitaretur, Gonzagam nobilitatem ab radice ſectatus eſt; quaq; origine, quibus maioribus vſa foret, doceri voluit. Recens tum eorum memoria ſuberat; quæ nunc inter abdita temporumq; iniurias cenſentur, & labore eruuntur. Antiquiſſimam Mantuæ familiam eſſe accepit; Quingenteſimum ante annum, Ciuitatis Marchionatu auctam, Othonis conceſſione. Aggeratam connubijs, ac affinitate Cæſarum potentiam, Mathildæ placito in Romanos Epiſcopos deuolutam. Plures annos pro Cęſaribus dimicantem, minori fortunâ, eandem fidem inconcuſſam toleraſſe: Donec flagitia Bonacolſorum, Patriæ ſtudium, Imperatorum placita, reduxere ſplendorem. Quod vt accepit Sigiſmundus, nîl opinantem Ioannem Franciſcum, Marchionem Mantuæ dixit; eodem nomine, quidquid agri parere Ciuitati ſolitū elargitus; nec minus Olei fluminis vtramq; ripam; & Padi Amnis ius omne. Voluitq; in poſteros certisq; connubijs ſuſceptos primo loco liberos, inueſtituram proferri. Nec hic caritati finis; ſed quatuor nigras aquilas flammatis pennis addidit; decuſſatim, mediâ rubrâ cruce geſtādas. Amoris haud dubiè argumentum, vt non Carolus, non degener Venceslaus, potiores beneficijs crederentur. Conceſſum quoque Cæſareum diploma, aureo ſigillo appenſo, quod Imperatoribus moris. Et quia Romam in votis Sigiſmūdus habebat,

Sigiſmundus Imp. in Italiam.

Io. Frāciſcus Marchio.

habebat, dilata oſtentatio lætitiæ; quoad aureâ coronâ ornatus, certiori ti-
tulo reuerteret. Hęc publico: Per ſecretum, de modo firmandæ inter æmu-
los Principes pacis, de Philippi, Florentinorum, qui tum Luccēſibus congre- 1432.
diebantur, Venetorumq́; potentiâ; de Hæreſi Boëmicâ, actum; Et ante
alia Regium in diſcuſſionem vocatum. Quaſi donec apud Eſtenſes eſſet,
Pontificis non Imperatoris feudum crederetur. Mox in Vrbem contendit,
vbi cum ſolemnitatibus finis impoſitus, per Vmbriam ac Picenum delatus,
denuò Parmam tenuit. Et quia à Philippo niſi inania & ſpes irritæ offere-
bantur, pertæſus hominem, Mantuam vt ad fidiorem diuertit. Exceptus *Sigiſmundus*
eſt ſolitâ Gonzagæ domus liberalitate: Datumq́; Chriſtiani Orbis Princi- *Imp. Mātuę.*
pibus exemplum, quomodò Cæſares, vbi in ſua proceſſiſſent, exciperentur.
Biuijs Arcus miro opere extructi; Sericeis, aureisq́; aulęis tecti parietes; Sol,
cœlumq́; velo ſuper ſtrato excluſum. Perennes vini Fontes expoſiti, quibus
ſe præcipuè Germana pubes perlueret: floribus ſtrata humus, feneſtræ ciuiū
appoſitis luminaribus, mediâ quamquàm noctæ illuſtratæ. Dati miniſte-
rio Octuaginta nobiles iuuenes, qui aſſiſterent, flaueſcenti ac nigranti auro
induti, in ſpeciem, & referendo veteri familiæ colori. Cuſtodes Imperato-
ri Trecenti; non vt in pace, ſed velut ad bellū armati. Sigiſmundus ipſe cū
equo inſidens Ciuitati ſucceſſiſſet, curru tamen vltrò citroq́; vectus eſt; in
quo Ars ac magnificentia, auro, gemmisq́; contendebat. Et quamuis opi-
nione maior Cæſaribus pompa ſit, reperit tamen Gonzaga, in his quoque
luxum; & quæ ſplendore, ac effuſione, inaudita & inſolita Regibus Germa-
nis dicerentur. Interim per literas Veneti, Florentini, Eſtenſis, Vrbinas,
Genuenſes, Vicecomes acceperant, ſubſiſtere Mantuæ Sigiſmundum; & ce-
lebri feſtiuitate, antequàm Germaniam attingeret, Ioannem Franciſcum
Marchionis honore decoraturum. Miſſi ergò à plerisq; Legati, vt lætitiam,
& pronam in Mantuanum Principem voluntatem, officio teſtarentur. Spar-
ſi per Italiam, nobilitate opibusq́; inſignes viri accurrêre. Qui omnes Mar-
chionis liberalitate excepti ſunt. Viceſimam ſecundam Septembris, etiam
fortuna fauore inexpectato proſecuta eſt; ſereno cœlo, & ęſtiuo aëre inducto;
quaſi Numina arriderent. Medio foro quod D. Petri dicitur, Regium Tri-
bunal erectum, auro argentoq́; decorum, inducto deſuper tecto; quod in
vtrumq́; latus, ſericeo velamento excurreret. Dexterâ ac ſiniſtrâ, longa
Marchionis Auorum ſcries efficta, nobili opere, pictorum celeberrimis indu-
ctis. Siniſtram Valtherius cum coniuge Saxonâ, acceptam Othoni Impe-
ratori coronam oſtentabat. Mox Otbertus, & in Mathildam vſq; decurrēs
familia, prona Cæſaribus videbatur, Mathilda velut per vmbram efformata;
auerſata Imperatores, & in Pontificem flexa, gratis habitam potentiā, tran-
ſtuliſſe videbatur. Dexterâ Protherius, non fide ſed fortunâ poſterior; &
ſecuta nepotum ſeries, diſpendioſum obſequium, tanquam improperaret,
præferebat. Tribunal iuxta Aloyſius receptâ auctoritate celebris, quiq́ue
in Ioannem Franciſcum durauêre ſpectabantur; quaſi cum plurimùm me-
ruiſſent, vades nepoti accederent. Omnis ætatis, ſexus, ordinisq́; populus
aderat

aderat, inſolitam Ciuitati celebritatem ſpectaturus; & teſtis agendorum. Cum Germani claſſico præiuiſſent, proceſſit Cæſar Palatio. Viri principes ante ac pone diſpoſiti, lõgo ordine comitabantur. Cæſari Ioannes Thetaur Baro Germanus, puer intra Decimum octauum annum, candido indutus, puluinari purpureo, Sceptrum, Coronam, togam pictam, Annulumq; præferebat. Sequebatur detecto capite Gonzaga inter Germanos Italosq; Principes medius. Vt Theatrum Cæſar inſcendit, proceres hinc inde, velut coronâ diſpoſiti; nondum productum Ioannem Franciſcum, Imperatoris iuſſu appellauêre. Ille coram progreſſus, & genibus Cæſaris aduolutus, fidei ſacramentum Regi ſuo dixit, præeunte Archiepiſcopo Moguntino, & vt redderet, iubẽte. Tum Sigiſmundus in Ioannem Franciſcum conuerſus: Maxima, inquit, inter nos tranſiguntur Gonzaga; Ego dum te Principem facio, tu dum promereris; & tuâ & maiorum tuorum virtute. Nec ego plus tibi, aut tu Imperio, obſequio & gratiâ conferre poteramus. Maiora tribuere, ne ſpes futuri omnis hauriatur, nemo noſtrum poſcit. Aliter neq; ex te Imperium, neq; tu ab Imperatoribus potiora expectares. Plurimùm tibi gloriæ accedit, quòd Cæſarem profeſſorem accipis. Ego te Marchionem facio; & Sacri Romani Imperij Principibus aggrego; cui muneri, vt tuâ ac noſtrâ fortunâ reſpondeas, cupimus. Indiuiſum ſubditis ac Cæſaribus obſequiũ eſt; neq; fide adeſſe, niſi receptâ gratiâ permittitur. Sic mutua officia, veterem amicitiam firmant, futuram promouent. Nos ſpem integrã Gonzagæ domus hauſimus; tu proficere continuatione ſeruitij potes. Vide quem tibi munerum, honorumve finẽ ſtatuas. Nec enim promereri tantùm, non item exſolui permittitur. Mox Pileum, Veſtem, Sceptrum, Annulumq; dignitatis inſignia largitur; & amplexu ſubleuatum, humiliori ac diſtanti ſede, ſtatui iuſſit, velut accepti dominij ſigno. Vbi exſurrexit Ioannes Franciſcus, ſic excepit: Nec te Cæſar optime, nobilitatis, virtutis, gratiæ hactenus; nec me obſequij, fidei, laborum pœnituit. Tu Regibus ortum, plures annos ſeruitute probatum, decore inſtruis; ego pietate ac gratitudine reſpõdebo; curaboq; ne peioribus artibus collatum beneficium retineam, quàm quibus accipio. Eò præcipuè contentus, quòd maiori beneficio, plus meritorum credatur. Potentiam, vires, fortunas, ſi quæ mihi ſunt, prædeceſſorum Imperatorum beneficio habeo; parem gratiam relaturus, ſi poſſe promereri contigerit. Et quod hodie concedis, tanquàm fidei pignus accipio. Tum Cæſar Beccacutus, eleganti oratione, magnitudinem Germanorum Regum, Gonzagorum nobilitatem, & in Imperatores fidem, Patriæ obſequium proſecutus, Marchionis populiq; nomine mixtas grates reddidit; & vulgi lætitiam teſtatus eſt. Excepêre Buccinarum, ac tormentorũ bellicorũ ſonus; & reddita vulgi acclamationibus lætitia, fauſta omnia Cæſari, Marchioniq; atteſtantia. Cæteri Principes ſeorſum gratati, medium Sigiſmundum ac recentem Marchionem intra Palatium comitati. Vbi vniuerſos epulis, decurſibus equorum, ludicris belli imitamentis, Scenicis ac Theatralibus oblectamentis decimum diem attinuit Gonzaga. Iacta quoq; in populum, aurea,

Io. Franciſcũ coronat.

aurea, argenteaq; ſtipes, quaſi congiarium funderetur;quæ cauſam lætitiæ, datorem acceptoremq;, in totam æternitatem præſeferret. In facie Cæſar victoriâ coronatus, laureamq; manu geſtans, pluribusq; adorantibus maieſtatem, velut poſcentibus offerebat. Literæ per ambitum tales erant: Reges in ipſos Imperium eſt Iouis: Verſo nummo Mantua viſebatur, Ioannis Franciſci veſtigijs inſculpta;& in Orbem legebatur: Ioannis Franciſci Marchionis fidei Mantua deditur. Rei exitus, publicâ Ciuitatis Plateâ in marmore viſebatur. Et nos Gonzagæ domus progreſſus, incomptè poſteritati traditos, præ manibus habuimus: vndè libero exitu vniuerſa tranſtulimus. Sed vt labores hos inſpecturis, quibus Imperatorum priuilegijs Sereniſſima familia decorata ſit, nullo labore innoteſcat, Cæſareæ literæ euoluendæ ſunt, datæ Viceſimo ſecundo Septembris; Milleſimi quadringenteſimi trigeſimi tertij. His enim Marchionum titulo,non primo loco nati ſolùm;ſed vniuerſi ab his proceſſuri, ornantur. Ad nobiliſſimarum Germaniæ familiarum inſtitutum; quo, cum priores iuriſdictionem, cæteri titulum, nobilitatemque circumferunt. Parum ſe tamen Imperator, cum nobili hoſpite egiſſe ratus, antequàm Mantuâ diſcederet, vocatos ad ſe Ludouicum, Carolum, & Alexandrum,Ioannis Franciſci filios,ſingulos equeſtri honore inſigniuit; neque pars domus ſine munere ſpectaretur. Ioannes Lucidus ordine quartus, pridem Eccleſiaſtico inſtituto aſueuerat; ideoq; omiſſus eſt. Porrò contractam cum Marchione Mantuano amicitiam firmari valido pignore, vtriuſq; commodo intererat; vt neceſſitudine illigati, conſecutione traherentur. Sic Gõzagæ placito, Barbara Marchionis Electoris Brandeburgenſis filia, Ludouico primogenito deſponſata eſt. Eoq; nomine hactenus amicus,inpoſterum conſanguineus ac nepos habitus eſt; augmento æſtimationis, & valido inditio caritatis. Plures nobilium, eodem curſu lætitię equeſtri ordini adſcitos accipio; vt gaudium cõmunione geminaretur. Eo numero,Iulium Cremũ, Andream Sauiolam, Flauium Viſdominum, Ioannem Capilupum,Carolum Gornum, Aloyſium Caprianum, Alexium Caſtelbarcum,Camillum Beccacutum, Popilium Aliprandum reperio; vt pubes nobilis, principi iuuentutis equiti, futuroq; domino deſeruiret. Ita pręſentia Cæſar diſpoſuerat: Plurimùm tamen molis ſupererat, illigandis concordiâ Italis Principibus; qui plures annos, diſcordiæ tantùm inſtiterant. Nec res Germanici ac Boëmici Regni prorſus conquieuerant. Vtroſq; populos negligi pernicioſum, differri periculoſum erat. Et tamen Eugenius Pontifex Italis ſufficere credebatur. Ad extremùm, obſequij, amoris, officijq; à Ioanne Franciſco præſtiti gratiſſimus, in Germaniam profectus eſt. Præſentia Domini pondus ſeditionibus addidit; vt tumultuantes ideo licentius poſcerent, quæ vicinus Imperator promptius eſſet collaturus;& qui priuatas ſimultates, Reipublicæ malo velare ſtuduerant, quaſi pro Cæſare eſſent,vires accreuerant. Interim dum ſecedentes pollicitationibus, minis, auctoritate retinet; lapſos in ritus profanos Boëmiæ populos corrigit, Mãtuani nihilominus memor, Marchionis Nurum, Ludouico ſponſo deduci iuſſit: Vtriusq; ætatem coniugio ma-

Io. Franciſci filij equites à Sigiſmundo creati.

Barbara Brãdeburga deſpondetur Ludouico.

Sigiſmundus in Germaniã

turam profeſſus, & deſiderium cõſanguinitatis accelerato fine. Recens ſingulorum in Patriâ lætitia, nouis exactionibus, quas Princeps, publicanorũ ſtudio ſanciuerat imminuta. Quippe geminata capitatio; & pro fortunis certa argenti portio requiſita. Prætendebantur annuos reditus ſupergreſſæ expenſæ, effuſum ærariũ, & noui belli formido; quòd apud Imperatorem plus dignitatis, minus obedientiæ eſſet. Tulêre tamen Mantuani, pietate Marchionis, ſtudio ſui; & viſâ tributi neceſſitate. Veneti interim per ſummam pacem bello prouidere ſoliti; & Vicecomitis quieti fidere flagitium rati; ſimul ne Dux optimus ſuorum militiâ ſolutus, veteres curas negligeret, aut ad alium formidine tranſiret; Ioannem Franciſcum miſſo à Secretis viro docuêre, nîl è mole belli negligeret; non perfidiæ, non ſimulatæ paci crederet; ſed iuuentutem in armis, aut per ea quæ ſegne Caſtrorum otium excutiunt, retineret. Data etiam licentia deligendi è ſuis, quem virtute ac fide parem credidiſſet, & cui copiarum partem delegaret. Ioannes Franciſcus, decem & octo millibus (tot enim ſub ſignis habebantur) Ludouicum natu maximum præponere; & bello caſibusq; obiectare metuebat: Cui Ciuium ſuorum adminiſtratio paulò ante permiſſa fuerat; & deſtinata coniunx. Aptior Carolus ſecundo loco natus viſus eſt; cuius diſcrimine leuiorem iacturam, & in pericula proniorem cenſebat. Itaq; per ſecretum, ne prælato minori, Ludouicus læderetur; aut conſilia parentis inuerteret, comitatu ac neceſſarijs *Cauſa odij inter Ludouicũ & Carolum fratrem.* inſtructum, Brixiam ad exercitum miſit, cum mandatis, quibus Tribuni ac Centuriones quiq; eodem miniſterio annonam curabant, obtemperarent. Et validæ quidem Carolo vires, corpusq; laborum ac inædiæ tolerans, forti artuum compage ſuberat; ſed Ludouico fluxi lacerti, & belli incommodis parum apti; animus tamen nullo periculo, aut formidini cędens obtigerat. Profecto Carolo, fratrem ac delectum criminari Ludouicus; & Parentem vt improuidum, ac qui malè inter fratres caritatem diſcreuiſſet, cepit. Sibi datam coniugem; vt ea fortibus auſis impedimento eſſet; & inermes ciues, Carolo minori exercitum delegatum; ne cauſa in incerto foret, quem & quo animo, viribus extuliſſet. Nîl ſe tamen in Patrem admiſiſſe; quod excuſandum haberet; niſi nimiam patientiam (quâ nouas iniurias prouocauerit) flagitio & ignauiæ datam putet. Qui ſeruitio aderant, aut in Dominum caritate, vt prodeſſent, etiam quidam in Carolum amore, vt Ludouicum peruerterent, ad Marchionem queſtus iuuenis detulêre. Ipſe nullo iniuriæ animo, aut erga filios differentiæ ſtudio; ſed alterius commodis, alterius robore motus, quando fraterna indignatio, promptè in præcipitia feratur, vocari Ludouicum iuſſit; & pluribus velut teſtibus admiſſis, ita iuuenem tranſuerſa intuentem effatus eſt. Te primo loco natum Ludouice, nullo futurorum intuitu, ſic poſcente naturâ dilexi, vt in ſpem primam adſciſſerem. Fratres tibi, mihi filij additi, ita cari fuêre, vt prior tibi locus, prima in rebus meis poſſeſſio eſſet. Nec enim (quod ante alia nobiles mortales auent) iuriſdictionem imminutam, aut magnâ agri parte detractâ accepiſti: Sed quidquid bonorũ ex virtute, aut fortunâ à maioribus in te defluxit, tibi cędere placuit.

Et

Digitized by Google

Et tamen quando Parens negligentiâ deliquiſſet, natu maiori filio recipiendi fouendiq; fratres erant; & filiorum loco habendi; ſi non contumaciâ, non demerito offendiſſent. Quantò prudentius, illorum commodis vtilitati tuę conſulitur; ſi aſuetudine externi ſeruitij; ſtipendio alieno nutriantur, fratri gloriam adaugeant; non præſentiâ, non expensâ, non auctoritate, quæ fraternam imminuat, graues? Quæ ferè fratribus æmulatione ingrata depræhenduntur. Tibi cōferri omnia, quæ Cæſarum beneficio poſſidemus, & voluimus; & ne quo oneres premereris, prouideri, tuis quoque fratribus; quorum deſiderio leuiſſima ſunt ſatis. Qui natu maiores prudentiam habēt, fratres licet obſequentes domo pellunt, per ſpeciem honoris. Quippe dominationis partem iactare, quamuis modeſtè agant, recordatione natalium, videntur. Ab ijs nonnunquam aut ſuſcitatæ, aut fotæ contentiones ſunt; & inter ſubditos diſcordię; quibus potior frater, ſine minorū iniuriâ ęgrè prouideat. Viuacem Carolum (quando conſilij rationem, indebitam mihi, reddere queſtu iubes) modeſtiæ, patientiæ tuæ ſubtraxi: ne diuerſitate ingenij, poſſeſſio tua, quies Parentis, incolumitas Patriæ interrumperentur: Alios quoq; amoturus, ſi metus aut ſuſpicio, tibi officerent. Cui vnquam dominantiū ſocietas placuit? aut cui adminiſtrationis ſtudioſo, pericula ęmulationis nutrita? Longius fratres amandati cariores ſunt; quia non odij metus, nō contentionum occaſio ſubeſt. Et tamen Ludouice, quod tibi ſors tulerit, per ſecuritatem à me firmari, dolore & indignatione perſtrepis. Haſne Parenti vices, naturæ ac gratitudinis debito reddis? Reſipiſce, & nobiliſſimo matrimonio illigatus, liberis ſtude; pulcherrimā Patriam, auitas opes, quiete ac præſentiâ tuere. Et cum meas vices expleas, caue deſideres in armis degere; idq; à minori tractari, quòd ſolùm potentiam habet. Sine poſteriores inter exteros diſcrimen fortunamq; experiri; & per pericula quaſſatam animam trahere; erga Parentem beneficij, non reputatæ iniuriæ æſtimator. Ludouicus ſilentio dolorem faſſus, cautius de Patre queſtus eſt; ſed eo ſuperſtite, nullum ſibi ius armorum eſſe, nec proinde potentiam ſolidam, recolebat. Efferri interim Carolum, Patriæ ac vicinorum opinione; quâ defuncto parente, ſedentariam potētiam peruertere meditetur. Firmari ſpes eius fidiſſimo milite, quem ipſe imperio aſueuerit, & delegerit; ſimul per licita & illicita ſibi obſtrinxerit. Non minus promptum deſiderio exitum futurū; ſi Patriam armis inuadere cogitaſſet: Orandum ſolūmodò, vt ijs quæ accepiſſet, contentus degeret, alienis abſtineret. Attamen ne Ciuibus inuiſus, aut genitorem nouo dolore ſauciaret, parcè in poſterùm de Caroli potentiâ, inter fidei ambiguos egit. Credidit Ioannes Franciſcus auulſam inuidiam; & velut ſopitâ fraternâ diffidentiâ, in cæteras curas intendit. Non enim eò indignationis proceſſiſſe Ludouicum crediderat, vt ſeſe, ac ſpes ſuas in pręceps daret, aut cariſſimam cōiugem voluntario exilio deſereret. Veneti pronioribus animis admotum à Patre exercitibus Carolum accepêre. Nullo fratrum ex virtute delectu; ſed quòd coniugio obſtrictus, & Patriæ curis impoſitus natu maior, minus aſſiduus copiarū neceſſitatibus occurriſſet: Et quòd

Pater arctior parſimoniâ crederetur. Et quia iteratis amicitiæ demonſtrationibus Veneti primates ceptam familiaritatem proſequebantur; placuit Venetias mittere Filium, vt officium redderet; & caritatis certiori inditio fidem approbaret. Oblatam arripuit, niſi expectatam occaſionem amplexatus eſt Ludouicus, certus defectionis; & nullis Parentis blanditijs emollitus, vt ſuſpiciones odiumq; deponeret. Itaq;, congeſtâ pecuniâ ac gemmis, Veronam, velut ad exercitus Veneti Procuratores profectus, deflexit. Et vitato fratre, per Brixianos traijciens, Mediolanum ad Vicecomitem rectâ côtendit; quem Ioanni Frâciſco patri, veteri odio infenſum nouerat. Id vnum Vicecomiti eueniſſe ſubleuandę fortunæ ſuę opportunè videbatur; quaſi amoto inter domeſticas ſimultates Parente, facilè Ludouicus quoq; opprimi, & ipſe Ciuitatem (cui tot annos maiores ſui inhiauerant) occupare poſſet. Oſtentatione tamen amicitiæ, aliquot menſes vſus eſt; dum oppreſſo Marchione, filius quoq; ætate & imprudentiâ laberetur. Proinde acceptus iuuenis magnâ in ſpeciem pietate. Et vt fraudi locus eſſet, querelę exceptę, & cauſę honeſtas voto approbata. Dandi tamen animi videbantur; ne quæ denegata, & inexperta concupiuerat, coram formidaret: Vt ferè iuuentus deſiderij nimia eſt, executionis pauida. Miſſus ergò ad Picininum, vt ſub forti Duce, prudentiam militiamq; capeſceret. Nam Vicecomitis exercitibus imperabat; acrior diſciplinâ; Quò magis ad gloriam trahebat, ſi Ioannem Franciſcum pepuliſſet, vt validiorem. Erat in Ludouico magna vis animi, & immodica laudis honoriſq; cupiditas: Habueruntq; ſemina virtutum in iuuene, ſpatium erumpendi, exemplorum præceptorumq; experimenta. Neq; Ludouicus nobilitatẽ, opes ve, excuſationi laboris adhibuit; ſed iiſdem fomitibus ad virtutem, quibus ſæculum ad ignauiam accendebatur. Certi interim nuncij Marchioni Patri detulerant, tranſiſſe Ludouicum ad Principem externæ fidei, moliri res nouas; iamq; Patriæ exitio grauem, cum Vicecomitis auxilio fore. Vt dubium non eſſet, bellum anceps Parenti, ac miſerrimis ciuibus à ſuo domino imminere. Cauſa in manifeſto: Hinc maior indignatio; & vanitatis, impietatiſq; eadem conſenſu deteſtatio. Barbara Ludouici vxor, ſexu, ſuperbiâ, odio Caroli, Soceri æmulatione, fęminiles alienationes exercens, maritum ſpontè accenſum ſtimulabat, ne Patri concederet, aut pacto impunitatis (niſi vices Caroli, exercituſq; permitterentur) flecteretur. Ioannes Franciſcus (quæ prima prudentię ratio) ſecuritati conſuluit, ſiue nô tantâ impietate filius eſſet, ſiue crederet. Omiſsâ ad tempus vindictâ, miſſiſq; literis Procuratores Venetos, ac Carolum filium, fraternæ dementiæ admonuit: Proficeret; & Parentis electioni virtute ſe dignum oſtenderet. Paucos poſt dies maioribus cum copijs, & vindictæ & pręlio paratum acceſſurum. Nec minus deſtinatis, per citatos equos ad Sigiſmundum Imperatorem nuncijs; miſit, qui peruicaciam filij, animum Imperio alienum oſtenderet: Neq; poſſe tumidos ſpiritus ſedari, niſi ſancitæ pridem ab eo inter ſuos liberos Primogenituræ derogaretur; daret ſimul poteſtatem, deligendi è filijs in ſucceſſionem, quem ſibi & Germano Regi obtemperantem, communiq; bono profuturum

Ludouicus fugit ad Vicecomitem.

futurum crediđiſſet. Haud cunctatus Imperator; & Ludouicum vt contumacē Cæſareo decreto hæreditate paternâ depulit; addiditq́; cauſam, effrænem animum, conſilia hoſtibus communicata, paternam irreuerentiam. Pariter Ioanni Franciſco imperauit, vt è cæteris filijs (quos fidos opinaretur) delectum haberet; ſubſtitueretq́; in Marchionatu ſucceſſorem, non flagitio in Parentem, non perfidiâ in Imperium famoſum. Idq́; Tertiâ Nouembris Milleſimi quadringenteſimi trigeſimi ſexti. Et quò manifeſtior vniuerſis cauſa eſſet, cuncti Italiæ Principes Regio edicto admoniti; cuius hæc forma erat. Ludouicum Ioannis Franciſci Mantuæ Marchionis filium, excuſsâ in Parentem reuerentiâ, à fide & obſequio Imperij deſciuiſſe, arma in Patriam agitare, ſocium ſe perduellibus Imperij præſtare; & fictis cauſis palam contumaciam circumferre. Cumq́; eo nomine Patris ac Imperatoris odiū mereatur, præpoſitum ſibi in ſucceſſione Carolum, ſecundo loco natū, ſcirent. Id ipſum ſi non natali, modeſtiâ ac obtemperantiâ promeruiſſe. Inſuper Maieſtatis pœna addita, cui ij quoq; obnoxij ſcirentur, qui pecuniâ, cōſilio, armis iuuiſſent, aut profugum recepiſſent. Quippe pro proſcripto ac hoſte habendum, His haud quaquàm Ludouicus à propoſito dimotus eſt; ſed acrius bello neceſſaria comparare, parentem luxus, differētiæ, ac ſæuitiæ accuſare, fratris intemperantiam inſectari: Deniq́; nîl inauſum intentatumq́; relinquere; quò voce, literis, queſtibus, inuidiam in ſuos, odium in fratrem conciret. Et quidam credidêre; modeſtiâ iuuenis, & in parētem obſequio plures annos cognitâ, eluſi. Vſus apud Cæſarem Claudio Donneſmonto Pater fuerat; proſcriptioni, & nouæ deſignationi hæredis comparandæ. Hunc virum nobilē, alia probatum, praua conſilia perdidêre; vt medius Patri ac nato digladiantibus, non concordiam ſed arma, vindictamq́; afferret. Crediderat paternâ pietate, imperio Domini, odio Vicecomitis, excuſari. Haud diuturnas ſimiles indignationes; ſed ferè concordiam ſubſequi, vindictamq́; omnem in adminiſtros diſſentionum impendi, ignarus. Equidem curæ rerum admotus Ludouicus; cum à Patre rogaretur; ne innocentiam Donneſmonti perſequeretur; ſed miniſterio condonaret; & reſponderat potuiſſe cum eo mitius, & ponderatius agi; plus illi malorum è nimiâ famuli diligētiâ impendiſſe, niſi Parens in mitiora flexiſſet, quàm domeſtico odio; & paucos poſt dies intra proprios lares, incertum futuri, nec preces formidine offerentem, confodi iuſſit; cum ſpecie valetudinis falleret, & ſecreto ſaluti conſuleret. Marchio vecordiâ, & immanibus filij inſtitutis, adeò odio incaluit, vt cum dignationem opeſque ademiſſet, etiam nomen ipſum Ludouici excindere concupiſceret: Imperans ne quis Ludouici nomen aſſumeret; ſed qui eodem vocabulo eſſent, Aloyſij in poſterum dicerentur. Idq́; tantâ curâ; vt cum imprudentiâ aulicorum familiariſſimus, ſolitum Ludouici nomē retuliſſet, ſtatim exilio multatus fuerit. Nurum quoq; caſum mariti miſerantem, Caroli coniugi cædere, paterno imperio coëgit: Non colloquio, non aſpectu dignatus eſt. Hinc dum iniuriæ acerbitatibus pēſantur, āucta odia, hoſtilem in modum increuêre. Siquidem fœminæ mutuò infenſæ, quibus ſe

Ludouicus à patre exhæredatur.

1436.

læſas crediridiſſent, ad coniuges deferebant. Et Rengarda de Corte Caroli vxor, paulùm elatior, mariti fauore, ſoceri gratiâ attollebatur; niſi viliòribus maior eſt æmulãdi neceſſitas. Contra Barbara lenior; ſed auitæ nobilitatis, & conſanguinei Cæſaris caritate, æmulam vt imparem contemnebat. Nec minus augere ſeruitia, collectam vndiq; pecuniam, corraſas gemmas ſeruare, in Germaniam vt auxilio accurrerent mittere; ad extremum Dominam ſe profiteri, etiam Socero, impotentiâ fœminili minitari. Nec ſecretò ſolum; ſed publico eadem proferebat. Cum enim celebri feſto, Rengardæ miniſteria, apud D. Petri fanum, ſubſellium Dominæ puluillo aulęiſq; ſtrauiſſent, potiori loco; prior Barbara templo aduecta, apparatum omnem diſiecit; & ſibi eo loco ſedem figi, obſtupētibus qui aderant, imperauit. Domum regreſſa, cum à Socero poſceretur, iactato vertice reſpondit, nîl habere quod conferat; nec inter colloquia recepturum; niſi potiorem approbauiſſet. Brandeburgenſis Marchio Pater, cum acerrima agitaret, & filiæ odia, iniurias, querelas exequi per vim maturaret, vix Imperatoris auctoritate retentus eſt; vt ſibi diſcordias, indignationeſq; permitteret. Venetus Senatus, in quo minor interdum fortuna (quòd potior prudentia ſit, ne beneficium remittatur) ſuſpicionibus turbatus ad certam diem conuenit. Inerant diuerſis ſtudijs Gonzagæ familiares, vel infenſi; Et agendis rebus in partē deſtinatus Gattamelata, gloriam Ducis nomenq; imperatoris ad ſe trahens, nullâ honeſti æſtimatione, dum voti potiretur. Hic ſententiam oratus, meditato ſermone, ſic fertur retuliſſe. Viceſimum ſtipendium P.C. parendi aut imperitãdi numero, Piceni, Hætruriæ, Flaminiæ, ac Longobardiæ diſciplinâ exercitus, quę non niſi magnis animis, & per diſcrimina cõparatur. Eo decurſu annorũ, vt ludificari hoſtes, & fallere; ſic & amicos decipere aſtu docemur. Nec enim omnibus idem bellandi modus; & multos propria vtilitas, ſuę neceſſitudines, amicorum preces inducunt: Rariores honeſtas cauſæ, gloriæ famæq; deſiderium; quibus tamen anxiè ſtudere, ſtrenui Ducis proprium eſt. Quantis laboribus, quâ conſtantiâ vſus ſim; quid mihi per hæc quæſitum; vos quibus imponere arduum eſt, relatu exemploque probaſtis. Pro quibus militaui, hi periculis magis lætatum me, quàm fortunâ nôrunt. Cæterùm nulla proſperitas, opinionem amicis intruſit ijs me artibus, latiores agrorum fines, noua Oppida, plus ſeruitiorum procuraſſe. Vt qui præter virtutem ac fidē parum habeam, quod vindictam accerſat. Videritis Patres optimi, quâ virtute Duces veſtri conceſſum munus exequantur; ſi metus, aut nimia cupiditatum oſtentatio ex ijs eſt. Equidem Marchionis Mantuæ filium Carolum, iuuenem ac inexpertum, tot millibus imponi, parentem otio torpere, dum pugnant exercitus, filiorum alterum pro Vicecomite aut ſpontè elapſum, aut dimiſſum bellare; Cęſarem proſperitati Senatus veſtri ſemper aduerſum pręferri; ab eo munere ac gratiâ pendere; ſic deſeruire, vt niſi arbitrio moueri poſſit; intuta crediderim. Neq; tamen perfidiam Principi obiecerim; ſed tot ſuſpicionibus cõmunes res illigari, poſſeque ſimultatibus inſiſti, quas nemo præuiderit, gnarus euentuum exiſtimo. Facilius inſtantia mala conſilio; quàm

Gattamelata perſuadit Senatũ Marchioni diffidere.

quàm vbi euenerint,armis corriguntur. Nouus ergò Dux,qui culpâ,qui ſuſpicione careat, deligatur; ſi quæ magnæ potentiæ huius cura inſidet. Mihi plus voto acceſſerit, ſi illi quem eâ prudentiâ impoſueritis,obtemperauero. Paulus Cornelius cui plus ſcientiæ, minus opum,& eloquẽtiæ erat,adiunxit. Plures annos communione ſuorum ciuium vſum; & ſtabilem Gonzagorum operam, ſolidamq; fidem audiuiſſe. Quoſdam diffidentiam pro iniuriâ, ſuſpicionem pro crimine reputaſſe. Id anxiè procurandum; nè Ioannis Franciſci inconcuſſa fides, in dubium vocata, generoſos ſpiritus irritet, ad neglectum,aut vindictam. Carmaniolam proditionis culpâ perijſſe;& niſi deprehenſus detentusq; foret, quæſtionem ſatis fuiſſe proijciẽdo obſequio, ſi quod erat. Multò maiorem & potentiorem Gonzagam; vt qui etiam per arma calumniam, conuiciumq; repellere audeat; viribus non amicorum ſolùm,ſed & ſuis. Relinquere ſe interim diſceptatorem Senatum; & quæ mouiſſet, eò flecti cupere; ne quod Reſpublica damnũ ferat, aut magni viri exiſtimatio detrimentum. Sed quia de dominatione ſuſpicio;& imputati criminis iactura, vbi vera & conſummata eſt, ſine remedio creditur; tutius vniuerſis diffidere viſum. Tanquàm ſecurius foret inimicum habuiſſe,quàm oppreſſiſſe. Satis tamen diſcrimini conſultum putauêre, ſi Procuratores duo ad exercitus mitterentur, Dux tanquàm iuſſus imperaret. Nondum Veronam aduenerant, & Marchio per amicos certior redditur, Venetos ſuſpicioni proniores; nouoque Magiſtratu,perfidiam credidiſſe, quæ obſeruatoris eguiſſet. Præuenire ſuſpectantes prudentiam quidem credidit; ſed proferendam in tempore indignationem; nè intempeſtiuè captaſſe conſilium, nulloq; vſui diceretur. Picininus pro Vicecomite, magno armatorum numero, non procul Abduâ cõſederat, traijcere parans, & bellum hoſtili agro inferre. Vnde Marchioni per honeſtum neceſſitas; ne ſi curam omiſiſſet,timore aut perfidiâ notaretur. Quippe faſtu quodam vniuerſa conſiliorum accipiebat, prauis ex fide, honeſtis altiori causâ auerſus. Gattamelata Veronæ erat; vbi(quamquàm æmulus) opperiri virum inſignem voluit; ſimulatione concordiæ. Actum de ſummâ rerũ; Gattamelata inuadendos hoſtes (quod non opinarentur)Gonzaga non eas vires eſſe; & Florentinos,magnam ſubſidij partem, requirebat. Etiam pauidos ſuos audiuerat, ideoq; niſi auxilijs firmatos, valido hoſti non obijciendos. Inſiſtẽdum ceptis; & quæ accepiſſent, additis præſidiarijs munienda. Acceſſuram interim, nouis copijs certiorem ſpem, eruptura hoſtiũ conſilia; & prudentiæ famam, quâ maximè bella profligantur. In diuerſa tendẽtes (nam Gattamelata Gubernatoris nomine, Senatus iuſſu vtebatur) Venetorum literæ diremêre; Vt tranſiretur Abdua imperantes; non virtute hoſtium, non fortunæ caſibus exceptis. Et deductus eò exercitus vt imperio preſto eſſet, cis Abduam aduesperaſcente die ſubſtitit. Luna clariore cœlo, ſtatim atra nube occluſa,lumen incertum præbebat. Nihilominus Gattamelata, quò conſtantiam, & Senatus placita ſtudioſè ſectari videretur, audaciſſimos tranare Amnem, oſtentatis etiam præmijs impulit. Dalmata Legio impigrè ſucceſſit; & denſo globo ſuſtentato profluenti, incolumis vlteriorem ripam

Ille credit.

ripam

ripam quaſi hoſtium victrix tenuit. Minor Italis nandi peritia erat; eoque Pontes ac nauigia conclamari cepta. Sed cum ſummo infernoq; naues inquiruntur; de loco vadoq; conſultatur, tempeſtate ac nimbo atroci imbrium vis effuſa; quâ turgeſcens amnis vix continebatur. Tum tranſuectio impoſſibilis patuit. Nec minus, ne vniuerſæ Mediolanenſium copiæ vlteriori ripâ tolerantes errorem aduerterent, & cunctos opprimerent, metuebatur. Ita qui traiecerant redire iuſſi. Id ægrè properatum; quòd formido inſtātis hoſtis, confuſio, altior rapidiorq; Fluuius, artem corrumperent. Et plurimi dū nandi artem oſtentant, vorticibus hauſti ſunt. Patuit Gattamelatam prudentiæ eguiſſe; & præuiſo diſcrimine, ſaniora Marchionem præcipiſſe. Sed ſuſpiciones contra Ducem vim amittebant, euētibus prauis & honeſtis. Nihilominus delirij manifeſtus, quò certam inſcitiam, mendacio velaret, Procuratores primùm, mox Senatum docuit, per Gonzagam ſtetiſſe, quòminus vlteriori ripâ; & pluribus hoſtium millibus, qui præſidio ineſſe dicebantur, potirentur. Se tamen imperata executum: Attamen mutanda conſilia, ſi victoria deſideretur. Neq; tamen cunctos ſuperare Amnem Marchio Mātuanus prohibuerat, ſed cum difficultates ac pericula docuiſſet, conſilium addiderat; quod vbi à Gubernatore temni vidit; potentioris arbitrio conceſſerat. Neq; exequi mandata impetu profluentis potuerant; quando non portui, non ponti locus, non præuiſa materies, non rates naueſq; eſſent; quas omnes vis aquæ in ſubiectū rapuerat. Nihil eorum quæ dicebantur Gonzagam latuêre, honori quàm vtilitati attentiorem. Sed ne quæſita excuſatio, aut multò ante concepta indignatio efferri diceretur, tolerauit inſolentiam, dum ſtipēdij finis incideret. Tum nullâ iniuriarum memoriâ, miſſionem per literas à Senatu petijt. Ille quantum de ſecuritate poſceretur gnarus; dies aliquot, ſine reſponſo Marchionem attinuit. Et moram agente nuncio, quæ meruiſſet, à Procuratoribus ſibi exſolui poſtulauit. Nam pro certo habere, regredi in Patriam, & quieſcere, militiæ immunem, niſi propulſandi hoſtis. Nō defuturos Venetis Duces, qui ſuſpicione intacti bellum proſequerentur. Verū ſolutio ſtipendij differebatur; ſiue pecuniæ inopiâ, ſiue causâ diſcordiæ, quæ vtraq; Gattæmelatæ fide obtrudebantur. Senſit vetus artium dominandi, vt incongruam tempori ſolutionem, ſic ludibria æmulantium: Et regreſſus in Patriam, expleta ſtipendia nec ſoluta, quietiſq; deſiderium expoſuit. Ceſſiſſe ſe potioribus militem, quos credat, foueri ex vſu eſſe. Fines ſuos & extrema tantùm ſeruaturum; non Veneto, non Vicecomiti, niſi per iniuriam ac beneficia cognoſcendū. Veneti non id diſſidij tempus rati, omiſſos exercitus Gattæmelatæ contulêre; orato tamen Marchione, ne fortiſſimum filiū ſolito exercitui abſtraheret; ſed Reipublicæ vtilitates, ſuam gloriam promoueri ſineret. Caritas erat; niſi Mantuanam iuuentutem, auulſo Duce ad ſua reuerſuram metuebāt. Nihil ad ea Gonzaga, quid iuberet in ambiguo ſeruans; aut datis filio ſecretioribus mādatis. Magnus interim animus contumeliæ inſolens vindictam agitabat; & Vicecomes eadem in Principe conſilia reputans, celeres oratores miſit, qui fœdus ac pacem offerrent. Gnarum id

Marchio petit miſſionē à Senatu.

Vene-

Venetis fuit, miſſiſq; Contarino ac Baduaro Legatis, perfunctum munus, maiori quàm antea potentiâ, & authoritate obtulêre. Ille quibus calumnijs impetitus, quâ ſuſpicione maculatus coram exprobrauit; nec alio reſponſo vtrumq; dignatus, quartâ Iulij Milleſimi quadringenteſimi triceſimi octaui, ad ſuos regredi iuſſit. Neq; ſecretò tantùm Edicto; ſed ſcriptis per Italiam literis, honori ſuo conſultum voluit; proniori abſentium fide in deteriora. Inter has commoti Orbis turbas, Milleſimo quadringenteſimo triceſimo octauo inchoante, Eugenius Pontifex, calamitate generis humani; & iniuncti ſibi muneris onere laceratus; quando Baſileenſe Concilium minus voto reſponderat, indicto ante Ferrariæ, vniuerſæ Eccleſiæ conſeſſu; vocatiſq; Græcarum Prouinciarum Patribus; Romanæ ſententiæ diſcordes nectere, & quæ contumaces, corrumpenteſq; opiniones inerant euellere, ſummâ vi nitebatur. Spes vna in Græco Imperatore erat, quem vicinio curantem, tracturum ſubditos in cauſam credebat. Nec erratum: Secreta quippe pax; & diuerſi dogmatibus, in idem coïêre. Sed quia ardua tractabantur; nè lectorem ambiguo detineamus: quis Eccleſiarum ſeceſſionem primus, qui poſtremi; quibuſq; nominibus auſi ſint, compendio proſequemur. Vis omnis in Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ erat: Quæ Patriarchatus honore inſignita, vt Alexandrinam Primatu depulit; ſic & reliquas in præceps egit. Et diſcordiæ perennis occaſio fuit Tercenteſimo triceſimo quinto, Ario ſtimulatore, qui Sacroſanctæ Trinitatis gloriam blaſphæmus carpſerat; docueratq; Patrem diuinitate Filio maiorem. Primus Euſebius errorem hauſit; & iuſſis Græciæ Proceribus adeſſe, cunctos veneficio fœdauit. Secutus Macedonius eſt, eò grauior peſtis, quò paratioribus ingruit. Hic Spiritum Sanctum, creaturam voluit: Mox quadringenteſimo triceſimo Neſtorius; Qui eundem Spiritum à Patre, non item à Filio manantem profeſſus eſt: Addiditq; nouis erroribus, noua decreta; Filium Deum, è Mariâ genitum negâs; & diſtinctis in eo perſonis, ſeorſim Deum, hominemque docens. Excepit quatuordecim ab eo annis Euthicus; qui acriter in Neſtorium inuectus, dummodò plures in Chriſto perſonas diſuaderet, vnam ſolùm in eo naturam faſſus eſt. Velut humanitas aſſumpta, in Diuinitatem migrauiſſet. Quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo Acacius Patriarca Conſtantinopolitanus, vt perfidiam augeret, etiam in Deum ſæuus, poſſe ipſum vt Deum pati, ſtollidâ opinione teſtatus eſt. Quingenteſimo ſexageſimo, Ioannes eiuſdem Eccleſiæ Patriarca, Vniuerſalem ſe dici voluit; fauente Imperatore Iuſtiniano. Tanquàm Sedes Imperij, toti Orbi leges, etiam Eccleſiaſticas dicere debuiſſet. Excepit prædeceſſorum perfidiam, Sergius Octuaginta poſt annos; qui vnam in Chriſto voluntatem faſſus, etiam Heraclium Cæſarem traxit in partes. Nec minus Nonageſimum fermè à Sergio annum, Conſtantinus Conſtantinopolitanus, ſacratas Diuûm effigies, tanquàm Numinis loco colerentur exploſit. Neq; ſecius Leo Imperator, Octingenteſimo trigeſimo, malis artibus, & ſacrilegio dominationem nactus. Octingenteſimo quinquageſimo octauo, Phocius per proſpera & aduerſa, Patriarchatu

Concilium Florentinum.

Nicomediēſis Epiſcopus

chatu

chatu habito, aut amiſſo, tantum facinoris auſus eſt, vt Nicolaum Romanum Pontificem amoliri, & in ius vocare tentauerit; Græcorum Impp: fauore vſus; in quorum gratiam ſeruili adulatione adrepuerat. Poſtremò Cõſtantinus Monomachus, ortâ de Siciliæ Regno diſcordiâ, per quam ipſe peculatu, & furtis famoſus inceſſerat, cuncta Conſtantinopolim tranſmittens; ne quæ Romano Pontifici auctoritas eſſet, quem Siculi, querelis in perfidum adierant, Nonaginta nouem celebres Romanæ Eccleſiæ ritus, hęreſeos damnauit. Etiam à Conſtãtinopolitano Patriarchâ coli ſe paſſus, vt Leonis noni æmuli exiſtimatio vileſceret. His ambagibus & complicatione ſcelerum Græci irretiti, Romanis Pontificibus infenſi, contumaciam adhuc retinebant. Quam emollitum ibat Eugenius Papa, quanto dignatione ſuperior, tantum tollendis erroribus intentior, & ob id in preces ac ſummiſſionem effuſus. Cæterùm vt pax vtriq; genti euenerit, & quantum laboris in aduerſos inſumptum ſit, ſuo loco reddemus. Certi interim nuncij Vicecomitem docuerant, oratores Venetos Mantuæ irritâ legatione vſos, & ad ſua remiſſos: Tranſiſſe in partes Mantuanum; precibus tantùm opus, vt ſuperatus obſequio conſenſiſſe videatur. Eas eſſe Marchionis iniurias, vt non niſi armis obliterari poſſint. Remiſſius Veneti ſuam cauſam & conſilia inſerebant. Velut Ludouico filio Pater indignatus, eo ſolùm Vicecomiti diſſentiret; quòd contumacem & vim inferre auſum, recepiſſet. Sed qui Venetos, metu, inuidiâ, prudentiâ graues oderant, facilem Parentis ac filij reconciliationem, & in Vicecomite pacis artes opinabantur. Ad Iulij finem noui à Vicecomite legati aduenêre; qui eadem inſtantius poſcerent; & ſuſpenſum animi flecterent. Ergò neceſſitati, precibus, importunitati Marchio ceſſit, vt ſi fortunâ belli plurima in Vicecomitem tranſirent, Verona ac Vicentia Mantuæ remanerent. Nec conſultis mora interpoſita; ſed firmatâ præſidijs ciuitate, duobus equitum, tribus peditum millibus, Picinino adiungitur. Diuiſæ quoque Prouinciæ, vt ſeparati, fortitudine ac virtute diſtinguerentur. Non eâdem quâ Vicecomes Picininus lætitiâ æmulum virtutis accepit; & paria ſuſpicionum Vicecomiti obtruſiſſe credebatur; vt ſi non pugnâ, opinione adminus primas ferret. Ludouicus audito parentis acceſſu, Campo omiſſo vlteriora proſecutus eſt; & Mediolanum ad Philippum delatus, præſentiâ abſtinuit. Picininus Gattæmelatæ infeſtior, quæ ille metu reliquerat, celeritate occupauit. Et Marchio Valleſium, magnamq; Veronenſis agri partem victoriâ proſecutus eſt. Aſſiduis militum precibus euincebatur, vt vlteriora Veronenſium inuaderet, iam non nouis odijs Mantuano cognita. Sic fuſis qui arma tractauerant; & quâ Mantua ſpectatur, Veronenſi tractu in poteſtatem redacto, Vrbi iam imminebat; temporiq; & oppugnationi neceſſaria parabat: Quãdo Gattamelata, feſtinationis animiq; Marchionis certus, imperatorium credidit, mittere plura hominum millia in diſcrimen; dummodò Ciuitas Senatui ſuo ſeruaretur. Haud longè Gonzaga erat; nec prohibere auxilia, niſi perruptâ hoſtili acie poterat; obſeſſis viarum diuortijs, & Ciuibus omnibus

Io. Frãciſcus pro Vicecomite.

omnibus viſo ſubſidio, eruptioni diſpoſitis. Crediti nocturni horrores opportuni Venetorum Duci, ſi audaciâ hoſtium Gonzaga frangeretur. Res cõtra ceſſit. Illati quippe in obſidentes, multos pugnâ, plures captiuitate amisêre. Quos inter Michaël Gritus, ac Octingenti equites in poteſtatem deuenêre. Gattamelata fidiſſimis ſeptus, periculo exemptus eſt; & cum Mille octingentis Veronam inexpectatus acceſſit. Ita magno licet diſpendio firmati obſeſſorum animi; & ſpes melior Picinino affulſit. Qui vbi coactos in munimenta Venetos, & Carolum Ioannis Franciſci filiũ, cum delectâ Mantuanorum manu receſſiſſe, ne Patri aduerſus eſſet, vidit; exercitum liberè, toto campo euagari; & nemini minitãtes clauſos perſpicit, Marchionem Veronenſibus orat inſiſtere; ipſe in Brixianos contendit; ſi famâ capti Griti, ſpontè deditionem feciſſent. Verùm firmata præſidio Vrbs, miſſiq; in auxilium lectiſſimi, nimium ſibi fidentem Picininum, obſidionem omittere, bellicis tormentis abductis pepulêre; & alibi fortunam belli experiri. Id primùm Gattamelatam celebrem inter Venetos reddidit; velut Picinini temeritatem, fortitudine & prudentiâ retinuiſſet. Nec leue apud hoſtes Ducis nomen erat, Thuſcis, Venetis, Mediolanenſibusque armis exerciti. Interim Marchio, hoſtiliter Veronenſes conſectatus, intuta omnia reddebat; hûc illûc ferens arma; & quoſdam non longè Benaco congredi auſos, proſpero prælio fudit. Capti Venetias teſtimonio honoris miſſi ſunt; ſpolia Mantuanis qui labori inſtiterant, diuiſa. Parte aliâ Picininus quoque Brixianum populatus, ita ciues clauſerat; vt non egredi, non inferre commeatus poſſent, vnde futuri metus; validiori indies Vicecomite; & debilioribus Venetis; quod imprudenti Duce, Picinino, ac Marchioni Mantuano, militiæ conſummatis obijcerentur. Vicecomes ipſe per quem profeciſſet certus, & Venetæ prudentiæ metu, ne Gonzagam (in quo pręcipuę vires ſuæ) abſtraherent; delegatâ iterum auctoritate, frequentibus literis detinebat; addebatq; preces, ne commodo ſuo, honori proprio tum maximè deeſſet, cum fortuna affulſiſſet, & inimicorum conatus detriti, ad deſperationem inclinarent. Aliqua etiam de Ludouico filio ſubdidit; non quaſi veniam oraret; ſed ſe ſupplicationi paratum inſinuans, ſi placatus preces vtriuſq; recepiſſet. Ad hæc Marchio, fidem ſibi tam diu fore, quòad amico placuiſſet, reſpondit. Non formidandas ſibi Venetas legationes, quas immotus exceperit. Facilem ſe cuicunq; fœderi recipiendo; ſed ſemel eluſum, fidem in poſterùm abrogare. Non ſe hoſtes dolo, ſed apertâ vi vlciſci: ne triumphum gloriamq; dehoneſtaret. Sic Philippo metu exſoluto, Mantuanâ iuuentute ſupplet exercitum, vt Veronenſes, & ſi qui præſidio aduentaſſent, deterrerentur. Venetus Senatus vbi anguſtas res, & in lubrico continentis dominationem vidit; conſilio pacis, quàm belli propior, ſolidari ſua poſſe credidit, ſi Sfortiam Florentinorum ſtipendia facientem, oſtentatâ magnitudine præmij illexiſſent. Miſſi internuncij, haudquaquàm congruentia tempori retulêre: Sed Coſmo Medicęo fautore, viri peruicaciam molliuêre, vt Venetorum, Florentinorum, ac Genuenſium copiarum

ſupremo

Sfortia Dux Venetorum. ſupremo nomine curam acciperet. Pecuniæ magna vis oblata, & aduerſus Senatui animus, promiſſis expugnatus. Mantuam enim quam ſpe præſumpſerant, Duci Sfortiæ deſtinârant: Vt quæ vanis pollicitationibus ſpoponderant, alieno & hoſtili agro, tanquàm habito exſoluerentur. Confœderatorum conuentiones Gonzaga accepit; & renidens vultu, acriter indignatus eſt; neq; aliud oblocutus; quàm detrahendam Lupo pellem, antequàm veno exponatur. Ambiguos futuri, & num curam Sfortia reciperet ignaros, certus nuncius firmauit, cum literis, quibus feſtinationem promittebat. Sed delectum interim habendum, conquirendos equites, cogendam pecuniam, nè quid victoriam moraretur. Ipſi eò alacrius paruêre; quòd maior ex Duce ſpes eſſet. Frequenti Senatu quò belli neceſſaria tractabantur, Petrus Loredanus, vnicam ſalutis ſpem eſſe docuerat; & certiſſimam ex hoſtibus victoriam, ſi Vicecomitis partibus, Ioannes Franciſcus auelleretur. Eò enim ſtare conſilia; & medium inter diuerſos, cuicunq; conatui obſiſtere: Et quando non promiſſis, non precibus ceſſerit, addendos nouos metus; ſi fortè rerum ſuarum ſtudio, aliena deſereret, & ad ſua tuenda regrederetur. Neq; id niſi claſſe armatâ obtineri poſſe; quæ milite, ac remige inſtructa, Padoq; ſubuecta, vniuerſum Mantuanum agrũ, igni ferroq; confundat. Non contra hoc Mantuano prouiſum; imò quidquid virium in Veronenſes, & extra profluentem eſſe. Non ſe periculum expeditionis fugâ teſtari; ſatis oſtentatâ virtute, etiam Genuenſium hoſtiũ teſtimonio; nè tantùm Patriæ credatur. Proindè ſi ita Reipublicæ videatur, adijcere conſilio diſcrimen ſuum, ſiue militem, ſiue Ducem velint; proprio, & improuiſo metu illigatum Gonzagam, Sfortiæ conatus aucturum. Placuit Senatui ſententia; prono in nauticam, & opinione conſtantiæ. Simul exploratores omiſſum Amnem, vniuerſa Mantuano in Portu nauigia; non ſollicitudinem, non ſuſpicionem eius militiæ apud Gonzagos perſcribebant.

DOCT.

ANTONII POSSEVINI IVNIORIS

PHIL. ET MEDICI MANTVANI

GONZAGÆ

LIBER SEXTVS.

BREVIARIVM LIBRI.

APPARATVS nauticus Venetorum, & Ioannis Franciſci per Padum: ſed mox ad Pontemolinum concurrunt, & Veneti ſuperantur: A Mantuano plura eo tractu Oppida capiuntur. Mox & Verona. Caſtellani Veronenſis aſtus aduerſus Ioannem Franciſcum. Sfortia pro Vicecomite Veronam. Maſſaÿ. Ioannes Franciſcus Mediolanum. Ludouico filio ſupplici intercedentibus proceribus ignoſcit. Sfortia in Mantuanos, pleraq; occupat: Auſum Ioannem Franciſcum congredi, magnâ clade afficit. Pax Venetis & Vicecomiti. Amadeus Sabaudius Papa. Alberti erga Gonzagos, & Federici Imperatoris, in eoſdem priuilegia. Ioannis Franciſci præcipua opera; teſtamentum, legatorum immenſitas; & mors. Victorinus Philoſophus. Ludouici Marchionis initia. Varani aulici prudentia, & conſilia à Ludouico recepta. Iuſtitiæ, & Annonæ prouidet. Federicus Imperator Ludouicum hortatur erigere Mãtuæ ſtudium bonarũ artium. Ciarpellonus. Vicecomitis odium in Sfortiam, & cum Pontifice ac Neapolitano fœdus. Sfortia toto Piceno exigitur. Palatÿ. Veneti pro Sfortiâ. Ludouicus pro Venetis, Carolus frater pro Vicecomite. Hic à Sfortiâ auxilium orat. Mirandulanus in Mantuanum. Florentini pro Mediolanenſibus. Ludouicus Mediolanenſem agrum populatur, Picininum cædit, & Mediolanum vſq; prouehitur. Sfortia Venetorum artes aſſequitur. Ludouicus interim Comum; Attendolus Briuium occupant. Philippi Vicecomitis mors. Carolus Gonzaga pro Mediolanenſibus; quâ cauſâ à Ludouico fratre proſcribitur.

eſſet. Franciſcus Cardinalis Federici frater, Papæ legatus moritur. Veneti Ludouico Sfortiæ componũtur, neglecto Mantuano. Federici Marchionis mors. Franciſci principatus initia, & Cenſus Mãtuanus. A Federico Imperatore inueſtituram Mantuæ recipit. Per Italiam incognitus peregrinatur. Eius prudentia. Arrigonij. Franciſcus in Germaniam ad Imperatorem Federicum. Maximilianus Rex Romanorum. Ludouicus ſibi imperium Mediolani ſtruens, Franciſcum amicitiæ requirit; Venetis contra nixis. Hic mittit Ferdinando Imperatori trecentos equites aduerſus Belgas pugnaturo. Iſabellam coniugem ducit. Vbi Ludouicum Sfortiam opprimere nepotem videt, Venetis accedit. Carolus octauus Annam Maximiliano Cæſari deſponſatam abducit. Alexãdri Sexti Pont: mores. Noua fœdera Venetis, Ludouico Sfortiæ, & Pontifici. Ludouicus metu Neapolitani, Carolum Octauum in Italiam vocat. Gallorum eo ſuper Regno iura credita. Franciſcum Ludouicus iterum conatur in partes trahere; & Rex Galliæ Venetos. Ioannis Galeatij mors. Franciſci erga ſpoliatos Turcos miſeratio. Carolus octauus Neapolitano Regno potitur. Venetorum, Ludouici, & reliquorum Principum Italorum eâ de cauſa metus, & in Gallum coniuratio. Rex in Patriam redit. Franciſcus Gubernator exercituum Venetorum. Ridolphus Franciſci Patruus offenſus, emiſſo Rege, redit in Patriam. Pugna ad Tarum exitus. Galli Regis in tuta receptus.

STATIM deliberationi executio imperata; nam ſucceſſus rerum in tuto credebantur; Si prima deſiderijs ceſſiſſent. Septuaginta naues, patẽti alueo, planæ carinis, valido tabulato ſufficere creditę; machinisq́; & militi deferendis opportunæ, alto ac depreſſo flumine iuxta meabiles. Eæ tamen Loredani diligentiâ non ita properatæ ſunt, vt ſimul ignorarentur, & nocerent. Ioanni Franciſco, nihil eorum quæ in Senatu agerentur, ignotum erat; certiſſimis exploratoribus, publica & ſecreta tranſmittentibus; quæ vna ſecuritas negociorum eſt. Itaq́; triginta octo naues, ac leuiorum nonnullas ſicco educi, inſtruiq́; bello iuſſit. Non enim ingruente prælio, ſed ſummâ pace, ſimilia comparauerat. Feſtinata expeditio fuit, vt famam præueniret. Vix Pado ſubuehebatur Loredanus, & accinctum dimicationi Mantuanum; fortiq́; claſſe tranſitum Amnis obſidentẽ accepit. Nõ ideo tamen deſtitit; ſed ad vlteriora prouectus, extremo Ferrarienſis aggeris limite, qui Mãtuano nectitur, in anchoris ſtetit. Hîc inexpectato nuncio perterritus (nam etiam præſentem Marchionem fidi detulerant) depoſuit animos; & ad noua conſilia tranſgreſſus eſt. Vtramq; Padi ripam, magnis molibus, & additis

bellicis inſtrumentis obſidebat Gonzaga; tribusq; hominum millibus præſidia diſpoſuerat. Imperuium iter erat; & ingenti Loredani diſcrimine trãſitus emercandus. Quâ re; & quia conceptam ſui exiſtimationem, multorum clade inſignire, prudentiam non crediderat, regreſſus eſt; claſſe exercitum deducturus, quem Pontemolino exponeret; vt terreſtri itinere Veneti, bello ac prædæ pariter inſiſterent. Marchioni id quoq; per exploratores cognitum; ideoq; ruſticorum manu validâ, quas bello naues parauerat Tartaro induxit, vt ad Pontemolinum ſiſterentur; ſiue flumine, ſiue terreſtri prælio certandum foret. Locum Gonzaga prior tenuit, celeritate Loredanum anteuertens, acceleratâ operâ; & oſtentatâ feſtinatione victoriâ. Et cùm vigilantiâ ac diligentiâ æmuli peteretur, ijs ipſis præualere decus nouerat; eduxitq; ſuos, & intentos accipere mandata iuſſit. Contra hoſtis, inferiori ſitu lacunis emerſus, & non longè à Mantuanorum Caſtris metatus, conſtantiam præferebat. Marchio vbi decertandi certum Loredanum vidit, numero ſuorum ac virtute ſecurus, vniuerſos in aciem deduxit. Pars tueri claſſem, pars auxilio adeſſe, reliqui ſtrenuè nauare iuſſi. Non enim incerta paludum, & frequentes euripi, laxiores ordines admittebant. Id Venetos ſuis fidere coëgerat; tanquam plures locus non ferret: Gratus, licèt protenſis haſtis, exertis mucronibus, minitantibus, & iam iam eruptionem ſpirantibus manipulis aſpectus, horrore, ſilentioq; fuit: Donec in pugnam educti, tubarum concentuumq; diſſono ſtrepitu; promiſcuo vulgi ſono, inter pauorem ac minas, ſpeciem hilaritatis intulêre. Non tulit Loredanus primos Gonzagæ conatus; quòd hi Patriæ caritate; Veneti pro alienis decertarent; illi terreſtrem militiam experti, hi nauticam potius toleraſſent. Quippe inter ſuos, vicino effugio, & Duce obſeruatore plerumq; etiã
Superantur. ignaui ſtrenuè agunt; cælo ac ſolo, vires animosq; ſuggerente. Ergo hoſtes, totò agro ſparſi, ad ſatietatem cæſi ac fugati; plures capti; & Cõtarenus procurator, dum retinet ſuos, ſeſeq; fugientibus obijcit, pilæ ictu tranſuerberatus eſt. Tum Marchio fauſto exitu elatus, ne ſors decideret, proſequi fortunam, & vrgeri fugatos in noctẽ iuſſit. Sed illi iam ſe metu vicinis Arcibus abdiderant. Eodem impetu Lignagum, Monbellum, Biandola, Montecchium, quæq; eo diſtrictu Oppida numerãtur, recepta ſunt. Quidquid hoſtilis agri erat, vaſtitati ac prædæ datum. Petulantiam militum, fortuna, veteresq; iræ irritauerant. Sfortia collegatorũ Dux, diſceſſum Florẽtiâ parauerat. Et quò minus operæ eſſet, plus viriũ Marchioni, prius quàm Dux aduentaret, adderetur; impoſito victis gentibus præſidio; Villafrancã, Gottolengum, Nogarolam, infeſto exercitu inuadi, imperauit; Capta omnia, & validâ manu immunita ſunt. Neq; interim expers vexationis Verona erat; quam Vicecomitis miles, graui obſidione cingebat. Ciues euentus ambigui agebant. Quidam amore ſuorum, quos excidio deſtinari metuebant, deditionem parabant. Alij decus vtilitati præferendum; & ad extremum ſpiritum, fidem Venetis ſeruandam: Non enim abolitam adhuc ſpem omnem, imminente Sfortiâ; qui iam Apenninum ſuperaſſe ferebatur. Po-

ſterior

ſterior ſententia vicit. Sed obſtinatio cũ prudentiâ fuit. Fractis rebus ſummum malorum diſcordia ſecuta; & qui opinione eluſi fuerant, odia retinuêre. Erat Veronæ Gaſpar Regienſis, paucos ante annos eò delatus, exul à Patriâ: Nec adhuc amorem Vrbis, aut communem vtilitatem imbiberat. Is per exploratores Gonzagam admonet, poſſe nocte concubiâ, ſine labore ac ſanguine Ciuitatem haberi; docetq; locum quo incuſtodita,& propugnatoribus viduata ſit. Idem Picinino perſcribit; vt nocturnæ irruptioni miles inſtrueretur. Retinuit tamen viri impetus Gonzaga. Neq; enim nocte intrandum, niſi plures eandem ſecuritatem approbaſſent, teſtatus eſt. Placuit fugitiuos Veronenſes immittere; vt arma, animos, præſidiaq; ſcrutarentur, & ſi quæ fraus ſubeſſet, alieno ſanguine lueretur: Vniuerſi conſonãtia retulêre. Et iam nox aduenerat, imbre, ac nimbo atrox; tanquam tegente conſilium fortunâ, & fauente Numine. Plures mœnibus ſcalæ appoſitæ; & nemine percipiente; Octingenti illati, cum mandatis; non pugnam niſi laceſſiti, non prædam,niſi ſecuri attentarent; ſed Portam Romanam inuaderent, cęſiſq; aut concedentibus cuſtodibus, aditum ſocijs aperirent. Illi præcepto paruêre; & ad Portam delati, paucis reſiſtere auſis, reliquis in fugam verſis, ſocios admisêre. Irrupêre Mantuanorum ſex millia. Neque ciues improuiſo inſultu, aliud quàm fugam tentare auſi ſunt; in Arces profugi; quò res ſuas; etiam fœminas raptabant. Auri, argenti, bellici apparatus, veſtis, equorum numerum,& copiam exequi arduum fuerit; quæ partim militi Mediolanenſi, partim Mantuanis ceſsêre. Populi Annalibus ſatis liquet, Ducentum quinquaginta currus, prædâ onuſtos, Mantuam aducctos. Ex quibus plurima militi conceſſa; Marchioni ornamenta tantûm retenta, cum bellica inſtrumenta, velut publico vſui ſepoſuiſſet. Sic Verona inter diuerſos media, & Gonzagorum vires toties,cædibus,incendio, excidio experta; iterum Marchionis ductu, obſeſſa, captaq; eſt, & deprædata. Neq; aliud miſerię cauſam dediſſe crediderim, quàm populi multitudinem, colluuiè nationum aggeratam; quæ in vnam caritatem non coaleſceret, nec publico conſuleret. Incolas nonnullos accipio, vbi rapinas & vim vndiq; conclamari audiuêre, peiora hoſtibus auſos; ne ſacris quidem ædibus pepercisse: Sed velut ad alios poſſeſſores abituros, non reuerſuram in iudicium ſæuitiam tractauiſſe. Arx ſupererat quâ non receptâ; nihil tot laboribus actum credebatur. Admota ergo tormenta, Vallum cum præſidio additũ, & in ſequentem inſultus delatus eſt. At munimenti Præfectus, certiſſimo pignore, quod ſecuritati aſſeruabat, irritos Marchionis conatus, & ſpes hoſtium eluſurus erat. Carolus enim Marchionis filius, (quem impoſitum pridem Veneto exercitui à Patre retulimus) vt amborum ſuſpicio, & mox certum odium innotuit, naturæ debitum cuicunque amicitiæ præferens, ad Parentem reuerterat, acerrimam contra Venetos operam impêdens. Hunc leuibus velitationibus non longè Peſcheriâ captum, in Arce Veronenſi detinebat; non vt perderet; ſed ſecuritati agendorum. Vt ergo diſpoſita tormenta; & fractas ciuium ſuorum vires, conatui obſidentium impares

Verona capitur à Io. Frãciſco.

 nouit;

Caſtellani Veronēſis aſtus

nouit; per nuncium Ioannem Franciſcum monuit, ab oppugnatione Arcis, ac iniuriâ abſtinere; ſîn minus tormentorum ictibus Carolum filium expoſiturum. Niſi Venetis fortunâ affuiſſet, magno documento fortitudinis Paterna pietas ceſſiſſet virtuti; datumq; poſteris experimentum foret, quãtum fidei, ac naturæ, ingentis animi Princeps deferret. Picininus tum, non longè Brixiâ conſederat; miſſiſq; literis, breuem moram, expugnationi Ciuitatis precatus fuerat, dum ipſe aduolaret; partemq; gloriæ communi curâ capeſceret. Nec abnuit Gonzaga, virtutem amicitiamq; Ducis iuxta æſtimans, ne ſortis aduerſa, ſuæ temeritati imputarentur; & quòd iuſſus Picininus abeſſet, in Brixianam expeditionem à Marchione, paucos ante dies amandatus. Sed in Octauum diem, reditum Picininus diſtulerat; nouis difficultatibus illigatus; & diſponente inuidiâ, aut fortunâ, quod incertum finem collinearet. Vicecomes pacti cum Ioanne Franciſco memor; cuius amicitiam non honeſto ſed vtili emercatus fuerat; Picinino præceperat, vt auxilium differret; dum Sfortia Veronam delatus, magnâ victoris Mantuani contumeliâ, Ciuitatem occuparet. Ita minus debitum, & difficiliorem ceſſionē crediderat. Intellexit Picininus; vt æmulationis certiſſimus, ſic par inuidiæ. Placuitq; opperiri Ducē, cuius virtuti tecta fraus imputaretur. Quarto ab illinc die Sfortia aduenit; per Rauennatem agrũ

Sfortia Veronã pro Viceeomite.

Veronam delatus. Numerabantur in eius exercitu, equitum quinq;, peditum ſexdecim millia; cum Marchioni ſub ſignis multò pauciores eſſent. Hic ne temeritas pro virtute crederetur, impoſito finibus trium millium præſidio; & ingenti prædâ abactâ, Mantuam reuerſus eſt. Comitati nobilium Veronenſium pleriq; mores Principis, cum pietate ac munificētiâ edocti. Et acceptis Mantuæ ſedibus, agriq; portione non paruâ, in poſterum ſe Mantuanos eſſe voluêre. Hos inter Comes Andreas Maffeius (qui Veronæ victori domino, miniſterijs ac cum fide operâ deſeruierat, non expenſis, non labori parcens, dum dignus amore crederetur) libero ad ſuos regreſſu, oratuſq; nè Patriam deſereret, haudquaquam obtemperauit. Non ſe turbas aut militiam euitare, quæ diuturna Mantuanis ac obuia crederet, profeſſus; ſed ſequi Principem, qui ſummo iure vſus, tyrannidem excluſiſſet.

Maffei.

Cæteris munificentiâ Marchionis abundê prouiſum; ſed Maffeio, vetuſtę nobilitatis, propagatæ per Europam gentis, ſummæ virtutis æſtimatione, eò plura conceſſit, quò paucioribus egebat. Quippe pecuniæ vim ingentē, & gemmas regio cultui non inferiores detulerat; magnum Patrimonium æquantia. Multos ante annos, Cæſarum indulto, virtutis officijq; intuitu, nõnulla Veronenſi tractu Oppida gens acceperat, cũ titulo Comitatus; quæ tempeſtas bellorum, & vis maior, in Venetos tranſtulit. Non tamen nobiliſſimæ familiæ, quidquàm gloriæ detractum; vt quæ viuis adhuc iuribus, certo nomine vtitur; & diuiſâ gente, Romæ, Neapolis, Veronæ, ac Mantuę, congruâ ſtirpi claritudine in præſentem, inuidiam, iniuriamq; validiorum contemnit. Aliqui præcipitatum diſceſſum auerſati, in opportunitatē diſtulêre: nedùm futuro prouident, præſentia mergerentur. Marchio etſi Mantuam

tuam

Digitized by Google

tuam reuerſus, firmata tamen nouis præſidijs Oppida retinebat, quæ bello aduerſus Loredanum cęperat: Nec victi Vicecomitem, ſed Marchionem Dominum nouerant, obſequij ac fidei peruicaces. Tacitis interim motibus, pax, & quod minimum, induciæ audiebantur: Siue ſecreto agitarentur, ſeu vulgi deſiderium, famam extuliſſet, pronâ in vota mortalium fide. Eæ non Vicecomiti non Venetis inuiſæ erant. Quîn vtriſq; proficua pax, longâ cõcertatione attritis viribus, ſciebatur. Quæ cauſa Marchioni fuit, vt Mediolanum, cum Picinino proficiſceretur: Ne potentioribus amicitiâ illigatis, ipſe vt inferior, odiorũ occaſionibus obijceretur. Sed non aliud ſpecioſo conditionum apparatu profectum; quàm vt miles labore feſſus, aliquot mẽſium requiem haberet; dareturq; exercitui Sfortiæ ſpatium reſumendis viribus; vt acrior hoſtes exciperet. Aduentanti Marchioni Vicecomes obuius proceſſit, multo nobilium comitatu; ſed iuſſo deliteſcere Ludouico filio; nè Parentis, niſi placati aſpectui offerretur. Et flexos in ſerium ludos auerſari ſe Marchio non vnâ repulsâ teſtatus eſt; auſumq; Iulium Viſdominum preces addere, vno eo dicto repreſſit; non adeò faciles hoſtium amicitias, & odiorum obliuiones eſſe. Quæ futuro bello vtilia credebantur, inter Ducem, Gonzagam, ac Picininum publico decreta ſunt; interna conſilia, & ſi quid abditi ſuberat, quod euulgari metuerent, abſente Marchione, per ſecretum agitabãtur: Quòd is pacem detrectaret, paratam victoriam oſtentaret, decus, famam, exiſtimationem proponeret. Altiora quoq; proſcrebantur; è morâ pernicies; parantis ſibi dominationem Sfortię conſilia, Miniſtrorum auaritia, quæ pace expleretur; Picininus auctis Gonzagæ viribus, ex futuro metum, nondum abolita odia, & ingenium ad contraria verti facilem, proponebat. Diuturnam Marchionis amicitiam, & fidem integram eſſe non poſſe; quòd niſi ex voto habeatur, ſtatim hoſtibus hæſurum. Nam medio inter vtroſq; ſitu, requiri ſtatim à decertantibus. Interim Picininus celebri conuiuio Vicecomitem ac Marchionem domi ſuæ excepit. Quod regium in morem, ſiue proſerendæ magnanimitati, ſiue quærendæ occaſioni adornauerat. Inerant Principes viri, nobiliumq; fœminarum cætus, cõſuetudine gentis, nihil lætitiæ ſine eo ſexu habere. Vt menſæ amotæ, & trahi per colloquia tempus ceptum, Vicecomes, ac ſpecioſiſſimæ Mediolanenſium matronæ, eo conuiuio, Marchionis ſe fauorem quæſiuiſſe teſtatæ ſunt: oraueréq; ne vir Princeps, ſummæ nobilitatis, miles ſtrenuus, ſpem, totque illuſtrium fœminarum vota eluderet. Annuente Gonzagâ (aut enim quid pararetur ignorauerat, aut ſtudio fallebat) vt Ludouico filio, quem iuuentas, & grauioribus impar prudentia traxerat, ignoſceret; ſupplicemq; reciperet, petiêre. Marchio paulùm immoratus, vt indignationi in cõtumacem, ſic pietati in ſupplicem, facilem ſe futurum reſpondit, dummodo factis dicta reſponderent. Vix conticuerat, & Vicecomes ac Picininus Ludouicũ cubiculo intulêre. Qui Parentis pedibus aduolutus, errorem confeſſione deteſtatus, & obſequium in futurum pollicitus, veniam prætcritorum ſummiſsè poſtulauit. Marchio naturæ caritate, filij lachrymis euictus, oſtentationem

Io. Frãciſcus Mediolani.

tationem pietatis, dum ille ſceleris admoneretur, ſuppreſſit. Tu quidem, inquit, Ludouice, pientiſſimum Parentem, obſequentiſſimum fratrem, vniuerſam familiam, peruicaciâ offendiſti, vanâ vmbrarum ſpecie, & creditâ cauſâ abſtractus; quòd priuatione ſucceſſionis, & translato in minoré loco puniri decebat. Sed non maiorem in Patre ſæuitiam, quàm in filio perfidiam eſſe decet; nè inuicti aduerſus gratiam animi circumferatur. Tibi coniunx cum ſpe dominationis, Cæſari conſanguinitate iuncta, & maſculis virtutibus, ſupra muliebrem fragilitatem commendata, obtigit. Minor Carolus, belli caſibus, & fortunæ viciſſitudini expoſitus eſt, vt vilior. Si te contumaciæ pœnitet; & tuorum dilectionem, quàm inanes ſuſpiciones fouere cupis, in eundem te locum reſtituo; & frater Carolus ſeruitio accedet; nullâ vnquam æmulatione notus. Nam licet olim excluſus futuro ſis, conceſſumq; à Cæſare, è filijs arbitrium electionis; non tamen Carolus aſſumptus eſt; ſed obiecta ſpes Principis, ſuſpenſum in hanc diem iudicium ſeruauit: Ne te ad pœnitentiam redeunte, pulſus alius, iniuriam interpretaretur. Filium omnia Parentis conſulta examinare ſcelus eſt: obedientiæ in eo gloria, ſi auctoritate, non cauſâ ducatur. Sermo amplexu finitus; nam adhuc proſtratus Ludouicus paternam gratiam opperiebatur. Vtriq; apud conuiuas, ex humilitate, ex pietate gratiæ redditæ. Carolus natu minor, à Præfecto Veronenſis arcis, in vinculis adhuc ſeruabatur. Et ne Parentis ac filij Ludouici concordia, alterius miſeriâ imminueretur, Legatos Venetias mitti placuit, qui pretio aut captiuorum mutatione iuuenem exſoluerêt. Et quia Dominicus Malateſta Ceſenæ Dominus, pro Venetis pugnans, & captus habebatur; ceſſione mutuâ, vtriuſque libertati conſultum. Sfortia vbi Veronam attigit, famâ nominis; & quia inferiores Vicecomite Veneti credebantur, Veronenſes pulſo quod Ciuitati præſidium Gonzaga impoſuerat, ſeſe validiori permisêre. Illicitam ceſſionem nemo queſtus eſt; quia non aliâ æquitate Marchio occupauerat. Hic iam in Patriâ erat; noui belli quod cum Vicecomite cõtra Venetos meditabatur apparatum inſtructurus. Nec etenim odium ſemel conceptum, licet iniquum, facilè exuendum erat: Ne cauſæ vanitas, ſua leuitas, & in hoſtem peruicacia obijcerentur. Sfortia virtute prorſus antiquis Ducibus comparandus, vbi in longum Vicecomitis expeditiones procedere, & tempus benè agendæ rei elabi videt; quamuis ſæuâ hieme, vniuerſas copias in Mantuanum rapit, adeò properus & inexpectatus; vt ne ſui quidem præſciuerint. Sed vel iuſſerant Veneti, vel reliquorũ expugnatio difficilior habebatur, quàm vt hieme tentaretur. Pleraque ditione capta: Sed præcipuæ Peſcheria, Cannetum, Capriana, Mercaria, cenſebantur: Quæ pręſidio Mantuanorũ communita fuerant. Et vlterioribus accingebatur; niſi improuiſæ excurſionis certior Marchio, ſuorum auxilio accurriſſet. Id præcipuè Picininum extimulauit, vt ſolicito hoſte, ipſe torporem excuteret. Itaq; Aprilis initio cum ſuis affuit. Exercitus ita diuiſi; Sex peditum millia, Mille equites Ludouico ac Carolo parêre iuſſi. Marchio ſuos tantùm ductabat; erantq; Quinq; peditum millia, Mille quingenti

Ludouicus patri reconciliatur.

Sfortia in Mantuanos.

quingenti equites. Quod maius ac validius Mediolanenſis exercitus, Picinino permiſſum. Fratres egregiè concordes, Marcariã primò, mox Cannetum per vim recepêre; pulſis qui munimento inerant; & pronâ populorum in veteres Dominos voluntate. Iam ad Caprianam ac Peſcheriam conſederant; cum Nicolai Eſtenſis curâ, pacis aliquid inter decertantes interiectum eſt. Sed Marchio aliquot ante dies Veronam aggreſſus, eorundem fide concidit, quorum paulò ante conſilio Ciuitatem acceperat. Cum enim eaſdem ſibi vires; non longè auxilia; & Sfortiam minus æſtimaret; auſus eſt aciem erupturo oſtendere. Qui virtute ac ſolitâ ſibi fortunâ vſus, Mantuanos quamquàm acriter decertantes, cõpulit Vrbe recedere, & notabili cum clade diſiecit. Quod quia Ioanni Franciſco inſolens, acrius obnixus, parũ abfuit, quîn ſuffoſſo altero equo captiuus abſtraheretur. Hoc vno maximè Ciuium ſuorum, fidem, caritatemq; expertus; quòd conglobati ac obuerſi, multo ſuo ſanguine, Dominum extremo diſcrimini exemiſſent. Periêre eo conflictu Mille octingenti equites, peditum ferè duo millia. Hinc quantùm Sfortię honoris acceſſir, tantùm Ioannis Franciſci gloriæ detractum eſt: Quaſi potior, fortiorq; adueniſſet, quique famam ac lauream ſolus deportaret. Sed iam conditiones pacis vltrò proceſſerant, & Caprianæ primùm, mox Cremonæ, de ſummâ rerum tranſactum eſt: Deponerentur arma proprio excidio ſumpta; & aliena, dolo, ſeu virtute occupata, antiquæ ſuorum poſſeſſioni redderentur. Marchio debilior maioribus acceſſit; & cum aliqua recepiſſet, præcipua tamen deſiderata ſunt; Aſola, Lonatum, Peſcheria: Cauſa in incerto habetur. Quidam abductam Veronâ prædam, alij habitam tot annos Hoſtiliam, prudentiores conſuetudinem decertantium cauſabantur, quos inter infirmior, impunè iniurijs laceratur: Idq; anno Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo primo. Et hæc quidem per Italiam plurium annorum decurſu acta ſunt. Sed Germania triennium integrum ſine Imperatore fuerat, defuncto Sigiſmundo, & adſcito in Imperium Alberto Auſtriaco, defuncti genero; ijsq; animi virtutibus noto, quæ magnũ Principem decerent. Eccleſiaſtica quoq; res ſine curâ non erat: Nam diſſoluto Baſileenſi concilio, Ferrariam primùm, mox Florentiam Patres tranſlati. Ioannes quoq; Paleologus Græcorum Imperator coram acceſſerat; vrgebatq; Græcam ac Latinam Eccleſias, in eundem ſenſum, eandem ſententiam coïre. Sed Baſileenſe Concilium, non ideò perfidiam omittebat: & infenſis Patribus, Amadeum Sabaudiæ Ducem ſuffecerat; Philippi Vicecomitis ſocerum, ſolutumq; matrimonio, Monaſtici inſtituti. Mox defuncto Alberto Federicus ſucceſſerat; non minori opinione virtutis, quique annis amplius quinquaginta Imperium tenuit. Admoto curæ rerum Alberto, Ioannes Franciſcus, Ioannem Lucidum filium officij nomine Viennam miſerat; vt vetus in Germanos Cæſares obſequium continuaret; fautoremq; haberet rebus ſuis; ſi quando inter Vicecomitem ac Venetos diſtraheretur. Neq; aliter conceſſâ maioribus ſuis potentiâ vti, quàm ſi validiores patrocinio acceſſiſſent, poterat; ſimul decorum nouo Regi erat, Principes longius

Mantuanorum cædes.

Pax Venetis & Vicecomiti.

1441.

ſitos

ſitos, & opinione præualidos, ſupplices experiri; apudq; diſſitas gentes auctoritatem præferre. Scriptæ ab Alberto ad Pontificem ac Vicecomitem literæ, quibus monebātur, ne Mantuanum iniurijs laceſſerent; gratū quippe ſibi, & perpetuæ protectioni fore. Dies aliquot immoratus Ioannes Lucidus, cum feruere motus belli per Italiam, & Parentem auxilij egere ſciret, petito cōmeatu Mantuam regreſſus eſt. Dederat Albertus ampliſſimo Diplomate, Ioanni Franciſco licentiam, publici Gymnaſij: quo pubes nobilis, *Priuilegia Gonzagis ab Alberto conceſſa.* ſtudio bonarum artium exerceretur. Neq; ſecius alio ſimili, quidquid prędeceſſores, familiæ conceſſerant firmauerat, Milleſimo quadringenteſimo triceſimo nono; primo Anni die. Sed Principes ac Ciuitates, titulis ac honoribus facilius inſigniebantur; quàm erigendi publicè ſtudij auctoritate. Et illinc quæſtuoſa indulgentia; hinc honor habebatur (quòd corruptelâ temporum ferè poſtponitur) gratum tamen eo fauore vti videbatur; nam ingenuarum artium decora cum laude erant. Eò tamen vilitatis ſæculi miſeriâ deuentum eſt; vt ſtudia, ac ornatus animorum, pro nugis ac inanibus contemnantur. Hinc tamen prudentia, & certa domi foriſq; rerum agendarum forma deſumitur; quam à naturâ rudem, incertamq; nanciſcimur; errori, fallacijſq; obnoxiam. In pace ac domeſticis curis agenti Marchio- *Federicus Imp.* ni, exceſſiſſe Albertum, & Federicum ſuffectum delatum eſt: Quod ille pari ac Germaniæ proceres lætitiâ accepit: ſiue caritate in Regiam familiam; ſiue famâ virtutum; quibus nouus Imperator, apud ſuos & exteros benè audiebat. Rarâ Regum fortunâ; quippe virtutum leuiſſimæ in Principe tolluntur, cùm maximę, apud ignobilem nō clareſcant. Delecti è Ciuibus nobiliores, qui Francofurtum profecti obſequium offerrent, Iulius Gonzaga, Claudius Cappus. Hi turbæ ſeruientium immixti, non ante ſecreto admitti voluêre, quàm præcipua negociorum Imperij tranſigerentur. Retulêre ſpem ingentem; & conceſſæ pridem inueſtituræ confirmationem; nec non publici Gymnaſij erigendi conſilium; cui præcipuè Cæſar & Marchio ſtudere videbantur: Velut non alio potiori inſtrumento, virtus ſubditorum, ſubſidium dominis, in poſteros abiret. Vtrūq; milleſimo quadringenteſimo 1442. quadrageſimo ſecūdo, decimà Decēbris. Quod vitæ reliquū Ioāni Franciſco fuit, ciuilibus curis ornandæq; Ciuitati impendit; nuſquam vigilantior, & *Carmelitani* ad plura cōuerſus. Carmelitanis Monachis, quorum pietate, ac eruditione profecerat, templum nobili opere, domumq; ſtruxit; illius æui magnificentiâ *Arx D. Georgij.* atteſtatus. Diui Georgij Arcem, à prædeceſſoribus extructam, quòd humētibus circum locis ſita foret, ideoq; minitaretur, reſtituit; altius iactis fundamentis; vt in ſolido conſiſteret. Effoſſam vicino lacui paludem, redem- *Templum S. Crucis.* ptores olim eo loco aggerauerant; cui cum ſuperiacta moles eſſet, in præceps properabat. Sacellum ſalutiferæ Cruci ſacrum, medio palatio ceptū ad cacumen extulit; additis ædibus quas ab imo inchoatas, mirâ munificētiâ protulit. Iuſtitiæ adminiſtrationi totâ vitâ ſtuduerat; niſi quòd inter ancipitia bellorum, vis manifeſtior. Cùm Vicecomites Gonzagis aduerſi, veteri æmulatione eſſent, niterenturq; proprijs & exteris viribus excindere familiam;

familiã; id vnũ ſecuritati repererat, vt ſe Venetis primùm, mox etiã Pótificij iungeret. Neq; publicè cauſam, ſigno tantùm proſecutus eſt. Nam domui, armis, templis, pingi albentem venaticum, vinculo ac caſſide ferreâ iuſſit; ne dentibus ſæuire poſſet, ſuperbâ cum inſcriptione, CONTRA VIM. Idq; Germanico idiomate; cui, nobilium Regni familiaritate aſueuerat. Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo tertio, graui valetudine correptus eſt: Et cum Medici vitæ finem præſagirent, fuſo è naribus ſanguine cõualuit. Sed maius profluuium fuerat, quàm vt integro habitu perferret: Nam plures menſes durante moleſtiâ, quod virium, ac viuidi caloris inerat, exhauſtũ. Læſa quoq; defectu alimenti viſcera labem contraxêre; finemq; accelerauêre. Ergo æui metam inſtare cognoſcens; ne liberos mutuis diſcordijs irretitos, aut parum concordes relinqueret, vniuerſis teſtamento cauit. Ludouico natu maximo olim ſucceſſionis ſpe depulſo, ſed pœnitentiâ in gratiam recepto, Mantuæ Marchionatum, Oſtiliamq; cum vniuerſo agro legauit; Caprianam, Voltam, Cereſariam, Piubegam, Rodegum, & Caſtellarum exceperat; quæ Ioanni Lucido ſacris initiato conceſſit. Agros, Villas, & Oppida Brixiano pridem adempta Alexandro deferri voluit. Et pontem in primis Caſtrumq; flumini Olio impoſitum, Cannetum, Rotundeſcum, Marianam, Caſtrum Giufredi, Medolum, Caſtrũ Stueræ, & Oſtianum. Carolum quem ſemper ſingulari caritate proſecutus fuerat, moribus iuuenis, aut occulto affectu illectus, habere voluit, Inſulam, Riuarolum, Bozolum, Sanctum Martinum, Sabionetam, Gazolum, Viadanam, Luzariam, Suzariam, Gonzagam, & Regiolum. Subſtitutione quoq; toti poſteritati prouidit; nè lis inter ſuos, aut ex contentione capitales inimicitiæ orirentur. Pari inter familiares ac miniſtros liberalitate vſus; quos pacis belliq; ſocios habuerat: Sandero Liſcæ fundum decem millium aureorum legauit. Antonio à Capite quinquaginta millia cõceſſa ſunt: Matthęo Corrado à ſecretis Triginta millia: Panicellæ decem millia; Comiti Andreę Maffæio octo millia; Vberto Strozzio Triginta millia; Ioanni Credentiæ decem millia; Ioanni Cremonæ ſex millia; Bartholomęo Pendaliæ triginta millia; Guidoni Bagno tria millia; Ioanni Marco Rodiano quinq; millia. Non equidẽ maiorem in Rege munificentiam requiras. Vitæ finem, Viceſimâ tertiâ Septembris, Milleſimi quadringenteſimi quadrageſimi quarti habuit: Quinquageſimo ferè ætatis; Imperij Triceſimo ſeptimo, nam duodecimo acceperat. Fortitudine, vigilantiâ, munificentiâ, animi magnitudine nemini ſecundus. Erga ſuos & exteros profuſus; velut ad donandum ſolummodo acceſſiſſet; fidei amicitiarumq; ſeruantiſſimus; & iniuriarum plus iuſto memor: Principum in eo mores æmulatus: Niſi qui ſcelera ac iniurias, etiam merita & virtutes obliuiſcuntur. Sunt qui angore animi deceſſiſſe opinentur; Aſolâ, Peſcheriâ, Lonato abſtractis: Cum apud potentiores, non æquitati, non amicitiæ locus eſſet, vt capta redderentur. Voluptatum nimius, primâ iuuẽtâ creditus eſt: Et apud Picininum gloriari ſolitum ferunt, quòd luxu Quadringẽta aureorum millia interuertiſſet: Simul adſtantem Picinũ

Io. Franciſci teſtamentũ.

Et mors. 1444.

reſpon-

reſpondiſſe; retinendæ Veronæ quam cępiſſet, eam pecuniam ſuffecturam fuiſſe. Cæterùm ne ſcripto tenus, non item opere exeruiſſe liberalitatem videretur, ſacramento Ludouicum obſtrinxit; ſummam quam legaſſet, exſoluturum. In ea tempora, Ioannis Franciſci mors incidit, quibus nec apertum bellum, nec integra pax ſperari poſſet. Eugenius Pontifex natione Venetus, ordinisq; Patritij, ingenitæ virtutis, & amore Patriæ ſuſpicionum certiſſimus, Baſileenſe Concilium quamuis magno labore, vix diſſoluerat. Federicus Imperator, nepotis Ladislai Hungariæ ac Boëmiæ Regis curâ occupatus; inter hos aut illos, comminationibus, & ſeditionibus exercitus, Regnum habebat. Per Hungariam Ioãnes Vaiuoda, Regiæ potentiæ ęmulator, Amuratum Turcarum tyrannum, quadraginta millium cæde ſuperauerat: Sed dum ſacramenti negligentiâ Cæſarino Cardinali impulſore, infractus animi Thrax laceſſitur; & nouę dimicationi inuitatur, bellatum eſt; miſerandâ Chriſtianorum ſtrage; quę tamen barbaris multo ſanguine ſtetit, cæſis eorum fermè Triginta millibus; & Amurato ipſo profitente, non ſe frequentes admodum victorias tales cupere. Pace interim cum Venetis initâ, in Peloponneſſum per eadem tempora mouerat; & effracto Iſthmi muro, impetu in obuia quæque delatus, Imperatoris Græci fratrem, totis viribus congreſſum fuderat. Per Italiam Piceni ipſi, non Pontificem magis auerſati, quàm quòd alium dominum vellent, inter Picininum ac Sfortiam acriter dimicabant: Donec auulſo Duce, Sfortia in Picinini filium fœliciter certauit, capto iuuene, ac Pontificio Legato. Mantuanorum res in ancipiti erãt; ſiue Ludouicus Venetis, ſiue Vicecomiti per apertum fauiſſet. Nec ipſe primâ ab iuuentâ, pacem vnquam, ſed arma præſumpſerat; quietis odio, æmulatione gloriæ, cui ſe natum ferebat. Hoc ſtatu rerum Ioannes Franciſcus exceſſerat, relicto Ludouico, iam Triceſimum ſupergreſſo, & dominationis præceptis domi forisq; inſtructo. Primam adoleſcentiam, non alia certior commendatio cohoneſtat; quàm ſi nobilibus exercitijs tempus inſumatur, viteturq; licentia ac petulantia, ætati potentiæque ſubrepens. Et quamquàm ſæculi inſtituto, beneficium referre liceat; optimum tamen pręceptorem delegiſſe, exiſtimationem prudentiæ confert, quæ iuuentuti eò ſpecioſior, quò rarior. Victorinus ſui æui Phyloſophus, multis veterum ſapientiæ profeſſoribus comparandus, & eloquentiæ præclarus, Feltri in Patriâ, pubem ingenuam erudiendam ſuſceperat. Hunc Ludouicus famâ viri motus, cum plures Pater obtuliſſet, ante alios accerſiri poſtulauit: vt fratres, ac pleriq; nobilium ciuium liberi, eodem præceptore vterentur, æmulatione gloriæ profecturi. Græcarum literarum ſtudium additum: Et Ludouicus ideo amplexus fertur; quòd à magiſtro accepiſſet, nullum eius linguæ rudem, verè literati nomen promereri. Vbi procedente ætate, ſedentariam operam auerſatus; & viriles cogitationes adrepere ceperunt, militari ſe ſtudio totum addixit. Siue illa naturalis inclinatio, ſiue tempora requirerent; quibus vna ea laus cenſebatur. Equitare, gladio ac lanceâ vti, miſſilia vibrare, adeò aſſiduum erat; vt cũ famulos omnes pręſentiâ ſatiaſſet,

Victorinus.

ipſe

ipſe laſſitudinem non ſentiret. Et licet auidus gloriæ animus, imitatione
præliorum acquieſceret; viceſimum tamen ingreſſus, domeſtica opera cu-
raſq;, pro nugis contemnebat. Certamine ac bello opus crediderat, vt vir-
tus tanquàm Lydio proderetur. Hac ætate erat, cum Venetias miſſus à
Patre, & fraternâ claritudine offenſus ad Vicecomitem deflexit. Edicere
quippe ſolitus erat, eam ſolam Principis gloriam, reliquas virtutum etiam
priuato cõtingere. Vicecomes (vt retulimus) humaniter exceptum, quò
contra Parentem vteretur, Picinino pro Luccenſibus pugnanti adiunxit; vt
diſciplinam magno præceptore hauriret; nec minus gratitudine obnoxius,
viuidam operam Principi, per quem profeciſſet, exhiberet. Diu id & ſatis
proſperè egit; donec Comiti Sfortiæ congreſſus, dum oſtentandæ virtuti ni-
mius mediam aciem ſuſtentat, ſuperatus eſt. Plurimùm quidem famæ vir-
tus addit; ſed non inferior conditio fortunæ eſt; quâ abſente, vniuerſa ſini-
ſtrè obueniunt, & opinio fortitudinis profluit. Quantum aduerſus euen-
tus mœroris, tantũ accepta plaga lætitiæ contulit. Mantuæ enim ideò vul-
neratum ſe dici maluit, quòd pugnauiſſet; quàm nullâ ſuâ virtute victorem.
Magno honore à Sfortiâ habitus; eoq; caſu didicit, fortitudinem prudentiâ
temperandam. Sed ijs natalibus, eâ conſanguinitate erat; vt quamquàm
in vinculis, metum ac reuerentiam ſui inſpiraret. Ad extremûm Picentes,
Pelignos, Vmbros, ac Tuſcos, victricibus armis, alieno vel ſuo ductu per-
agratus, quantùm commendatione prouectus, tantùm dolore læſi Patris an-
xius Mediolanum conceſſit: non vt contumax peruicaciâ è propinquo in-
ſultaret, ſed vt Ducis Philippi precibus, ſuorum caritati redderetur. Re-
ceptus in gratiam à Patre, eundem Mantuam comitatus eſt, tantâ populi læ-
titiâ, vt non reducem, ſed receptum crederent. Iam enim diuturnitate Do-
minorum (quos raro auerſos, ſæpius comitate ac munificentiâ experti fue-
rant) in pietatem, obſequiumq; coaluerant. Cum abſentiâ, militiæ quoq;
mores & inſtituta ſumpſerat; Caſtrenſemq; in morem ad cutim raſus, ean-
dem (quâ diſceſſerat) iuuentam retulit. Mater barbarum ritum mirata,
filio per iocum Turcæ nomen impoſuit; quod tali mundiciâ Gens vteretur. *Ludouicus Marchio Turca dictus.*
Manſitque Principi indita à Matre licet defunctâ denominatio. Hinc
erroris occaſio, credentibus facti ignaris, ſæuitiam immanitatemq; deſigna-
ri: Cùm tamen apud ſuos & exteros, ob morum ſuauitatem præcipuè com-
mendaretur. Coniunx Barbara, regiæ ſtirpis, & animi; plures annos con-
temptum ſui, & Caroli vxorem genere imparem, ſupra ſe efferri inuita to-
lerauerat; quia ſic Socer voluerat; cum filius contumaciam retineret. Sed
mater Nurui conſilio adfuit, & patientiam inſtillauit, ſpe recipiendi Princi-
pis loci. Mox redditâ hæreditate ſedem veterem, & debitum ſibi honorem
reſumpſit, mariti præſentiâ, ſoceri pietate, coniugis humilitate. Hanc præ-
ter natales, & continuatam per virtutes ætatem fœcunditas quoq; protule-
rat. Nam prioribus connubij annis, nouẽ liberos enixa eſt; ex queis fœmel-
læ quatuor, quinq; virilis ſexus numerabantur. Et fœlicitatem domui in-
tuliſſe videbatur, multitudine prolis, cui nulla fructuoſior poſſeſſio compa-

Ludouici filij

randa; ſpe æternitatis, quam nobiles vnam in voto habent. Primus Federicus fuit, qui rerũ defuncto parente potitus eſt; ſecuti Ioannes Franciſcus, Frãciſcus Cardinalium numero adſcitus; quiq́; in familiam minorem licet immenſitate ſuâ, primus tamen dignationem intulit; Rodulphus, ac Ludouicus. Filiarum hic ordo erat. Prior Suſanna ſuſcepta, quæ pubertatem ante, formæ honore celebris, ſed auida ſecreti, Monaſtico ſe inſtituto obſtrinxit. Secunda Dorothea; in quâ præter condignas natalibus virtutes, ſpeciei decor præeminebat: Hanc Galeatio Mariæ Sfortiæ Parens iunxerat; non quòd affinitate placabilem potentiorem, ſibiq́; proniorem crederet; ſed vt fidere videretur. Tertia Barbara Comiti Eberardo Vitembergenſi deſpõſata eſt; magno Gonzagæ domus honore: Cum enim dos requireretur; præter gemmas cultui ſuffecturas, reſpondiſſe mater fertur, ſui memoriam; quòd mater eſſet, ſatis eſſe; plura è tali puellâ requirentem, nõ mereri. Et vicit cum nobilitate auctoritas. Quarta Paula quæ Leonardo Comiti Tiroli ac Goritiæ conceſſa eſt. E Barbarâ ac Paulâ, nulli liberi fuêre. Sunt qui Ceciliam furto habitam referunt; & Monialibus additam, tegendo pudori: Nos vulgatis hæremus; neq; reijcimus honeſtum queſtum è ſcelere. Sic Ludouicus plenâ filijs domo, & vxore cuicunq; adminiſtrationi validâ, tanquam iners deliteſceret, nec quod domi curandum haberet, occurreret; militiam potius, quàm quietem ambibat. Hos animos, & pronam quærendæ in Caſtris gloriæ voluntatem, vxoris caritas, amor ſubditorum, plures annos retinuêre, nè erumperet, expleretur q́;. Aſſiduum lateri Iulium Varanum à ſecretis habebat, dominationis præceptis, conſuetudine Principum, & Philoſophiæ ſtudio celebrem. Hic regias aulas, primâ ab adoleſcẽtiâ in ſenectam vſq; frequentans, opportuna nouo Principi conſilia, & ſecuritati congrua præcepta imbiberat. Itaq; officij tenax, & imperia in ſolido iacienda gnarus, iuuenem monebat, circunſpiceret, quot, quibusque potentioribus ambiretur. Neminem apertè ad cultum deligendum; ne neglecti ſuſpicionibus & iudicio accenderentur: Ambiguum ſe voluntatis præbendum; nec alia quàm quæ in contrarios ſenſus flecti poſſent, proloquenda. Non odio, non beneficio cuiuſquam obnoxium eſſe debere; ne gratitudine, aut indignatione profiteri cogeretur; ſed parem ſe omnibus offerre; pacemq́; ac concordiam, vt vóto, ſic facto ſectari. Accipiendas à maioribus amicitias; easq́; inuiolatè ſeruandas; niſi iniuriâ, aut ſuſpicionibus è vero ductis inceſſeretur. Fratres longè à Patriâ habendos, ne deſiderio potioris loci, originis, conſuetudinis, veterisq́; alienationis memoriâ corrupti, turbent compoſita. Magnis conſanguinitatibus inſiſtendum; non amore pecuniæ (cuius apud Principes leuiſſima iactura) ſed vt ſubſidium domi; aut quod minimum, ſpecies paretur: Nexos enim ſummis coniugijs ſi non arceant, excidium differre. Cogendos annuos cenſus, & arcano ſeruandos; quorum inopiâ, Parens Veronam alienæ potentiæ feciſſet. Studia, virtutis; militiam, belli causâ fouenda: Et per otium comparanda; quæ præceps occaſio conquiri non ſinit. Demum fauorem Cæſarum officio, ac munere

quæren-

quærendum: quando mortales honore atq; vtili ducantur; dona vtriq; ſatisfaciant: Aduerſus Venetorum aſtus & vires, ſemper Mantuæ intentos, exploratoribus, ſpecioſiſq; pollicitationibus enitendum; abſtinendum profeſſione; vtendum ambagibus; & alieno prçſidio inſiſtendũ. Vicecomitem affinitate præoccupandum; vt hoc quoq; æmulo obſtricto, ſecurior agat; turbarumq; ſtudioſiſſimus, ſpecie amoris retineatur. Poſtremò redituũ famã, militiæ numerum, amicitiarum vires augenda. Plus interdum opinionem potentiâ valere. Hæ Varani artes, illa præcepta erant; quæ ſimulatione velata exercenda teſtabatur. Forſan ea quoq; tempora, præſentibus moribus conſona erant. Ludouicus ſe tacitis conuentionibus Venetis ac Vicecomiti conſentire; debiles vires ſuas; adiacentium potentiam noſcere; fratres caritate complectendos; nec niſi ipſis aliter placeat, ſibi diſtantiam arridere; maximorum Principum affinitates, laudare potius quàm ambire; difficilem pecuniæ congeſtionem; non eam tamen commendare; ne deſiderio auri, indigentes ac validiores inſurgerent; cæterùm liberalium artium ſtudia, virtutes, militiam, decori potius quàm vſui ſuo promoturum, reſpondit. Senſit Varanus prudentiæ conſummatus, in vſum opportunè præcepta conferri quæ dediſſet: Et agendi deſiderium, neceſſitatem conſilij diſſimulare: Aſtu Principis lætus, nec eo refragante irritatus: Mæſtitiæ tamen ſpeciem induit, tanquàm conſilio inualidus reijceretur. Nec Ludouicũ triſtitia in homine fefellit; ſed ſe documentum acceptæ doctrinæ præbuiſſe; & congruentia tempori executurum, reddidit; laudato præceptore, quòd vtilia protuliſſet; Nouerat ita diſſimulanda conſilia amicorum, & contrarium monitis proferendum, vt ſe Principes prçceptis læſos, aut falſo imbutos non oſtendant; ne culpam ſuam, aut illatam iniuriam miniſtri præſumant, abſtineantque inſtructione, quæ vt danti honorifica, ſic accipienti ſit vtilis. Quamquàm arduum non ſit ſimulationem Principis, ab eo, qui aſſiduus cõſilijs interſit, detegi; ſi ſententiæ, cui inclamauerit inſiſtat; aut occultò quç reiecerat, in vſum conferantur. Pars enim non infima obſequij eſt, ita domino prodeſſe; quaſi rectè factorum conſcij non ſimus, vt obligationis debito Princeps exſoluatur. Et tamen inter familiares habendi, quibus dominantium ſenſa aperiantur, vt voluntati Principis, iuſtitiæq; iuxta conſulatur. Quæcunq; ars in Ludouico fuerit, ſiue abdito, ſiue aperto animo vteretur; apud omnes Scriptores conuenit, & Mantuani Annales fatentur, magnâ illum prudentiâ, defuncto Parente vſum: Neq; turbatâ Italiâ, & medium tot potentiorum, diutius dominationem habiturum fuiſſe; niſi virtute retinuiſſet. Accedebant fratres, ætate & numero præpotentes; quos in officio continere, nulla vis potuiſſet, niſi mixtà caritati ſimulatione, arte, & prudentiâ ſupra ætatem ſtuduiſſet. Altero ab obitu Parentis die, Senatum acciri iuſſit; vt Annonæ, & Iuſtitiæ leges dicerentur. Sed minor ac infrequentior erat, ob translatam ſemel potentiam; & obliteratum in conferendâ dominatione arbitrium: Quod ferè minoribus apud potentiores vſu venit, quoties neceſſitate blanditijsue illecti, promptè ſemel conferunt;

quod nunquam amplius reddatur. Aſſuêre tamen capitalibus, & iuri dicendo à Ioanne Franciſco impoſiti. Et quia nihil per negligentiam ſolutum, omnia antiquo inſtituto exigi, annonam lege dictam adminiſtrari vidit; æquitatis admonitos, & integritatis præmijs allectos, dimiſit. Paucis ſucceſſor datus; niſi aut ætas excuſationem, aut obſequia meritum prætuliſſent. Ita compoſitis rèbus vrbanis, Fratrum cura ſupererat; quos præſentes habuiſſe, metũ; abſentes, deſiderium ingerebat. Vocari omnes placuit; & nocturno epulo exceptos; antequàm dimitteret, ſic fertur allocutus: Communem optimi Parentis luctum, fratres; non alio ſolatio perfero; quàm quòd fœdiſſimæ æmulationi noſtræ finis imponitur. Sed vt æterna Parentum vita non eſt; ita fratres cõcordiæ aduerſos eſſe, naturam lacerat; daturq́; per noſtram ignominiam reliquis exemplum, ambitionis, auaritiæ. Si Pater, honeſti in me deſiderij, & loci æſtimationem habuiſſet, accepiſſent exteræ affinitates, quos imitarentur. Si quâ cauſa accuſor, mutatione corrigam; vt ſecuto imperio non minus, quàm elapſo conſtantiam proferam. Minores natu maiori deſeruire, tolerabile quidem eſt; ſed affectus, voluntatem, ingenium, per vim imitari, durum; nec ideo diuturnum. Iniquiſſima ſeruitutis conditio eſt, non ſuo, non alieno Genio cum voluptate viuere. Et ex minoribus nemo eſt, qui ſuo ſenſu interdum non vtatur, proprios motus nõ experiatur. Itaq́; ſeruientes obligatione voluntatis; qui ſeruiuntur, impotẽtiâ laborant. Proinde nec me vobis imperare; nec vos integrè ſeruire expedit; ſed ſublatâ neceſſitate odiorum, ſeparatione cuiusq́; libertati conſulere. Sunt cuiq́; veſtrum propria Oppida, ac poſſeſſiones, Patris teſtamento legata; & vitæ vſui cenſus annui ſuffecturi. His vos immorari, & mutuam concordiam promouebit, & ſuſpiciones æmulationesq́; reſcindet. Neq; tamen communi neceſſitate, Ciuitate & Patriâ vos exigo; ſed paci ac quieti conſulo; quam eodem tecto diuturnam fore diffido. Meâ quod intereſt; nõ fratris erga vos, ſed Parentis vicem explebo: Nam præſumpta minimâ, inſida maximâ oſtentatione indigent. Externæ inimicitiæ vobis mihiq́; communes erunt; & ex amicitijs fœderibusq́; vtilitas. Alexander ac Ioannes Lucidus, nullâ vnquam ſuſpicione tacti, Carolo dici hæc credidêre; quem æmulatior: virtutis inuiſum olim, & ſubfrigidè recõciliatum nouerât. Placuit tamen vniuerſis in proprio anguſta dominatio, quàm alieno lata ſeruitus. Et Carolus paucos dies immoratus, Viadanam cum coniuge profectus eſt, velut proficiſceretur, non pelleretur; nullo odio, forte metu. Quãquàm Ludouici cõiunx, fœminili inuidiâ, Caroli vxorem agitare; & præteritæ æmulationis vices reddere pararet. Id tantùm Varanus addidit; vt libera Domus ſeparatio, non imperata diceretur; quod acceptum fratribus, quibus pelli graue contumelioſumq́; erat. Vbi domeſtica in hanc formam Ludouico diſpoſita; cura exterorum ſubſecuta eſt: Et primum in Federicum Imperatorem obſequium ex officio viſum; miſſiq́; Albertus Gornus, Flauius Ripa, Iulius Andreaſius; qui ſpecioſo munere fungerentur. Hi Ioannis Franciſci fidem, aditam à Ludouico hæreditatem, & pronam Imperatoribus

familiam

familiam expoſuêre; orantes vt optimè meritos Principes, ſola Cæſarum auctoritate promotos, in patrocinium reciperet. Vtile ac decorum Germanis regibus, habere Proceres Italos iuſſis paratos; & quamuis externos, certæ fidei. Et quando nil extra ius quæratur, expedire ſocietate, & amicitiâ ſupplices obſtringi. Potentiorum per Italiam quoſdam datam Cæſaribus fidem effregiſſe alios libidine vti; quoſdam minas intentare: Deniq; nihil orari quo plus accipienti, quàm concedenti accedat. Mox (qui finis omnium eum dominantibus) prolata munera, non præſentis, quàm futuri æſtimatione gratiora. Quæ Imperator teſtimonio amicitiæ, & pignori fidei accepit; iuſſo per literas Marchione maxima quæq; ſperare, ſi promptus iuſſis, gratusq; beneficio perſtitiſſet. Sed quæ petierant publicè concedenda erãt. Itaq; Viceſimâ ſeptimâ Auguſti, Milleſimi quadringenteſimi quadrageſimi quinti, præſtito ab Oratoribus, Principis ſui nomine, fidei ſacramento, Marchionatus Mantuæ poſſeſſionem, Imperator Feudo perpetuo, & libero Ludouico conceſſit; incluſis inueſtituræ poſteris, quicunq; ſuſciperentur. Nec id metu, nè prædeceſſorum Cæſarum diplomatis ob contumaciam in Parentem minus dignus ſucceſſione crederetur (quippè redditum pœnitentiâ ius, & eorundem arbitrio in priorem gratiam receptus fuerat) ſed veteri conſuetudine, quâ noua imperia, dantium & accipientium; nouam pariter inueſtituram exigunt. Neq; tamen niſi proſcriptione, perfidiâ, contumaciâ negari poterat; & erepta; non ſcripto, ſed armis Federico repetenda erat. Addidit aliud quoq; caritatis documentum; nam præceſſorum placito annuere ſe teſtatus eſt; vt in Ciuitate bonarum artium ſtudium, vtilitati ſuorum, Patriæ honori inſtitueretur. Noſtrorum haud dubiè temporum dedecori, quo ſcientiarum decora, ſummo licet in otio cõtemnuntur. Maximi tamen Imperatores, quamquàm ſuſpectâ pace, & inter ſtrepitus armorum, eandem ſtudiorum, quam feudi & inueſtituræ curam, ſollicitudine teſtati ſunt. Scilicet nouerant Iuſtitiam, Aequitatem, virtutes cæteras, cùm doctrinâ aduenire; ijsq; rudes animos ac neſcios pietatis, emolliri. Neq; tamen meliores, & ad capeſcendam animorum nobilitatem paratiores naſcimur; ſed niſi educatio accedat, maximis vitijs præualemus, ignauiâ; faſtu, optimorum contemptu; etiam propriâ æſtimatione turgentes. Imo plus fortunæ, quàm viribus animorum deferimus; & in ea tempora nati ſumus, quibus animum firmare expedit, non Principum ſed minorum exemplo; qui obnitente cõſuetudine, etiam inter aduerſantia emerſêre. Militante per Hetruriam ac Picenum Sfortiâ, Ciarpellonus non infimo nomine copiarum ductor, victoris iuſſu, ſupremo ſupplicio affectus eſt. Aegerrimè rigorem tulerat Philippus Vicecomes Sfortiæ ſocer; quòd hominem in votis habuiſſet; & diffidente Genero, velut per ſcelus ereptum deſiderauerat. Hinc diffidẽtia; & ſceleri in eum quem metuebat parata vindicta. Magnum Sfortiæ nomen, & tanto ſolùm Duci imparem ſe Philippus rebatur. Ergò in partes adſcire Eugenium quartum Pontificem, ſpecioſo titulo placuit; quòd Picentes Eccleſiaſticæ poſſeſſioni abſtracti, dicerentur: Nec minus Alphonſum Neapo-

1445.

Federici Imper. Priuilegia Ludouico conceſſa.

Ciarpellonus.

litanorum Regem; ſiue vt pulſo illo, Caſtris quæ inter Samnites habuerat, exueretur; ſiue ne habitâ Prouinciâ, Campaniam, & Maritimam quoq; cogitaret. Eugenius ſenili facilitate; promptè, tardius Alphonſus acceſſit; nullo proptio in Sfortiam, maiori in Pontificem ac Vicecomitem indignatione. Victa tamen Regis modeſtia; coactusq; ne ſe inuidiæ ſingulorum obijceret, ſocietatem induere. Scriptæ ad totius Italiæ proceres literæ, ſuſcepti belli inſtitutum, & cauſam armorum continebant: Et præcipuè, quòd nullo iure Picentibus Sfortia imperaret. Additę quoq; cenſuræ, & Eccleſiaſticæ comminationes; vt ſi quæ auxilia habuiſſet, deterrerentur. Gonzaga odio violentię, & catitati Ducis medius, miſſo Paulo de Palatio cum literis, Vicecomitem orauit; ne generum honoris ac gloriæ ſummum peruerti, neu vindictam in innoxium à communibus hoſtibus agitari fineret: Occurrere tempora; quibus nulla maior pœnuria, quàm affinitatum ſit. Intutam eorum amicitiam, qui fœdus orauerint; facilè generum ſocero, humilitate, officio illigari denuò poſſe; & in belli ſocios mutuas vires impendi. Plura Pontifici; ſed quietem præcipuè inculcabat; inſectabaturq; turbas; quòd longo bello delaſſatam Italiam, & tum paci conſulentem, rurſus cõmunis Pater in arma raptaſſet: Non inter Pontifices ac Sfortiam contentiones intercedere; ſed vindictæ prædarumq; deſiderio, vniuerſos in partes ituros. Modico ea aſſenſu accepta ſunt; quamquàm multum prudentiæ; ac eloquentiæ Paulo eſſet, iunctaq; nobilitati exiſtimatio, difficilibus peruincendis ſatis eſſet. Hic veteri ac Patritio inter Brixianos loco ortus, militiæ gloriâ, paciſq; artibus celebris, cum non ſuis, non exteris pax, aut fides eſſet; Veronenſes ſeditionibus quaſſati, vicina quæq; raperent, cũ familiâ omni Mantuam venerat; ſecuritatem otiumq; vergentis æui, haud dubiè ſectatus, ſed famâ Ludouici maximè, quem inter arma ſtrenuum, domi comitate clarum, æquum ſibi ſperauerat. Nec eluſus eſt: Nam vbi nobilitas, opes, prudentia innotuit, Marchio fauore proſecutus eſt, vſuſq; dexteritate viri, cum maximè egeret. Superat in hanc diem magni viri familia, veteris decoris retinens; non Mediolanenſibus rerum arbitris, non Bartholomęo Veronæ Prætori inferior. Ad Sfortiam redeo, qui tot aduerſis agitatus, cum fortiſſimi Ducis, ſtenui militis vices expleuiſſet, cedere tamen abripienti fortunæ coactus eſt, & paucos intra menſes, toto ferè Piceno elabi; cum Deos homineſq; iniurię à potentioribus illatæ teſtaretur. Non ideò tamen dimiſit animos; ſed quamquàm tempeſtate agitatus, fortitudinem retinuit; ſuæ ſe virtuti inuoluens, & cauſæ iniquitatem apud omnes obſtrepens. Philippum tamen cui non conſanguinitatis, non æqui cura; ſed prõptum paratis ingenium erat, depulſus Piceno gener non flexerat ad clementiam, quin Cremonam ac Pontremolum, pridem doti cõceſſa adimi, & Mediolanenſi Ducatui reddi vellet. Conſcribit exercitus, claſſem Pado, equites pediteſq; Cremonam mittit; iuſſos non ante ſubſiſtere, quàm Ciuitas, pulſis qui pro Sfortiâ ſeruabant, veteri dominationi reſtitueretur. Sfortia nullo in proprijs viribus remedio, Florentinos primùm precibus aggreditur; neceſ-

Palatij.

Sfortiæ, & Vicecomitis odia.

neceſſitatis, & coalitę cum Philippo inimicitiæ monet, oratq́; perditis rebus ſuis ſubſidium afferrent. Quæ elapſo bello pro ipſis ſtrenuè egiſſet refert;& parem operam, ſi in poſterum voluiſſent, obtulit. Vnanimiter ſed tardè Florẽtini acquieuêre. Hinc indignatio viri, & verſæ ad Senatum Venetum querelæ, quos apud, longâ meritorum ſerie valuerat. Itaq́; receptæ Veronæ, pulſi Picinini, capti Ludouici tum iuuenis,nunc Domini Mantuani memores, auxilium ante quàm reſponſum miſêre. Electi qui Senatus nomine, Mediolanum pergerent, Ducemq́ue hortarentur, alienis, & præcipuè Pontremolo ac Cremonâ abſtinere; & negante eo quæ petebantur, iuſſi amicitiæ renunciare. Fortè ſublatis menſis Philippus intimo cubiculo expatiabatur; Ergo ſe grates Dijs habere prorupit; quòd quâ diutius modeſtiâ laborauerat, Venetorum arrogantiâ exſolutus foret. Se quidem Venetis hactenus pepercisse; ſed pœnas temeritatis exacturum; & cauſas belli in integro eſſe,Brixiâ ac Bergomo translatis,nec adhuc proprio Domino reſtitutis. Eam certè Reipublicæ cõditionem eſſe, vt quæ habeat ſeruare potius, quàm turbare vicinos debeat, & validos, & certaturos. Neque ſe Venetum res carpere, ſed Cremonam repetere, quã gener ingratitudine, & contumaciâ amiſiſſet; filiæ neceſſitatibus, vbi reuertiſſet conſulturum. Dimiſſi Legati celeritate ad ſuos redière; iam ſe tertium eluſos faſſi, & Vicecomitem longè à conditionibus pacis. Hæc Senatum impulêre,vt Michaëlem Attendolum exercituum ductorem, qui tum non procul Brixiâ caſtra habebat,cum omni exercitu, in Mediolanenſem ditionem immitterent; eâ feſtinatione, quæ facto conſultoq́ue tempus Vicecomiti adimeret. Dum Venetorum ac Florentinorum ſimultatibus Philippus, necnon Gulielmi Monferratenſis torpore (quem Ducem ſuis impoſuerat) agitatur; deploratis rebus, ex hoſte præſidium inuenit. Vt ferè ingentia bella, fortunæ arbitrio tranſiguntur. Carolus Ludouici frater, quietis impatiens; & primâ ab iuuentâ militiæ intentus, cum Gulielmo pro Vicecomite depugnabat. Et erat Ludouico quoq; animus iuuare Vicecomitem; ſi veteris iniuriæ memoriâ, in eorum quæ ſibi à Venetis adempta caſtella fuerant,reſtitutionẽ conſenſiſſet. Cæterùm vbi nullam ſpem;oblitum debiti Vicecomitem, & victoriæ pacto nihil ſpondere vidit, in Venetorum cauſam deſcendit. Non tamen apertè bellũ tractare, aut ſe hoſtem profiteri voluit, niſi reuerſo Mantuam Ioanne Caſtelbarco, quem ad Philippum miſerat, conditiones pacis expoſtulatũ. Vicecomes furore percitus (quod illi morum familiare erat) etiam Mantuã donum ſe ſuum repetiturum reſpondit; iuſſitq́; meminiſſet, vt precario Gõzagi, eâ in Ciuitate imperarent. Id Ludouici animum altè fauciauit; cùm præſertim fęderis à Philippo cum Venetis icti recordaretur; quo non paruam Mantuani agri portionem amiſerat. Fraudem ac perfidiam manifeſtiorem eſſe, quàm vt celari poſſet. Nec leuis indignatio Caroli fratris fautore erat: cui veteri diſcordiâ parum nexus, minus præſentibus illigabatur. Neq; innocens Carolus; ſed modò fratris potentiam, ſuas ærumnas, detruſum ſe imaginariâ dominatione recolens, vi omni in perniciem fratris agitabatur,

Veneti pro Sfortia.

tabatur, vt militiæ ſaltem gloriâ præualeret. Hinc fortunam ducebat, quãdò natura non reſpondiſſet. Et haud dubiè magno animo, ingentium cupidus, iniuriarum memor erat. Veneti temporis ac occaſionis gnari, miſêre qui Ludouici amicitiam antecaperent: Et ſi res ex voto ceſſiſſet, amiſſorum Oppidorum partem offerrent: Imo ſi quid in futurum requiſijſſet, prôptè ceſſuros. His permotus Marchio, Octingentis equitibus, quatuor peditum millibus in Cremonenſes mouit; terrorem ante quàm bellum illaturus. Simul vt ſe Attendolo ſociaret; quem amicitię ac fidei ſeruantiſſimum, plures annos expertus fuerat. Vbi contractam amicitiam, & fęderis pacta Vicecomes accepit, perditas res ſuas tum primùm introſpexit, prudentiâ, fortitudine, viribus Ludouici motus, & generi Sfortiæ auxilio deſtitutus. Sed promptior inter conſanguineos reconciliatio, & parata in ſeniorem reuerentia permouit, vt genero potius, quàm antiquis hoſtibus necteretur. Hunc ergo Picentes bello agitantem, vt vetera iura reciperet; & Pontificios amoliretur, muneribus ac precibus adiuit: Reuerteretur, præteritorum memoriam aboleret; quando inſtante ſibi vitæ fine, ſpes eius in propinquo excreſcerent. Paratum ſe vniuerſorum adminiſtrationi filium pręficere; quem ſibi eo loco delegiſſet, quemq́; vnum ſubditis futuræ potentiæ ſucceſſorem oſtentaret. Nullo ipſi iure Picenum deberi; ſed iniqua arma, illatamq́; populis vim fuiſſe. Pontifici ſua potius, ſine labore ac ſanguine cederet, & in ſecura tranſiret; ad quæ affinitate, & caritate Soceri vocaretur. Nihil ditionis Mediolanenſis in Venetos abire, quod ipſi non adimeretur. Id præcipuè curandum, nè hoſtes poſſeſſionem nanciſcerentur; intruſos nullis conatibus exigi. Paria ad Ludouicum perſcribit; ſiue verborum pœnituerat, ſeu Venetos eo præſidio tutos opinatus; ipſum licita arma tractare nouerat, ideoque profutura. Nullo hactenus maiori dubio irretitum ſe Sfortia cognouit; hinc deſerendi Piceni, illinc Mediolanẽſis imperij iacturâ diſtractus. Nec enim adhuc deplorata Prouinciæ Dominatio; & ſi omitteretur, non illicò Mediolanum acceſſurum; ſed ſanguine ac labore opus; vt nuptiæ cum illegitimâ, & quam ſucceſſio non attingat, contractæ; Romano Imperio, aut certè reliquis è familiâ præferantur. Quò tardior deliberatio fuit; cum interim Attendolus, & Gonzaga, iunctis exercitibus, ſecundum Cremonam cõſediſſent. Mediolani belli cauſâ, cum miles omnis ſpe victoriæ, expectatione prædarum, ſui Domini conatus ſequeretur, Mirandulanus Comes, ſecretis odij cauſis (niſi recentes pro limite agrorum contentiones erant) Cẽtum octuaginta equitibus, Trecentis fermè peditibus in Mantuanum irrupit; nec ante populatione abſtinuit, quàm Poggio ſuperato, Reuerum adſidit. Id (vt cuncta noua) ſtatim Mantuam, mox ad exercitum per diſpoſitos equites delatum eſt. Annibal Puſterla tum inter alares equites turmarum ductor, iuſſus Pado Reuerum decurrere, & glomeratâ ruſticorum manu, in Mirandulanum prorumpere; ne deſtitutos ſecuritate fines, aut inultam iniuriam hoſtis opinaretur. Sed iam rapinis oneratus Mirandulanus in tutum euaſerat; nec præter Villarum excidium, camporum ruinam, iumentorum abdu-

Ludouicus pro Venetis.

Philippus orat auxiliũ à Sfortia.

Digitized by Google

abductionem, quidquam explendæ iræ, reddendiue odij admiſſum. Iuſſi tamen incolæ ſemper in armis eſſe; & conceſſa Puſterlæ prouincia; velut cū præſentiâ ſeruaret, vindictam futuro reſeruaret. Mediolanenſes interim, dum Vicecomes poſcere auxilium à genero procurat, Cremonam acri obſidione, aduerſâ Venetis parte cinxerāt: Nec minus campeſtri pugnâ, cum Venetis ac Mantuano congreſſuri ſperabantur. Sed expectati à Florentinis præſidij ſpe illecti (quò vniuerſi ſimul incumberent) pugnam arte diſtulêre. Quippe ſecretorum apud Venetos exploratores, diffidere Attendolū ac Marchionem, eodem bello vtrosq; exercitus, non conſilijs vti; primas Attendolum poſcere, obniti Gonzagam detulerant. Hinc præcipitem aduerſarum virium lapſum; & in manu victoriam opperiebantur. Tertio poſt die Florentini, mille equitum, tria peditum millia Cremonam miſêre, Duce Guido Antonio Fauentino, vt bellum traheretur; donec hoſtiles diſcordiæ, cunctis proficerent. His copijs aucti; quamquàm October hibernis frigoribus incubuiſſet; leuibus tamen prælijs, oppoſiti exercitus congreſſi ſunt: Sic iubēte Vicecomite; qui iam ſaniora conſilia, & generi Sfortiæ caritatem induerat. Contra Veneti ac Gonzaga, tarditate hoſtium vires ſumebant; propinquis auxilijs, & effugijs. Id Picininum deſerere obſidionem, & in tutum ſe recipere coëgit. Diuertiſſe tamen Caſtilionum ferebatur; & ſponte incolas in poteſtatem ceſſiſſe, pacto ſalutis ac facultatum. Pulſis Cremonâ hoſtibus; non tamen Attendolo ac Gonzagæ, fortunâ belli ſatisfactum videbatur; niſi abeuntem Picininum, traiecto Olio flumine aſſequerentur. Et Picininus quidem ad Caſale maius reſtitit; ne in itinere depræhenſus, totis copijs decernere cogeretur. Gonzaga præcipitosè labentem hoſtem inſequi, relictâ à tergo prædâ, quam nemo ſeruaret, fruſtratoriū ratus, Montis Briantij regionem omnem, equitatu expedito populatus eſt; abductis armentis; & ditatis prædâ militibus; quos odium, inuidia, auaritia, per hoſtilem agrum raptabat. Potiora Mantuam tranſmiſſa; multa exercitui eeſsêre; vt qui viuidam operam contulerant, prædæ dulcedine accenderentur. Sed Attendolus aliò delatus, per literas Marchionem orabat, communis cauſæ ſocius accederet; & pulcherrimæ victoriæ, quæ præ foribus ſit, partem capeſceret; quamq; fuga, ac formido in hoſte, promitterent. Obtemperauit Gonzaga; iamq; Picininum Olio aduectum deprǣhēdit. Miſſi exploratores docuêre; inſulæ, quam Flumen ambit, exercitum omnem ab inimico coactū; impoſito ad dexteram ponte; per quod frumentatores, & lixæ, cuncta exercitui neceſſaria, tutò traducerent. A tergo ſocios populos commeatum ſumminiſtraturos. Haud longè S. Ioannis Oppidū Mediolanenſibus habebatur: Ergo profectus cum expeditiſſimis Ludouicus, deditionem recepit. Annona ſolùm imperata; non vt copijs proficeret, ſed ne hoſtis potiretur: & ne ſæuitiâ & excidijs Caſtrorum, ambigui, in obſtinationem præcipitarentur. Demùm ad teli iactū, hinc Veneti, illinc Mediolanenſes conſedêre: Dilataque in ſequentem pontis oppugnatio; quem Picininus tormentis, & fortiſſimis ſuorum munierat. Orto die magnis vtrinq; conatibus concurrêre: Attendolus

Florētini pro Mediolanenſibus.

Ludouicus Mediolanēſ ditionem populatur.

dolus præcipuè, Pontis vnius præſidium, violentiæ obſtare, pro ſcelere habebat. Sed cuſtodiæ impoſiti, tormentorum ictibus frequentiſſimos proſternere, propugnaculis ſuggreſſos reijcere; & cominus pugnantes ſagittis confodere: hi peruicaciâ, illi munimẽtis cõfidere. Medio ardore pugnę loci gnarus defert, poſſe longius à certantibus, Amnem vado ſuperari; ſeq; ducem itineri offert. Nec inerat dolus: Secuti quippe indicem cũ Ludouico Octingenti equites, totidem pedites, facilem acceſſum, nec hiantem Amnem deprahendêre. Toti in pontem Picininus & Attendolus erant; cum in latus Gonzaga inuehi, & perrumpere aduerſos auditus eſt. Picininus, quẽ munimenta ſollicitum reddebant, cætera ſecurum; vbi aliò penetraſſe hoſtes, & eandem fronti ac lateri vim experitur, magnâ cum ſuorum cæde, profugus ad vlteriora tranſgreſſus eſt. Multi Mediolanenſium in poteſtatem deuenêre; præter equos, currus, tormenta bellica, & commeatus. Quæ in commune profutura credidêre Duces, publico vſui reſeruata. Cæteri, quiſq; ſuos ſpolijs, ad ſatietatem expleuêre. Senatus cui vincere, vtiq; victoriâ familiare erat; Dandolum cum electis Cremonam miſerat, vt ciues in officio haberet: Nam aduentantis Sfortiæ fama, auellere deditos poterat; & ſuſcitare ad res nouas. Neq; enim Mediolanenſibus, pręter Ducem aliud deſiderabatur. Vbi Picininus Addam attigit, abiectis quæ fugam, celeremq; tranſitũ morabantur impedimentis, Mediolanum petijt. Et Ludouicus cum Attendolo, Mediolanenſem ditionem adusq; ſuburbia Ciuitatis populatus eſt; impoſito Adduæ præſidio, ac ponte; quò acceſſus, reditusq;, ex arbitrio eſſet. Crema ac Lodium immunitæ, vim expertæ non ſunt. Nec Ludouicus oppugnationem temporis ratus, diutius hæſit inanibus. Prmatura hiems Venetæ fortunæ curſum interrupit; nemine dubitante, ſi duos menſes pugnatũ foret, Mediolanum victoribus acceſſurum. Hoc rerum ſtatu Philippi potẽtia erat; cum vocato in ſubſidium Alphonſo Rege Neapolitano, quem regni, & libertatis beneficio obſtrictum, ſibi nouerat, ad Sfortiam generum preces mouit, (vt diximus) ne debitum ſibi Imperium, in Venetos elabi ſineret; ſed ſe Socerum, ſenem, tot difficultatibus illigatum, periculo coniuratorum eximeret. Cæſar quoq; Martinengus metum addiderat: Nam acceptas ab Alphonſo Rege pro Vicecomite copias, perfidiâ malus homo corruperat, & ad Venetos verterat; ſiue amore Senatus; ſiue fortunæ, quam fidei ſtudioſior. Sfortia qui ſeruandæ Cremonæ deſiderio, externam opem implorauerat, vbi ſtipendia ſibi à Florentinis debita, non tranſmitti; & Venetos nõ protectione contentos, proprijs commodis inhiare vidit, irâ ac dolore diſtrahebatur. Sed Florentini ambiguum animi, & in hoſtem flecti facilem, pecuniâ ditare noluerant: quâ contra res ſuas vteretur. Et Veneti eâdem ſuſpicione expedire crediderant, ſi Cremona præoccuparetur; nec acceſſione nobiliſſimæ Ciuitatis, res hoſtium increſcerent. Facilè reddi aliena, ſi cætera promiſſis reſpondeant. Sfortiæ ad Senatum literæ in hanc formam fuêre: Se collatæ operæ beneficio teneri, & vicem redditurum. Sed quando ſatis deſiderio ſuo factum ſit; orare, vt Cremona præſidio, & adiacẽtia milite purgentur.

Se

ſe Philippi ſecurum, & recipiendæ poſſeſſioni, quæ nullo obice concedatur, aduenire. Et quandò inſidas promiſſiones expertus ſit, ei hæſurum, qui votis reſpondeat. Illi retulere; magnam ipſis erga Sfortiam caritatem; etiam præteriti belli memoriam ſupereſſe, quo Veronam recepiſſent: Miſerorum oppreſſores inuiſos Reipublicæ; & abeâ, acceptum ſemel beneficium duplicato exſolui; Speciosa oratio, inanis promiſſio: Credebaturq; habita dominatio (ſi retinendi ſpes ſit) quamuis cùm inuidiâ non concedi. Certum Sfortiæ erat, oppreſſum Socerum, vbi per virtutem ac vires ſuas licuiſſet, periculo eripere; & cum Venetis niſi hoſtilia depoſuiſſent, ad bellum vſq; procedere. Quæſita in hunc vſum amicitia, conductus miles, data Socero ſpes; quem ira Italorum Principum in Senatum premebat. Id Venetos omnium perſpicaces, haudquaquam fefellit. Et quoniam adempta Vicecomiti Cremona, magnaque Mediolanenſis agri portio erat, denigrari etiam Sfortiæ famam ex vſu reputarunt. In contumeliam circumferri procurauerant, inualidum ignauumq; Ducem eſſe, quem caſtrum vnum Gradariæ, tam diù retinuiſſet. Quid ex eo ſperandum, ſi fortiſſimis Longobardiæ Arcibus recipiendis, animum intendiſſet? Addebant neglectum Socerum, & in diſcrimine poſitum, non ante ſubſidio adiutum, quàm ſpem futuræ dominationis accepiſſet. Sapientiores, Senatus fiduciam interpretabātur. Vt plerumq; acerrimè apud cæteros reprobamus, quę ipſi proſequimur. Dandolus ſecus Veronam diù habitus; non tamen ciues in Venetos minis aut promiſſis corrumpere potuit; Sfortiæ militibus imperium Vrbis, ac munimenta ſeruantibus. Ducibus Fuſchini, & Salernitani nomina erant. Ab his Sfortia per literas monitus fuerat, Venetos poſſeſſioni Vrbis adſpirare; & deprahenſos qui per ſecretum deliberauerint, quomodò Michaël Attendolus, & Marchio Mantuanus admitterentur. Se quidem in fide manſuros; ſed præſentiâ domini opus, ſi res ſuas ſaluas velit. Quin Cremonēſes nobiles in Marchionem proniores, non auerſari deditionem; nec ipſum ſpem abieciſſe; quandò cum nobilitate ac virtute, promptum fortunæ augmentum, turbæ, temporumq; corruptela reddiderint. Hæc præcipuè ſuſpenſum Sfortiam perpulêre, vt omiſſo Apennino, & ſecluſis quæ morabantur, etiā Piceno poſtpoſito, ad Socerum properaret; quamuis non formidine Pontificis magis, quàm ſpe dominij illectus, certam ferè Piceni iuriſdictionem deſeruiſſet. Mediolanenſes tamen, quiq; iuſtitiæ, aut vectigalibus præerant, ſecretisq; aduocari ſoliti, etiam audiente & obmuteſcente Philippo, præcipitata conſilia calumniabantur; quòd quem adiutorem aduocare debuerat, dominum opperiretur. Quippe in Sfortiâ inexpletum dominandi deſiderium eſſe; & vbi aduenisſet, Ducem precariò regnaturum. Quæ licet cunctātem Philippum, mittendæ genero pecuniæ reddidiſſent, auctâ tamen neceſſitate, & præualente Veneto, quâcunq; conditione recipere feſtinauit. Et Sfortia libens acceſſit; miſſo auro, procul ſimulationes eſſe ratus. His fermè diebus; nam Milleſimus quadringenteſimus quadrageſimus ſextus vertebat, Ludouicus partito cum Attendolo exercitu, montana Mediolanenſium obequitans, Comēſem 1446. *Ludouici, & Attendoli progreſſus.*

ſem Ciuitatem recepit; nec ille ſegnior Briuiũm occupauit. Mox Leccum vſq; militem deduxêre; cuius poſt irritam obſidionem, quadrageſimum iam diem immoratus, recipere ſe Marchio coactus eſt. Interim Vicecomes Alphonſi Regis precibus inductus eſt, citis equis Sfortiam orare, vt Ieſi Ciuitate Nicolao Pontifici permiſſâ, ſalutem Mediolanenſibus pręſentiâ afferret. Et ne Sfortia egeſtatem pecuniæ, deducendo exercitui cauſaretur, numerata triginta millia nummûm aureorum, quę commeatui ſufffectura credebantur Pontifex ipſe, quò infenſum ſeponeret, ſpecioſa de Sfortiâ, & ingentes pollicitationes perſcripſerat. Nec ille diutius ſui deſiderium paſſus, rectâ in Longobardiam contendit, conſilium è tempore ſumpturus. Non multum progreſſo, delatæ ab Eſtenſibus literæ ſunt; quæ Philippum Socerum, fato functum docebant; addebantq; animos, ne diſcrimina paueſceret; ſed infractus Soceri hęreditatem per arma repoſceret: neq; diſtinguebant, iurene, an per iniuriam peteretur; idq; pacto, an Imperij conceſſione liceret. Sed vtriq; publicis calamitatibus vſi, ſuas aduerſus Venetos iniurias vltum ibant; ne ipſi potentiâ validiores; ad nouã vindictam reuerterent. Vni Philippo Vicecomiti (quod rarò alijs euenit) commendationem auxit, ſumptum conſiliũ. Et tamen atrocior fama dominantes excipit; cùm liberè eloqui, ipſis viuentibus perniciem maturet. Alij fortitudinem recepto fratris patrisq; imperio, quod Tyranni per vim nullo honeſto titulo occupauerant, celebrabant. Prudentiam alij extollebant, quòd hęrede filio, aut fratre deſtitutus, fortiſſimũ delegiſſet, in quem filiam cum imperio trãsferret; Plures magnitudinẽ animi, recolebãt: Captum enim ſuorum Ducũ induſtriâ Alphonsũ Neapolitanum Regem, & Regno, & libertati reſtituerat, nullâ expenſarum mentione; ſed & pecuniã conceſſerat, quâ cum honore ad ſuos rediret. Datum ab hoc Principe Carolo Quinto Cæſari exemplum, quò ſummâ cum gloriâ, aduerſus Franciſcum Gallię Regem vteretur: Datum & Ludouico duodecimo Gallo, quò ſibi ęternum decus, capto Ludouico Sfortiâ ac dimiſſo, compararet. Sed diutius praui mores durant, quàm bona exempla; & promptiores mortalium animi quæſtui ſunt, quàm exiſtimationi. Properanti Sfortiæ defertur, Placentiam, ac Lodium ad Venetos flexiſſe: quo ille nuncio perculſus accelerauit; nè ſeditioſis tempus, aut ambiguis occaſio deſciſcendi eſſet. Cùm męſti circum Tribuni amiſſas Ciuitates quererentur, reſpondiſſe fertur; perfidis & pronis ad res nouas, non diuturnam eiuſdem deſiderij voluptatem ſubeſſe; ſed quâ facilitate diſceſſerint, pœnitentiam reſumere. Mediolanenſes libertatem appellaſſe mollius accepit, quàm ſi Venetos recepiſſent. Nam fortitudinem prudentiamq; Senatus nouerat; tantò Mediolanenſibus potiora, quantò magis apud illum in commune conſulitur. Spes tamen melior affulſit, vbi ſe ciuilis libertatis aſſertorem appellatum audijt; & eo nomine habere in partibus Carolum Gonzagam Marchionis Ludouici fratrem, qui bis mille equitibus præſidebat; & cæteros quos ſi nõ imperio, exiſtimatione ſaltem continebat. Non ille tamen patriam libertatem, ſed vniuerſorum imperium meditabatur. Siue id ſpei concepiſſet; ſiue facilius

Philippi mors.

Carolus Gonzaga pro Mediolanenſi.

crederet, vniuerſos quàm ſingulos impelli; nemine æmulatum ſpe dominationis exercente. Mediolanenſium conatus præcipuè Caroli Gonzagę, ac Picinini ſimultates retinere viſæ; Picininus virtuti potius, quàm magnitudini natalium (quamuis nobilitatem inter fortunæ bona non referret) armorũ peritiam, famamq́; prudentiæ circumdederat; Carolus potentiſſimas familias maioribus ſuis complexus, Picininum vt inferiorem, & nullis imaginibus notum contemnebat. Verba quoq; interdum inconſulta elabebantur, quæ amici ſpecie officij augebant, deferebantq́;. Ludouicus ſtudio in Venetos, Carolum fratrem literis increpuit, quòd hoſtibus contra ſuos deſeruiret; monuitque indecoram militiam deſereret; aut æternûm ab eâ Patriâ diuideretur, quam armis aggredi non erubuerit. Ille amicitiam, ſtipendia, & inania rationum cauſatus; vbi excuſationes reijci vidit, etiam ad minas conuerſus, potiorem locum, veterem erga Parentem contumaciam, & Cæſarum ſuper eâ re Diplomata improperauit. Quod iniquius, quàm vt Principi obijceretur, Ludouicum permouit, vt Edicto rebellem, contumacem, & maieſtatis reum fratrem proſcriberet. Et quia molliora correctioni nō proderant, Cenſum Caroli omnem in Fiſcum vertit; & Caſtella teſtamento patris conceſſa, in domum tranſtulit. Tum Carolus rabie actus; etiam vitæ fratris infenſum ſe profeſſus eſt, auſusq́; ſicarium mittere, qui delibato munere illectus, flagitium tentaret, ſpe maiorum. Tantum inteſtabili temeritatis fuit, vt medio foro, inter armatorum Centurias incedentem Ludouicum pilo iacto petierit; nec tamen niſi dextro fęmori telum hæſit; & curata intra octauum diem plaga eſt. Sed ille ſtatim captus, & ſeruili morte correptus, auctorem teſtatus eſt. In Carolum tùm literis animaduerſum: Neque enim Ludouico ſæuitia tanta erat, vt fratrem reddito dolo peruerteret. Carolus cuiuſcunq; moræ impatiens, inculcatis literis ac nuncijs Sfortiam accelerabat, communes iniurias obijciens, & effectuum in quos tenderet, facilem exitum. Ille fortunam ab exitu ratus, vbi Placentiam attigit, modicis ciuium excurſibus, Ciuitatem exactis Venetis recepit; additoque quatuor millium præſidio, ſpem induit, prout prima ceſſerant, fore vniuerſa. Nam ad altiſſima ab extremis ſtatim tranſijt; auſus ad Ludouicum mittere epiſtolas, cum mandatis; redderet Carolo Oppida, quæ ipſi in partem ceſſiſſent; & quæ nullâ iuſtâ cauſâ ademiſſet; Eam ſibi pro amico curam incumbere; nec aliâ fortunâ Caroli res, quàm ſuas fore. Ludouicus licet non niſi Cæſaribus reddendam facti rationem ſciret, inſiſtendum tamen bonæ famæ credidit, Sfortiamq́; docuit, quàm honeſto nomine, in fratrem longâ peruicaciâ notum animaduertiſſet. Philippi Soceri ſui benignitate, fratrem Carolum peiora meritũ, relegatione in Liguriã miſſum: quòd rebus nouis ſtudens etiam Mediolanēſes ſeditionibus extuliſſet. Sed Octuaginta millium aureorum ſummâ, caueri ſibi voluiſſe; ipſum exilio, & modeſtiâ in futurum vſurũ. Iuuenem affrēnatæ mentis, vanâ ſpe illuſum præcepti reuerentiam fregiſſe, & datis à Philippo terminis exceſſiſſe. Neq; hìc flagitium ſtetiſſe; ſed arma in ſocios, amicosq́; tentaſſe: Etiam Luccēſes pecuniâ multatos. Inde Ducē indi-

A Ludouico fratre rebellis declaratur, & Oppidis exuitur.

indignationi properum, miſiſſe qui à Ludouico pecuniam repeteret; additis etiam ex bello minis, niſi illicò ſolueretur. Neq; tamen vexatione fratris, Carolum ſaniora capeſſiſſe; ſed cum ingentem auri vim, luxui, ludoq; inſumeret; requiſitæ à ſe ſummæ, ne minimam quidem portionem reddidiſſe. Accepta quæ poſſederit Caſtella; non vt prorſus negaret; ſed vt velut pignore, dum Carolus pecuniam tranſmitteret, ſeruarentur. Sfortia vlterius inſtare ſuperſedit: ſiue cauſæ honeſtatem, ſiue quamuis negata, bello repeti deberent, æſtimaret. Non ideò tamen Ludouicus arma deponere, aut firmatum cum Venetis fœdus reſcindere voluit; ſpe repetendi quæ amiſiſſet; & gloriæ, quam labore ſectabatur. Veneti vbi victorem Sfortiam ad Placentiam accepêre; & nouis indies exercitibus augeri; præcipitatoq; itinere Cremonæ primùm; mox non longè Carauagio conſediſſe; ne acceſſu primo, famam ſucceſſibus propagaret(quâ non minus quàm armis pleriq; ducuntur) Attendolo ac Ludouico per literas imperant, firmiſſimis præſidijs Oppidum teneant; ipſi quatuor, aut ſex millibus paſſuum diſtantes, occaſioni parati ſubſiſtant; ſiue Carauagio auxilia inferenda; ſiue pro victoriâ ac famâ rerũ pugnandum foret. Attendolo ſupremus in militiâ locus erat; quòd tamen Sfortiæ amicitiæ plures annos inſueuiſſet, crederetur q; bellum faſtu non hoſtili odio proſequi, miſêre Bembum procuratorem, qui Ludouico bellum, pari ac Attendolus auctoritate curandum iuberet: nullâ illius ambitione, Attendoli ingenti indignatione; tanquàm fidei ac virtuti, plures annos expertæ, Senatus diffidiſſet. Hinc in Attendolo negligentia, quæ Gonzagæ precibus monituq;, non corrigebatur. Nec Ludouicus omnia exequi ob inuidiam audebat; ſed in ſuos operâ, in alienos monitis, conſultoris ac Ducis vices ſtrenuè obibat. Attendoli negligentiam ſecuta ignauia; quæ etiam Ludouici militem in præceps trahebat; ſolutâ diſciplinâ, & paucioribus ſigna ac imperia proſequentibus. Sfortia euentu, & hoſtium diſcordiâ elatus, viribus ac numero gliſcebat; delatis ad ipſum pluribus amicorum millibus, & ſolutâ pecuniâ; quæ licet modica longo bello, frequens tamen conferebatur. Poſtremò multis Oppidis eâdem fortunâ receptis, Carauagio ſucceſſit, validi Caſtri obſidioni intentus; vt eius exemplo, proxima quæque traherentur. Qui munimenta ſeruabant, conatus hoſtiles irridere viſi; nec enim tormenta, commeatus, iuuentus deerat. Verùm Sfortia omnia exercitu compleuerat; magnaq; equitum vi, infeſta omnia reddiderat; vt nõ egredi, non ingredi cuiquam liceret; niſi magno prælio vniuerſi perrumperentur. Interim continuis ictibus munimenta quatiebantur. Non nocturnis tenebris, non diurnis ardoribus requies interpoſita. Nam longam obſidionem ſibi inutilem, acceleratam proficuam nouerat. Didicêre obſeſſi plus negocij factis, quàm dictis eſſe. Ergo miſêre ad exercituum Duces, qui periculum docerent; niſi illicò ſubſidio adueniſſent. Et Attendolus, parum opportunitati reſpondens, inclinabat: Contra Ludouicus miſſo nuncio Senatum monuit, nullis viribus Carauagium ſeruari; nec niſi vniuerſi in diſcrimen dentur, poſſe munimentis copias induci: Expedire Senatui nutrire cunctatione

tione bellum; & auertendo Sfortiæ, Mozanicam obſidione vallare. Sibi inſtructas copias, & pecuniam neceſſitati ſuppetere. Cōtra hoſti etiam commeatus in tempore defuturos. Negocium aduerſus deſperatos ſumi; qui temeritate in periculum ruant, nullâ ſpe meliorum, aut peiorum metu. Neq; enim aut pulſos, aut exutos armis iacturam facturos. Mediolanenſes inter Picininum, Sfortiam, ac Carolum fratrem, ambiguos eſſe; nec poſſe inter diuerſos, concordiam diutius ſeruari. Multos libertatem obſtrepere; quæ tamen Venetis ingrata, eo nomine accepta ſit: quòd tali prætextu plura ad Venetos, quàm veteres dominos tranſierint. Attendolus fortè veritatem doctus; ne tamen plus in alieno conſilio, quàm ſuo, fiduciȩ eſſe videretur, palam refragari; & vtilem celeritatem profiteri cœpit. Tranſigendum vno ictu bellum, & ſucceſſus dubium hoſtem, magnâ acie propulſandum. Vicit eorum ſententia, qui pugnandum cenſebant; & velut ad certam victoriam progreſſi, orto Sole, Sfortiam inuasêre. Ille conſtantiæ memor; & hac dimicatione parari ſibi ſtabilem dominij poſſeſſionem autumās, hortatus ſuos vt acriter incumberent, ſeq; ſanguine, ac ſpolijs ſatiarent, vniuerſos eduxit. Plures ſuorum; ex quêis maior ſpes victoriæ, vt perditas res reſtituerent (id enim tituli fuit) Picininus turpi inuidiâ, pugnaturis auulſerat: Niſi id tutelæ ſatis credidit; & perdere reliquos in animo erat, hos ſeruare. Parte aliâ Ludouicus, certam ſuorum ſtragē prædixerat; id ipſum Attendolo, Ducibuſq;, & Senatui conteſtatus: Recentem enim Sfortiam, victoriâ militem elatum, à tergo tuta omnia, Picinini ſegnitiem metuendam. Neq; tātùm certādum erat; ſed per abrupta, & hoſtibus cuſtodita euadendum erat; loco Venetis iniquo, Sfortianis commodo. Ne tamen virtutis æmulationem auerſari videretur (quæ inter ancipitia probatur) cōſtanter pugnam capeſſijt. Et primus quidem impetus validior, ægrè à Sfortianis tolerabatur. Quod ſi ſtabili perfidiâ Picininus perſtitiſſet, pulcherrimo decore Venetûm, Marchioniſq; res adornaſſet. Sed Sfortia vbi ſuos inclinare, & niſi ſuccurreretur, manifeſtum exitium vidit; delatus in copias Picinini, detecto vertice, & clarâ voce obteſtatus eſt, eripi ſibi gloriam ignauiâ quorundam: Mox vltrò progreſſus; Sicſine (inquit) commilitones, velut ſecuri, veſtram perniciem, & fuſum pro gloriâ ſanguinem à longè ſpectatis? Num cæſis qui congrediūtur, niſi indecoram deditionem opperimini? Eadem cauſa vniuerſos impellit: Honorem ac laudem, quāquàm fuſi, ſoli habebimus; vos ſpecioſiſſimus militum numerus ignauiæ ac perfidiæ famâ, æternûm diſtrahemini; niſi diſcrimini occurritis. Senſêre ſtipendiarij neceſſitatem; & ex veritate & honeſto turpitudinem improperari; pariterq; erupêre, vt eluerent. Serum ſed vtile auxilium attulêre, pulſis extra foſſas & aggerem Venetis, pro quibus certabatur, & per aperta agitatis. Tanta conſternatio impulſorum fuit; vt non precibus, non auctoritate Ducum retineri poſſent. Quò maior ſtrages fuit, dedecore, ac iacturâ. Nobilium plerique mentito habitu, dum armis equiſq; relictis fugam agitant, depræhenſi, & ad victorem Sfortiam deducti; eundem quem virtutis, etiam clementiæ ſummum experti ſunt. Ludouicus

Veneti à Sfortia ſuperātur

Ccc 2 eâdem

eâdem conſtantiâ; Attendolus, ferâ virtute, etiam ſupremo diſcrimine, multos ſuorum in globum actos, ſubſecuto hoſti obiecêre: Sic ſenſim collectos in tuta deduxêre; & continuâ dimicatione fractũ Sfortiam, hac gloriæ parte fraudauêre. Decem fermè hominum millia eâ pugnâ deſiderata traduntur; & magnâ prædâ abactâ Sfortianus exercitus expletus eſt. Carauagiũ tantâ dimicatione celebre, ad victorem defecit; impoſitoq; præſidio, cæteri in Brixianos rapti; ſi famâ victoriæ, nouis conſilijs acceſſiſſent. Aſola, & Lonatum, quæ maximè in votis erant, irrumpentes nullo metu ſuſtinuêre. Et ne tantæ ditionis pars minima, tam diu victorem exercitum moraretur, ſuperare Mincium Sfortia iuſſit; lectiſſimis equitum in prædam, ac rapinas inductis. Feſtinatione plus opinione vtebatur; adeò vt famam præuerteret; Ingentes conatus eâ haberi, & tarditatem, conſilijs hoſtiũ proficere credens. Ludouicus tamen, collectis duobus equitum, tribus peditum millibus, pro Mincij intimâ ripâ conſedit; iuſſis à tergo ſubſequi alijs; etiam pugnam auſurus, ſi ſuperato Amne, hoſtes ſucceſſiſſent: Sed præcipiti, nec ſatis perſpecto vado tranſmeandus, & peruicax fidei Marchio, cunctationem incuſſerat. Simul, qui aderant, regredi Mediolanum; & certa primùm, mox dubia repetere conſulebant. Quamquàm ſubſequi pacem poſſe ſperarent; per quã reſtituenda Dominis ſua forent. Incertus quoſe munimine abderet, & quâ ad ſuos regrederetur, cuneus militum Mantuanorum, cum non longè Canneto ſuos requireret, in temerè populantes Mediolanenſes, inuectus plurimùm formidinis addidit; nec cladis reliquiæ; belli neruus, & in vindictam præteritorum delatus, creditus eſt. Itaq; non diſtincto multine, an pauci, peditesne vniuerſi, an equites eſſent; verſi in fugam victores, iumenta, arma, currus ſpolijs onuſtos omisêre; & quâ breuius effugium creditum, euasêre. Mantuani nullo licet Duce, fortunam tamen in virtutem flectendam gnari, actis ante iumẽtis curribusq;, feſtinato regreſſu, vniuerſa trans Olium, Marcariam deduxêre: quodq; pronum mortalibus, cum fortem, metum hoſtiũ, errorem tacuiſſent; audaciam, fortitudinemq; faſſi ſunt. Et Marchio credidit; quamquàm paucitati diffideret. Potiſſima prædarum pars ad recipe-ratores abijt, iubente Domino; præmio virtutis, exemplo futurorum. Seruatâ Aſolâ, ac Lonato, victoriq; exercitu longè à Mincio habito, etiam ſpolijs receptis, qui res Venetas, aut Mediolanenſes ſtudio tradidêre, magnum Ludouico nomen, & per ea tempora celebre partum, retulerunt. Non fortitudo potius, quàm prudentia commendabatur; eratq; adhuc in ore famæ, neglectum eius conſilium, quo voce ac literis nixus obiecerat, pernicioſam dimicationem ſumi, aduerſus deſperatum; & cuius res tempore vaneſcant: cunctatione frangi, & ſupplicem haberi par fuiſſe, quod ipſi non pecunia, non certi militum ſuorum animi forent. Eò turpior Caroli fratris fuga pugnæ initio viſa: Leui enim oculi vulnere ſaucius, non ante trepidationi finem poſuit, quàm Mediolanum delatus eſt; amiſſas, detritasq; Sfortiæ res conteſtatus. Sunt qui aſtu iuuenis id tentatum opinentur; vt deſpecto Sfortiâ, ſumma rerum in ipſum flecteretur; pulſoq; competitore maiora

cre-

ſeditis aggrederetur. His fermè temporibus, Paula Ludouici mater, tædio curarum, filiorumq́; diſcordijs ſauciata; quandò non imperium, non preces valebant, vt non opum, ſic nec dominationis deſiderio anxia, ſeceſſionis ſecura, & ſecreti; id primùm à Ludouico flagitauit. Nam accerſitum filium, ſic fertur allocuta. Quadrageſimus annus vertit Ludouice, ex quo parenti tuo coniunx acceſſi; octauus vt amiſſo, in luctu ſupero. Mihi certum eſt æternitati prouidere, & quod temporis ſupereſt ſaluti cõferre. Non ego pubeſcentes filios, aut dominationis ignaros, aliorum libidini prædæq́; obijcio; ſed te maturum annis, reliquos virilitatem ingreſſos, proprijs curis pares, adminiſtrationi relinquo. Nõ omnibus eadem ſalutis via; nec vniuerſis, ſolitudine Numinis cultus procurandus. Eos fallere expedit, qui nullis negocijs illigati, nemini vtiles, futuro virtute proſpicere neſciunt. Nec ſi vos deſero, iactura eſt; ſed ſeceſſus, & fuga diſtractionum. Vnum oro fili, per maternam pietatem, nec quidquàm aliud in poſterum oratura; vt deerrantẽ fratrem amplectâre; & contumaciam generoſâ indulgentiâ ſuperes. Errauit fateor; ſed vt nullo ſcelere neceſſitudines ſuas magis lædere potuit, ſic tu non alio certiori inditio, magnitudinem animi es approbaturus. Plus in hoſte beniguitate interdum, quàm ſæuitiâ proficitur. Et nullum maius diſpendium, quàm ſui ſanguinis eſt. Mihi nîl aliud peto, quàm vt liberi, maternam famam exemplo proferatis; liceatq́; modicam pecuniam, vitę neceſſitatibus errogare, cenſui immenſo familiæ abſtractam; quam me tamẽ Ducentorum millium ſummâ auxiſſe nouiſtis. Vbi filij aſſenſum accepit, Nurum, filios ac nepotes amplexata, Diuę Paulę Cęnobio ſeſe abdidit. Quátum vtilitati domus detraxerit, quæ ſecuta ſunt tempora docuêre; teſtataq́; Ciuitas omnis iacturam; cui pietate, comitate, largitionibus Parentem egerat. Addidit paucos inſtituto vitæ annos; inedia, & aſperitate victus ſuperata: Niſi affectus pietatis in filios, ac Carolus præcipuè fratri infenſus, plus ad finem potuit; quàm ſolitudo ad incolumitatem. Habitus tamen extremis honos; & magnâ ſanctimoniæ exiſtimatione commendata, in poſteros memoriam tranſmiſit. Quidam Carolo proniorem crediderant; hinc Nurus ſimultatibus agitatam, nec filio corrigente læſam, ad extremum impatientiâ æmulationis pulſam. Detrito exercitu Veneto; non ea tamen fama ſecuta victorem eſt, quę plerumq́; validos conatus comitatur; & magnis animis Sfortiæ opus fuit; miſſiſq́; nuncijs exitum belli docere. Mediolanenſes velut certâ libertate vſi, ad exercituum ductores miſerant, vt ſuos; quò præſentia ac futura Reipublicæ arbitrio componerent. Picininus accitis Patribus, vt ſingulorum gratiam latius pararet, pacem non bellum in poſterum ſuadebat: Venetorum ac Marchionis Mantuani vires, & ſeruatas præſidio Ciuitates referens. Sed aliò tendebat, quàm vt Mediolanenſium gloriam meditaretur. Quippe ſi res proficerent, & retentus ſub pellibus miles ad vlteriora raperetur, Brixiaq́; victoribus acceſſiſſet; Sfortiæ, pacto tradenda erat. Etiam magnum viri nomen in ſuum vilipendium recolebat. Ille per literas facilem Brixiæ caſum referebat; delaſſatis omnibus ſeruitute Venetâ,

Paulę Ludouici matris exitus.

Marchione Mantuano ad ſua tutanda regreſſo, & recentis victoriæ formidine. Non expectandum, dum proprijs ac alienis viribus aucti Veneti, fortunam belli denuò experiantur: Incertos præliorum exitus, & fœdera, ſociosq; profectum Mediolanenſium in ſuum excidium interpretaturos. Nihil cæde hoſtium in ſummam profectum; niſi quæ amiſſa ſunt recipiantur; & potentis inimici reperatio virium præueniatur. Hæc ſententia, etiam dominationi Ducis metuentibus, ſecurior viſa: Adeò quocunq; nomine gloria, dedecori apud omnes antehabetur. Cæterùm Picininus per occulta, iisq; quæ volueret proniora, odio gentis, inuidiâ Sfortiæ, modò Ducem in nobilium ſuſpicionem trahere; modò Venetos per literas docere, ſi pacem vellent, honeſtiſſimis conditionibus habere poſſe; deniq; ſecretis officijs commoda Senatus promouere. Nec minus Nicolaus quintus Pontifex Romanus, tot malis finem aſſiduis literis, ac Legatis orabat; niſi ſæuæ & implacabilis diſcordiæ apparatum, in plures annos, vniuerſorum excidio vellent. Nam & Brixiam valido milite Venetos firmaſſe, vt quamcunque obſidionem rideret; & Gonzagam ſex hominum millibus, quos è ſuis Venetorum ſtipendio, continuè in armis habebat, aliò erupturum, reparato exercitu metuebat. Florentini quoque pulſo Neapolitano Rege, metu æmuli exſoluti, quatuor hominum millia auxilio Venetis miſerant; tria inſuper, ſi certandum foret, polliciti. Sed Sfortia magnitudine animi, coniugis precibus (cui Cremonâ in dotem traditâ, ſi Brixia adderetur, decora dominatio deſignabatur) filiorum caritate, ac paratis rebus elatus, pacem ac quietem auerſatus, Brixiana Caſtella deditione & vi recipere maturabat; vt cum gliſcere partium fortunam vidiſſent, metu dedecoris adminus qui bellum diſuadebant, excitarentur. Iam enim præſens Picininus, metus hoſtilis roboris, deſiderij Sfortiæ oſtentator, tardiores ad pugnæ curam Mediolanenſes reddiderat. Sed hic obſtrepentibus æmulis virtutem intendebat; ne delegato muneri indignus crederetur. Et quando iam validis legionibus ſeptus, adrepſiſſe militum ſe voluntati vidit, preces, minas, præmia Mediolanenſibus oſtentans, imperabat vt bello annuerent. Verùm omnia in irritum cadebãt; potiori Picinino, quàm vt negligeretur: & præſentia, vis, eloquentia plurimûm exprimebant. Angelus Simonetta, pacis, belliq; artibus iuxta celebris, ciuium Mediolanenſium, ac Picinini conſilia Sfortiam docuit; cui plures annos caritate, & obſequio deſeruierat; etiam cum ſoceri æmulatu exerceretur; ſuaſitq; petitam à perfidis, Venetorum gratiam præuenire: Quippe opportunam rebus præſentibus pacem poſſe componi, ſi amici operâ vteretur, quem cum fide, non ſemel expertus fuerit. Concedente Sfortiâ (neq; enim vniuerſorum arbiter erat, ſenſimq; aduerſus æmulos proficere meditabatur, & non eâ veſaniâ agebat, vt pacem vtilẽ abnueret) Simonetta Paſqualem (cui ſummam negocij Veneti delegauerãt) aggreditur; & nîl auerſantem Senatum in concordiã vocat; cuius hæc ſumma fuit: Pacem perpetuam Sfortiæ ac Venetis eſſe, bello captos vtrinq; reddi; Caſtella Brixiani, aut Cremonenſis agri ad Venetos redire; Cremam, &

Pax Sfortiæ, Venetis, & collegatis.

poſita

poſita ad Addam Oppida, reſtitui; quæ ſub Philippi exitum Mediolanenſis imperij fuerant, Sfortiæ velut hæreditate concederentur; Sex militum millia, communis Patriæ ſtipendio Duci eſſent, quibus Soceri hoſtes conſectaretur. Poſtremò, amici, hoſteſq; communes haberentur. Initijs dominationis vtilis haud dubiè concordia Sfortiæ credita; nîl tamen pace ſpecioſius, quàm quod bello habuerat, nactus eſt; & auxêre potentiam Veneti, certâ Ciuitatum poſſeſſione; quas inter diſcordias, vix retinuiſſent. Creditum corruptum à Venetis Simonettam, magno auro conſilium prætuliſſe; vt inſuperabilis Senatus ille eſt, quoties negociatione res tranſiguntur. Contemptu pecuniæ, eam prudentiam Patribus eſſe exiſtimo; cuius non alium potiorem vſum credidêre, quàm ſi pro dominatione erogetur. Nec certè ſi potentia bello quæratur, auro ignoſcitur; inſuperq; ſubditorum magna vis hauritur. Inter cōditiones pacis multa cum flagitio, aut nominata, aut omiſſa: Quòd quæ inferiores ſequerentur, à validioribus dicerentur, ne minorum iura, difficiliorem prolixioremq; negociationem redderent. Nemo enim ambigebat, datâ Sfortiæ militiâ, Mediolanenſium libertatem opprimi, iura Imperij negligi, & Ludouicum Marchionem eò maximè lædi; quòd pleraq; Venetis ac Sfortiæ conceſſa, ipſi deberētur. Primus tamen nominatus eſt; ſiue Sfortia cupiuiſſet, ſiue ſpecie honoris Veneti meminiſſent, crederentq; ab hoc vno poſſe turbari compoſita. Non enim Aſolæ, non Peſcheriæ, non Lonati toties irritè decantata iura recordabantur: ſed cum Excelſum, Nobiliſſimum, Strenuiſſimum, Marchionemq; ſcripto teſtati forent, potiora neglexêre, quibus omiſſis, turbarum occaſio ſemper ad manus eſſet. Ludouicus quem ſuſpenſum ac ſuſpectantem, rara hoſtium amicorumve conſilia fallebāt, habitâ cū pace; & ſopitis inter potentiores diſſenſionum cauſis, Sfortiam literis, in hunc ſenſum aggreſſus eſt: Amicitiam non noui hominis, ſed quem fortitudine ac virtutum maximis, multò ante cognouiſſet, ſocietate non minus, quàm ſponte cupiuiſſe; non vtilitatum, non commodi æſtimatione. Id vel hoſtibus patere: Non enim in eo Principum prudentiam credi, ſi cum ſpes ſuas, vireſq; reputauerint, reliquorum conſilia, vtilitates, ſtudia ſeponant. Eandem vtriq; belli cauſam fuiſſe, non minus illi honeſtam, quòd auulſa Mediolanenſibus, ſua credidiſſet; ſibi, quòd plurium annorum poſſeſſione habita, eripi per vim depræhendiſſet. Itaq; non vt proferret terminos, ſed vt propria reciperet; non expenſæ, non labori peperciſſe; potentioribus tamen imparem, damno antepoſitum. Non ſemper eodem ſtatu, euentus, fortunamq; eſſe: Mutari Imperia, & ad exitium properare, quæ olim floruerint; contra miſerrimos fortunâ tolli; deſpectoſq; ac neglectos, potiorem rerum partem eſſe. Populorum odia, ſuſpiciones; in Principe iuſtitiam, quæ rigorem æmuletur, parſimoniam quæ auaritiam, intus ſufficere; apud exteros plura eſſe, quæ voluant compoſita, iras, metus, inuidiam, fœdera, & cum deſijt occaſio, cuiuſq; propriam inquietudinem, pro cauſâ. His læſos & inualidos intendere; nec enim de modo recuperandi ſollicitos mortales etiam bonos, dummodo ſortiantur. Non ſe tamen memoriâ iniuriæ aut vindictę

deſiderio

Digitized by Google

deſiderio, præterita retractare; ſed eliciendæ per honeſtum pietati obijcere; vt refricatione viciſſitudinis humanarum rerum, etiam victorem admoneat. Si iuſtitiâ cauſæ, honeſtoq; Sfortia ac Veneti euicti, quæ concordiæ ſocio, velut pretio pacis ademiſſent, reſtituerent; ignoſcere iniuriam, neglectum condonare; familiæ tamen, & quæ Cæſares dono conceſſiſſent, largiri non poſſe. Sin vtriq; fraudi ac peruicaciæ inſtitiſſent, non vltores ſolùm Deos affuturos, ſed vniuerſas Europæ vires, precibus fatigaturum, dum in integrum reſtitueretur. Potentiæ quidem apud omnes magnam æſtimationem eſſe; ſed iuſtitiæ, æquitatiſq; potiorem; etiam iniuriæ cauſas ſupereſſe, quæ recolantur. Sfortia ingruens ſibi à libertatis aſſertoribus bellum, Mediolanenſes in faſtum elatos, nondum habitam Dominationem cauſatus, opportuna reſpõdere non potuit; vel ijs quæ poſcebantur alienus, vel impar reddẽdis. Neq; enim in manu ſuâ Veneti; nec illi alieno imperio ceſſuri credebãtur. Agnouiſſe tamen Marchionis fidem; & ſpem aliquam obtuliſſe viſus; ne Ludouicus deſperatione, fortitudinem, iraſq; reſumeret: quæq; ille aduerſus Mediolanenſes arma tractabat, nouo conatu aueiteret. Nam magnâ armatorum vi Ciuitas obſidebatur, Carolo Ludouici fratre ſuppetias ferente; qui lamentationibus, quàm auxilio frequentior, ſui nauſeam apud omnes mouerat; elatior quàm ſubdito Principi expediret. Sfortiam enim infra ſe habere, & Mediolanenſium arbitrum ſe iactare conſueuerat, vtriq; inuiſus, nemini fidus. Dum Sfortia Carolum ad matutinum conſilium vocat, quo de belli ſumma tractandum erat, non aliud reſpõdiſſe dicitur, quàm affuturum, ſi partium Ducibus placuiſſet; Et orto die, conſcio nemine, Mille & octingentis equitibus Caſtris auulſis in Mantuanos profectum eſſe; prędicto non ſe bello aut inimicitiæ accedere; ſed Caſtella à patre teſtamento permiſſa repetere. Nullam ſe vim, niſi obſiſtatur, inferre. Sed vbi præcipua à Ludouico poſſideri, & minores copias habere, quàm vt expugnationi ſufficerent, animaduertit, Mediolanum irrito conatu reuerſus eſt. Id tum Sfortia collectis vndiq; auxilijs, acriter oppugnabat. Ferunt Carolum diſſenſionis, inſtabilitatiſq; Ciuium pertæſum, ſecreto nuncio Sfortiam docuiſſe, quibus artibus Ciuitate potiri, & finis bello, minimo labore, imponi poſſet; Quamuis hactenus pro libertate Vrbis pugnans, multos Sfortianorum, apud Molzam, ferro ac vinculis coërcuiſſet. Electum quippe Carolum contra Sfortiam libertatis Mediolanenſium Ducem, & arbitrum, veteres Mantuani Annales pro certo referunt; tractu omni, aut in libertatem, aut in Ducem nouum prono. Carolus Ciuitatem, militiamq; omnem Imperio tenebat (nam fidei ſe vniuerſi crediderant) quòd non hæreditate, non potentiâ, non opibus, dominationem meditari crederetur. Ergò vbi diffidere Ciues, & inter nobiles, de futuro parum conuenire; pleroſq; libertatem, ac potentiam incognita bona; quoſdam non Sfortiæ, ſed ſibi dominationem cupere videt; velut benè agendæ rei occaſionem nactus, pulcherrimum facinus concepit, ſi fortuna (cuius arbitrio magna quæq; ducantur) arriſiſſet. Clarum apud Mediolanenſes Caroli nomen erat; eoq; Ciuium plurimi ſeruire ſueti; velut Dominum

num ambiebant. Nec ille ſordes, auaritiamq́; præferebat, ſed regiâ munificentiâ; hos aut illos exceptos, voluntati ſuæ, deſiderio ſuorum diſponebat. E domo quoq; ſpecioſiſſima vtenſilium aduehi, quæ maieſtatem teſtarentur, iuſſerat: tantâ in ſpeciem maieſtate, vt non indignus imperio Vrbis videretur. Accedebat Guelfæ factionis ingens numerus, qui tumidos ſpiritus ad ſpem efferebant; modò paratum obſequium, modò ſuam ignauiam improperantium. Quorum ille conſenſu motus, ſiue vota reſponderent, ſiue expectatione eluderetur, tentare ſingulorum animos adorſus eſt; non Mediolanenſis dominij cupidine magis, cui fortè minus fidebat, quàm portione aliquâ ditionis illectus; vt Cremona, aut Ciuitatum alia, pretium audaciæ, ſequacium munus accederet. Et quia vis populi ſummę potentię par eſt, quęrẽda vulgi ſtudia; & turbidi, quiq; muneribus & promiſſis corrumpebantur, illiciendi erant. Opportunum tempori; ſuſpectis, ambiguisq́; mentibus referebant, ſi pluribus Vrbis partibus Caroli Gonzagæ nomẽ, vt domini proclamaretur: Ijs enim qui quærerent, offerendum Principem, & oſtentandũ protectorem conſulebant: Noctem dedecori potiorem, & vbi audaciâ cœpiſſent, diem quoq; acceſſurum credidêre. Diſpoſiti per vicos ac viarum diuortia, prout docti fuerant, proſequuntur, feſtisq́; vocibus Carolum, Carolum conclamant. Ciuium nonnulli ætate & meritis inter ſuos commendati, nouum Vrbi nomẽ, & quòd ſine titulo dominatio inciperetur; vanosq́; ac nocturnos rumores ad tempus ſuppreſsêre. Sed præualuit Carolus, acceptâq́; adminiſtratione rerum, tanquàm obtrusâ; conſilijs eos præcipuè inſeuit, quos fidos ſibi, & potentiam laturos nouerat: Eo enim præſidio ſecurum ſe iuuenis credebat: Pulſis maximè Senatu nobilioribus, & Ciuitate plebi traditâ ex ſuo vſu; cui comitate, largitione, & ſpe inanium adripuerat. Itaq; victâ ſibi aduerſantium conſtantiâ, vbi populo imperium conceſſum; inualeſcere Carolus, arbitrio vti, ac vindictæ quàm dominationi auidius inſiſtere; cum ſecuritati ante opportuna comparare debuiſſet. Id præcipuè fortunam Caroli corrupit, alienatis eorum animis, qui Ciuium nonnullos conſanguinitate attingebant; in quos populi iuſſu Carolus, vt hoſtes animaduerterat. Addiderat miſerrimis pleroſq; taciti ſermonis, & aduerſus maieſtatẽ habiti, inſimulatos; ſiue ſic eſſet; ſiue oſtentandæ potentiæ perderẽtur. Hãc vnam ſequiendi auctoritatem libens Picininus Carolo permiſerat; & ſponte officij odium, vt æmulum perderet, conceſſerat; à dominatione auerſus, quã ſe retinere poſſe diffidebat; & vt mole ſuâ Carolus opprimeretur, inuidiâ ante, quàm beneficio cognitus. Magnus haud dubiè Mediolanenſis Senatus erat; ſed inter Picininum ac Carolum copiarum ductores parum fidos, abſtrahebatur. Nam ſaluti Ciuium, aut publicę libertati, nemo ſatis ex officio prouidebat: Tantùm ſocij vilitas, contemptus, & infirmitas poſcebantur: quòd competitoris occaſus alterius exortus eſſet. Sfortia milite ac pecuniâ indies auctus, Mediolanum velut clauſum, prohibito commeatu detinebat. Et haud dubiè vniuerſos famâ nominis allicuerat; quod, vt Picininum fregit, ſic Carolum mutare conſilia impulit. Nam quamquàm æmulo præualuiſſet,

Carolus ambit Mediolanenſe Imperium.

Digitized by Google

ualuiſſet,luſiſſe ſe tamen operam crediderat;ſpem,ac tot annorũ labores perdidiſſe; nullo ex Mediolanenſibus præmio; & non in Venetis, non in Sfortiã ſpe vllâ. Simul Ludouici fratris infeſti meminerat; quem ſolo ſanguine illigatum,cætera hoſtem nouerat. Nec minus licèt Mediolano ac Lodio in poteſtate habito, ſpeciem aliquam potentiæ præferret; vanam tamen crediderat, niſi vniuerſa acceſſiſſent. Proinde ſi vniuerſa Sfortiæ conceſſiſſet, ſperabat eo nomine auctum iri res ſuas: Opportunam donationem eorum eſſe, quæ retineri nequeant; & cum vtilitate donari,quę vendere non liceat. Pariter frequentibus Mediolanenſium Gibellinorum ſeditionibus laſſabatur; turbidâ nobilitate, quæ iam libera veteribus dominis, multùm arrogantiæ induerat; & populari licentiâ diſtractus; quam ipſe indulgentiâ & profeſſione gratitudinis accreuerat: Vnde maior futuri metus, & certior vniuerſorũ iactura. Conſilij auctor & internuncius Franciſcus Capra. Hic facilem Sfortiam: & iniuriæ pro tempore negligentem pollicitus, iuuenem impulit mittere literas in hæc verba. Ingentem Mediolanenſem populum, multum pecuniæ, armorum, & commeatus vrbani eſſe,in longũ bellum obſidionéq́;: Lodium ſuorum præſidio teneri, vnde Mediolanenſibus alimenta, & frugũ copiam ſuffectura; Vniuerſam penè Prouinciam, eius fore, cui ipſe concedere voluiſſet; vt qui honeſtius credat dare; quàm ſecurum, retinere. Non vnâ causâ exoſam ſibi plebis potentiam. Iamq́; contentionibus quaſſatum ſe, otium malle. Si itaq́; Cremonenſi agro ſecuros ſeceſſus, & Oppidorum aliqua ſuis contigua cedere voluiſſet, Mediolanum ac Lodium permiſſurum; nouis & improuiſis conſilijs,nemine obuiam ituro. Non ideò tamen aut cõtra Ciues hoſtilia parare, aut perfidiam in eos qui ſeſe credidiſſent exercere; ſed pij ac prudentis imperio ſubijcere; ſimulq́; ſperare, futuram ſibi apud traditos, tranſacto negocio commendationem. Et ne relictis Mediolanenſibus, etiam Sfortiam deſerere exiſtimaretur, ſe belli partem, & diſcriminis conſortem adijcere; dum nobili ſtipendio, honorem familiæ, paternum decus, & ex virtute merita impleret. Ad hæc Sfortia cui iam fortuna texebat imperium, Caroli amicitiam optabilem ſibi; quòd nobilitatis præcipuum, etiam fidei opinaretur. Cremonam,& quidquid eius agri ſit, dotali fundo, vxori ſuæ ceſſiſſe; nec aliquid auellere tituli reuerentiâ, eiusq́; amore poſſe. Ne tamen Sfortiam ingratitudinis nomine,quem olim inimicitiæ damnaret, Dertonam, cum nexis Oppidis permittere; interq́; ſuos ſummo ordine reputaturum. Non obſides, non ſacramentum requirere; quæ ne à Picinino quidem exegiſſet, fide olim, nunc perfidiâ noto. Vbi futuræ vtilitati in hãc formam prouiſum, oblatam diſſentiendi occaſionem facilè Carolus arripuit, ne quæſiuiſſe videretur; modò plebis immodeſtiam, modò nobilium ſuperbiam inſectari; modò incertitudines inſtabilitatesq́; ſententiarum carpere. Eo ſemper temperamento, nè concordiæ ſpes abrumperetur. Sfortia diuturnas Vrbium obſidiones inutiles, vbi plures difficultates obijciantur, exiſtimans; maturanda Caroli Gonzagæ conſilia credidit; vt accepto Arcis præfecti ſigno, Ciuitate potiretur. Quæſtos Mediolanenſes ſcimus; & tum

Carolus Sfortia conciliatur.

pri-

primùm fortunæ ſuæ caſum introſpexiſſe. Paucis ante diebus (quamquàm conſenſu non tradatur) Crema repulſam à Sfortiâ paſſa; quaſi nullis æquis conditionibus recipere voluiſſet, ad Venetos defecerat; vno aut altero Caſtello reliquo, quæ Mediolanenſium fidem antetulerant. Iam Mediolanum ſupereſſe videbatur, quod victoriæ Sfortianæ finem imponeret; & eò totis viribus incumbere parabat, collectis militibus huc illuc fuſis, & aucto mille, & octingentis equitibus exercitu, quos Carolus Gonzaga ſecum duxerat, numero & virtute, magnum rei momentum, hoſtis, an amicus acceſſiſſet. Sed dum pluribus locis Sfortia, & aduerſi Mediolanenſes, cum Venetis intendũt (tum enim à Sfortiâ ad Mediolanenſes inclinauerant) mutata ſæpius belli forma; poſtremò Carolus montem Brianzæ ſeruandum accepit; vnde commeatus exercitui conduceretur; & ſubſidium præcluſo hoſtibus itinere eſſet. Sed hæc quoq; modò Venetos, modò Sfortiam Dominum habuêre; ſtabili ſemper Carolo, & fidei quam ſemel Sfortiæ ſpopondiſſet immutabilis. Hinc mõte Brianzæ relicto, Molzæ obſidioni delectus, parem operam Sfortiæ pręſtitit, non vno vulnere approbatâ virtute; quoad Salutis Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo, Mediolanenſes pro libertate, Sfortia pro Soceri imperio certare deſierunt; diſcordijs ſubditorum, in ſaniora verſis. Mediolanenſes interim egeſtate, æmulatione fracti, (& quæ vulgi natura eſt) præſentibus auerſi, cupidi futurorum, eò deſcendêre, vt actum de re publicâ crederent, niſi vnanimi conſenſu Sfortia, cui Arx parebat, acciretur. Nam ſubijci Venetis ob veteres ſimultates, morte peius crediderant. Gaſparum Vicecomitem delegerant, qui populi voluntatem deferret; & abolitâ præteritorum memoriâ, oraret, imminentibus pietate conſuleret. Aſſiduus lateri Carolus Gonzaga erat, ſingulorum dicta ex verò æſtimans; perſpectis ciuiũ animis; & aſuetudine vulgi, vera pro falſis, & contrâ oſtentandi. Nec ille dubitauit maximę Ciuitatis imperium; & quod tot laboribus ac ſanguine quæſierat, ſponte oblatum accipere. *Sfortiã Mediolanẽſes recipiunt.* Inerant Principum Italorum oratores, officio & amicitiâ cogniti. Ingredientem Sfortiam præceſsêre milites inſtructi tanquàm ad bellum, commeatu onuſti, quem in plebem gratuito effunderent. Annonâ enim vſq; ad ſeditionem laborauerant; clauſi, & obſeſſi; & quidquid victui vtile exercitu hoſtili abſumente. Carolo decus addidit, Sfortiæ ſocietas; & proditionis ignominiam deterſit: tanquàm delegiſſet potentiam, cui fideret, & quam ciuibus validiorem nouerat. Populi quippe libertatem, arbitriumq; permiſſum, vt ſibi proficeret, alieno ceſſiſſe, turpe habebatur. Et Ludouicus frater non ſemel fœditatem queſtus eſt, & degenerem ſuis animum. Laboribus Sfortiæ ſors honoratum finem impoſuit; nam fauſtis vocibus, & certâ caritate exceptus eſt; quæ præteritam inuidiam obliteraret. Et Carolus Dertonâ auctus, magnâ apud Principem exiſtimatione erat; natalibus, fortitudine. Vbi tamen Sfortia depulsâ neceſſitate, ſingula ex vero æſtimare potuit, cum palam Carolum commendaret, intus inuiſum habebat; quaſi minus ciuibus ſuis officio reſpondiſſet; & Dertona, nimium perfidiæ pretium eſſet. Veneti ſucceſſu Sfortiæ expergefacti, & cõ-

ſcientiâ

Digitized by Google

ſcientiâ fictæ olim amicitiæ turbati, Brixiam, Bergomum, Lodium, Cremã, quæq; bello habuerant, in metu recolebant. Nè Sfortia viribus auctus, ſpretam amicitiam, reddito odio compenſaret; traheretq; in partes, quibus ira in Senatum, aut inuidia ſuberat. Nec minus nè potentiâ ſuperarentur, Neapolitanum Regem delegêre; quem propriæ ſimultates, Sfortiæ exoſum reddiderant. Credebatur enim Philippus Vicecomes alienatione & contumaciâ generi irritatus, ſupremis teſtamenti tabulis, hæredem Regem dominationis inſtituiſſe; relictâ filiæ Cremonâ ac Pontremolo, vt ne vicinio quidem Gener inſoleſceret. Præcipui quoq; Mediolanenſium; & vniuerſorum ordinum nobiliores in Regem paratiores fuiſſe credebanrur; reiecto Sfortiâ, vt tanto imperio, non conſanguinitatibus, non virtute pari. Sed & dum Veneti in Sfortiam depugnabant, eundem Regem finibus elicuerant, vt miſſis Ducibus Florentinos, ipſe maioribus copijs Sfortiam oppugnaret. Gnarus odij Sfortia erat: ideoq; externum Regem, contumeliâ acdiris, vt perfidum, & ſui inuaſorem deuouerat. Nec Rex ſufficere Venetis creditus, niſi proximiores hoſtes, inimico obieciſſet, acerrimâ odij; causâ prouocatos, Iacobũ Picininum, Sigiſmundum Malateſtam, Sabaudiæ Ducem, Marchionem Monferrati, Corrigienſes; & cui præ cæteris fidere videbatur, Carolum Gonzagam, Ludouici Marchionis fratrem. Picininus ſemper infidus, & militaris in Sfortiâ virtutis æmulus; Malateſta per Picenum, memoriâ aduerſæ pugnæ infeſtus; Dux Sabaudius, ob auulſa aliquot Alexandriæ ciuitatis Caſtella; quæ armis tueri cogebatur, niſi in pace reddidiſſet. Eadem Marchionem Monferrati permouerant; qui turbidis Mediolani rebus, occaſionem prædarum, & rapinę nactus, ſuos aluerat; alios fidei ambiguos, in partes traduxerat. Carolus Dertonam pretium defectionis à Mediolanenſibus acceperat; & vim ingentem pecuniæ; vt exercitui, cui ductor aderat, prouideret. Hæ publico cauſæ; ſecreto diuerſæ erant; amor dominandi, cupido alieni, fraus, inſidiæ; quæ cum prudentiâ excuſantur. Carolus tamen vbi validiores Venetos, & modicis, quæ nõ lõgè Aſolâ poſſidebat, imminẽtes, minitanteſq; agnouit, fluxo ſacramento mutauit animum; etiam ſpe illectus retinendæ Dertonæ, quam præſidio, ac munimentis firmauerat. Vim conſtantiæ illatam à fratre ſatis conſtat; nam lata prædia ad Olium flumen, Ludouici liberalitate acceperat; cætera ſub ſpe erant; tanquam ſibi pignore cauiſſet. Secordiam Sfortia credidit, nutrire diſſenſiones, ingratitudinem pro munificentiâ reddi, & tolerari. Itaq; ſine armis, ſolâ Dertonenſium voluntate, & minimâ pecuniâ, ab incolis receptus eſt. Quò acrior Caroli indignatio, & vindictæ deſiderium, iuuenem ſuaptè naturâ lubricum, in præcipitia traxêre; Venetiſq; operam impendere coëgerunt; non præmijs, ſed ærumnis aggregatum. Decora recipiendæ Dertonæ occaſio fuit; cum ſileret Carolus, nec proloqui, niſi cum notâ poſſet; & fortè dolus conceſſioni circumdatus, tegeretur. Non aliâ ſiquidem causâ, longè à Patriâ ac munimine, Ciuitas permiſſa; vt quo fauore acceperat, ſeruare cogeretur; Niſi ſtrenuo Duci perſpectus Carolus, mutari facilis; creditq; breuem poſſeſſionem, facilem

facilem receptionem fore. Haudminus quamquàm adeſſe fortunam, pronum ſuorum obſequium, nec temnendas vires introſpexit, vt tamen hoſti euelleret, ſibiq; ac cauſæ illigaret, quos virtute ac prudentiâ validos nouerat, Florentinos, ac Ludouicum Marchionem fœdere ſibi obſtrinxit; mutuã Florentinis operam, propulſando Neapolitano Regi pollicitus. Ipſi quoq; Florentini Venetis auerſi erant; ob amicitiam infenſi Regis, & vindictæ deſiderio irritati. Ludouicum fratris inſolentia præcipuè irritauerat: Qui viribus corporis ſtolidè ferox, & non vnius flagitij compertus, infeſtare fraternam ditionem, & prædam per furtiuos excurſus agere, præſumpſerat. Contra indecorum crediderat, ſumptis apertè armis, in fratrem inſanientẽ inuehi, quem celeritate,atq; adeò fugâ tranſcurrentem, quamuis vinci facilem, ægrè compræhẽdiſſet. Accedebat Ludouici in Venetos odium; quòd Aſolam, Peſcheriam, Lonatum, aliaq; Brixiani Oppida, ſummâ velut pace, ac iure poſſiderent; veri Domini nullâ memoriâ; & ſi requirerentur, irriſione. Cæterùm erepta Carolo Oppida à Ludouico fratre, in iuuenis impotentiam, linguæ intemperantiam, peruicaciamq; referebant: Et fauore Venetorum, ſua repoſcere maturãtẽ, exutum, & egentem procul à ſuis habuiſſe. Innotuerat, à fidis monitum Carolum, ne indignationi alienum Marchionem, nouis indies iniurijs aſperaret; ſeu ſponte pietatem ſectarentur; ſiue à Ludouico immitterentur; nîl tamen profeciſſe; ſed eò acrius contemptum minasq; prætuliſſe. Quò aucta Marchionis exiſtimatio, domi vtilitatem, foris famam nacta eſt. Quæ vt apud diſcitos ægrè comparatur; ſic ſemel vulgata æternũm viget. Hinc plerique opibus ac natalibus conſpicui Mantuam Patriam deligere opinione virtutum aggreſſi ſunt; quas in Principe vſurpatas, certum eſt à ſubditis æmulari. Potiſſima aduenarum pars Prothonobiliſſimi Faccipecori fuêre; qui vetuſtæ nobilitatis, & Capuani conſeſſus Patritij apud Neapolitanos honore ſummo vſi, Ludouicum Mantuamq; prætulêre. Nec tamẽ fauoris Regij apud ſuos indigi degebant; niſi militaris gloria, & per bonas artes emergendi cupido, apud exteros præualuêre. Statim Antonellus (id viro nomen erat) inter Ludouici intimos receptus; auctusq; munere Decumarum Zelli; ne fruſtra credidiſſet. Simul indiuiduus bello ac pace; ſpes ſuas, Domini deſignationem approbauit. Hic idem Annus ſacroſancto Iubilęo fauſtiſſimus, Nicolaum Pontificem lætiſſimum habuit, effuſâ in Vrbem totâ Europâ fidelium turbâ, quantam hactenus nemo viderat. Plena Vrbis itinera, inſolitâ multitudine erant: Strati per plateas, quos hoſpitia recipere, & cauponę non poterant, ſub dio tolerabant. Nîl tamen frequentiâ peccatum; niſi pontem D. Angeli, improuiſus ob celebritatem tumultus inceſſiſſet. Multi in profluentem præcipites deiecti; plures anguſtiâ detriti ſunt; fermèq; ducentum deſiderati; quos expedito itinere, illicò ſepulchris intulêre; ne etiam aſpectu, clades animum lacerare. Vniuerſis Italiæ Principibus, propriâ aut alienâ cauſâ ad arma conuerſis, Federicus Imperator, Vndecimo Imperij anno, diſſoluto Baſileenſi Concilio, Amadeum Sabaudium, Fœlicis nomine, Pontificatum præferentem

Sfortia collegati contra Venetos.

Prothonobiliſſimi Faccipecori.

Iubilæum.

Ddd

rentem, ad concordiam precibus induxit; vt depoſito ordine quem contra ius ſuſceperat, Chriſtiano populo concordiam eſſe vellet. Paruit ille, ſiue innatâ facilitate, ſiue iam deſertus, & à paucis ſupremo nomine veneratus. Cardinalis tamen, & regionis Legatus in perpetuum dictus; licet dignitatē multi aſpernarentur; tanquam cui ſummum imperium ademptum fuerat, minor auctoritas dedecori eſſet. Mox in Germaniæ res conuerſus, decertantes in eâ Principes ad fœdus perpulit; aut Italiæ deſiderio, aut metu ne minoribus diſſenſionibus, potentiores illigarentur. Et ſuſpecti Hungari ac Boëmi, ob nepotem Regem in curâ habitum, ad res nouas accingebantur. Italorum amicitiam, cui hactenus ſtuduerat, cum fide continere procurauit; vt ſi quando adueniſſet, minimo comitatu, & ſine ſtipatoribus ac milite, ſecurus incederet. Præcipui gratiâ Veneti (quorum vires prudentiâ æſtimabat) Summus Pontifex, nec non Rex Neapolitanus cenſebantur. Sfortia, vt intruſus, aut odio, aut neglectu temnebatur. Ludouicus Marchio, Eſtenſis, Vrbinas, Luccenſes, & ſi magno nomine, minori tamen fortunâ, parum æſtimabantur; & maiorum placito acceſſuri; vt qui in proprijs viribus, parū ſecuritatis haberent. Dum Federicus itineri accingitur, Dux Sfortia Ludouici deſiderio; & iacti à ſe Imperij firmitati, quem ſtipendio cōductum, ſuum pacto ſecreto nouerat; eundem neceſſitudine complecti; ne qua Venetis ſpes eſſet, agitauit. Et occaſio in promptu erat; ſi Galeatio natorum ſuorum maximo, Suſannam Ludouici filiam iunxiſſet. Neq; tamen tranſactum negocium; infirmâ puellâ, & Monaſtico ob id inſtituto addictâ.

Ludouicus deſpondet Suſānam filiā Galeatio Sfortię filio.

Sed in prioris locum Dorothęa delecta, natu minor; & formæ elegantiâ, morumq; compoſitione fęminiles virtutes antegreſſa. Cupitum id primùm à Ludouico Mediolanēſes volunt, haud multum diſpari honore; quando Sfortia approbauerit. Sed poſterior prudentia, ne turpi repulsâ lædatur exiſtimatio, conditionibus alios deligit; vt qui prior requirit, ignoretur. Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo, Ianuarij initio, inſeſſis niuibus ac glacie Alpibus Federicus Imperator, per Venetûm fines Italiā ingreſſus eſt; Taruiſio, ac Patauio, Ferrariam delatus; & regiâ munificentiâ ab Eſtenſibus exceptus.

Federicus in Italiam.
1452.

Dux Sfortia ne dignitatē calcaret, cui iam aſueuerat; Mediolani ſubſtitit; & vt expleret officium, aduentanti Cæſari Principes Legatos obuiam miſit, hoſpitium, & vniuerſorum dominium offerens. Neq; enim à nouo Domino, peruicaciâ Imperatores, quorum arbitrio Mediolanenſis poſſeſſio ſtaret, irritandi erant. Remittere ſe gratiam Federicus reſpondit; ne rectâ in Vrbem tendens, deuio itinere diſtraheretur; quippe ferreę coronę locum, plenitudine poteſtatis vbiq; eſſe; quod etiam effectis teſtatus eſt, Romę & ferreâ, & aureâ inſignitus, cum Eleonorâ coniuge; quę Luſitani Regis filia, Mediterraneo paulò ante in Italiam appulerat. Neapolim quoq; Alphonſi Regis precibus euictus contendit; vbi profusâ adeò liberalitate exceptus eſt, vt nullius maioris memoria, in poſteros trāſierit. Demûm rectâ Venetias conceſſit; & Ferrariæ denuò exceptus, hoſpitalitatis & accepti honoris gratiſſimus, Marchionem Eſtenſem, Mutinę ac Regij Ducē dixit.

Digitized by Google

dixit. Id præcipuè Sfortiæ gratiâ conceſſum, vt à Galeatio filio ſalutari,& munera à parente miſſa, recipere dignaretur. Non minora Eſtenſis dona fuiſſe traduntur; qui non Regij titulum potius, quàm decretam ab Imperatore poſſeſſionem eo colore quærebat; ne Gonzagi, pace aut bello, repoſcerent. Mirari ſubit Germaniæ Regum animos, Italiæ dominationi adeò alienos; vt etiam receptu facilem, velut indignam tantę moli aſpernentur. Et tamen neq; Ciuitatibus frequentia;neq; Prouincijs multitudo; neq; agro fęcunditas deeſt. Aëris quoq; ſalubritate, & fide ſubditorum commendatur. Sed vel magnitudo Germaniæ, vel populorum, inſtitutorum, morumq́; diuerſitas,vel interpoſiti Alpes contemptum pepêrere: Quamquàm facilè omnibus imperitare liceret, inter diuerſos, & continuè bellantes auctoritate interpoſitâ. Italiæ vnius acceſſione,quidquid Romanis habebatur quæſitũ, ſeruatumq́; eſt: Nec magnum illud Imperium ante deſijt, quàm inteſtinis diſcordijs proceres ſcinderentur. Quò magis mirum, neglectam Cæſaribus Germanis iuriſdictionem eſſe. Haud enim eorum ſententiæ accedimus,qui vires Italorum, ac Ciuitatum munimenta cauſantur. Nam vbi diſcordiæ inceſſerint,nihil intus validum eſt;& campeſtri victoriâ fracti obſtantes,vniuerſa conferunt, metu peiorum. Tantò Germania multitudine ac opibus Italos, quantò iſti Germanos, ſeditionum frequentiâ antecellunt, ſed cum longè degant; titulos tamen, inueſtiturasq́; conferre geſtiunt: Adeò & deſpiciunt, & ambiunt. Ad Mediolanenſes redeo. Profecto ad ſuos Federico, Picininus veterem æmulationẽ,& antiqua odia nõdum oblitus, Bartholomæum Coleonum, copiarum Venetarum pariter Ducem, ſecretis literis apud Senatum criminabatur; ſiue vt ſolus exercitibus potiretur; ſiue Coleoni magnus animus, cauſæ quàm gratiæ magis accederet. Credidêre tamen Veneti; cathenisq́; oneratum, ſub publicâ cuſtodiâ habendum cenſuêre. Sed doli certior Coleonus, quod incertæ deliberationi ſupererat, gratiam Ludouici Marchionis præuenire ſtatuit; ſi honeſto duceretur, non ſe fidei commiſſum, ſponte perſequentibus oblaturum. Mutatâ veſte, & nemine conſilij gnaro, Veronenſi egreſſus,ad Ludouicum Mantuam contendit,eiusque pedibus aduolutus; En, inquit, Ludouice non leue gloriæ incremẽtum; quando fortunæ & exiſtimationi tuæ, id tantùm deeſt, quòd Bartholomęum Coleonum, magnis exercitibus imperantem,militiæ non inexpertum,& perditiſſimorum libidine inauditum & indefenſum exitiò damnatum, ad tuam dexteram cõfugere Italia ſpectauit. Innocuum exilij, & vilem erga amicum ſubſidij iacturam oro; dum ſuſpiciones, & iniquiſſima potentiorum odia deſęuiant. Quòd Marchionem delegeris (reſpondit Ludouicus) ita vt honorem ipſi, ſic tibi ſalutem feret. Inter cariſſimos, pari munificentiâ habebere: Nec erubeſcendum, eius te vires ad incolumitatem delegiſſe, quas in partibus habere Sfortia concupiuerit, Veneti ambiuerint. Sed in finem per media debita procedendum; neq; iniuriâ, conuicio, ſuſpicione, eorum animi irritandi, quos olim fautores deſideres. Hoc exemplo docendi Veneti, quæ in Ludouico ſpes, quantum præſidij in Carolo fratre ſit; temeritate,

Digitized by Google

inſolentiâ,perfidiâ, ad ſordidiſſima quæq; tranſuecto. Mihi certum quidem eſt, cum virtute mortem vitamq; (vt euenerint) capeſcere; neq; aut ignauiâ cõtemptui viciniis, aut temeritate odio eſſe. Deſcribebatur interea toto Mantuano iuuentus, impendenti bello; quæ Patriæ fines ſeruaret, & Sfortiæ iuncta, externa quoq; laceſſeret: Cùm hic miſſis Venetias oratoribus, Briuium, ac Pontem Addæ ſibi debita requiſiuit. Senatus alienis abſtinere ſolitus, more tamen regio, quocunq; titulo ſemel habita, ægrè dimittere; moras nectere, ius belli, ſanguinem, laborem, expenſas obtendere, tanquàm laceſſitus, repoſcere. Satis ad cauſam Duci erat profiteri; vt per vim ad arma prouocatus crederetur. Ergo Aprilis Viceſimâ alterâ, milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi ſecundi, toto Mediolano Venetis bellum edicit, euulgariq; iubet: Lætâ Ciuitate; velut id priuatis vtilitatibus conferret; & iam victoria in manibus eſſet. Veneti mendaci exiſtimatione niti vanum rati, nugis abſtinuêre; ſed Gentilem à Lioneſsâ, exercitui præfecêre, cum mandatis; vtilia cum tempore, quàm periculoſa accelerato impetu proſequeretur. Quod vnum viro deeſſe nouerant; non ignari, inconſultâ feſtinatione frequenter peccari. Iam Ferdinandus Alphonſi Regis filius, in Florentinos, Comiti Vrbinati, & Napoleoni Vrſino iunctus, mouerat; ſiue vt Sfortiæ vires auerteret; ſiue vt conſortes belli frangeret; ne mutuâ operâ deterrerentur. Sfortia magnâ mole belli Cremonam contendit; vt facilis in Brixianos ac Veronenſes excurſus eſſet; pariterq; vxoriam dotem, quam eo nomine anteferebat, præſidio ſtabiliret. Et Veneti pro munimentis Vrbium, pro finibus inſtructi vniuerſi incubuerant, nullo metus inditio. Placuit Sfortiæ Ludouicum opperiri; ne vir prudentiâ, fortitudine, milite celebris, contemptum ſui crederet; aut neglectum diſceſſu rependeret. Equidẽ tria equitum, totidem peditum millia conſcripſerat, grande auxilium quibus acceſſiſſet: confœderatq; ad Marcariam, munimentum Caſtelli, & præſidium inſtruens: ne Manfredo Corrigienſi, qui in Venetos flexerat, nudatam à tergo prouinciam, prædęque expoſitam obijceret. Alij Peſcheriam contra ſiti, Duce Andreâ Gonzagâ erant; vt Carolo obiecti, ſi quando temeritate tranſcurriſſet, obſiſterent. Miſſi à Duce, qui aduentum, & deſiderium Ludouici nunciarent; nec ille cõiungi diſtulit, miſcuitq; copias; & commeatus per Oppida, quâ proceſſurus exercitus ſperabatur, diſpoſuit. Superatum eruptione primâ Olium; & Ponsvici in poteſtatem redactus; leui intus præſidio, nec diuturnæ oppugnationi validus. Haud longè Veneti ſubſtiterant, vſitato magnis Imperatoribus more; quibus facilis iacturæ reſtitutio eſt; moras belli præcidere, & fortunam vno velut ictu experiri. Nam quibus minus militum, plus pecuniæ, aut commeatus eſt, producere bellum ſalutare experti ſunt, hoſte interim incommodis, egeſtate, laboribus attrito; & tempore ipſo ſuperato. Sæua interim aëris conſtitutio diem in armis, noctem ſub dio agere, & paucis corruptisq; alimentis tolerare prohibebat; pluresq; in Caſtris morâ, quàm decertationibus hauriebantur. Ergò Sfortiæ viſum prouocatione hoſtem elicere, & vel inuitum in pugnam trahere. Miſſus qui

Ludouicus Sfortiæ iungitur.

chyro-

chyrothecam cruore infectam, intra Venetorum Caſtra conijceret;& à Ca-
rolo Gonzagâ addito Pilo reiecta eſt. Veneti tamen non numero, non vir-
tute impares, formidoloſum congreſſum, & rem omnem diſcrimini obijcere
periculoſum rati, oſtentare ſuorum aciem ſatis habuêre: ne metu ſubterfu-
gere; aut virtuti diffidere viderentur. Mox in hyberna abſceſsêre. Et quia
imbribus aſſiduis, multaq; niue per noctem, & Aquilonium fusâ, intolera-
bilis militiæ labor; & modico vtili, maior iactura credebatur; Sfortia ſuos
quoq; cœli iniuriæ ſubtraxit; reducto Mediolanum exercitu; & Ludouico
cum ſuis Mantuam reuerſo. Percepêre haud dubiè Veneti, ineſſe Sfortiæ
cum fortitudine animos; nec qui fugam meditetur, inſtructam aciem oſten-
tare: Ipſi cum eadem, nullâ congreſſus neceſſitate egiſſent, famam conſtã-
tiæ ſatis habuêre. Diſpoſitis per locos opportunos militibus, Carolo Gon-
zagæ Verona ceſſit, iuſſu, an electione incertum. E'propinquo enim Ludo-
uici fratris quietem turbare, & Patriam cladibus fędare geſtiens, illic con-
ſediſſe dicebatur. Ludouicus fraternæ peruicacię non ignarus, multos pro
finibus diſpoſuerat; quibus repentinas excurſiones arceret: Sed maior vis in
Carolo; quem tot Venetorum millia ambibant. Et quędam Mantuani Ca-
ſtella, vi, aut deditione detraxerat. Sfortia officij memor Tibertum Bran-
dolinum cum tribus millibus auxilio miſit: Qui Ludouici copijs iuncti, aut
arcendo hoſti, aut recipiendis Caſtellis ſufficerent. Hinc verſa in Ludoui-
cum fortuna; & contra Carolum proſperè pugnatum, pulſis & fugatis ho-
ſtibus, & Veronenſi agro prædationibus hauſto. Sed quia pluribus ſimul
intendere Marchio cogebatur; neq; aſſiduus pro limite eſſe poterat, Anto-
nellum Prothonobiliſſimum Faccipecoram, quadringentis equitibus impo-
ſuit; vt eâ incumberet, neq; Carolo fratri quietem permitteret. Sæpius ſtu-
dio aut vſu congreſſi ſunt; & cum audentior Carolus hactenus irrumpere
Mantuanum limitem auſus foret; Antonelli vigilantiâ, etiam in ſuo mode-
ſtè agere didicit. Veneti, ne Ludouicus auctoritate, & potentiâ, etiam ijs
qui bello non interfuerant, formidinem incuteret, duo equitum, tria pedi-
tum millia Carolo tranſmittunt; iubentq; non intermiſſis dimicationibus,
Patriam, fratremq; infeſtare; ſecuro Veronenſi regreſſu, ſi Mantuani præua-
luiſſent, aut ſuorum virtus non reſpondiſſet. Magni animi Carolus, ſed tur-
bidi conſilij erat; quò promptius in Mantuani agri perniciem, excidiumq;
accingitur, odio & ambitione tumens; certusq; aut vitam ludere, aut ſup-
plicem Ludouicum reddere. Sed iſte benè agendæ rei occaſionem opperiẽs,
vim conſilio miſcebat; ne in caſum vniuerſos daret, aut iniquo loco, cõgreſ-
ſui ſuos exponeret. Decimâ quartâ Iunij, Milleſimi quadringenteſimi quin- 1453.
quageſimi tertij, Carolus audaciæ nimius, pro finibus obequitabat, haud
amplius duobus à Goito, paſſuũ millibus. Non tulit cõtumeliã, auidus vin-
dictæ Ludouicus, ſed totidẽ ſub ſignis receptos, iuſſosq; alios ſubſequi, rap-
tim Caſtris eduxit; & fratri obuiã proceſſit. Inopinata Carolo eruptio fuit,
ideoq; ſubito aſpectu turbatus eſt. Pugnatum tamen non odio, ſed rabie;
inter non æmulos, ſed infenſos (vt implacabiles proximorum iræ ſunt) & in

Digitized by Google

veſperam tracta decertatio. Pro vtroq; virtus; pro Ludouico fortuna fuit. Cęſi hoſtium penè quingenti; è Ludouici acie trecenti deſiderati; plures Caroli milites captiui abducti. Quos inter Carolus ipſe, temeritatis, contumaciæ, & infœlicitatis exemplum ducebatur. Vrbini Marchio quoque, & Cimaroſtus ductores copiarum, in vinculis habiti, ſpecioſum Mantuanis triumphum præbuêre. Curarum & diligentiæ nihil intermiſſum; ſed captiuis Mantuam tractis, Volta, Capriana, quæq; à Carolo capta fuerant, modico labore recepta ſunt. Et quia frigeſcente vtrinq; belli deſiderio, non pugnæ Sfortiâ, non aduerſi Veneti, ductoribus amiſſis, aut profugis, ſatis competebãt; firmare extrema dominij Ludouicus voluit; & cum mille quingentis equitibus, ad Sfortiam perrexit, vt proſequendo bello Principem vrgeret. Quippe de conditionibus pacis, ſecretò agitari, & Monachos vltrò citròq; in eum finem commeare, non vanus rumor detulerat. Cæterùm ne fraudi decorum fœderis nomen prætexeretur, Ducem ſuis Picininum iam mutatæ fidei Veneti delegarunt, cum mandatis; vt Ponteuicum totis viribus aggrederetur; nec ante ab obſidione deſiſteret, quàm dederetur. Non tamen Ciues vim pati, & pacto ſalutis ac fortunarũ oppugnantibus permittere ſe voluêre. Diuturnis enim bellis docti fuerat; ſemel habitos, ſi deſciſcant, in prædam & excidium deſtinari. Celerior itaq; expugnatio per vim fuit, quàm vt Sfortia ſuccurreret. Ne tamen proſpero euentu elati hoſtes, audaciâ inſoleſcerent, ſocio Ludouico Marchione in Brixianos contendit; & Gedium ſitu, ac ciuium numero celebre Oppidum ſuperauit. Quod cæteris metum addidit; quâ enim inclinaſſet, fluxam fidem, & manifeſtas Sfortiæ vires ſuſpectabant. Carolus arcto carcere detentus, cum cuſtodum fidem promiſſis corrumpere fruſtra agitaſſet; impatiens moræ, vim meditatus eſt. Quippe elimato cubiculi oſtio ferreo, nocte mediâ, in cuſtodes prorupit. Et primos quidem alto ſopore obrutos inobſeruatus elapſus eſt; ſed cùm pontẽ Caſtelli mobilem ſummitere ponderi impar vellet, ſtrepitu ac fragore procidentis depræhenſus eſt. Exciti milites in fugam verſum, non longè Palatio aſſecuti ſunt. Tum ille ad preces ac promiſſa reuolutus, maiora ſpondere quàm quæ exſolui poſſent, ſuadere ſecretum, vocare in conſcientiam Sfortiã; etiam vim miſcere parabat. Sed iam plures aduenerant, quàm vt flagitium prẽmio ſolicitatum taceretur. Itaq; in cuſtodiam retractus; non aliud è fratre aſſecutus eſt, quàm vt ferociam approbaret. Aduentare per hæc tempora in Italiam Rex Renatus audiebatur, Alphonſo Neapolitano parum fidus, & prono in Sfortiam animo. Ergò relicto Ghedij Ludouico, aduolauit; obſequium ratus, ſi comitate magnum hoſpitem excepiſſet; cui ſaltem communione odij in Alphonſum, obſtringebatur. Picininus vbi abeſſe Sfortiã, & exercitus partem abductam accepit, Ghedium proficiſcitur; relicto Ponteuici præſidio, Iamq; ſe Ludouico oſtentare, & pugnæ copiam facere. Sed ille prælium in aperto periculoſum ratus, maioribus hoſtium copijs, pro muris, & alijs non longè ſitis, quibus iactura ſuppleretur, ſuos detinuit. Picininus foſſis ac denſitate arborum, partem occulere ſtuduerat; vt inſcium diſcri-

Capitur à Ludouico.

diſcriminis Gonzagam eliceret. Sed fidi nuncij detulerant, vix duo millia expoſita, maiores multò copias, in inſidijs latere; vt delato ad pugnam, vniuerſi circumfunderentur. Sæpius tamen pro muris pugnatũ; & multis vtrinque deſideratis, cautiores duces, & Marchio præcipuè redditus; ne Mantuanus in caſum tela iaceret; nec temerè Venetus muris ſuccederet. Nec enim vlla diei hora, vacua defenſoribus propugnacula oſtentabat: miſſiſq; in quietem prioribus, recentes ſuccedebant. Sed obſeſſoribus ſpes in numero, paucitate Mantuanorum, abſentiâ Sfortiæ erat: Et tamen maturandum videbatur; ne regreſſus Sfortia vniuerſum militem, fortiſſimumq; equitatum reduceret; & obſidentes, neceſſitate in certamen prouocaret; aut ſolueret oppugnationem. Quæ Ludouico cognita; Itaq; per nocturna ſilentia miſſo familiari, Sfortiam periculi monuit; quàm multis pauci cingerẽtur; certũq; excidiũ, niſi ſubueniretur proteſtatus eſt. Nulla laudabilior virtus in Sfortiâ celeritate erat; præuenitq; ſpem ſuorum, hoſtium conatus. Vbi non procul abeſſe Dux viſus, Ludouicus prorupit; & cauſam audaciæ Veneti præſumpsêre; feſtinatione elapſi; & ab expeditis inſequentibusq;, vix extremo carpti. Non nihil tamen prædæ habitum, quod ſuſtentandis militaribus animis, continuo labore fractis, inter victores diuiſum. Paulò poſt in partem curarum Renatus Rex, Sfortiam & Ludouicum comitatus, ad Ponteuicum ſubſtitit. Directiſq; tormẽtis æneis, plures dies quaſſatum Caſtellum, & Gallis, Italiſq; irrumpentibus in Sfortiæ poteſtatem ceſſit. Nil hoſtile, inauſum, intentatumq; à victoribus omiſſum; cæde, rapinis, ſtupro ſæuitũ. Hinc Gallici nominis per totam Italiam formido; & in plures obſequij obedientiæq; datum exemplum: nam niſi cum vitâ ac fortunis, exui poſſe credebantur. Quidquid Cremonenſis agri, ad Ducem Sfortiam deuolutũ eſt, Soncino ac Romanengo exceptis; quæ validioribus munimentis; & numeroſiori milite ſeruabantur. Secutus fortunam Brixianus, Iorſio tantùm in Venetos ſtabili. Et Veneti ſiue metu, ſiue conſilio meliorum in Ciuitates ſe recepêre; Iorſio ſtatim amiſſo, & Sfortiâ vndiq; prævalido. Diuiſi per vicina Oppida milites; quòd hyems inſtaret. Suffecturi oppugnationi Aſolæ tantùm retenti, quò ſe Ludouicus ac Sfortia contulerant; indecoram victoriam opinantes, niſi celebre Municipium reciperetur; de quo toties bellatum, & fortunâ Venetûm fruſtra fuerat. Sed tum quoq; diſſoluta conſilia vi tempeſtatum, & in ſequentem Aeſtatem reiecta executio. Galli principio alacres, cõtinuatione diſciplinæ languidi, rerum Italiæ odio, diſceſſum maturauêre. Hinc diſperſus per hyberna miles; & Ludouicus cum quinque millibus in Patriam reuerſus eſt; firmatis ante limitibus, quâ Veronenſes & Parmenſes proſpectabantur. Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto Thraciâ omni ac Conſtantinopolitanâ Vrbe, in Turcarum poteſtatẽ redactâ, nonâ Aprilis, inter Ducem Sfortiam, Venetos, Florentinos, & Neapolitanum Regem pax proclamata; Pontifice, communi Chriſtiani Orbis periculo, per literas ac Legatos intonante. Paucis tamen duratura credebatur; quòd Veneti ab omnibus repeterent, ditionem, expenſas; Sfortia Bergomum,

Ludouic⁹ obſeſſus liberatur à Sfortia.

1454.

gomum, Brixiam, ac Cremam, per ſcelus Socero adempta, præcipuè exigeret. Seu fortunâ, ſiue fracti decertationibus, ſeu vi Numinis vtriq; emolliti; nec minus Principum Europæ precibus ſuperati, finem bello poſuêre. Etiã qui extra certamen erant Ludouici caſu indoluêre; quòd multis Oppidis in Sfortiæ beneficium receptis, aut expugnatis, viuidâ Marchionis operâ, Mãtuano ſanguine; Aſola, Lonatum, ac Peſcheria, veteri iure debita, ipſi non redderentur. Equidem Aſolæ magna poſſeſſio erat; nec Veneti ſine armis conceſſuri, aut Sfortia ſine bello habiturus credebatur. Onerabat iniuriã Gonzagæ ſilentium; cui plures intendebant, quàm ſi impatientiâ ac fœminili lamentatione, ſeq;, ac ſocios delaſſaſſet. Haud dubiè ſpes meliorum oblata; ſed futuri gratias non reddidiſſe, indignationem, diffidentiamq; præferebat. Quod hiemis reliquum, ciuilibus curis in Patriâ à Ludouico inſũptum: neq; enim ſatis lætus belli exitus fuerat; & in futuras diſſenſiones, neceſſaria comparanda erant. Nec enim ceſſurum ſe poſſeſſioni ac iuribus; & quadocunq; occaſio obrepſiſſet, repetiturum iactabat. Nec minus Pontificem, ac Cæſarem damni communis admonuit; ſed fruſtra quærimur, vbi maior in æmulo, quam Iudice potentia eſt. Carolus Ludouici frater, arctâ cuſtodiâ, intimâ ædium parte tenebatur; incerto Marchione, quid de captiuo ſtatueret: neq; tamen extrema parabantur; nec eò feritatis proceſſerat, vt ſuum ſanguinem perdi vellet. Deplorata iuuenis correctio, & rigidus pœnitentiæ animus obuerſabatur. Attamen impellente neceſſitate, abiectiſſimos ad Marchionem codicillos compoſuit; vt miſerationem exprimeret. Continebant errorem, temeritatemq; ; vtq; prauis conſultoribus, abrupta ſectatus; non ætati, non expectationi congruentia admiſiſſet. Addebat preces, ac promiſſa; nec aliud à fratre requirere, quàm quod ipſe ſponte conceſſiſſet. Hos Ludouicus immotus, inconcuſſusq; ſpectauit; neq; reſponſo latorem dignatus eſt; ne ſpem aut metum offerret. Proceres tamen precum ſocios ſecreto docuit, nil ſe ſæuum in fratrem cogitare. Cæterùm eâ petulantiâ eſſe, vt validæ correctionis egeat: Vexationem non vulgarem expedire; ne totiens irritâ viciſſitudine, querelæ ac remedia miſcerentur. Sed pax inter potentiores iacta, altius animum lancinabat. Nam nullâ ſuâ vtilitate tranſacta concordia, ad potentiores Caſtella transtulerat; non abſimili iniuriâ, quàm cum Ioannes Franciſcus Pater, inter diuerſos eluſus fuerat. Silentio tamen indignatio abdita; quòd ſimulationi, non apertę vi, locus eſſet. Compoſito Italiæ bello, Veneti in futurum prouidi; & memoriâ bonæ Ludouici cum Sfortiâ ſocietatis; quibusq; cõmodis ſtudio viri auctus, præſens diſcrimẽ vitauiſſent; nec quidem integrè Principi illi fidi, abſtrahere Ludouicum amicitiâ conati ſunt: Tanquã hoc vno præſidio, fortuna hoſtis infirmaretur. Miſêre Paulum Vincentium, Marchioni pridem familiarem è ciuili nobilitate, qui pudorẽ viri effringeret, & paratam cum præmio Senatus voluntatem doceret. Bis expertos Gonzagos quorſum Tyrannorum Mediolanenſium fides ſpectet; nullâ vtilitate tantum ſanguinis ac laborum impendiſſe; niſi amici commodis, ſuo detrimento prouidere, animus fuerat. Aſolam, Peſcheriam,

Veneti conãtur abſtrahere à Sfortia Marchionẽ.

chariam ; Lonatum adhuc apud Venetos eſſe, olim Gonzagis haberi ſolita. Sed pulcherrimam Cremonenſis agri partem, fortitudine Marchionis ad Sfortiam deuolutã; non aliâ mercede, quàm matrimonij pacto; vt arctius ſeruitio vinceretur. Ideò arma Veronæ expugnationi deſtinata, aliò verſa; ne recepta, & Marchioni ex conditionibus debita redderetur. Nullam ex eo bello prædam retuliſſe in Patriam : Spolia inania, famam virtutis,& fidei gloriam,etiam apud alios haberi poſſe. Sed & euentu didiciſſe, quæ Veneti ſocietate armorum ſpoponderint, vltrò conceſſiſſe; ſi Pontemolinum, Hoſtiliam, cæteraq; eo tractu poſſeſſa, recoluerit. Pridem Gonzagos in tutelã à Senatu receptos; eamq; intaminatam fore; ſi officio, meritis, occaſioni cõſulta accomodarent. Mediolanenſes Mantuanas res hactenus non promouiſſe; ſed & obfuturos, vbi ſpes proficiendi emerſiſſet. Fruſtra conſanguinitatis ſpeciem aſſumptam, niſi vt eâ Sfortia per fraudem ac perfidiam veretur. Coniugia Principum, cupiditatem Imperij non abrogare: cætera caritatis admitti, quæ tamen & ipſa potentiæ prætextu,in vili habeantur. Fędera, conditiones pacis, amicitias, niſi ex vtili æſtimari. Meminiſſet, iiſdẽ ſe ſuſpicionibus olim impetitum; neq; plus integritatis in eo Principe eſſe, qui nullo nomine, alienam dominationem irrumpat. Ludouicus cum querelas in potentiores communes; eadem ab omnibus in æmulum iactari;nec fide aut promiſſis, ſed occaſione valeſcere poſſe cognoſceret, tempus deliberationi orauit. Et reuerſo paucos poſt dies Dandolo reſpondit; ſe fidem cuicunq; datam,intactam ſeruaturum; ſi neglectus, fraus, inſidiæ abfuiſſent. Id præcipuè Venetos approbandum habere, quòd virum in concordiam deſtinaſſent, quem ex fide æſtimaſſent. Dictu mirum; Vix Senatus dubitauerat, vix decreuerat, nondum reuerterat qui nitebatur; & Sfortia per literas amicorum, ſollicitari Mantuanum ad deſciſcionem docetur; nec minus quibus præmijs acciretur, quæ reſpondiſſet; metumq; ac cauſas alienationis ! Ergo Cremonâ,nõ equitatu; nõ nobiliũ,aut ſolitis miniſterio aulicis ſeptus, ſed citis equis Mantuam venit; ignaro, & inexpectante Ludouico. 1457.
Neq; tamen detectam Sfortiæ Senatus voluntatem credebat; impenetrabili ferè Venetorum ſecreto; quo ſalutem Patriæ, ac deliberationum fortunã conſiſtere, pro comperto habent. Sed Sfortia aduentus ſui cauſam breuibus proſecutus, conſanguinitatem, belli ſocietatem, & veterem amicitiam,dum parens vterq; ſupereſſet, recenſuit. Habere ſe quo fidem ac officium fateatur. Non minori imperij deſiderio Venetos, quàm ſe, quàm Marchionem teneri: munificentiæ tamen ſpecimen dediſſe, colatis in hos aut illos Caſtellis, præmia laboribus. Proindè ne Venetorum facundiam, & vana promiſſa, certæ expertæq; fidei præferat; ſimulq; intra ſe meditaretur, quò amoris inditio id teſtatum vellet. Ludouicus modeſtiæ ſtudio,nil alienum poſcere, ſua tantùm repetere; non fidem,niſi neglectum mutare ſe,dixit: & quia ſtabile inter Ducem ac Venetos fœdus non crediderat; vbi occaſio adrepſiſſet, ius ſuum, debitum, ſacramentum meminiſſet. Reuerſus Mediolanum Sfortia eſt,comitate ac liberalitate Ludouici ſuperatus. Aduertêre Veneti inſo-

litum

litum Principibus congreſſum; quodq; hactenus probabile putauerant, pro ſacroſancto credidêre; neminẽ occaſioni indormire. Itaq; motus ſuſpectorum, conatus hoſtium, Marchionis voces excipi, per exploratores voluêre, vt futuri monerentur. Alphonſus per hæc tempora Rex Neapolitanus, Epilepſiæ morbo, ac febri correptus, finem accepit. Huic cum regnum auſpicaretur, magnanimi nomen inditum, futurorum exiſtimatione creditur. Cũ diuturnum ancepsq; bellum compoſuiſſet, totumq; Regnum dicto audiens reddidiſſet, Beneuenti conſeſſum Ordinum indixerat. Sed Proceribus magis opportunam comitijs Neapolim opinantibus, ſeq; vt eò concederet orantibus, præbuerat aſſenſum: Eamq; quarto Cal. Martij, Milleſimi quadringẽteſimi quadrageſimi tertij, triumphali curru, eo loco, vbi mœnia oppugnationis progreſſu, tormentorum impetu diſiecta fuerant, victoris inſtar ingreſſus, tantâ celebritate exceptus fuerat, quantam nulla æui memoria reduxerat. Antequàm currum conſcẽdiſſet, in lætitiæ & aboliti odij memoriam, plures equeſtri ordini addiderat: Coronâ tamen laureâ ab amicis propoſitâ decorari noluerat; nè Patriæ Regniq; ſui triumphator videretur. Magnâ demùm pompâ per Vrbem, ad ſummum templum euectus, Numini, habitę victoriæ, voti reus, grates ſoluerat; & à Neapolitanis deinceps Rex habitus. Memoriæ in poſteros tranſmittendæ, facti ſeriem Arcu marmoreo incidi voluerat: Et ſecuto menſe, cum Eugenio Pontifice pacem inierat; Ferdinandumq; filium futuræ ſucceſſioni deſtinauerat; quem interim, poſcẽtibus Regni ordinibus, patri (vt credebant) gratificaturi, Neapolis in ſacrâ Diuo Laurentio æde, Calabriæ Ducem inſtituerat; Antonijq; Principis Tarentini filiam Iſabellam deſponderat; quamquàm ipſi notha Eleonora eſſet, quam Marino Marzano, Ioanni Antonio Seſſæ Ducis filio, in matrimonium locauerat. Cum Genuenſibus pacem ſæpius turbatam ſanciuerat; cumq; ſequẽti anno Philippus Bonus, Burgundiæ Dux, recens à ſe inſtituti aurei velleris equitum ordinis inſigne, Neapolim miſiſſet, publicâ ſolemnitate Alphonſus acceperat. Philippo Mariæ Inſubrum Duci, contra Venetos, auxilium tulerat; Florentinos armis aggreſſus fuerat, ſed illicò honeſtis conditionibus admiſſis concordiæ acceſſerat. Vbi Sfortia, Dux à Mediolanenſibus ſalutatus eſt; filiam Hippolitam, Ferdinando Calabriæ Ducis primogenito deſpõderat. Hac rerum viciſſitudine, Pius ſecundus, Patriâ Senenſis Piccolomineâ familiâ, defuncto Callixto ſuffectus eſt; Pontificatum ſummis virtutibus adeptus; per quas primâ ab iuuentâ, commendatione ſingulorum inceſſerat. Et quia Chriſtiani nominis hoſtem Turcam, Conſtantinopoli potitum, etiã intimæ Europæ minitari audiebat; miſſis ad vniuerſos Principes literis, generale Mantuæ vtriuſq; ordinis Concilium indixit; delectâ Ciuitate, ſoli vbertate, Ludouici Marchionis amicitiâ, ſitu commodâ. Et Ludouicus honeſtari Patriam, quamquàm rerum ſuarum diſpendio properabat; vt acceſſuros Principes Regio apparatu exciperet. Placuit vniuerſis, eoq; omnium

Concilium Mantuanũ. 1458. ordinum viri, proceresq; aduenêre. Quibus ætas, aut domeſticæ curæ impedimento erant, Oratores cum mandatis miſêre, & aſſentiendi auctoritate;

ijs

ijs quæ vtilia, Pontifex, Patresq; credidiſſent. Ipſe Pontifex Maio menſe Milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi octaui, duodeuiginti Cardinalibus, & octuaginta Prælatis comitatus Mantuam venit, quò iam tota Europa confluxerat. Venetorum nobiliſſimi iuſſu Senatus, Dux Sfortia, Ludouicus Marchio Mantuanus, Eſtenſis, quiq; per Italiam, nomine aut potentiâ magni erant, Florentiam vſq; obuij aduentanti Papæ proceſsêre. Quippe virtutum magnitudine, ac famâ viri illecti, finem malorum, velut miſſo cælitus patrono præſumebant. Pontifex Marchionis Palatio exceptus eſt; Cardinales à proceribus Ciuitatis, æmulatione quæſiti. Nam nobilium familiarum pleræq;, dari ſibi quem officio proſequerentur, Dominum orauerant. Ripenſes, Agnelli, Andreaſij, Buccamaiores, Puſterlæ, Cæſarei, Torelli, Strozij, Folengij, Groſſi, Vberti, Corradi, Cremi, Capriani, Caſtelbarci, ſuum quiq; ſortiti ſunt. Sed ſpecioſiſſima Furgarum ac Gornorum fortuna fuit; Hi Petrum Barbum Sancti Marci presbiterum Cardinalem, qui mox Paulus ſecundus; Illi Cardinalem Valentinum, qui poſtmodum Alexander ſextus, hoſpites habuêre. Vtriſq; multum decoris, plurimum expēſæ erat; cum non ingens pecunia ſubeſſet; & in Principes quos accepiſſent, vniuerſas facultates effunderent. Moderatione in ſimilibus opus didicêre. Quāquàm enim hoſpites Pontificatū accepiſſent, non dicto, nō facto gratitudinē teſtati ſunt; vt ferè recipiendo beneficio paratiſſimi, in obliuionem lubrici notantur. Nonâ Septembris congregati Patres, in aulâ Ciuitatis (quę Centum triginta paſſuum longitudinis, triginta octo latitudinis explet ſubiectamq; plateam proſpectat) Pontificem, ac Europæ Principum Legatos præſentes habuêre. Sermo per Caprianum Mātuæ Epiſcopum, Dominijq; Eccleſiaſtici Gubernatorem, iubente Pontifice habitus. Quò Europæ miſerias, & inhiantem vniuerſis barbarum Regem, facundè miſeratus eſt. Vertit poſtmodum ad remedia, quibus arceri peſtis, & excuti iugum poſſet; tantâ efficaciâ & impetu; vt iiſdem verbis excepta oratio, ad omnes externos Principes mitteretur. Vix conticuerat, & Pontifex indicto vniuerſis ſilentio, pompoſaq; in ſpeciem oratione (vt erat eloquentiæ præclarus) calamitatem Græciæ, preces Regum, perfidiam victoris proſecutus eſt; commoto miſeratione populo omni, & promiſſo auxilio, quod in barbaros impenderetur. Bellum quidem concordibus ſententijs quærebatur; ſed vbi Principes acceſſiſſe viſi, cætera proſequi placuit; quæ Chriſtianam Rempublicam malè habebant; licentiam morum, impugnationem veritatis. Egredi quippe relationem; & ſi quid in commune conduceret, loco ſententiæ proferre, præcipuis Doctorum concedebatur. Mox Pontifex ad priuata conuerſus, Diuæ Virginis gratiarum (ſic dicunt) templum & inuiſit, & priuilegijs decorauit. In Ciuitate templum D. Dominico, & D. Agneti ſacrum dedicauit; Sacratiſſimum Saluatoris Sanguinem tot annos ſummâ veneratione habitum, publicè adorandum propoſuit. Eâdem ſententiarum licentiâ, eòuſq; ventum; vt auſi quidam temerario conatu ſint, reliquiæ veritatem carpere; profiteriq; miraculo, nō naturâ manaſſe. In quos Iuo Monachus celebri declama-

clamatione inuectus, tot ſeculorũ ac Pontificũ fidẽ protulit, vt blaſphęmi cõticeſcerent, manifeſto inditio diffidentiæ. Alterum iam menſem Pontifex Mantuæ erat, Ludouici munificentiâ exceptus; quem ne diuturnitate, ac magnitudine expenſę oneraret, Mantuâ ſoluens, Ferrariam & poſtremò in Vrbem contendit. Eandem animi magnitudinem Principes qui comitabãtur experti ſunt; intento comitati Ludouico; cui apud exteros famam quęrebat. Abeuntem Pontificem Florentiam vſq; ſecutus eſt; deditque eximiæ pulchritudinis adamantem, quem articulo geſtaret. Proſecutus quoq; cõtinuatione obſequij reuerentiam, adeo vt Pius ipſe, neminem filiorum Sedi Apoſtolicæ magis illigatum Ludouico fateretur; decebatq; gratiam in tempore reddere; ne officij immemor, cæteros ab obſequio deterreret. Delectã ſtudio æmulorum Mantuam repeti; vt Marchio ac ſubditi, profeſſione magnificentiæ, domeſticas facultates inutiliter haurirent; & inopiâ pecunię, præter bellũ vniuerſa meditarentur. Sed incallidi dominationis erant; quòd munificentiâ gliſcere opinionem; & frequentiâ populi, inferti pecuniã ignorarent. Quamquàm enim multa in hoſpites erogarentur; pluta vulgo extrudebantur, quæ ratitas incolarum non abſumpſiſſet; aucta mercatura, iniuſſi ab exteris commeatus importati; & famâ opibusq; celebrior Vrbs reddita. Decimo quinto Cal. Ianuatias Milleſimi quadringẽteſimi ſexageſimi primi,

Franciſcus Cardinalis, Franciſcum Ludouici filium, Pontifex Cardinalium albo addidit. Hunc Piſis optimarum artium ſtudio operantem Mantuanum Epiſcopum elegerat; vt duplici nomine, Patriæ caritatem approbaret. Neq; adhuc diſceſſerat, cum collati honoris nuncium habuit; conſcio primùm Parente; & vniuersâ Patriâ ingenti lætitiâ effusâ. Mantuanorum Annalium memoriâ cõperio, exceſſiſſe iuueni vocem, quâ Pontifex offenſus, etiam cum Parente queſtus ſit. Cum enim multis nobilium ſtipatus, hos illosve gratantes, & honorem additum inculcantes exciperet, prorupit; Gratiorem ſibi Pontificis deſignationem eſſe; quòd cum ornare cætum Purpuratorum voluerit, ipſius nobilitatem præcipuè electione prætuliſſet. Marchio tamen & Patria magnâ demonſtratione lætitiæ, dignitatem excepêre; ſiue quòd ad gloriam conferret; ſiue quòd primus Illuſtri familiæ Cardinalatum intuliſſet. Ille tamen iuuenili ardore contemptum ordinis, luxu, & licentiâ morum proſecutus, breui æuo vſus eſt; neq; apud poſteros nomen retinuit: Negligentia curarum, fama libidinum, excutit gloriam. Plures iam annos Carolus Ludouici frater; non ſemel æmulatione infenſus, oratusq; vt ſibi cæterisq; pacem vellet, peruicax propoſiti, turpemq; contentionem ſectatus, & fuſus ad Goitum, Eſtenſis Marchionis precibus qui ſe vadem exilij obtulerat, catcere fuerat liberatus. Sed Parentis liberalitas, & debito, & ob pœnam auulſa, miſerrimum reddiderat; niſi nouis precibus euictus Ludouicus, omnium egenum, & longâ paupertate ſordidum, largitionibus per interualla miſſis, fouiſſet. Nec ſi habita quondam Oppida recepiſſet, aut concordiam habiturus, aut fraterni beneficij memor futurus credebatur. Fortè Principis gratiam, ſeruili adulatione emercati aulici, deteriora de homine referebãt;

velut

Digitized by Google

velut rebus nouis ſtuderet; & futura belli ſemina, apud auidos contentionum ſereret. Imo Caſtrum Caprianam, ſitu, aëriſq; ſalubritate delicatiſſimum, coacto latronum globo inuaſurus, & ſubterfugio habito, cætera infeſtaturus ferebatur. Ludouicus pacem, non otio, aut ſecordia terendam putans, miſſis redemptoribus, dirutam Tormentis arcem, futuræ ſecuritati, magnâq; impenſâ reſtituit, quâ nunc formâ viſitur, diuturnam obſidionẽ toleraturam. Sic itum ſuſpicioni obuiam; & prærepta turbidis occaſio nouandi. Additi quoq; obſeruatores Carolo; qui dicta, ſpes, lamentationes referrent, vnde futuri inditium erat. Regreſſum Mantuam Ludouicum Cipri Regina conuenit, Sabaudij Ducis Nurus, & matris Marchionis ſorore genita; Vrbem Romam, Galliam, Burgundiam, ac Mediolanum peruagata; vt captiuo Parenti libertatem, auxiliumq; compararet; quem Turcarum Tyrannus in vinculis habebat. Ludouicus hoſpitalitate ac munificentiâ, etiam apud exteros clarus, quod virium, in conſanguineam intendit; ne quid Regiæ conditioni, aut conſueto ſibi mori deeſſet. Et quia perferre non poterat; & aſſidua contrahendis auxilijs, quæ ſperabat, erat; Venetias profecta eſt; vt oblatos ſocios opperiretur. Sed lēta ſubſidia, & irrita cogebantur; fatali Chriſtianorum miſeriâ; & fortunâ in Chriſtiani nominis hoſtem tum deuolutâ; ne noſtro quoq; æuo dixerim, quo auctus potentiâ Barbarus, ceruicibus, aris, fociſq; impunè minitatur: Diſcordes communi bono animos cauſauerim; fauentia Numina haud dubiè crediderim; ſed reatibus, ac flagitijs indefeſſi, fortunam ipſam profligamus. Erat Ludouico Federicus natu maior filius, formæ venuſtate, morumq; elegantiâ, parentibus ac Ciuibus iuxta carus; nec Imperatori, aut Germanis Principibus incognitus; quibus externa quàm domeſtica accuratius perquiruntur. Itaq; Ioannes ac Sigiſmundus Bauariæ Duces, raræ indolis adoleſcenti, optante Patre, procurante Cæſare, annuentibus Germaniæ Ordinibus, Margaritam ſororem deſpondêre. Ludouicus Pater, lætitiæ nimius, magnis affinitatibus fulciri res ſuas, & conſanguineos Duces, propinquo, Cæſares flagrantiſſimè cupiuerat. Sed Federicus ſeruili impariq; decori ſuo amore vecors, nîl ratum velle, quod Pater ſanciuiſſet, obteſtari; ſibi matrimonij onus incumbere; nec in eam conſentire quàm non vidiſſet; non moribus, vix nomine cognouiſſet. Libertatem coniugiorum, à cœtu fidelium vſurpatam; vt qui volentes contraxiſſent, æternûm ſeruarent. Superſtites adhuc parentes, & integris viribus, poſſe nouos liberos ſuſcipere: Neq; expedire coniugium in filio, incolumi Parente; ne obſequij contemptum, & libertatem induat: Simul maiori in filios caritate, quàm in Patrem euadere; quem tamen dum vita ſuppeditet, cultui ſuo præpoſuiſſet. Hæc & alia nouitatum, nullo audientium delectu. Per ſecretum matrem orare, ſtabilem propoſito Parentẽ amoueret; nec quem officij ſeruantiſſimum plures annos cognouiſſet, hoc primùm dolore conficeret. Sed Ludouicus pacti cum Principibus memor; & quibus cauſis vili amore diſtraheretur, doctus; vrgere contumaciam, promiſſa addere; & vbi nîl mollioribus profici vidit, ad minas conuerti. Cardinalis

Regina Cipri Mantuæ.

Federicus Ludouici fil.⁹ renuit Bauarã uxorem.

dinalis frater honeſtioribus vicinior, rogare Federicum, firmaret nobili cõiuge Paternam hæreditatem, ſeneſcenti Patri condonaret, & conſanguineũ Imperatorem non aſpernaretur. Surdo fabula canebatur, ardentiſſimo iuuenis in quandam vili è plebe amore; & qui non facilè, niſi tempore, & ſatietate deponeretur. Ludouicus acciri à matre iuuenem; & quantum dedecoris incurreret doceri voluit. Quæ Paternam caritatem, Cæſaris amorem, Germaniæ Principum deſiderium, Pontificis ac fratris Cardinalis voluntatẽ proſecuta; vertit ad ea, quæ domi cara, aut indecora crederentur; vilium conſuetudinem, preces potentiorum, datam à Parentibus, & quam ſeruari deceat fidem. Ad extremũm multis cum lachrymis, filium amplexata, orare, ne fœditate ac contumaciâ, domum Parentemq́; cruciaret. Ille amoris impotentiâ, ſimul obſtinatione, ſine reſponſo matrem reliquit. Itaq́; Ludouicus acrioribus in præſentiâ opus putans, Carcerem comminari, ac Paternam auerſionem cœpit; ne Cæſari ac Bauaro datam fidem infringeret. Federicus, aut fugâ vitandum Patris odium, aut parendum (quod morte peius crediderat) agnouit. Potior fuga viſa eſt, adiuuante matre, pecuniam famulosq́; concedente; non vt Marchio læderetur; ſed nè grauioribus preſſum, atrociora ſequerentur. Et ferè promptior matrum in filios dilectio; & concedendis voluptatibus facilior eſt. Federicus acceptâ à matre pecuniâ opulentus, & famulis comitatus, quos illa è nobilioribus addiderat, dum Neapolim traiecto Apennini iugo petit, in Latrones incidit, non longè Centeno; quâ graſſantibus, ſiluarum vaſtitate, & diuerſorum populorum limitibus facilè effugium. Ergo neceſſitate exuenda nobilitatis profeſſio; & mutatione nominum turpitudo cælanda erat. Vt Neapolim deuenêre, egeſtate, rerumq́; omnium inopiâ feſſi, num mendicitatem faterentur, deliberatũ inter ſocios. Pax toti Italiæ erat, eoq́; rari tenuesq́; prouentus militares, nec ſecreti, & inhonori. Quòd ſi aduerſus Turcam claſſe contendiſſent, vix fallere licebat; nam Veneti, Mediolanenſes, etiam Mantuani Anconæ miſcebantur. Vt labore diurno victum compararent inducti ſunt. Sed ingenuis Parentibus orti, non mercimonio, non forenſibus operibus idoneos ſe depræhendêre. Baiulandis oneribus animum addixêre; quòd iuuentus ac vires ſuaderent; non habitu, non colore noſcerentur. Et hebdomadas aliquot prohibito Federico eadem exercere, abundè Domini neceſſitatibus ſubuentum. Nec ille tamen in poſterum abſtinuit, quîn iniquiſſimo labori intentus, eandem cum ſocijs fortunam experiretur. Etiam vires iactabat, non vt ſegnes impelleret (nec enim ſi caritas inſtet, monitore opus) ſed vt ſe parem oſtentaret. Vicit inconſueta fatigatio, delitijs innutritum; & graui valetudine ſubſecutâ, intra paupérculæ mulieris ædes habitus, nobilium famulorum continuatâ pietate ſuſtentabatur; viciſſim hoc aut illo aſſiſtente, cæteris lucro intentis. Spoliati interim comitatus fama, Mantuam peruaſerat; ſiue eorum aliquis perſcripſerat, ſiue flagitij magnitudo ſileri non poterat. Hinc Parentum metus, ne egeſtate ſtimulati, prauis conſilijs intenderent. Non enim quò deflexiſſent, innotuerat; arctiſſimo omniũ ſilentio;

Fugit, & à Latronibus ſpoliatur.

Neapoli ægrotat.

pro-

propriam ignominiam, Domini præceptum metuentium. Dolorem tamen amiſſi filij Ludouicus, nullâ ambitione faſſus eſt, fęmineum publicè lamentari credens; & probandæ Germanis Principibus fidei deſiderio, quod ſpectabat impoſſibile opinatus. Secretò tamen vxori imperauit, vt velut neſcio coniuge, ad præcipuos Italiæ Principes literas mitteret; doceretq́; quid ipſos reperto filio agere cuperet. Diù ante Neapolitanus Rex facti certior, totâ Vrbe ſciſcitari de adoleſcentibus iuſſerat; ſed reperire arduum erat; inter tot exterorum millia, mentitis nominibus, cunctisq́; habitu, ac opere in ſui diſſimilitudinem compoſitis. Sors tamen ſecretum aperuit. Cùm enim exteri omnes Regio mandato inquirerentur; quaſi in Cenſum ſubditi traherentur; quidam velut depræhenſos Mãtuanos ad quærẽtes detulit, ſeu ſpecie ductus, ſiue numeri coniecturâ (Septem enim requiri nouerat) nec auſus inditio certitudinem addere; ſed ſex iuuenes Baiulos, à miſerrimâ mulierculâ hoſpitari (quos idioma Longobardos teſtetur) ſignificauit. Miſſi qui cognoſcerent. Et iuuenes inexpectatè accerſiti, diuerſa metu proferebant. Hinc fides; & incuſſo metu quid de domino ageretur referre iuſſi; Valetudinem, inopiam, cauſamq́; omnium contumaciam prodidêre. Miſſi nobiliũ præcipui, qui modico ſtramini incubantem, & haud procul extremis inuenêre, indigentiâ morboq́; confectum. Mox Regijs ędibus illatum, copiâ, delectu, bonâ ſpe, plures dies habitum, priſtino robori reddidêre. Nec is humanitatis in Rege finis. Principi more cultum, nobili comitatu inſtructũ, pecuniâ donatum, Mantuam cum literis ad Patrem remiſit; in hæc verba. Nullam certiorem imperantibus poſſeſſionem, quàm liberos eſſe. Non leui de causâ procul habendos; ſed ætati, educationi aliquid condonandum, vbi Parentes per cætera coluiſſent. Non ſeruos, ſed filios æſtimandos, quibus iure, libertatis aliquid permittatur. Iuuentam plerumq́; imprudentiâ procurrere; in quâ non animum, ſed annos accuſandos eſſe. Semel ignoſcẽdo amantiores reddi beneficio, formidoloſiores cõtumacioresq́; metu; velut odium expertos, & incertos gratiæ redituræ. Orare vt quando ſuâ fortunâ, occaſionem amico obſequendi nactus ſit, velit indulgentiâ ſibi, filioq́; accedere; maiorem gratiam relaturus in tempore, ſi reſumptam à filio Paternam caritatẽ, ſuâ interceſſione cognouiſſet. Federicus ſecretò Vrbẽ ingreſſus, Matris amplexu prímùm excipitur, & mox Patri obiectus, genibusq́; aduolutus, *Recõciliatur Patri.* clementiam expreſſit. Sic Margaritam Bauaram, maiori quàm olim vitauerat amore, coniugem accepit; ſuorum ac exterorum pari voluntate. Mulierculã cuius illecebris corruptus, Parentem ac conſanguineos exuerat, procul Mater amandauerat; ne regreſſus adoleſcens, antiqua incendia ſuſcitaret, aut indigno hominum memoriâ facinore, vxorem duceret. Eâ quippe conſtantiâ fuiſſe puella dicitur; vt ſceleris, ſummam tantùm fortunam pretium vellet. Sed Federicus, vbi procul à Patriâ fuit, nullo monitore, nobilitate ingenitâ, erumpente iudicio didicit, potiorem contumeliâ mortem eſſe. Nobilium Mantuanorum comitatus, qui Federico raro pietatis exemplo deſeruiuerat, in familiam adſcitus eſt, nomine Fideliũ (nec enim caritate *Fidelium familia.*

in Dominum aliud ſpecioſius reperias) gaudens in præſentem cognomine, teſtimonio virtutis. Vbi Federicus rerum potitus eſt, ſingulorum erga ſe fidem proſecutus fertur, pari fortunæ munificentiâ; ne ſpecioſa denominatio, re familiari deſtituta, ſordeſceret. Duo qui ſubſecuti anni ſunt, Pij ſecundi, & Franciſci Sfortiæ exitu celebres fuêre. Quorum alter Anconæ diem obijt, dum Turcicę expeditioni intentus, claſſem ac militem eo mari accelerat; alter pace partâ, licèt ſuſpectâ; recētis imperij fundamenta iaciebat; quæ meliori tempore in poſterorũ magnitudinem tollerentur. Sed non æquus animi erat; quòd Brixia, Bergomum, & Crema Venetis ceſſiſſent, potiſſimos Mediolani dominij artus vocans; maximè quod acceptam ſemel poſſeſſionem, potenti ægrè ademeris. Augebat Sfortię dolorem continuus lamentationibus Ludouicus; eodem enim actu quò Aſolam, Lonatum, Peſcheriam repetebat, Ciuitatum memoriam refricabat; quaſi non alio ſtimulo acueretur indignatio, quàm ſi domeſtica obieciſſet. Externas clades, interna mala comitata ſunt. Nam Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſexto, Ianuarij decimâ ſextâ, Alexander Ludouici frater, lateris morbo correptus finem habuit. Non coniugem viro, non filios fuiſſe comperior. Quæ teſtamento Patris Oppida habuerat, ad Ludouicum deuoluta ſunt; longè ab exilio querente Carolo, qui detracta ſemel Caſtella, ad pauperiores abire crediderat. Et quamquàm irritæ querelæ forent; & miſsâ iuuentute, pro Marchione ſeruarentur; placuit tamen Cæſaris ſuper eâ re decretum eruere; vt ne tacitis quidem calumnijs locus eſſet. Sic decimâ octauâ Octobris eiuſdem anni Diploma habitũ; quò reuoluta ad Marchionem Oppida dicuntur, eiq; nobili ac perpetuo feudo conceduntur. Satis Imperatori notum erat, magno primi Marchionis errore eueniſſe, vt tam ingēs iuriſdictionis pars, ſupremo titulo auelleretur; nemine interim ferendo hoſti, aut ſeruandis finibus valido relicto. Et quidem diuiſis inter filios opibus, familiam geminatis cõiugijs propagari certum eſt; ſed lacerâ potētiâ: Cum apud omnes dominatio ſit, in nemine viget; & cum plures oſtendantur, nemoeſt, qui magnitudini cæterorum æquetur. Canneti incolæ, nouo milite, & ſuſpicaci ſe Domino teneri, iniquè tulerant; auſiq; ſunt Brixianos auxilio vocare; ne validum municipium, deſpecta Mantuanis acceſſio fieret. Id Ludouico, qui fidem adhuc retinuerant, perſcripsêre; nondum firmatis tranſactionis conditionibus; & opportunitate remedij. Miſſus Cæſar Galuanus cum ſexcētis peditibus, vnum aut alterum ſeditioſorum, reliquorum exemplo corripuit; reliqui præſtito ſacramento, & ſaluo iure veteri, depoſitis odijs conſidêre. Fratris Alexãdri obitum, domeſtica lætitia excepit, enixâ filium Margaritâ, cui Franciſci nomen impoſitum. Periti futurorum, quiq; obſeruatione ſtellarum, euentuum ſe gnaros profitentur; eo ſydere natum Franciſcum retulêre, quo toti Italiæ bella, ac rerum ingentes mutationes præſignificarentur. Sed conſanguinei omnes, Paterq; præſentibus læti, & futura in abdito credentes, nullo metu incertorum malorum, præſentia bona in quæſtu habuêre. Franciſco Sfortiâ defuncto, Galeatius filius, in Galliâ pro Rege pugnãs; vbi

1466.

Franciſci natalis.

vbi etiam exercitum amiſerat, citis equis Mediolanum contendit: Ne ſubditi mutari faciles, abſentiâ Principis vrgerentur. Receptus tamen vniuerſorum lætitiâ; vt nouus Dominus, & ſpei certioris. Id omninò mortalibus inditum, vt nullæ ſuperſtitis Domini virtutes ſatis credantur; de futuro maiora ſperentur; quamquàm euentus plerumq; non reſpondeat: Securum nēpè, quod præſens; futuri & incerti, eadem conditio eſt. Miſêre Principes Italiæ oratores: Qui viciniores erant etiam Mediolanum conuenêre; vtile aduerſus iuuenem Ducem obſequium credentes. Hos inter Ludouicus Bianchę Galeatij matris precibus euocatus eſt: Adueniret, præſentiâ & conſilio, firmitatem dubijs filij rebus allaturus: Ea literarum ſumma erat. Nec Ludouicus officium abnuit; ſed veteris cum Sfortiâ amicitiæ ac conſanguinitatis ſtudioſus, commiſsâ Ciuitatis curâ Federico, aduolauit. Cæterùm quia dominationis initia in arduo ſunt, & niſi conceptæ expectationi reſpondeant, in contumeliam vocantur; Ludouici prudentiâ, bonis iuxta ac malis, æquitate, munificentiâ, temperantiâ conſultum eſt; ſparſa per Vrbem famâ; vt quæ rectè Gonzaga præcepiſſet, Galeatius imperaſſe diceretur. Ea enim Ludouici modeſtia, & in iuuenem caritas erat; vt gloriam quoq; concederet; nec optimorum conſultorum quæ dederat, partem, Mediolanenſium opinione delibaret. Quo etiam prudentiſſimi miniſtrorum, Principes iuuenes conſilio delegati acriter offendunt; dum rectè actorum merita, iudicij proprij oſtentatione imminuunt. Maximè quòd cum Domini ægrè pecuniam, iniquiſſimè ſibi gloriam præripi ferant; cupiantq; quæ præter ſubditorum commendationem eueniunt, in adminiſtros transferri. Sed & id Principes imperant; & à prudentibus eâ formâ imperare tolerātur; venali apud miſeros doctrinâ, famâ, gloriâ, virtute: vtinam non fide. Franciſcus Ludouici frater, pridem Epiſcopatui deſignatus, primùm hoc tempore accepit. Et licet hactenus grauioribus curis impar creditus, liberalitate nihilominus, ſpem expectationemq; ſupergreſſus dicebatur: Verſo ſtudij ordine; vt qui olim voluptatibus intentus omnia neglexerat, effundere in egentes beneficia cœperit. Sed breui vitâ commendationem non retinuit. Ita enim vitia ac virtutes diſcrepant; vt cùm illa citò admittantur, famam ſecum deferant; quàm ſexcentæ in contrarium virtutes, vix obliterant. Plurimùm quoq; intereſt in quæ tempora cuiusq; virtus incidat: Et fœcunda alimentis ætas; nec munificentiam haurit, nec ob viles erogationes circumfertur. Subleuando lectoris animo, & comparationis verecūdiâ, libet attexere Annonæ pretia, quæ nos vetuſtis M.S. Annalibus excepimus, Ludouici Marchionis æuo. Ea Cenſorum arbitrio impoſita fuiſſe, ſequens tabella indicat.

Anno Domini noſtri Ieſu Chriſti, Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quinto, die octauâ Auguſti. Sit notum cunctis hominibus Ciuitatis Mātuæ, qualiter nobiles viri Dominus Fabius Merla, Carlottus de Ripalta, Ioāninus Miles, & Andreas Groſſus, Capitanei & curatores Platearum Ciuitatis Mantuæ, impoſiti ab Excelſo & Illuſtri viro Dño Ludouico Marchione, *Pretia Annonæ ſub Ludouico Marchione.*

rebus venalibus, in dictâ Ciuitate & Plateis, poſuerunt ſequentia pretia, quę nemo excedere poſſit; ſub pœnâ decem librarum monetæ, pro qualibet vice; quarum tertia pars Hoſpitali maiori, altera accuſatori, tertia arbitrio ipſorum Capitaneorum applicetur; & in primis.

Tritici Modius, ſoluatur ſolidis duodecim.
Siliginis Modius ſolidis nouem.
Milij ſolidis octo.
Fabarum ſolidis octo.
Vini currus onuſtus, ſolidis 270.
Lignorum currus onuſtus, ſolidis 140.
Carnis Porcinæ libræ 25. ſolidis 18.
Caſei libra, ſolidis duobus cum dimidio.
Lanæ libræ Vigintiquinq;, ſolidis 110.
Lini libræ Viginti quinq;, ſolidis 70.
Olei libræ Viginti quinq;, ſolidis 75.
Butiri libra, ſolidis tribus.
Operarij rurales ſolidis quinq; diurnis.
Bos ſub iugo Ducatis tribus, aut ad ſummum quatuor.
Ouis ſolidis 30.
Pullorum gallinaceorum par, ſolidis octo.
Columbarum par, ſolidis quinq;.
Gallina ſolidis ſeptem.
Anſer obæſatus, ſolidis ſexdecim.
Piſces omnes Padani, non excedant ſolidos duos, & dimidium, pro qualibet librâ.
Piſces lacunales non excedant ſolidos duos.
Quæ rerum Platęæ venalium pretia, fuerũt buccinæ ſono promulgata.
Ego Petrus de Ruuere, publicus Buccinator, manu propriâ.

Nec tamen infrequentiam eorum temporum cauſaueris. Quippe anguſtioribus terminis arctata Ciuitas, plus hominum alebat: Et aſſiduis bellorum incurſibus immaturæ fruges, plerumq; ſternebantur; non victo, non victori vtiles. Cœlum culpauerim, ac inimicas aëris tempeſtates, quibus anni conſtitutio ſubuerſa, infructuoſos agros, mendaces ſegetes induxit. Niſi cauſa è Numine, flagitijs laceſſito, altiusq; petenda eſt; nullo vnquàm annorum decurſu, priſtinâ illâ ſegetum fęcunditate reſtitutâ. Vbi Galeatius ad ſuos redijt, & certam poſſeſſionem, nec vllum voto obſtantem vidit, Mãtuam fidiſſimos, ſpectatiſſimosq; procerum miſit, qui Dorothęam Ludouici filiam, ſibi coniugem à Parente deſignatam, deducerent. Auxit comitatum Ludouicus, miſsâ ſimul coniuge, & magnâ nobilium Mantuanorum manu, qui regio officio ſponſę deſeruirent; ſimul ne ſine ſplendore, coniunx quam addiderat, reuerteretur. Medio itinere, nec minus Mediolani tantâ munificentiâ vſus Galeatius; vt Regalibus nuptijs nîl deeſſet; quod vnquã decoris ac faſtus extra Patriam viderat, in præſentem vſum conferens: Et vt plerum-

Dorothęa Galeatio Spõſo deducitur.

plerumq; affinitatum, amicitiarumq; initia, magno impetu,& effuſâ caritate ceptantur, extrema langueſcunt; ſic in Ludouicum immenſa gener contulit, quæ prudentiores haudquaquàm duratura prædixerant. Nam & domeſtica primûm, mox externa à Socero, pro arbitrio componi voluit; ipſe titulo Domini, Ludouicus voluntate, ac potentia vtebatur. Neq; ſatis habuit curam conceſſiſſe; niſi edicto quoq; & miſſis ad ipſum literis titulũ Gubernatoris rerum ſuarum appoſuiſſet. Extat epiſtola nonâ Martij, Milleſimi quadringenteſimi ſexageſimi octaui, in hæc verba: Excelſe Domine Pater amatiſſime, S. Publicis bandimentis per Mediolanum; & reliquas ſtatus noſtri Ciuitates, notum omnibus fecimus, qualiter de fide, & amore tuo paterno ſecuri (cum nos omnibus intẽti eſſe non poſſimus) te declarauimus totius dominij noſtri vniuerſalem Gubernatorem: Dantes plenam auctoritatem, quâ tibi liceat, ſingula & omnia, pro tuâ prudentiâ adminiſtrare. Rogamus itaq; paternam caritatem tuam, vt Annonam, pacem, redditus, & expenſas ita modereris, quatenus & Cameræ Ducali noſtræ, & ſubditorum noſtrorum vtilitati conſulatur. Simul vt iuſtitiam omnibus adminiſtrari facias. Datæ Papiæ Nonâ Martij, Milleſimi quadringenteſimi ſexageſimi octaui.

Ludouicus Gubernator Status Mediolanenſis.

G. SF. Dux.

Annum penè alterum huic curę Ludouicus immoratus, Ducalem cenſum, fœdera cum vicinis iacta, pacem iuſtitiamque ita diſpoſuit; vt nil Galeatio ad fœlicitatem deeſſe, niſi rectus eorum vſus videretur. Sed vbi cum ætate, ac æſtimatione potentiæ licẽtiâ ſubrepſit, raris Principum aliena; ſummâ pace habitam dominationem, longè lateq; fuſum imperium, cõgeſtas à Franciſco parente opes, praua conſilia, in libidinem ac petulantiam vertêre. Vt gratitudinis in Socerum, fidei in coniugem, pietatis in Deum obliuiſceretur. Neq; morum iuuenis ignarus Ludouicus degebat; ſed admonere, repræhendere, interdum ſimulare vtile ratus, efferam iuuentam moderabatur; conceſſis pleriſq; voluptatum, vt ſordidiores negaret. Acceſsêre perditiſſimi conſultores (Regalium domorum venenum) Principis ſui corruptelam docti; & certi nullo dedecoris metu fauere; hi Dorothęam pudicitiâ ac ſanctimoniâ notam, magnis natalibus innixam, virtutum maximis ornatam, communione arcere, procurabãt. Nec cauſa ſuberat, niſi perfidiam, flagitiũq; prætenderis. Præter labefactatum Ducis animum, Ioãnes Alboranus, ſcurrilibus facetijs, & mimorum infami æmulatione (his enim aulæ turpitudinibus oblectabatur) gratus, præceptum infame eoq; ſecretò dederat; vt menſe quolibet virginem coniugem pararet; & tum retineret, cum libido deferbuiſſet. Is honeſtiſſimæ puellę, profeſſione, linguâ, moribus, inuiſus; & non ſemel pulſus fuerat. Proindè veterem Gonzagorum æmulationem obijcere; toties decantatam nobilitatem, etiam ad faſtidium referre; quaſi viles ac nouos Sfortijs natales improperarent; Tenues tamen Soceri vires, & conſilio quàm facto validiores; contra magnum Sabaudiæ

baudiæ Ducis nomen, potentiam, pecuniam, ſubditos. Et ſi conſenſu, & mutuâ dilectione illigarentur, terrorem cæteris, ſibi ſecuritatem fore teſtabatur. Ex honeſto nulla ratio petebatur; nam nec origo illuſtrior, ſi genus ſpectaretur, erat: Flagitio Ducis, ſuam vindictam perfidus adulator ſectabatur. Itaq; fatali Principum caſu, conſilia recepta ab eo, quem intra regiũ cubiculum, teſte Sole, ne conſpici quidem decorum erat. Familiaritas, & conciliando riſui ars comparata, ſolidam prudentiam, nobilium, ac Patritiorum, qui fęditatem exceperant, ſupergreſſa ſunt. Galeatius iuuentâ, & apud potentiores præſumptâ potentiâ liber, ſtatim in ſceleſtas, ac nouas nuptias animũ intendit: Tanquàm ſummæ fortunæ omnia licerent; & quod ſemel placuiſſet, arbitrio reijci poſſet. Itaq; proditore vſus, componit ad Pontificem literas: Dorothęam ſterilem, animo commotiorem, ſibi à Patre nullâ ſuâ voluntate datam, ipſo nomine exoſam habere. Nec tamen ideò à ſe domo pulſam, niſi ſumpto impotentiæ, infœcunditatiſque teſtimonio. Impudicitiam nec fingere quidem auſus eſt; adeò ſanctitas Dorothęæ nota erat; vt ſi mendacium obijceretur, ſine fide apud omnes vileſceret. Antiqua repetantur; vt ſi quid turpitudinis ſubſit, impunè depræhendatur; E Gonzagâ tamen domo, cum diuerſis Europæ Principibus coniuges petitæ ſint; Vrbinatibus, Eſtenſibus, Vicecomitibus, Sfortijs, Malateſtis, Auſtriacis, Lotharingis, Virtembergẽſibus, Aragonijs, Borbonijs; nulla tamen impudicitiæ nomine; etiam apud hoſtes accuſata eſt. Maieſtatem familię credam, an nobilitatem ambigo. Franciſcus interim Cardinalis, ſuâ Parentis, Sororis conditione laceratus, publico conſiſtorio, Galeatium perfidiæ, crudelitatis, mendacij, imprudentiæ arguit; ſimulq; profeſſus eſt, non poſſe aut debere Pontificem, manifeſtæ alterius iniuriæ annuere. Leges mortalium, ius diuinum, famam, conſanguinitatem referens. Et victa Galeatij temeritas, ratione, auctoritateq; eſt; ipſo Pontifice reclamante, & honeſtatis fideiq; admonente. Sed Alboranus Principis ſui gratiâ, ſupra leges, ius, faſq; euectus; idq; ſimulatione, diſſolutione, ac vanitatibus nactus; vt haudquaquàm falſa conſulere crederetur; modò Sabaudij potentiam ac modeſtiam obijcere, modò Galeatij temeritatem irritare; vt quocunq; modo liceret, voti potiretur; ſimulq; magiſtrum ceruice excuteret, ſui ſtudioſum, generi voluptatibus alienum: Satis virtutum à natalibus Ducem accepiſſe; ſatiſq; magnis præceptoribus inſtructum, Patre Auoq;, quos Gonzagæ cultu obſequioq; proſecuti ſint, perſtrepebat: Quandò vnquam auditum, Mediolani Gonzagam imperitaſſe, aut Mantuæ Marchionum ductu, tam magna agitari? Solitos ſeruire, mutaſſe fortunam; quæ diù ſtabilis, certâ Dominorum ruinâ eſſe poſſit. Vbi ſatis conſilij, de modo deliberatum; placuitq; Veneno graſſari; quando oblatæ Pontifici preces, non profuiſſent. Sed fama flagitij, etiam perditiſſimis inuiſa, fugienda erat; poteratq; è Pontifice ac Cæſare metus eſſe. Cremona ſceleri delecta eſt, longius diſſita, vt diſtantiâ falleret; nec ſuſpicio ſubeſſet. Miſſa illuc Dorothęa; quod illa ſemper ſuorum vicinio deſiderauerat; Medicuſq; in curam datus, quem ante

Galeatius repudium Dorothęæ dicere procurat.

Galea-

Galeatius, pecuniâ ac promiſſis in conſcientiam traxerat. Nec tamen prudentia facinori, ſed celeritas quæſita, tanta impotentiâ ac Sabaudij ſtudio diſtrahebatur. Illa mariti pœnitentiam, nec diuturna in Matrimonijs odia, Patris quoq; Patruiq; auctoritatem opinata; cùm lætitiâ, & procul ſuſpicione agebat. Inopinátem Medicus aggreſſus eſt; iucundoq; boletorum cibo, lætale venenum affudit, vt dapibus culpa eſſet. Neq; vires deturbando per inferna malo ſuberant; gracili puellâ, & medicaminibus auersâ. Matronę conſilij neſciæ, remedia inculcare, modò vomitum, modò aluum cieri imperantes. Et Medicus velut ſalutis anxius, diuerſa, aut non profutura ſuggerebat; Donec violentiâ veneficij, & languore victa, extincta eſt. Galeatius diſcrimine accepto, Mediolano accurrerat; & cum doloris imitaměta prætuliſſet, etiam lachrymas per lætitiam expreſſit. Nec tamen cœlari ſuſpicio potuit; quæ vbi in vmbra eſt, neglectu ac querimonijs æquè valeſcit, Ludouicus filiæ mortem impatientiâ euulgauit. Non tamen iuſſam necem ſciuerat; ſed de fortunâ tantùm palam lamentabatur. Altero menſe deterſis Mediolanenſium lachrymis, & excluſo luctu (quem tamen nemo imperauerat) à Sabaudio legati venêre; amicitiam, & conſanguinitatem offerẽtes. Philippo enim ſoror bona erat, formæ venuſtate, ac morum elegantiâ commendata. Et Galeatius plus iuſto properus, ſuſpiciones criminis auxit; tãquàm multò ante concupiſſet, quod adeò auidè feſtinauerat. Præcipitatas nuptias, nec ante creditas, Ludouicus illicò in crimen traxit. Nam defunctâ filiâ, doli certior per amicos redditus fuerat. Neq; tamen crediđiſſe oſtendit; ſiue Galeatij formidine, ſiue futuram vindictam opperiretur, ſiue nullo impoſterum mali remedio. Sed vbi manifeſtis inditijs conuictus eſt; intimos Galeatij monuit, referre genero, quibus calumnijs apud omnes differetur, quo crimine pollutus credatur; quibus licet fidem non habeat, cædere ſe tamen Cremonâ (quò Galeatij res curaturus venerat) & ad ſuos regredi, ne præſentiâ obijcere videatur. Cæterùm orare innocentiam, ne quæ vulgata acceperit, vera ſint; nam æqui ac iniqui, iuſtas ab hominibus ac Dijs pęnas, præmiaq; ſupereſſe. Miſerrimum Galeatio viſũ, velut deprehendi; & fatente conſcientiâ, coram innocentiam proferre, inane creditum; miſſiſq; qui aduenerant; nil de ſcelere, tanquàm ſeſe excuſaret, ſed in Ludouicum indignationem expoſuit: Subſiſteret, an abiret ipſi integrum eſſe; dummodo ſemel diſcedens, non regrederetur. Sibi enim grauiſſimam contumeliæ memoriam futuram; quam à Ludouico iniuri ſibi, non vulgi famâ nouerit: Neq; crimen nè obiectum, an perfidia maior ſit, diſtinguere. Percepit artem Ludouicus; & Alboranus malis fraudibus notus documentum dedit, quid de præterito credendum, quid de futuro ſperandũ foret. Reuerſo Mantuam Ludouico, à Galeatio literæ afferuntur; quibus graui ære alieno premi ſe, & in quotidianas expenſas plurimùm inſumere, docebat. Simul conſilium poſcebat; quò ingenio & præterito ſatisfaceret, & præſenti ac futuro conſuleret. Riſit Ludouicus puerilem leuitatem, intempeſtiuamq; confidentiam; quòd malè ſimulationem exerceret, & velut

Veneno perdit.

Ludouicus ſuſpicatur.

red-

reddere conaretur, quæ ipſe ſponte, multò antè omiſiſſet. Ne tamen ſilentio offenderet, quem odij manifeſtum paulò ante habuerat, verſuris ac erogationibus ſatisfieri reſpondit, ſi ſuperflua ac inconſulta omitterentur: Se multò ante exemplum, aucto Galeatij erario præbuiſſe. Senſit irriſum iuuenis; & detectum flagitium malè abſcondi; vnam ſolam abnuendi viam ſeruandæ exiſtimationi ſupereſſe. Externis liber; internis curis Ludouicus
D. Andreæ templum. animum intendit; molemq; templi D. Andreę, medio foro inchoatam, ſæpiusq; innouatam, collatâ de ſuo pecuniâ prouexit: Impoſitis ciuibus, qui cenſus præſcriptos, in tempore exigerent, ſtructuræq; neceſſaria compararent. Neq; minus, pietati, ac Ciuitatis honori, deeſſe ædes videbantur,
Hoſpitale. peregrinis ac pauperibus infirmis recipiendis, quorum copiâ ſingulorum vires fatiſcebant; cœptumq; opus eſt, toti æuo, formâ, amplitudine, inſtitutione celebrandum; ſalubri Ciuitatis ſitu, & ad lacus alluuia; vt neceſſitati, commoditas reſponderet. Cenſus annui proferendo operi deſiderabantur: Ita in minores expenſas effuſi, annuente Pontifice, Hoſpitali perficiendo acceſsêre. Multa tamen Ludouicus inchoauerat; proinde dum pluribus intendit, nemini ex indigentiâ prouiſurus credebatur. Et id præcipuè metuebatur; ne imperfectum, cœliq; iniurijs expoſitum, breui corrueret. Nobilium familiarum largitiones, in ſubſidium poſcendæ videbantur; aſſiduo interim Ludouico cogendæ pecuniæ, & redemptoribus vrgendis. Multa aureorum millia liberâ donatione, in ſtructuram templi collata, quod D. Andreę ſtatuebatur; productumq; opus in eam amplitudinem, quæ viſebatur, cum Vincentius Dux nouum poſtea incrementum addidit, vt in loco trade-
1472. mus. Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo altero, intentum venationi Ludouicum, quidam (vt creditur) ex inſidijs bombardæ ictu, medio fęmore vulnerauit; ſed aduerſis virgultis obſtentantibus; vix ſummam pellẽ ſauciauit; & eodem loco, plumbea pila ſubſtitit. Si nobiles ac plebem enumeres, plus quàm Ducenti aderant, aperto, & ſaltibus effuſi, prout ſors, & erumpens ferina detulerat. Capta viarum effugia, cinctæ milite ſiluæ; & in omnes inquiſitum. Neq; tamen facti index, aut coniectura haberi potuit. Et in vniuerſos, quæſtionibus ac tormentis ſæuire inhumanum, nec quidquam in ſummam profuturum videbatur. Errorem venationis aliqui, quidam Venetas artes, pleriq; Galeatij inſidias accuſabant. Erant qui Carolo fratri imputarent. Sic incertum iudicium, nullius ſcientia, vniuerſorum coniectura erat. Caſum referre placuit; vt ſi quem flagitium tangeret, ſecuritate & velut neglectu proderetur. Satis liquet miſſum Iulium Viſdominum à Galeatio Mantuam, qui incolumitati gratatetur, Ducemq; ſuſpicioni eximeret. Reſponſum à Ludouico eſt, non eâ ſe mente fuiſſe, vt generum tractaſſe parricidium, aut fraudes innoxio ſtruxiſſe crediderit. Plus ſuſpicionis in excuſatione quæ non requireretur, eſſe; vtrumq; tamen tramitteret; ideoq; ſibi non perſuaderi iniuriam, quòd ſciat non meruiſſe. Maiori licentiâ Carolus carpebatur; ſed hoc ipſum ægre tulerat Ludouicus; quaſi apud fratrem, plus cauſæ, minus culpæ eſſet. Vindictam tamen à læſo quópiam agita-

agitatam, Ludouici aſperitas, ſeueritas morum,& obtutus in rigorem compoſitus, arguebant. Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio (vt ferunt) Franciſcus Cardinalis, ſilente Ludouico, approbante Pontifice,Diui Benedicti Monachos, Sancti Andreæ templo exegit: Partem redituum in Commendam Primicerio, Cannonicis octo, totidem Capellanis,& paucis clericis in vicem ſuffectis, aſſignauit. Id indigniſſimè Ciues accepiſſe dicuntur, ſiue conſilij ignari, ſiue in Religioſos amore, ſiue in Clerum æmulatu. Quippe non ſolutos mores, non laſciuiam accuſare in promptu erat, tritâ in præſentem normâ inſtitutiſq; , quibus temperantiam profeſſi, eandem effectis approbabant. Et gnarum plebi erat Cenſus annuos ingentes, ſacris largitionibus, & hoſpitalitati inſumptos; parte opulentiæ minimâ in Monachorum vſus verſâ. Sed Eccleſiaſticorum redituum arbiter Pontifex, iuſſerat; Cardinalis procurauerat,vt illo in Principem facilitate, ſic iſto in Clerum proniori caritate. Quæcunq; cauſa fuerit; certum eſt ſanctimoniâ exẽploq; Religioſos diuerſa meruiſſe. Sed prauis cõſultis, intus pęna eſt; Quippe ſi in diem hodiernum apud antiquos curatores templum fuiſſet; eductum ad faſtigium, & regio decori compoſitum cerneretur; dum vaſta moles,quò potius egeat oſtendit, quàm nouo ſtudio, quo profecerit. Dum hæc Mantuæ, & Mediolani agerentur, Daciæ Rex, ſuſcepto in Luſitaniam voto exſolutus, Mediolanum dum in Patriam regreditur primò,mox Mantuam venit; vtrobiq; Regiam magnificentiam, comitatemq; expertus. Sed potior Mãtuæ viſa; aſſiduo Ludouico, & ſemper intento, ne qua officio negligentia obreperet. Ludouici Regiſq; vxores, eodem Patre erant; quod hoſpitalitati pondus, curãq; addidit. Ferdinandus Neapolitanus occaſionibus aſſiduus, & auditâ Galeatij aduerſus Ludouicum alienatione; neq; promptam reconciliationem exiſtimans, nobilem à ſecretis Mantuam miſit; vt amicitiam alteri neglectam, occuparet; moneretq; Marchionem ſub eo Rege ſtipẽdium imperitando agere, quod ſub viliori parendo habuiſſet. Id ſe virtuti ac famæ dare, cui tot annos vniuerſorum commendatione reſpondiſſet. Simul pecuniam cum Diplomate obtulit, quò ſupremi copiarum Ducis nomine appellabatur; quandocunq; aut bellandum, aut bello neceſſaria paranda fuiſſent: Non ſilentio hæc,vt ferè modica inuolui potuêre; ſed magni ſecreti impatiẽtiâ, aulici diſquirere, ſciſcitari, & vbi aſſecuti ſunt,vulgare. Hinc non Mantuæ ſolùm, ſed Venetijs,Romæ,Florentiæ, poſtremò Mediolani res innotuit: Id Galeatio ingratum, nemo referre audebat, donec magnitudo conſilij, ſilentium perrupit. Quorſum tam diſſitorum Principum amicitia ſpectaret, ambigui præſentium Mediolanenſes interpretabantur. Acri iniuriâ læſum Ludouicum, vindictæ auidum, vires, pecuniam, ac fœdera comparare. Nec ab his tantùm formidinem eſſe, ſed conſenſu in bellum trahi Pontificem, Venetos, Florentinos; quorum vetus æmulatio, nondum depoſuerit. Quamquàm & Genuenſes ipſos, multò ante titubaſſe, auerſatosq; Principis ſuperbiam ac ſæuitiam, cauſam ſeditioni proſpectare. Principum flagitia ſubditos luere; ſiue conſilio, ſiue malis animis conueniſſent. Non diù

1473.

Dacia Rex Mantuæ.

diù (ſi pax executiatur, cædibus & rapinis ſæuiatur) cauſam mali in occulto fore. Iniquas matris diſcordias, coniugis innocentis parricidium, indomitam libidinem, nobilibus plebiq; iuxtà inuiſam. Vnicum tamen periculo ſubſidium putabatur, ſi prudentiam admitteret, denuòq; Ludouicum amplecteretur; cuius iniurijs in diſcrimen iretur: Iacienda in lõgum odia; & vindictam (ſi quidem meruiſſet) in futurum differendam. Mitti à cubiculo nobilem placuit, qui in Marchione diffidentiam; & inuito Duce, neglectam, abiectamq; gratiam obijceret. Non enim ademptum ſtipendium, ſed ſpontè omiſſum. Et quando generum auerſetur, Mediolanenſibus adminus toties conſultor, nunc quoq; ductor, & protector accederet: Galeatium nullius culpæ conſcium, beneficium offerre; & quod recipienti conueniat, admitti cupere. Longè Fedinandi Regis militem, & ituro ad bellum, plus ex itinere laboris, quàm in acie futurum. Ad extremum ne aſperitate, & infracto aduerſus amicitiam animo, manifeſtam inuidiam (quæ nec rebus quidem ſuis expediret) fateretur; reſponſum à Ludouico, verbis dolori iræq; medijs; literæ tamen ſimulatione compoſitæ, quòd non illud prorumpendi tempus eſſet; & ſeponi interim odia oporteret, ne occaſio vindictæ elaberetur. Iam Regis Neapolitani ſemeſtre ſtipendium expleuerat; & Galeatius, quò indignantem Ludouicum retineret, vniuerſam biennij, quam meruerat, pecuniam exſolui iuſſit. Non tamen amici animi fidem, quæ Galeatius, aut Ludouicus promſerant expleuêre. Simulata inter ſuſpectos ac infidos cõcordia, externâ demonſtratione teſtificanda erat; vt inuicem fidere, & vetera obliti crederentur. Iuuenili inquietudine ſolutior Galeatius, toto imperio euagatus, fortunam luxu trahebat; quaſi Ludouico famulante, per otium, vniuerſa in tuto eſſent. Neq; ante ſubſtitit, quàm ſecundo Pado vectus, Burgoforti à Marchione exceptus eſt. Ludouico intus etiam, inimici hoſpitis aduentus acceptus fuit: Tantâ quippe affluentiâ Dux habitus, vt tum primùm potentiam Gonzagorum ex vero æſtimaret; cenſeretque vel apud Mantuæ Marchionem, ſplendidius Reges Burgoforti, quàm intra Mediolani viſcera recipi poſſe. Quod epulis, luſibus, quietiq; tempus ſupererat (nõ enim feria tractaturus aduenerat) venationi inſumptum eſt. Et quia Aprorum præcipuè conſectatione delectabatur, deductus Gonzagam Galeatius eſt; vbi magna vis ferinæ; denſis circum ſaltibus, cludebatur. Dies aliquot immorati, Caſtelli amænitate, formâ, ſitu, & ſilueſtrium copiâ, plus fide oblectatus, vt erat cupiditatum immodicus, in inſolentiam, temeritatemq; prorupit; auſus Gonzagam Oppidum, aut dono poſcere, aut quòd minimũ, oblato pretio requirere. Repentina petitio, Marchionem nil tale opperientem, rubore ſuffudit; ſed collecto ſpiritu reſpondit; graue modeſtiæ ſuæ, minimam dominij partem amico offerre, quam vniuerſam cedere deſideret; niſi Cæſarum voluntate, ſic habenda foret, vt intacta in poſteros; in externos niſi priuilegio abiret. Interim quod ſui iuris ſit, venationum & omniũ circa ſaltuum vſum, quoad ipſi libuiſſet, concedere; ſeq; indiuiduum offerre: quandò iuuenis, grauibus curis ſolutus, ſiluarum, camporumq; amœnitate oble-

oblectetur. Agnouit prudentiam Galeatius; egitque grates non accepti muneris; quas habito non perſoluiſſet; & Mediolanum reuerſus eſt; remiſſo Mantuam Ludouico; quòd belli munere non præpediretur. Laſciuiente Galeatio, & Marchione Vrbi ſuæ intento, nobiles Mediolanenſes Mantuam ſecretò conuenêre, auxilium facinori orantes, quod in Dominum parabant. Hieronymus Oliatus, Andreas Lampugnanus, Bernardinus Porrus: Hi pręteritas, memores tamen indignationis cauſas, inter Galeatium ac Ludouicũ reputantes, acceſſurum conſcientiæ Marchionem credidêre. Porrus ipſe eò confidentiæ acceſſit, vt ſe partem parricidij in Dorotheam admiſſi, iuſſu Galeatij fateretur: ſiue eſſet, ſiue vt fidem cogeret. Nam miſſum ab eo Cremonam virus, & data Medico ſecreta mandata referebat. Attinuit ſpiritus in vindictam præcipites Ludouicus; & cum omnibus deteſtatione criminis reſpondiſſet, acerrimè in Porrum inuectus eſt; quòd manus cõiugis ſanguine adhuc imbutas, in dominum referret: Iuſſitq; feſtinato diſceſſu, omnes Mantuano excedere, perniciem ſi ſubſtitiſſent, vel diem vnum cõminatus. Sed illi citis equis Mediolanum regreſſi, die Seruatoris natali, ſub veſperam Vrbi ſucceſsêre. Inde communicato cum coniuratis conſilio, antequàm à Ludouico Galeatius moneretur, die ſequenti Tyrannum multis vulneribus inter ſacra ſtratum confodêre. Libidinem pleriq;, ſæuitiam, auaritiamque accuſabant. Alij non aliter coniugis manes placari, quàm redditâ vice potuiſſe, differebant. Ludouicus etiam imprudentiam cauſabatur. Atrociũ enim miniſtros è medio tollendos, & flagitia cum ſilentio tranſigenda. Neq; mirum videri; ſi quibus ſceleri patrando vſus eſt, animos maioribus paratos retuliſſent. Coniurati quã fortitudine Ducẽ inter medios ſatellites aggreſſi ſunt, iuſſas pœnas ſubiêre. Plus conſtantiæ in fine Oliati fuit; etiam inter tormenta intrepidus, & cruciatus extremos, in famam ac futuram gloriam vertens depræhenſus eſt. Inter liberos ac conſanguineos Sfortiæ, ſeditionũ metus erat; nè cupidine imperandi ius faſq; exuerent; & dum ſinguli ſuis commodis proſpiciunt, vniuerſi peſſumdarentur. Et iam enata odia fomitem conceperant; agitabantq; vt Simonetta, longo vſu adminiſtrationis rerum gnarus, quiq; curatorum nomine cenſebantur, præeſſent; ſimul infantes Domini, tantæ curæ impares exigerentur. Ludouicus omnium peritus Mantuæ agebat: Et vbi cæſum Galeatium, turbatas res, ceptas diſſenſiones accepit, miſſo Paulo Lollio, dolorem flagitij teſtatus eſt; monuitque Blancam Ioannis Galeatij matrem, vt virili animo publicam rem capeſceret; nec minimis aduerſis cæderet: Ardua regnorũ exordia, vbi magno animo petantur, etiam futuris ſecuritatem accerſere. Sed quia non fratres, nõ conſanguinei, non propinqui, atq; adeò Vrbis proceres, parum in commune conſulebant, rogatus à Galeatij matre Ludouicus eſt, vt Mediolanum profectus; diuerſos componeret, formamq; nouæ adminiſtrationi præſcriberet. Defuncto hoſte, nulla apud Marchionem iniuriæ memoria erat; ſed orantibus facilis, & pacis bono illectus Mediolanum contendit. Quo vno ſecretum populi rumorem confudit, credentis ſine eius iuſſu Galeatium non periſſe:

Proditores Galeatij.

Ipſum occidunt.

Digitized by Google

riiſſe: Et iuſtæ quidem irarum cauſæ, notæq; ſuberant; ſed hoſtem apertè vlciſci, fraude nequaquam vti volebat. Obuios ſe aduētanti præcipui Mediolanenſium præbuêre; quorum ſententiâ vſus, intra paucos dies, quibus extra Patriam egit, ſingulos honeſtis conditionibus Matri, Duciq; compoſuit. Neq; ipſi abnuêre adminiſtrantium dicta, matriſq; in primis accipere; ac ſe maieſtatis reos profiteri, niſi quæ ſemel ſpopondiſſent, rata in poſterum haberent. Vbi conſediſſe turgentes motus; & Ioannis Galeatij matrē, poſſeſsâ dominatione ſecuram; neq; aliud ſupereſſe à quo metus eſſet, vidit; Mantuam redijt; non Ducem odio proſecutus (vtpotè cuius nullâ culpa filia perierat) tantùm memoriâ præteritorum ad languorem fatigatus. Famâ integritatis electum à Mediolanenſibus Ludouicum, admirationem non habuit; ſed id quoq; Blancam voluiſſe, cui conſanguinei in propinquo erant, pro oſtento acceptum. Nec tamen auſuros ſuos pupillis fidem abrumpere crediderat; ſed ingentes ſpiritus, inſueta minoribus deſideria, cum ſub genitoribus toleraret, didicerat. Et vbi tantùm conſilio opus eſt; malè illud à potentiori requiri. Certi interim nuncij, Federicum Cæſarem docuêre, confectum Galeatium, Ioannem Galeatium filium, Ducem proclamatum, matrem adminiſtrationi impoſitam, Simonettam à ſecretis, rerum arbitrū agere; turbatos quidem ſubditos, & Sfortias mutuis odijs diſtractos, meliorum tamen conſilio, ſeditionem omnem quieuiſſe. Hæc per literas; ſed Imperij caritate flagrantes, & Galeatio liberiſq; infeſti, Mediolanum libidini potentiorum expoſitum referebant. Fœminę imperium, libertati ac licentiæ, quàm honeſto & recto proximius: Et niſi obſiſtatur, eos Imperium habituros, quos Cæſar ægrè depulerit. Imperator quamquàm pacis ſtudio nimius, & amore quietis ſæpius ignauiæ accuſatus, paratum tamen ius negligere, & cuiuſq; audaciſſimi libidine carpendum Regnum permittere, flagitio dabat. Hominis modeſtiam vrgebant conſultores; & Ludouicum Mantuæ Marchionem deligi; cui belli cura crederetur. Conſummatū militiæ; & intrepidum ad pericula dicebant. Accedere graues Ducum Mediolanēſium offenſiones; ademptis primùm Aſolâ, Lonato, ac Peſcheriâ, aut in Venetos traductis: Mox Galeatij veneficium execrari; quò magis ſine nomine, eò minori excuſatione. Scribuntur ad Marchionem literæ, quarum ea ſeries fuit: In Franciſcum Sfortiam abiuiſſe Mediolanum, magnâ Imperij cōtumeliâ; cuius arbitrio mares tantùm ſucceſſioni, non item fęminas, minimè nothos deſtinatos. Siluiſſe Cæſarem, inteſtinis Germanorum diſcordijs illigatum. Nunc etiam eorum qui hoſtes credebantur, paratis in officium animis, debitam poſſeſſionem repeti debere. Nec validiori adminiſtro, tot hominum millia, quæ bello deſtinauerit, quàm Marchionis prudentiæ committi; cuius fidem, multorum annorum ſtabili documento comprobaſſet. Proinde accingeretur, ſummam curæ capeſſiturus; & rectè nauatæ operæ præmia relaturus. Deligitur interim miles, impedimenta comparantur, pecunia imperatur: Nec vltra dilata expeditio, quàm dum Ludouicus ſententiam prompſiſſet. Ille quanto diſcrimini compoſita Italia, eò conſilio expo-

neretur,

neretur, non ignarus; alienam ſtultitiã opperientes Venetos, Neapolitanum Regem deſiderio proferendi dominij turgentem, Mediolanẽſium vires, auerſos Germanis Italorum animos reputans, Federicum Puſterlam, Carolum de Cappo legatos delegit, & cum muneribus ad Imperatorem miſit; addito conſilio, potuiſſe Franciſcum Sfortiam Imperio exui, quod nouus homo, vano prætextu petijſſet. Sed eo Galeatium in pace vſum; & pari facilitate, in Ioannem Galeatium filium abiuiſſe. Puerum pupillumq́; eſſe, quem innocentem opprimi, nemo æquus commendauerit. Turbidos eosq́; paucos, & profectum inter incerta habentes, res nouas agitare; ſed prædiuites & plures, in Ioannem Sfortiam conſenſiſſe. Ipſius familiæ vniuerſos conueniſſe; ne ſpe diſcordiæ, tertio locus eſſet. Innixum puerum Sabaudio, & quando ſibi paratum Dominium non videat, nepoti cupere. Adeſſe pecuniam ac militem, quibus omnia, ſummâ exiſtimatione tranſigantur. Proſcriptiones Cæſarum non aliud, quàm impotentiam, infirmitatemq́; Imperij aperire. Accedere domeſtica conſilia, quibus prudentiſſimi curæ additi, per ſummã fidem vtantur. Se cum puero nullius odij cauſas, tantum beneuolentiæ habere; & quam Mediolanenſibus fidem dediſſet, inuiolatam optare. Demûm orare Cæſarem, vt iuſto propior, pacem vniuerſis velit; miſeræ præſertim Italiæ, quam cędes, rapinæ, incendia, tot annos afflixerint. Pronum Federico quieti ac concordiæ ingeniũ erat, quò facilius conſilio ac precibus Marchionis ceſſit. Summam illius fidem expertus, quam ne vtili quidem ſuo exuiſſet. Genuenſes præſumptâ inter Cæſarem ac Sfortiam belli causâ, iam arma ſumpſerant; ſed conſilio Ludouici, Rubertus Sanſeuerinus cum duodecim hominum millibus in ſeditioſos miſſus eſt; & paucorum menſium decurſu coacti rebelles, veterem fidem cum ſacramento accipere. Hic idem annus pacem Chriſtiano Orbi tulit, ſopito Turcarum ac Venetorum bello, quod horum ingenti clade, & diſpendio finitum fuerat. Qui ſibi ipſis ignaui, cæteris cenſurâ graues, per otium alienas curas examinant, Venetos carpebant, velut ſtudio ſui, reliquos neglexiſſent. Non enim aliud hac pace quæſitum, quàm vt Europæ iuratus hoſtis, maiori licentiâ ac potentiâ Chriſtianos inuaderet. Non pacem detritis, ſed integris adhuc viribus placuiſſe; quas in Principes Chriſtianos proferrent, quorum imperijs inhiarent. Et omiſſam Græciam, vt Italiam occuparent. Contra dominantium mores docti, diſſerebant: Non vno prælio Turcam repreſſum, exhauſtum expeditionibus ærarium, placere cæteris Venetos externis illigari, vt in diſtractos dolum ac vim intenderent. Si perditis rebus pacem noluiſſent, nullam à Barbaro fidei ſpem fuiſſe habituros. Ad extremum ijſdem artibus imperiũ, quibus Pontifices, Reges, ac Italiæ potentiores exerceant habere. Aprilis initio, cum Federicus Imperator Græcij in Iſtriâ ageret, ortas inter Auſtriacos, & accolas contentiones compoſiturus, multa cum Ludouico caritatis inditia interceſsêre. Quâ occaſione vſus Marchio, cum donis oratores miſit, exponens; quòd etſi nonnullis Oppidis quæ ſibi iure deberentur, temporum viciſſitudine careret, plura tamen Cremonenſis agri Caſtella, ac Bri-

Ludouicus Imperatorē dehortatur à bello Italo.

xiani poſſidere; quæ niſi Cæſareo indulto firmarentur, nouo bello cauſam
forent allatura; orare proinde, vt ſingula Feudo concedere, veteris inueſti-
turæ more dignaretur: Nullâ id cuiuſquam iniuriâ fieri; ſed antiquam poſ-
ſeſſionem eſſe; & cuius vice, pleraq; Sfortia, ac Veneti retineant. Se obſe-
quio ac reuerentiâ Imperio ſatis notum, eoq; nihil velle, quod à Cæſaribus
beneficio non accepiſſet. Annuit Imperator; & Viceſimâ ſecundâ Aprilis,
1478. Milleſimi quadringenteſimi ſeptuageſimi octaui, eodem titulo à Marchione,
ac poſteritate omni, ea loca teneri voluit, quo Mantuam poſſediſſent. Quod
vt ſecuritatem Ludouico tulit; ſic Venetos, ac Sfortiam ſuſpicionibus impli-
cauit. Non enim niſi per iniuriam repeti poterant, quæ Cæſar conceſſiſſet:
Et Mediolanenſes, Venetiq; obliti non fuerant, ſed diſtulerant; tempore, &
occaſione in ſua commoda vſuri. Nimiam quoq; Imperatorum erga Gon-
zagos caritatem auerſabantur; quaſi quâ facilitate propria, etiam aliena
largirentur. Sed ignari arcanorum imperij erant; ingentia beneficia, aut me-
ritiſſimis concedi, aut qui in tempore, gratitudinem ſint redditur: Securita-
tem ab vtriſq; quæri; quæ apud potentiores ex arbitrio tantùm habeatur;
Præter virtutis inſtitutum, coactum obſequium, quàm ſpontaneum placere:
Quòd hoc cum merito recipiatur, illud cum debito. Hic annus Sexage-
ſimus ſextus Ludouico erat, Dominij triceſimus primus; quo præuiâ mul-
torum dierum valetudine, quæ non vi innatâ, non curâ Medicorum corrige-
retur; ſimul confectus curis, inſtare ſibi finem coniectans, vocari Barbaram
coniugem iuſſit, vt communi placito, in futurum familiæ conſuleret. Mar-
chio quidem ad vxorem conuerſus, quaſſatam laboribus iuuentam, tractam
per aduerſa adoleſcentiam, primùm Parentis odia, mox Caroli fratris ſimul-
tates, plenam liberis domum, ſuperſtitem vxorem teſtatus eſt; ſeq; ad finem
properare; ſed eâ gloriâ, vt qui etiam ipſum non nouiſſent, famam poſteris
commendaturi forent. Sfortiæ ac Venetorum arma cum honore tractaſſe;
vel illorum contra quos bellaſſet, teſtimonio. Vxoris in primis fidem, ca-
pacem adminiſtrationis Federicum, filias honeſto loco poſitas, ſolatio eſſe.
Curandum ſolummodò, ne turpi æmulatione, liberi de facultatibus, de vitâ,
ſuo & Caroli Patrui exemplo contendant. Legata fratribus ſuis, ſi pecuniâ,
non parte ditionis conceſſa forent, & patriæ, & familiæ, plus gloriæ compa-
rari potuiſſe: Sed diuiſa in ſingulos Caſtella, vt neminem exſaturarunt, ita
quemq; ambitione ſuſtuliſſe. Quibus cædibus, ac rapinis, inter fratres diſcor-
dia inceſſerit, & nouiſſe exteros, & ipſum nimium meminiſſe. Solatium ta-
men ex prudentiâ, & prouidentiâ futurorum quærere; vt nemini filiorum ne-
ceſſaria ſuperſint, aut deficiant. Neq; diuiſioni Oppidorum, Marchionum
poſterorum potentiam infringi velle. Duodecim aureorum millia, cenſus
annui ſingulis adſcribere; quæ abſentibus aut præſentibus à fratre ſoluatur.
Coniugi quam partem velit, edicere iubet; ne qui pietatem præfetulerit, in
vxorem aſperitate notaretur. Ad hæc Barbara: Carolo fratri ſuo cæte-
riſq;, non eandem, quæ filijs ſuis morum viam, aut animos fuiſſe. Illum
perfidiâ celebrem; hos ne hiſcere quidem, contra Federicum natu maximũ,

Federicus Imperator concedit Ludouico Oppida Cremonen. & Brixiana.

auſos;

auſos; eumq́ue rerum arbitrum habuiſſe. Nullâ honeſtâ causâ Ioannem Franciſcum, parte bonorum deijci poſſe; quem obſequio, & erga parentes reuerentiâ, maiora cæteris meritum nouerit. Proindè ſic hæredem Federicum inſtitueret, vt cæteris angulus aliquis obtingeret, vbi ſine maioris ſeruitute tranſigant; quò mutuum ſeruitium à fratribus requirens, ſigno aliquo amoris ſeparatos vincere, & beneficijs ſuperatos Mantuam allicere cogatur: Id obnixè orare. Sibi priuatim nihil cupere, niſi vt ſuperſtitibus filijs finem accipiat, & à concordibus educatur. Ad hæc Ludouicus, cum integrâ locorum poſſeſſione ſpeciem aliquam ac potentiam Marchioni eſſe, imminuto iure deſpectum accedere monuiſſet, flagitauit; ne ſcindi infirmariq́; diuiſione eam fortunam vellet, quæ niſi integra pretium haberet. Sed Barbara in poſteriores liberos certiori caritate, peruicaxq́ue deſiderij, vt ſuo placito teſtamenti tabulæ ſcriberentur peruicit. Sic Franciſco Cardinali, ac Ioanni Franciſco Vitelliana, Sabioneta, Riuarolum, Bozolum, SanMartinum, Gazolum, Doſolum, & Inſula decreta ſunt: Rodulpho verò ac Ludouico, Cannetum, Oſtianum, Caſtelgiufredum, Caſtilionum Stuuieræ, Rotundeſcum, & Solfarinum, reſeruatâ Marchioni Arce, velut finium præſidio, conceſſa. Quod opum ac dominationis reliquum, Federico primogenito permiſſum; annexâ inter fratres ſucceſſione, vt etiam futuro proſpiceretur. His matris voto perfectis, Duodecimâ Iunij, languore potius, quàm morbo victus finem habuit, cum hauſtam à ſe maieſtatis iamginē, diuiſis inter filios Oppidis prædixiſſet; vir rerum geſtarum famâ, munificentiâ, ſplēdore regio, pietate, incolis, accolisq́; iuxta commendatus. Goitum in delitias pridem delegerat, memoriâ victoriæ contra Carolum fratrem habitæ, & cœli puritate illectus. Defuncto plurima in gloriam congerebantur; ſed ex pietate maximè commendationem habebat, quâ in Carolum fratrem vſus; eundem contumaciâ infeſtum, Ferrariæ annos aliquot enutrijt; & vitâ functum, honeſtiſſimo tumulo, ad D. Virginis gratiarum templū, condi voluit. Non minori in filios fratris pietate vſus; nam Cęciliam Odoardo de Arcu deſponderat, & ſolutâ de ſuo dote, nîl ipſi cum innocentibus odij ſupereſſe teſtatus eſt. Euangeliſtam quoq; natu maximum, & Patruò proniorem pari ac filios munificentiâ, domi foriſq́; proſecutus eſt; quoad inter viuos egit. Vgolottum pariter furto habitum, venationi præpoſuerat; vt deſeruiret, nō otio marceſſeret. Etiam in Rengardam exulante fratre defunctam, magnâ oſtētatione pietatis, extinctam veteris æmulationis memoriam approbauit. Haud minus liberalitate celebratus eſt; quę integritati ac prudentię nexa, Illuſtres familias totâ Italiâ Mantuam pellexerat, quaſi maiori ſecuritate in Patriâ degere non liceret. Nam præter Suardos Bergomo, Vbertos ac Strozios Florentiâ, Maffeios Veronâ, Palatios Brixiâ, Galuagnos Mediolano, etiam Caſtiliones aduenerant. Fœcunda magnis ac præpotentibus viris familia; & copiâ, totâ Italiâ diuiſa, veteri ac decorâ plurium ſęculorum nobilitate, ad poſteros, in præſentem tranſmiſsâ. Et haud dubiè certo virtutis teſtimonio habetur, ſolam Principis comitatem, ac dulcedinem morum eſſe,

Ludouici mors.

Caſtiliones.

quę illuſtriſſimis natalibus ſpectatos, ſolâ opinione integritatis in ſeruitium, omiſsâ Patriâ accerſat. Quod Ludouico gnarum, ideoq; effusâ liberalitate exceptos omnes,quos famâ allexerat,beneficio retinuit. Vrbem ipſam,ſitu, męnibus, templisq; auxit; & incolarum vtilitati, Mincium Amnem, Fluuiorum amęniſſimum, ſumpto à D. Franciſci ædibus exordio, mediam per Vrbem deductum, in ſubiectum lacum effudit, nauigabili alueo, & agerendis Ciuitatis ſordibus, comparato. Niſi aliorum opus tempore neglectum,aut cęno obruptum, purgato lecto, priſtino vſui reſtituit. Manſit Ludouico plures annos, apud ſuos deſiderium; donec Franciſcus è filio nepos dominationem nactus, maiorum virtutes omnes exemplis expreſſit; nec enim proficiēdi alia ratio ſuberat, quàm ſi ſpem ſuperaſſet. Gloriæ quæ in abiectis ſordidisq; hominibus rarò, in Principibus vix ſine ſugillatione viſitur, difficile eſt reſpondere; vbi expectatione nimiâ, & ſupra vulgi exiſtimationem increuit. Quippe ſingulorum fides approbanda eſt; & ſuas quemq; vires tranſgredi oportet; quandò conſueta & cognita non ſufficiant; compoſitis ante animis, præſumptioni maiorum. Hinc trita lacerandi ingenuos via eſt, oſtentationi nimiæ,& commendationi, exitu non reſponſuro. Federico capeſcendæ famæ, & Ludouicus Pater,& Franciſcus filius obfuêre: & vtroque laudato, eò neceſſitatis adductus, vt Patris ac Filij gloriam, ſi laudari vellet, ſupergrederetur. Acceſſit Imperij breuitas, & rara agendorum, è quibus claritudo uenit, occaſio: Cum in filij fortunam omnia verterentur, & æternitati famæ, ſeries cauſarum, ſub Parente diſponeretur. *Federici Marchionis initia.* Reueri Federicus agebat (ſiue eo cœlo gauderet, ſiue matris minus reſpondente caritate pulſus eſſet) cum Patris obitus, & matris literis firmata veritas delata eſt. Solidauerat plures ante dies animũ contra aduerſa,quòd metueret,ſimul cōcuſſa valetudo minitaretur. Non tamen vlterius niſi iuſſus à matre progredi voluit. Haud longè Pado, cum familiaribus obambulabat, temperando æſtiuo ardori; cum illum triſtiſſima quæq; meditantem, infauſtus nuncius depræhendit. Et licet fortitudinem præcepiſſet; conceptum tamen dolorē, caritate ſuperatus continere non potuit; ſed prorupit in lachrymas ac gemitũ, conſtantiæ magnanimitatisq; oblitus. Tum conuerſus ad ſuos; Amici, inquit, fatalem mihi,non Patri diem adſpicimus; erepto præſidio & conſultore; cuius fortitudini, prudentiæ, vigilantiæ vniuerſi indormiebamus. In poſterũ mihi incumbit; & pariter aliundè ſubſidio opus; quia fidiſſimo domeſticoq; deſtituor. Nec pluribus vſus, Mantuam profectus eſt; vt ſupremo Parentis officio intereſſet. Amici etiam monuerant, properaret; ne vacuo loco, & velut interregno, Mater in fratres reliquos pronior, pecuniã, & domus ornatum transferret; à quâ repetere, & impoſſibile, & turpe credebatur. Nec enim ignarum,quo in Ioannem Franciſcum ac Cardinalem ſtudio ageret Federico erat. Par ferè ciuiũ erga Ludouicum affectus. Itaq; licet obſtrepente matre, Regio funere, genitori parentari placuit; annitente Federico, Aui, Abauiq; munificentiam, profusâ pietate ſuperare. Mater doloris nimia; & eo vno ſexum, impotentiãq; teſtata, Goiti ſubſtiterat,vitæ,

quantò

quantò minus profectionis incerta. Miſſi tamen nobilium ſupremi, Caſtelbarci, Andreaſij, Agnelli, Ripenſes, Capriani (honorus cuicumque Reginæ comitatus) qui adempti coniugis luctum ſolarentur, & redeunti in Patriam deſeruirent. Etiam Federicus amori Matris obnoxius, obuium ſe extra Vrbem præbuit; eamq́; publicè amplexu exceptam, Regiæ induxit. Vbi qui officio aduenerant, receſsère; Barbara deterſis lachrymis prorupit: Non alijs ardentioribus votis ſupremum Numen, vniuerſis coniugij ſui annis, ſe aggreſſam, quàm ne optimo marito, & cariſſimis filijs ſuperſtitem vellet. Sic illius caritatem, horum pietatem requirere credidiſſe. Ergo quandò mortalium res incertæ prẹter opinionem, & ſuperum voluntate diſponuntur, Federicum per educationis merita obteſtari, vt ſolitudinem concedat; quò ſatiata luctu, memoriâ coniugis conquieſcat. Cætera ſtatim affore, pietatẽ eius, ſuum deſiderium, & apud omnes ex vtroq; commendationem. Vim doloris in matre, & inſolitum tolerantiæ animum Federicus introſpexit; ne tamen nimius ſolando, dolorem refricaret, ita paucis turbatam excepit: Ademptum mihi Parentem, propriâ iacturâ, mẹrore tuo implacabiliter doleo: Quibus tamen magnis conſilijs inſtructus, curari familiam, te docente, didici, in propoſitum refero: non vt inſtruam; ſed vt recolam præcepta, & agnoſcar profeciſſe. Senem laboribus fractum, valetudine detritum, bellis hauſtum amiſimus, ſupereſt gloria; id ex naturâ; nec recipiendi ſpes eſt; nihil flendo proficimus; tantum fragilitatem, neceſſitatemq́; teſtamur. Ergo ſi toleramus, virtutem, aut quod minimum ſpeciem induimus: vtroq; maior gloria, quò maius diſpendium. Alienæ calamitates, nos, noſtraq; comparatione probant. Tu Dominũ, cui ſuperſtiti æternûm obtẹmperatura eras, ego Patrem quem perpetuò reuereri oportuerat, amiſimus. Tibi ſors mutatione melior, mihi damnum irreparabile acceſſit; nam idem mihi obſequium ſuperat, tu obedientiã exuiſti. Niſi (quod verè eſt) non minus apud bonum filium obtemperando iucunditatis eſt, quàm apud bonã matrem imperando. Proindè mẹrorẽm abijce; & naturæ legi, lubens accede; nec perpetuum ſuſcipe, quod filium ſit memoriâ laceraturum. Si te difficiliorem oſtenderis, odium mei, ac contumaciam inuidi interpretabuntur. Vbi domeſticis ſatis actum, Federicus ad externa conuerſus eſt. Excipiendi quippe multorum Principum oratores erant; quos teſtando dolori miſerant. Nec ſimulatio hæc, ſed manifeſta querela ſciebatur. Sfortij præcipuè lamentabantur, protectorem ſibi ac parentem ſublatum; cum eius ductu tam magna Galeatius patrauiſſet; & eo defuncto, filij turbas; ortamq́; inter conſanguineos ſeditionem oppreſſiſſent. Expletis mẹſtitiæ ſignificationibus, ad ſuos quiſq́; dominos, cum muneribus remiſſus. Fratres quoq; longius agentes, Romæ Franciſcum Cardinalem, Ioannem Franciſcum Neapolis, Rodulphũ Florentiæ acciri iuſſit, ſiue vt Parentis deſiderium ſolatijs honeſtis toleraret; ſiue vt legatam à Patre pecuniam, & Caſtrorum poſſeſſionem conferret. Sed Viadanã, ac Cannetum, pro finibus, niſi magnis viribus teneri poſſe ratus, vtramq; à fratribus, Rodigo, ac Luzariâ conceſſis, redemit. Et illi haud

diſpa-

diſparem receptis vtilitatem libenter accepêre. Inter ſingulorum portiones, Domus excidium Federicum percepiſſe referunt; quaſi fortiſſimis artubus auulſis, Mantuana ditio elanguiſſet. Nec minus oraſſe Matrem dicitur, vt acceptâ pecuniâ partem quiſq; ſibi Oppidorum permitteret. Id tum irritũ, ætas fratrum, matriſq; in minores ſecreta ſtudia reddidêre. Sic Longobardia habebatur; in quâ diſcordiarum ſemina, exciſa videbantur; ne qua tamẽ integrè pax Italis eſſet, fatali omnium diſcordiâ, aut læſi Numinis vindictâ, apud Florentinos magni motus orti, totam Italiam communione traxêre; infirmioribus ad hos, aut illos faceſcentibus; provt præualuiſſent. Antiqua Pazijs auctoritas in Patriâ, etiam ante habitam à Mediceis Rempublicam erat. Nam vetuſtate generis, Reipublicę muneribus, magnis opibus, ad faſtigium elati fuerant. Sed Medicei, his eximias quoq; virtutes addiderant; vt eo ſolo à reliquorum potentiâ ſeiungerentur. Hos Pazij aſſiduè inſectari; & quia labor æmulationis irritus, plus odij vt in fortiores intendere; deniq; inuidere eò magis, quò minus ipſi aſſequebantur. Ad extremûm dolo ſubuertere meditati ſunt. Nec aut fraudi adiutores, aut Mediceis conſtantia aduerſus hoſtes deerat. Illi peſſimis freti, ſpecioſo libertatis titulo vtebantur (quâ cauſâ etiam Strozios, aliquot ante annos periclitatos habuimus) velut communem cauſam, non priuatas ſimultates proſequerentur. Hi munificentiâ, comitate, neceſſitudinibus, opinione Regum, ac Principum ante habiti, Patriæ munia ex æquo obibant; non ambitu, non pecuniâ corrupti, quibus non egebant; tantò Principatui viciniores, quantò regijs virtutibus cõmunẽ fortunã ſupergrediebãtur. Laurentij ac Iuliani primę partes erant. Parentes Patriæ haud dubiè credebantur, niſi apud infenſos, quæ caritate egiſſent, contra interpretata forent: Dixiſſes potentiam omnem ſinum eum quæſiuiſſe. Pazios auctoritate, ac exiſtimatione Iacobus præpollebat; vt liberorum vacuus, ſic nepotum, opumq; copioſus: Gulielmus, Franciſcus, Renatus, Ioannes, Andreas, Nicolaus, Galeottus cenſebantur. Franciſcus animo commotior; & publicæ rei adminiſtrationẽm flagitij ratus, eoq; diſcors, & Romæ agens, præcipuam facem intulit; ſumpto in conſcientiam Hieronymo Riario Pontificis nepote, cuius arctâ conſuetudine vtebatur; ac Franciſco Saluiato Archiepiſcopo Piſano; cui in Mediceos plures annos exercita inimicitia erat. Vbi duorum non temnendâ acceſſione, plurimûm conſilio molis accreuiſſe depræhendit, moræ impatiens Florentiam aduolauit, plures famâ tracturus; & cui dubia, adeſis omnibus fortunis, pro ſecurioribus habebantur. Nec expectatio fefellit; annitentibus quos æs alienũ, Mediceorum auctoritas; quiq; imprudentiâ lapſi, opprimere ſe recentem potentiam crediderant. Renatus flagitium abnuit, omiſſâ Vrbe, longinquo rure clauſus; ne conſenſiſſe peruinceretur. Pontifex (cuius acta ſiniſtrè interpretari, niſi manifeſtâ cauſâ non licet) ac Ferdinandus Rex Neapolitanus, ſpem auxilij coniuratis addidiſſe dicebantur; ſiue vellent; ſiue vtramq; familiam, eodem caſu abſtrahi, propriâ vtilitate meditarentur. Cõſilij ambiguos, & futuri ignaros ſors adiuuit, aſſumpto per ea tempora Rafaelle

Seditio Florentiæ.

Riario

Riario in Purpuratorum ordinem. Is tum Piſis liberalibus artibus operabatur. Hunc Pazij Florentiam, velut nobilem hoſpitalitatem affectantes deduxêre; vt eo à ditioribus, inter conuiuia, aut feſtos iocos excepto, vtriq; Medicei conuenirent; & vis omnis vno velut ictu tranſigeretur. Vbi ſatis amicorum, & cunctos facinori paratos vident, occidendi Iuliani cura Franciſco Pazio, & Bernardo Bandino, Laurentij; Antonio Volterrano, & cuidã præsbitero Paziorum liberalitate enutrito, comiſſa eſt. Ad ſacra iam Cardinalis, ac Laurentius Mediceus, non dum Iulianus venerat. Et quia vtriq; opprimendi erant, ne in ſuperſtitem vindictæ ſtudium abiret; auſi Frãciſcus Pazius, & Bernardus Bandinus, cunctantem domi inuiſere; & velut officio, comites ſe in templum offerre. Tantâ Franciſcus audaciâ erat, vt licet atrociſſima, certâ ſuâ pernicie cogitaret; periculum tamen aſpernaretur, iuuenilibus ac familiaribus blanditijs, totum contrectaret, quò num armatus eſſet, cognoſceret, diſceretq; ictus non in caſum collineare. Neq; tamen inter Mediceos ac Pazios integra fides erat: ſciebanturq; Pazij & virtutes carpere, & aduerſi. Sed ciuium odia vſq; ad cædem duratura non crediderant. Dictu mirum, cùm tot ætate, familijs, fortuniſq; diuerſi, nomina ſceleri dediſſent, nullo tamen inditio detectas fraudes, ad finem vſq; proceſſiſſe. Sed fortunæ ſuus locus eſt; & permittente Numine, iuxta ſeriem cauſarum, pleraq; deducuntur. Prouecto iam ſacrificio, & dato parricidij ſigno, Bandinus pugionem extulit, & Iulianum, vno ictu tranſuerberato pectore, in mortem affecit. Laurentius à deputatis quoq;, ſecretis armis impetitus eſt; ſed ſors hominis, tutela è proximis, ignauia percuſſorum, leui ictu ſauciũ, elabi voluit. Mox vniuerſi in Mediceos amore, odio in ſicarios, captos ſacrilegos, ſeruilibus ſupplicijs affecêre; non Pontificiæ auctoritatis, non Archiepiſcopalis muneris ratione habitâ; quòd atrocitas flagitij, miſerationem, reſpectumq; ademiſſet. Quæ apud externam potentiam euagata, ſcitu tamen iucunda, Gonzagorum temporum ſeriem incurrunt, perfunctoriè tradere animus eſt; non ſolùm ob merita virtutum; ſed vt quibus nobiliſſima familia diſcriminibus, dominationem aggreſſa ſit, ſciretur. Dum hęc Florentiæ aguntur, Ioannem Galeatium, Mediolani Ducem, curis ob iuuẽtam inualidum, Mater ac Simonetta à ſecretis regebant; cuncta arbitrio decernentes; pleriſq; tamen nobilium fœminilem potentiam, priuati hominis imperium reprobantibus. Neq; aliud publicè obaudiebatur, quàm id vnum pulcherrimo dominio eueniſſe; vt fęmina leges diceret, vile mancipium auctoritate vteretur: Ducem intra pueritiam, non iuſti, non iniqui gnarum, incertum quoq; iniuriarum fore; quæ in ſubditos venali animo, ignoratione veri admitterentur. Plurimos è familiâ, nobilitate ac prudentiâ commendatos; quiq; vt ſanguine, ſic caritate proximè Ducem contingerent, curâ rerum arceri, vt inutiles, vt ſuſpectos. An tot nobilium millia, fœminam inexpertam, venalem famulum nutu traducturos? Non aliâ cauſâ neglectum Marchionem Mantuanum, excluſum conſanguineum adminiſtratione rerũ, quàm vt depulſo cenſore, petulantia ac libido graſſarētur,

Potiori certè iudicio, dignitates meritis largiendas, pœnas, ac præmia diuidenda. Plus Regno, impetum naturæ, vim mentis; quàm doctrinam, ſordeſcentemq; Philoſophiam conducere. Magnis animis Alexandrum in vſũ contuliſſe, quæ parandæ Monarchiæ prodeſſent; Platonem inanibus diſtractum, eam regnandi formam præſcripſiſſe; quæ vix animo concipi; ne dum executioni demandari poſſet. Hæc ſecretis querelis diſſeminata, Matri, ac Simonettæ deferebantur. Vtriq; eò maximè prudentes, quod vulgi conſilia, nobilium ſermones obſeruari præcepiſſent; vt falſa reijcerent, vera reciperent. Ergo inter concordes agitato, ſequendane vulgi ſtudia, an ſeruandum, arte, vi, conſilio Imperium; vel certiſſimo periculo regnandum cenſuêre. Et quia potentiorum vis metuebatur; in ſubſidiũ Federicus Gõzaga nominatus; qui virtuti, ac ſtudijs paternis inſiſtens, militiam, & ſubitum auxilium curaret. Parentis merita, & pronus viri ad gloriam animus; Matri filioq; ſatis ad ſecuritatem credita. Et quia cæteris Principibus per Italiam familijs ius decreſcebat, contra Gonzagorum potentia gliſcebat; ne vilitate ſtipendij, laborem, ſeruitij nomen abnueret, pecuniâ ingenti & honoribus euictus eſt, vt preces acciperet. Triginta ſex aureorum millia, ſi pax eſſet, ſexaginta ſi præliandum foret oblata ſunt: Ingens auri pondus, ſi tempora præmio contendantur. Miſſæ literæ cum parte pecuniæ, honorem Federico, fidemq; electioni attulêre. Ingenti tamen animo quæſtum aſpernatus eſt; nec alio nomine aurum ſe recipere profeſſus, quàm vt Octingentos expeditæ armaturæ equites, promptos ad iuſſa haberet. Quem numerum vt tumultibus & bello imparem, ſic recenti ſeditioni compeſcendæ, ſufficere dicebat. Sed Blanca inculcatis literis monuit, quantum illi videretur militum ſub ſignis retineret: Non enim Venetos, non Florentinos, nõ Genuenſes, non Neapolitanos credebat, occaſione poſtpoſitâ, fidem in collegatos antelaturos. Et quandò amicè agerent, prudentiam cum pondere cenſeri, ſuſpicioni inſiſtere, & minimis quibuſq; motibus attentum eſſe. Sed obſtrepebat vniuerſa Italia, diuerſis belli incitamentis, eò acrioribus; quòd componendi forma difficilior, aduerſo Sixto quarto Pontifice videretur. Is proprio odio, manifeſtas cum Florentinis inimicitias agitabat; cõmoueratq; Ferdinandum non temnendæ potentiæ Regem, vt Neapolitano ingentes copias eliceret, in excidium Hetruriæ. Ipſe conſultor & extimulator aderat, nouis delectibus exercitum ſuppleturus; tantâ vi animi, vt in Chriſtiani nominis hoſtes depugnare videretur. Id Florentinos validè impulit; quos non magis arma, quàm nomen hoſtium, & præſumptio cauſæ, Religionis ſpecie fatigabat. Nec tamen deerant qui Põtificem excuſarent, tanquàm alieno ductu dimicaret; & iniquam cauſam, Regis intuitu neſcius amplecteretur. Certè duorum alterum erat; Aut enim id ignorationis ſeni adrepſerat; aut ſiniſtrâ Regis famâ vtebatur, in quam malè conſulta deflecteret: Quod Principibus moris; vbi cupiditates ac priuata ſtudia proſecuti, in alios ſtultitiæ cauſas reijciunt. Diuerſus Regis animus, auebatq; ſe apud exteros hoſtem cenſeri, nullâ Papæ memoriâ. Trepidauêre Florẽtini

Federicus tutor Io. Galeaz.

vbi

vbi tot exercitus, tot belli capita properare acceperunt. Et quamquàm milite ac pecuniâ dites, miſêre tamen ad Venetos, Ioannem Galeatium, & Herculem Eſtenſem, qui periculum denunciarent; monerentq́; infidam Pôtificis,Regisq́; pacem,perniciem credentium reſpicere. Vbi deuicta Hetruria foret, nihil quod conatus hoſtiles moraretur, ſupereſſe. Excepêre Veneti, ac Sfortia, vim periculi: Quòd Mari Adriatico vicinus, promptè claſſem immiſſurus foret; & veteris in Sfortias odij memor, etiam hæreditatis cauſas delaturus. Eſtenſi à Venetis, Federico Gonzagâ à Ioanne Galeatio, tracta in bellum vniuerſa Italia eſt; tanto armorum apparatu, vt ſi aduenisſent, Pontifex ac Ferdinandus, impares cenſerentur. Vbi in Hetruriam flexêre, firmata nouâ iuuentute præſidia,agitatumq́; quâ facillimè in adempta Florentinis Caſtella, impetus fieri poſſet. Caſolani opportuniores initio viſi; cæteris, fidei aut deditionis exemplum daturi. Eoq́; properatum à Marchione, cum mille equitibus, quos Mantuæ delegerat, expertæ olim bellicæ fortitudinis. Ciues vbi vires ſuas; & quàm tardum Regis; aut Sixti auxiliũ meditantur, pacto incolumitatis ac fortunarum, Federico ſe dedidêre: quẽ aduerſus hoſtilia, protectorem delegerant. Sed dum amicitiæ, ac Marchionis reuerentiæ confiſi, licentius non Mantuanos ſolùm,ſed Eſtenſes quoq; admittunt, tumultus inter commilitones inceſſit; perniciem vniuerſis allaturus,nî turgeſcens vis amicorum monitis conſediſſet. Centurio quidam Eſtenſis, officio, naturâ, Ducis ſui indulgẽtiâ præceps; aſſumptis ſocijs,quibus nulla honeſti cura, Caſolanorum vicos prædatione, ac petulantiâ militari vexabat; abductis iumentis, & ſpoliatis ruſticorum mapalibus; apud quos vt hoſpites diuerterant. Detulêre preces ac querelas ad Federicum miſerrimi; orantes vt in aduerſos non in deditos, & imperia accipiẽtes, ſæuiri vellet; ſumerentq́; non raperent; quæ ſi darẽtur ſuffectura, abſtracta haud quaquàm ſatis forent. Delectus imperandæ modeſtiæ, Federici miles Vincentius;is ad noxios profectus, pietatem, amicitiam ciuium, reliquorum ſpẽ expoſuit; & vt violentiæ temperarent, hortatus eſt, Marchionis ſui nomine, diurna ſingulis alimenta, modo belli pollicitus. Illi Federicum ſibi non impetio, non auctoritate cognitum retulêre: Habere Herculem Ducem, cuius dicto auſcultarent; rapinas iure belli exercitaturos, in Florentinos infidos; quorum damno acceſſiſſent; niſi quæ promiſiſſent, exequerentur. Pecunia erat, quam debito maiorem requirebant. Vincentius deſpici neſcius,verbis increpitos, prædâ exuit; & niſi temperantius egiſſent, mortem comminatus eſt. Contra Eſtenſes minitari vim, conuocare auxilia,arma parare, velut in prælium; cum aduenit Federicus, & per medios delatus, Eſtenſem quietis ac belli ambiguum perſtrinxit: oportuerat, inquit, Caſolanos obſequio aduerſos, virtute tuâ in ordinem redigere, ius vt victis dari; pacem & incolumitatem arbitrio præcipere: nunc à tuis vt capti lacerantur, conuelluntur vt victi. Et tamen noſtro conſilio acceſsêre, his armis ceruices ſummiſêre; officio in exercitus confœderatos, cum veteribus Florentinorum ſubditis certantes. Sed non aliâ lege à tuis habentur, quàm ſi libertatem contumaciâ amiſiſ-

Federicus in Hetruriam.

Rixa inter Mantuanos, & Eſteñ. in Hetruriâ.

amiſiſſent: Stupra, rapinas, incendia, barbarum in morem tolerant; nec tamen illatas iniurias propulſare aliter, quàm delatis precibus auſi ſunt: Longè vis, & animus ad vindictam. Abſtineant igitur tui; niſi fœdiſſimo nomine diſcordias agitas, & ſocij impatiens, plus iuſto præſumis. Eſtenſis pluribus ſeptus (iam enim integræ ad rumorem Centuriæ accurrerant) & Federici gloriam, comitatis ac prudentiæ famam, dedecus ſuum credens, peruicaciâ vſus eſt: ſeu præualeret; ſeu ne metuere putaretur. Id Marchionem acriter impulit, intentare minas, & manum gladio admouere, addito, non alio ſe in poſterum conſultore vſurum; Et abſcedebat; cum à tergo refertur, congredi Eſtenſibus ſuos; & iam Mantuanus gregarius, mediâ fronte ſaucius, auxilium proclamabat. Ergo Federicus regreditur, & ſingulos nomine ciens, in denſiſſimos fertur, turbinis inſtar, obuios proterẽs, cædensq́;. Ducis ſui vim æmulati Mantuani, vnanimes vindictæ inſtitêre. Pugnatum fortiſſimè; & Eſtenſis acie licet inclinante, Federicus tamen iram adhuc, minasq́; retinens, nitebatur. Tandem obuij diſiecti, & victores eodem impetu in tentorium vſq; Herculis delati, ingentem conſternationem addidêre. Exceperant interim iras exercitus; & Proueditores Veneti, peiora metuentes aduolauerant. Tantùm diligentiâ profectum, vt Eſtenſibus ſalus; & quies exercituum Ducibus interponeretur, quæ vix ſperabantur. Cæterùm an compoſitis animis, hinc Gonzaga furore percitus, illinc Eſtenſis malè dimicatione habitus in amicitiam coiiſſent, apud præſentes, abſentesq́; iuxtà ambigebatur; Valido præſertim Eſtenſi, & laceſſito, Federico in vindictam præcipiti, quoties neglectum ſpectauiſſet. Equidem niſi Ferrarienſis equitatus longius frumentatum amandatus fuiſſet, plurimum cędis vtriſq; imminebat; & fortè Mantuanis numero inferioribus, exitium. Sed vt Federicus occaſione vſus in tempore eſt, ita parum apud Eſtenſes prudentiæ deprænhenſum; quòd paci pugnam prætuliſſet. Hæc vbi Mediolanum delata ſunt, Ducem futuro metuentem impulêre, vt Aloyſium Boſſum, Senatus partem legaret, componendis animis, & diſcordiarum reliquijs excindendis. Additæ literæ, præcipuam ſibi fortiſſimorum Ducum curam eſſe, quorum virtuti certam victoriam inniti cognoſceret: ſed deponenda odia; nec abiectiſſimæ militiæ inſolentiam, tam nobili ſanguine corrigendam. Se lęſum ac lædentem reputare; vt alterum culpâ, iniuriâ alterum exoneret. Potuêre delatæ à potentiori preces, auerſos animos flectere: quamquàm ne id quidẽ intus ita crederetur. Diſtuliſſe odia vterq; credebatur, vt in tempore proferret. Etiam Proueditores Veneti, ſuſpectam Ducum diſcordiam, męſti recolebant: nec hunc, illumve dimittere, communi commodo proficere videbatur. Quippe fortitudine ac fide, vtriq; inſignes erant. Simul tamen ijſdem Caſtris haberi periculoſum rati, diuidi Prouinciam cenſuêre; dato Eſtenſibus Poggio, & Arretio Marchioni. Quòd tamen lentè bellum procederet, etiam inter Mantuanos, otij malum laſciuia ſucceſſit; ſiue cæterorũ exemplum ſecuti, ſiue ea peſtis Caſtrorum eſſet. Federicus, nobili monimento, Centurionẽ, hoſpitis munificentiſſimi filiam violare auſum, teſtãdo

quàm

quàm honeſta præciperet, laqueo exanimari iuſſit: cumq; Flauius Matteuccius Hetruſcus miles, & Marchioni familiaris, violentum neminem apud Eſtenſes perire dixiſſet, reſpondit: & benè quidem, quandò corrigendis omnibus, non ſufficerent laquei. Id licet ſæuitiam ſocij appellaſſent, fama tamen integritatis valuit; vt quandocunq; miles hoſpitium ſortiretur, accolæ ſpontè Mantuanos appellarent. Clandeſtinis interim excurſibus, Aragonij ac Florentini, pacē carpere, & magni belli ordinem ſtruere cogitabant: multis vtrinq; cæſis, & ſpe celeris militiæ, ſiue pugnâ tranſigeretur, ſiue pax interceſſiſſet. Non abhorrebat conditiones pacis Sfortia; ſi Florentini extra iniuriam habiti, & ſuis honos, patrati belli famâ acceſſiſſet. Et Sixtus Pontifex, ne inter diſcordes, ſe neglecto, conciliatio ſubreperet metuens; præuenire imminentem neceſſitatem cogitabat. Haud multò poſt, citus equo Picenus, literas à Duce attulit; quibus irrumpentes Liguriâ conſanguinei, rebus nouis, & vertendo Mediolani Imperio accincti docebantur; & vt præſidio ſui accurrerent, iubebantur. Id Neapolitanus aſtu parauerat. Paruêre, & Sigiſmundus, toti Eſtenſi exercitui ad Poggium præfectus eſt; cum mandatis ne bellum vellet, ſed ſe munimentis contineret; nec graui diſcrimine niſi omnibus labori additis ſe committeret. Maius imperium, quàm præferocis iuuenis mores, & immodicus gloriæ animus toleraret. Non tamen fortitudini prudentia; aut nobilitati militaris diſciplinæ experientia inerat; ſed quocunq; facinore famam capturus, moram omnem vt inhonoram reijciebat. Contra Alphonſus Calabriæ, & Federicus Vrbini Duces, nimias iuuenis ſpes, & ſimilem audaciæ temeritatem opperiebantur; ſi inopportuno honoris deſiderio in pugnam inclinaſſet. Ergo campo excurrere leuis armaturæ equites Vrbinates iuſſi; propiusq; ſuggredi, ſi forſan imprudentiâ Sigiſmundus prorupiſſet. Qui velut votum acciperet, accerſitos minoris ordinis Duces ac Tribunos, temporis & conſilij monuit: oblatam benè agēdæ rei occaſionem arripiendam; & docendos hoſtes, quamuis Duce amoto, militi virtutem eſſe. Federicus priuatas ſimultates, communi bono exuens, admonebat iuuenem, ne congrederetur; ſed ſi bellandum foret, cunctos opperiretur: Potiorem gloriæ partem, cum incolumitate, & ſecuritate cenſeri. Et ſatis benè certari, ſi cauiſſent, ne vincerentur. Sed ille inſidias ratus, & ſuæ famæ diſpendium, pugnare ſtatuit, loco, tempore, numero, iniquiſſimis. Sors prudentioribus & fortioribus affuit; fuſi Eſtenſes, & toto agro palantes capti. Florentinorum ſi qui aderant cæſi, abducta ſpolia; vt neceſſitas ferēdi auxilij Federico eſſet. Ille caſum Eſtenſis indies afferri, quem præuiderat metuebat. Sed nihil æquè anxium habebat, quàm aduerſa valetudo (quæ ipſi plures ante dies euenerat) & ex recenti conualeſcentiâ, vires infirmæ. Vbi tamen reualeſcere, & pugnæ labori par viſus eſt; velut antiquam ignominiam deterſurus, quos in Caſtris habebat conuocatos, fortis Eſtenſium certiores reddidit; vtq; Alphonſus ſucceſſu elatus, etiam Arretium in votis haberet, oſtendit: præoccupandam fortunam, & approbandum hoſtibus, Mantuanos non minus inferendo, quam tolerando bello validos, maiora

ſemper exiſtimatione capeſcere. Siquidem nouerat, tum præcipuè hoſtem ſuperari, vbi non viciſſet ſolùm, ſed victum reparationi diffidentem reddidiſſet: Non enim ſemel cæſus; ſed nūquàm arma reſumpturus hoſtis, ſolidam pacem attulerit. Fracta Aragouum ſpes, Gonzagæ ſucceſſu fuit; quò, expoſitis conditionibus pacis Pontifex propius acceſſit; & æſtimatione diſcriminis Florentini conceſsêre. Non enim Federicus Marchio, oppugnationibus Caſtrorum, prædâ, cędibus abſtinuit; imo vniuerſum Peruſinum agrum, fruſtrà obſtante Pontifice populatus eſt. Aucti opibus milites, & rapinæ dulcedine, vlteriora cogitabant; procurante Federico Eſtenſis culpam, in proprium decus vertere, & fędus ſuo arbitrio ſanciri. Non enim Venetorum, Sforttiæ, Pontificis Legati; precibus, minis, auctoritati abſtinebant, vt concordiam interijcerent; pacem in commune conducere, & ſuas vtrinque cauſas iactantes. Medio Auguſto, cum Dominus abeſſet, & maior iuuentæ licentia, obſeruatrice fœminâ Principe proponeretur; parum abfuit, quin totâ Ciuitas in præceps acta, internâ ſeditione hauriretur. Carolus Caprianus nobilium comitatu, in facetias iuueniles ſolutus, Paulum de Agnellis prouocauerat, vt duellum poſceretur: Id illi æuo conſuetum. Sed conſanguineis amicisq; ſe aggregantibus, res tanquàm in bellum mediâ vrbe ſpectabat. Clarus Buccamaior à Marchioniſsâ ſtatim in tumultuantes miſſus fuerat; vt auctoritate imperioq; æmulos retineret. Et quia maiori vi nitebatur, parum abfuit, quin mixto trium certamine, ples ac nobiles congrederentur. Id vbi magni animi Fœmina excepit, ſupra ſexum auſa, domo ſe proripuit, & non longè Ponte Arlotti, diſpoſitos dimicationi, & concordiæ aduerſos depræheudit. Itaq; accitos litigantes obſequio retinuit, coëgitq; in aduentum coniugis diſcordias reijcere; vt eo arbitro vterentur, qui gnarus euentuum, & efficax cōſilio crederetur. Interim abſtinere hoſtilibus, & tanquàm ſummâ in pace acturi promiſêre. Id ſatis credidit; quippe redux Federicus, cum nullius honori detractū, tantùm inania deprehendiſſet, nobilibus ſuis concordiam ſtatim imperauit. Viceſimâ Nouembris Milleſimi quadringenteſimi ſeptuageſimi noni, Laurentij Medicei induſtriâ diuerſis Ferdinando, Pontifice, Venetis, Sforṭiâ, ac Florentinis, amicitia mutuis cōditionibus ſancita: Et in ſocietatem recepti, qui pro vtrisq; pugnauerant; ſeu Duces, ſeu ſocij armorum acceſſiſſent. Sed Martij Viceſimâ quintâ, ſequentis anni, pax eadem Mediolani proclamata eſt; excluſis amicitiâ Venetis, vt occaſioni ac proprio commodo intentis, nullâ honeſti memoriâ. Nec illi fraudem aut illatam iniuriam queſti ſunt; vindictæ quàm lamentationi paratiores. Sumptum Pontifici Senatus ſilentium, manifeſtâ indignatione, pro iracundiâ; ſimilia enim à prudentiſſimis, per ignauiam negligi non poſſe ſciebantur; & vindictam remittere, in raros potentiorum cadere, vt tamen annuiſſe viderentur, nixus eſt; & publicæ vtilitatis bono, & deſiderio quietis. Accedebat profuſior in nepotes indulgentia, dum regio more habere omnes, Eccleſiaſticis opibus nititur; quod auerſis Italię Principibus aſſequi non poterat. Ante alios Rex Neapolitanus cupitis obſtiterat, dum redditus Eccleſiarum

Tumultus inter Caprianos, & Agnellos.

1479. *Pax generalis.*

eleſſarum arbitrio concedi prohibet. Quâ cauſâ, & quia ſecretas cupidines
viri aperuerat, auerſatus, ad Venetos conuertit; quietis impotentiâ, ſiue per
turbas augeri res ſuas crederet. Sforția Venetorum fortunam, & pace &
bello expertus, ſimul Florentinos fide cognoſcens, in Hetruriam nouas co-
pias, Roberto Sanſeuerino tranſmiſit, vt Aragonenſibus preſtò eſſent, pro
Florentinis iam aduerſus Pontificios pugnaturis. Auctis exercitibus, Ponti-
ficis ac Venetorum vires decreuêre; & Alphonſus Calabriæ Dux, vbi per
exules accepit, Senas arbitrio recipi poſſe; cum expeditâ manu, per noctur-
na ſilentia profectus, Ciuitatem ante dolo habuit, quàm poſſeſſi nouos mo-
tus percepiſſent. Pugnatum tamen inter partium Duces pluribus in locis,
euentu vario; modò Pontificijs, modò Florentinis præualidis: Sed maiori
illorum clade, quòd ducibus potius, quàm milite carerent. Medio curſu
gloriæ, dum maioribus expeditionibus accinguntur, miſſæ à Patriâ literæ
Federicum monuêre, Margaritam coniugem atroci valetudine conflictatã,
iuxta extrema eſſe; & ſi præſentiâ ſolari velit, accelerato reditu opus eſſe:
Simul inter Agnellum ac Caprianum motus exceperat; manifeſtâ totius Vr-
bis formidine, ſi reuerentiam Domini exuiſſent. Duo equitum, quatuor pe-
ditum millia erant, quos Marchio imperio habebat. Hos Euangeliſtæ Gõ-
zagæ Caroli filio, ſed furtiuis natalibus, ad tempus commiſit; vt muneri ac
pietati ſatisfaceret. Circa Octobris finem, in Patriã reuerſus eſt; reperitq;
decimum quintum ante diem, coniugem fato functam; breui ac exitioſo
morbo, vt nulla in Medicos culpa transferretur. Mox ad Patritios conuer- *Federici uxor moritur.*
ſus, cęptam ante ſeditionem, ſingulari prudentiâ compeſcuit; etiam matri-
monijs æmulos illigauit, vt cum minus foro, mutuæ incolumitati ſaltem, 1480.
neceſſitudine cauerent. Hic idem annus, miſerabili ad Otruntum clade in-
ſignis fuit; captâ à Turcis Vrbe, barbarum in morem Epiſcopo laniato; &
cæteris in ſeruitutem abductis. Nec minus præſidium impoſuerant; quod
ſeruandæ Vrbi ſufficere videbatur. Mediolanum quoque cæde Simonettæ
(quem conſultorem Duci prudentiores impoſuerant) ad infamiam, memo-
ratum eſt. Hinc fides in Ducem, Ludouici Sfortiæ odium, exiliumq; matu-
rauêre. Tentata quoq; Rhodus inſula, à Mahometo Turcarum tyranno;
ſed irrito conatu pulſus eſt, & in Calabros arma conuertere coactus; vbi mi-
nus laboris, plus prædæ opperiebatur. Inter has turbas, & conuerſos om-
nium ad extera bella animos, Mantuæ modica lætitia interceſſit, triplici cõ-
nubio, dato acceptoq; ſplendore. Rodulpho Gonzagæ Federici Marchio- *Rodulphi Gõzagæ nuptiæ*
nis fratri, Catherina Principis Mirandulani ſoror coniugio ceſſit; aſuetis
Gonzagis ijs è familijs ſibi vxores adſciſcere, quas bello ac pace celebres
nouerant. Sed & Clara Federici filia, Comiti Gilberto Monpenſiero Bor-
bonio Duci deſponſata eſt; quibus progenitoribus Dux ille Borbonius pro-
ceſſit, qui miſeram Italiam atq; Vrbem ipſam, horrendâ clade, & nece pro-
priâ inſigniuit; cum pro Carolo V. Auſtriaco, exercitus ductaret. Super-
erat Federico filius Franciſcus, quem in ſpem ſucceſſionis & amicitiæ copu-
lari, ex vſu temporum rebatur. Et plures offerebantur, nobilitate, opibus,

potentiâ certaturi, niſi Hercules Dux Eſtenſis, iam Hetruſca odia oblitus, & nouis inſuper fidei pignoribus obſtrictus, vota reliquorum præueniſſet. Hic Iſabellam filiam obtulit, vix nonum annum tranſgreſſam, cum Franciſcus Duodecimum tetigiſſet. Nec tamen neglecti, repulſam malo vertêre; quòd eo munimine firmari dubiam caritatem, eluiq; veterem Hetruſcum æmulatum crederent; neque ambiguum erat vtriuſque Principis fidem, poſſe Italiam in pace habere. Cæterùm in annos aliquto lætitiam diſtulêre; quòd vtriuſq; ætas inducias toleraret; Et maiora vrgere videbantur, quàm vt inanibus tempus tereretur: Aduentaſſe enim Mahometes ferebatur, iamq; totâ Calabriâ prædas agere; metuebaturq; ne leui euentu elatus, vires vniuerſas Neapolim primûm; mox in Hetruriam ac Longobardiam verteret. Satis liquet, queri ex fortunâ ſolitum, vbi bella ex voto non cederent, Italiam obſtare; milite, pecuniâ, commeatu infeſtam; eo quamuis per Aſiam bellãti. Ferdinandus proſperis aduerſiſque exercitus, non aliud afflictis rebus ſuis præſidium, quàm ex fędere credidit; quaſi magnis Italiæ Principibus illigatus, communi ſtudio, Regno etiam prouideret. Ludouicus Galliæ Rex, Ioannes Galeatius Mediolani Dux, Florentini, Eſtenſis, ac Marchio Mantuanus, certatim nomina dedêre. Præcipua huius cura; qui onerarias quindecim, milite ac commeatu inſtructas, flantibus Eteſijs Brundusium miſit, Raphaele Agnello curante; quem diſcriminum haudquaquam pauidum vicena ſena ſtipendia reddiderant. Sixtus ditandis nepotibus nimius; & nõ paci quàm bello magis conquirendis opibus anxius, pudore tamen flagitij cui aſſiduus, accuſari tamen ægrè ferebat; conflatam fœderatorum opibus claſſem, ſuâ quoq; pecuniâ iuuit, vt in numeroſam militiam excreſceret, deterrendo hoſti validam. Non longè Calabris litoribus cum Neapolitani claſſiarij ſoluiſſent, in duodecim onerarias Turcicas impęgêre; quas bellicis inſtrumentis, ac commeatu onuſtas, Mahometus præmiſerat, vt hoſtes, famemq; depellerent. Leui dimicatione in poteſtatem venere; cum remigibus, non milite graues, aduerſam noſtrarum aciem non perferrent. Vt ſinum Ionium decurrêre, terrâ mariq; Calabria oppugnari cępta, fortiſſimis litori expoſitis; & reliquis in naues diuiſis; munimentum ſocijs, & (ſi opus eſſet) aduentantibus hoſtibus obſtaculum. Terreſtris pugnę euentus, variâ fortunâ fuit; Claſſis Pelago præualuit, captis duodecim nauibus, viginti in fugam verſis; reliquas profundum hauſit. Fortunâ belli qui longè aberant, in ſpem erecti, iuuandos pecuniâ exercitus pręſumpsêre. Miſſi à Ioãne Galeatio quadraginta, à Federico viginti millia nummûm aureorum, vt animos adderent. Sed plus ad victoriam contulit, paucos intra dies defunctus Mahometus, & coacti barbari Italiâ vniuerſâ per vim excedêre. Amoto communi inimico, inter Italiæ Principes, pax & amicitia intercedere poſſe videbatur; niſi fatali noſtrorum calamitate, ſopitæ belli cauſæ reuixiſſent. Mediolanenſiũ Imperium penès Ioannem Galeatium, vis in Ludouico Sfortiâ erat; qui exactis conſilio, quorum prudentiâ, negocia tranſigebantur, potentiam omnem ſibi, fauore Palauicini comparauerat. Hic offenſus non

Is Franciſci Federici filij.

Federicus Otruntũ claſſem ſubſidio mittit.

minus

Digitized by Google

minus, quàm ſuſpiciones ipſas in crimen trahens, Petrũ Mariam de Rubeis qui magnam Parmenſis ditionis partem, poſſeſſione continebat, vt contumacem, & dicto minus audientem, apud Ludouicum perfidiæ inſimulauit; quòd alienam ſortem ſeparatus opperiretur; nec Mediolanum conuocatus, obtemperaſſet: Tantumq́; prauis conſultis effecit, vt Conſtantius Sfortia, ſex hominum millibus additis,inducẽdo bello,ad Sanſecundum mitteretur. Petrus Maria ferendæ obſidioni plures menſes, non propulſandi hoſtis potens, Venetorum fidem experiri maluit; ſi honeſtæ cauſæ patrocinio acceſſiſſent; detinuiſſentq́; Sfortiam, veterem Italiæ poſſeſſionem agitantem. Se minimam Longobardiæ partem ferebat, non tolerandis, non inferendis armis poſſidere: Vix anguſtis rebus, & numeroſæ proli; pacem, & quidquid agri fœcunditate prouenit, ad cultum vitamq́; ſatis eſſe, tantò minus ad iniurias ſuppetere. Prorſus à Sfortiâ delectum, qui exitio dederetur; nullis contra viribus, niſi Veneti obſtitiſſent: Orare vt communi bono ducti, tuerentur ſupplicem, nec vexationes meritum. Viderint Sfortiæ, quo gratitudinis titulo, quâ modeſtiâ ſint; cum potentiam, vires, opes, quæ Rubeorum ſudore quæſierint, in innoxios ac optimè meritos vertant. Peruicêre nobiliſſimi viri preces Senatum, vt in cauſam deſcenderet; ſiue pietas, ſiue vetus amicitia obtentui ſumpta. Per ſecretum ſuſpecta Sfortię potentia, ſuſpicaces animos impulit, increſcentes ſpes & deſtinatam illi dominationẽ præuenire: Diù de Federico Marchione dubitatum, num exercitui præficeretur. Sed fędus cum Mediolanenſi iactum, vtroſq; religione retinuit; Venetos etiam metu; hunc fide. Delectus itaq; tractando bello Robertus Sanſeuerinus, cõſilio ac manu iuxta ſtrenuus,& Pallauicino per ſecreta infenſus, æmulatione, & odijs,quæ rarò ſeparantur. Sixti quoq; Pontificis literis, inducti Veneti videbantur, vt contra Sfortias bellum ſumerent; & oblatam Rubeorum cauſam, in ſpeciem præferrent. Vt ferè iuſtitia cauſæ, ante alia militares animos accẽdit. Sunt qui dubitaſſe Senatum putent; ne Mediolanenſes aucti potẽtiâ, Brixiam, Bergomum, Comum repoſcerent; quę apud alios videri,cum pace non forent toleraturi. Federicus inter diſceptantes medius, expedire arma, commeatus inducere, conſilia hoſtium ſcrutari, & quò flecteret ambiguus, ſe Mantuæ continere. Quamquàm Eſtenſis periculum ægre introſpiceret, & contractæ affinitatis ſtudio traheretur. Parte aliâ Veneti, quinq; equitum, duodecim peditum millibus, in bellum Sanſeuerino traditis, Eſtenſem minis,& intentatâ armorum formidine adoriuntur; nî liberum copijs tranſitum, in Sfortias concederet. Non enim tanto apparatu aduerſus inualidum properare; ſed eum qui vltrò minitetur. Hercules datam fidem, percuſſum cum Mediolanenſibus fędus, dominij ſui partem eo tranſitu lacerari teſtatus; literis, legatis, precibus, irrumpentem hoſtem fruſtra retinere conatus eſt. Atq; vbi fixum Senatui vidit, vel cum armis aliena perrumpere, auxilium à Sfortiâ, ſubſidium à Mantuano poſcit; quos eadem diuerſorum æſtimatione premebant. Sed iam Vrbini Dux, magnis copijs Pado decurrebat; iuſſus per nuncium maturare; vt populationem cã- *Federicus & Eſtenſi.*

porum, & incendia auerteret. Sextus dies vniuerſos Hoſtiliæ Mãtuani agri expoſuit; quò Federicus cum duobus equitum millibus venerat; & ſua & aliena curaturus; tranſmiſſo cum tribus peditum millibus Fabio Gonzagâ in fines Veronenſium, ne inimici ſuggrederentur; aut vacua propugnatoribus Oppida, abſente Principe inuaderent. Id Eſtenſis ſpem in melius vertit; Nam Sfortiæ auxilium longius ſitum; nec ſtatim affuturum opinabatur; Federicum periculi ac præmiorum ſocium, vicinio vtiliorem crediderat. Et accedebat fama viri, magnis ſucceſſibus celebrata. Nec expectationem Herculis euentus fruſtratus eſt. Quippe tarda, interrupta, inualida auxilia Sfortia deſtinabat, & conſilio quàm vi bellum curare videbatur. Contra Federicus, non diſpendio, non labori parcens, aſſiduus pro Ferrarienſi erat; Veneti nihilominus nouis indies copijs exercitus ſupplebant; non alieno, ſed ſuo ſecuri; & quamuis interdum malè pugnaſſent, acriores tamen errore redditi, in pugnam reuertebantur. Iamq; Ferrarienſis ditio ſemi abſtracta, in Venetos ceſſerat; indubitatæq; victoriæ ſpem conceperant; cũ Sixtus mutari facilis, Venetæ Reipublicæ metu, odio præſentium, nouis ſe conditionibus pacis, Ferdinando Neapolitano Regi, Ioanni Galeatio, ac Florentinis illigauit, in proximum quinquennium: Vt gliſcentem Senatus potentiam deterreret; quem Italiæ Imperio inhiare crediderat. Pro Rege Alphonſus Calabriæ Dux, pro Pontifice Franciſcus Cardinalis Gonzaga Legatus ac-

1483. *Fœdus Papæ & Regi Neapolitano.*

ceſsêre: Sancitaq; cõcordia Cremonæ, vltimâ Februarij Milleſimi quadringenteſimi octuageſimi tertij. Tracti in partes Eſtenſis ac Gonzaga: Ille cauſæ propior, hic honeſto; & veluti conſenſu. Sed vbi inter ſocios de bello diſputari cęptum, Federicum ſentẽtiæ loco ſic orſum accepimus: Nulla ętas Principes viri, ſine Venetorum bello, & rerum incremento memoratur; quãtumq; mari Tyrannus Turca ipſis ademit, tantum cõtinenti per Italiam nacti ſunt; non Pelago, non diſcrimine adeundum. Medios hos habemus, & vtrinq; protenſi, amplecti omnia ſpe videntur. Nec niſi certâ victoriâ concurrunt. Vbi iacturæ metus eſt, pacem volunt: quam ne tum quidem iniquis conditionibus admittunt: Tantum genti prudentiæ eſt. Vires, fortitudinem, conſtantiam, cæteris quoq; Principibus communia referre ſuperſedeo; prudentiam, & præuiſos ante negociorum exitus recolo. Non prius de bello, ſiue terrâ, ſiue mari deliberant; quàm pericula, amicitias, iuuentutem, ærarium, fędera, Duces; apud ſe, apud hoſtes, æſtimauerint; eaſdem exitu cauſas annectentes. Annuum bellum quinquẽnij apparatu inſtruũt, & ſemel vniuerſo Senatui placita, pro æternis habentur: Non enim leui cauſâ aut diſſentiunt, aut vertunt conſilia. Pari caritate publica ac priuata diſponunt; vt non diligentiam, non pietatem, non fidem deſideres. Cæteris in Venetos prælìantibus, non eædem vires; non idẽ ſemper eſt animus; morte Principum, quæ nunquam Senatum concuſſit: Et vbi communione res agitur, ſententiarum varietate; dum ſibi quisq; tendentes, præoccupatâ pace, & allectis obſequio hoſtium animis, minores in prædam, & iniurias exponuntur. Teſtes Carrarij, Eſtenſes, Gonzagi, toties irritati, tot bellis infeſtati,

feſtati, tot cladibus lacerati. Hi ſiquidem potentiorum commodo ſancitã fœdera, proprij dominij parte inſigniuêre; innominati, deſpecti, ac neglecti. Querelę in iocos verſæ, & ſpe opulentioris conditionis, perſuaſa iacturę tolerantia, quæ tamẽ nunquam ſarciretur. Etiam in culpam damnum reijciunt, coguntq́; credere, ideò aut amittere, aut nõ proficere minores, quòd non mereãtur. Sentio etiamnùm Aſolam, Peſcheriam, Lonatum (vt Veronam velut nimis grande, ſanguinis Mantuanorum pretium ſileam) mihi ſub pectore, perſtrepere perfidiam, & iniquiſſimę pacis iniuriam. Inter potentiores decertantes, illud ſolum repoſcitur, ne æmuli increſcant; profectus minorum, incommoda, ærumnæ tacentur; & benè de ipſis agitur, ſi tantummodò carpantur. Ergò ſi ſumenda nobis arma ſunt, nîl niſi conſenſu præliantium ſtatuendum, quod in commune conducat. Quibus legibus ſi bellum indicitis; meq́; ac fortunas omnes pro ſocijs deuoueo; deprahendetisq́; in periculo, eandem ac in ſecuritate conſtantiam. Sìn ciere militiam, irritare validum hoſtem, obijcere minores, quibus indignatio victoris eluatur, animus eſt; noueritis, non adeò me contentionũ, ac excidij auidum; vt nullo honoris quæſtu, traditam mihi à Cæſaribus dominationem abijciam. Sic apertis quorundam ſuſpicionibus; vt vnanimiter victoriam ſectarentur, decreuêre. Nec minus, quò præſenti vtilitate, plus fortitudinis hauriretur, hoſtium Venetorum ſpolia partiti ſunt: Ciuitates Flaminiæ Pontifici, quod Patauini agri erat Eſtenſi; Brixia, Bergomum, ac Crema Mediolanenſi; Senæ Alphonſo Calabriæ Duci; Lucca Florentinis, Verona cum adiacentibus Oppidis Federico deſtinantes. Adeò certâ victoriâ; vt iam poſſeſſionem agitarent, reditus diuiderent; etiam ſociorum partem meditarentur. Vix conſilio exceſſerant, & Alphonſus Argenta non procul Venetis obuius, inuitus in certamen tractus eſt. Qui conſtantiæ memor; & futurorum exiſtimationem, principio duci ſciens, acriter congreſſus eſt: Et affuit fortitudinî fortuna; plus mille quingentis hoſtium cæſis, fuſis toto agro reliquis, & inexpectatâ clade perculſis Venetis, qui Ducis aduentum vix acceperant. Iacturam ſuorum, non fortunæ aut virtuti, ſed Roberto Senatus imputauit; velut iniquo loco inuectus, imparatos milites, pridẽ certamini accinctis obieciſſet. Et remedium mutatione quæſitum, Duxq́; Lotharingius impoſitus; vetus militiæ, & nullis hactenus belli aduerſis fractus. Ioannes Galeatius, quique minori nomine apud Mediolanenſes erant, externum Ducem veriti, tanquàm proſpero Tranſalpini euentu, per Italicas pugnas augerentur, Federicum Mantuæ Marchionem, rerum experientiâ probatum, & fidei certũ, ſuis impoſuêre; obteſtati præteritorum Imperatorum dedecus, honore ac virtute emendaret; doceretq́; Lotharingium, etiam apud Italos, fortitudine ac diſciplinâ arma tractari. Inuenêre Legati Federicum non longè Caprianâ, præſidia diſponentem; ſuetoq́; Principibus more, imperatoria inſignia, diplomate addito tradidêre. Comiter exceptos, & reſponſa ad ſuos referre iuſſos, dimiſit: Curaturum ſe ne quid fortuiti excuſandum habeat. Et ſibi quam prædeceſſores ſui, intaminatam erga fœderatos ſeruauiſſent, ſacroſanctam

Federicus Dux exercitus Mediolanẽ.

ſanctam

ſanctam fidem fore. Non pro ſuis potius, quàm pro ſocijs certaturũ. Priuatas vtilitates ſuas, ex amicorum commodo æſtimaturum. Mox Alphonſi Calabri, Eſtenſiſq; literę, conceptam victoriæ ſpem, ac lætitiam teſtatæ ſunt; tanquàm illo Duce ſors ac fortuna verteretur. Hactenus conſultis peccatũ fuerat. Ergo Marchioni viſum, pręteritos errores, cauſaſq; diſquirere; quãdo proſpera aut aduerſa, fortitudinem, & ignauiam ſequerentur. Et quia nulla diſtrahendo hoſti paratior via erat, Alphonſus in Veronenſes delatus eſt, ſuppetias ferẽte Federico. Nec ignarus Alphonſus erat, cuius vtilitati Verona vinceretur, eòq; alacrior, fędcris, amiciq; caritate nitebatur. Direpta Veronenſium Caſtella, captiui recepti, iumenta abacta, contumaces exciſi, Vrbsque terrore concuſſa. Non enim inſolens incendij, & populationis Ciuitas erat; ſæpius Mantuanorum armis, ad excidium deſolata. Cæterùm ne tot hominum millia, Ciuitas vna externo ſubſidio deſtituta, moraretur, Alphonſus Aſolam inuaſit. Auſi incolæ obſidionem, & extrema quæq; tolerare; quàm Calabrum Ducem admitterent, aut Venetorum fidem exuerent. Quippe eâ pietate Senatus, ſubditos habebat, quâ liberos; & æquitate, iuſtitiâ, liberalitate, quaſcũq; adminiſtrationes ſupergrediebatur. Vbi minis fruſtra laborari, & audentiores indies Aſolanos videt, pro męnibus tormenta diſponit, promiſsâ ante impunitate, ſi ſponte non coacti acceſſiſſent. Verùm illi ſpe auxilij, munimentorum mole confiſi, ſtabiles in ſententiâ perſtitêre. Indignatus vilipendio Alphonſus; ne Caſtrum nullo ferè nomine, diutius ad vlteriora properantem detineret, eminentes ædes diſijcit, propugnacula tormẽtorum ictibus deterit, & deditionis neceſſitatem obſeſſis oſtẽdit; Si, licet extrema meriti ad Federicum Gonzagã, integri, inoffenſi, tranſferri vellẽt. Acquieuêre miſerrimi, & arbitrio victoris vniuerſa conceſsêre; aliquâ ſpe ſalutis, licet tardâ, profusâ tamen obedientiâ. Quod ipſis incolumitati fuit. Pecunia in belli vſus imperata (quod in vili maiorum malorum formidine habetur) ſed in pœnam contumaciæ, ne nimiæ Ducis indulgentiæ illuſiſſe viderentur. Veronenſem interim tractum Federicus aſſiduis excurſionibus exercebat; gnarus ſuperinductâ pace, Caſtella ferè, nunquã prædam repeti. Et explẽdi militum animi erant, diſpendioq; ſuo manubię diuidendę. Poſt cæterorum quietẽ, nil ſtrenuos promereri; ſed nec pacto debita, concedi: Rapinas tantùm & vindictam ſupereſſe, quæ vbi ex voto ſucceſſerint, nemo repetat. Veteres Mantuanorum commentarij tradunt, ſeptimum intra menſem, Veronenſi agro abacta, generis omnis iumentorum Vicena ſena millia, Veſtis, armorum, vtenſilium, commeatus; numerum, & magnitudinem, vt fide maiorem, tranſcribere ſuperſedêre. Iam verò pauca in Marchionem, pleraq; in militem collata; alleuando labori, & imbuendis vtilitate animis, quò paratiores diſcrimini accingerẽtur. Villæ, & ſpecioſiſſima camporum, ferro exciſa, ambuſta, ſubuerſa; riuos aquarum alio tractos, Euripos palude repletos, præſagij loco habitum; tanquàm ideò perderentur, quòd manſura non forent: Et Andreę de Ripâ, alæ equitum Mantuanorum impoſito pietatẽ recordante Federico, auditam gregarij vocem, excindẽda omnia,

omnia, quæ ſuis obtingere nequeant, traditur. Sic operi ac vindictæ intētum Mantuanum Alphonſi literæ deprehendêre, captam Aſolam, pacto fœderis tradi imperantes. Id vnum in votis habere Federicus videbatur: Et Euangeliſtâ Gonzagâ, curæ ſuorum impoſito, cum quadringentis equitibus Aſolam venit. Accepêre Marchionem Ciues lætantes, vt ferè ad noua imperia; ſuberat tamen metus, ne antiquæ defectionis, ac cōtumaciæ meminiſſet; luerentq; ſemel, quod toties admiſiſſent. Ille tamen veteris poſſeſſionis, quibusq; ludibrijs maiores ſui eâ cauſâ vexati fuerant, memor; præſidium mutauit: Deducto in bellum veteri milite; & impoſitis Quadringentis quorum ante perſpecta fides erat. Sed fortuna Aſolam Gonzagis inuidebat, & Venetos prælegerat. Non enim fortitudo, non virtus, non cura in poſterum profuit, quò minus amitteretur; & ad ſuetos dominos fato quodā relaberetur: Quamuis Petrum Spagnolum Ducem deditis præpoſuiſſet, militari ſcientiâ, & fraudium doliq; in ſimilibus callidum. Porrò ne Veronēſis tantùm (velut nimium Federici commodo daretur) Prouincia, vim omnem hoſtilem exciperet; in Brixianos ac Cremonenſes facta irruptio eſt; vt pluribus locis eodem tempore Veneti quaterentur. Et militum ea vis erat, quæ facilè diuidi, & ſeorſim magna patrare poſſet. Alphonſus Brixiam, Federicus Bergomum, armis adorti ſunt; agrum omnem populantes; ſi amore rerum ſuarum obſeſſi, ſaniora induiſſent. Pulcherrimum Italiæ latus, incendijs, ruinâ prædationibus, fœdatum eſt; facies omnis locorum, Oppidorum, Villarum, camporum mutata; tantumq; opum ac iumentorum Mantuam & Ferrariam deductum, vt agris latiſſimè patentibus, nutriri non poſſent. Nec minor copia Mediolanum deducta; non enim de Imperio in ſpeciē, ſed de fortunis ac vitâ certabatur; eo ſemper omine, prædari agrū poſſe, non retineri. Par Sanſeuerino morum ſæuitia erat: Sed quia minoribus copijs inſtructus, ſuos in metu habebat; ne temeritati locum aperiret, velut per latrocinia, eadem quæ reliqui apertâ acie exercebat: in Ferratiēſes ac Mantuanos delatus, prout negligentiâ ſolutos, aut intentos accepiſſet. Procuratores quoque Veneti, mandatis aſſidui erant; ne vniuerſum exercitum, tot contra millibus, diſcrimini objiceret; ſed moras necteret. Non enim quandocunq; acceſſiſſet, ingratam victoriam fore. Dum interim Federicus bello illudit, ſuos ſpolijs, ſe gloriâ ditans, literas ad ſocios miſit, hortatus vt Venetiæ ipſæ infeſtis armis peterentur: Terreſtri ac nauali pugnæ ſimul, impares futuros; ſi vtrinq; carpti, per diuerſa diſtraherentur. Mari magnam Veneto fiduciam. Hinc commeatus, numeros, auxilia habere; ea omnia immiſſâ claſſe ceſſura. Brixiam ac Bergomum ſpe inani detineri; & vbi illigatos patres, hoſtili bello percepiſſent, ſponte infeſtantem hoſtem receptura. Et vt conſultor auctorq; eſſet, ſex triremes bello inſtructas, Pado elabi ad ſocios iuſſit; communem fortunam ſubituras. Quippe Aragonus cum quinquaginta nauibus Anconæ adfuturus breui ſperabatur; & reſpondit. Hinc Venetis anguſtiora omnia, & amittendi continentis metus; acerrimo contra Federico; qui conſilio manuq; promptus, nil quietum, tutumve

Federicus Aſola potitur.

inimicis

Ratio cur olim bello potētiores Principes.

inimicis permiſerat. Pado claſſem, ſub pellibus militiam, pro limitibus prę-ſidiarios diſpoſuerat; etiam mole ac vi ſuâ formidandus. Certè neſcius nō ſum, pleriſq; impoſſibilem eum apud Marchionem Mantuanum apparatum credi; quòd auctâ poſtmodum apud Duces potentiâ, minus virium videatur; ſi tamen aſſidua belli cura, frequentes expeditiones, bellandi neceſſitas ęſtimentur, haud abſonum quod traditur, deprǽhendetur. Exercito per bella ſęculo, incolę omnes cum ciuilibus artibus militiam imbibebant; feſtinatis expeditionibus educti, vbi ad ſua reuerterant, domeſtica curabant, tanquā abituri; fœminæ agros colebant, officinas ſeruabant, emebant, vendebantque; procul agente viro, filijſq; bello deſudantibus. Principes ipſi, quas nunc ædificationibus, iocis, cultui, luxui, opes inſumunt, comparandis armis, impedimentis, amicitijs, munimentis impendebant. Et ſatis erant; quandò, ea ſola cura; & ſuperflua luxuſq; pro flagitio temnebantur. Secta longa pax delitias inuexit; non niſi longiori bello exceſſuras, & armorum vires infregit. Extremis proximus Senatus, de belli euētu, quibuſq; artibus præſentes moleſtias propelleret agitauit. Iam enim detritas vires ſuas, potiores Duces inimicorum, ſubditos nutare, ac valeſcere terrâ mariq; hoſtē compererat; Pontificem infeſtum; Alphonſum, ac Federicum Marchionē, victricia ſigna, præcipuis Italiæ Oppidis intuliſſe. Maiorem ipſis militum numerum, Imperatores experientiâ probatos; Gallum Regem ſuis tutandis occupatum; Heluetios religione teneri, quâ ſe Ludouico Sfortiæ illigaſſent. Deniq; plus apud aduerſos fidei, virtutis, ſpei eſſe, quàm vt vniuerſis obſtare poſſet. Ad aſtum conuerſus eſt, Ioannis Contarini ſententiâ, quæ in hunc modum fuit: Docti euentis ſumus Patres conſcripti, id vnum apud potentiores Italiæ Principes curari, vt æqualitas dominantiū retineatur, quæ vix tutandis proprijs ſufficiat, minus alienis rapiendis. Quòd ſi fortunâ aut virtute, potentia alicuius increſcat, eo ipſo cunctos æmulatione, ac ſuſpicione irritari; velut ſtatim in reliquorum perniciē accingatur. Laudari, excuſariq; vires quæ decreſcunt; & odium ijs pro gratiâ referri, quorum fortitudine ac vigilantiâ, in tuto fuerint. Et tamen æqualitatem lōgè à dominatione; nec vnius potentiam, niſi alio depulſo exurgere, ratione pariter, & experientiâ didicimus. Hæc vna ſuſpicio, totiens Mediolanenſiū imperium, Rempublicam noſtram, Florentinos afflixit. Facilè præſenti periculo nos noſtraq; ſubtrahimus; ſi vel Pontificis, vel Mediolanenſis potētiam augeri, velut in cæterorum iniuriam docuerimus; Paueſcet Mantuanus, Eſtenſes, Florentini; Neapolitanus, cum Pontifice indignantes aſpiciēt. Turbido hoc rerum ſtatu, ſatis ſit parta ſeruaſſe: Sors olim obueniet, vt aucturi propria, nullâ cuiuſquam efficaci iniuriâ ſimus. Quare cum Ludouicus Sfortia imperio adſpiret, quod niſi ſubſidio reliquorum, habere ſe poſſe cognoſcit; & recipiet gratiam ab ijs, qui annuerint, & reddet. Nec datam coniuratis fidem æſtimetis; plus ad perfidiam ſpes dominationis facit. Gōzaga totiens nullo quæſtu bellis Italiæ mixtus, totiens in pace omiſſus, nullo laborum pretio; concordiæ nomen horreſcet; vt nunquàm maioribus ſuis,

ſic nec ſibi profuturum. Metuet Eſtēſis ne ligatus amicitia Ludouicus, ipſe ſolus periculo, & vindictæ obijciatur; quòd primus hoſtilia tractauerit. Satis inter diſcordes, & priuatis ſtudijs diuerſos, pacis nomen fuerit: Et decertabunt, qui nunc minaces inſtant, cui gloria quietis imputetur. Placuit conſilium; & quia ſecuri euentus non erant; grauique per hyemem cœlo, præliari nō poterant, diſpoſiti per hiberna milites, actiq; noui delectus ſunt; ſi forſitan appetente vere, conſilia non reſpondiſſent. Pro confœderatis octo equitum, quindecim peditum millia numerabantur. Adderat cum Mille equitibus Franciſcus Gonzaga, Federici Marchionis filius, intra decimum ſeptimum annum, miſſus à patre; vt nobiliſſimo bello, ac maximis ducibus militiæ aſueſceret; Auiq; ac Patris exemplis tyrocinium obiret. Et adoleſcens alterum iam annum, virilia munia perſtrepuerat; orauerató; patrem, vt ſe armato exercitui ſiſteret; quò decus familiæ, ſibi lauream reportaret; præſagio haud dubiè futuræ virtutis. Sexdecim millia ſub ſignis Veneti habebant; minor numerus, ſed concordiâ potior; quæ vna inter fœderatos deſiderari videbatur. Suſpenſos animos, & quid tanti motus in futuram ętatem pararent neſcios, grauiter erepti Franciſci Cardinalis Gonzagę, Apoſtolici Legati, Federici fratris, nuncius affecit. Nec minori curâ Romani tacti ſunt; quorum decori, viri nobilitatem, ac regiam munificentiam pluximùm addidiſſe, diutius experti fuerant. Vixerat pace ac bello iuxtà probatus, Sedis Apoſtolicæ exiſtimationi, Cardinalium auctoritati, ſuorum præſidio aſſiduus: externis potius, quàm ſibi natus videbatur. Iam in egenos profuſam largitionem, & ſubleuandis miſerrimorum fortunis ſtudium, vniuerſa Italia gratâ memoriâ recolebat. Federicus ipſe amiſſum fratrem, quem mutuâ caritate proſecutus ad miraculum fuerat, vltrâ ſortis humanæ conditionem indoluit: Nam filio ac toti familiæ rectorem imponere, pietatis certus ardentiſſimè concupiuerat. Bononienſes multis cum lachrymis funus proſecuti, iuſtitiam, munificentiam, pietatem teſtati ſunt. Quippe cum in luxum effunderet, in inopes nullâ lege erogabat; ſtabili domi præcepto, vt ſemper daretur. Non alio Principem à plebeio diſtingui, minuſque gloriæ reſponderi crediderat, quàm ſi recipiendo omnes delaſſaſſet, ipſe inopiam experiretur. Federicus quidem belli expenſis hauſtus, modum effuſionibus orabat; ſed irrita parſimoniæ memoria erat, apud Principem, qui nondum intra virtutes recepiſſet. Eâdem hyeme, vniuerſus Brixianus ac Bergomenſis tractus, hoſtilibus copijs ab Alphonſo Calabrò, ac Mantuano Marchione habitus eſt; tantiſq; anguſtijs obſeſſi ciues arctabantur; vt non ingredi, non egredi, niſi manifeſto vitæ periculo liceret; diſpoſitis etiam per viarum effugia militibus, ne quid commeatus importaretur. Harum Vrbiū fortunâ, vicinæ quoq; malè habitæ: Non enim promptū iter, induci victui neceſſaria, non viæ ſecuræ mercaturam exerceri ſinebant; ſed cum intus fame, & rerum omnium indigentiâ conflictarentur; nullum deforis ſubſidium opperiebantur. Tum primùm, cœpta conſilij executio, quod appetente hieme Contarinus celebri Senatu dederat; & progreſſus inimicorum accelerabant.

Mors Franciſci Cardinalis.

bant. Miſſæ ad Ludouicum incerto auctore epiſtolæ; monebant, ne Alphoſo fideret. Quòd tenuem Calabriæ poſſeſſionem, & Turcorum incurſibus obnoxiam, opulentiâ Longobardæ ditionis augere ſatageret. Manere adhuc memoriam ſupremarum tabularum, quas Philippus Vicecomes Regis Neapolitani ſtudio formaniſſet. Eo Venetos pacto, fraudolento conueniſſe, vt lenti belli morâ abſentem fallerent, acceptisq; nouis à Pontifice copijs, ſimul Venetorum auxilio inſtructus, Comum, Carauaggium; quæq; eo tractu ſunt, ſui iuris faceret. Non meliori iure Sfortias, quam Aragones Mediolanum ambire; nec plurimis adminiculis niti; eius fore qui præualuiſſet, & cui Veneti fauiſſent. Sors auxit ſuſpiciones, & ambiguum fidei per vim illexit, vt doli ignarus, fraudem in amico crederet. Cum enim vltrò citroq; populationibus ac prædâ Alphonſi miles excurreret, parum abfuit, quin Comum ab incolis negligenter ſeruatum, occuparetur; tranſmeantibus manipulis; eoq; vniuerſi ex libidine vterentur. Miſerat Alphonſus literas, quæ non fortunam, ſed ſtudium ſui perſuaſerant. Vt ferè paratiores ſuſpicionibus ad peiora per vitium; quàm per virtutem ad meliora ſumus. Eò præcipuè Ludouicus cruciabatur, quòd cui res ſuas ac conſilia communicaret, non reperiret; non literarum, non auctoris, non deniq; ſacramenti Alphonſi ſecurus; ſimul augebantur, quòd cùm non promerentur, diuturniori recordatione fouerentur. Nec minus auctoritatis dabat veritas rerum, & cauſarum ſeries, ordine, modo depicta; vt verũ crederetur, quod eſſe potuiſſet. Hinc frigeſcere auxilia, & inimico quàm ſocio abſtinere cepit. Veronam quoque Ciuitatum Longobardiæ ſpecioſiſſimam, quamuis ingenti labore haberetur, ad Marchionem Mantuanum abire ægerrimè ferebat. Non enim temnendam eam potentiam fore nouerat, ſi Mantuano Veronenſes paruiſſent. Et vaſtæ quidem Ludouici ſpes erant. Dux ipſe Ferrariæ, importunitate, requirendæ à Ludouico pecuniæ, faſtidium concitauerat; velut agri ſui iacturâ, pecuniâ ſociorum ſarcire feſtinaret: nimius exactione, & rationibus improbabilibus. Fortè concordiam ſciebat; & tum lucri tempus eſſe, cum ſocij operâ egerent. Pacis in Ludouico Sfortiâ deſiderium, quamuis Federicum Marchionem lateret; non tamen torpeſcens belli vis fefellit: Quòd vocati Tribuni ac Centuriones vix obtemperarent; non ſigna, non ordines ſeruarent; ſed nec pœnam metuerent: tanquàm aut pace multâ ſoluti, aut iuſſi ſecordiam, contumaciamq; induiſſent. Iactis ergò per interualla queſtibus, quòd benè cœpta, indecorâ turpitudine omitterentur; Ludouicum iræ properum extimulauit, vt quod ante conceperat, efferret. Habebat aſſiduũ cubiculo Monachum, cui Ioanni nomen. Hic Venetorum conſilij gnarus, & pretio emercatus, concordiam ſuadere, ſpem imperij obtrudere, ſubſidiũ è Venetis oſtentare; Vbi paratum Senatus voluntati Ludouicum vidit, datis literis Procuratores Venetos docuit, quid facto opus eſſet. Ita miſſis clam Oratoribus, conditiones pacis arbitrio ſanciuêre; non Gonzagæ, non Eſtêſis, non deniq; Alphonſi conſilio, aut conſcientiâ vſi. Nec conuentionibus abnuendis vires apud fœderatos erant, quos propriæ res, ex futuro metus,

An. Venet.

Veneto-

Digitized by Google

Venetorum potentia, Ludouici cupiditas fregerant. Federicus vbi pacta concordiæ; & reddendam Venetis Aſolam, magnaq; agri parte, ad Pontemolinum ſua imminui vidit, doloris ac indignationis nimius, preces improperantes ad Ludouicum miſit: Non ea ſe nauatæ ſedulò operæ præmia, ex amico credidiſſe; vt in pretium pacis hoſtibus dederetur. Non expenſæ, non labori pepercisse, vt Ludouicus imperio potiretur. Neq; nunc alio animo eſſe. Ita commiſſo exercitui præſediſſe, vt Mediolanum manubijs, militem prædâ expleuerit. Capta Brixiani ac Bergomenſis agri Caſtella, intacta reddidiſſe; vt reiecta dominandi occaſio per malas artes, innoteſcat. Non ſe primum ſed maiores quoq; ſuos, pro Sfortijs pugnaſſe; datumq; familiæ, conſtantiæ ac fidei documentum, cui credi poſſit. Deniq; obteſtari datam fidem, Deum fraudis ac ſordium vltorem, iacere; & quas recipiendę vindictæ vires ex ſe non habeat, aliorum ope adauctas oſtendere. Sed iam, pacto Veneti cum Ludouico conuenerant; vt Federico inanes lamentationes non proficerent. Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quarto, fœdus Ludouico ac Venetis initum. Vbi Marchio irritum laborem, diſpendium, & ſeproditione amicorum, nullo amplius remedio, deſolatum vidit, Mantuam Iulij initio redijt. Superſtites adhuc inter Patritios contentiones depræhendit; & miniſtri perſcripſerant, ne diutius cunctaretur. Ergò præſentiâ Domini integrè conquieuêre. Sed non Federicus ſolari, non pacem ſibi inhonoram, diſpendioſamq; tolerare gnarus, languore animi; & aſſiduis in defectores querelis delaſſatus, graui morbo, ſub Menſis finem, naturæ cōceſſit. Ad famam obitus, non dolore; ſed velut onere ſolutus, altè Ludouicus Sfortia reſpiraſſe fertur; tanquàm ereptæ luci ob pudorem reſtitutus. Exceperat enim turpitudinē; & non vindictâ potius quàm verecundiâ Marchionem auerſabatur; vt perfidiam & inconſtantiam improperantem. Proſecuti Mantuani cum gemitu, tanti Principis memoriam feruntur; quos pietate, ac liberalitate deuinxerat. Multorum nobilium cenſus; non flagitio, ſed virtute, aut fortunâ imminutos iuuerat. Mercaturæ fidem, diſpoſito per menſas ære ſuo retinuerat: Ornatui Vrbis, templorum cultui aſſiduus; & ſummâ in filios curâ; vt lubricum iuuentæ innocui excederent. Superſtites liberos tres reliquit, Franciſcum, qui ſtatim rerum potitus eſt; Sigiſmundum poſtmodùm Cardinalem, ac Ioannem. Eodem numero filias: quarum Clara Borbonio Duci; Magdalena Ioanni Sfortiæ Aragono Cotignolæ Comiti, ac Piſauri Domino; Iſabella Vrbini Duci denupsêre. Agitatas multò ante conditiones pacis, Veneti ac Ludouicus, in Auguſtum menſem ſuppreſsêre; ſiue quòd conuenirent; ſiue ne minores cognitione læderentur, ideoq; turbarent. Sed vbi exceſſiſſe Federicum Marchionem accepêre, Auguſti ſeptimâ, tradito in ſimilibus more, Mediolani primùm, mox Venetijs euulgarunt: Magno haud dubiè dedecore, cum non Mantuani, non Eſtenſis ratio vlla haberetur; quorum ſanguine ac virtute, ardua decertationis conſtiterant. Vix inter damna Patriæ mors Federici, maiorum æſtimatione cenſebatur; nam quæ pacem ambiguam redderent plura erant: Graues inter

1484.

Federici mors.

Ludouicum Sfortiam ac Regem Neapolitanum iræ, quas Sixti Pontificis auctoritas, Florentinorum aſtus, Veneta potentia fouebant. His aut concordibus, aut bello decertantibus, nîl ſecurum in Ciuitate erat, medio inter vtroſq; ſitu, & neſciâ quietis, ſi arma oſtenderentur. Federicus Marchio pacis ac belli arbiter, vt tumultuantes dum vixerat, conſilio, auctoritate, etiam metu continuerat; ſic defunctus licentiâ audêtiores reddiderat. Sed & Federicus Imperator, ſuorum externorumq; bellis implicitus, fluxam cũ Gallorum Rege pacem ſanciuerat, cui ne ipſi quidem crediderant. Diuerſa Sixti, ac Innocentij octaui ingenia, magnos quoq; motus exciuêre; ambiguis qui priorem fidem ſeruauerant, an accederent; vel ſuſcepta ſemel arma, in cuiuſcunq; monſtrati perniciem conuerterent; potiorem turbatis rebus ex pacto (quamquàm per flagitium) concordiam, quam obſequij laudem, per modeſtiam opinantes. Eſtenſis præterito cum Venetis bello fractus, inuidiâ amiſſi Poleſini, quietem; nullis contra honeſtis vindictæ inſtrumentis præferebat. Tempus quoq; repetendæ ditioni, aut occaſio exerendæ indignationi parum opportuna erant; nemine alienam cauſam, proprio diſcrimine agitare auſo. Nec qui Mantuano ſtuderet deerat, nusquam auidioribus Italiæ Principum animis alieni, quàm per hæc tempora; quibus non honeſto, non æquo, ſed dominationis deſiderio omnia æſtimabantur. Franciſcum quoq; Marchionis Federici filium, intra annum decimum octauum, nullis propè tutoribus, & Aſolâ, Peſcheria, Lonato, à patre nõ receptis, per neglectum recolebant; vt virium & ingenij inualidum. Iuratus Chriſtianorum hoſtis, ſuis inquies, noſtris inſenſus, Thraciam, Pannoniam, Illyrium incurſabat; tanquàm Europęos Principes concordiæ admoneret. Priuatis ſingulorum odijs, communis formido accedebat; vt iam iam effringendæ conditiones pacis, & minores eâdem ruinâ trahendi crederentur. Nos inuictiſſimi Principis res geſtas, continuatione euentuum, ex vero proſequemur: ne in minoribus ſoluti, arctiores in maioribus depræhendamur. Neq; tamen huius, aut reliquorum famam, dicto aut ſcripto externorum, ſed fide auctorum, qui eadem tempora incurrerunt trademus: Non incurioſâ prorſus eâ ætate ſacrandis poſteritati virtutibus, ex queïs Illuſtriſſima familia, totâ duratione rerum benè audiet. Ad Iulij finem, Milleſimi quadringenteſimi

Frãciſcus ſecundus Marchio. octuageſimi quarti plebs ac primores, adoleſcenti Marchioni, publicâ Caſtri Mantuani plateâ ſacramentum dixêre: Obſequioq; dedêre nomina Senato-
1484. res, equites, milites, ciues; tantâ contentione animorum, & æmulatione officij, vt veteris Domini tam citò oblitos crederes. Et licet bellatoris ſpeciem præſeferret, belliq; ſtudio ardere videretur, (quod iam continuatione plurium annorum, vt improficuum Ciues auerſabantur) quietem tamen ſperabant; quam indita virtutum ſemina præmonſtrabant. Inerant iuueni, quæ vulgum raperent, decora corporis proceritas, formæ honeſtas, ingentes ac maieſtatem ſpirantes oculi, ingenui animi ſignum verecundia, comitas in ſubditos, in nobiles, ſenes, aut ſacris deſtinatos reuerentia; munificentia ſupra vires; pietas in reos vltra leges; clementia in infenſos vltra debitum.

Digitized by Google

Id ſolùm carpebatur, quòd ciuiles curas aut omitteret, aut miniſtris delegaret. Vbi pro Tribunali Principem locum tenuit, cunctorum ordinum viris præſentibus, Carolus Hiſpaniolus, orationem habuit, meditato themate; ne profuſis laudibus Marchio gloriæ auidus, ſui exiſtimatione tumeſceret; aut nullâ commendatione, laborem qui virtuti impenderetur, inutilem reputaret. Data in exemplum, cuius veſtigia calcaret, tota Auorum ſeries: Quos inter pauci, quietem aut otium prætuliſſe; plures bellis, & concuſſæ Longobardiæ motu, prudentiam, fortitudinemq; ſectaſſe oſtentabantur. Nec tamen vno omnes filo ducti; ſed Aloyſius prudentiâ; Guido ſenex,erga ſenem Parentem obſequio; filios caritate, exteros modeſtiâ; Ludouicus ac Franciſcus honeſtâ, & ex ratione,vi animi; & faſtu erga flagitiâ; Ioannes Franciſcus gloriæ cupiditate per virtutem; Ludouicus cum prudentiâ ac fortitudine nobilium liberaliumq; artium decore; Parens fide, non proſperis, non aduerſis mutatâ commendati: Et datum in Patriâ ac militiâ documentum referebatur. Admonitus proindè iuuenis, non longè domo petitis exemplis, iuuentam efformare; nam famam,factorum pondus ſequi. Nec diuerſam ſibi indolem,alios natales; & eaſdem benè audiendi occaſiones eſſe; ſi tritam à prædeceſſoribus viam gloriæ inſiſtere voluiſſet. Cætera Principibus concupita honorem, opes, gloriam,apud diſſitos bonam famam, ſtatim affutura. Vt enim ignorari Principes impoſſibile; ſic alio nomine, quã quo promeruerint referri, extra conſuetudinem eſſe. Subditorum quoq; deuinctos obſequio animos expoſuit: ſiue ciuilibus, ſiue bellicis curis incumbere; ſiue Mantuæ, ſiue apud diſſitos agere maluiſſet. Oratus poſtremò, vt ſubditos, filios crederet; foueretq; clementiâ ac pietate; quorum amore,magnum ſibi nomen immineret. Eam præcipuam magni viri poſſeſſionem,pro quâ opes, labores, ac ſanguis ipſe optimè impendatur. Obſeruatum quippe non niſi apud ignauum bonam famam cum virtutibus negligi. Vbi hæc ſerie retulit, flexit ad vicinorum amicitias, Cæſarum munimen, ſuſpiciones, ſpes, metus; quæ multò ante gnara adoleſcẽti, domeſticorum relatione, Paternis præceptis: ſingula eo temperamento ac elegantiâ proſecutus, quæ attentum Principem cæteroſq; redderet. Reſponſum à Marchione eſt, impræmeditata oratione; ſed quæ tamen fidei & efficaciæ non egeret. Non ſe Imperium incipere, vt ſæuitiâ miſeros inſequatur; aut negligentiâ optimos deterat; ſed vt quieti ſingulorum, Patriæ commodo prouideat. Eadem ſe Patris mandata recolere; & longè plura iniuncta, quàm Ciues ſui requirant. Bellum non niſi pro ſuâ, aut ſuorum pace; propulſandiſq; iniurijs ſuſcepturum. Vbi vniuerſa populo ſuo ex voto eueniſſent, gloriam armis quæſiturum; & pro virili, longè à Patriâ diſcordias habiturum. Imbutum ſe armorum deſiderio; nec tamen niſi honori ſuo, vtili ſuorum tractaturum. Annonam cum rigore; iuſtitiam ac pœnas æquitate curaturũ; delecturumq; miniſtros, apud quos ius faſq; valeat. Vbi fauſtis ominibus, & lætis populi acclamationibus exceptus eſt, miſſilia in vulgum fuſa; aurea, & argentea ſtipes, quam tum cudi iuſſerat, ſparſa. Exuto læto cultu, poſtero die, Senatores, quiq;

Parenti conſilio affuerant, acerſiri iuſſit. Leonardum de Caprianis, Paulũ de Andreaſijs, Franciſcum de Capilupis, Andream de Buccamaioribus, ex equeſtri ordine: E togatis Pompilium Zuccarinum, Flauium Negrum, Iuſtum Polum. Nam Federicus longâ aſuetudine didicerat, diuerſa iuris ac facti conſilia eſſe; & vt diuerſa ſunt agendorum præcepta, otij & belli; domi, foriſq;, ita nobiles ac plebeios contraria præcipere; & proprijs quoſq; artibus, decentius conſulere; neminem omnibus ſufficere. Simul Franciſco memoria erat; quæ Pater prudenter tenuiſſet, aut vtile crediſſet, cum ratione fuiſſe; accepto à ſingulis iudicio, & ſibi deliberatione reſeruatâ; quæ plurium ſententiarum æſtimatione, quàm nullo exterius præſidio, ſecurior habetur. Iam inter ipſos, qui curę rerum aderant, æmulatio, diuerſitas opinionum, & per ſecretum inſectatio, documentum Principi dederant; caueret miniſtros nimiũ aſſentantes, aut conſilia nõ alio nomine explodẽtes, quàm q̃ ipſi non attuliſſent. Cæterùm veteres vtiles viſi, donec imperij ſecreta eruerentur, menſes aliquot doceretur; vt in poſterum nullius præceptoris egeret; & inter negociationes depræhenderet, quorum prudentiæ, fides, communis vtilitas, nulla propria anxietudo necteretur: Tum ſi expectationi reſpondiſſent, retineret; ſatis ſecurus nullâ mutatione profici, ſi experti virtutis ac fidei poſtponerentur. Vbi affuêre (ſi ætatem, & rerum experiẽtiam æſtimes) ſic ad miraculum locutus fertur: Nondum conſultores integerrimi, perfectum ætatis attigimus, & cæterorum cura proſequenda eſt: Quam tamen, vel noſtro diſpendio tractandam ſuſcipio; certus plus Patriæ, quàm mihi ipſi concedere. Sed quia immenſum Reipublicæ corpus, annonâ, æquitate, iuſtitiâ, intra ſuos, exteroſq; collatâ, vnius adoleſcentis prouiſu tolerari non poteſt; niſi ſapientiores accedant, qui laborum parte me ſubleuent; vos à Patre optimo delectos, recipio; quorum iudicio res meæ, res populi fulciantur. Satis ſuperq; Principi officio reſpondiſſe videor; ſi iuſtitiæ adminiſtros, ex populi famâ, prædeceſſorum meorum commẽdatione præficio. Nec ſubditi de ijs querentur; quos ipſi iudices approbauerint: Vobis enitendum eſt, vt miniſterio cuiusq; bona fama, opinioni meæ ſucceſſus reſpõdeant; neque ego imprudentiâ, vos iniquitatis opinione circumferamini. Ego Deum vltorem, vos etiam Principem habituri eſtis. Sed virtute integrâ, præmijs indefeſſum; ſi caritate in populum, in Principem veſtrum fide incorrupti egeritis. Sic firmatos dimiſit: Andreaſium tamen ac Polum, ſecretò maximis promiſſis onerauit; vt nullâ mutuâ conſcientiâ, præcipua agendorum proſequerentur: Deferrentq; ad dominum, quæ vix è publico foret excepturus. Sic mutua fides, & admiſſo tertio, vtriuſq; conſtantia, & caritas, cæterorum teſtimonio approbanda videbatur. Satis liquet, non alio in ſimilibus præceptore vſum Franciſcum, quàm proprio ingenio, & impetu naturæ, quâ duce rebus magnis par, & ſui maior videbatur. Vbi Ciuitatis quieti, quantum humanâ induſtriâ ſuccurri potuit, prouidit; vniuerſa eius ſtudia in Annonâ verſa ſunt: Quod Ciuium concordia, in mediâ rerum penuriâ haberi non poſſet. Graue Franciſco videbatur, Ciuitatem fœcundiſſimo Italiæ agro

ambitam,

ambitam, longè latèq; patente campo, quamquàm bellis agitatam, externi ſubſidij, & aduectis aliundè alimentis egere; quæ ſolita pridem fuerit, accolas Vrbes, opulentiâ frugum, ad ſatietatem annuam explere. Vbi de remedio conſultatum, manifeſta cauſa, ruſticorum inopia, ditiorum auaritia depræhenſa eſt: Sancitumq;, datis in eam rem præfectis, fidei incorruptę, ne quid agri inculti omitteretur, vt inopia mutuò ſubleuaretur, commeatus in exteros non aueherentur, nemini quod è ſuo nō collegiſſet, plus quàm vſui familię ſuffecturum mercari liceret, vt pluris expelleret. Poſtremò pars ſegetis, meſſis tempore, vulgato pretio, paupertati ſubleuandæ (Montem Tritici dicebant) deputaretur; vt magnâ anni parte, nullâ auctione miſerrimi nutrirentur. Vectigalibus impoſiti, quos longior ſeruitus, virtute & fide commendauerat. Iuſſi nîl per auaritiam, aut ſæuitiam exprimere; hec in miſeros hoſtâ, aut condemnationibus ſæuire. Cenſus deinde actus, repertaque toto Mantuano, hominum Centum viginti octo millia, Ciuium triginta duo. Reditus Marchionibus exſolui ſoliti, Centum duodecim millium aureorum erant; tenuis prouentus, ſi præſentibus conferatur; ingens, ſi vulgaria ſpectentur. Sed diues Prouincia, tritici, vini, ferinæ, pecudum copiâ, multò maioribus, opulentior erat. Vrbis ſtatu in hanc formâ diſpoſito, domeſticis præcipiendis acceſſit; tantâ animi magnitudine, vt regia munificētia vilior, crederetur. Nobiles à cubiculo, quiq; miniſterio per interualla aderant, Sexaginta cenſebantur. Cunctis natales & inſtituta, ſimulq; opes Patritiæ erant. His è Principis domo alimenta, equi, famuliq́ue deputabantur; etiam arma, quoties bellādum foret. Infimis ſeruitijs quingenti numerabantur; Quibus armorum, rerumq; cuſtodia, equorum ſtabuliq; cura; necnon vilior ſeruitus incumbebat. Equites ſexcenti, Mille pedites, licèt ſummâ pace, in armis erant; aduerſus ſubitos motus, improuiſosq; præſidium. Ferè intra Vrbem erant; niſi Domini imperijs amandarentur. Stipendium ære publico, & collatâ à paganis pecuniâ pendebatur. Centuriones nobiles imponebantur; veteresq; militiæ. Maius equorum ſtudium, quàm quòd Marchionem Mantuanum deceret, erat. Bello electiſſimi centū nutriebantur, intra domeſticas ædes: Vſui domeſtico, ac quadrigis par numerus, quorum promiſcuus vſus erat. Quamquàm varijs ditionis partibus, propagandæ ſoboli, fœmellæ ducentum eſſent. Et vt regio cultui omnia reſponderent, venationi neceſſaria pari ſumptu quæſita; Ducenti canes, Cētum aues ad rapinam. Quibus omnibus, eam ſpeciem magnificentiæ induerat, vt Principi ſplendore, ſolum Franciſcum Italia memoraret. Ipſe quò plus laudis, eò acrius famæ inſiſtere; ne minor commendatione, aut expectatione eſſet. Miſerrima ea ſeruientiū conditio, cum Principem nacti ſunt, luxui ac voluptatibus deditum; nullis gloriæ, aut honoris ſtimulis excitatū; & fœlicitatem in affluentiâ, non exiſtimatione præſumentem. Quippè, non officium, non virtus, ad obſequium ſatis; ſed communi malo, ij tantùm accepti, qui læſuras blanditias ingerunt. Poſt hæc Franciſcus præcipuis amicorum admonentibus, morbum fori curare aggreſſus eſt; familiares contentiones

Cenſus Mantuanus ſub Franciſco.

tiones in longum trahi, & immortales lites edoctus. Ergo ſtatuit, ne cauſę,
quibus quatuor aureorum ſumma verteretur, ambagibus tractarentur; ſed
compendio finirent: quibus plus petebatur, definitum actionis tempus ex
lege eſſet. Nec vllis inquietorum precibus euinci potuit; quò minus pro
rato haberi vellet; quod veteri conſuetudine, ac Pontificum decretis olim
cautum fuerat: Annitente Iulio Folengo Cleri libertatem conuellere; ia-
ctis velut in caſum vocibus, quibus Marchionum iura, populi onera, cauſæ
diſcordiarum dicebantur. Pupillis, viduis, & inopiâ conflictantibus, pro-
curatores ac Patronos è publico aſſignauit; ne potentia honeſto præualeret:
ſuus Senatui, equitiq; locus ſeruatus, vt cum procul confuſio eſſet, natalibus,
officio diſtingtterentur. Poſtremò de vectigalibus augendis actum; quòd
nonnulli vt publicis calamitatibus gratiã ſui Domini aucuparentur, propo-
ſuerant. Aſſiduis bellorum expenſis, hauſtum Principis ærarium: Admini-
culo Marchionem egere; ſiue id priuatis eius vtilitatibus, ſiue noui belli mo-
tu foret inſumendum: Subditos Principibus filiorum loco eſſe, quos enutri-
ri, ſeruari, foueri; iura, & populorum conſuetudines præcipiant: Vbi neceſ-
ſitati prouiſum foret, tum reddendam populis præſtiti obſequij gratiam; &
remittenda vectigalia; vt etiam ſubditis aliquid accedat. Principatuum ini-
tia in arduo eſſe; nec ſine pecuniâ porentiam, aut exiſtimationem ſeruari:
Quamquàm vtrumq; populorum bono rependatur; Minimam per capita,
pro agri magnitudine portionem, magnam ſimul acceſſionem eſſe, Principi
ſuffecturam, ſuis exilitate vix percipiendam. Et ſi fugiendum vectigalis no-
men ſit, odio nominis, aut turpitudine, poſſe exigi donatiuum, mutato vo-
cabulo acceptius, & iuxta vtile: Ad extremûm temnẽdam vulgi garrulitatẽ,
irrito queſtu caſuram; & quæ ne optimis quidem, & temperantiſſimis Domi-
nis ignoſcere nouerit. Hæc ac ſimilia ſpongiæ illæ, hyrudineſq; propone-
bant; quibus contrâ diſſerebant, iuſtitiæ, ac dominantium honoris pruden-
tiores: Exoſa vulgo onera in pace, in bello intollerabilia eſſe. Ibi quòd nul-
lâ neceſſitate imponantur; hic quòd non vno nomine laborent. Tantum è
publico Principi collatum, quantum vſui ac luxui ſufficiat. Cæterùm non
ſolùm magnitudinem cenſus; ſed tempus, locũ, cauſas ęſtimari; quibus om-
nibus occaſio deſit. Et plus apud exteros & ſuos poſſe famam virtutis, quàm
theſauros auaritiâ coactos. Fruſtra auiditatem alia ad vocabula transferri,
cum donatiui non alia quàm vectigalis ſit neceſſitas. Et ſi in pace ſubditi
onerentur; quando munificentiam affuturam? Certè imbellem turbam im-
punè opprimi, manere tamen apud poſteros, auaritiæ, ſæuitiæq; memoriam.
Nihil autem Principi honeſtius quàm bonam famam; & quæ vel certo vitæ
diſcrimine quæratur. Initijs regnorum captandam populorum caritatem;
& hinc futura præſumi. Quid ſpei in poſterum ſi Principia ſordeſcant? au-
cto cenſu Domini, & geminatis oneribus, imminui vectigalia; quod plebes
decreſcat, mercatura negligatur, nobiles deſolatis agris, minus recipiant.
His permotus Franciſcus; & reperta denuò ab inquietis vectigalia reſpuit; &
iam vſu nota, quintâ parte imminuit; datâ ciuibus ſpe maiorum; ſi quies

Patrię,

Patriæ, atq; adeò Italiæ eueniſſet. Id vnum ſolitæ ſeruituti addidit; vt bis quemq; in annum, ſe miles coram tribunis ſiſteret, arma, equumq; oſtentaret; & an militiæ idoneus eſſet, vſu approbaret. Nec tantùm Mille ac ſexcenti qui continuò ſub armis erant, eò præcepto illigati; ſed vniuerſa totius ditionis militia; vt nunquam imparata depræhenderetur. Fęlix certè Mãtua his legibus; & tali temperamento erat; ſi aſſiduum Principem habuiſſet; nec cura eorum quæ optimè ſanciuerat, remiſiſſet, cum toties extra Patriam profectus, miniſtrorum fidei executionem credidiſſet; quæ eò languidior erat, quò longius Dominus abfuiſſet. Innocentius Octauus Pontifex, tum Romanæ Eccleſiæ præſidebat, Neapolitanâ ac Genuenſi nobilitate celeberrimus; quemq; pietas, & facilitas, cunctorum votis, dignum reddiderant; recenti adhuc Italici belli memoriâ, ortâ inter Florentinos ac Genuenſes, ad Serzanam, & Petraſanctam diſcordia; & Columnenſibus, ac Vrſinis perpetuò dimicantibus. Suſpecta quoq; Ferdinandi Neapolitani Regis fides erat: Non Vrſinis, non Columnis, niſi ex vtilitate vſurpata; & in ſubditorum audaciam paratâ vindictâ. Quantum prudentiâ ſopiri diſſenſiones accolarum, & ſuſpiciones potuêre, à Pontifice inuigilatum. Supererat Imperator, cuius reuerentiæ aliquid ſtudij impendere Marchionem ex vſu erat: quòd Cæſarum beneficio liqueret, Gonzagos quamquàm ſummo loco ortos, temporũ viciſſitudine tamen pulſos, honori ac potentiæ reſtitutos. Ioannes Puſterla delectus eſt, qui erga Federicum Cæſarem, debito obſequij munere fungeretur. Miſſi equi viginti, militaris inſtituti gnari, & ante alios decori. Et Auguſtæ Orator celebri Comitio exceptus eſt; commendatione Marchionis à Proceribus additâ: & ab Imperatore iuſſo iuuene, de tutelâ ac gratiâ optimè ſperare. Vetus quoq; dominatio, regio Diplomate confirmata; addito conſilio; perſiſteret in amicitiâ; nec incerta rumorum pauefceret; ſi intactam fidem, quam maiores ſui ſeruauiſſent, ad extremum coluiſſet: Idq; anno Milleſimo quadringẽteſimo octuageſimo quinto, Iulij Viceſimâ quarta. Firmatâ dominatione; & nullo rumoris externi metu, cum decimum nonum Franciſcus ageret, nec Iſabella Eſtenſis ſibi promiſſa, nubilis cenſeretur; ne ſegne otium tereret, aut inanibus implicaretur, mores Italiæ, & adiacentium populorum, mentito habitu ediſcere, animo concepit: Tanquàm vitæ documenta capturus, & eruditior rediturus; ſeu paci, ſeu bello componeretur. Comites octo, delecti, quibus non abſimilia, ſaltus, dimicationis, curſus, venationis ſtudia erant; ocio, ætati, labori congruentia. Remiſſâ Patriæ in Senatum curâ, velut ad longinquas venationes profecturus Goitum primò, mox Brixiam, & Mediolanum profectus eſt. Reperit tutoris nomine, ſummum Vrbis imperium Ludouico Sforttiæ eſſe; vniuerſaque apud Ciues & exteros arbitrio ſanciri: Imo Senatus Veneti fauore, quidquid potẽtiæ cuperet, imminere. Dies aliquot immoratus, nec à quoquam agnitus, parari Venetijs equeſtria certamina, ob conceptam ſopitis totâ Italiâ bellis lætitiam excepit. Præcipua laureæ ſpes, in Leone, Ludouici Sforttiæ notho, & Riccio quodam è plebe credebatur. Quamquàm & alij ſeſe dimicationi

Franciſcus mittit Oratores ad Cæſarem.

A quo recipit inueſtituram Mãtuæ. 1485.

Peregrè proficiſcitur.

cationi

cationi accingerent; aut propriâ cupiditate, aut illuſtrandæ feſtiuitati, à potentioribus miſſi. Glorioſum id credidit Franciſcus; paratiſque exercitio neceſſarijs, quibus nobilitatem, non Principatum præferret, Pado Venetias deuectus eſt. Et ne conſuetudine Venetorum agnitus, pulcherrimam occaſionem corrumperet, dies plures cubiculo abditus tolerauit: Nuſquam publico, niſi die medio armatus, aut per nocturnas tenebras, egreſſus. Vt dies pugnæ affulſit, duobus famulis comitatus, ſeſe pugnaturis conſpicuum, Diui Marci Plateâ obtulit armatum; ideoq; incognitum: Et Riccium quidem, faſtu ac petulantiâ tumeſcentem, primò congreſſum virtute repreſſit; mox Gallorum aliquot; & Petrum Coſſam Neapolitanum, in quem æmulatione virtutis acrius ferebatur. Sed Leo Sfortia Parentis fauore, Venetorum ſtudijs, nimius oſtentatione erat; adeò vt imprudentiâ prorumperet; iactaretq; equeſtri Mediolanenſium virtuti, imparem totam Italiam eſſe; ſeque vice omnium cauſam armis ſuſtẽtaturum. Riſit Franciſcus; & propius ſuggreſſus, inclamauit; non illum verborum ac iactantiæ locum eſſe; nec Mediolanenſium virtutem carpere; ſed ſe totius reliquæ Italiæ partes ſubire; & haud quaquàm Mediolanenſem eſſe. De honore (inquit) hodie inter nos decernatur: & victus fortiori equum, atq; arma, teſtimonio virtutis permittat. Leo pactis ſtatim acceſſit, & è medio in carceres aduolauit. Magna vis animorum in vtroq;, fortitudinis plus in Franciſco erat; ſed vulgi ſpes potior, ac vota pro incognito; quò honeſtior victoria fuit; ter præcipiti Leone; & cõceſſis publico armis, equoq;, pretio virtutis. Hinc vniuerſa Vrbs, victoris gloriam celebrare; neſcia quem laudibus ferret; & conditionis anxia hærere; ne fama laborq; deperirent. Viliorem eâ causâ gloriam Franciſcus credidit, quàm vt æſtimaret, profitereturq;, ſatis ratus facti conſcientiam eſſe; maximè ſi fortiſſimi æmuli ſpolia in Patriâ oſtentaſſet. Facilè illâ Leoni trãſitum fore; ſiue ſponte, ſiue hoſpitis precibus acceſſiſſet. Amicum quin etiam Mediolani Gonzagæ nomen erat. Nam quidquid ſuſpicionum, aut odij interceſſerat, vnâ cum Federico Parente euanuerat. Vix noctem ſequẽtem Venetijs immoratus, celeri nauigio, ac citis equis Mantuam reuertit; vt aduentanti Leoni obuium ſe daret. Tactus quippe iuuenis gloriæ deſiderio, malè cupiditatem ſimulabat; quocunq; facinore, ſi cum virtute eſſet, honorem ſectaturus. Leo ſecretior itineri inceſſit, lucem ipſam velut exoſus, & dedecus fugâ ac ſilentio obuelans: Miſſi tamẽ obuij, qui Principem iuuenẽ, officio, precibuſq; retinerent. Et Franciſcus haud longè Veronâ obuius, neceſſitatem diuertendi Mantuam fecit: Veſpertinæ epulæ luxu caruêre: celebritas, cultuſq; regius, in ſequentem dilatus eſt. Hic vbi vino incaluit; & ſuam turpitudinem nemini adhuc cognitam opinatur; non aſpernandam victoriam apud Venetos, ex pleriſq; nobilibus habitam per iactantiam retulit: Sed nobili cuidam congreſſum, arma, equumq;, & quod magis excruciat, honorem conceſſiſſe. Tacuit Franciſcus; addito ſolùm, plus interdum fortunam, quàm virtutem poſſe: Nobilibus tamen Ciuitatis in ſequentem equeſtre certamen indixit; & vt habitu cultuq; decoro, magno hoſpiti ſe ſiſterent,

Pugnat cum Leone Venetijs.

ſiſterent, præcepit. Leo noui certaminis deſiderio languebat; vt oblatâ occaſione, præteritam ignominiam corrigeret. Iam campus claſſico perſtrepebat; & pleriq; armati obequitabant. Cumq; Leo ſeſe in cubiculum, vt arma indueret recepiſſet; miſit Franciſcus vniuerſa, quæ Venetâ victoriâ habuerat; addens, ea Marchionem dono dare, vt ad ſuos integrâ exiſtimatione reuertatur. Leo magnitudinem animi,comitatem,munificentiãq; miratus, vbi grates egit, certamine abſtinuit: Vt quando à ſolo ſe Marchione ſuperari crederet, reliqui certamini ardentes ſecuram gloriam reportarent. Honor Paulo Caſtelbarco fuit, comiti Franciſci; & nobilitate conſanguinitateq;, educationis, ſtudiorumque ſocio. Mantuæ primùm, deinde apud conterminos vulgata res; cautiorem dictis Leonem,& plus gloriæ Franciſco tulit; vt qui tantò fortunâ maior eſſet, quantò fortius teſtimonia virtutis inania aſpernabatur. Dimiſſo hoſpite, Princeps Florentiam inuiſit, vbi Mediceorum liberalitate, non vt à ciuibus,ſed tanquàm à Rege exceptus eſt. Tandẽ Vrbem inuiſit; nemini cognitus: & omiſſo ſplendore, cùm aliàs nihil ægrius exueretur. Tracto apud Vrbem menſe, Principum Italiæ rationes,pecuniam, militem apparatum recognouit; & quòd ſecretis diſſenſionibus, ſuſpicionibusq; potentiorum, metus cum Pontifice belli eſſet, Neapolim conceſſit; viſendæ Ciuitatis curâ. Sed hîc quoq; tumultuantem nobilitatem, & ſemina noui tumultus depræhendens; ſimul Ciuium ſuorum literis, ac queſtu fatigatus, Mantuam rediјt. Nos Marchionis peregrinationem, mutato tantùm ſtylo proſecuti ſumus; quam eius à cubiculo nobilis, & itineris ſocius perſcripſit. Dignum æternitate iudicium eſt, quod de viſis gentibus Franciſcus, quamquàm iuuenis, apud ſuos protulit. Pugnaturos Principes, Mediolanenſi virtute, aſtu Neapolitano, Mediceâ pecuniâ egere. Adeò inexpertus præuiderat, his in bello ſeorſim magnas vires, iunctis indubitatam victoriam eſſe. Aucta Mantua per hæc tempora nobilium Ciuiũ numero eſt. Siue aſperiores Veneti, ſiue Ludouici Sforitæ violentia,metum adderet. Hos inter Petrus Arrigonus, cum Ioanne Donato filio, & vi magnâ auri; Mediolano, vt in ſecurum,Mantuam habitaturus conuenit,famâ Principis illectus. Vetus illi nobilitas familiæ erat; quam Duces Mediolanenſes honorabilibus Diplomatis teſtabantur. Habueratq; Iacobum Lodij Epiſcopum, & niſi præmatura mors obueniſſet, maioribus deſtinatum; arbitrum populi, Dominorum intimum. Altius quoq; ductâ memoriâ, Moreſcũ & Grieldum Martyres, ad Adriani vſq; tempora referebat; auſis vtriſque Seruatoris fidem,ſanguine teſtari, & ſpecioſiſſimam nobilitatem in poſteros tranſmittere. Secuti Mantuani Principes, Petri poſteros publicorum, aulicorumq; muniũ decore proſecuti ſunt; donec profectu meritorum, Comitatum domui intulêre. Eâ de gente Pompeius Arrigonus,doctrinâ, & (quæ apud Romanos Pontifices plurimùm valet) integritate; cum Rotæ cauſarũ Auditorem egiſſet, poſtremò etiam Purpuratorum ordini adſcitus, & decus ſtirpi addidit, & virtutem teſtatus eſt. Præuiſa animorum alienatio, inter Romanos ac Neapolitanos, vix reuerſo Franciſco, in multorum perniciem erupit.

Arrigoni.

erupit. Siquidem Ferdinandus Rex, Ludouicus Sforția, ac Florentini, manifeſtè diſſenſionem in Pontificem protulêre. Qui conducto Ruberto Sanſeuerino, pridem Venetorum Duce, ſatis rebus ſuis cauiſſe videbatur; exiſtimatione ductoris; & præſumptâ cauſæ iuſtitiâ. Miſſusq; illicò in Soranos, vt Regem ambiguis operatum, parte Regni ademptâ compeſceret. Nec fruſtrâ laboratum: Dedita Pontifici Sora, externum præſidium admiſit. Florentini viciſſitudine rerum, & experimento, quam quiſq; fidem ſequeretur, docti, Ferdinandum Neapolitanum fœdere illigauerant; ſiue Pontificis iniurijs, contumaciam reſpondere crederent, ſiue reddere pararent; quòd in aſperos dominantes nulla certior vindicta ſit. Mille ſexcentos equites miſêre; Regis auxilio, incerto hoſtibus itinere tranſmiſſos. Magnum quoq; ex Vrſinis præſidium inerat; qui opinione potentiæ, nobilitatis auctoritatisq;, flectere eò fortunam, quò inclinaſſent, credebantur. Hinc verſa rerum facies; & Sanſeuerinus regredi coactus; non ſuis, non agro Pontificio ſalutem tulit: vaſtatis Oppidis, & direptioni hoſtili permiſſis. Ioannes Galeatius, qui nomine tenus Dux; ſeu potius Ludouicus; quem penès vis erat, Ioannem Franciſcum Sanſeuerinum alterius filium; & virtutem Paternam fortibus auſis æmulantem, cum quingentis equitibus ad Regem miſêre: Arſiſſetq; bellum atrox, Romanis, cæterisq; luctuoſum; niſi Veneti debiliora iuuare ſoliti, Fracaſſum cum quingentis equitibus, & duobus peditũ millibus, ſuppetias Pontifici miſiſſent; monſtruosâ mutatione, in pacem, bellum, odia, amicitias tranſlati. Franciſcus Marchio, Pontificis, Regisq; alternis precibus ſolicitabatur; turpe otium abrumperet; & fatalem Gonzagiacis conatibus victoriam ſectaretur: Satis annorum, multũ animi, plurimum fortitudinis, ac conſilij habere; eſſeq; magnis operibus, ingentibus auſis parem. Ille iuuentam, promiſſum Eſtenſi coniugium, Cæſarem abnuentem prætendens, quam auidiſſimè aliàs cœpiſſet, gloriæ occaſionem, elabi paſſus eſt; vt turbato iam pridem Orbe facilè reuerſuram. Inculcatis enim literis Imperator Federicus, modò Pontifici, modò Ferdinando Regi, pacis bona incaſſum differebat; orabatq; iniurijs abſtinerent, ſuorum excidio terminandis: Deniq; reijcerent veteres ſuſpiciones, quarum memoriâ, facilis in bellum regreſſus eſſet: Suetam olim Sedem Apoſtolicam, etiam cenſuris Eccleſiaſticis, pacem inter diſcordes imperare: Quam nunc afflictis rebus ſalutem fore; ſi Papa turbidorum placito abſtractus, iras exercuiſſet? Cæterùm ipſe ſed atis Germaniæ quoq; motibus, concordiam, & duraturã populis quietem procurabat. Hinc frequentes cum Proceribus conſultationes: Ne conditiones amicitiæ, quas præſentes amplexati forent, abſentes abnuerent, & leges iuſti & exerciti. Annus erat Salutis Milleſimus quadringenteſimus octuageſimus ſextus, cum Federicus Cæſar, coacto Francofurti Principum Comitio, Franciſcum quoq; per literas euocauit: Non vt

1486. dringenteſimus octuageſimus ſextus

voto, Imperij commodis accederet (id enim Principibus Italiæ inſolẽs erat) ſed vt quem famâ nouerat, coram aſpiceret; æſtimaretq; an tali Duce per Italiam, pax aut bellum, honeſtis conditionibus, haberi poſſet. Profectus

Fran-

Franciſcus eſt nobili Ducẽtorum equitum comitatu; vt exiſtimationi fidem adderet: Habitusq́; à Cæſare ac proceribus, honeſtiſſimo loco eſt. Vbi plures dies de Germaniæ bono deliberatum; Federicus rerum quoq; ſuarum ſtudio, & ne ſucceſſor Imperij extra domum foret (iam enim quadrageſimũ ſeptimum Imperij annum tranſegerat) tacitis primùm negociationibus, mox apertis precibus efflagitauit, vt in Romanorum Regem, Maximilianus filius acciretur: Quem paterni mores, & ſpectata iuuenis indoles, commendabilem vniuerſis reddiderat. Idq́; decimâ ſextâ Februarij ſancitum, præſente Marchione; quem proceribus conſultorem, mediumq́; pater, ac filius obiecerant. Multa ab vtroq; ſigna caritatis Franciſcus retulit, & (licet è iuuene) Longobardiæ ſtatum diſcere, & quomodo Imperij iura haberentur, placuit. Vt Mantuam reuerſus eſt; legati à Ludouico Sfortiâ, (qui ſibi preſſo Nepote, dominationem quærebat) venêre; pacem, fœdus, amicitiamq́ue requirentes. Multa Ludouicum dubium ac ſuſpenſum habebant, conſcientia flagitij; poſtpoſitus nepos; ductu ſuo capta & nouo præſidio firmata munimenta; abſtracta vis pecuniæ; exacti miniſterio, qui vero Domino ſacramentum dixerant; & fidei venales, ſibiq́; parati, impoſiti. Obtentu tamen publici commodi, neglecta ſceleris memoria eſt; ſpesq́; enata, poſſe præceptam dominationem firmari; fidis Venetis, & Franciſco Marchione in partes tracto. Et quando debile ex conuicinis præſidium foret, etiam exteros cõuocandos, vt ſuſcitatum aduerſum ſe incendium, vel Patriæ ruinâ reſtingueret. Quæ fidiſſima conſilia, Bernardinus Curtius, humili loco & natus, & eductus; ſed mores aulæ ab iuuentâ edoctus, & prauâ prudentiâ vigens, dederat: acceperatq́; Mediolanenſis Arcis curam; pręmium facinoris. Quamquàm tantum muneris in imparem conferri, plures per ſecretum quererentur. Neq; Ludouico vtile hominem amoliri, vt quem ſtruendo, tegendoq́; ſceleri callidum nouerat. Quippe probos ſacrilegij ignaros, audiẽtesq́; futuros præſumpſerat. Miſſi ad Franciſcum nuncij, reſpõſum verbo tenus abnuêre; ſed vt ſcripto fateretur, peruicêre. Et literarum ſenſa erant. Credidiſſe ſe, longo ac multorum annorum miniſterio, Mediolani Duces, quæ ſua, quæ ſuorum fides erga amicos fuerit, didiciſſe. Non tamen aſſiduâ licet operâ, Gonzagos Principes adhuc deprædendiſſe cui fidere, cui ſe credere dubijs in rebus poſſint. Recentia laborum merita; & pulſos Mediolanenſi agro Venetos adhuc circumferri; ſed Oppida, & iure & pacto ſibi debita, apud alios eſſe. Nullam amplius honeſti curam, vbi vtilitas contra ſit, haberi; ſed amicitias proprijs commodis æſtimari: Non ſacris, non profanis abſtineri; non perfidiam, nomenve formidari; nec vllum flagitium adeò enorme eſſe, cui decoræ cauſæ; & formoſa vocabula non aptentur. Non fratrem à fratribus; non nepotes à Patruis (vbi Regni ſpes ingruat) ſecuros eſſe. Cæterùm ſe qui nullius iniuriâ impetitus ſit, ſtabilem in officio futurũ; & pro Mediolanenſi Duce, cuius auſpicijs maiores ſui, non ſemel pugnauerint, diſcrimen aditurum. Mutuam gratiam an relaturus ſit, in fortunâ ſitum; quam orari à ſe expediat, vt pro officio paria reportet. Ludouicus

Maximilianus dicitur Rex Rom.

Literæ Franciſci, ad Sfortiam.

velut

Digitized by Google

velut improperantes admiſſa, & vt ambigui animi eas literas habuit; quòd mereri ſimulationem, ideoq; reddi crederet; vtilitati nihilominus, non ſuſpicioni intendere maluit; tanquàm nouum Imperium paranti plus integritate, ſimulatio expediret. Hinc auctum Marchioni ſtipendium, miſſa dona; & ad viles preces vſq; inclinatum: Nilq; deforme creditum, dum criminis deformitas velaretur; & verecundia, ſcelus, expenſæ, occupandæ dominationi deſeruirent. Neq; ignarus Franciſcus erat, ſimilia per vim intrinſecâ à Ludouico tractari; & cum ſibi maximè metueret, ſupplicẽ agere; vbi prçualuiſſet arrogantiâ vſurum; neq; maiori in amicum caritate, quam Nepotẽ innoxium fore. Ergò parare pecuniam, exteras amicitias quærere, arma, commeatum contrahere, militem deſcribere, vt ſuſpectâ pace, regnoq; breui duraturis. Nam Ludouici dominationem ſcelere labilem, cætera conſenſu tracturam metuebat. Veneti quoq; plus ſolito anxij; ſiue iuuenis ſpes, ſiue Mantuanæ militiæ robur, ſiue hauſtum ærarium curas adderent; ſecretis literis Marchionis familiares vrgebant, oſtentatis præmijs, vt memoriâ malæ cum Sfortijs amicitiæ, fallaci Ludouico Dominum abſtraherent, flecterentq; in ſua; certâ ſpe meritorum. Se quidem Aſolam Mantuani agri poſſidere; ſed non abſtuliſſe, verùm à Sfortijs ac Vicecomitibus traditam; ſi quid virtuti ac conſtantiæ promiſiſſent, immutabili ſemper voluntate ratũ fore. Viciſſitudinem quoq; rerum, motuumq; æſtimandum; quâ poſſibile ſit Gonzagos olim Veneti auxilij egere. Nil tamen effectum, licet aſſiduis domeſticorum ſermonibus, quateretur. Id ſolum expreſsêre, eam ſe apud quoſcunq; amicitiam ſeruaturum, quam ex fide inueniſſet; & capturum in arenâ agendorum conſilium. Adeò quippe Aſola obuerſabatur, vt Veneti poſſeſſores nauſeam cierent, ſi quandò meminerant. Maximilianus Federici filius, Romanorum Rex, per hæc tempora, Philippi filij tutelâ, in Belgiũ conceſſerat; vt numero, opibuſq; tumentes populos, in officio, ſaltem præſentiâ retineret. Nec tamen praui adhuc animi ſpecimen dederant; ſed cõſilio viribuſq; validi, abſente qui imperaret, noui aliquid tẽtaturi opperiebãtur. Et expectatio reſpondit. Nam gens libertati dedita, nec alios quàm è ſuis Principibus tutores habere ſolita, in Maximiliani odium exarſit. Brugæ ac Gandauum, præcipua tumultuum ſedes. Nec facilè prouideri anguſtiâ temporis potuit; ſed coniecto in Carcerem Maximiliano, etiam peiora meditabantur. Id Federicum altè perculit; filij ac nepotis metu, pariterq; Cæſareæ maieſtatis contemptu. Itaq; deſcriptis, per vniuerſas regni Prouincias auxilijs, Franciſcum quoq; Marchionem honeſtate cauſæ, fidei debito, precibuſq; obſtrinxit; vt ſi quod ad manus ſubſidium haberet, transmitteret. Tercenti equites, quingenti pedites, Paulo Caſtelbarco ductore miſſi; datiſq; literis promiſſum, numerum æternum fore; neq; pecuniam defuturam. Se dubijs Italiæ rebus non ſuâ potius quàm Imperij cauſâ domi agere; vnde in cætera prouiſus. Sed rebellibus cauſa, Duceſq; deerant; & intra quartum menſem, Maximiliano libertas, cum dominatione reſtituta. Interea Franciſcus, modò ſuperſtagnanti Pado (quç præcipua agri Mãtuani cala-

Digitized by Google

calamitas) modò ornatui Patriæ, ſuſpicaci licet otio prouidebat; regiâ munificentiâ; cum cætera auarus eſſet. Non enim diuturnam Italis quietem, & concordes, hinc Ludouicum Sfortiam, illinc Neapolitanum Regem fore ſuſpectabat; quòd generum in ſeruitute haberi, & Patruum præripere dominationem videret. Mox Februarij initio Milleſimi quadringenteſimi nonageſimi, pactas cum Iſabellâ Eſtenſi nuptias celebrauit. Silente enim Italiâ, opportunam ætati ac tempori lætitiam rebatur. Nîl in Vrbe neglectum, quod faſtum, cultumq; principem requireret. Frequentia, ornatus, ſpectacula, conuiuia, feſtæ acclamationes aderant: procul ſimulatio. Puella à Patre, Matre, Fratre; ac Ferrarienſium nobilioribus Pado aduecta, & Mãtuam deducta. Excepêre longius à litore, Franciſcus, Senatus, Ciues, nec minus vniuerſa familia. Celebritati Pontificis, Galliæ, ac Neapolitani Regis legati; ac pro Imperatore Pragenſis Epiſcopus interfuêre. Veneti quoque, Florentini, Piſani, Genuenſes, Mediolanenſes, quique per Italiam opibus aut nomine clari erant, oratores miſêre, communem ſibi eam lætitiam teſtati. Quæ omnia, licet non Ciues ſolùm, ſed exteros quoq; detinerent, præcipua tamen coniugum pulchritudo erat. Quippe Franciſco decora cæſaries, frõs ingens, oculi cum maieſtate micantes, decora proceritas, candor, iuuentus aderant. Iſabella, puellarum ſui temporis venuſtatem ſupergreſſa, cunctos ſui admiratione rapuerat. Breuis nuptiarum feſtiuitas fuit; quòd verſus ad ſeria Franciſcus; otium inuitus laceſſeret; cuperetq; cum ciuilem gloriam præcepiſſet, etiam militari clareſcere; ne maioribus ſuis indignus, & expectatione minor crederetur. Venetus Legatus, qui non officio, quàm opportunitate negocij aduenerat; perplexum olim, & ambiguo hærentem Franciſcum perpulit; paratum ſe Veneti Senatus ſtudio profiteri; quandocunq; expeditio decerneretur: ſi æſtimatione iurium, natalium, ac fortunæ, Reſpublica dignitate, auctoritateq; reſpondiſſet. Non enim precario alienis imperare; aut vnius alteriusve procuratoris (quorum nemo bellum nouerit) ius militi dicere volebat. Multò ante tranſuectum tempus eſſe, quo ſimilia Gonzagi Principes, beneficio adſcribebant. Satis ſibi liquere; inter diuerſos aut decertantes potentiores, apud illum victoriam fore, cui ipſe viuidâ operâ acceſſiſſet. Et Ludouico Sfortiæ, aliquot ante annos ſacramentum dixiſſe; cum ius faſq; iactaret: Sed vbi opprimi ab eo fidem, exui dominatione nepotem, & Tyrannidẽ inchoare vidit, conſilia mutauiſſe: Non vt Venetis potius adeſſet; ſed vt ſeiunctâ causâ honeſti amorẽ oſtentaret. Quamquàm non Ludouicum, ſed Ioannem Galeatium amicitiâ illigatum; cuius potentiâ Ludouicus patruus vtatur. Excepêre Veneti effusâ lætitiâ, Franciſci prudentiam; ac ſuſpiciones è vero trahentes auxêre, vt ſibi necterent, excuſarenturq;. Et velut certâ Mantuanorum Principum gloriâ elati, miſêre literas, quibus illum, vniuerſo exercitui, quem in armis haberent, Imperatorem præficiebant. Dictum quoq; ſtipendium tempori, ac Duci par. Id ipſe non auaritiâ, ſed vt in belli vſus erogaret, recepit. Hæc quamquàm ſecretò tranſacta; non ita tamen ſupprimi potuêre, vt non Mediolanſi quoq;

1490. Franciſcus Iſabellam Eſtẽſem coniugẽ ducit.

Franciſcus Dux Exercitus Veneti.

ad Ludouicum, & ad Regem Neapolitanum deferrentur. Eâdem fide credita; Ludouici metu, conſcientiâ, ſuſpicionibus. Et fortè præuiderat; niſi memoriâ flagitij, nemini fideret; quod ex æquo non liceret; nec apud cæteros, quam ipſe non habuiſſet fidem crederet. Corruptelâ humani ingenij, metiri quemq; ſuo pede; & pro impoſſibili reputantis, quod ſibi nō adeſſet. Iactum Venetis & Franciſco fędus; ſocietatem fortunæ præferebat, cum adhuc Ludouicum hoſtem non decreuiſſent. Vtriſq; communis rei ac libertatis tutelâ prætextui ſumptâ. Non enim honeſtior titulus occurrebat, qui minus ſuſpicacem læderet; & nutriri hoſtilia, pecunias, commeatum, & bello neceſſaria parari excuſaret. Neq; tamen Veneti eâ perfidiâ erant, vt oppreſſione innocentûm, damno alieno; foueri res ſuas vellent: Sed cùm penitus fixum Ludouico imperare cognoſcerent; & alieno ſubſidio flagitium egêre; ex Pontifice, Neapolitano, etiam exteris armorum metum opperiebantur; quibus ſede exigeretur, retinereturve: Vbi cuncta circum, armis ac milite perſtrepuiſſent; non prorſus coalitæ potentiæ, aut poſſeſſarum Ciuitatem fidem integram credebant. Ita ſui potius ſtudioſi, quàm alieni auidi degebant. Laurentius Mocenigus Senatorij ordinis & honoratâ militiâ apud ſuos erat. Hic ſæpè ſententiæ loco Senatum monuerat, Ludouicum obſeruarent; nec in eo ſpem haberent, qui calcatâ religione, ſpretoq; iure Patrio tyrannidem meditaretur; nec quidem Nepoti parceret. Aſſidêre viro inquietudinem, fraudes, odia, libidinem, deniq; nil illi penſi eſſe, qui verecûdiam exuerit; nec vulgi famam, Principum inſectationem horruerit. Vanā integritatis opinionem in eo eſſe, qui paratum è flagitio quæſtum videat; niſi experimento deprælendatur. Retinere Senatum nobiliſſimas ditionis Vrbes: Vndè quamuis apud optimum Principem, perpetuam inuidiam, & reciperādi inexhauſtum deſiderium fore. Vim hoſtilem, conatus barbaros, eôuſq; defuturos, quòad Ioannes Galeatius nepos in viuis fuerit. Quamquàm ne tum quidem ſecura omnia, ſed fraudolentum, vt deſiderio, ſic occaſioni inuigilaturum. His alijſq; inducti Veneti, Ducem primò, mox bello neceſſaria comparauerant; ne quid turbante vicino imprędmeditati occurreret. Sub anni finem Petrus Lampugnanus Sfortijs, quàm Ioanni Galeatio fidus, Mantuam à Ludouico miſſus eſt; querelas non conſilia laturus. Hic vbi Franciſci Sfortiæ certiſſimam caritatem; & filij in Gonzagos eandem voluntatem proſecutus eſt; ad ea flexit, quæ labilem Marchioni dominationem appingerent; niſi Mediolanenſes annuiſſent. Et quandò vtilem adminus vicinorum amicitiam reputaſſet; cur Venetis rerum ſuarum poſſeſſione auctis, toties hoſtibus, tam artificioſâ prudentiâ crediſſet, interrogauit. Et Franciſco, amicitiam, non communia belli conſilia referente; id tantùm Lampugnanus refricauit: Vidiſſet, quos excluderet, quos admitteret; non ſemper locum pœnitentię eſſe. Nec aliud aut expreſſit, aut addidit: ſatis ratus, ſi ſpei metuſque medium iuuenem, cunctatiorem reddidiſſet. Cæterùm eâ fortunâ Mantuani Marchiones erant; vt cum longius Imperatores agerent; Italiamq; velut inanem poſſeſſionē aſpernarentur; ipſis in proprijs

viribus

viribus nulla fiducia eſſet; huic illive potentiorum illigare ſeſe cogerentur;vt
aliquo munimento niterentur: quamquàm, mutua æmulatio validiorum,
tutiores eos redderet; dum vtriq; tuentur; ne alterius præda forent, hoſtiue
pondus accreſcerent. Sequentis anni initio Ludouicus, præſumptæ domi- 1491.
nationis, noua indies præſidia parare cepit; Securum id fore putans; ſi af-
finitate, imperium cui adſpirabat, ſolidaſſet; ſumptâ in matrimonium Bea-
trice,Herculis Eſtenſis filiâ;cum nepotis ſororem Annam nomine,Alphonſo
Herculis primogenito, nuptui dediſſet. Miſerat Hercules Mantuam Ioan-
nem Guarinum, tanquàm generum conſuleret; num Ludouicum in conſan-
guinitatem, ac amicitiam reciperet; quem Imperio proximum, inſidijs tamẽ
ſuorum obnoxium cognouerat. Et Guarinus Ludouico infeſtus; ſiue ſta-
bili in proprios Dominos pietate, Franciſcum hortabatur, iniquas nuptias
prohibere: nec ſinere Herculem diſcrimini Beatricem obijcere; aut in perfi-
diam ſe conſenſiſſe, infamibus nuptijs teſtari. Quippè neceſſitudinis ea cõ-
ditio metuebatur,vt ſæculi culpâ; libido, non cauſa ſequenda foret. Fran-
ciſcus mitioribus reſponſis per ſecretum Guarino datis, quod vſui conduce-
re crederet, perſcripturum per literas Socero pollicitus eſt: Cæterùm con-
ſanguinei vtilitati, vel cum periculo offenſionis externorum accedere. Li-
terarum ea forma fuit: Corruptelâ temporum didiciſſe, vt affinitates non
amore, ſed vtilitate contrahantur: quæſitumque veteri aſuetudine ius, vt
maxima vincula, vulgari amicitiâ leuiora ſint: nec illa niſi quæſtu æſtimen-
tur. Vſui ſeruiri; & communem errorem conſenſu peccantium excuſari.
Ludouici perfidiam ſibi ſatis perſpectam, Ioannis Galeatij nepotis exitio;
quantum enim à nouiſſimis eum Principem abeſſe,qui dominationem liber-
tatemque amiſerit? Verùm non ad Socerum, non ad ſe ſpectare; vt exutus,
oppreſſusque reſtituatur. Satis executuros ſingulos, ſi ſua ſeruauiſſent: Et
Pontifici ac Cæſari incumbere, vt innocentes protegantur, facinoroſi im-
perijs,& ſuis & alienis arceantur. Vtcunque ſors ceſſerit; non defuturam
Ludouico potentiam,opes, amicitias; & Beatricem non vili marito vſuram.
Quid ſi præualeat, & à nepote in Patruum Mediolanenſis Ducatus transfe-
ratur? Porrò iactam ſibi cum Venetis amicitiam, in nullius damnum cede-
re; ſed eò flexiſſe, vt inter turbas, amicitias haberet,quas coleret, quibus
niteretur. Si ius imperij intercurreret,longè minorem conſanguinitatis cu-
ram fore. Bonâ proindè fortunâ opus,& Socero, & Genero; modeſtiam
tempori occaſionique adaptandam. Pellendas domo fœminas; nec vllum
opportunius tempus eſſe, quàm vbi requirantur. Vim dominationis in vi-
ris ſeruãdam; vnius mulierculæ exiguam iacturam. Quamquàm primo cõ-
nubio, fęminili obligationi vtcunque prouiſum,& ſi deſtinata ſecus vertant;
de futuro, ex tempore iudicandum. Eſtenſis ætate maior, frequentibus
Marchionis conſilijs didicerat, ineſſe iuueni prudentiam; & ſi fortuna par
magnis animis fuiſſet, poſſe exitum auſis ingentibus reſpondere. Nec pro-
inde vlterius nuptias diſtulit; quàm dum Marchio cum coniuge Iſabellâ,iti-
neri neceſſaria pararent. Nemo Italiæ Princeps demonſtratione lætitiæ ab-

ſtinuit (adeò depulſâ æquitate omni, ferè potentia dominatur) ſed miſſis oratoribus, ſiue ſimulatione, ſiue ex vero gratulati. Diſpoſitis per Longobardiam ad nouas diſcordias animis, haudquaquàm Gallia quieſcebat, defuncto Franciſco Britanniæ Duce; & relictâ Annâ filiâ, paterni dominij hærede. Non multos ante annos Carolus Gallorum Rex, Margaritam infantem connubio acceperat; & quamuis cupidini maritali abſtinuiſſet, domi tamen habebat. Maximilianus occaſione ſubitâ auidus, miſſis literis ac donis, puellam ſibi beneuolentiâ obſtringere procurabat; oſtentatâ præſentis Imperij ſpe; & Belgij nexu congruam vtriuſque Prouinciæ vnionem. Qui miſſi fuerant, virginem coniugio paratam inuenêre; & acceptâ promiſſione ac fide, ad Maximilianum rediêre. Carolus octauus, accitis Gallorum eâ ſuper re proceribus, ſic locutus fertur: Nouiſtis Principes viri, vt puero mihi infans Margarita denupſerit; eâ ætate, quæ non matrimonio valida; non liberæ & certæ voluntatis ſit; nec ſecutis primum errorem annis, vllum veræ caritatis inditium oſtendiſſe. Sæpius me queſtum, libertatem connubij ſublatam, & quod etiam miſerrimis mortalium permittitur, mihi Regi negatū; alienæque deſtinationi parere coactum. Britannia cum defuncti Ducis filiâ, ſi Regno meo, vobis quoque accedit. Et matrimonium inter validos, ac volentes; non dolo, non inani futurorum ſpe contrahetur. Placuit prior Maximilianus; ſed in puellâ & velle, & nolle, precibus, blanditijs expreſſa ſunt. Ipſa per libertatem in nos, genere, ætate, conſanguinitate procliuior. Sed & miſſi ad Maximilianum Cæſarem oratores, largius conceſsâ auctoritate abuſi ſunt; quodque non Numini, non virgini acceptum fuerit ſpopôdêre. Quis, oro, Galliç imperitantium, externos Dominos, intra Regni viſcera, ſine armis, ſine ſanguine admiſerit? Quin vacuam aulam, mortuo Domino irrumpimus; & Germanos etiam Gallias meditantes præuenimus? Nemo quòd æquitatem, iuſque gentium proſequamur, dolum appellauerit. Placuit genti conſilium: militeque tumultuariò deſcripto, Carolus octauus Britanniam ingreſſus eſt, Annam conſilij neſciam abduxit, ſpe coniugij: & Maximilianum eierare compulit. Qui raptæ vxoris memoriâ vecors, quādò nullum niſi per arma remedium erat, ad pugnam accingitur. Sed intra paucos dies, vis illa, deſideriumque vindictæ, in Germano conſedit; inopiâ pecuniæ; & tumultu Auſtriaco, quem Matthiæ olim Regis Hungariæ miles conciuerat, ſuis quàm exteris prouidere coactus; mox pacatâ Prouinciâ, extremæ Parentis ſenectuti alleuiatione curarum adeſſe iuſſus. Franciſcus interim, Venetis ac Ludouico Sfortiæ medius, inter ſuſpectos, metuentesque, quod vtrique patrocinium etiam non rogatum offerrent, tutus agebat. Sed quod præſens conditio requirere videbatur, tanquàm mutuò inimici forent, pecuniam belli vſui comparabat; militiam, arma, equosque extra otium, & ſpem quietis attinens; promptamque expeditionis occaſionem objiciens.

1492. Milleſimus quadringenteſimus nonageſimus ſecundus, receptâ ab infidelibus Granatâ, Hiſpaniæ Vrbe, & detectâ Indiâ, Hiſpanorum Regum auſpicijs, celebris fuit. Nec minus Ludouici Sfortiæ vis Mediolani gliſcebat;

quòd

quòd Ioannem Galeatium nepotem dominationi imparem, motæque etiam mentis diſtuliſſet. Id auſi Medici ſacramento firmare; quos in flagitium venales, non incallidus ſimilium tyrannus conuocauerat. Defunctus Innocentius octauus, Alexandrum ſextum ſucceſſorem habuit, Patria Hiſpanum, pleraq; genti ac muneri degenerem. Sed quia in Pontificem ſæpius memorandum incidimus; non abs re fuerit, quibus artibus tãtùm honoris, quibus inſtrumentis nactus fuerit, quibusq; in vitã moribus vſus, referre. Mortuo Innocentio octauo, quem non publicè, non priuatè, Chriſtianę Reipublicę vtilem vulgus crediderat, Cardinalium Senatus, inter Iulianum Sancti Petri ad Vincula, & Aſcanium Sfortiam ambigebat. Vtrinq; potentia, opes, amicitiæ: Sed maior in Aſcanio auaritia, ſuperbia, ſimulatio. Vicecãcellaria, redditus ampliſſimi; ædesq; Alexandri, pretium ſacrilegij fuêre: dataq; poſteris occaſio, vt etiam quæ culpâ carent, in cenſuram vocentur; ſuſpicacibus plerũq; animis, in ijs quæ honeſtiſſimè tranſiguntur. In nouo Pontifice ſpectare erat, rerum agendarum ſolertiam, vim ingentem conſilij, eloquentiam ſingularem, erga oblata promptitudinem, in arduis vigilantiã, firmitudinem in aduerſis; ſed vitia præualere credebantur, quaſi falſis virtutibus ſtuduiſſet, ſpeciemq; non vim tenuiſſet. Nec Pontifici per ambitionẽ, & ſcelus habito imperio, minora dedecora apertè affingebantur, mores fœdiſſimi, inerudita ſimulatio, inuerecundia; nulla fides, aut religio, inexpleta habendi cupiditas, immoderata ambitio, ſæuitia plus quàm barbara; ardentiſſimum ſupra cæteros, quãcunq; tandem arte, extollẽdi liberos (quos plures nepotum nomine habebat) deſiderium; ne prauis conſultis miniſtri deficerent; qui in parente laſciuiam, ſordes, crudelitatem, rapinas æmularentur. Cæterùm, vetus inter Ludouicum Sfortiam, Regem Alphõſum ac Florentinos, (qui Petri Medicei ductu trahebantur) confœderatio; non alio certiori officio firmari poſſe viſa eſt; quàm ſi iuncti cuiusq; Principis Oratores, in eandem diem; vno, eodem ue acceſſu, nouo Pontifici adeſſent, obſequium ſuorum Principum nomine iuraturi. Præcipua hæc Ludouici Sfortiæ cura credita. Qui vt publicè cum Alphonſo amicitiam oſtentaret; ſe tamen per ſecreta, & magis ſecura, fœderibus & conſcientiã muniret, conatus eſt ſæpius Franciſcum Marchionem in partes trahere; non vt aliàs Venetis fidum, dato ſacramento auelleret (nec enim in Principe perfidiæ locum nouerat) ſed vt ſuſpectum Venetis communione conſiliorum redderet; & ab ijs deſertus, aut hærere quacunq; conditione ſibi, aut excidio dedi cogeretur. Mittit Ioannem Barum obſcuris natalibus, aſtu, artibusq; dominationis famoſum; qui perſuadeat Oratorem ab eo quoq;, ad Alexandrũ delegari, qui ſuo, Regioq; iunctus, maiorem in ſpeciem maieſtatem præſeferat. Marchio quibus legibus Veneto Senatui obſtrictus eſſet, quæ illi fœdera placerent, memor, per epiſtolam reſpondit; Non ſe Regi Alphonſo, non Ludouico Sfortiæ, non Florentinorum opulentiæ parem eſſe; locum proindè in minoribus habiturum. Quamquàm Veneto ſtipẽdio militiam exerceat, ſancitam tamen, aliquot ante annos Italiæ pacem non laceſſiturum.

Alex. Sextus Põtifex.

Nec inter hoſtes habiturum, quos conſilio, aut apertè nocentes non deprehendiſſet. Ferunt Marchionem edicere ſolitum, cum de Ludouico ſermo incideret; facilem eſſe cum doloſo negociationem; quòd ſemper diffidere, & ſuſpectari ſecuritatem habeat. Miſſus poſtmodum Aſcanius Gonzaga, qui pronum familiæ Pontificem, & amicitiæ anxium inuenit; memoriâ hoſpitij, & munerum; quibus euictus cum Mantuæ inter Patres Synodo intereſſet, gratitudinis ſpeciem retinebat. Perſtitit tamen Barus; & quandò dolus non ceſſerat, apertè imperata proſecutus eſt: Contractum inter Pontificem, Ludouicum, ac Florentinos fędus, locum penès potentiores nouo merito eſſe, & occupandam gratiam referens; cum Veneti potentiam Alphonſi Regis non ſemel auerſati, facilè in Pontificis vnitatem trahi poſſint. Nullam tum beneficij, aut proni animi fidē, apud potentiores fore; ſed in ſuſpicionem tracturos, conditiones formidine expreſſas. Addit literas ſingulorum, nè de facto ambigeretur; & vt Franciſcus manifeſto licet periculo noua quærere peruinceretur. Ille apertius reſpondere; nullum apud ſe ex perfidiâ quæſtum eſſe; nec cariorem fide dominationem cēſere: Promiſſum Venetis ſeruitium poſcere, vt alieno imperio ducatur; Satis gloriæ commendatione conſtantiæ habiturum. Eorum prudentiæ, amicitiarum, hoſtiumque delectum eſſe; cætera vtcunq; eueniſſent, eodem ſemper animo excepturum. Redijt infecto negocio Barus, monuitq; Ludouicum, Franciſci amicitiam, graui licet erogatione ſectaretur: Tantæ virtuti neceſſariam eſſe fortunam, vtilem laborem ac impenſas. Neque vires Marchioni deeſſe, plenâ & opulentâ Ciuitate Mantuanâ, & Principis ſui fortitudine animatâ iuuentute. Inſtabat interim Ludouicus per literas, vrgebatq; Senatus Veneti modeſtiâ, vt pacto fęderis, ſibi ac Pontifici illigaretur: idq; vtilitatem in commune laturum contendebat, conſeruatione mutuâ, & ex Pontificis nomine, exiſtimatione. Tardè Veneti acceſsêre; dubijs cunctatores, certis celeres, & velut reliquorum precibus impulſi. Nemini tamen bellum indictum, aut vis publicè illata; non Alphonſus Rex, non Ferdinandus filius manifeſtè notati; ſed vniuerſi in communem ſalutem, non expreſſo hoſte quem peterent, iurauêre. Veneti ac Ludouicus Quadringentos Crupellarios, præſidio Vrbis, magnis cum promiſſis tranſmiſêre; vt tutior Alexander ageret; cui Virginius Vrſinus, ac Proſper Columna, nobilitate, affinitatibus, amicitijs; etiam opibus ſuſpecti, & metuendi erant. Qui validiorum deſtinata ſectabantur, tacitè eodem fędere obſtricti, Marchione excepto, quem nomine, non vt Ducem, ſed amicum appellauêre. Altius iſta ſpectabant, quàm vt ſolos Italiæ Principes, turbæ, metuſq; agitarent. Ludouicus enim inconſtantiæ, varietatiſq; fęderum non ignarus; ne tali quidem præſidio tutum ſe credidit; niſi externo quoq; firmaretur. Ergo Carolum octauum Galliæ Regem permouit; vt pulſo Alphōſo (quem iniquum ſibi caritate nepotis nouerat) Neapolitano Regno potiretur. Non enim ſemel miſſis oratoribus ac literis Ludouicum monuerat; redderet nepoti Mediolanenſe imperium; iam ætate prouecto; quique ſummæ fortunæ, adminiſtrationique par eſſet. Accedebat

cedebat exſtimatio, quâ non niſi per turbas, & aduerſantium excidium, durare dominationem poſſe crediderat: ſiue quòd in pace ſingulorum merita verius ponderentur; ſiue motis rebus, vnumquenq; ſibi ſollicitum, & reijcere in futurum curam reliquorum opinaretur. Iam præſidium ab audaciâ petere, ſecuritatem vocabat; velut ipſa diſcrimina remedium malorum eſſent. Ad extremùm inter arma, & ſtrepitus bellicos, multa emergere, quæ ſuſpiciones, metus, pericula, amoliantur. Sed quæcunq; cauſa perculerit, mentis ac conſilij dubium (non enim niſi Alphonſi formido putabatur) nos Caroli octaui ſpes; & quibus rationibus Regnum Neapolitanum, à Ludouico euocatus, animo conceperit, futurorum claritati referemus. Quandò hoc ipſum ſit hiſtoriam nouiſſe; ſi motus cauſæq; tradantur; & magna Frãciſci gloriæ pars ea fuerit; dederitq; Ciuitati Mantuanæ nomen, magnis auſis, virtus in ſuo Principe approbata. Ludouicus ipſe ſucceſſu rerum deprehendit, ſe grauioribus inſtitiſſe; & validiora remedia quæſiuiſſe, quàm mala erant: Quod timidis proprium, quibus cum nunquam ſatis remedia accelerentur; tum futuro fidem habent, vbi ſpes ſuas mersêre. Regnũ Neapolitanum, quod citra Pharum Sicilia appellatur, antiquiſſimis Romanorũ Pontificum annalibus, Sedis Apoſtolicæ creditum eſt. *Gallorum in Regno Neapolitano ius.* Idq; à Manfredo Federici ſecundi notho, apertâ vi occupatum, Vrbani quarti permiſſu, ſalutis Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quarto, in Carolum Prouinciæ Comitẽ, Ludouici Gallorum Regis fratrem (qui exiſtimatione ſanctimoniæ, inter Diuos eſt habitus) translatum eſt. Hic conceſſam à Pontifice potentiam, armis ac virtute tutatus, Carolo ſecundo filio, & Ruperto nepoti tranſmiſit. Defuncto Ruperto, nec maſculâ prole in ſucceſſionem relictâ, regnum in Ioannam, Caroli Calabriæ Ducis filiam, deuolutum eſt. Sed imbecillitate ſexus, impudentiâ morum, vniuerſis ludibrio fuit; & aduerſus ſuos, continuis bellis exercita, tanquàm externæ opis indiga, Ludouicum Angioinum, Caroli quinti Gallorum Regis fratrem, adoptione in Regnum adſciuit. Hic ingentibus copijs in Italiam tranſmiſſis, & Ioannâ ipsâ ante extinctâ, in Carolum Dirrachij Ducem pugnauit; medioque curſu victoriæ morbo abſũptus eſt. Sic in Angioinos, non alia ex adoptione vtilitas, quàm Prouinciæ Comitatus ceſſit; quem Caroli nepotes continuatâ ſerie tenuêre. Hinc tamen Angioinis in Regnum Neapolitanum ius quæſitum. Quo nomine Ludouicus Angioinus prioris Ludouici filius, & ſecutis temporibus, eiuſdem cognomenti nepos, Pontificum hortatu illecti ſunt; quando Regibus minus conuenirent. Sed tamen poſſeſſionem aduersâ ferè pugnâ tenuêre. Carolo Dirrachij Duci, Ladiſlaus filius ſucceſſerat; quò ſine liberis extincto, Milleſimo quadringenteſimo decimo quarto, Regnum Ioannæ ſecũdæ ſorori permiſſum eſt. Quæ ſuperioris laſciuiam, infęlicitatemque æmulata traditur. Nam Regno ac pudicitiâ ijs proſtitutâ, quorum fędâ conſuetudine vtebatur, eò neceſſitatis deuoluta eſt, vt Ludouico tertio ac Martino quinto vrgentibus, Alphonſum Aragoniæ ac Siciliæ Regem, adoptare coacta fuerit. Sed facti pœnitentiâ; ſimul ingratitudinem Alphonſi cauſata, pulſum paulò

ante

ante Ludouicum,denuò in Regnum reuocauit. Huius virtute exactus Ara-
gonus,& hæres Renatus Angioinus nominatus. Regni proceres,ſiue ſubſti-
tuti inuidiâ, ſiue Reginæ licentiâ in faſtum elati, teſtamenti tabulas per do-
lum obſignatas, & ſuppoſitum hæredem queſti ſunt. Hinc populi ac prima-
tum bella, Alphonſo ac Renato de Regno dimicantibus; quæ plures annos
Prouincias ſubditas, vicinosq; attriuêre. Hinc Angioinorum Aragonum-
que diſſenſiones, in mutuam perniciem diù agitatæ; donec vis omnis ac po-
tentia, cum victoriâ in Alphonſum ceſsêre. Sed quia habitum virtute Re-
gnum iactabat, excluſo Ioanne fratre Aragonum, & Siciliæ Rege, ſine libe-
ris decedens,Alphonſum illegitimum ſibi ſubſtituit. Qui licet a Ioanne Re-
nati filio, armis impetitus, fortitudine tamen habitam dominationem tuta-
tus eſt. Extincto ſine liberis Renato, Carolus è fratre nepos, teſtamento
ſuffectus eſt. Hic Ludouicum vndecimum Galliæ Regem, ſine prole depre-
henſus nominauit; in quem pariter Ducatus Angioinus, necnon Prouinciæ
Comitatus abiêre. Fereq; eodem titulo Neapolitanum Regnum, toties ad
exteros translatum eſt; & quidquid iurium; in Carolum octauum filium he-
reditate deuolutum; qui creditâ primùm causâ, & Ludouico Sfortiâ pecu-
niam offerente, facilius obtemperauit; niſi apud ambitionis obnoxium ſatis
eſt, in Regnum vocari, cum cauſa præſumatur; aſſiduo amicorum hortatu,
florente Gallorum re publicâ, & Italiæ diuitijs blandientibus; quæ ferè ege-
nos opum exteros, aut noſtri odio, (ſi oſtententur, iactentur, offerantur) dũ
auaritia mortales exercebit, in damnum Italiæ reuocabit. Hæc quàm bre-
uiſſimè in eorum gratiam intexere libuit, qui Galliæ Regum in eam Italiæ
partem, iura,obſcuris fontibus edocti, cauſas tumultus Italici, & petiti Re-
gni ignorãt. Certum eſt Balbianum Ludouici legatum,ſummâ vi, diuiſisq;
apud conſultores Regios muneribus peruiciſſe, vt honeſtas cauſæ, facilitas,
vtilitasq; crederentur. Non enim apud Gallos primates,& Italiæ cognitio-
ne prudentes deerant,qui diſcrimina, dolum, incertam poſſeſſionem, nec in
longum duraturam accuſantes, bellum deteſtarentur. Sed apud Regem
ætate præferocem, & Ludouici ſtimulis actum, ſpes nouæ ante habitæ. Fe-
runt Ludouicum Herculis Eſtenſis hortatu, Gallorum arma inuocaſſe; ſiue
recuperandi adépti ſibi à Venetis Poleſini,non alia quàm turbatis rebus ſpes
eſſet; ſiue veteris odij recordatione, famoſo aſtu, quamuis è conſanguineo,
pernicioſis conſultis, vindictam ſumere concupiſceret: Et ante alia, quòd
cœpto decimum ante annum bello, non iniuriâ, non poſſeſſione Venetos ar-
cuiſſet. Sed Ludouico, non Soceri, non amicorum, ſuæ tantùm res curæ
erant. Vtebaturq; caritate, provt conducere dominationi, & proficere co-
gitationibus credebat. Noua pariter firmandæ dominationis ſpes Ludouico
inceſſit; Federici Imperatoris exceſſu; ſuffecto Maximiliano filio; quem an-
te Romanorum Regem Germaniæ dixerant. Hunc Imperij recentem, &
pecuniæ indigum, muneribus ac promiſſis aggreditur, Blancam Mariam
Ioannis Galeatij ſororem, ſibi neptim, cum Quadringentis aureorum milli-
bus, dotis nomine, gemmarumq; multitudine ſpopondit; auroq; ſuperatũ,
vtili

vtilitatem honeſto, & tempus, ſeruire compulit. Pretium rei, ſcelus erat; vt ſanciret, quod per flagitium preſſo nepote occupauerat: Adeò ſecurus conſiliorum erat; vt quamquàm metui Imperatricis in fratrem exactum pietas poſſet; turpitudinem tamen, non minus in Maximiliano præſumeret; vbi locum quæſtui dediſſet; tuliſſetq; ſibi auro oculos perſtringi. Porrò cum Galliam ac Germaniam agitaſſet, vt ſibi conſuleret; non ſatis tamen feciſſe credidit; niſi Franciſcum Marchionem ſi non auxilio, conſilio tamen illigaret: Vt ſi religione ſacramenti deuinctus ſocietatem flagitij abnuiſſet; hoſtem adminus non experiretur. Mittit Philippum Landrianum, qui Alphonſi Regis ſuperbiam, Herculis Soceri conſcientiam, Maximiliani Imperatoris aſſenſum, Alexandri Pontificis turgentem animum doceat; impellatq; ambiguum, nullâ certiori causâ, rebus nouis, Alphonſi Regis excidio, nullo ſuo honore, aut vtilitate, inſiſtere. Addit ex Galliarum Rege metum: Tanquàm non domeſticis, ſed externis quoq; viribus fretus, ſecuriores ſpes præſeferret; pacem, ac quietas cuiusq; per Italiam res, arbitrio decernens. Franciſcus etſi præcipitium conſultorum, & quæ Mediolanenſes quoq; raperent, Ludouicum ſtudioſum cerneret; ne tamen tot deſiderio nexis, aut plus ſapere; aut inconſultus ſententiam promere videretur; vt incertus euentuum, & voluntatis ambiguus reſpondit: Arduam Gallorum Regi Prouinciam ſumi; qui paratis ac inconcuſſis omiſſis, incerta & longè diſſita, proſequatur. Italiam frequenti exemplo docuiſſe, non exteris, niſi multo cum ſanguine acceſſum permittere; & occupari quam conſeruari faciliorem. Horruiſſe veteres Gallos, quæ Carolus iuuenili temeritate ambiat. Metum vtriusq; eſſe, & qui dediſſet, & qui conſilium accepiſſet. Quin ipsâ Alpium eruptione, potentiorem, integrumq; Gallum Mediolanenſibus obijci; & ſiue potitum Regno, ſiue propulſatum, haudquaquàm proximiora neglecturum; quæ ſemel habita facilius vicinio teneantur. An credibile victorem exercitum, Regem gloriæ inexpletum, parata atq; obuia tranſmiſſurum? Fidem cuicũque promitti; neq; rei vllius frequentiorem ſponſionem; ſed quâ conſtãtiâ, ipſum Ludouicum, monimentum fore. Sibi decretum eſſe potiorem vitâ ac dominio fidem habere; nec mutare ſacramentum, ſtabili eorum placito, qui popoſciſſent. Miſſus interim ad Venetos Camillus Gornus, qui datæ dexteræ fidem refricaret; certam Ludouici pœnitentiã moneret, Gallorum violentiam teſtaretur; & quòd proprijs viribus licuit, aggerati Mantuæ commeatus, arma, pecunia, iuuetus; victore Rege in ſpem auxilij; fracto, in ſubſidiũ ſuorum. Vix Gornus Mantuam reuerterat, & Peronus Bacceus, ab Rege affuit, qui Rempublicam Venetam fœderis requireret, Mantuanumq; complecteretur; quem niſi volentibus Patribus, ad noua conſilia traduci poſſe coniectabat. Illi ſolitâ prudentiâ, vbi Regem in ſequentem annum bellum diſtuliſſe nôrunt, incerti quid promitterent, ſubſtitere. Non enim ea Gallorum conſtantia credebatur, quæ annum integrum, ijſdem conſultis inſiſteret; & plus impetus, minus firmitatis in gente ſciebatur. Ne tamen durioribus potentiorem aſperaſſe viderentur, in hæc reſpondêre: Eam fortiſſimo

Ludouicus conatur trahere in partes Franciſcum.

tiſſimo Regi prudentiam expertiſſimorum virorum conſilia, ſtrenuiſſimorū Ducum peritiam, numeroſi militis vires eſſe; vt ſiue rebus pridem deliberatis conſenſum, ſiue auxilium futuro offerre tentaſſent, æquè temerarium cēſerent; ipſi inualidi, grauibus & inexplicabilibus difficultatibus agitati. Satis Regi optimo perſpectum, vt nominis Chriſtiani hoſtis, Cyprum, Cretam, quaſq; per Aegeum ac Ionium inſulas habeant, circumſpiciat: Neq; aliam occaſionem pellēdi poſſeſſione opperiri; quàm ſi in ſtultitiam, ac inania laberentur, inutilique ſe bello implicarent. Idem ferè vniuerſis Europæ Principibus ſtudium. Quippe audiri adhuc Pontificis ac Eſtenſis, ſuper Poleſino Ruigi querelas, Auſtriacorum iura, minas Cæſaris, Genuenſium ſuſpiciones. Mediolanenſes ipſos Brixiam, Bergomum, Cremamq; belli iure habita, pactiſq; nouis firmata perſtrepere: Vt nīl in Republicâ tutum, aut metu liberum ſit. Proindè ipſis quietem conducere; & hoſtiles motus obſeruare potius, quàm noua bella agitare. Cæterùm quācunq; Regis victoriam, longâ Senatus in Nationem caritate, gratam fore. Nec generoſos conatus iuuenis; ſi inoffenſi ac illaceſſiti forent, interrupturos. Haud minus Franciſcus Marchio, additis literis, plura in eandem ſententiam adiungere; modò datam fidem; modò qui accepiſſent excuſare; modò tenues res ſuas, non citando, non fouendo bello pares docere. Contra Alphonſus, valido milite Regni fines ſeruare, parare claſſem, pecuniam vndecunq; colligere; denique Ludouico Genuenſem poſſeſſionem nón inconſultè turbare. Quod vbi per exploratores notum, Ludouicus duo Heluetiorum millia, quingentos equites Italos, Duce Rodulpho Gonzaga in Genuenſes mittit, metum ex Alphōſo prætexens; ne nouis copijs tranſmiſſis, ciuibus diffidere videretur. Quæ præcipua diſſenſionum occaſio. Et quò Pontifex quoq;, bello neceſſaria tardius compararet; miſſis oratoribus profitebatur, ex ſe non eſſe, quin pax Italiæ daretur; & conſtantiâ ſpecimen breui oſtenſurum; Multa ſecretò cum Rege tranſigi, quæ in communē vtilitatem flectantur. Idq; tantâ orationis ac literarum vi; vt quamquàm doli certus, audientes tamen, & gnaros falleret. Simulationem tempus detexit. Paucos enim poſt dies, cum omni exercitu Carolus in Italiam & Aſtium delatus eſt; falſaq; Ludouici promiſſa oſtendit. Mox graui morbo Rex liberatus, illicò Papiam contendit; vbi Ioannem Galeatium legitimum Mediolani Ducem offendit, extremis proximum. Cuius fortunam Regio animo miſeratum, accepimus; ſiue honeſtate cauſæ; ſiue Iſabellæ Ioannis Galeatij coniugis lachrymis flexus; quam pedibus aduolutam, ſalutemq; Mariti, Filij, ac Parentis oraſſe ferunt; pariter reſpondiſſe, occaſioni ac tempori viuendum; ſe benignitate erga vniuerſos dum tamen gloriæ ſuæ, ac victoriæ conſulatur, vſurum. Fama eſt, hoc initio diffidentiæ, Ludouicum diuerſa animo volutaſſe; vt quocunq; tādem modo, ſi Rex Iſabellæ preces exciperet, conatus Gallicos frangeret. Nam promiſſam dominationem, vbi Regno potitus foret, fidi detulerant. Idq; propius vero erat: Nam Ioannes Galeatius, ſorore Regiæ matris genitus, fomitem pietatis apud Gallos habebat. Vix Placentiam attigerat; & mors

ægro-

ægrotantis delata eſt. Quod Ludouicum Mediolanum regredi; & ciuium voluntatem, ſeu ſauorabilem, ſeu aduerſam pręſentiâ experiri cōpulit. Aſtu, ac eloquentiâ opus erat.

Io. Galeatij Sfortiæ mors

Fidiſſimos amicorum totâ Vrbe euagari, ac publicis ſecretisq́; ſermonibus circumferre iubet, Franciſcum Sfortiam pronepotem imparem tātæ moli eſſe; Quinquennē, & qui à fœminâ matre regeretur. Turbas, & non domeſtica magis, quàm externa concutere Imperium; viribus ac conſilio egere; quæ niſi in Ludouico Patruo ſint, dominatricis familiæ, haud dubiè ſummo; & longâ rerum ſerie, remedia malorum, opportunitatesq́; edocto, vniuerſa in caſum dari. Hinc (cui multò ante auidiſſimè inhiauerat) velut nolenti collatum Imperium. Quamquàm non electione ſe, ſed Cæſaris inueſtiturâ recipere profiteretur. Mors Ducis nepotis, Veneri imputata: Prudentiores veneficium prætulêre. Licet cædes & ſanguinē, mitis alioquin Ludouici natura abhorrere, & flagitio parricidioq́; auerſa crederetur. Niſi deſiderium regnandi maius eſt; quàm vt ſcelerum metus, & fama flagitij metuatur. His fermè temporibus Franciſcus Mantuæ degebat; viſo ante agro omni, ac munimentis; & diſpoſito per limites preſidiario, ductis aggeribus, ac foſſis, ſi quæ Arx eguiſſet. Ita Burgofortum, Pontremolinum, Capriana, Cannetum firmata ſunt. Dati quoq; Paganis Duces & arma, vt vſui imperioq́; aſueſcerent. Verſabat animo, quem exitum Gallorū vis habitura foret; & deuicto Aragono, quò ſe verteret. Nec enim inexpleto gloriæ, dominationem vllam nimiam eſſe; aut in fœlicitate, prôptè fortunæ temperari. Talia agitanti Marchioni, pulcherrimæ gloriæ occaſio ſeſe obtulit; quâ non Europæ, ſed exteris quoq; barbarisq́; gentibus, exiſtimatione magnificentiæ innoteſceret. Habebatur Romæ non in ſeruilē morem, ſed hoſpitalitate Regiâ Geme Ottomānus, Baiazetti Turcarum Tyranni germanus: Qui Mahometho Parente defuncto, ſe Thraciâ proripuerat; ne cæde ſuâ, fratris imperium ſtabiliret; quod genti moris.

Geme Turcæ frater.

Hic Rhodum primò aduectus; mox Galliæ Regibus velut dono datus; poſtremò in Pōtificis poteſtatem deuenerat. Nec viro prudentia, vis animi, ſuorum caritas deerat. Et Baiazettus Chriſtianorum conſcientiam, pretio emercatus, quadraginta aureorum nummûm, in annos ſingulos, pro fratris alimētis (vt ferebatur) exſoluebat. Sed per ſecretum cædem, & quandò hæc non ceſſiſſet, captiuitatem orabat; ne in alium Principem, eius potentia abiret; aut eò medio inferendo bello turbidi vterentur. Quidam non tantùm preces; ſed minas quoq; interiectas volunt; niſi cuſtodiretur, in perniciem Italiæ claſſem ingentem miſſurum. Paucis ergò menſibus, ante Caroli Regis aduentum in Italiam, pecuniā ſolito ſtipendio miſſam, Præfectus Vrbi, motis rebus, & imminentium ſeditionum initio audax, interceperat. Qui detulerant, verberibus ac ignominiâ affecti, rerum omnium egeni, fugâ ſalutem quæſierant. Et quandò nullum amplius præſidium ſuberat, ad Franciſcum, tantùm famâ notum diuertêre, haud dubij pietatis. Qui, licet bello proximiora omnia; & adiacentes Prouinciæ armis horreſcerent; quietem tamen, & hoſpitalitatem, velut ſummâ pace experti ſunt. Excepit exteros

Fran-

Franciſcus; non honoris, nō pecuniæ parcus, dato abundè commeatu, miſſiſque ſtipatoribus, qui precibus aut vi, deuios, in ſua ac tuta deducerent. Quin ademptam à latrone ſummam, Geme in Vrbem mittere parabat; niſi paulò ante defunctum, & iam Carolum Apennino hærere, certi nuncij attuliſſent. Regreſſi Conſtantinopolim Turcæ, lætitiâ ac admiratione Principem affecêre; quòq; minus inter infidos commercium, eò maior liberalitas Tyranno viſa; nec proindè reddenda gratia, aut teſtando animo per literas abſtinuit; in hunc ſenſum, quem nos ex Italo inuertimus.

Litera Baiazetti ad Frāciſcum.

Baiazettus Rex & Dominus per Aſiam, Africam, & Europam; Franciſco de Gonzaga, nobili viro Italo ſalutem; & veram lucem. Non metus noſtri; vt qui longiſſimè à finibus noſtri Imperij diſſitus, in mediâ Italiâ degis; non odium, aut nominis, aut fratris, cûm alteri ſubſidium, alteri honorem contuleris; non ſpes tuæ; non longus terrarum mariſq; tractus; aut conferre me, aut recipere beneficium patitur; ſed munificentia, ac liberalitas tua; vbi nullum ſuberat beneficio meritū, impulêre te; magno pectore virtutem capeſcere, quæ ſibi ipſa ſummum eſt præmium. Ne tamen aut indigno cōtuliſſe, aut neſcio gratiam credas, his te noſtris certiorem facimus, collata in noſtros munera, apud nos æternâ memoriâ fore. Et reddituros in tempore gratiam; ſi quando fauore noſtro tibi gratificari poſſe contigerit. Addidit equos ac currus, ſupremæ potentiæ inditio. Qui literas detulerunt, ſine muneribus non abſceſſere: Baiazetto ipſi, nobilem onerariam, Mantuano caſeo refertam miſit; quo delectatum Tyrannum mirum in modum ferūt; & Italiæ diuitias, eo vno inditio præcepiſſe. Hinc celebrari Franciſcus; & quamuis apud æmulos gloriæ, virtutis famam circumferre; quæ etiam fidei hoſtibus commendaretur. Diuiſam inter exercituum Duces à Turco liberalitatem, Venetus orator ſacramento firmauit, qui tum Senatus negocia apud Conſtantinopolim tractabat; & eadem munera à Venetis requiſiuiſſe. Dum Franciſcus Italis Proceribus, munificentiæ gloriâ adrepit, Carolus octauus, metu perterritis, aut turpi fugâ elapſis Aragonum Ducibus; nec fidis Regi ſuo Ciuitatibus; aut exercitibus Italis datum ſacramentum ſeruātibus, Neapolim in gloriâ deditione ingreſſus eſt, Viceſimâ primâ Februarij,
1495. Milleſimi quadringenteſimi nonageſimi quinti. Quamquàm breuem poſſeſſionem (vt par eſſet ortus occaſui) Ferdinandus ſeſe Regno abdicaturus, Carolo prędixiſſe feratur; prudentiâ non inferior; meritis, ac virtutibus, Patre, Auoq; ſuperior; etiam eorum teſtimonio qui fidem negauerant, aut labētem impulerant. Vbi fugatum Regem, Regnumq; Carolo in Prouinciam redactum; nullis difficultatibus ſuperatum Apenninum; ſummiſſam Hetruriam; captas arces, & præſidio immunitas, Pontifex, Veneti, Ludouicus malorum auctor, accepêre; tum primùm certioribus inditijs, tantæ victoriæ exitum, purgato oculo introſpexêre. Non enim Ludouicus fœlicem Gallis expeditionem potius, quàm Aragonum Regis excidium, animo volutauerat; cupieratq; obijci potentiſſimo exercitui, plerumq; diſcrimina & impedimenta; vt Regno potitus, quantùm Imperio creuiſset, tantùm viribus

Gallus Neapolitano Regno potitur.

de-

Digitized by Google

detereretur. Pontifex Vrbis ingreſſum; nec pacē, obſequiumve præſtitum, niſi ex arbitrio victoris; extortam quàm oratam Regni inueſtituram; & imminutas filiorum ſpes iniquo animo recolebat. Veneti ſiue communi metu, ſiue Regis iactantiâ, ſiue prouidentiâ, feriò iam rebus ſuis conſulere parabāt. Nam incruentâ victoriâ elatus Carolus, per vaniloquentiam, interq; pocula minitatus ferebatur, breui ſe toti Italiæ experimento oſtenſurum quantum diſcriminis Principes adierint; qui aduentanti ſibi, non armis, non opibus affuiſſent. Et Senatus apud Regem oratores, monebant; non eâ ſe comitate excipi, quæ olim ſolita; & regredientem maiora prioribus agitare. Etiam Franciſcus, quamquàm modici dominij, ſollicitus; hortabatur, caueri minas, & minori negocio iactatam iniuriam arceri, quàm illatam reddi. Ludouicus Sfortia, vix Neapolim ingreſſum Regem, importunis precibus aggreſſus eſt, daretur ſibi Calabriæ Ducatus, pacto ante bellum tranſactus: Nec vt potiretur (non enim temnenda regni portio cenſebatur) ſed cauſam diſcordiæ, & deſciſcendi excuſationem. Rex moras nectere; & victoriæ partem adeò ingentem ſubtrahi; niſi manifeſtâ Regni læſione, poſſe reſpondit. Attamen vbi vniuerſis potitus, Proceres Gallorum ceſſioni paratos vidiſſet, ſe conſilia, & quæſita communicaturum. Accedebat Ferdinandus & Iſabella Hiſpaniæ Reges; qui inuidiâ nouę potentiæ, pietatem prætextui ſumētes, Carolum docuerant, Neapolitanum Regnum, Romanæ Eccleſiæ eſſe. Nec qui fidem Deo, Summiſq; Pontificibus dediſſent, toleraturos ſacrilegā exterorum rapinam. Sed reiecta hæc. Et Veneti maturandum rati (quādo præcipua bellorum celeritate tranſiguntur) Aprilis initio eiuſdem anni, admiſſos confęderatorum Legatos, ſocietate & amicitiâ obſtrinxêre. Specioſus titulus cauſæ affictus; Rerum ſuarum, aduerſus quemcunq; exterum tutela: Sed tacitis legibus conuenerant, Hiſpaniæ Regum auxilio, exactos Aragones priſtinæ dominationi reddi; magnis viribus Gallias inuadi; prohiberet Ludouicus, ne nouis copijs per Alpes traductis, Caroli exercitus ſuppleretur; Aſtenſem Ciuitatem modico præſidio ſeruatam inuaderet; Veneti claſſe inſtructâ, facillima Regni litorum adorirentur; & terreſtribus copijs, quâ per Longobardiam imperabant, inſtruerentur. Nec tanti motus Carolum latuêre; ſiue hoſtium palam minitantium audacia; ſiue inter ipſos, exploratores auro corrupti, ſecreta proferrent. Rodulphus quoq; Gonzaga Franciſci Patruus, belli peritiâ ante Italos, Genuâ in patriam citis equis à nepote reuocatus ſuſpiciones adauxerat: Tanquàm Dux, & nouis rebus adminiſter poſceretur. Mox deſcribendo equitatui, & formandis exercitibus Mantuanorum à Marchione delectum acceperat; vt non ſibi famulaturis, ſic haud dubiè periculum laturis. Et iam diuerſis claſſibus vtrumq; mare ſtrepere; & ſelectiſſimorum exercituum apparatum, per Longobardiam ſpectari, ferebatur. Accitos ergò militiæ Duces, quid tractaretur; quibus tumultibus Veneti, & quæ aliàs compoſita credebantur, quâ ſeditione inſurrexiſſent edocuit; ſingulosq́ue ferre ſententiam imperauit. Breuem moram in Patriâ Rodulphus fecerat; & conſiliorum Marchionis nepotis non prorſus

gnarus quò talia flecterentur ignorauerat. Et quia pronior in Gallos erat; etiam Regi comes à Ludouico deſtinatus; ſtatim proripuerat ſeſe Patriâ, & Neapolim aduolauerat. Neq; tamen niſi apparatum bellicum, & Longobardiam in armis, ſimul in neminem conflatam ſocietatem detulit; quòd talia in Regem vix crediſſet. Ludouicum quoque non habitâ Calabriâ, offenſum potius, quàm minitatum hoſtilia rebatur. Hunc Carolus intimo cõſilio aduocatum, quid cenſeret, interrogauit. Ille feſtinatione opus reſpõdit: Hinc Regis exercitusq; periculum; illinc Regni imminere. Quòd incolæ Aragonum nomini, paulò ante infeſti, veterem fidem reſumpſerint; exercitus Gallorum Regno inducti minores ſint, quàm vt præſidio & pugnæ ſufficiant; & externum militem deeſſe, longè ſitâ Galliâ; & ſeptis itineribus, ne auxilia aduocentur (nam tum primũm finem fęderis, & motus cauſam à Rege didicerat) Attamen conſtantiâ opus; & (quod deploratis rebus pręcipuam vim habet) exequendum; neceſſitatiq; ſeruiendum. Partem exercitus cum impedimentis, addito commeatu Caſtellis imponendam; quod validum expeditumq; ſit, in Patriam retrahendum: Vt celeritati non minus quàm prælio ſufficiant. Quòd ſi ſeruari, nullo labore parta, fortuna voluiſſet, cum Regis incolumitate, nouas vires, nouas copias ſuperfuturas; quæ terrâ, mariq; obſeſſos ſubleuent, & recipiant amiſſa. Sed ante, alia feſtinatione opus; ne Pontifex, Veneti, & Ludouicus, repulsâ Calabriæ offenſus, ſolidâ amicitiâ iungerētur; aut quæ parauerint, in vnum corpus coaleſcant. Suffectura quippe præcludendo itineri, & recipiendis quæ Aragones amiſiſſent. Placuit vniuerſis conſiliũ. Et iam Ferdinandus extrema Calabrię, Hiſpano milite adiutus attigerat, Venetiq; claſſe Adriaticum litus prætervehebantur. Comitata Regem (vt quidam tradidêre) ſexdecim hominum millia; cæteri ſeruando Regno diſpoſiti. Confœderatorum vires in Parmẽſem agrum, quâ tranſiturus Rex credebatnr deductæ; validi exercitus ſpeciem præbuerant. Cẽſebantur equitum ſeptem; peditum duodecim millia. Vix tertia pars Ludouici; quod reliquum Venetorum erat; & vtriſq; proprij Duces. Senatus paucos ante dies, de ſummâ rerum deliberaturus cõuenerat; interque cætera, deligendi Ducis rationem habuerat. Non enim pleriſq; è Republicâ videbatur, Franciſcum Marchionem vniuerſis imponere, vt ætate tanti curæ imparem. Electum enim cùm quietæ res, & in tuto forent: Nunc auctum diſcrimen; potentiores, & victoriâ inflatos hoſtes: Quin veterem Gallis ac Gonzagis amicitiam; quam affinitate Principum regni ſanciuiſſent; & Rodulphus paulò ante habito Mantuæ delectu, ſtatimq; ad Regem profectus, teſtatus ſit: Quòq; magis rebus ſuis modicis Marchio formidet, eò paratiorem tranſitioni fore. Peruicit tamen Leonardi Griti ſententia; qui electo pridem Duce nihil immutandum cenſuit; nam multò ante prudentiâ ætati præcurriſſe: Nec in iuuene præter annos, quidquàm excuſandum occurrere; ſed velut compendio, Patris, ac maiorum virtutes, fortitudinem, fidem, prudentiam complecti: Vt non amicitiæ Gallorum; non vtilitati propriæ in eo locus ſit, qui famæ gloriâ tãgatur. Deniq;

Redit in Galliam.

validam

validam iuuentutem Mantuanam, vnâ cum Marchione, gerendis rebus illigari; in quâ ſæpius fortitudinem experti ſint. Proinde veteri deliberationi inſiſtendum; nec irritandum contumeliâ Principem, aduerſis maximè temporibus. Diſceptatum tamen in Senatu; & de virtute ac fide apud quoſdam dubitatum, amici Marchionem docuêre. Quod ille vt iniurium accepit; quamuis diſſimulari ad tempus indignationem ex vſu crederet. Paulò poſt nobilis Venetus, cùm literis Senatus Mantuam venit; eumq; denuò Imperatorem dictum, velut gratulabundus retulit. Franciſcus iræ, ac dolori cōpoſitus, quamquàm comitate in oratorem vteretur, lætitiæ tamen temperauit, & redire ad ſuos, ac referre; non ſe exercituum curam, niſi Generalis Gubernatoris nomine ſuſcepturum, iuſſit. Siue vt inſolitum familiæ honorē, & non vulgatos titulos dignationis inferret; ſiue vt nouitate oſtenderet, gnarum ſibi, quâ fide ac virtute, à nonnullis crederetur. Sed iam Regem Gallū affore nuncij detulerant, Apennino in Parmenſem agrum properantem. Ergò à Marchione regreſſus, voluntatem, & quâ auctoritate in exercitu eſſe vellet, retulit. Patres ſe deſiderio paratiores, quàm Franciſcus crediderat præbuêre; miſſiq; duo è Senatu, Lucas Piſanus, & Marchio Triuiſanus, copiarum Procuratores, quorum conſilio vniuerſa tractarentur: neq; ipſi inexperti agendorum. Comes Caiazij Mediolanenſibus, pro Ludouico præſidebat, Roberti Sanſeuerini Parentis virtuti impar, longâq; militiâ, cautioris, quàm fortioris exiſtimationem adeptus. Huic additus Franciſcus Bernardinus Vicecomes. Ambiguo Rege, quibusnam Apennini iugis, militem ac tormenta, in ſubiectā planitiem exoneraret, Rodulphus Gonzaga; moles prægraues per Longobardiam inutiles, leuiores ſufficere retulit; ijsque qui itineri quàm bello paratiores, fugiunt, quam recipiunt ſeſe, impedimenta damno eſſe, reſpōdit. Tum Gilbertus Cleuenſis, inter Ductores præcipuus, & ex armorum multitudine ſecuritatem reputans, obturbauit; nempè (inquit) Rodulphe pugnaturos in nepotem, bellicis machinis deſtitui cupis? His conſilijs apud tuos vtere; nos virtute quamquàm iniquo cliuo tranſponemus. Aderat Carolus, & quia magni morſus ſunt irritatæ virtutis, ſubiunxit Rodulphus; conſuluiſſe quæ vtilia exercitui, ac Regi cui ſeruiat crediddiſſet; neq; potiori loco nepotem quàm fidem habere; & in tempore approbaturum; nec tum quidem dilaturum vindictam fore, niſi cunctorum curam retineret. Nihil adhæc Cleuenſis, ſed ſecretò Regi collocutus, manifeſtam indignationem gentis, Dominiq; diffidentiâ oſtēdit. Verùm quia proximā ignauiæ erat, manifeſto diſcrimini, vitam honoremq; committere, nullâ Regis gratiâ; ingenitâ nobilitate auſus eſt teſtari temeritatem, & inepta occaſioni conſilia. Ad quæ Carolus, deſcripti pridem Mantuano militis, cōceptæ ſuſpicionis odio reddidit; non eius ſe operâ aut conſilio egere. Tū Rodulphus, ad meos igitur, quibus ſanguine ac natalibus obſtringor regreſſus; Caſtra hæc (inquit) ſuſpicionibus liberabo. Et citis equis, per nota Montiū diuerticula, Mutinam, mox Mantuam ad Franciſcum properauit. Venetis Duciq; magni viri acceſſus, ſpem victoriæ præbuit, aut cōceptam ſolidauit.

Franciſcus Gubernator exercitus Veneti.

Nec dubitatum, præcipuæ illum militiæ parti imponere; qui ſolo nomine, non ſemel ingentia bella profligaſſet. Contractum ſub pellibus militem, Marchio (quòd iam progreſſi hoſtes, haud longè planitiem ſpectarent) tribus illinc paſſuum millibus conſidere iuſſit. Nomen vico Giarola. Ne iniquitate loci aduerſus ſuperſtantes, certandum foret. Qui primi Gallorum iugis deſcenderant, Fornoui ſubſtitêre; cæteros opperientes; quos longi apparatus bellici, per aduerſas ac inæquales rupes vecti, ac librati militum humeris, detinuerant. Miſſus illico qui à Marchione Caroli Regis nomine, innoxium iter, & commeatum certo pretio requirerent. Ille conſulendum Senatum, ac Sfortiam, ſe tantùm miniſtrum, reſpondit. Sed vocatos proceres, ſententias proferre, & rationes imperauit. Cedendum quidam, alij obſiſtendum retulêre. Quod quia non Venetorum magis, quàm Ludouici, ac Marchionis intererat; miſſus Mediolanum qui votum Ducis referret. Ludouicus ac Venetorum orator; fugienti inimico, ſternendum pontem aureũ retulêre; nè in deſperationem conuerſâ neceſſitate, actior redderetur; aut totius Italiæ vis, vno velut ictu diſcrimini exponeretur. Dimiſſo aut retento hoſte, non ideò confœderatorum cauſam, aut vires gliſcere; quòd à tergo Neapolis præſidio firmata; & non longè nouis ſuppetijs, tota Galliã poſſit occurrere; quam expeditionis honor, & ſui Regis ſalus impellat. Id ſatis Italorum gloriam efferre; quòd victor regnorum exercitus, & nouâ poſſeſſione Rex triumphans, veluti ſupplex iter quietum, & commeatum oret. Superatis & deletis præſentibus, nîl cunctarum Galliæ Prouinciarum fortitudini detrahi; quæ incolarum frequentiâ, magnitudine opum ſint inexhauſtæ. His diuerſa Regum Hiſpaniæ Legatus afferebat: Indecoram Italiæ quietem, & fœdam ceſſionem futuram; ſi tot hominum millibus obiectis, minori commilitio Rex, obſtantes velut perrumperet, formidinis ac ſecordiæ vniuerſos inſimulans. Opportuno exemplo doceri Neapolitanos poſſe; nõ eam genti fortitudinem aut animos fuiſſe, vt arceri finibus nequiuerint: ſi ipſi ſtabiles in fide, aduerſus Reges ſuos perſtitiſſent: Paritérq; animos ſocijs nationibus dari; ne nomine tenus pauescant. Erant qui crederent, Hiſpanum periculum Italicæ fortunæ maluiſſe: Quòd nullo ſuo diſpendio, & certâ lætitiæ ſpe ſumeretur. Vbi verò ne Mediolani quidem, conſenſu ſancita opinio eſt; & Venetias mitti, qui conſilium poſcerent, placuit; rupit moras Franciſcus, quiq; pro Republicâ Procuratores adorant: Non enim id conſilij, ſed agendi tempus perſtrepebãt; & imminere hoſtem ceruicibus, niſi parati audentesq; frontem oſtẽtaſſent. Rodulphus Gonzaga non ſemel bellum diſuaſerat; nam iniquum pugnæ locum, non apud vnum ſummam imperij, penès Italos plus verborum quàm animorum, & Gallorum conſtantiã quâ ad pugnam venerant, introſpexerat. Sed in Italis plus diſcriminis, quã metus erat: Adeò vt gregarius miles, iuuentusq; indignantem hoſtis obtutum nunquam experta, ſpe, temeritate, exiliret, pugnam poſceret, diſuadẽres ignauiæ accuſaret. Progrediebantur interim Galli, nullo pauoris inditio; ſiue per literas ab Hercule Eſtenſi edocti, præcepiſſe Venetos, ne copiæ dimica-

Diſceptatur, an dadus trãſitus Regi Gallo.

dimicationi ſpontè exponerentur; ſiue nullas hactenus difficultates experti (quæ præferoces licet animos frangant) eundem vbiq; rerum exitum credidiſſent. Dexteri Tari Amnis latus Itali, ſiniſtrum Galli tenuêre. Non ante tamen prorumpendi ſignum à Marchione datum quàm vniuerſos hoſtes, aduerſâ in ripâ conſediſſe proſpexit; Ne ſi fortius impulſi forent, & deploratâ victoriâ fugam agitaſſent, ſecuras à tergo res, Parmamq; proſpectaſſent. Prior Franciſcus, voce, vultu, animoq; fortitudinem approbans, exemplo reliquos impulit, vt magna aduerſo hoſti virtute inueherentur. Sequebantur equites Sexcenti, quos Alexius Beccacutus, ætatis quæ iam ſenium referret; ſed militaris peritiæ conſummatus, ductabat; quemq; Belgicæ, ac Gallicæ expeditiones antetulerant; mox Mille quingenti Dalmatę, leuioris armaturæ mille equites; necnon Italorum quinq; milliâ. Præceperat Feltrio Vrbini Ducis notho, dimicationis exitum è ſpeculâ opperiri; & vbi laborem ſuorum, opuſq; auxilio vidiſſet, cum Octingentis equitibus, quibus præerat adeſſe. Pars alia equitum Rodulpho Patruo delegata, & lateri hoſtium inuehi iuſſa, vbi Gallus ſuorum aciem fronti explicuiſſet; & continuatâ virtute, victoriam Italorum diſtuliſſet. Duo Dalmatarum millia diripiẽdis ſarcinis deſtinata; quæ raris cuſtodibus ſeruabantur. Quidam Gallorũ imprudentiam; callidiores aſtum Triuultij Ducis cauſauere: Si gens prædæ ſueta, ordinem auaritiâ vtcũq; deſerreret; aut vtilitatis ſpe minus dicto Imperatorum audiret. Idem impetus Alphonſum Eſtenſem Herculis filium, cum Quadringentis Cataphractis, in Tramoliam Ducem impulit; longâ diſciplinâ expertum, & potiſſimis Gallorum impoſitum. Comes quoq; Caiazij, cum duobus peditum millibus (relicto ad opportunitates Annibale Bentiuolio, cum equitum manu, ac peditibus mille, qui Caſtra ſeruarent) prorumpentes ſecutus eſt. Formidaſſe Tramoliam auditâ Eſtenſis expeditione referunt; & obuerſum Regi inclamaſſe: Fruſtra Rex alienis viribus fidimus, noſtri nos lacerti ſecuros diſcrimini efferrent; defecit Eſtenſis; & durũ creditu erat, plus externam quàm ſuorum caritatem, apud incolas valêre. Mox accitis Heluetiorum Ducibus plura ſtipẽdia, magna præmia pollicitus eſt; ſi ſtabili gradu inuectam hoſtilem aciem ſuſtuliſſent; Regemq; ad Aſtium incolumem reduxiſſent. Carolus interim vbi Marchionem totâ vi, extremum ſuorum agmen petere vidit, conuerſâ fronte, & fortiſſimis ſuorum ſeptus, immoto ordine, obuius proceſſit. Pugnatum acerrimè; cum præcipui nobilitate pro gloriâ decertarent; & Regis Ducumq; præſentia adderet vigorem. Et quidem præcipua circa Regem virtus erat; quem infeſtis armis Franciſcus, inter obſtantes ac protegentes repoſcebat. Sed ille gracili corpore plurimum animi referebat; & inter fortiſſimos inferre ictus, vulnerari non poterat. Accedebat bellatoris equi, quem ſuorum hortatu delegerat, vis; qui altero licet oculo orbus, inculcatis ictibus, morſuq; longè infeſtos arcebat; facilis imperio Domini, & erga pericula impauidus. Sed inter tot dimicantes, armorum, cadentium, inclamantium, tubarumq; fragorem, vltrò, citroq; permeare, miſceri, confundi contigit; Quo errore oblatus Borbo-

Pugna ad Tarum.

nius Regius nothus, cui Matthęo nomen. Hic decore ornatuq́;, & ambi-tium tutelâ, ſpeciem Franciſco Regis obtulerat: Et fortè mutationem equi, armorumq́; præſumpſerat. Quâ cauſâ vis Franciſco geminata; & totus illâ incumbens, non antè, vim, cõſtantiamq́; remiſit, quàm vicinum habuit, equo fudit, & captiuum abduci imperauit. Fama interim capti Regis falsò vulgata, vt primò Gallorum virtutem, ſic depræhensâ vanitate, Italorum fortitudinem retudit. Iamq́; præualere Galli, inſectari bellum abnuentes, latè ſtragem peditum facere, & in Beccacutum, ac Rodulphum cum profectu niti. Ergò Marchio inter ſuos conſpicuus; enſemq́; hoſtili cruore madentem protendens, apud circumfuſos proclamauit: Sicne Commilitones, habitam penè victoriam; & Principibus hoſtium in captiuitatem futurumq́; triumphum abductis, fortitudinem, gloriamq́; remittitis? Nihil errore peccatum, habitum ſolummodò documentum, haud abſimilem Regi ſortem fore; ſi virtutis memores; iiſdem animis, mecum in confertum illum inſoleſcentiũ globum properatis. Flexam iam aciem videtis; plus gloriæ, minimum laboris ſuperat; niſi vos pulcherrima victoria offendit, aut Ducis veſtri honori inuidetis. Sic reddita conſtantia; & Marchio in Regem inuectus, pauẽtes traxit. Parte aliâ Beccacutus, pulcherrimæ animæ ſanguiniſq́; prodigus, adſcitis pleriſq; peditibus, Heluetiorum imperruptum hactenus cuneum aperuerat. Certabatq́; pari cum hoſte conſtantiâ ac fortunâ. Rex tot telis & fortiſſimo Duce impetitus, deploratâ ſpe omni; & magnâ ſuorũ parte deſtitutus (quorum pleriq; palantes, quò verterent ignari; & fugerentne, an ſubſiſterent ambigui erant) ſalutem à Diuis voto pactus eſt; ſi incolumis Regno ſuo redderetur. Qui longius aberant, vbi Regis diſcrimen excepêre, præcipites conglobati ſunt: Simul redintegratâ pugnâ preſsêre Italos; quos iam ordines deſeruiſſe, manifeſtè cõpererant. Nec tamen maiori imprecatione, imperijsq́; frequentioribus aliud Marchio monuerat; quàm victoriam in conſtantiâ fore. Breuem diſciplinam, vel horę tolerantiâ ſuffecturam. Id pernicioſum ſuis. Nam Rodulphus Gõzaga Ducum pręcipuus, Marchionis Patruus, qui iniquo loco præliari abnuerat; mox cõſenſu victus, acerrimam operam contulerat, dum ſuſtinet ruentes, accendit ignauos, ordines retinet; & detractâ fronti Galeâ, quò venerandâ canitie noſceretur à ſuis, imperioq́; generosè inſiſtit, nullâ ſui curâ, gregarij, ac Ducis partes impigrè executus, medio ardore pugnæ, vulnere vno exanimatus eſt. Quidam Heluetium, alij Gallum equitem percuſſorem tradunt. Satis liquet vulgatam per Gallos famam, viſos Dionyſium, ac Martinum Diuos, quibus ſe Rex, deſperatione effugij paulò ante voto obſtrinxerat, dare timidis animos, tueri Regem, & aduerſus inſtantes tela, minaſq́; intentare. Erepti Rodulphi magna iactura fuit, fractis militum animis metum inter, & caritatem; ſimul amiſſo Duce, in quo parem nobiliſſimis natalibus, fortitudinẽ ac prudentiam, etiam hoſtes faſſi ſunt. Tum manifeſta Italorum inclinatio, Gallorum virtutis incrementum patuêre. Nec tamẽ Marchio, quamquàm dolore ſaucius, aut diſciplinam, aut certaminis ardorem infregit; ſed rabie-

ſimul

Digitized by Google

ſimul ac dolore in vindictam exarſit. Non eadem cæteris vis, quibus magni Ducis præſentia, pro fortitudine erat. Nihilominus, vbi Marchionem redintegrare pugnam, Beccacutum inſtare cædibus, Eſtenſem Alphonſum, Comitemq́; Caiazij pari robore certare vident, Ducum virtutem ſecuti, vim Gallorum retinuêre. Aequataq́; iterum pugna, & diù ambiguâ victoriâ pugnatum. Quippe Itali, vindictæ ac prædæ ſpe; Galli, Regis ſui reuerentiâ, tanquàm pro ſalute dimicabant. Et ferox Marchio, ſingulos nomine ciens, hortator gloriæ, exemplumq́; aderat. Sęuum dictu eſt, plus fortunæ in bello, quam virtuti licere. Nam iuſſa Ducis malè accepta, res ſine imperio executioni mandatæ, rumor incertus, nimia vis bellantium, confundere ordines, & fortunam in hoſtes transferre poſſunt. Quò minus mirum; ſi prædationi intẽtis Stradiottis, cęſo Rodulpho, Vrbinate fruſtra auxilij ſignum opperiẽte, aut ſimulante, Gallis deſperatione bellantibus, hoſtes præualuêre. Non enim Italos, aliud conſtantiæ inſiſtere, quàm Ducis ſui Marchionis exemplum, & imbutæ cruore manus impulerant. Plurimum cædium, ad amnis vada admiſſum eſt; dum nocturnis imbribus ſuperſtagnans, cum diſcrimine ſuperatur; & recipientes ſe milites, cęnum, ac hiatus abſorbent. Vt flagitio Stradiottorum amiſſa victoria, ſic prudentiâ Gallorum Ducum obiectæ auaris ſarcinæ creduntur. Franciſcus tamen magnam ſuorum partem Caſtris excepit: Timore pauidos, & ignominioſam fugam meditantes, imperio, auctoritateq́; continuit; tanquàm mox in hoſtem redituros, quem licèt cùm victoriâ, præcedens tamen pugna fregiſſe dicebatur. Vrſinus Pitiliani Comes, ingentis vir animi, nihil virium Regi ſupereſſe, & quamuis minimâ incurſione, integram victoriam conceſſurum, ſacramento firmabat. Tractus in longum labor, vtroſq; diremit; & Galli ad Medeſanum Caſtra metati ſũt. Pauciores Gallorum, ſed nobiliores cecidêre; quamuis amiſſo Rodulpho, æquata iactura fuerit. Promiſcuæ turbæ plurimos ſors belli abſtulit. Rex ſibi victoriam, non alio nomine aſſeuerabat; quàm quòd per medios hoſtes, viam virtute inueniſſet. Itali tot Principibus inter hoſtes cæſis, capto Borbonio, ac multis proceribus, abductis Regijs ſarcinis, & prædâ expleto milite, ſibi pulchriora affingebant. Vtriq; publicis oſtentationibus, ſucceſſum ex voto facti ſunt. Mantuana nobilitas plures deſiderauit, quos Rodulphi caſus, ac Marchionis incitamentum, medijs hoſtibus obiecit, & deſtituit. Neminem ſeorſim commendauerim; quòd profectò ad periculum Domino, plurimi fortunam ambiuerint; rari reuerterint. Ortâ luce conſpicui in armis milites Itali, eodem Pitilianenſi impulſore, denuò belli euentum tentare; in Duces iniurij, contumaciâ agitabant. Non enim Gallo ignes, non alimenta, non veſtem fuiſſe nouerant; nam Stradiotti, furandi, quàm pugnandi meliores, abduxerant omnia, dum ſe furori dimicationis ſubtraxêre. Et Marchio promptus fortioribus, quandò bellum ſuadebant, in ſententiam iuiſſet; niſi manifeſto inditio Sfortiæ fraudes, & ſuos certare dolo prohibitos deprehẽdiſſet. Cauſa ex metu erat; ne Veneti magno exercitu victores; & intra Mediolanenſium viſcera, totâ mole belli ſiti, cæſo, aut fugato Gallo; res nouas,

& dominij partem, nullâ negandi ſpe quæſiuiſſent. Et quidem ſiue prudentia id, ſiue fortuna docuerit; per ingentes Italiæ tumultus, auctos potentiâ Venetos exitus docuit. Nec enim Marchio, quiq; pro confęderatis dimicabant, detractioni Ludouici temperabant; tanquàm primò Alphonſum Regem, mox Gallos ac Pontificem, poſtremò Venetos, turpi ſimulatione ludificaſſet. Alij Ludouicum obſidione Nouariæ, & modicis copijs inſtructum excuſabant; ſed veritatis apud antiquitatem memoriam ægrè aſſequare. De ſecretis, & quæ nemo ex ſcientiâ protulerit, in abdito coniectura eſt. Niſi perfidiæ ac inſidiarum frequenter depræhenſus, etiam vbi candore vtitur, malè audit. Ludouicus humanâ prudentiâ (quam pleriq; flagitio nectunt) commendatus, cætera vt perfidiâ maculoſus reijcitur. Medio ferè noctis, nullo bellico ſono exciti Galli; & frequentibus ignibus proſpectui obiectis, itineri ſe accinxêre. Orta luce manifeſta fuga, & noui congreſſus formido, quam Pitilianus oſtenderat. Comes Caiazij cadente iam Sole, cum ducentis equitibus amnem tranſgreſſus (non enim ante auctu aquarũ ſuperari potuit) extremos ac fatigatos carpere aggreſſus eſt; non niſi in multum noctis permiſsâ quiete. Illi tueri ſua, & ordines ſeruare, ſatis in tempore rati, & prælio, & itineri, pari languore intenti erant. Donec ſuperatis difficultatibus in Aſtenſem Ciuitatem peruenêre. Hic tanquàm in ſuo, Nouariæ laboranti ſuppetias ferre, & nouo milite ſupplere Legiones cogitauerant. Sed euentuum varietas, mutauit conſilia, docuitq; raram futuri prudentiam eſſe.

Digitized by Google

DOCT.

ANTONII POSSEVINI IVNIORIS

PHIL. ET MEDICI MANTVANI

GONZAGÆ

LIBER SEPTIMVS.

BREVIARIVM LIBRI.

VENETI Franciſcum Marchionem Capitaneum generalem exercitui ſuo præponunt. Senatus Veneti munificentia in liberos, quorum Parentes in pugnâ ceciderant. Franciſcus pro Mantuanis non recipit. Ad Nouariam contra Gallos pugnat, & Ciuitatem capit. Lues Gallica. Venetorum gratitudo in Mantuanum; huius magnanimitas. Piſas præſidio teneri diſuadet apud Venetos, ſed fruſtra. In Neapolitano iterum pro Rege, copias Venetorum ducit. Paulum Vitellium capit ad Atellam. Regreditur in Vrbem. Pro ſuſpecto apud Senatum à Sfortiâ & Rege Neapolitano accuſatur. Vtrique imminui numerum militiæ obtinent: proinde indignatur. Piſanos Ducem poſcentes auerſatur, nec minus Florentinos. Mox Maximiliani Imperatoris copiarum Dux declaratur, & Ducis Mediolanenſis. Hic tamen vbi ſuſpectum Venetis accepit, contemnit. Franciſcus queritur, & Mantuam redit. Iterum à Senatu Veneto in Capitaneum requiritur. Caſtelbarcus & Daneſius decertant, ſed à Principe lis componitur. Caroli octaui Gallorum Regis mors. Ius Gallorum in Ducatu Mediolanenſi. Antonij Grimani apud Venetos præcepta Politica. Ludouicus XII. Rex Galliæ Mediolano potitur. Inuiſitur à Franciſco, & fœderi ſuccedit, aſpernatus duodecim millium aureorum ſtipendium. Equeſtri D. Michaelis ordini adſcitur. Ludouicus Mediolanum recipit. Federici Franciſci filij natales. Franciſcus apud Gallum accuſatur, quòd rebelles Mediolanenſes detinuerit; ideoq; in Gallias profectus ſe excuſat; Quingentis Longobardis

Cata-

Cataphractis præficitur. Aragonum Regum ſeries in Neapolitano. Franciſcus in Regnum decertat pro Gallis. Cum ijs tumultuarius congreſſus, & diſciplinæ militaris, inuiſa Gallis. Mox in Patriam redit. Guerrerij. Hiſpani toto Neapolitano potiti. Eleonora Franciſci filia, vxor Vrbinatis. Sigiſmundus Franciſci frater Cardinalis. Franciſcus Capitaneus generalis exercitus Pontificij. Iterum Dux exercituum pro Gallo, aduerſus Genuenſes. Fędus Pontifici, Imperatori, Gallo, contra Venetos. Franciſcus recipit Caſale maius pro Gallis. Ludouici XII. victoria aduerſus Venetos. Potitur Peſcheriâ, nullâ curâ fęderis. Franciſcus in Veronenſes pro Maximiliano Cæſare, & mox capitur. Nuptiæ Eleonoræ Franciſci filiæ. Franciſcus Generalis Capitaneus Pontificij exercitus, ac Veneti; ſed morte præuentus eſt. B. Paula Franciſci Marchionis filia, in Cœnobio D. Paulæ. Federici primi Ducis exordia. Maximiliani Imp: mors. Italiæ ſtatus ſub Leone Pontifice. Federici aduerſus Pontificis deſideria aſtus, & auerſio à Fregoſis. Eius ſtudia in iuuentute. Lutheri errores, & cauſæ ex Leone Pontifice credita. Iulius Capilupus. Carolus Diplomate confirmat Federico inueſtituram Mantuæ; & Capilupo medio, eum auellit ſocietati Gallorum. Leo Pontifex etiam Capitaneum generalem exercitus Eccleſiaſtici dicit. Galliæ Rex conatur abſtrahere Federicum à fędere Caroli V. & Pontificis. Hercules Epiſcopus Mantuanus. Veneti, Galli, & Eſtenſis collegati in Pontificem ac Carolum V.; Proditor Franciſci Marchionis ad Scalam, Mantuæ deprehenſus, cum gemmas ſecreti pretium, vendere procurat. Federicus reddit inſignia Ordinis S. Spiritus Regi Gallo; prouocatus hoſtili animo Gubernatoris Mediolanenſis. Pontificius miles Parmam inuadit, & ingreditur, ſupremo Duce copiarum Federico. Leonis X. mors. Federicus in Patriam reuertens, Placentiam Pontifici reddit. Mox Mediolanum cum Franciſco Sfortiâ tendit. Papiam aduerſus Gallos tutatur; A Clemente ſeptimo Capitaneus generalis copiarum Eccleſiaſticarum dicitur. Rex Franciſcus ad Papiam capitur, & cum eo Federicus Gonzaga Bozoli Dominus. Clementis VII. de Carolo V. ſuſpicio. Iſabella Federici mater Romam proficiſcitur, & multa à Pontifice ſuorum vtilitati exprimit. Populatio Vrbis. Aedes Columnenſium immunes vexatione, quibus ſe cum Iſabellâ multæ Romanæ Matronæ occluſerant. Hercules Cardinalis. Aſperitas conditionum Gallum Regem iterum ſumere arma in Carolum V. impulit. Federicus contra Cæſarem, ſed cautè. Mors Federici Gonzagæ Bozolani. Equitatus Mantuanus pro Gallis in Regno Neapolitano. Peſtis Mantuæ. Equitatus Mantuanus in Regnum miſſus, ægrotante Lutbreco Mantuam reuertitur. Carolus V. Genuam venit. Federicus Genuam ad Carolum V. & ſe excuſat. Imperator Federico Duce exercituum in Italiâ vtitur. Pax Pontifici, Carolo V. Venetis. Imperator Mantuam. Federicum è Marchione Ducem creat. Tractatur de coniugio Federici cum Monferratenſi. Credita Sabaudij iura. Carolus V. inueſtiturã Monferrati concedit Federico Gonzagæ ac Margaritæ vxori. Medicei ſuæ Patriæ Principes. Franciſci Federici filij natales. Ioannis Georgij Monferrati Marchionis mors. Sabaudius de poſſeſſione Monferrati apud Carolum Quintum queritur, præſente Federico. Aurelius Recordatus. Rex Galliæ exercitum in Italiam mittit. Caroli V. in Conſiſtorio querelæ: In Gallum expeditio comite Federico. Et ſententia Imperatoris

toris ſecundùm Federicum Ducem Mantuæ, ſuper Monſerrato. Galli Arce Caſalis potiti, ſtatim à Marchione Vaſti exiguntur. Iſabellæ Eſtenſis Federici matris obitus. Federici Ducis mors, eiusq; eodem nomine filij poſthumi natales. Diſcordia aliqua inter Federici fratres & viduam Margaritam, Herculis prudentiâ componitur. Franciſci Ducis initia. Sindicus Delfinus, & Carolus Bononienſis correpti. Ferrantes in Hiſpaniam. Carolus Quintus Canneti, confirmat priuilegia Gonzagorum. Et Catherinam Ferdinandi fratris filiam Franciſco deſpondet. Eius ſtudia in adoleſcentiâ. Eccleſia Diui Petri Mantuæ incendium. Ferrantes Mediolani Gubernator. Tuneti Rex Mantuam, Maximilianus Boëmiæ Rex, & Philippus Rex Hiſpaniæ. Franciſci Ducis nuptiæ, & ſtatim mors. Hercules, & Margarita mater fruſtra hortantur Gulielmum cedere Ludouico Ducatum. Eius imperij initia; & in Delfini & Bononienſis liberos munificentiâ. Catherina Franciſci vxor vidua redit ad ſuos. Maximilianus Mantuam. Bellum Parmenſe, & Mirandulanum. Galli Caſalenſi Ciuitate potiti. Carolus V. Imperium fratri, Regna filio cedit. Pontificis & Hiſpanorum non longè Româ dimicatio, & pax. Ferrantis Gulielmi Patrui, & Caroli Quinti mors. Ferdinandus Imperator, confirmat Inueſtituram Gulielmo. Pax generalis, quâ Gulielmo Galli quæ per Monſerratum ceperant, reddunt. Herculis Cardinalis modeſtia in vicina ſpe Pontificatus. Concilium Tridentinum, cui Hercules Præſes. Gulielmi cum Eleonorâ Auſtriacâ nuptiæ. Maximilianus Imperator. Federici Pendaſij mors. Gulielmus pecuniæ accumulator. Vincentij natales. Herculis Cardinalis mors. Cardinalis Federicus Gulielmi frater. Mantuanus cenſus. Gulielmus in Germaniam. Ludouicus Gulielmi frater in Gallias. Margarita Gulielmi matris mors. Gulielmus in Monſerratum. Coniuratio Caſalenſis in Gulielmum, eiusq; exitus. Federici ac Franciſci Cardinalium mors. Turca bellum Maltenſe, & Pannonicum. Gulielmi eâ causâ liberalitas. Federici Gazoli Marchionis mors, & Gazolum, & Doſolum in Gulielmum abit. Turcarum fortuna, & Chriſtianorum in eos fœdus, naualisq; victoria, & Gulielmi ſubſidium. Gregorium Decimumtertium Romæ inuiſit. Scipionis Gonzagæ caſus cum Gulielmo in Vrbe. Imperator erigit Monferratum in Ducatum, & Gulielmo dat Sereniſſimi titulum. Ioannes Baptiſta Poſſeuinus auctoris Patruus.

PVLSI Regis, tot Principum captiuorum, abactæ prędæ fama, Mantuam delata; non ideò Iſabellam Marchionis coniugem, aut ciues pro expectatione lætos habuit. Defuncti enim Rodulphi memoria (quam pleræq; nobilium mortes intendebant) non lætitiæ imitamentis ſupprimi, non commendatione Patriæ virtutis celari poterat. Luctus publicè ſumptus iubente nullo; & exceptum frequentiâ nobilium funus, per laudes, & gloriam magni Ducis celebratum eſt. Viſebantur Gallorum inſignia, arma, equi, ſarcinæ, tormenta,

menta, currus, victis adempta; & longus ordo captiuorum; quæ tamen mi-
noris gloriæ erant; quàm vaſtus pectoris hiatus; & facies magnos adhuc ſpi-
ritus, fuſo licet ſanguine oſtentans. Catherina vxor, ac filij, nepoteſq́; no-
bili poſteritatis officio, cadauer magno cum gemitu excepêre; neq; in po-
ſterùm alio ſolatio mꝏſtitiam, quàm conſcientiâ gloriæ deterſêre. Marchio
mole belli diſtractus, auehi Patruum, publicè ſicco oculo paſſus, ſecreto im-
placabiliter queſtus eſt: quòd ereptum ſibi parentem (ſic Patruum appella-
bat) nulla amplius fortuna foret redditura. Poſtquàm confęderatis prima
non ceſsêre (nõ enim aut Italiâ pulſus, aut tranſitu prohibitus Carolus fue-
rat) Nouaria ſupererat; quam forti ac vicino hoſti relinqui, non conditio-
nibus concordiæ, non communi vtilitati expediebat. Et Ludouicus futu-
rorum anxius, niſi recepiſſet; deploratas ſpes, nullâ vtilitate tantum labo-
ris ac ſanguinis inſumptum fatebatur. Etiam ne diſſolutâ ſocietate, medijs
difficultatibus immerſus, deſereretur metuebat; velut auctor diſcriminum;
& fidei mendacis. Summa tum vis in Veneto erat; qui glorioſi exitus Ro-
dulphi Gonzagæ, ereptæ regiæ Gazæ, fortitudinis Franciſci Marchionis
gnarus; quem ſemel exercitibus impoſuerat, nouo titulo inſignire cogitauit.
Et quia Gubernatoris generalis nomen, Procuratoribus Venetis promiſcuũ,
ac Duci erat; placuit Franciſcum Capitaneum generalem dicere; vt conſi-
lio Procuratorum vſus, arbitrio vniuerſa tractaret. Quippe fidem ac prudẽ-
tiam experiri ante in Imperatore decet; & habito conſenſu, militiã omnem
vni tantùm permittere. Pro Mediolanenſibus Galeatius Sanſeuerinus erat;
rerum experientiâ clarus; ſed non niſi conſulto Marchione, fortunæ peri-
culum facere iuſſus. Habebantur ſub ſignis viginti quinq; hominum mil-
lia. Hos inter Germani, quos Lanſcnectos vocant, Duce Petrapantâ rege-
bantur: Quòd ea gens, non niſi ſuorum imperijs obtemperet. Nouariam
cum octo fermè millibus, Orleanſius Dux ſeruabat; ſiue in certamen Vene-
ti regrederentur, ſiue ſuſtinere obſidionem cogeretur, eo numero validus.
Interim Senatus accepta clade ſuorum; raro, & immortalitati ſacrando exẽ-
Venetorum liberalitas in heredes occiſorum. plo, ſtipendia Ducibus, ac militibus augeri; interfectorum liberos enutriri,
filias nuptui publico ære tradi imperauit. Sic reliquos nullâ domeſticæ rei
curâ ſollicitos, audentiores in virtutem fore crediderat; cuius honeſtiſſima
præmia cernerentur. Nec pietas fruſtra fuit; ijs enim exercituum acclama-
tionibus, excepta munificentiâ eſt; vt cum hactenus vtilitate, in poſterùm
caritate deſeruirent. Quadringentis Mantuanis, inter quos multi nobiles,
ſubſidium à Senatu decretum, non liberi, non Marchio recepêre; vt ſibi cõ-
mendatio, reliquis exemplum eſſet. Vbi commeatus, ac oppugnationi ne-
ceſſaria comparata ſunt, decreuêre Duces obſidionem morâ trahere: Satis
enim recipiendæ Nouariæ fore crediderant; ſi nouis præſidijs, & alimentis,
clauſi deſtituerentur. Plures quippe inerant, quàm vt commeatus prouiſus,
abundè eſſet. Nec tamen oblatam gloriæ occaſionem, acie negligi voluê-
re; imo pari in vtroq; conſtantiâ, non querere, non abnuere. Conſilium
Marchio dederat: Ne fortiſſimo præſidiario ſeruata munimenta, ingentem

in-

in ſuggredientes ſtragem ederent. Fermè enim vallum ac foſſas, ſepulturã ſtrenuorum oppugnantium dicebat. Sanſeuerinus ad Lemenognas ſubſtiterat, quâ Vercellæ proſpectantur: Marchio non ante dato ſibi loco conſedit, quam Berionum munimento validum, & pleraq; adiacentium Oppidorum, oſtentatâ pietate, aut vi reciperet. Nouaria tot hominum millibus habita, ſingulis victum ægrè ſubminiſtrabat: Et quamquàm bello inutiles forent expoſiti, eadem tamen egeſtas fatigabat; imminutaq; fortitudo incolarum fuit; vbi parentes, coniuges, liberosq; amandatos; & fortunæ, inſtantisq; exercitus arbitrio commiſſos vidêre. Secuti indigentiam, graues morbi; ſiue arcto ſitu minus puri aëris intercurreret; ſiue exoletis cibis vterentur; ex queîs alimenti corruptio, ac lues cum excidio ſequebatur. Non tamen Carolus Rex, copijs quas haud procul Taurino habebat, commeatuum ſubuectionem, aut ſubſidium ferre maturauit; quòd Nouarienſium multitudini crederet; & ſuorum pauori, ac infrequentiæ diffideret. Miſerat tamen qui venales Heluetios pretio allicerent, eorumq; decem millia recuperandis quę amiſerat per Italiam, propinquis iugis deducerent. Quod notum Marchioni; & ne ſummâ pace, ac ſecuris itineribus properantes, illicò arma induerent; vias omnes equite quacunq; Nouariam tendebatur, ſepſerat; vt fatigatos, inermes, omnium indigos repelleret, cæderetque. Etiam quoſdam Gallorum, ciuibus per nocturnas tenebras alimenta inferentes, proſpero prælio fuderat, Ducibus Iulio Agnello, qui iuuentam per Germaniæ bella, & Gallicas ſeditiones, nobili diſciplinâ traduxerat; Et Andreâ Caſtelbarco, tracto inter arma æuo, caſuum belli gnaro, eoq; intrepido. Præcipuum Vrbi munimentum, Diui Franciſci ædes erant, pone mœnia. Has Galli forti manu ſeruabant; emittendis quos voluiſſent, accipiendisq; auxilijs, opportunas. Franciſcus (ne id quoq; cautiores, honeſti ſpecie prohiberent) tercentum equitibus, totidemq; expeditis peditibus, comite Alexio Beccacuto quo ad Tarum vſus fuerat, profectus eſt; vt contumaces loco pelleret. Sed difficilior oppugnatio depræhenſa, quàm vt haſtis, mucronibusq; ſuperarentur: Proinde in vim acriorẽ conuertit. Non igni non bellicis inſtrumentis abſtinuit; quò peruicaces exigeret; & intra Ciuitatis munimenta compelleret. Plus eâ oppugnatione laboris, quàm bello ad Tarum, minus cædium acceptum eſt. Cum non milites ſolùm, ſed eius Cœnobij alumni, impedimẽta, contos, arma obijcerent, eò acriores, quò maiori conſtantiã oppugnatores inſtabant. Medio ardore certaminis, dum valido nixu ſcalas erigunt; iãq; Beccacutus vno alterove ſtrenuè comitãtibus ſuccedit, obtulere ſe ſumptis raptim armis Monachi præliantes; ſed vbi ruptis lanceis, in propinquo victoriã ſpectauere, nec arceri ſcandẽtes vlla vi poſſent; auſus eſt Cucullatus generoſum facinus; quod in ſequentem, victoriam reiecit. Nam implicatus ceruici Beccatuti, præcipitem ſe in hoſtes dedit; traxitq; virum per obſtantes, & omnes ſecum eâdem ruinâ inuoluit. Inter arma ac ſanguinem, eorũ nemine, aut oppreſſo aut lacero, qui prociderant; riſus ortus eſt; ſed mutãda conſilia Marchio didicit; vbi etiam inermes, tantùm virtutis efferrent.

Frãciſcus ad Nouariam.

LII Itaq;

Itaq; iuſſis Germanis, parte aliâ, factâ teſtudine occurrere, inferre ſcalas, tollere aggerem, denſare ictus; & ſuis æmulatione gloriæ, capto ante loco inſultare; coacti Galli cædere; & arctiſſimo itinere, quod humo vepribusq; occuluerant, in Ciuitatem ſe receprere. Excindi Monaſterium non placuit: Sed vt commeatus ſeruaret, hoſtiles motus premeret; ducenti equites, duo peditum millia impoſita. Ita aſſiduis incurſibus hoſtium liber exercitus, Nouarienſibus ſpem omnem auxilij ademit. Ridebat Marchio, ſibi impietatē aſſingi, quòd loco ſacro, ingeſto igni, & effractis valuis non peperciſſet, cum eâ religione Galli, in ſuorum perniciem vſi forent; nec alibi maior ſcelerū facies occurreret. Perfecto tandem opere Veneti Procuratores acquieuêre: Vt ferè mortalium conſilia, fortunam quàm rationem ſequuntur. Quingentis ab hinc paſſibus Galli, duo munimentis loca delegerant; quibus hoſtium acceſſum prohiberent: Alterum ad D. Nazarij ſuburbium; ad ſiniſtrā portam alterum; & vtrunq; valido milite inſederant. Et Marchio nîl profeciſſe ratus, niſi his quoq; fidentē hoſtem exueret, denſis manipulis vtrūq; adortus, intra poteſtatem redegit; nouis impoſitis, qui aduerſus exactos, parta ſeruarent. Poſtremi oppugnatione, magna Ducibus gloria acceſſit; Marchioni ob recepta munimenta; Pitilianenſi Comiti, ob graue vulnus acceptum; dum Marchioni obſecutus, inter medios, nullo à gregario diſcrimine concurrit. Sed vetus Vrſinorum nobilium gloria; quam non metus, non fraus, non pretium ſolido conſtantiæ dimouerit. Accingebatur Marchio cæterorum oppugnationi; ſed Galli continuum laborem peroſi; & formidine, ne ad hoſtem tranſirent, plerisque impoſito igni, metum teſtati ſunt. Nouarienſe præſidium indies maioribus anguſtijs illigabatur: Non pabulum equis, non militibus alimenta ſuppetebât. Et Dux Orleanſius aſſiduis ad Regem literis, ſuorum calamitatem, fractosq; inædiâ ac labore animos docebat. Gonzaga etſi certaminis deſiderio reliqua poſtponeret; nec gloriam niſi ſudore, ac ſanguine æſtimaret, vbi tamen pronos in concordiam cæteros confœderatorum vidit, miſſo Scutifero Ducem monuit; datis obſidibus ad Regem proficiſceretur; caſumq; Ciuitatis deferret; & niſi feſtinato auxilio adeſſet; deditionem integrâ fortunâ faceret. Aureliacenſis, Orleanſio diſcors fuit, quòd pacem mallet. Et eôuſq; acerbis reſponſis proceſsêre, vt nulla Regis procerumve reuerentiâ, arma certamini requirerent: Transfactumq; inter diſceptantes ſanguine foret, niſi Regis auctoritas concordiam interpoſuiſſet. Sic neceſſiras præualuit; & conceſsâ Ludouico

Galli in Regnū redeunt. 1495.

Sfortiæ Nouariâ, Galli omnes trans Alpes abicre; fine Octobris, Milleſimi quadringenteſimi nonageſimi quinti; tantâ celeritate; vt fugam, non receptum crederes. Hæc eadem tempora, fœdiſſimam humano generi labem attulêre: Dum enim Galli ac Hiſpani, ijſdem Venereis ſordibus, Neapolitanâ expeditione volutantur; morbum quem Itali Gallicum, Galli Neapolitanum,

Morbus Gallicus.

prudentiores luem Veneream dicunt, nouam labem, incognitam Europeis peſtem, protulêre. Cauſa vel ab aduerſo ſydere, vel à corruptelâ fuit; mixtione, ſorditie, inquinamēto. Tantoq; primùm grauior lues, quò minus

cognita,

cognita, & non germanis præſidijs curata eſt. Poſtmodum Indi, Hiſpaniq; ignominiam delati morbi, oſtentatione curationis imminuêre; quam ſecuta ætas, accuratâ methodo proſecuta, facilem reddidit. Carolo vltra Alpes reduci, pax Italiæ imminere viſa; nec enim concordibus Venetis Ludouico, cæteriſque per Longobardiam minoribus, effringi pacta, metus erat. Itaq; Veneti, gnari per quem res integras, libertatemq; Italiæ ſeruauiſſent (ſiue aſtus, ſiue futuri prouiſus fuit) vt gratitudinem erga Marchionem teſtarentur; aut merita ſtipendia penderent, Viginti quinq; aureorum millia tranſmisêre; & quò eadem toti familiæ lætitia eſſet, Marchionis coniugi Iſabellæ, quatuor millium monile, ſtrenam pignusq; optimæ voluntatis. Pari munificentiâ in Catherinam Rodulphi vxorem vſi ſunt; nam ſancito apud Ludouicum defuncti filium eodem munere; etiam Octo aureorum millia addidêre; quòd dare potius Senatui opus eſſet, quam Principibus accipere. Et ne quis nauatam operam, ſudorem, labores imputaret, Quingenta alia nummûm aureorum millia, Ducibus militiq; rarâ liberalitate diuiſêre; vt futuræ ſeruitutis præmia præſumerent. Acceptam pecuniam Franciſcus, ingenitâ domus ſuæ magnanimitate, militum vſui impendit: Satis vtilitatis, vbi plurimûm laudis eſſet, exiſtimans. Reductus demûm in hiberna miles; quòd aſperitate cœli ſub dio haberi non poſſet: Tum Mantuã ad ſuos, triumphator hoſtium haud dubiè, quos fugauerat; poſtremò Venetias conceſſit. Inculcatis quippe literis Veneti poſcebant, Senatus conſilio, cui operâ nobili profuiſſet, & honori ſuo, adueniret. Exceptus ex ſententiâ eſt; & Reipublicæ munificentiâ, regio cultu habitus. Inter Florentinos, ac Piſanos vetus æmulatio; & recenti quorundam munimentorum cauſâ, nata diſcordia, ad bellum, vſq; proceſſerat. Hos per ſecretum Ludouicus Sfortia, illos apertè Galli fouebant: Licèt in nemine, fides integra, aut certa tutela eſſet. Piſani non libertatem potiùs, quàm alios dominos poſcentes, Venetos non in ſocietatem (nec enim tanto ſe nomini pares nouerant) ſed in protectionem vocauerant. Hinc inter Patres opiniones excuſſæ, an eam prouinciam ſumi, vſui rerum præſentium; an diſpendium allaturum eſſet. Iuuenes, & diſcrimina fronte tenus callidi; ſiue pulſo Rege feroces; ſiue copias quas in armis habebant circumſpectantes; tutelam præferebant. Infero, ſuperoq; mari, eandem Reipublicæ potentiam; & ſi Calabriæ litora infeſtâ claſſe tenerentur, mediam reliquam Italiam velut in ſinu Venetorum fore. Occaſionem proferendæ dominationi, raram, incertam, fugacẽ eſſe: Et modicis principijs, ingentes exitus plerumq; ſubſequi. Quid ſi Piſæ præſidio habitæ, & extrema Neapolitani Regni vſurpata, Hetruriam ac Calabriam aperuiſſent? Non aliter Romanorum potentiam (cuius veſtigia tererent) quàm vicinis ſubiectis, Italiæ primùm omni, mox Orbi terrarum iura dediſſe. Deniq; agendis rebus, non militem, non pecuniam, priuatam publicamve deeſſe. Hos neruos ſoli Gallo, cæterorum nulli eſſe. Illum verò diſtantiâ, & innumeris difficultatibus diſtractum, domi ab Hiſpano exercitu, & voluptatibus fractum, Italiæ tantùm votum & ſpem habere; Multos

minori nomine Principes Italos, vnius cui ſeruiant Imperium, ſuâ de gente cupere, ne inter diſceptantes medij, cum diſcrimine poſſeſſionem adeant; aut vbi ſe partibus ſacramento deuouiſſent, in excidium deſtinentur. Pontificem plus ſibi ac ſuis, quàm loco cupere; ſenisq; animum auaritiâ vlceroſum, facilè pecuniâ leniri: & dum benè ſuis ſit, parum futuro prouidere. Hæc & alia ingerebantur quæ magnitudinem animi, non prudentiam ſpectarent; Acerrimo Leonardo Cornelio; cui pro Patriæ gloriâ nihil vnquam ſatis erat. Sed vbi Senatus Franciſcum propoſiti rationes reddere iuſſit; ſic excepit: Quod ſemper opinione tenui, coram depræhendi, P. C. innata Ordini huic, cum magnitudine animi, & maximarum rerum deſiderio, vires, fortunam eſſe. Quæ enim bellorum turbæ, quæ confertim illapſæ difficultates, ſpiritus hos, hanc prudentiam deterent? Nihilominus, vt rogatus sẽtentiam explicem; ea tantùm proſequar, quibus caueri conſulo. Pulſus quidem Carolus Italiâ; ſed formido iuuenis, ſuorum diſcordię, parum tuta amicorum fides, cauſam turpitudini dedêre. Nec ea diſtantiâ eſt, vt terrâ mariq;, vnum intra mẽſem, acerrimus hoſtis bellũ referre non poſſit; Genuenſes ad nomen gentis inhorreſcunt; & portum, pecuniam, militem (ſi velle oſtenderit) ſunt in pace conceſſuri. Tenentur adhuc præcipuæ Regni Neapolitani Prouinciæ à Gallis, & ſubſidium à Rege ſperatur. Cæterùm præcipua concordiæ pars, in Ludouico Sfortiâ eſt: ægrè tolerabit, Venetos illius ſe Vrbis tutores offerre, quàm pridem in votis habuerit. Nec iniquo deſiderio excuſabimur, apud eum qui perfidiam nouerit, & ſectatur. Cauendum ne irritato Rege, concitato Ludouico, laceſſitis Florentinis; bellum anceps ſumatur; & peſtis illa potentiorum, cæterorum concordia, aduerſus cõſpiret. Vix vni validiorum reſiſtimus; quid ſpei creditis, ſi vniuerſi incumbuerint? Populus Romanus accolas primùm, mox reliquos, continuatione armorum inuaſit: nempè, vt qui primùm infenſi fuerant, eodem iure cum victoribus vſi, præſidio aduerſus nouos eſſent. Iactabant etenim Prouinciarum ſanguine viciſſe Prouincias. Nos in Piſanos, militem ac pecuniam, niſi per hoſtilem agrum, aut totius Italiæ ambitu tranſmittere poſſumus. Prudentia fortitudini iũgenda eſt; enitendumq; potius, vt collati in Aragonios præſidij nomine, ſine præmio operę, ſiue expenſarum causâ, pars aliqua Regni, velut pignore à Senatu teneatur; quæ turbatis olim rebus, & bono Senatus fato, viam ſternat ad maiora. Equidem nemini mortalium ignotæ Senatus vires, & progreſſuum deſideria ſunt. Sed velanda conſciẽtia, visq; aperta in maiores opportunitates differenda. Ego certè cenſeo; neminem Patriæ huic hoſtem eſſe, vt quidquàm de præſentibus adimat; ſed ne futuris augeatur, obfuturos omnes crediderim, qui potuerint. Et hæc quidem, quãtùm Reipublicæ proficuum ſentio, iuſſus profero. Quòd ſi vobis Patribus imperantibus; cuicunq; Orbis parti bellum his auſpicijs illaturus proceſſero; eandem fortitudinem, ſolitam fidem retinebo. Conſilij pars recepta, pars reiecta eſt; ne opportunitati in tempore deeſſe; aut alienæ prudentiæ eguiſſe viderentur; prout in Senatu, alij ingenio; auctoritate ac exiſtimatio-

ne

ne alij valent. Itaq; Piſarum tutela recepta eſt: Et cum Rex Neapolitanus
ſubſidium oraret, quamquàm in ſpeciem difficultatem præferrent, promptiſ-
ſimè tamen Marchionem Franciſcum, cum quinq; hominum millibus mi-
ſêre: ne indurati aduerſus preces crederentur. Sed eâ conditione aditus la- *Frãciſcus in Regno Neapolitano pro Rege Dux Venetorum.*
bor, vt expenſis à Rege ſatisfieret; Veneti interim Otruntum, Brunduſium,
Tranum, Monopolim, & Pulignanum, veluti pignore retinerẽt, donec Du-
centis aureorum millibus à Rege redimerentur. Vbi Aragonius, pacto Se-
natus Veneti ſtetit, feſtinato itinere Franciſcus, in Regnum profectus eſt; cũ
Ciues, & domeſtica, Iſabellæ vxori, ſupra ſexum validæ commiſiſſet. Fines
Lelio Andreaſio ſeruandos credidit; Vrbanam ruralemq; militiam Beccacu-
to, pridem expeditionum comiti delegauit. Opportunior Sancti Germani
via credita; captaq; plura à Marchione ipſo in itinere Oppida, ſtatim Gal-
lorum partes infregêre: Quòd commeatum, & ſolita Caſtris miniſteria,
incolæ impigrè obirent, pleraque non iuſſi conferrent. Tandem non lon-
gè Nocerâ Regem conuenit; videndi ſui deſiderio languentem. Tertiâ
Iunij Milleſimi quadringenteſimi nonageſimi ſexti, auctus copijs ac Duce 1496.
Ferdinandus, Caſtrumfrancum, quod Galli valido præſidio inſederant, re-
cepit. Hîc Regem futurorum ambiguum, nouæ ſuppetiæ firmauêre: Nam
Ioannes Sfortia Piſauri Dux, lectâ iuuentutis manu aduenerat; & Ioannes
Gonzaga Marchionis germanus, cum Ducentis equitibus, proprio ære de-
ſcriptis, eaſdem partes ſectatus fuerat, maioris fratris exemplo. Accedebat
attrita Gallorum virtus; qui præſentium inopes, & futurorum neſcij, deſci-
ſcentibus palam Regni primatibus (tanquàm nullum ſcelus eſſet, aduerſus
inualidum) in præceps ferebantur. Præter Gallos duces, ſumma in Paulo
Vitellio exiſtimatio erat. Hunc tamen Marchio Franciſcus, Atellæ clauſe-
rat; adempto commeatu, & diſpoſitis aduerſus erupturos inſidijs. Fama eſt
frequenti conuiuio; quo Principes exercituum mutuo officio excipiebantur,
laudatum à Romano quodam Vitellium, Marchionis animum altius ſauciaſ-
ſe: Velut alterius commendatio, opinionem virtutis in reliquis adimeret:
Simulq; profeſſum iuuenem; ſe non niſi probatâ virtute (ſi per occaſiones
licuiſſet) ad ſuos reuerſurum. Non enim conſummatæ gloriæ decus, niſi eo
quoq; Duce ſuperato, in Patriam relaturum ſe exiſtimabat. Sed arte opus
erat; & belli peritiſſimus Vitellius, non ſemel obuios fefellerat. Clauſo vn-
diq; Ciuitatis acceſſu, ſe cum Trecentis leuis armaturæ equitibus, Franciſ-
cus ſecreto nemoris interiecti abdit; & per exploratorem pretio corruptum,
Paulum docet, non alio itinere, aut egredi Ciuitate, aut inferri commeatus
poſſe; ſimul iubet ſe ductorem offerre, vt conſtaret fides. Ille veteris ſibiq;
ſolitæ prudẽtiæ oblitus, ſiue anguſtiâ ſuorum, ſiue deſiderio eruptionis coa-
ctus, clareſcente cœlo, cum quadringentis, per decliue montis frumentatũ
proficiſcitur. Vt in planitie conſedit, & pugnæ neceſſitas inducta; latebrâ
Marchio cum ſuis erupit, dorſoq; ac lateri inuectus eſt. Paulus non tempo- *Pugna Franciſci cum Vitellio.*
ri, non officio defuit; conſilio manuq; fortiter obſiſtens; donec cedentibus
ſuis, & Gonzagam proclamantibus, magnam ſuorum partem amitteret, ipſe

etiam vulnere ſaucius caperetur. Id vnum famæ ſuæ deeſſe Franciſcus credidit. Proindè quò comitate additâ gloriam augeret, inter cõuiuas recepit; detinuitque hoſpitem, non captiuum; adeò vt Vitellio, non honore, non familiaritate, odioſæ anguſtiæ videri poſſent. Atellâ captâ, & Conſaluo Hiſpano, Calabriam proſperis expugnationibus laceſſente, cætera Regni, nîl opus bello habebant. Nam Alphonſo (etiam qui primi fidem exuerant) parebant: Et ſi quid virtutis egebat, omiſſo Mantuano, Conſaluo, legabatur; Regni quoq; proceres externam gloriam, apud Regem non vt decebat miniſterio gratum, carpebant. Quæ inſolita Franciſco, niſi vitauiſſet, facilè indignãtem in abrupta traxiſſent. Igitur tãquàm expleto Senatus mandato, cuius auſpicijs militauerat; Patriam cogitauit. Breui Regis ſalutatione exceptus eſt; ipſe ſeſe breuiori expediuit. Cum enim an de reditu cogitaſſet, quæſiuiſſet; Franciſcus reſponderat; etiam decreuiſſe. Sic ſuſpectæ longæq; militiæ auulſus, cùm viſendæ Vrbis deſiderio teneretur, ad Pontificem diuertit. Qui magnâ lætitiæ oſtentatione exceptum, Galeâ etiam, & Enſe donauit; veteri Romanorum Epiſcoporum conſuetudine; virtute ac natalibus inſignes Principes, eo honore proſequendi. Sunt qui in pręcedentem annum Marchionis in Vrbem aduentum referant. Franciſco pro Venetis, atq; adeò pro gloriâ, in Regno Neapolitano dimicante, Ludouicus Sfortia, Tyrannorum vſu, ſuſpicionibus paratus; & manifeſtis Venetorum artibus prouocatus, (nam Piſarum dominationi ſtudere cognouerat) ſimulque formidine; ne ſuperatis in Regno Gallis, eò præcipuè virtus Marchionis incumberet; nec minus fortunæ, metu; quæ in præſentem fauſta, non eadẽ futuro ſperaretur; componit ad Venetum Senatum literas, quarum hic ſenſus erat: Satis perſpectum ſibi non aliâ, quàm virtutis æſtimatione, turbatis Italiæ rebus, delectum à Patribus Franciſcum Gonzagam; cui virtus fortuna, nobilitas, maximis auſis par eſſet. Neq; tamẽ obtrectari à ſe Ducis gloriam; ſed alios præuenire gratiam; in Venetorum perniciem, toto nixu properare; eoq; metuere, ne quò vtilitas flexiſſet, illâ Dux quoq; ſibi tendens, inclinatet. Non fallaci nuncio accepiſſe, Carolum Regem id fortunæ ſuæ præſidium quærere; & iam Marchionem, Regio nomine blandiẽte, pronum in res nouas eſſe. Proindè ſęderi icto conſulerent; & cui ſummam belli crederent, oculatè introſpicerent: ne Duce ac fide ſimul deſtituti, neceſſitate in mediâ, ſeq; ac ſocietatem mergerent. Paulò ante Aragonius, Senatum per literas monuerat, miſſas à Gallorum Rege, ad Marchionem epiſtolas; quas licèt vix euolutas igni tradidiſſet, ſuſpicionem tamẽ concordiæ, & metum deſciſionis afferre. Sed indignatione proruperat Marchio; & ignominiam interpretabatur, licet apud inconcuſſum, fidei requiri. Vtriuſque Principis monita, ſuſpicionem Venetis præbuêre. Quamuis Sfortia odio generis, habendi cupidine ſolitas, fraudes exerceret; Aragonius inuidiâ magnum Ducem proſequeretur; quaſi auſpicijs Senatus, ſuâ virtute, elatum contumaciâ Regnum compoſuiſſet. Certè iam victoriæ proximus, libens auxilium remiſiſſet, vt minus deberet; nam inter diſcrimina excuſſerat infenſos.

ſenſos. Sed Veneti poſſeſſione Oppidorum ac litorum (compedes vocabãt) quiq; fortiter actis gratitudinem exprimebant, inuiſi erant. Accedebant apud Venetos detractores; qui gloriam, inuidiâ æmulabantur; carpebantq́; velut penès Marchionẽ fuerit; quò minus exutus Caſtris Gallus Rex præda Venetorum acceſſiſſet. Etiam ſordidiora proferebãt; pretium fugæ, abeundi licentiam, imperatam Mantuano equitatui negligentiam. Sed inualidiora erant, quàm vt dolo adſcriberentur. Nam frequentes inter ſuos cædes, confoſſus Patruus, aditum diſcrimen, captus Borbonius, ſuſpiciones indecoras eluebant. Dominationis arcanis opus erat; vt innocens, de virtute malè audiret. Ergò qui Senatus inſtituta, longâ aſuetudine didicerant, altioribus inſiſtebant. Eò Marchionis merita proceſſiſſe, vt ſolui nõ poſſent; ideoq́; odium pro gratiâ, neglectum pro merito reddendum. Eam Senatus amplitudinem eſſe, vt exteri vnius, nec certæ fidei virtute firmari, citra ignominiã metumq́; non poſſit. Haud minus Europæ Regum metus, eam ob virtutem æſtimabatur; ne tali vinculo illigati, habitam familiaritatem, excidio Venetorum conuerterent. Nimiam in Patria virtutem, inuiſam, periculoſam, nocuam eſſe, quantò magis externi Principis, & vicini? Deniq; metuẽtium Senatorum animo, Aſola, Peſcheria, & Lonatum obuerſabantur, tanquàm per iniuriam (quæ tamen non ignoretur) Gonzagis detracta. Et credebatur Franciſcus, vt non veterum iurium oblitus, ita antiqua & debita, virtute, amicitijsq́; repetiturus. Strenuo Duci, valido hoſti, tot vires, tot exercitus mandari, perniciosum cenſebatur; præcipuè quòd offenſam nouiſſet; & mole ſuâ, repentinã vindictã agitare poſſet, cuicũq; auxilio inniteretur. Etiã tempus ſtipendij ab merito, in Cenſuram vocatum; creditumq́; longitudine obſequij obſtringi militem, & à Senatus caritate, ad Ducem flecti poſſe. Ergò adimi exercitus, & nouum Ducem imponi placuit; ne vtriſq; nouandi occaſio, communione, & conſenſu eſſet. Vix Mantuam reuerterat; neceſſitudinum Patriæq́; amore illectus, cum à Senatu per literas iubetur maturato itinere adeſſe: de grauibus conſultandum, quæq́; dilationem non patiantur. Franciſcum Senatus conſilia non fugiebant, penès quem inuidiam æmulationemq́; valere monebatur: Et non tum primùm vocatos in ſuſpicionem Gonzagos, quorum virtute ſemper profeciſſent. Quinq; dies tamen priuatis negocijs petiti; quibus expletis, nullâ dilatione affuturum ſe promiſit. Præcipui amicorum ſuadebant, cum ſuo milite properare. Nam Octingẽtos equites propriâ pecuniâ, ex ſubditis dilectos, proſperorum aduerſorumq́; ſocios, ſecum habuerat; neruum belli; & quorum virtute, aduerſus Vitelliũ ad Atellam proſperè pugnauerat. Id ex vſu credens, etiam reliquos, quibus Beccacutum ac Caſtelbarcum præpoſuerat, in armis eſſe, & paratos cuicũq; imperio, iuſſit; dum ad ſuos regrederetur. Vbi Veneti tot armatis ſeptum; & apud reliquos, ſolidam erga Ducem fidem vident; non amplius præſentiâ aut milite opus eſſe reſpondere. Compoſitis motibus Italiæ; dandam miſſionem ſtipendiarijs, quorum operâ in bello vſi fuerant. Proin arctaret numerum; & quidquid externi ſit dimitteret. Marchio quamquàm per ſummã

Venetorum de Franciſco ſuſpiciones.

iniu-

iniuriam, & calumnias lacerari ſe; & ipſo curſu victoriæ fraudari gloriâ cognoſceret, ſponte ceſſit; literis tamen Senatum compellare placuit, ne per ignauiam pulſus crederetur, in hanc formam. Adeò inueteratum Mantuæ Dominis, aduerſus Venetos obſequium, plurium annorum eſſe, vt non alio Principe ſeruire nouerint: & Reſpublica, familiaritate imperij, pro arbitrio, fortunis ac laboribus vti didicerit. Oſtentatâ non ſemel fidem, nouis teſtibus non egere. Etiam calumnias obiectas ab ſe negligi, ne conſcius iraſci videatur. Pulſum Italiâ Carolum, habitam Nouariam, reſtitutum Neapolitanum Regem, etiam eos qui oderint, fateri. Exceſſiſſe Prouinciâ, vbi muneri ſatis egiſſet; & ſe Veneto nomine inuiſum accepiſſet. Sordes, auaritiamq; longè eſſe; quandò ex hoſtibus ſpolia, meritorium aurum, vniuerſos Patriæ reditus, etiam ſanguinem, ſuorumq;, & maximè Patrui vitam, eidem miniſterio inſumpſiſſet. Nec tantùm pecuniam, imo fidem conſumpſiſſe; contracto ære alieno graui, quo non ſtatim exoneretur. Vt Senatui copiarum Duces, ſic ſibi partes quas ſequatur, non defuturas: Et iam præ foribus eſſe, qui preces afferant. Toties à maioribus ſuis ſuperatam inuidiam, approbatam fidẽ, exhauſtas ſuſpiciones, ſecuritatem caritatis afferre debuiſſe; Nunc plus ſibi operæ aduerſus æmulos, quàm hoſtes eſſe. Cæterùm, non extincta fomenta belli; imo è propinquo nouos armorum motus, erumpentes ſuſpiciones, minasq; excipere. Quæ fruſtra eſſe deſideret, niſi Senatui profectura. Nec plura; ne formidine aut conſcientiâ, quæ obijci ſibi nouerat, ſtudio diluere videretur. Nîl Gallo, Ludouico Sfortiæ, ac Florentinis, etiam Neapolitano gratius accidit; quàm tali præſidio Venetos deſtitui, & veturum in partes Marchionem; reputatas iniurias vltum iturum; acriusq; nauaturum, ſi bello præficeretur. Primi Florentini, pacem, fœdus, & eò copiarum Duce, præſidium aduersûs Piſanos quæſiuêre: ſed ob recens Venetorum odium; & ne in minora flexiſſe videretur, Franciſcus curam abnuit. Simul ne in Sfortiam inducere hoſtilia crederetur; quem inimicum aduerſis etiam Venetis habere, pernicioſum nouerat. Illi tamen haudquaquàm propoſito abſtinuêre, nixiq; Cæſarem in cauſam trahere, quem Piſanis paratiorem crediderant. Nam libertatem ab Imperatore præferebant, vt eo ſaltẽ nomine, vexationem potentiorum redimerent. Franciſcus Germanis Regibus obſtrictus, paratum ſe pro Domino, ſi requireretur, profeſſus eſt: Attamen nullas Imperatori per Italiam partes eſſe, nec ſuppetere vires nouerat. Et reſpondit expectatio; auerſato Cæſare negocia; nec auſo, quod inconſultè quæſiuiſſet, metu dedecoris attrectare. Florentini tamen, quando Marchione vti non poterant; id ſolùm procurabant; ne inimicorum alicui deuinctus in armis eſſet. Et vile Maximiliani nomen apud Italos erat; tanquã fruſtra auctoritatem Italis interpoſuiſſet; vanaq; aduerſus Florentinos expeditione, ſuam ipſe infirmitatem aperuiſſet. Quò manifeſtior leuitas eorum eſt; qui cuiuſq; belli cauſas auidè amplexati, non ante futurum æſtimant; proinde quâ leuitate procurrêre, impelluntur, auctâ hoſtium ſuperbiâ. Cupiuerant Florentini Marchionem nomine tenus pro Cæſare eſſe; non vt vte-

retur;

retur; ſed vt Venetis auelleretur, opportunitate, & Duce vti neſcijs. Miſerant itaque Carolum Saluiatũ, qui ſecretò Marchionem conueniret; & quãdò Venetorum ſacramento ſolutus degeret, moneret; non ſegne otium Principis gloriæ reſpondêre; neque præteritam famam rerum, niſi continuatione virtutis retineri. Mox velut in caſum ſermone iacto, iuſſus requirere; an Cæſaris Imperio obtemperaturus foret; quandocunque Ducem appellaſſet, ademptâ Venetis expectatione ac pœnitentiâ? Hoc habito ſtatim in Germanias properare, & Maximilianum voto ciuium illigare. Prudentiam exitus ſecutus eſt; ſiquidem principio anni Milleſimi quadringenteſimi nonageſimi ſeptimi, Veronenſis Epiſcopus ad Franciſcum primò, mox ad Pontificem legatus, diploma Cæſareum, ſupremæ auctoritatis detulit; quo pro Imperatore, ſupremus exercituum ductor, per Italiam proclamatus eſt. Ludouicus quoq; Sfortia, ſiue ſceleris memoriâ (quòd optimè meritum Principem detractione fœdaſſet) ſiue rerum ſuarum ſtudio; quæ haud longè Maximiliani animum ſpectabant, vt fortiſſimo Duce vteretur, aut alios adminus habere prohiberet, eundem delegit, cui Mediolanenſium copiarum in bello, ſummum ius foret. Miſſus Galeatius Vicecomes Mantuam, qui Franciſco Vexillum, dignitatis inſigne deferret; ipſumque amicitiâ ac fœdere, aduerſus omnes alios deuinciret. Exceptus tamen Imperator: quem Ludouicus nõ minus Dominum, quam Marchio appellabat. Siue ſic sẽtiret; ſiue pluribus inimicitijs, non egeret. Dum hæc inter aduerſos, & ſuſpectos, odio, aſtu, ſimulatione geruntur, Florentini acrius in Piſanos inuecti, vniuerſum agrum hoſtiliter populati, ſibi adiunxêre: nec enim Veneti ſolito Duce deſtituti, vniuerſa conſilio ac fortunâ exequebantur. Et noua imperia, militi inſueta, frigidiores effecerant. Ludouicus ipſe ſubtractione commeatuum, interceptis Apennini iugis; & oſtẽtatione noui Ducis, omnia Venetis ardua reddiderat. Pariter longa & intuta nauigatio, moras addebat; cogebatq; Piſanos remedia poſcere, & deſperare. Didicêre miſerrimi, quos ſibi fœderibus amicos adſcirent: Neque diſtantiam ſubſidij, vtilem oppreſſis eſſe; cum nonnunquam diem intra vnum; ſalus, excidiumque Ciuitatis cuiuſpiam incurrat. Veneti longius ſiti, niſi per hoſtilem agrum inferre præſidia poterãt. Mare peruium quidem, ſed longitudine, & immenſo ambitu, nauigationis diſpendioſum auxilium, tardumq; erat. Sic vniuerſa Piſanis retrocedere, & Veneti experimento depræhendêre, Franciſci conſilia plus rationum habuiſſe; cum omitti Piſas in Senatu prædixiſſet. Interim ipſe iniurias è Patribus, quæ meruiſſet, quas ſpecioſiſſimas victorias Reipublicæ tuliſſet, quàm leui coniecturâ fidem tot annorum reieciſſent, recolens, irâ, & odio ardebat. Nam licèt præceptis dominationis, ſuſpectus Venetis eſſe poſſet; deterſiſſe tamen formidinem, fidemq; tot annorum, ſuo ac ſuorum obſequio liberaſſe credebat. Sîn minus irritam ſeruitutem potentiorum; nec miniſtrantibus ſpem integræ caritatis manere. Cauendos quidem dubios, aut qui conſtãtiæ experimento non reſponderint; ſed integros, intaminatos, nõ ſui anxios, prodigos ſanguinis ac ſalutis (ſi vſquam creditur) pro integris retinendos.

1497. *Frãciſcus Capitaneus Imperatoris, & Ludouici.*

Totum

Totum id Ludouico notum erat; qui ſecretis delatoribus Marchionem ambiuerat; vt voces, ſuſpiria, querelas, & ſimulando, perſcriberēt, & indignationem onerarent. Itaq; vbi auulſum Venetis præſidium, indignato Marchione vidit; neque promptam reconciliationem (vt qui omnia vtilitate, non honeſto metiretur) opprimendi Franciſci occaſionem ſpeculatus; nullam opportuniorem retulit; quàm ſi virum, nullo pro meritis honore habitum, conceſſo licèt munere, contemneret, & in deſpectu haberet: negatoq; militibus, quibus impoſitus fuerat ſtipendio, viliorem indies apud ſingulos redderet. Sic inani Ducis nomine inſignitum, turpi otio corrumpebat; & vbi facto opus eſſet, viles ac ignauos delegans, neglectum fatebatur. Et quò ambiguos etiam ſuos haberet, eluctantibus verbis, ſed quæ apud ſeruientes in pretio habebantur, prudentiam viri, militarem diſciplinam, ſed & fidem carpebat. Quæ ſingula ad Franciſcum delata; non tamen præcipitem impulêre; ſed modò alimentis, modò pecuniâ quæ bello vſui eſſet quæſitâ, ſummâ patientiâ agebat. Vbi verò non modeſtiæ, non precibus, locum vllum vidit, palam queri, factoq; promiſſa repoſcere cœpit: Profeſſus ſe non ideò laborioſam militiam, commoditati domeſticæ prætuliſſe; vt ſuis ludibrio, exteris neglectui foret; ſed honeſtiſſimis inſtitutis, Principis cui militaret auſpicijs vigilaret, gloriam rectè factorum ad ſe trahere. Neq; tamen Ludouicus ſolitas artes, & ſimulationem omittebat; modò pecuniam, modò hauſtos vectigalibus ſubditos, etiam pœnitentiam ſumpti belli notare. Sed vetus odiū viro in Marchionem erat; vt perfidi aduerſus integrum, doloſi in manifeſtū, Tyranni in verum dominum: Et ſaluo honeſti nomine, vindictam ſumere quidem, cauſam offerre non poterat, vt certam. Nam præter antiquas Gōzagorum ſimultates, & petitum toties in Ciuitatem Mantuanam ius eluſum, Marchionis quoq; verborū meminerat; quibus illum Romæ apud Pontificē Tyrannum dixiſſet; & non duraturam homini potentiam, quę titulo careret. Vbi facie rerum mutatâ, in Sfortiæ militiam deſcendit; cum alienis abſtineret, ſuas tamen iniurias liberè proſecutus, vetera refricabat; quorum memoriam aboleri Ludouicus deſiderauerat. Durum id Italiæ Principibus auditu, quibus Sfortiæ fraudes, & malæ artes perſpectæ erant. Non enim ipſum Gallo Rege, non Venetis, non Florentinis, non Mātuano Marchione vſum; niſi vt ſingulorum officijs illuderet; & operâ in tempore vteretur, quæ ſibi ſalutem ferret, imperium ſeruaret. Sed non merito, non gratiæ locum dari, etiam quorum non intererat, lamentabantur. Adhuc Italia exterorū exercitibus vaſtata, expreſſæ pecuniæ, commeatus corrupti, & quies turbata, ſingulorum animis obuerſabantur: Vtq; tot millia vnius conſcelerati ingenio perderentur. Idem apud Gallos de Ludouico iudicium, Carolum Regē impulit ſcriptis literis Franciſcum monere; ne ſe, ac famam miniſterio infidi perderet; ſed tardè licèt, reſipiſceret; ſepararetq; cauſam ab iniquo, cui Dij hominesq; iuxta iraſcerentur. His; & quia ſimulatione ſatiatus Franciſcus, vilipendium auerſabatur; Mantuam ſe retulerat; equitemq; quem indiuiduū tradidimus, ſuos in locos diuiſerat; tanquàm nullo amplius vſui, domeſticū

otium

Digitized by Google

otium carpere meditaretur; & Ciuitatis vſui aſſiduus, familiares occupationes, tranſmiſſis exteris curaret. Quod negociationi ſupererat, equorum, armorumq́; ſtudio impendebat; adeò ſolicitus & intentus, vt in craſtinum pugnaturum crederes. Non enim commeatuum aggeſtus, pecuniarum apparatus, militiæ diſciplina minor; quam præſente inimico erat; & quidquid diurno vſui ſubtrahebatur, bello deſtinabatur. Nec minus literis ac muneribus apud Cæſarem aſſiduus, aduertere Dominum Longobardis rebus animum coëgerat; & excuſsâ negligentiâ, introſpicere, quæ vis Ludouici, quãtum dedecoris, neglectus prouinciæ, Cæſaribus afferret. Vniuerſa Ludouico gnara, ſed vitari non poterant; ſtudio Marchionis, & conuincente veritate. Adeò Franciſcus, pace ac bello, cum non læderet, æquè moleſtus erat. Veneti ne Principum moris ignari, & primos auditus non excepiſſe viderentur; & vt inter prudentes æſtimatione veri, locum pœnitentiæ reperirent; agitato ante inter Patres conſilio, optimè ſecum agi credidêre, ſi longius agente Cæſare; torpente, aut quietẽ ſimulante Ludouico, offenſo contumeliâ Marchione, vtilitati intenderent, & cuiuſcunq; conſilia præuenirent. Mocenigus quippe apud Vrbem Orator, ſecreta Pontificis conſilia, eoq́; metuenda perſcripſerat; & qui apud Neapolim curabant, Ciuitatum litoralium poſſeſſionem inuiſam docuerant. Carolum quoq; Gallorum Regem, nec adiutum, & offenſum, nouos motus cogitare pleriq; detulerant; & erga Venetos, vt inimicos acturum. Parte aliâ non amicus Cæſar, Veronæ ac Patauij ęſtimatione; & ſuſpectæ fidei Ludouicus, cupidine Brixiæ, Cremæ ac Bergomi ſciebatur. Ita nîl vſquam ſecurum; quando Turca ipſe domeſticas contentiones Italorum opperiretur; vt toto Aegęo, ac Ioanio, diſtractis ad interna Venetis, potiretur. Neq; tamen tantam Franciſci iniuriam, vt aboleri memoria non poſſet, rebantur. Cura Duci Senatus permiſſa, vt vacuum Marchionem blanditijs aggrederetur. Ille ætate, & rerum vſu ante Principatũ probatus, mittit ad Franciſcum literas in hæc verba.

Litera Ducis Veneti ad Franciſcum.

Auguſtinus Barbarigus, &c. Quamquàm Hieronymo, & Antimacho, paternam erga te inclinationem, & pronam erga Excellentiam & dignationem tuam voluntatem teſtati ſimus, quę pridem fuerat; in Excellentiæ tamẽ tuæ gratiam; noſtramq́; ſatisfactionem, placuit præſentes ad te mittere; quibus ſignificaremus animum noſtrum, ac Senatus vniuerſi eſſe, Excellentiam tuam, honoris ac muneris gradu habere; reſq́; tuas, tanquàm filium, cõductum Ducem, quibus nobis pridem obſtrictus eras. Sed honoris & dominij Eccellentiæ tuę, eandẽ in poſterûm nos curã habituros, quã rerũ noſtrarum. Dat. Viceſimâ ſextâ Octobris, Milleſimi quadringẽteſimi nonageſimi octaui.

Placuit huic loco Epiſtolam inſerere; vt nemini quantumuis infeſto, dubitatio inceſſat; non eam Senatus erga Marchionem indignationem fuiſſe, quam rerum neſcij; & detractionem quæſtum rati, prauis animis, & turpi ignoratione circumtulêre. Sed cuicunq; mendacio fortior eſt veritas; & literarum exemplar, perpetuitati, in Mantuano Ducum Archiuo aſſeruatur. Minus id tamen Franciſco viſum, quàm vt ſuſpicaciũ interpretationes eluc-

rentur;

rentur; miſſoq; Venetias Stephano Anguſciolo, abs Senatu orauit; vt benè nauatæ tot expeditionibus operæ fidem, nobili diplomate teſtaretur. Itaq; veritati, & æternitati, ſequenti teſtimonio conſulêre.

Auguſtinus Barbarigus Venetiarum Dux, &c. Nobili & Excelſo Franciſco Gonzagæ Marchioni, ſal. Ea eſt conditio meritorum, vt apud Senatum noſtrum, nulla ſeruitus vana, aut ſine præmio ſit. Cum itaq; diebus elapſis, fortiſſimi Ducis partes expleueris, militando pro nobis, aduerſus Sereniſſimum Galliæ Regem Carolum, apud Neapolim, & ſub Nouaria. Ibiq; omnia & ſingula executus ſis, quæ à ſtrenuo Capitaneo deſiderantur; imò cum æterno noſtri Senatus honore, Gallum vltra Alpes retrocedere compuleris; multa Oppida Regni Neapolitani, ſuo Regi, nobis iubentibus reddideris; & Nouariam è Gallorum manibus generoſâ oppugnatione receperis, & Ludouico Sfortiæ Duci Mediolani, nobis ita iubentibus, reddideris; ideò his in perpetuum duraturis, fidem cuicunq; magnæ, aut paruæ perſonæ facimus, nihil à te in ijs bellis admiſſum, aut omiſſum; quod noſtræ voluntati non reſponderet; & nobili viro ac virtuoſo non conueniret. Pariter nullâ indignationis aut odij cauſâ, ablatum tibi Capitaneatum noſtrorum exercituum, ſed tantùm manumiſſos milites, & copias imminutas; quòd non amplius ijs Senatui noſtro opus eſſet. Datæ Venetijs Die 26. Nouembris, Milleſimi quadringenteſimi nonageſimi octaui.

Hic idem annus, tumultu breui, ſed valido Ciuitatem affecit; qui morte vnius ſopitus eſt. Caſtelbarci vetuſtate originis, ac honoratæ; & non ſemel affinitate Gonzagis nexi, fuſis in bella opibus, & perenni pro Marchionibus militiâ; cum pauperiores agerent, quàm generi deceret; dites tamen, & quibus ingentes annui cenſus eſſent, infra ſeputabant. Die vniuerſis Cœlicolis ſacro, præcipui nobilium, in Sancti Andreæ Porticum cõuenerant, vt mutuis colloquijs leuarentur. Hos inter Laurentius Caſtelbarcus, & Iulius Daneſius, de genere diſceptare, & quæ potior inter Mantuanos nobilitas crederetur, contendere cępêre. Caſtelbarcus ſuos, Daneſius vetuſtiorem, ductamq; eâdem magnificentiâ in præſentem, familiam iactabant. Hic etiam peruicax ſententiæ, animiq; commotior, enſe exerto, in Caſtelbarcum inuectus eſt, vt fortunæ degenerem. Qui claritudinis ac familiæ memor, dũ iniuriam repellit; aduerſi Daneſij os, adacto altius mucrone ſauciauit. Ad caſum iuuenis, accurrêre nobiles ac ciues; & in partes diuiſi, alij defuncto, Caſtelbarco alij aggregati ſunt: Parabantque ferro ad Curiæ aditum, velut acie decernere; niſi modeſtiorum hortatu, meliorum precibus acquieuiſſent. Caſtelbarcus in D. Andreę templũ, cæteri in domos quiſq; ſuas dilapſi ſunt. Franciſcus tumultu audito, & fidis aulicorum comitatus, in Plateam deuectus exceſſiſſe omnes; & aſportatum Daneſium accepit. Vocatos ergo familiarum primores, non ante dimiſit, quàm mutuæ ſecuritati cauerent. Caſtelbarcus paucos poſt dies Vrbe exceſſit; & irâ inimicorum lenitâ, ſuperſtite etiamnũm Franciſco, ac concedente, in Patriam reuerſus eſt. Magna tamen Daneſij iactura credita, quòd è nobili domo, ſolus Patruus, vergẽtis

Caſtelbarcus & Daneſius decertant,

aui

æui ſuperſtes eſſet; breuiq; tantùm decoris finiendū arbitrarentur. Aemulatione ſummorum Principum, Rerumq; publicarum, apud quos, non minor nobilitatis, quàm Patriæ cura habetur: Vtpotè penès quam virtutes inexhauſto fonte contineantur, quibus incolumitas Populorum ſeruatur. Marchio & ſi motos ad fauorem Venetos, & erroris pęnituiſſe vidit, cum tamen Barbarigo Duci grates beneuolentiæ reddidiſſet, Senatum tamen ſilentio tramiſit; donec ab eo quoq; habito teſtimonio, manifeſtior cunctorū voluntas, & maior ſibi honor acceſſit. Per hæc tempora cum Veneti Piſarum poſſeſſionem, & aditum maioribus aſſequendis per Hetruriam meditarētur; & Ludouicus Sfortia, non magis eiuſdem Ciuitatis deſiderio; quàm ne alius potiretur, anxius animi ageret; Florentini pro veteri imperio, Piſani pro libertate, cui etiam Regi Gallo pretium dediſſe ferebantur, digladiarentur; mors Caroli octaui, & aſſumpti Ludouici duodecimi nuncius in Italiam venit. *Caroli viij. mors.* Id exceptum, cūctorum animos detinuit, variè Principibus diſſerentibus; metusné noui è Gallis belli, an ſecuræ cis Alpes Prouinciæ crederentur. Et quidem prudentiſſimè Veneti, æſtimatis rationibus prædixerant; ſeu ius; ſeu gentis ingenium ſpectarentur, Ludouicum Regem, Mediolanenſem iuriſdictionem repetiturum. Nam præter vim animi ingentem; cum ratione credebant, nullam Sfortijs, ſed Gallis tantùm, poſt ereptos Vicecomites, in Mediolanenſes actionem eſſe. Quippe fracto Turrianorum dominio, Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo tertio, Matthęus Vicecomes Reipublicæ Mediolanenſis Capitaneus dictus fuerat. *Ius Gallorū in Ducatum Mediolanēſ.* Ex eo quinque liberi, Galeatius, Marcus, Luchinus, Ioāṅes, Stephanus progeniti. Matthęo Galeatius, huic Azo, nullâ prole relictâ, Luchinus demûm ſublato nepote ſucceſſit. Defuncto Luchino, Archiepiſcopus Ioannes imperium habuit. Sed & Stephanus Matthęi filius, tres liberos ſuſceperat, Matthęum, Galeatium, & Bernabouem. E Galeatio, Ioannes Galeatius; virtutis Comes; qui Milleſimo tercenteſimo ſeptuageſimo octauo, captâ poſſeſſione; & ſeptimo ab illinc anno Bernaboum Patruum in vinculis habuit. Hic ampliato Imperio, nec amplius vulgaria ſecutus, Valentinam filiam, cū Quadringentis aureorum nummûm millibus, dotis nomine, Ludouico Duci Orleanſij collocauit, additâ Ciuitate Aſtenſi. Non enim longè latèq; patenti dominationi, leuis illa detractio, infirmitatem addere videbatur. Huic Ioāṅes Maria Anglus, & Philippus Maria filij ſucceſsêre: qui ſine liberis pariter, iuſto matrimonio ſuſceptis deceſſerant. Ergò Ludouicus duodecimus, Caroli Orleanſij Ducis filius, Ludouici Aui ſui coniugis nomine, Prouinciam repoſcebat. Nec enim Biancam illegitimam, Philippi filiam, Sfortiarum matrem, ſucceſſionis ius vllum habere contendebat. Et hæc quidem vetus Gallorū præſumptio erat. Quamquàm Ludouicus Rex perfidiâ, aſtuq; Ludouici Sfortiæ irritatus, & nomen & hominem auerſaretur, eòq; acrius in ſpem Ducatus accingeretur. Sfortia (nec enim iuſtis, iniquiſq; audentia deerat) multò ante turbas Hetruriæ; quibus Florentini dominium Piſarum requirentes, & Veneti contrâ enixi, diſtraherentur, prece, præmio, comminationibus fouebat. Nè

vtraq; Reſpublica ſacramentum Regi diceret, nullâ rerum ſuarum ſpe reliquâ. Nam etſi magnæ vires Ludouico,& multum pecuniæ eſſet; validis tamen hinc Venetis,illinc Florentinis, neq; ad vlteriora progredi, neq; intra ſua tutus agere poterat. Hauddubiè, minus penès Florentinos potentiæ; maius in Venetis momentum erat; vicinio,auctoritate, pecuniâ. Hos itaq; frequentibus literis Alexander Pontifex, ac Galli Regi ſuo illigare, ineuitabili Ludouici Sfortiæ caſu ſatagebant. Diſputatum ſententijs in Senatu eſt, nonnullis conditionibus paratis,aliquibus abnuentibus. Quos inter Antonius Grimanus,prudentiâ & captandis occaſionibus,quàm iuſtitiâ melior, loco ſententiæ dixiſſe fertur. Adeò decoram,refertamq; pecuniâ,alimētis, incolis Italiam eſſe; vt potius cuncta in caſum ceſſura ſint, quàm poſſidendi deſiderium apud exteros langueſcat. Id veteres Annales reputantibus clarum fore. Si Romanos, Gallos, Pęnos,Longobardos,Gothos,Turcam,Hiſpanum recoluiſſent. Tacere Senatum ſuum; cuius ſtudio,vetuſtâ conſuetudo, quietis prætextum impoſuerit. Nec cæteros niſi extra pietatem ſint, fœdiora circumferre,Pontificem,Mediolanenſem, Florentinos. Quem enim tantâ potētiâ agere,aut eâ modeſtiâ vti, vt parata remittat? Quòd ſi vnuſquiſq; rebus ſuis contentus,aliena vt potiora,votis non proſequeretur; nullo fœliciori tempore Venetos arma depoſituros. Sed vbi deuictus hoſtis, propulſata iniuria ſit,nouos fingi qui feriantur. Nullum adeò iniquum titulū, vt ſpecie honeſtatis apud interpretantes careat. Cauſa omnibus, auaritia, inſatiabilitas, inuidia,ante eſſendi deſiderium: quæ per omnes ætates progreſſa, ad ſe quoq; pertigerint. Ergo tempori,occaſioni, conſuetudini ſeruiendum; & quando de Venetorum imperio alij, ipſos de alienis cogitare debere. Dubitari non poſſe, longâ,& vſitatâ morum viâ excuſationem habere; cùm veluti pacto omnes in aliena agantur. Cremonam cum Giarâ Abduæ,precium fœderis ab Rege accipi; nec proferendæ dominationi,aliud ſpecioſius per Longobardiam eſſe. Mantuam enim vndique, velut Venetorum amplexibus ambitam,in ſinu haberi; & partem olim acceſſionis fore. Sed an belli auidum;& potētiâ præualidum Regem,pro finibus ſpectare,tutelæ ſuorum conducat, conſultandum. Si vim inferat non ambigere. Vt ſicut ille idem Senatus,Carolum octauum Italiæ ceruicibus imminentem,primùm paſſus eſt; plura cogitantem armis exegit; ſic præſentia ſectatus,ita ſe comparet,vt futuris aduerſis (ſi quando inſoleſcere placuerit nō enim fidem integram credi) præſidia ad manus habeat. Arma,pecuniam,exploratores, fœdera interijcienda, cōtractis diſſentientia. Sic cum ipſis ſæpius actum experientiâ didiciſſe. Nec aut gloriam,aut fidem infringere, ſed artibus hoſtium, pari arte occurrere. Libuit magni viri ſenſa reddere, non vt imitationem aut exemplum; ſed vt veterem dominationis viam,& quibus documentis hodie plerumq; inſiſtatur, innoteſcat. Creditus à Senatu Antonius, opportuna tempori locutus. Et prout inter plures,rarò concordia eſt,mixto vniuerſorum murmure exceptus. Sed maior Senatorum numerus aderat; quàm vt præcepta ſecreto occulerentur; quòd ſpeciem aliquam iniquitatis præſe-

præſeferrent. Silentio tamen, vt calumniarum propiora, inuoluta; verſâ in auctorem infamiâ; ſi quid inde vtilitatis emergeret, in Rempublicam translato. Sed indies magis, magiſq́; Gallorum apparatus bellici audiri, ſtrepere vniuerſum Regnum commeatu, impedimentis, armis. Iamq́; præmiſſæ à Ducibus copiæ, iuga montium tenuerant; & acriores in Marchionem Veneti ad viles preces adducti, Imperatorem poſcebant. Ille nullâ in Gallos iniuriâ (quippe ceſſerant præterita, & ſuperato Carolo octauo, etiam ab eo comiter exceptus fuerat) pecuniâ ſecurus, ac milite ſatis tutus; opperiri curſum belli, & quò incerta & abdita fęderũ inclinarent, obſeruare. Nec enim per vim, aut à Ludouico Sfortiâ, aut à Gallo in partes trahebatur. Simul vtriſq́; ſatisfactum videbatur, ſi aduerſus non fuiſſet. Sub Auguſti finem ſequentis anni (quidam in tempore diſcrepant) equitum, peditumq́; ingenti 1498.
numero, præmiſſi Ludouici Regis exercituum Duces, Alexandriam primùm *Ludouicus*
mox Mediolanũ, tanquàm ſummâ pace habuêre; elapſo Ludouico Sfortiâ in *xij. Mediola-*
Germaniam cum liberis, ac fratre; & abductis Theſauris, quos per ſæuitiam *num capit.*
oppreſſis ſubditis cumulauerat. Adhuc Lugduni Rex erat; cum citis equis delatum eſt; patratum bellum, & vniuerſa ad famam receptæ Alexandriæ acceſſiſſe. Nec Rex diutiùs immoratus, Mediolanum proceſſit; cui ſe per officium, vniuerſi proceres Italorum, obuios præbuêre; Marchio Gonzaga, Eſtenſis, Ioannes Bentiuolius, pluresq́; minoris ordinis. Nîl æquè ſuſpicacem Venetorum animum perſtrinxit, ac nimia Regis cum Franciſco familiaritas; & longus, ac in multam noctem ſermo tractus; velut non inania, ac ludicra voluiſſent; ſed de ſuo, ac alieno imperio agitaſſent. Quamquàm enim Cremonam, & adiacentia ditionis Oppida, volente Rege, pacto fęderis Veneti accepiſſent; ne tamen pro Mantuanis certiſſima Aſolæ, Peſcheriæ, ac Lonati iura repeterentur, metuebant: ſed exitus docuit, non aliud Regem à Franciſco, quàm mores populorum, & quibus artibus prompti officio haberentur quæſiuiſſe; prudentiæ opinione, quam magnam & ſupra ætatem in Marchione depræhenderat. Cæterùm, vt ſpectatæ virtutis Principem, ſibi adiungeret; cuius exiſtimatione, non præſentia magis, quàm futura niterentur, Duodecim millium aureorum ſtipendio retinuit; non aurum ſe pretio obtuliſſe faſſus; ſed maiora meritorum præmia redditurum; quibus in pace vteretur. Franciſcus, modò paratum obſequio animum, modò domeſticas curas, modò ſuſpectos Venetos cauſatus; amicitiæ fęderiq́; ſucceſſit, oblatum ſtipendium aſpernatus. Et ne nullâ extrinſecus demonſtratione, minus acceptus crederetur, Equeſtri D. Michaëlis ordine inſignitum, proce- *Franciſcus*
ribus Regni æquauit; deditq́; fidem, non alio honore aut vtili, qu m Gallos *Eques Diui*
Principes, ſanguini Regio illigatos fore. Inſtituti auctor Ludouicus vndeci- *Michaelis.*
mus fuerat; idq́; ſpecioſum accipientibus ſacramentũ erat; vt vitam, opeſq́; mutuæ vtilitati conferrent. Vbi Ludouicus Rex odio Sfortiæ, Ioannis Iacobi Triuultij virtute (quem adminiſtrationi Ciuitatum impoſuerat) & fortunâ, ſatis tuta quæ recepiſſet vidit, in Gallias reuertit: iactis cum Maximiliano Cæſare, in ſequentem Maium inducijs. Ludouicus Sfortia abſentiæ, exi-

Ludouicus Mediolanū recipit.

lijq́; inhonori impatiens,vbi exteros mores,temeritatem, violentiam, impo-
tentiamq́; Gallorum, vertiſſe in faſtidium Mediolanenſes accepit; traiectis
denuò Alpibus, Como primùm, mox & Mediolano potitus eſt; eâdem quâ
amiſerat celeritate. Rex pudore deſpectus,miſſis nouis è Regno copijs,Sfor-
tiam Nouariâ regredientem; mẽtito Heluetij habitu,vt ſuis iungeretur,cap-
tiuum recepit; totumq́; decennium,arcto carcere attinuit. Eâdem fortunâ
Aſcanius Cardinalis frater vſus eſt. Nec deerant qui illius ſæuitiam, ac ſu-
perbiam,nec non in nepotem flagitium;huius auaritiam,& venundata vota,
malorum cauſas dicerent: Tanquàm repoſcente Numine, ſceleris meritas
pęnas vtrique darent. Vbi Mediolani receptus fuerat,arte omni enitebatur
Sfortia, Franciſcum Marchionem, belli ſocium in Regem habere; oblatis
conditionibus; quas vt nimias meritò irritas crediderat. Nam vbi Caſale
maius,& pleraq; eo tractu promiſiſſet; exacturum ſe Aſolâ,Peſcheriâ,ac Lo-
nato Venetos ſacramento receperat,vt Domino redderentur. Sed Franciſ-
cus regiam caritatem officio expertus, ſimul vires è propinquo æſtimans,ab-
ſtinere perfidiâ voluit,cuius vindicta in promptu eſſet. Mantuæ degebat,
quò firmatâ iuuentutis manu,Caprianâ reuerterat. Sequentis anni initium
1500. fauſtum habuit: quippe Ianuarij decimâ ſeptimâ,Milleſimi quingenteſimi,
Federici natales. Federicum,qui poſt parentẽ rerum potitus, Iſabella coniunx enixa eſt,tantâ
Ciuitatis lętitiâ, vt ſolitos Principum natales ſupergrederetur. Venêre Pri-
matum Italiæ oratores, vt gratulandi munere fungerentur. Nec Pontifex
gaudio temperauit,miſſo Emilio de Fabijs ab intimo cubiculo, qui præſens
lætitiam teſtaretur. Interim apud victorem Regem; ſeu belli metu per Ita-
liam; ſiue apud Gallos aſſentatione, Proceres orto de ſtatu Mediolanenſi ſer-
mone,Marchionem quoq; inſeruêre. Cauſa præcipua ex inuidiâ; occaſio ex
pietate viri erat. Quæ conſtantiâ Franciſci,quò minus perniciem accelera-
rent,prohibita ſunt. Nam petito Mediolano à Gallis; & velut in pace habi-
to, reducem è Germaniâ Ludouicum Sfortiam,ſummi nominis viri,velut in
proprium Dominum caritate,officio ac obſequio proſecuti fuerant. Sed vbi
capto infęlici,& in Gallias abducto, ſpes omnis occidit; qui vocauerant, ex-
ceperantq́;, formidine vindictæ potentioris,congeſtis raptim opibus; & Ve-
netorum quoq; fidem ſuſpectam rati,Mantuam venêre; ſpe antiquæ nobili-
tati,& probatæ conſtantiæ,non defuturam fidem,quam Franciſcus dediſſet.
Regij ad Mediolanum miniſtri,deprælienſâ hoſpitalitate, & hoſtium aſylo,
modò queri,quòd proditores in tuto haberẽtur, modò repoſcere elapſos,mo-
dò cuicunq; patrocinium oſtentanti,minitari: Et vbi nihil ex voto; & Gon-
zagam retinentem tutelæ vident, miſſis ad Regem literis, auidum vindictæ
exciuêre; ſolùm Marchionem fortunæ Gallorum aduerſatum; non honore
nominis,non reuerentiâ Regis flexum; plenam proditoribus Mediolanẽſibus
Mantuam oſtentare; elapſos (ne Venetâ quidem ſecuritate conceſſâ) Re-
giam potentiam ridere: Idq́; Senatui expedire; ne ſcelera impunita,auden-
tiores ſeditioſos ad flagitia reddat. Quid aliud facili, ac proximo effugio
quæri,quàm prompram deſciſcendi voluntatem,nullo pœnæ metu? Excin-
dendas

dendas latebras; ne facinoroſi hoſpitalitatem crimini præſumant; ius faſq́; opprimatur; & Regia maieſtas in ludibrium abeat. Hæc & ſimilia in tempore, turbato ante Rege, veterum recordatione refricabantur. Neq; temeritate, aut irâ prolapſus eſt; ſed miſſo nobili, Marchionem beneficiorum & receptæ amicitiæ admonuit: hortatuſq́; eſt; ne etiam fidis hoſtibus, ipſe illaceſſitus, intaminatus feratur in abrupta. Inuenit Marchionem nuncius, cętu nobilium Mediolanenſium ambitum; legitq́; literas, velut non ſuam, nõ hoſpitum cauſam continerent: Quippe nec verbo quidem, amicorum aures offendere, ciuile crediderat. Nec plura addens, comitate ac munificentiâ recreatum in Gallias remiſit. Et quia plus eâ in re diſcriminis, quò minus culpæ introſpexerat, datâ impunitate, & in reditum hoſpitio; duodecim comitibus delectis, citis equis in Gallias profectus eſt. Sed Mediolanum prætédebatur. Affuit Regno, ac Regi iuxtâ inexpectatus. Crediderant viles nobiliorum laceratores, luſam peregrinationem à Principe; nec excuſationi apud Regem locum fore; ſed fama, integritas, cõſtantia præualuêre, vt audiretur.

Franciſcus ſe excuſat apud Regem.

Publicè exceptus à Rege fertur; vt apud omnes impietatis accuſatus, coram vniuerſis obiecta dilueret; & anxia cunctorum ordinum expectatio erat; an quantum opinionis tantundem virtutis efferret; tueretur q́; criminum, quæ varijs nominibus aggerebantur. Ergo ſic orſus eſt: Miſerrimâ fortunâ, aduerſâq́; famâ diſtrahi res meas, vt domui meæ fatale, ſic virtuti datum credidi ò Rex: quòd optimis monitis imbutâ adolcſcentiâ, fidemq́; candidam, & aduerſus quos dediſſem incorruptam profeſſus, primùm Sfortiæ, mox Venetis, nunc maximo Regi accuſer. Et quidem Mediolanenſem, fortiter actorũ memoriâ, ac debito gratitudinis confudi; pro Venetis, magno ſalutis ac exiſtimationis diſcrimine, fortiter ad Tarum pugnans (quod non impropero, ſed excuſationi refero) reſtituto Aragonio, capto Paulo Vitellio, velut minus officio feciſſem; & per ignauiam elabi Carolum Regem permiſiſſem, malè audiui. Sed facilius carpuntur merita, quàm exſoluũtur. Nunc alicui Galliæ Principum ſemper inuiſus, impietatis inſimulor; quòd pulſos Patriâ, aut formidine elapſos Mediolanenſes, vt per ſacrilegium receperim. An ego libertate imperandi, intra proprios lares; fidem, opemq́; implorantes nobiliſſimos, arcebo tectis, ſubſidiumq́; afflictis negauero? Num dum conuictibus adhibeo; & ſingulorum inopiam munificentiâ ſubleuo, hoſtilia in Gallos, proditionem in Patriam agito, aut ſeditioſos per conciones incendo? vſuſve profugis feror, vt compoſitas Mediolani res, nouitatibus interturbem? Vix ſeruandis meis, per humilem fortunam ſufficiens, validiora tentabo, quorum pondere opprimar? Cur non potius qui certam, ac inconcuſſam Italiæ poſſeſſionem, Regi ſuo quęrunt, Marchione medio vtuntur; vt elapſos reducat, veniamq́; à pientiſſimo Rege, ipſo fidei vade, agnoſcant. Sed ea inuidiæ conditio eſt, vt nil molliter, durè omnia interpretetur. Non eâ rerum tenuitate degimus, vt quibus contumacibus ignoſcendum ſit, qui gratiâ arcendi, neſciamus. Peruicaces excludimus, pęnitentes amplectimur. Vtriſq; fugâ opus; nemini donec expreſſerint, ſecuritas eſt. Nec ego qui abſentiâ pęnâ,

aut (quod minimum) pudorem vitare potueram, corã adſtitiſſem; niſi Duce, ac teſte conſcientiâ; quando magnis Regibus longinqua etiam pateſcũt. Cæterùm non alio pietatis officio, in meditullio Longobardiæ ſiti Chriſtiani à me habiti ſunt; quam exteri, ac barbari; qui paucos ante annos Vrbis Romæ Præfectum, auaritiâ ac rapinâ infenſum experti, incolumitatis, nedum opum indigi errabant. Iam verò in ſummâ calamitate conſtitutos; metu, quàm auerſione fallentes, an pelli velis ò Rex, tuo arbitrio cõmitto. Datam à me fidem falli (ſcio) non imperabis: ne Marchio huic ordini, totiq; Europæ honore cognitus, apud exteros cauſarum neſcios, perfidiâ differatur. Conſtantiâ orationis, & quia vera protulerat, Regem, ac Principes peruicit, vt hoſpitalitatem amicorũ, benè audire potius, quàm accuſari cenſerent. Accedebat vetus mos familiæ, quo in bello contra hoſtes fortitudine, in pace erga amicos familiaritate vtebatur. Sors Marchionis fuit; clarè virtutem inſpici; tanquàm Gallis per ea tempora proponeretur; quibus nõ militum, non Ducum, non fidei quidquam ſatis ad ſecuritatem credebatur. Viſum poſtremò, honore ac beneficio Marchionem deuincire, vt ſpontanea gratitudo, officio ſolidaretur. Repugnanti viginti aureorum millia numerata ſunt; quibus ſtipendij nomine frueretur; Quingẽtorumq; Cataphractorum equitum curam ſuſcipere iuſſus; quâ Italico bello (ſi quando opus eſſet) vteretur. Hunc exitum habuêre calumniæ; quibus plerumq; vt noxij opprimuntur; ſic innocentes ſubleuantur. Quem enim probum credideris, in dubio habes, quæſtioni, cenſuræq; expoſitum; ſi reſponderit, intaminatũ agnoſcis. Leuis Iſabellæ vxoris valetudo, feſtinatò Marchionem in Patriam reduxit; nec ante tamen, quàm ardentiſſimis apud Regem precibus, nobilibus qui ſeſe Mantuam contulerant ſua ciuitas, opesq; Fiſco additæ, reſtituerentur. Sic multiplici formâ virtutum, Franciſci gloria crebreſcebat; quòd bello clarus, domi commendatus; exterorum quoque vtilitatibus deſeruiret.

1505. *B. Oſannæ Andreaſiæ mors.* Familiæ non minus, quàm Patriæ, atq; adeò Principi decus, vitâ, obituque Oſannæ Andreaſiæ additum: quæ plures annos Numini famulata, decoro exitu tractum in ſenium æuum opinione ſanctimoniæ inſigniuit. Et teſtatæ iudicium poſteritas, apud quam emenſo iam ſæculo miraculorum gloriâ antelata eſt. Potitus Mediolano Rex Gallus, etiam Regnum Neapolitanum ſpe præſumebat; ſed Federicus Aragonius Ferdinandi primi filius poſſidebat; Alphonſo Auo, adoptione Ioannæ ſecundæ traditum; mox in filium deuolutum; poſtremò in Alphonſum, ac Ferdinandum, eo nomine ſecundos, tranſgreſſum. *Regum Neapolitanorum Aragonẽſ. ſeries.* Quo ſine liberis erepto, certam dominationem, iuſq; Imperij referebat, Ferdinandus quintus Aragonius, Ioannis prædicti filius, qui Alphonſi frater erat; regnumq; ſibi deberi iactabat; quòd deficientibus Normannis, in Henricum quintum Imperatorem, Barbaroſſæ filium tranſierit; hinc in Federicum filium. Federici filius Manfredus Neapolitanus Rex, filiam Petro Aragonio, Iacobi filio, ac Ramirio nepoti, conceſſit; cuius ſucceſſione, Manfredo ſine liberis extincto, Petrus Siciliam accepit. Cui ſuccedens Ferdinandus, cæteriq; poſterorum, videbatur Hiſpanis, Neapolis in

Regem

Regem Catholicum ceſſiſſe; non in Ferdinandum Alphonſi nothum. Ergò incertam titulo dominationem, Ludouicus duodecimus, ac Ferdinãdus Hiſpanus, vtrinq; diuerſi, in prædam concordes, conuctione tranſegêre, diuiſo dominio; vt in Catholicum Appulia, ac Calabria; in Gallum, quæ Campaniam vſq; porrigebantur, cederent: Capitaneatus ac Baſilicata, inter vtroſque mediæ prouinciç, & in diuiſione omiſſç, orti belli cauſa fuêre; quod Hiſpanis proſperum, Ludouico contrà fuit. Gallorum militum reliquiæ Caietæ ſubſtiterant, longa Hiſpanorum obſidione clauſæ, & vix vllâ ſpe ſalutis. Quibus vt Rex Ludouicus opem ferret, præſenti ſubſidio opus credidit. Id longè & è Gallia aduectum, tarditate opportunitatem corrumpebat. Citis ergò equis Marchio, ſtipendij, datæ fidei, & neceſſitatis Caietanæ admonetur; nec enim alio præſidio ſeruari poterat. Sed Marchio quingentis præpoſitum ſe; nec maiori numero bellare poſſe, retulit; multitudine hoſtium, & aduerſâ Gallorum conatibus fortunâ. Simul indecorum famæ ſuæ docebat, obſidij ſolutionem agitare; quæ nullo nixu peruinceretur; ſiue temeritas, ſiue infirmitas accuſaretur. Vbi tamen obſeſſorum literis, querelis Gallorum, Hiſpanorum audaciâ ſuperatus eſt; paucis in commilitium acceptis; ſpretoq; Viceregis nomine; vt importuno, & breui; in Cãpaniam profectus eſt; ſi famâ nominis, experimento conſtantiæ, modicis copijs, aduerſus numeroſos dimicãs, Gallis exiſtimationem, ſibi gloriam ſeruaret. Satis liquet, nequaquam obſiſtente Hiſpano, impoſitum Gariliano Amni pontem, importatos cibos, auctum præſidium, ſolutam obſidionem; datamq; pugnæ copiam; & hoſtes Seſſam conceſſiſſe; ſiue periculum abnuerent, ſiue fama Ducis retinuiſſet: niſi intutas à tergo prouincias formidantes, vlteriora ſpreuiſſe. Sed quocunq; nomine, gloriam Marchionis, vis animi, receptus hoſtiũ, etiam fortuita promouerint; famam vniuerſa addidêre. Et Conſaluus dicere ſolitus ferebatur; non minus validis initijs, quàm fœlici exitu in bello opus: quòd ſi vtrunq; contra vertat, etiam virtutis opinionem decedere, cuius exiſtimatione ſtare victorum res, & populorum obſequium. Ambiguũ Franciſcum num Seſſam abeuntes Hiſpanos, à tergo adoriretur; an expectatum Caietæ auxilium, numero auctum inferret; quandò hinc pietas, illinc ex victoriâ ſpes gloriæ maior erat, certior per exploratores redditur, trecentis equitibus; peditibus quingentis, proximum collem, quâ Seſſam iter eſt, teneri. Itaq; raptis equitibus Quadringentis; quàm ſecretiſſimè profectus, præcipiti iam Sole, ad inferna ſubſtitit. Hoſtes non commeatu, non tecto aduerſus Cœli iniurias ſecuri; & quòd vna Seſſam fuga erat, explicatis ordinibus, mediâ planitie, obuios ſe Marchioni prebuêre. Magnis viribus vtrinque certatum; dum Hiſpani pro ſalute, & deſperatione, Marchio cupidine gloriæ ſtimulatus, aut in deditionem accipere, aut virtute proterere nititur. Equitum centum quinquaginta Seſſam facto orbe, & perruptâ Mantuanorũ acie contendêre; quod peditum equitumq; reliquum erat; vel eodem (quem ſibi delegerât) loco, oppetiêre; vel traditis armis vincti ſunt. E Franciſci comitatu Septuaginta, iij; fortiores nobilioresq; deſiderati. Quos inter Laurentius

Franciſcus pro Rege Gallo Caietam.

rentius Andreaſius, non vno vulnere confoſſus, & Paulus de Cappo; dum elabentes retinere nititur, & Marchioni ante alios carus, cum gloriâ occubuere. Vbi Gallorũ res melius habere viſæ ſunt, nouis expeditionibus Frãciſcus animum intendit, acto copiarum cenſu, & in turmas, centuriasq; diſpoſito. Verùm vbi aſſidere tentorijs, accinctum obambulare, non egredi Castra, ſine ſcorto agere miles iuſſus; diſciplinę inſuetus, præcepta ac rigorē Ducis aſpernari, ſimulq; ambitionem, odium gentis, inuidiam victoriæ calumniari cœpit. Non egêre Gallos nouis experimentis, vt fluxam Italis fidem, & genti auerſam diſcant; docti defectione Mediolanenſium; qui recẽtibus beneficijs cumulati, in ipsâ recordatione, hoſtilia induiſſent. Eiuſdem animi Marchionem eſſe; modò imperij, modò Pontificum voluntati obnoxium; ſemperq; Gallis infidum. Nec enim vllis Italorum conatibus, exigi Italiâ Gẽtem, niſi Franciſci vi potuiſſe. Nunc apertam amicitiam, ſecreto odio velari, vt impunè incautos opprimat. An Gallos virtutis bellicæ adeo inexpertes eſſe, vt militi ſuo imperatorem dare non poſſint. Marchionem Solutij primùm, demùm Nemurſij Ducem impoſitos, ſed alterius obitu, in externum translatam potẽtiam. Inuidere Mantuanum commodis militum; qui prædas, direptiones, occultas ac nocturnas eruptiones prohibeat. Proinde excutiendum ceruicibus iugum, & manifeſti hoſtis vim, quàm ſecreti tolerandam. Marchio deploratâ poſſeſſione Regni Neapolitani, exilibus belli reliquijs, Hiſpanæ promptitudini, ac vigilantiæ; famæ cui in cætera præſumptio eſſet, non aliud magis expedire, quâm prudentiam & diſciplinã referebat. Sueta enim licentiæ multitudo, plus bello quàm pace, ſibi licere præſumebat. Nec apud Regem plus Ducis auctoritas, quàm ſuorum quærimoniæ poterant. Iam militaribus ſtipendijs præpoſiti, vt auaritiâ quoque Gonzagam notarent, ſubtrahere paulatim pecuniam, neceſſarijs abſtinere, culpare Ductorem cęperant. Quæ gnara Franciſco, fidorum relatione erãt. Et quia valetudo atrox, vim imperij quoq; ademerat, codicillos eo ſenſu, ad Regem negligentiâ torpeſcentem miſit: Satis hactenus pro Caietâ actum. Milites Gallos ijs quæ poſſideant, retineant, ſeruandis, haudquaquàm diffidere; opus gentili Duce eſſe; qui mores populi edoctus, ſanguinis nexu præualeat. Sibi cœli intemperie valetudinem conuulſam; & agendis rebus ex eo impedimentum. Orare proinde, vt neceſſitate exſolutus, integrâ Regis gratiâ ad ſuos conuertere poſſit. In eum quoq; finem à Pontifice ac Cæſare recepiſſe literas dicebatur; cauſę in incerto erant: Niſi regia potentia ſuſpecta, & Franciſcus indignatus, famam alienationis præbuêre. Abnuentem Regem, tantæ virtutis diſpendium, cæteri æmulationis ſtudio impulêre, vt permiſſo commeatu, regredi liceret; eâ maximè causâ, ne inuito abſcederet, præriperetq; quod negaretur. Vmbriâ ac Piceno in Longobardiam propetauit; quòd Hetruria, media belli paciſq; ageret; nec niſi commotis hoſpitalitate Prouincijs, per Apenninum iter crederet. Fermi nobiliſſimâ Ciuitate, à Guerrerijs cum ſocijs exceptus eſt; qui Patritiâ nobilitate inſignes, & Oppidorum aliquot iure vſi referuntur; Principemque fortunam æmulati.

Diſciplina militaris Frãciſci.

Guerreri.

Mi-

Militia omnis extra Vrbem eâdem liberalitate hoſpitata; Ductores,nobileſque indiuidui Domino, eodem tecto ac menſâ vſi ſunt. Nec tumultuaria lætitia fuit, ſed cùm tertium diem attinuiſſent, leue munus officiumq; credidêre. Eo maximè obſtrictum ſe Franciſcus gratitudine credidit; quòd ignotus beneficio; Patris ac filiorum miniſteria experiretur. Cumq; profuſam expenſam, nimiam liberalitatem fateretur; & reddendæ gratiæ occaſionem requireret; reſponſum à ſene eſt; ſatis ſibi fortunæ fore; ſi filiorum operâ, in patriâ vteretur. Lapſa vox preſagio vertit. Nam tres liberos comitatui ſuo addidit, Ludouicum, Vincentium, Baptiſtam, profeſſus obſequij vicem redditurum, ſi iuuenes maiorum exemplis inſtitiſſent. Virtutem nobilitatemq; ſecuta ætas approbauit; Nam Mantuanis Principibus miniſterio aſſidui, pacis bellorumq; ſocij, Franciſci Marchionis, ac Federici Ducis fortunam; mox Gulielmi ac Vincentij ſectati, quam Auus fidem dederat, ſtrenuâ operâ liberarunt. Hinc aucti pecuniâ & honoribus; donec (quod ſummum Duces conferunt) Comitatus ac Marchionatus, teſtimonio meritorum recepêre. Suorum Principum iudicium, Rex Hiſpanus teſtatus eſt, collatis in poſteros dignitatibus, & apertâ ad Principatum viâ, quandocunq; eniterentur. Nec ignarus dego, familiam à Trezijs Parmæ dominis deductam credi, eo præcipuè inditio; quòd Nicolaus (quâ tempeſtate Franciſco Sfortiæ, ac Braccio eluctatus, fortiſſimi famam meruit) Guerrerius cognomento dictus ſit. Sed nos veræ nobilitatis ſecuri, ea tantùm reddimus, quæ publicâ annalium fide didicimus; non in lectores, aut Gentem opinione, fallacijs, mẽdacio iniurij. Vt Mantuam reuertiſſe Franciſcum Conſaluus accepit; bellum pro patrato habens; & adempto hoſtibus Duce ferox, deſueta arma, fœliciori omine reſumpſit; totoq; Regno potitus, Gallorum pęnitentiam præuenit: Multa interim Mantuæ, longâ Franciſci abſentiâ euenerant; quæ præſentiam Domini iudiciumq; requirerent. Nec enim Iſabella quamquàm ſupra ſexum ætatemq; prouida, vniuerſa compoſuerat. Et conatus fœminiles facilè eludere erat; credulo ſexu, & inſidiarum incallido. Vberrimas agri ſui diuitias, ad exteros aſportari non nouerat; hinc caritatem annonæ, potentiorum repentinas auctu diuitias, minoris ordinis miſerias erupiſſe deprænendit. Itaque temperamento vſus Marchio, commeatui, foro, iuſtitiæ, propriæ domui formam quam ſemel dederat reſtituit, domeſticæ curæ ardentior, quòd filium infantem, Federicum nomine haberet, vſuiq; futuro crederet, paratam per bonas artes, in pace pecuniam, ſucceſſori conquirere. Proceres tamen Ciuitatis, quiq; in agro vim omnem redituſq; annuos habebant, apud Dominum queſti ſunt prouentus camporum, quorum ope vitam honeſtam traherent, ijs vendi non poſſe, à quibus plurimùm accipiant. Quomodò enim Ciuiles munditias, belli expenſas, munera in potẽtiores, erogationes in Principem toleraturos, niſi conceſſa venditione? Eo præcipuè inſtitutos Amnes à naturâ; vt vltrò citroq; facilis negociatio, importatio, exportatioq; eſſet; eorum quæ ſinguli in Patriâ nõ haberent. Franciſcus nobilitatis, veteriſq; conſuetudinis ratione habitâ, modum frugibus poſuit; vt quantum bono

Marchio redit in Patriã

publico

publico conferendum, aut ad exteros mittendum foret, ſciretur. Ipſe vniuerſos exemplo præiuit; ne auaritiam ſubditi accuſarent. Quidquid enim frumenti domeſticis agris conuehebatur,id communi cum ciuibus pretio diſtrahi iuſſit. Ne modium quidem efferri volens, quamuis magno quæſtu diſtraheretur. Defuncto Alexandro ſexto, & paucos intra dies Pio tertio; ſuffectus Iulius ſecundus fuerat; fortitudine ac conſtantiâ, ætate maior, expectatione minor. Non enim primâ ab iuuentâ, continuis ſeditionibus innutritus, graueſcentibus licet viribus, eaſdem artes ſectaturus credebatur. Infidis tamen Germanis, Genuenſibus externos motus proſpectantibus; & vniuerſâ Flaminiâ inter Valentinum, Pontificem, ac Venetos ambigente; ne vel paratam belli occaſionem arriperet, aut ſpe rerum nouarum, abditam præferret, metuebatur. Ipſe præuiſis periculis, & nimio amore ſuorum (quę vna agendis externis rebus Peſtis occurrit) abſtractus; raro milite, non pecuniâ, non viribus, aut diſciplinâ inſtructus, domeſticas res infringi nouerat, eaſq; niſi ſecurâ pace procurari. Prouentus annuos, bona Fiſco quæſita, per bella, militum vſibus impendenda, ſuis detrahi ſciebat. Nec tamen præſidio (ſi bellum ingrueret) deſtitui, vtile credebat; ſiue deliberaret, ſeu formidaret. Ergo Pontificatus initio; cum non adhuc manifeſta Venetorum inimicitia, & quos ſequeretur in dubio eſſet; Frãciſcum otio ſolutum, & primum quemque motum opperientem aggreditur; ſi magnâ familiaritate proficere, & munimentum familiæ comparare meditaretur. Sed quamquàm non fęderum, non neceſſitudinum certa fides, ne apud Pontificem quidem, corruptis temporibus ſperaretur; potior tamen in conſanguinitate viſa: tãquam obſidibus per mutuam caritatem datis & acceptis. Franciſcus proinde inductus, Eleonoram filiam, Franciſco Mariæ Pontificis nepoti, locare. Spe, fore vt famâ coniugij, res mariti, ſolido magis inniterentur. Inueteratâ conſuetudine, & Romanæ aulæ moribus innotuerat, dites pauperesue Pontifices, inopes nepotes non tolerare; illos vſu opum; hos expertâ inopiã, vt ſummâ malorum. Idq; in Iulio ſecundo ſatis claruerat; qui magnis prouentibus; & Alexandri ſexti iniquo animo, tot annos Româ abſens, pecuniã in omnem vſum; ſed in nepotis præcipuè commoda comparauerat. Nec tamen diuitijs, aut præſumptæ potentiæ Marchio paruiſſet; niſi nobilitate natalium (quam Sixtus quartus Patruus immenſum accreuerat) principi fortunæ parem crediſiſſet. Dos ſponſæ, pro modo ac temporum conditione dicta; annixâ Eliſabeth ſorore, vti pactum firmaretur; & Pontifice, ne immodicis conditionibus, ſpes in irritum caderet, aut vtilitas, non neceſſitudo quæſita videretur. Augendæ lætitiæ, & nouo decori inferendo, honorificũ Marchionis fratri, ac Franciſco Marię nepoti creditum; ſi Sigiſmundus purpurâ ornatus, Cardinalium cętui adderetur. Nec enim aliunde maior dignitati exiſtimatio, quàm adſcitis Principibus viris; qui ſplendore ſanguinis, decus officij ſuſtentent, accedere poterat. Etiam non per Italiam ſolùm, ſed apud exteros quoque, ſpecioſum cenſebatur, ſi magnorum Principum liberi, pars Apoſtolici Senatus eſſent: Tanquàm Eccleſiaſtico, ſola ad gloriã poten-

Eleonora Franciſci filia vxor Vrbinatis.

Sigiſmundus Cardinalis.

potentia deeſſet. Cupiuiſſe Alexandrum ſextum id ſibi honoris, certű erat; niſi Sigiſmundi animus, inſtituto alienus, & Iulij ſecundi fortuna potior fuiſſet. Paulus à Molaria, Romanus Patritius; & inter togatos proceres, Pontificij cubiculi miniſter, inſignia detulit. Reuerſusq́; ad Iulium eſt, diues muneribus, quæ Franciſcus dederat; & integro menſæ aureo apparatu, qui Genero deſeruiret. Sigiſmundus hortante Pontifice, militiæ ſtudium cultűq́; exutus, & ſumpto Cardinalium decore, magno nobilium comitatu, Romam profectus eſt: Exceptusq́; à ſene, eâ oſtentatione pietatis, quam erga filium requiras. Dum hæc velut ſummâ pace per Italiam aguntur; concepta pridem à Pontifice in Balionem Peruſij, & Ioannem Bentiuolium Bononiæ Tyrannos odia erupêre. Non enim vbi ſecreto ſatiatus Iulius eſt, publicis querelis, etiam publico Conſiſtorio abſtinuit: Pudere quod opinione virtutis inter prædeceſſores ſuos præcipuus, nondum vel infimi gloriam fuerit aſſecutus; maximè cum manifeſtâ Sedis Apoſtolicæ contumeliâ, Peruſium & Bononia, vt dominij Eccleſiaſtici validiſſimi artus auulſa, in Tyrannos abiuerint. Turpe igitur honori ſuo, cùm in expeditiones, & ciuitatum receptionem pecuniam congeſſerit, ſorditiem, auaritiamq́; præſeferre. Paratum Ludouicum Galliarum Regem auxilio, non minori erga ſe caritate, quàm in raptores odio. Et tum maximè incumbendum; quòd nulla amplius arma, in Romanæ ditionis perniciem parata, per Italiam ſpectentur. Hoc biennij modicis expenſis, tenui familiâ quæſiuiſſe; dum luxui conſueta ſubtrahit, & futuro vſui reſeruat. Eſſe ſibi bellorum ductorem, fidei ac virtutis probatæ, cuius auſpicio, quamquàm præſens diſcrimini, vniuerſa credere poſſit. Vbi Patres annuêre; & promptos in ſententiam videt, acrius cœptis accingitur, præmiſſoq́; exercitu Peruſium contendit. Sed Balionus, Pontificis in ſummiſſos clementiam, erga contumaces conſtãtiam expertus, obuium ſe dedit, permiſſâ Ciuitate, & vniuerſo armorum apparatu. Nec eluſus expectatione eſt; pari ſiquidem pietate exceptus; etiam benè ſperare iuſſus; quòd ſe vindictæ paratum, officio ac pœnitentiâ viciſſet. Demùm in Bononienſes abijt, Sed deuij Apennini iugis profectus; ne Ariminenſes, cæteroſq́; Venetorum fidei commiſſos attingeret. Vbi Imolæ conſedit, magnis copijs quas ſuâ pecuniâ contraxerat, amicorumq́; auxilijs in ſpeciem exercitus formatis, de conditionibus pacis palam; ſecretò de Duce exciendo agitauit. Nec enim contra ignauum, aut inexpertum militiæ pugnandum erat. Potior Franciſcus Marchio creditus; fortitudine, experimento, vicinio; quemq́; non Itali, non Galli, Ducem copiarum auerſati ſint. In ſequentem res dilata. Nam inter Sacrificij ſolemnia, Vexillo, baculo, galeaq́; ſacratis, per Ludouicum Canoſſam Parmenſem, diploma cum ſignis imperatorijs tranſmiſit. Forma erat: Eum ſe virtuti, nobilitati, ac fidei locum dare; quem multò ante glo- *Franciſcus Dux Põtificij exercitus.* rioſis expeditionibus meruiſſet. Neq; conatus nouos, aut opinione maiorẽ virtutem, ſed ſolitam, cui tot annos magnâ commendatione aſueuerit, requirere. Bentiuolius Regij Gallorum auxilij ignarus; quòd eos ſibi, non Pontifici obſtrictos crederet, obſidioni fortiter tolerandæ accingebatur. Non enim

enim eas Iulij vires crediderat, vt præualeret. Sed vbi Regias copias, haud procul Bononiâ ſubſtitiſſe nouit, Marchionemq́; expugnato Sancti Petri oppido, progreſſus ſecurum, inſiſtere vlterioribus accepit, literas ad Ciamontum Gallorum ductorem, precum ac querelarum medias compoſuit; eò fidẽ Gallicam proceſſiſſe, vt non ſacramentum, non fœdus penſi habeat; ſed in amicitiarum perniciẽ nullâ ſuâ vtilitate accingatur. Attamen quando violentiæ cædendum eſt, tutam adminus in Mediolanenſi agro, ſibi ſuiſq́; ſedẽ orare; & ne facultates honeſtis artibus, in familiam illatæ, contemptui deſtinentur. Gallus vbi Marchionem appellauit; & hic vetera Pontificum iura; & extortam nobiliſſimæ Ciuitatis poſſeſſionem retulit: Cætera conceſſa. Sed dum quinq; dierum moram nectere, & beneficio temporis, in ſuum cõmodum vti deſiderat, Franciſcus acrius inſtare, incuſſoq́; grauiorum metu, deditionem accelerare. Sic recepta Bononia; & cuicunq; proficuus Marchio creditus, dummodo inclinauiſſet. Nam Ciuitas incolarum frequẽtiâ, vbertate ſoli, nobilitate, cuiuis Italiæ Vrbi comparanda erat. Struebat interim fortuna, diuersâ parte terrarum, occaſiones, cauſasq́ue gloriæ: Vt apud vicinos celebris Franciſcus, exteris quoq; clarus eſſet. Neq; enim vlla potentia erat, quæ fortitudinem Ducis experimento approbatam non excepiſſet; Mediolanenſibus, Neapolitanis, Florentinis, Venetis, Bononienſibus, eâdem famâ cogniti. Noui belli cauſa, apud Genuenſes, ſeditione ad rebellionem vſq; progreſſis, fuit: Qui optimatum imperium (quamuis ſupremum ius, in Rege Gallorum eſſet) peroſi, ipſi ſibi Ducem elegerãt; ſcripſerantq́ue iuuentutem, aduerſus nobiles, & aduentantem Regem certaturi.

Franciſcus Dux pro Gallo in Genuenſes.

Vbi Ludouicus duodecimus fruſtra modeſtiam, & debitũ Coronæ obſequiũ lymphatis memorari; nec poſſe cęptos tumultus, niſi per arma componi, vidit; mari terraq́; ingentes copias in temerarios mouit. Vt tetigit Italiam, Franciſcum miſſo ſupremo Diui Michaelis vexillo, Ducem vniuerſis impoſuit; abſceſſu Ludouici Vndecimi nemini alij conceſſo honore. Sed temeritas popularis, malis auſp.cijs in Regem validum, ac Ducem expertæ virtutis, arma tractauerat. Quippe duodecim dierum leuibus prelijs fatigati; ſeq́; ac res ſuas, libero Regis arbitrio permisêre. Hinc non amplius milite opus; & dimiſſis exercitibus, Maximiliano Cæſari ſatisfactum; qui tot vires, citra vniuerſæ Italiæ caſum comparari non credebat. Bello liber Frãciſcus, non tamen extra arma agebat. Sed vt collato muneri ſatisfaceret, modò Mediolanum, modò Genuam, proficiſcebatur; copiarũ ſubminiſtros Duces in officio, militiam ſub diſciplinâ habens. Non enim tuta pax; & modò minitans Pontificis cum Rege Gallorum ſimultas, modò Maximiliani comminationes, ſuſpiciones irritabant; iniquis temporibus, incertiſq́ue caritatis Principibus obuia. Et Hiſpanus, moleſtiſſimè ferebat, teneri à Venetis clauſtra Adriatici, & Italiæ extrema; tanquàm vniuerſum Neapolitanum Regnum in compedibus haberent. Porrò Maximilianus Imperator numeroſo milite, quem indictis Comitijs obtinuerat, armatus in Italiam aduerſus Venetos, & Gallos properare credebatur. Quòd hi Mediolanum;

Illi

illi Veronam, Patauium, & pleraq; Imperij poſſidere͂t: metuſq; erat ne delato in ſua Cęſare, non vi, ſed reuerentiâ, pridem amiſſa reciperet. Iam ſcriptæ à Cæſare ad Senatum literæ, iura Imperij repoſcebant; quæ ſi negarentur, citra bellũ quieſcere nolle profitebatur. Hoſtilia tamen certis cõditionibus dilata, ſpe pacis, votiq;, quæ credebantur. Sed hoc ipſum, maius incendiũ detexit. Ludouicus enim Rex, quòd Veneti eo inconſulto, quem prius amicitiâ acceperant, pacem cum Maximiliano pepigiſſent indignatus, percuſſo in Germaniâ cum eodem fœdere, tractoq; in partes Pontifice, veterem iniuriam vltum ibat. Nam Cremonam & Cremam Rex; Patauium Veronam, Brixiam Cæſar; Pontifex quòd Aemiliæ reliquum poſcebant; quæ manifeſta iniuriâ Senatus retinebat. Sic vniuerſus ferè Chriſtianus Orbis in Venetos armatus, nobiliſſimę Reipublicę extrema minitabatur. Iã Milleſimus quingenteſimus octauus, Maiuſq; menſis aduenerat; cum moto Rege, Frãciſcus per nuncios iubetur, contractis ijs quos ſub vexillo haberet, Cremonenſem agrum irrumpere; non prædæ, non cędibus parcere, quò cæteris obſequij neceſſitas eſſet. Paruit Marchio, & cum quadringentis equitibus, Mille & quingentis peditibus raptim profectus; non ante obſtantes, quàm ad Caſale maius reperit. Qui vbi vim parari; & implicitos difficultatibus Venetos tardiores auxilio tranſmittendo vident, in Marchionem ceſsêre; fide publicâ pacti veterem bonorum poſſeſſionem. Nunciata hæc Venetis, Aluianũ, ac Pitilianenſem Comitem, Duces militiæ, in incerto habuêre, quâ parte primùm incumberẽt. Viſum tamen retrahendo Marchioni, in agrum Mantuanum inuehi, quâ minor tutela; & longius, qui ſuccurreret, videbatur. Pontemolinum munimento firmant; vt facilis contra Oſtilienſes excurſio, & receptus foret. Intentum externis curis Franciſcum Marchionem, rerum propriarum metus moratus eſt; ne ſaltem negligentiâ fortiores hoſtes, ſuos viliores redderet. Ergò feſtinanter regreſſus Aluianum incurſauit, nil ſimile, vt ex captiuis cognitum eſt, pauentem. Leuibus velitationibus Marchio exceptus, tentandæ fortitudini; ſed vbi paratum dimicationi; & maiori indies militum numero exercitum ſuppleri vidit; omiſſis fędè, quæ acceperat, præceps Veronam contendit; teſtis nunciuſq; proprij dedecoris. Nõ enim per vim exactus, aut bello profligatus fuerat; ſed terruit fama viri, fortitudine, & magnitudine animi hactenus formidati. Idq; primùm Venetum Ducem inquinaſſe creditum; velut nõ conſilio, non vi, militię ſpecioſa exordia corrupiſſet. Auctus copijs, quas Heluetij, ac Tranſalpinæ prouinciæ accreuerant; ne ſedentariam vitam Rex, & nullo honore tereret, propinquo iã Aluiano, mittit qui Marchionem, omiſſis leuioribus, in laboris ac præmij partem vocẽt. Equidem cum ratione crediderat, fuſos aperto bello Venetos, recuperandæ potẽtiæ inhabiles, & cuncta victoris fore. Ille dicto citius aduolauit, paucis Mantuanis relictis, qui ſua retinerent. Cladis Venetorũ initium, in Comite Pitilianenſi fuit; qui vano nobilitatis nomine turgidus, pares ac ſibi Aluiano partes, in exercitu eſſe, indigniſſimè ferebat; conſilijq; licet egregij, quod non ipſe attuliſſet, aduerſus; proterere æmulantis famã,

1508. Fœdus Galli, Imperatoris & Papæ in Venetos.

Frãciſcus recipit Caſale maius pro Gallis.

per ſummam iniuriam Ducis, ac Senatus properabat: Callidus alioquin, & opportunitatum gnarus. Haud longè Adriâ vtriusq; exercitus copiæ conſedere; ſed quæ, niſi prouocatæ bellum pugnamq́; meditarentur. Apud Gallos ſtimuli erant. Et Aluianus acceptam ad Pontemolinum notam, magno facinore abolere meditabatur. Pitilianenſis hoſtium incurioſus, Amni põtes imponi, cunctasq́; Gallorum copias tranſmittere neglexit; ſiue metu; ſiue vt Aluianum dimicationi imprudenter accinctum, dolo, & caſibus obiectaret. Itaq́; dum ſuccedunt; & paucis ſalictis temerè natis, ſeiuncti, itineri ac prælio diſponuntur, Aluianus in aduerſos delatus eſt; tantâ ſuorum vi, vt flectere hoſtilis acies cœperit; nec niſi delato ad medios Marchione, reſtitueretur. Tum æquata pugna, & plures horas pari fortunâ certatum. Satis liquet, modico ſanguine haberi victoriam potuiſſe; ſi Pitilianenſis periculo expoſitos ſocios, parte ſuorum additâ iuuiſſet. Sed Comes excidium totius exercitus, temeritatem Aluiani cauſatus, ne conſilio quidem, in communem ſalutem vſus eſt; abundè ſibi eâ tempeſtate factum iudicans, quòd commiſſas legiones in tutum reduxiſſet. Prædixerat Aluianus; ſoli ſibi potius iacturam & dedecus, quàm communem Comiti honorem poſcere; & Pitilianenſis prudentiæ melior ſubiunxerat, habiturum in ſecuro ſuos; & quando id non omninò gloriam attuliſſet, Aluiani inſcitiâ famam reperturum. Quòd ſi Duce vno Veneti eo conflictu vſi forent; aut pluribus, conditione diſpari; quorum vni cęteri, libenter obtemperaſſent, actum de Regis copijs, eo pręlio fuiſſet. Certè magnâ Franciſci cõmendatione eo die certatum eſt; qui me-
Victoria Ludouici XII. cõtra Venetos. dios inter hoſtes, & arma, repreſſiſſe inimicorum audaciam, & fugientès in noctem proſecutus fertur. Cæterùm vt magnæ Prouinciæ deſtinatus, plus breui initio exiſtimationis, quàm longâ duratione nanciſcitur; ſic ipſo belli limine fuſi Veneti, captus Dux, & potiti campo Galli, plenam victoriam contuliſſe credebantur. Ad victoris exercitus famam, Cremona, Crema, Bergomũ, Brixia; & quidquid agri Ciuitatibus adijcitur habita ſunt; ne auſo Pitilianenſi, quamquàm negligentiâ ac ſecordia torpidis Gallis, latera hoſtium laceſſere. Et iam manifeſtè Veneti, ſpem imperij per Longobardiã proiecerant, moto aduerſus Chriſtiano Orbe. Haud diſſimili fortunâ vſus Iulius Pontifex, qui graui Anathemate notatos, vt belli exordia fulminatione inciperet, totâ Flaminiâ deiecerat; tantumq́; indignationis induerat, vt ne ſupplices quidem audire; & receptis quæ prætẽderat, Interdicti veniam, elargiri vellet: Quaſi per vim recepta, ab eo qui inuitus ceſſiſſet, adhuc deberentur. Nempè ea eſt victoris conſuetudo, vt medio fortunæ curſu, temperare licentiæ vix poſſit. Quidam requiſitas à Iulio, belli expenſas volunt; quas ille ad triginta aureorum myriades ſubtrahebat. Sed cum Prouinciam Veneti amiſiſſent, pecuniam ſeruabant, vt receptioni ſuffecturam: Et inſolens videbatur, belli honeſto nomine ſuſcepti pœnas in auro poſcere. Primùm vtcunq; expletâ vltione, Pontifex orari ſe paſſus eſt: neq; Veneti deſtitêre obteſtari, vt genibus prouolutos audiret: Quod vbi obtinuêre, Ioannes Mocenigus, flectendis animis in quæ vellet, doctrinâ, præſentiâ, eloquẽ-

tia

tia validus, ſic excepit. Non hoc die Sedes Apoſtolica incipit, flagitijs erroribusq́; veniam concedêre Pontifex Maxime: quòd Aragonij, Mediolanenſes, Genuenſes, Florentini (vt Tranſalpinos miſſos faciam tanquàm timori ac Religioni minus obnoxios) non vno exemplo docuêre. Maximè tamen celebris hodiernus eſt, quo Senatum vniuerſum, tot millia nobilium, qui barbaris incurſionibus ſeq́;, ac fidem ſeruarunt, pedibus tuis ſtratos & ſupplices intueris. Quo modo turbatis rebus, & inter mutuas diſcordias, vnius decertantium imperium, auxilio, vi, prolatari contingit; ſic lacerâ inteſtinis diſſenſionibus Flaminiâ, Venetorum poſſeſſio; volentibus ijs, quos Dominos rebantur, increuit. Nec tamen fortunâ, aut dono Ciuitates, ſed multo ſanguine, auroq́; partæ. Has à Pontifice requiſitas, quid mirum ſi abnuimus; & inuiti, vt noſtras amiſimus? Imperia hodiè non iudicij, ſed armorum acie decernuntur; neq; poſcenti redduntur; ſiue quia ius eſt in armis, ſiue quòd honeſto cum titulo creduntur. Si Domini conferant, ſubditi accedant; nō quo iure poſſideri, ſed quâ vi ſeruari poſſint, mortales (etiam meliores Venetis crediti) meditantur: & in magnis imperijs, non auri, non gemmarum, non voluptatum, ſed dominationis decertatio incurrit. Regū nemo ſine prætextu, ſine ambitione, ſine deſiderio eſt; tamen vnius valida, alterius irrita vota opinamur; tamdiù ſingula pro veris habentur, quòad falſa decernantur. Quis verò Iudex inter potentiores ſententiam dicet, cui alter acquieſcat? Aut quis, niſi per vim vni adimet, alteri addet? Veneti communem conſuetudinem, quàm honeſtiſſimo titulo licuit ſecuti, & accepêre, & tenuêre. Neq; te Pontificem, aliter quàm ſummos Reges recipere oportebat. Iuxta ignauiam reputatur querelis repetere, cum vires in prōptu ſunt. Enimuerò potuerintne Ciuitatum Domini concedere, Populi Senatum aduocare; an aliena tradiderint, coram diſputandum non recipio: Quiâ, more gentium, ac iure recuperaſti, & nos repoſcere ſuperſedemus. Ergò Eccleſiæ iuribus reſtitutis, ille Senatus qui Italæ libertatis gloriam, inter tot aduerſa, tot æmulos, hoſteſq́; retinet, qui Ordinem hunc mortalibus ſummum, non ſemel tutatus eſt, qui exactos Pontifices loco reſtituit, intruſos iugulato Schiſmate pepulit, inopes ſubleuauit, Romanæ Eccleſiæ fidem, ſartam tectā, mediâ in barbarie retinuit, qui Turcam Romanis potius quàm Venetis infenſum, pacto, conditionibus, minis, vi, pecuniâ longè à Chriſtianorum ceruicibus habuit, quiq́; non aliter quàm beneficio huic ordini ſplēdidiſſimo notus eſt, ſupplex veniam præteritorum poſcit: quandò nec tu Pōtifex aliud requiris; nec nos habemus quod reddamus. Seueritas hæc tua, tot ſæculis adultam Italici nominis libertatem, aduerſus Turcarum impetus præſidium vel extinguet; vel potentiā in exteros transferet, Gallos, ac Germanos; qui Patriam ipſam ex nomine, Sedem Apoſtolicam inuidiâ deteſtātur; & quorum bellici apparatus, iam cunctam Italiam in votis habent. Receptos in gratiam, & vetuſtioribus obſequijs commendatos, pro arbitrio habebis; quos tot ſæculorum pietas, & pronus in Sedem Apoſtolicam animus approbauit. Sīn ſupplices reijcis, nouerint vniuerſi, quibus nobiliſſimæ

Reipublicæ excidium cordi eſt, Venetos Pontificis Romani, & communis Parentis caritate deſtitutos, vitam nolle; ſeq; ac ſuos in præceps daturos. Maris intimo, & Adriatici litoribus, Ducentum hominum Myriades imperantur, ex quibus facili delectu habito, quidquid virium, armorumq; ſubeſt, exercitus formandus eſt; vt ſi pereundum nobis, ſocios, cauſamq; diſcriminum in periculum trahamus. Pecuniæ nobis ea vis eſt, quæ longo bello, & multis exercitibus ſufficiat. Et vtinam tantùm fidei apud Chriſtianos Principes inueniſſemus, quantum auri ſingulorum vtilitati impendimus. Vel ipſæ Venetiæ, refugium fugatis, omniumq; egenis Pontificibus, quadraginta hominum millia, tolerando bello continent; quibus omnibus certum eſt cum Patriâ, occidere, aut niſi cum honore ſupereſſe. Publicis opibus, priuata pecunia accedit, quam vniuerſi cum vitâ, pro libertate deuouimus. Cæterùm licet integra adhuc Patrum auctoritas; nec extrema malorum aduenerint, poſſitq; Senatus, vel ex ſe meliora ſperare; pietatem tamen Beatiſſime Pater experiri, quàm ſummos conatus voluit; vt hoc vno inſtillet caritatem. Pauca hæc, ſed amicorum commentationibus in maius aucta; non deerant qui Pontifici, per ſecretum aperirent. Nullum flagitium adeò à Senatu atrox aduerſus Sedem Apoſtolicam admiſſum; cuius immaniora apud cæteros exempla non occurrant. Meminiſſet quâ contumaciâ Henrici ac Federici, quibus æmulationibus Vicecomites Mediolanenſes; & (ne apud exteros quærantur exempla) quâ peruicaciâ Romani ipſi, Pontifices irritauerint. Condonatum nihilominus; & quâcunq; erroris confeſſione, in gratiam receptos. Et Iulius iræ ac clementiæ iuxta facilis; non Maximiliano ob manifeſtam vim, aut Ludouico Gallo, ob gentis conſuetudinem fidus, pronus in preces erat. Quamuis Veneti Cæſaris ignauiâ, & Ludouici negligentiâ, in certiorem ſpem euaſiſſent. Interim Ludouicus Rex, & Marchio Franciſcus, minitabundi potius, quàm infenſi aderant: Hoc Aſolam, Lonatum, ac Peſcheriam; illo Maximilianum in prælium, quod icto fœdere ſuſcepiſſet, repoſcente. Sed nondum Aſola & Lonatum victori exercitu tenebâtur; & Peſcheria dedi facilis, calamitate Dominorum deliberabat. Galli Duces vtendum fortunâ perſtrepebant; nec fortiſſimam Arcem, quæ ſolis minis haberi poſſet, omittendam. Plus molis cùm Venetis, quàm Mantuanoeſſe; & ſemel habitam, æternam fore. Paruit Ludouicus; etſi iniuriam in amicum, oſtẽtatione fidei, ac promiſſis lenire ſatageret. Daturum quippe Cremonenſis agri partem quæ iacturam, æquaret. Fixum fortunę Gonzagorum erat, pro deploratis haberent, quæ Venetis, aut alicui potentiorum ceſſiſſent: Fermè etenim maiorũ vis minoribus lacerandis impẽditur: quia impunè ſæuitur. Sed contumeliâ percitus Franciſcus, parum abfuit, quĩn manifeſtâ licet pernicie, fractam fidem obteſtatus, ad hoſtes tranſiret; niſi conſanguinei, nullo vindictæ loco, ardentem retinuiſſent. Nec Ludouicus Rex ſibi deerat, vberrimam agri partem pollicitus, vbi finis bello imponeretur. Demùm ſtabili Gallorum poſſeſſione, cum ſe Ludouicus Mediolanũ recepiſſet; & Maximilianus tarditate conſilij, res ſuas perditum iret, acres

ad

ad Franciſcum literas miſit;quibus præteritorum beneficiorum memoriam, veterem in Cæſares Gonzagorum fidem, & tutatam imperij libertatem referebat. Simul hortabatur, aduerſus Venetos, partem curarum capeſſiturus accingeretur: Dum moram agente hoſte, audentiores; humillimas preces, & oblatas pacis conditiones abiectiſſimas; ad arma, & vim transferre cogitant; cætera quæ ſponte deſeruiſſent, vtcunq; valida; ſed Veronam, fide ac munimentis fragilem, præſidij egere. Proinde accederet, mitantem retineret; & firmatam nouo milite, contra imminentem hoſtem ſtabiliret. Marchio ne diſcedens, potentiſſimo Regi ſuſpectus foret, quas habuerat literas, legendas tradidit; nec minus Patriæ neceſſitas poſcebat; quòd inter diuerſos exercitus media, vtrinq; conuelli poſſet. Non abnuit Ludouicus, ſeu fidem viri expertus, ſeu promiſſum Cæſari auxilium, tum maximè opportunum crederet. Profectus Franciſcus vniuerſa confuſioni ac diſcrimini, quàm ſecuritati propiora reperit; Impoſitis tamen ſexcentis equitibus, duobus peditum millibus; & reſtitutis munimentis, quæ ictibus tormentorum, æuoq; prociderant, ad ſuos regreſſus eſt. Satis gloriæ etiam apud hoſtes nactus, niſi aduerſa fortuna, & inſidiæ parum vitatæ obſuiſſent. Ferebatur quîn etiam Græcæ originis ſapiens; non per ambages, vt mos Oraculis, ſed apertè caſum Franciſci prædixiſſe; dum Mediolani vacuis particibus, & per ſecretum futura agitanti obijcitur. Sed infractæ virtutis Principem fortuna deprimere, famam fortitudine partam, imminuere non potuit. Non enim ex miſeriâ Ducis ſecuritas, aut exiſtimatio Venetis addita foret; niſi Marchionem ſummum gloriæ cognouiſſent. Itaq; mille quingentis ſtipatus ad Scalam conſedit; vt in ſequentem ſuos inuiſeret. Cæteræ copiæ Vagaſum, ac Rebenum diſpoſitæ, duobus (quod minimum) paſſuum millibus aberant, modicæ, ac malæ; ſolutâ diſciplinâ; & quod exitus non ſemel oſtēdit, Pontificis numerus tumultuarius. Stupuêre ruſtici ipſi confuſos ordines; & tantam in Marchione fiduciam; cum haud longè Ludouicus Maluezus, cum mille ducentis equitibus, pro finibus conſediſſet. Proinde veteri ac exercitâ æmulatione impulſi, clam exploratorem tranſmisêre; qui Marchionem nîl aduerſi ſuſpectantem, & paucis, ijsq; rudi militia ſeptum docerent, monerentq; circumueniri. Quippe magni Principis captiuitate patrari bellum, ſi celeres ac vniuerſi, paucis, & torpidis circumfunderentur. Hoc vnum Maluezus abundè ad gloriam eſſe credidit, ſi fortuna reſponderet. Et ne oblatam occaſionem ſpreuiſſe peruinceretur, ſuæ alienæq; glorię inuidiâ, citus aduolauit. Poſtremâ vigiliâ cum maximè ſoluta cuſtodia, & ſomno preſſus miles eſt, cuncta clamore, ac ſtrepitu inſonuêre. Fuſi per domos hoſtes, paucos bellum auſos cecidêre, reliquos in vinculis habuêre. Sed Marchionem omnes ſectabantur; quòd habito Duce plus gloriæ, quàm fugatis exercitibus crederent. Ipſe primum equitum rumorem exceperat; & quamuis armari ſuos, & longius ſitos in diſcrimen vocari iuberet, nemo obtemperauerat; multitudine hoſtium, ſuorum paucitate, deſperatione. Ergò omiſſis armis, ſecretâ domus parte prorupit in apertа; & haud longè,

ſegetum altitudine tectus, tamdiù delituit, donec obuius ruſticus, noto itinere, ſe in tuta Marchionem deducturum polliceretur; ſed opperiendum Maluezi diſceſſum eſſe; ne elapſo à tergo incumberet, pari vtriuſq; pernicie. Credidit Marchio; quòd viliſſimis natalibus non aliam quàm è quæſtu fidẽ exiſtimaret; Scalamq; miſſum, motus hoſtium, & quò tenderent, explorare iuſſit. Ille vindictæ quàm lucro facilior, Maluezo ſe Marchionem proditurum offert; ſi facinoris pretium daretur; nec longè eſſe. Maluezus deſiderio famæ in promiſſa nimius, pecuniam, agros, ſed & inter nobiles ordinem pollicetur. Fortè etiam in vili homine ambitionem deprahenderat; quæ rara, eoq; æmulatione acrior cernitur. Patauium primùm, mox Venetias Franciſcus ducitur, tantâ populi, Vrbiſq; lætitiâ, vt nil amplius malorum Reipublicæ imminere crederent. Id ſolùm magnitudini Principis datum, ne palam (vt captiuus) populi frequentiæ oſtentaretur. Proditor præter gẽmas, & aurum; quæ à Marchione pro tempore, nullâ parſimoniâ acceperat; nihil à Maluezo, aut Senatu habuit: vtriſq; debitum obſequium, & Reipublicæ ſalutis curam, etiam apud ruſticum ex officio præſumentibus; niſi deſiderio in promiſſa nimij, habito contemnimus. Capti Marchionis fama Ludouicum Regem, non Maximilianum permouit; ſiue potentiorum aſuetudine, non alio quàm proprio vſui minores habendi; ſiue præualentibus Venetis, non alia libertatis, quàm ex pace ratio ſupereſſet. Sed Iſabella Marchionis coniunx, formæ elegantiâ, & amore nimio mariti, miſerandum ciuibus ſpectaculum præbuit; tolerandi inſolens, & cuiuſcunq; morę impariẽs, quæ captiuum non redderet. Vbi tamen primo motui ſatisfactum, ſuppreſſoq; dolore prudentia redijt, Coniugi, Patriæ, potentioribusq; intendere, ex præſenti vſu cepit. Miſſus Venetias Ludouicus Andreaſius, & eodem nomine Guerrerius, ante alios Marchioni familiares, veteriq; nobilitate cõſpicui. Sed præter libertatem, non alio opus erat. Nam Veneti nullum officij genus omiſerant; quo amicitiam, non hoſtilitatem teſtarentur. Dati à Senatu famuli nobili miniſterio ſueti; & demptâ libertatis licentiâ magnificè habitus; vt minor carceris ſpecies eſſet. Verſum hinc in Patriam ſtudiũ; intus vbertate rerum, extra pace quæſitâ: ne ſui inopiâ, exteri iniurijs res nouas molirentur. Miſſis quoq; Stefano Aliprando, & Iulio Puſterla Legatis, Cæſarem certiorem reddidit publicæ calamitatis. Vtq; Marchio pro Imperio, nullâ rerum ſuarum vexatione irritatus, certans, fraude ſeruili, & negligentiâ ſociorum, captiuitatem apud hoſtes pareretur. Et tamen fortunam ſuã, Imperatorum gratiæ ac patrocinio inniti, & eiuſdem eſſe tueri, qui dediſſet. In eundem ſenſum miſſæ ad Ludouicum Regem literæ, ſi nõ ſubſidium expreſsêre; hoſtilia tamen, & vim externorum arcuêre: Quaſi abſente Marchione, iura Imperij Cæſares ſpectarent, eſſentq; repetituri. Supererat Iulius Pontifex, cuius arbitrio per Italiam, pax & bellum habebantur. Hunc affinitatis cum nepote; & debitæ caritatis admonuit; modò Bononienſes, modò Veneros eo iubenre vexatos; ne potior alius voto crederetur. Etiam officium repetebat; quando generis humani parentem, ſingulorum indemnitati,

Franciſcus captiuus Maluezi.

nitati, quieti publicæ conſulere deceat; nec validas potentiorum iras, alio medio componi expediat. Veneti tamen capto Marchione; & tanquàm sũptâ ex hoſtibus omnibus vindictâ, ſuis recuperandis magnâ feſtinatione incubuêre: Mantuano agro temperantes; quaſi ſatis ambitioni ac deſiderio eſſet, Dominum in perſonâ luere. Ex reliquis nullus metus erat; tractumq; in Franciſci prudentiam fuerat; quòd ambiguus animi, potiores partes delegiſſet. Sed optimè conſulta, aduerſa interdum fortuna ſubuertit; ſæpiusq; ſucceſſibus quæ tractata ſunt, quàm ratione æſtimantur. Nam pulſo Maximiliano, receptâ Vicentiâ Veneti, iam cæteris imminebant. Vſus dubio procul Senatus prudentiâ eſt; ſed in ea tempora inciderat, vt ſuopte impetu negocia transfigerentur; neq; apud Cæſarem, ea conſtantia erat, quæ benè iudicatis eluctaretur. Annus erat Milleſimus quingenteſimus nonus; cùm Franciſcus Maria Vrbini Dux, promiſſum matrimoniũ accelerabat, annuẽte, vrgenteq; Pontifice. *1509.* Quâ pompâ, quanto nobilium comitatu deducta Sponſa fuerit, abſurdum relatu eſt; quando alij ſimilia laborum pretia ſectati ſunt; & pompam omnem in commentarios retulêre. Expletâ lętitiâ (non enim abſente Patre, & vniuerſis luctui inſepultis, exequi maiora licuit) & acceptâ pridem Bononiâ, augeri conceptam Sedis Apoſtolicæ exiſtimationem Iulius credidit; ſi quos prius contra Venetos tutatus armis, & auctoritate fuerat, ſui iuris faceret. Nullam enim futuram potentiam, quæ dites ac validas Vrbes effringeret, opinabatur. Aliquis tamen ex Iſabella metus erat. Quippe Ducis Ferrariæ (quæ Ciuitas reſpiciebatur) ſoror; nec caritate ſuarum neceſſitudinum vacua, ne in ſalutem familiæ arma conuerteret, vocaretq; auxilio validiores, formidabatur. Et gnarum Seni erat, quantum in Principe fœminâ violentiæ, quantis amicitijs illigaretur; quibus artibus tractura multos in fratris vindictam foret. Minus in Marchione Franciſco erga Eſtenſes amoris putabatur; ſiue vaſtante Carolo octauo Italiam conſilio diſcrepaſſent; ſiue finium Padentium cauſâ; dum quiſq; ſibi iura comparat, infenſi crederentur. Ergò Pontifex conſilium ab aſtutiâ petit, vt (quia exſolui vinculis Marchionem audebat) Principem honoris ſpecie præueniret; ſi vtilitate ac gloriâ ductus, res ſuas, quàm ſuorum propius adſpiceret. Sequentis anni Iulio Franciſcus Mantuam reuertit, captis beneuolentiâ Venetis, qui prudentiam, integrum animum, nunquam ſatis admirati, magnum in viro, ſi amicus, obſtrictusq; eſſet, momentum eſſe cognouerant. Domeſticis curis implicitum, & ſiniſtram rerum ſuarum fortunam reputantem, miſſus à Pontifice nuncius erexit; datoq; Diplomate monuit, electum ab eo, Sedis Apoſtolicæ exercituum ductorem. Proinde aduerſam preteritorũ menſium fortunam, in decus vertere properaret. Siue reciperet honorem, ſiue abnueret (non enim in quem pugnaturus foret, didicerat) oſtentandæ gratitudinis reus erat; ideoq; acturus gratias itineri accingebatur. Sollicitum Veneti inſuper perculêre. Nam Antonio Brandolino tranſmiſſo, imperatorem eum terreſtrium copiarum dixête, quoties bellandum foret. Adeò virtus vbi perſpecta eſt, etiam hoſtes in amorem rapit. Grauis tamen valetudo,

Frãciſcus Generalis Dux exercituum Pont.

Et Venetorũ

letudo, quam aſſiduus in armis labor, & lacer aduerſis animus intulerant, obſtitit, quò minus fortioribus auſis, inuictum animum æternitati ſacraret. Nec quamquàm per vires non liceret, in vili habebatur, præcipuos Europæ Principes, Marchionis prudentiâ ac virtute egere; ſimulq; teſtimonium virtuti delectu dare. Id ſaluti Patriæ plurimùm, nec minus ab exteris tutelæ fuit: Siquidem pleraq; dominationum, exiſtimatione, quam vi ſeruantur. Graueſcebat interim Franciſci valetudo; cui fruſtra Medici, repugnante naturâ obniti ſtudebant. Aggeſtos enim vitæ licentiâ prauos ſuccos, & ex his turgentibus venis, morboſum habitum ſubſecutum, cui corrigendo, non vires, non ætas, non temporum conditio ſufficeret, docebant; Præſagio mali, quàm curâ concordes. Iſabella deſiderio coniugis impatiens, Galliâ, ac Germaniâ poſcere valetudinis remedia, aduocare exteros in curam, quorum fortunæ, publica exiſtimatio fauiſſet, ſimulq; votis indefeſſa, ſalutem mariti, ſacris largitionibus, votiſq; paciſci. Sed maior vis mali erat, quàm vt ope humanâ obſiſteretur. Ille quamquàm languido corpore nunquam exſurgeret, vis tamen animi magnis conſilijs par ſuberat; quâ modò ſubditos ad fidem, coniugem ad patientiam, liberos ad conſtantiam ac concordiam hortabatur. His frequens: Sed componendo animo aſſiduus, extremam vitæ horam, precibus accelerabat; metu impatientiæ, & tædio tam longi decubitus. Itaq; vbi inſtare finem & tenuem ſpiritum ſupereſſe cognouit; vocata propinquiora pignora, liberos, coniugē, fratres, ſic fertur allocutus. Quòd intra Paternos lares, tot bellorum caſuumq; ſuperſtes, cinctus meorum amplexibus, extremum ſpiritum relinquo, grande Numinis donum cenſeo. Sed præcipuè, quòd integris animi viribus, præſentium gnarus, certus futurorū, rebus meis ex arbitrio diſpono, conſulo æternitati, cui optimo cuiq; vniuerſa collineantur. Vos Filij ſi paterni exempli memores, fortunam pręvirtute neglexeritis, ſummis maioribus orti, eandem gloriam præferetis. Sed inter vos concordiâ, in matrem ac Patruos obſequio, erga ſubditos comitate, domeſtica in ſecuro retinebitis: Cui potentiorum adſitis, haud facilè in tempore præceperim: Tantâ rerum viciſſitudine diſtrahi vniuerſa perſpeximus; vt veſpere detriti, matutino conualuerint. Obſequendum proinde impellēti fortunæ; & propriâ virtute vallandus animus; ne inter proſpera aut aduerſa, niſi eodem propoſito feratur. Fidem maiorum deſiderare, quàm aſſequi, mihi facilius in vita contigit. Adeò propria commoda, vnâ vtilitate metiuntur. Sed cōſtantia, probitas, fortitudo, quamuis aduersâ fortunâ emergunt; nec obrui profeſſores ſinunt. Cum minoribus aut eiuſdem potentiæ, prudentiæ primùm locus eſt; mox virtuti; ſed neq; ſtatim tractanda arma, quin negociatio præferatur; nec ſemel ſuſpecta ſpes concordiæ reijcienda. Rarò bellis proficitur; quîn per vim parta, ſanguine atq; auro comparentur. Vbi vniuerſa ex iudicio ſancita ſunt, permittendæ ſuæ Deo partes, qui tractos in præceps, vbi libuerit, ſubleuat; & per flagitia proficientes, in perniciē confundit. Pontificum pietatem, vt erga Parentem; Cæſarum caritatem, vt potentiores, ex iuſto æquoq; commendo. Sed in ea tempora nati eſtis; vt

cum

cum vtriſq; amici ſimus, nullius familiaritate vti, niſi cum periculo concedatur. Venetos nũm meliores, an potentiores credam, in dubio teneo; prudentiam certè, plus opinione cautam, ipſis vtilem, cæteris perniciosam depræhẽdi; raro bellis, vt plurimùm negociarione profeciſſe. Gallus ac Neapolitanus, nec longinquitate optari poſſunt; nec Itali mores alterius petulãtiam, alterius iactantiam facilè tolerauerint. Coniunx mariti caritatem dulci memoriâ recolat; non gemitu aut fœmineo vlulatu, vilem in modum effuſa, impotentiamq; teſtata. Fratres liberis meis exemplo ac conſilio aderunt. Hæc mihi, quamquàm erepto ſolatium ferent; quaſi præſentibus ac futuris bono temperamento prouiderim. Cæterùm ne vrgẽtibus extremis, mutuo aſpectu laceremur, mihi ac vobis, cauſa mœroris adimatur, abſcedite, & æternùm valete. Paucis ab illinc horis extinctus eſt, placido velut ſomno reſolutus, Milleſimo quingenteſimo decimo nono, Martio abeunte; ætatis quinquageſimo tertio. Huic primâ ab iuuentâ, prõptus diſcrimini animus, & profuſa munificentia fuit; vbi militiam attigit, carus exercitibus, minorũ ordinum Ducibus acceptus, conſilio validus, manu ſtrenuus, Principibus vniuerſis, atq; adeò hoſtibus commendatus. Vegetam ætatem ſecuta exiſtimatio; & ex eo Italicarum rerum arbitrium. Nam integritas ſidesq; ſupererant, aduerſis ac ſecundis iuxta inconcuſſa; quæ omnia ex prudentiâ. Ingentem vim animi, corporis forma atteſtatabatur; recta proceritas, pectus elatũ, promicantes oculi, frons ingens, & coma prolixior è flauo nigreſcens. Coniunx Iſabella formæ elegantiâ, ſui æui puellas ſupergreſſa; famam venuſtatis retinuit; honori virtutum iniquam; quòd eâ maximè præferretur; fortitudine animi magnos genitores atteſtata, & abſente, ac diù languente marito, viriles curas proſecuta. Eo defuncto arbitrio ſuo vſa, & familiæ progreſſus ad miraculum ſuſtentati; vt minus coniunx curaturus, crederetur. Sigiſmũdus Franciſci frater, pòſtmodum albo Cardinalium adſcriptus; pietatis, modeſtiæ, liberalitatis famam diù tenuit; donec adauctis poſterorum virtutibus, præcedentes velut minores negligerentur. Ferdinandus (quem Ferrandum dicunt) Herculesq;, Federico minores filij, eò laudis proceſsêre, vt Italiam prior armis, poſterior Eccleſiaſticam libertatem Cardinalis auctoritate cõtinuerint. De quibus in tempore trademus. Nec minor ex ſanctimoniâ commendatio; vbi conſenſu, apud ſuos exterosq; pietas celebratur. Quò ordine Paula filiarum vna, Cœnobio D. Paulæ Mãtuæ plures annos vſa, non famâ integritatis, quæ etiam Hippolitæ ſorori, cæteriſq; eiuſdem inſtituti virginibus communis eſt; ſed ſanctitatis, iteratis miraculis celebrata eſt; adeò vt Pontifices ac Ciuitatis præſules, ne publica opinio vanitatis inſumularentur, in publicas tabulas teſtimonia confeſſionesq; eorum qui viderant, referre voluerint. Eo maximè Paula Diuorum moribus vſa, credita, quòd cùm Religionis ſtudio ante alias intenderet, pro virili famam auerſaretur. Qui Principum vitia, exactiori ſtudio, quàm virtutes ſectantur, inconſtantiam in Franciſco carpebant: quòd non ſemel à Sfortijs ac Venetis deluſus; & oſtentatâ facti inuidiâ diuiſus, illico tamen requiſitus acceſſiſſet.

Franciſci mors. 1519.

Vnde

Vnde apud omnes coalitam offendendi licentiam; & contemptum pro præmio redditum volunt. Sed neq; Marchionum Mantuæ ea vis erat, quâ ſe ac ſuos, nullo deforis adminiculo tueri poſſent; & decertantibus potentioribus profiteri ſtudium oportebat; ne ab omnibus deſtituti omnium prædæ forent. Naturâ comparatum iniquè eſt, vt minores licet validiores iniurios experiantur; tolerent tamen, ne perdantur; & gratias agant. Decimum octauum annum agebat Federicus, cum Matre ac Patruis adminiſtratoribus, dominationem magnâ vniuerſorum ſpe accepit; Non eo tantùm nomine infœlix quòd parentem amiſiſſet, quàm quòd principium anni fœdũ Maximiliani Cæſaris morte inceſſiſſet. In Federico licet cunctorum commendatione, artis militaris deſiderium, diligentia, ſecretum, labor, clementia, comitas, cæteraq; his connaxæ virtutes memorarentur, non apud omnes tamen eadem reputatio. Nam pecuniæ plus honeſto auidus, & earundem merſor, nullâ honeſti causâ ferebatur; voluptatum immodicus, deſideriorũ impatiens; non tenax propoſiti. Accedebat noui belli metus, quod Franciſcus Gallorum Rex, ac Carolus Maximiliani nepos, apertè imperatoriam potentiam, ambitu, pecuniâ, armis requirerent. Genuenſes ſub Octauiano Fregoſo Gallorum Regi, & cæteræ Mediolani Vrbes parebãt. Veneti, Bergomo, Brixiâ, Veronâ, Vicentiâ, Cremâ, Patauio potiebantur. Ferrariam Alphonſus Federici Patruus habebat. Florentini Piſas imperio retinebant. Minoris ordinis quidam, dominationibus oblatis adrepſerant; nam Camerinum Varani, Malateſtæ Ariminum denuò inuaſerant; vt ſi cauſas bellorũ exquiras, nîl tutum aut certum, inter recentem potentiam, & futura odia crederetur. In Leone Pontifice Mediceo, ſiue vis animi, ſiue ſecordia præſumeretur, æquè Chriſtiano Orbi, magnæ diuitiæ, faſtus regius, ſummæ neceſſitudines perniciosa recolebantur: ne Iulij mores ſectatus, ſumptis iterum armis, vniuerſam Italiam agitaret; ſiue Sedi Apoſtolicæ eam potẽtiam, ſiue familiæ ſuæ quæreret; aut ignauiâ ſolutus, non ſua, non aliena, non communem pacem curaret. Vtriſq; malorum ſuæ coniecturæ erant; è magnitudine animi, natalibus, vſu familiæ, nec minus recentibus exemplis, & ſtimulantibus potentioribus, deductæ. Expleto Franciſci funere, quod apparatu regio, familiæ ac virtutum recordationi inſtructum fuerat; primos mẽſes Federicus Reipublicæ, ac domui ſuę retractandæ impendit. Non enim abs re erat, eos qui à fœminâ, ac Principe ægrotante per internuncios recti forent, aut inſolentiâ detritos, aut parum obediẽtiâ prouectos. Nec aptior forma credita; quàm quæ à Franciſco Patre, plures ante annos inſtituta, corruptam ciuium ac familiæ modeſtiam reſtituerat. Verſa mox in exteros ſtudia; quòd Chriſtianorum Principum nemo; conceptam ſucceſſione lętitiam ſuppreſſiſſet. Et iam certi nuncij attulerant, ſub Iunij finem, Carolum Auſtriacum, ſine armis, concordi Electorum voto ad Imperium veniſſe. Nam Marchio Brandeburgenſis, dum Archiepiſcopi Treuerenſis vanitate ſupra ſe tollitur, cõceptam ſpem ſtatim omiſerat, cum pronos in Carolum reliquos vidiſſet; id vnum præfatus, altiſſima quæq; per honeſtas artes cupere, Regiũ credi-

Federicus Dux Mant. primus.

credidiſſe; proinde deſerere, quæ vinci nequeant. Haud diſpari ætate Carolus ac Federicus Marchio erat; Inerantq; ambobus veræ virtutis ſemina, quæ in multam frugem ſuo tempore emerſêre. Si quid in vtroq; extra perfectum gloriæ, & ſummum laudis videbatur, ætas ſeculumq; deliquerant. Initium famæ ſors Federico dedit: Cum enim paucos ante dies, Leonis Põtificis aſtu; Alexander Fregoſus, Ferrariam à Iulio prædeceſſore tractatam, ſibi adijcere, pulſo Alphonſo Eſtenſi, flagrantiſſimè cuperet; deſcriptumq; intimâ Hetruriâ militem, in ſubiectam Vrbem, conductis nauigijs, Pado exponere cogitaret; eæ non ante Amnem tetigêre, quàm certior Federicus inſidiarum; non neceſſitudinis amore potius, quàm turpitudinis inuidiâ, quidquid nauium Amni inerat, Mantuã ſubuehi iuſſit: Simul per literas Alphonſum monuit. Vnde ſpes Leonis ac Fregoſi eluſa, cæteros docuit, quantum fidei, apud vnumquemq; opperiendum ſit; ſi præcipui, dominationis causâ labantur. Equidem irritos Leonis conatus fore, promptum iudicatu erat; nec enim in Principem familiam, quæ mole ſuâ onus imperij ſuſtineret, Ferraria transferebatur; & proprijs viribus Eſtenſes, annos integros eluctati inſtantibus forent; donec maior vis accurriſſet. Gallus ipſe pro Eſtenſibus quàm Pontifice, erat; Et Medicei ciuium ſuorum æmulatione exerciti, magnâ fortunâ egere videbantur, vt Patriam ſuperarent. Non deerant tamen, qui iuſtis cauſis motum Leonem, & magnis prætextibus antelatos Fregoſos arbitrarentur: Siue Eſtenſis in Romanæ Eccleſiæ hoſtes pronior eſſet; ſiue priuatas opes plus iuſto augeret, ſuſpicione turbarum; quarum meditatio, apud innoxios maieſtas erat. Etiam Gallo Regi magis quàm Pontifici miniſterio paratus ſciebatur; quòd poſtremò Ferrariã, validis circùm munimẽtis firmaſſet; idq; feudali Diplomate, vetitum Eſtenſibus fuerat. Nos euentuum ſeriem tradimus: Volũtatem Principum ac conſilia ęgrè introſpexeris; & ſi facta cognoueris, non tamen ad manus interpretatio eſt. Fregoſi motus (ſi in Federicum indignationem excipias) breuis pax ſecuta per Italiam; aut bellorum cauſis abolitis, aut Caroli Quinti metu; quem intra iuuentam, eductum in Regnatrice domo, & præceptis Monarchiæ imbutum, proferendi Imperij auidum rebantur. Nec opportunior occaſio offerri poterat; quã ſciſsâ in ſeditiones Italiâ, & mutuis vulneribus laceratâ: Et Veneti recenti licentiâ, ob reciperatam potentiam, fluxam nutantemq; dominationem pace ſtabilire nitebantur. Cæterùm Fregoſi odia non texêre; ſed Paulo Spinolâ internuncio, prohibitos progreſſus, ſuſtentatos monitis ac promiſſis Eſtẽſes expoſtularunt. Et quò plus in oratione coloris foret, Regium reduxêre; & pluribus, aſtum, vim, fraudes, promiſſam pecuniam proſecuti ſunt; quibus in Gonzagos Dominos iniurij, Ciuitatem à Feltrini filio extorſerant. Federicus veterùm recordatione poſtpoſitâ, recentem amicitiam, frequentia cõiugia, datam fidem, honeſtum excuſauit; cur exactos noluiſſet. Sed quantũ Fregoſi alienationis, tantùm caritatis Adorni in Federicum induêre, & paucis poſt annis, apud Carolum Genuę agentem meritum pro virili reddidêre; nõ quod peruicerint (nã integra Principis iura ſuberãt) ſed quòd promptius

cum

cum Dorijs cauſam ſectati ſint. Federicus interim nullo belli vſui, ætate &
ac nouâ dominatione excuſatus, quamquàm publicis curis non deeſſet; no-
biles tamen voluptates, æmulatione maiorum ſectabatur; quas natalibus &
deſiderio hauſerat. Præcipuum illi militaris exercitij ſtudium;& compoſito
in ſpeciem bello, congreſſibus ac certaminibus clareſcere. Ad famam lu-
dicri Bononienſes, Mediolanẽſes, pluresq́; Galli accurrêre: Nam apertâ are-
nâ; lanceâ, enſe, cæteriſq́; bellicis decertabatur. Præmonſtrata à Principe
victoriæ præmia, alacriores vniuerſos reddebant; decoro Vrbis ornatu, &
futuræ neceſſitati comparato. Sed è ioco ſeria petebantur; ne vis armorũ
deſueſceret; aut enatæ ſemel turbæ, nomine tenus, inſuetis horrorem incu-
terent. Vbi ciuilibus exercitijs otium inceſſiſſet, Venationibus aſſidui no-
biles cum Federico erant. Durari iuuenum artus, firmari animos labore, ac
periculis, curſu, inediâ proficuum credebatur. Et id Patrui ſectandum pro-
poſuerant; ne gliſcente ignauiâ, vitia præualerent; aut ſedentarijs ludis ęta-
tem, moresq́; corrumperent. Quod Mantuani agri erat, & Ciuitas ipſa,
quamuis bellis exercita, cultoribus frequentabatur. Auctus quoq; cenſus,
eodem vectigalium more ſeruato; ſiue Mercatura creuiſſet; & quieſcente vi-
cinio plura diſtraherētur. Quâ famâ; & quia ius faſq́; apud ciues vigebãt,
plures nobilium exterorum apud recentem Dominum ſpectabantur. Hos
inter Martinenghi, Canoſſæ, Rubei, Bentiuolij, Caſtiliones, & Hyppoliti;
æmulatione obſequij, comites ſe magno iuueni reddiderant. Et quidẽ Hyp-
Hyppoliti. politi, quos Gazoldi Comites multos ante annos Cæſares dixerant, & lon-
gâ poſterorum ſerie, nouis conceſſionibus auxerant, quamquàm domi ſuæ
liberi, & nullo niſi Imperatori miniſterio obſtricti; ſeruire tamen Principi
inueni, & inter Patritios Gonzagæ aulicos numerari maluerant. Iam Mil-
1520. leſimus quingenteſimus viceſimus aduenerat, toti Poſteritati veneno iacto
famoſus; quod in Germaniâ ortum, proximâ quæq; rapuit, licentiâ flagitij,
& doctrinâ luxui blandiente. Originem breuibus abſoluam, quandò alij
fuſius proſecuti ſunt; quæ nemini gnara eſſe expediret. Martinus Luthe-
Martinus Lutherus. rus, natione Saxo, ſub Auguſtiniano inſtituto Monaſticam ſectatus (ſecretæ
cauſæ aut prorſus ignorantur, aut à peioribus in Pontificem, à melioribus
in ambitionem viri referuntur) Ioannis Hus, & Hieronymi Pragenſis, Boë-
miæ hæreticorum, pridem à Conſtantienſi Concilio damnatorum, errores ac
perfidiam reduxit. Flagitio occaſionem, nimia Pontificis indulgentia præ-
buiſſe dicitur. Qui veteri aulæ more, & Cardinalis Puccij quo familiariter
vtebatur, conſilio; toto Orbe, nullâ temporis aut loci diſtinctione, ſpiritua-
les Indulgentias euulgauerat; non viuentium magis, quàm defunctorum ſa-
luti. Ergo decoro nomine fęda negociatio; & conquirendæ pecuniæ ars
quæſita; cum tamen Pontifex ſordes horreret. Simul imprudentia, inſolẽ-
tiaq́; redemptorum, qui pretio exactiones conduxerant, apud vniuerſos odiũ
ac deſpectum cõciuêre. Sed maior iuxta Germanos inuidiâ; quibus (ſi ſub-
ſit pietas) plus ſanctimoniæ, minus auaritiæ depræhenditur. Apud hos,
Animarum quæ detergendis reatibus Purgatorio igni attinerentur ſalus,

per

per ludum tranſigebatur: adeò ſordeſcente exemplo, vt per plateas ac cauponas veno exponerentur. Accēdebat auerſantes turpitudinem Magdalena Leonis ſoror; cui in ſortem magna exactionum pars contigerat: Quamque Epiſcopus Aremboldus, per auaritiam ac ſæuitiam exercebat. Hinc odio haberi primùm exactor, mox fœmina cui ſacra munere Pontificio ceſſiſſent; ad extremûm non Pontifex, non auctoritas Apoſtolica benè audire. Licet miniſtrorum culpâ, munificentiſſimus Papa, auaritiâ ignoto ſibi vitio vrgeretur. Sed nemo palam veterem, & tot ſæcula habitam Pontifici Romano reuerētiā,licet prouocatus,aut perfidorū ęmulatione ſtimulatus carpere audebat; niſi Lutherus immanibus conſultis ſuam ipſe ac tot populorū ſalutem perditum iſſet, temeritate docendi. Aderant homini,aura popularis, per ſcientiæ ac eloquentiæ ſpeciem, & ambitio: Et Dux Saxoniæ tanquàm ſubditorum facultates haurirentur, iniquis Sedis Apoſtolicæ vſibus, & ſubditi auaritiâ diſtraherentur, tot ſæculorum aſuetudine ſeruatam Romanis Pontificibus fidē; pro quâ toties aduerſus Cæſares cōtumaces victores, ęternum familiæ ſuæ decus addiderant, amore perditiſſimi Monachi, fœdiſſimi mancipij, gloriam omnem maiorum, ſpemq; in futurum Imperij proiecit. Lutherus vbi tractum in partes potentiſſimum Principem, & initia proſperè iacta, ad vlteriora contendit: Nam quò maiori contumeliâ,validiorem cauſam ſuam oſtentaret, ſacras imagines templis auelli, ſpoliari Eccleſias auitis bonis, effringi vota, aboleri inediam, vigilias, quæq; placando Numini rectè vſurpantur; deniq; etiam in ſacratas virgines inceſtum admiſit. Verſa hinc in Conciliorum contemptum contumelia. Reiecti qui lōgo annorum decurſu, commendatione Patrum, Eccleſiæ Doctores habebantur; Pontificum, ac ſacrorum Cānonum decreta abolita; nec ſacris literis, ſueta pridem ſed recens interpretatio, quam ipſe commentis turpauerat, aptata. Quò initio tractæ in contagionem vicinæ gentes; Sacramenta vilipendere, ieiunium, pœnitentiam ſcelerum damnare; velut Seruatoris Chriſti operâ,nullâ amplius noſtrâ curâ egeremus. Cauſa vna, peruicacia, finis conſcientiæ libertas,& libido voluntatis. Fama perfidiæ in Vrbem delata, ſimul & occaſiones, Pontificem anxium habuēre. Quippe iuſſus Lutherus ſe coram ſiſtere, & ſacris interim abſtinere, vtrumq; neglexerat. Quidam Leonis odiū præſumebant; nec iuſtitiam cauſæ, ſed vindictam proſequi; prohibente Monacho amicorum populorum, ac vulgi peculatum: Non enim adhuc cepta exactio fatiſcebat. Et vbi monitus Saxoniæ Dux, non eo loco res ſuas in Vrbe, quo crediderat, eſſe, palam contumaciam induerat; contemptu potentiæ, quam aduerſam expertus fuerat. Qui initio fauerant, arreptam occaſionem, auidius in Religionis perniciem conuertēre. Scilicet ideo ſapiētiſſimos diris deuoueri, quòd peruideant; & Principum ſummos, quòd ſciant. Manifeſtam culpam, rigore teſtari: Et ideo Papam implacabililer iraſci, quod ſcelus deprænhenſum. Sed quæ vnquàm flagitia ſine excuſatione; aut iuſtitia, ſine ſuggilatione,apud eos fuit, quos tangit? Eâ quidē pecuniâ contractâ, ſi quid peccatum fuit, ſeruorum culpâ accidit. Certum eſt,

Digitized by Google

quidquid auri in Vrbem deportatum, ſacris largitionibus à Pontifice inſūptum; à quò longiſſimè auaritiam abfuiſſe, etiam Germani Annales fatentur. Sed ineuitabilis ea notha eſt, quam Principes malis amicis vſi, contrahunt; & cum ab vniuerſis adminiſtris peccetur; vnius tantùm inuidia creditur. Quò magis in lubrico famam habent; quòd prauis vſi, quia non benè delegere; & laudatis, quòd errare non credantur, diſtrahantur. His

Iulius Capilupus. ferme temporibus Iulius Capilupus, veteri nobilitate Mantuanâ, aulæque peritiſſimus, ad Carolum Quintū à Marchione orator miſſus eſt; vt recentē potentiæ Imperatorem, obſequij munere aggrederetur; & conceſſam prædeceſſoribus Mantuanæ ditionis poſſeſſionem, diplomate nouo firmaret. Ea prima Cæſari, quæ Imperium ſaperet cura viſa eſt, quò (vt noua ad gloriam trahuntur) celebrior admiſſio fuit. Nihil quod gratiam infringeret, obiectum: Refricata tantummodò præteritorum Imperatorum beneficia; & vt Federici maiores, armis, operaq; Germanos Reges iuuiſſent, memoratum. Hortatus proinde eadem veſtigia calcare; nam maiorem indies gratiam recepturum quò acrius gratitudini incumbuiſſet. Cæterùm diutius intimo cubiculo habitum Capilupum; credebant, ſecreta ad Federicum mandata habuiſſe; quòd nouo cum Pontifice fœderi, aduerſus Gallos, magnum ex Federico impedimentum eſſet: Qui iam partes Galliæ Regū ſecutus, equeſtri Diui Michaelis ordine, & annuo ſtipendio præfulgebat. Neq; difficilis à Gallo Federici alienatio putabatur; quòd Thomas de Fois Mediolani Gubernator, ſiue vt Marchionem à Rege abſtraheret, penès quem potior exiſtimatione erat; ſiue vt turbis cauſam daret; modò Federico per ſecretum, modò apertè detrahebat. Addebatur vis, interceptis Mercatoribus, quos ſpecie fraudatorum vectigalium detinuerat Cremonæ; nec requirente Marchione, dimiſerat. Quin ſi vel caſu, pecudem Mantuanis limitibus excedere, & in Cremonenſem aut Parmenſem deerrare contigiſſet, in prædam ac pœnam retrahebat. His & ſimilibus non fortunam, ſed dolum perpetuò prætendebat. Quæ Federico ingrata, cum per literas, Regem iniuriæ, nullo profectu aut vtilitate monuiſſet, miſerat Buccamaiorem Iuriſperitorū ſui ſui primarium, qui coram quereretur. Sed id quoq; neglectum: & dilata remedia, aut negata, cauſam deſciſcioni præbuêre. Tentata quoq; à Gubernatore eruptio: & deſcriptus miles pro limitibus diſpoſitus, petitumque ab Gallo Rege, an poſſeſſa à Marchione Cremonenſis ditionis Oppida recipi; & in vindictam vlterius progredi imperaret. Quod licet Franciſcum Regē abnuere, ne qua belli cauſa emergeret, Federicus accepiſſet; minas tamen pro iniurijs reputās, & in armis retinere iuuentutem coactus, ægrè ferebat: Non aliam mutandi voti occaſionem poſcens, quàm res turbatas. Id Pontifici ac Carolo notum, qui iuuenem iniuriâ ac indignatione turgentem, præuenire ſtatuerant. Vbi Capilupus legatione functus, proſpero in Dominum Cæſaris fauore vſus eſt; Mantuam reuerſus, Federicum magnâ ſpe erexit. Imperator parem erga ſe Franciſci animum, iiſdem diebus expertus fuerat, idq; non niſi cum voluptate acceperat; quòd Nauarræ Regē, Gallorum

rum

rum armis impetitum; & Marchionem Brandeburgenſem, fluxæ fidei foueret. Pontifex quoq; tàm odio Regis, quàm indignatione in quēcunq;, Ferrarienſes inſidias aducrſas expertus, conſilia miſcuerat. Conditionum ea forma erat; vt pulſis Italiâ Gallis, Mediolanenſis Ducatus in Franciſcum Sfortiam transferretur, ac vtriusq; viribus fulciretur; Pontifex Parmâ ac Placentiâ, præſumpta Sedi Apoſtolicæ iura ſecutus, potiretur. Nec id iniuriâ fieri credebatur. Nam Claudia Caroli Regis filia, Carolo Imperatori non ceſſerat, culpâ Parentis. Addebantur abolitæ à Cæſaribus inueſtituræ; & in Imperium libera poſſeſſio deuoluta: Siue eſſent; ſiue crederentur, aut cauſas diſceſſioni quæreret: Nam id bello ſatis. Præcipuè cum iura Gallorum Leo Pōtifex animi aduerſus oneraret: Et raræ per Italiam amicitiæ Regi eſſent; eo ipſo vtili Romano Epiſcopo, quòd daret amicitias potentioribus, adimeretq;. Magnum certè momentum rebus ex Papâ per Europam erat; & ſolitis Principibus rapto vti, id æquius cenſebatur, cui ipſe annuiſſet. Iam vicinium inferendo bello, plus virium in Leone oſtentabat; quòd recens miles, non itinerum difficultatibus laſſatus, non multo ære, per deuia ac diſſita traductus, hoſtibus improuiſus obijceretur. In Duce vis animi, & fides poſcebantur; quæ iuncta haud dubiè Federicum Pontifici ac Carolo obtulēre. Igitur primâ Iulij, Milleſimi quingenteſimi viceſimi primi, Pontificia bulla (ſic vocant) delata eſt; quâ Federicus Sedis Pontificiæ, ac vniuerſorum exercituum, Capitaneus Generalis cenſebatur: eo ſtipendij honore, quod Principem vtrumq; deceret. Et ne breui imperio regreſſus, partes confœderatorum infringeret, Triennium ſtatutum eſt, agēdis rebus; quo inchoata perficerentur. Gallorum Rex nouo Marchionis honore ſuſpenſus, plagam ex hoſte præuiderat: Vt qui adimi ſibi principale ſubſidium per Italiam videret, in quâ maiorum Federici virtute, triumphator inceſſerat; & Carolus vix ſe excidio ſurripuerat. Quò tamen tanti belli motus flecterent, ignarus ſimul, ac incurioſus perquirere deſtitit: Ne hoc ipſo ſuſpiciones, & belli meditamenta prouocaret. Tantùm nullo temporis ac prudentiæ delectu, Mantuam Carolum de Loſia legauerat; vt Federicum nouo fœderi auellerct, & oſtentatione præmiorum Cæſari ac Pōtifici abſtraheret. Idq; adeò apertè, vt cum aduentus cauſam publicè, requirente nemine proſequeretur; etiam Regis ſui de Italiâ conſilia aperiret. Id ſatis erat illigando Pontifici Federico. Et alia lex agendorum Carolo, collegatisq; erat; qui eò magis intenti, & futuri ſolliciti agebant, quò ſecretiores fallebant. Paucos antè menſes, Sigiſmundus Federici Patruus ac Cardinalis, Mantuanum Epiſcopatum; quem maiores ſui, acceſſione redituum adauxerant, in Herculem Federici fratrem transferre cogitauerat: miſeratq; in Vrbem, qui Pontificem promptum deſiderio redderent. Sed ſuſpecta Gallorum potentia, Federici amicitia, Eſtenſis odium, moram cupitis attulerant; ne in iuuenem inexpertum, ac neſcium, pulcherrimus, ditiſſimusq; Italiæ Epiſcopatus (nam latiore fœnore vtebatur, quàm hodie circūſcribitur) tranſiret. Vbi res ſecundū Pontificem proceſsēre, vicit ſpectata indoles ac modeſtia, iuuenisq; ætatem pru-

Federicus Capitaneus pro Leone X. 1521.

Rex Galliæ conatur abſtrahere Federicū fœdere Caroli V.

Vercul. Eps. Mant. dentiâ ſupergreſſus, magnis curis par eſt creditus. Iacto inter Pontificem ac Carolum Quintum fœdere; Franciſcus Rex, Veneti, & Eſtenſis, ſimul nō ſpernenda Heluetiorum manus, ſacramento coiuêre. Si iunctis viribus Pōtificis conatus eludere, Federici gloriam frāgere, Carolumq́; Italiâ prohibere poſſent. Eò vanitatis proceſſerant; vt opprimi vtrumq́; facilè poſſe crederent. Nec fracto ſemel Pontifice ſpem aliunde opinabantur. Federicus Marchio pridem ciuilitate, & incuſtodito per Vrbem inceſſu, nullo comite, pleroſq́; nobilium pompam requirentes, & honorum inania æſtimantes, offenderat: Nec in eo ſubeſſe virtutem rebantur, qui ſeruare maieſtatis exiſtimationem neſciret. Ille tamen amore ſuorum; & quia præualet caritas, familiariter, ſingulis è plebe vtebatur; & tantū externis præſentibus, ſeueritatem præferebat, quòd primâ à pueritiâ, non niſi turpibus erubeſcere didiciſſet. Paulò poſt, vt diſtractis bello Prouincijs, & præſumpto leuiorum neglectu, etiam fauente tempore, Franciſci Marchionis ad Scalam Veronæ proditor, Mantuæ compræhenſus eſt; ſuas ipſe diuitias celare neſcius, & vēdi, tranſfigendiq́; ignarus. Non enim Maluezio Duci, acceptū à Marchione ſecreti pretium gemmas aurumq́; detexerat; ne partem concederet; aut vniuerſis exueretur: & repentinam fortunæ mutationem, fruendi auiditate malè tegebat. Defuncto Franciſco, vt licentius proferret, aliquâ adhuc pecuniâ, & quibuſdam gemmis reliquis; ſolum Patrium vertere, Mantuāq́; concedere (vrgente in pœnam flagitio) ſtatuit. Non enim inter turbas; & tot hominum millia, nullo conſcio, per nocturnas tenebras actitata, referari poſſe credebat. Neq; Marchionem hominis ſpeciem, ac nomen prodere potuiſſe (quæ neſciuiſſet) opinabatur. Vbi fors primis conſultis affuit, audentius promit gemmas (quas Marchio Franciſcus articulo detractas, ac pectore obtulerat) venoq́; exponit; velut requiſituro nemine, quò dante fortunam ſupergreſſa accepiſſet. Faber aurarius, Adamantem ingentis pretij oblatum admiratus, vt ditiori venderet, antequàm ruſtico ſolueret, ad Iſabellam ſimilium auidam detulit; vt pulchritudine annuli allecta, ſibi compararet. Illa veterem formam notamq́; admirata, hærere primùm, mox ſectari vnde gemma habita, quo venundante proferretur, quo pretio diſtraheretur: Nam Marchioni coniugi, à ſe dono datam plures ante annos, nec ab eo omiſſam ſciebat. Vbi longius memoria proceſſit, cuius foret inquiſiuit. Sed qui detulerat, ſeu furtum, ſeu conſcientiam flagitij metuens, emptionem retulit; nec ſe niſi medium tranſactioni teſtatus eſt. Ergò detineri hominem, & ſecreto interrogari placuit. Qui vbi detectum ſcelus; & nullum niſi ex confeſſionis gloriâ pretium vidit, ſuam perfidiam teſtatus eſt. Vitatam à ſe ob metum Patriam, & forſitan impellente Numine retractum Mātuam, vt pœnas facinori rependeret. Eſſe tamen per quæ excuſetur: Quòd Venetorum ditione ortus amorem dominorum, cum cœlo hauſiſſet: Non hoſti ſeruandam fidem; & idem pro Marchione facturum fuiſſe, ſi Veroneſes hoſtes habuiſſet. Cæterùm formidantem Marchionem, non aliter retineri potuiſſe, quàm accepto præmio; Veteri & ingenitâ nobilibus opinione

ruſticum

Digitized by Google

ruſticum niſi vtilitate duci; & ſi abnuantur munera, ſuſpectā haberi integritatem. Proinde recepiſſe, vt falleret inimicum incautiorem. Iam honeſtè habita, in proprios vſus conuertiſſe. Quippe inter arma ac diſcordias; etiā facultates in hoſtes tranſire; ſeu promiſſione, ſeu vi capiantur. Poſtremò ſi durius interpretentur, quæ molliora ſenſa admittant; conſtare integram in reſtitutione innocentiam. Cætera nec inter peſſimos quidem, imagine flagitij notari. Fiſco præpoſitus Paulus Villenſis; cui Marchionis vtilitas, per æqua, & iniqua, honeſta habebatur; non prudentiam, non pietatem, non temperamentum doctus, vniuerſos hoſtes eſſe cenſebat, & hoſtiliter habendos, qui pro Patriâ & proprijs Dominis perfidiam ſequerentur. De gēmis & auro reſtituendo dubium non eſſe; quæ pro incolumitate Ducis tradita, certam perniciem attuliſſent. Et Iſabella fœminili impotentiâ, amore coniugis, caritate filij, iniucundis ac aſperioribus facilè accedebat. Has inter contentiones, Federico cognoſcere cauſam, & decernere placuit. Vbi quæſtioni expoſitum, intrepidum videt, & vilitatem auaritiæ improperantem audit; non aliud prolocutus fertur, quam potiſſimam aduerſorum cauſam fortunam eſſe; Datoq; gemmæ pretio, impunè dimitti hominem iuſſit; hortatus nouos Dominos, quos elegiſſet, quoſq; liberalitate expertus ſit, pari fide, quâ Venetos coleret. Sed ille etiam Mantuâ profugus, alias ſedes delegit, pudore memoriæ, ac formidine. Nam atrocibus non ſemper ignoſcimur; & minima recordatio, quocunque leui errore, vindictam ſuggerit. Vix Mantuani, Pontifici deuinctum Marchionem acceperant; & iam tota Gallia, metum & ſuſpiciones inter, quid pararetur præuiderat. Et quamquàm ingenuè voluntatem fateri Federicus iuberetur; viſum tamen Cęſari, pietatis opinione, veniam à Rege poſci debere. Miſſus à Marchione Lugdunum Iulius Gonzaga, vt cauſam militiæ, obſequio in Sedem Apoſtolicam referret, poſceretq; licentiam honeſtiſſimis cauſis, & nauandæ pro Leone operæ. Tacere tamen iuſſus, quæ grauia à Gubernatore Mediolanenſi Mātuani tot menſes paſſi forent: ne reſtitutione damni, incuitabili accuſatione, Gallus conſilia depræhenderet. Qui animo motus, tantæ amicitiæ iacturâ indignationem diſſimulauit: Recepitq; vt non offenſus inſignia quibus Ordinis D. Michaëlis decorantur. Nec deerant qui conuulſos Mantuanæ ditionis terminos farciri; & abactæ prædæ æſtimationē reddi conſulerent. Nō enim niſi ob iniurias, Marchionem ad externam fidem tranſiſſe. Sed Rex ne fateri conſcientiam culpæ; aut Gubernatoris errorem reſtitutione videretur; conſilium ignauiâ notatum reiecit; minora in fortunam flectens, ob quam etiam potioribus carebat. Vbi ſacramento ſolutum Marchionē Pontifex accepit, vt certo victoriæ auſpicio, Proſperum Columnam, & Marchionem Peſcariæ; quorum ille equitatui, hic pediti præerat, accingi cum vniuerſis copijs iuſſit; monuitq; habituros ſe laborum ſocium, ſed ſupremo in militiâ nomine Marchionem Mantuanum: quem non virtus ſolùm, ſed & pronus in Pontificem Romanum animus; & æmulatio Federici Gonzagæ, Bozolani conſanguinei, vt militiæ peritiorem accendebat. Prima in Par-

Federicus reddit inſignia equitū Sācti Spiritus Regi Gallo.

menſes eruptio, toto cum exercitu fuit; Quòd nobiliſſimam Ciuitatem à tergo relinquere, inglorium & perniciofum crederent; & hanc præcipuè Leo in votis habuiſſet, Bononiæ conterminam & vicinio ſecuriorem. Dixiſſe properãtibus Ducibus, & Mediceo Legato ferebatur; ſi fortuna deſiderio fauiſſet, & recipi Parmam contigiſſet, gratam ſibi mortem futuram; omini imminentium; vt exitus oſtendit. Itaq; magnis viribus, hinc obſeſſi, inde oppugnatores; decus, facultates, ſalutem diſcrimini obiectantes cõcurrebant. Iamq; magnâ propugnaculi parte auulſâ, ſpes inceſſerat, oppoſitam Vrbis partem, victoribus acceſſuram. Nec fefellit expectatio. Quippe immiſſus miles, & raro propugnatore, cis Parmam Amnem, Ciuitas capta eſt. Sęuitum in bona militari licentiâ, & iure belli. Humanitatem Pontificij credidêre, quòd cædibus, ac libidini temperaſſent. Maior & opulentior Vrbis pars ſupererat; tranſeundus Fluuius, diruenda munimenta ad ripam ſita; & pro diuortijs itinerum certandum erat: Cùm Lutrechum Gallicarum copiarum ductorem, multis equitum ac peditum millibus inſtructum; vt ſuppetias laturum, propius ſuggredi delatum eſt. Peſcarius ac Columna dubij futurorum; & occultis odijs mutuò infeſti, varia diſſeruêre. Ille non niſi manifeſto flagitio omitti poſſe, quæ cum labore accepiſſent; aut deſeri quæ facilè caperentur, dicebat; Nec vniuerſum exercitum completæ victoriæ exponi: Partem ſufficere, quæ aduentanti Lutrecho obijceretur. Colũna quem penès ætate, famâ virtutis, veteriq; militiâ maior auctoritas erat (quamquàm ſupremo nomine Federicus Marchio præſideret) maiores Gallis vires, quàm vt raro milite retinerentur, eſſe monebat: Nec licet vniuerſi ſimul incubuiſſent, ferendo à fronte ac tergo hoſti pares. Omittenda quæ cępiſſent, oppeciendos Heluetios, & trahendum bellum. Peſcarius ſemper aduerſus; & ſi quando in medium cum cæteris ductoribus conſuluiſſet, diſcordare manifeſtus, obteſtari fidem datam, Mantuanum appellare, minitari querelas, ac Pontificis graues iras. Et peruiciſſet; niſi Marchio Federicus, alienas diſcordias ſibi imputari abnuiſſet. Officium quidem ſupremum ſibi, ſed Columnæ expertiſſimo deliberationẽ executionemque permiſſam. Nec quamcunq; victoriam, inuito Seniori habitam, gloriæ futuram; quòd temeritati adſcriberentur, quæ ſecus ac prudentiſſimus miniſter imperaſſet, agitarentur: Quantum dedecoris in quouis errore fore? Nec tamen Peſcarius deſtitit; ſed communi omnium conſenſu victus, ſcripſit ad Leonem literas; omiſſam victoriæ occaſionem; ſpretos ſocios, captam ferè Parmam, & ignauiâ omiſſam referens. Nec Pontifici opportunitates, aut incommoda nota erant: Id ſe tamen grauiſſimè tuliſſe oſtendit; ſimulque metuere; ne Eccleſiaſticis exercitibus, pro Cæſare, recipiendo Mediolano vterentur: pontifici debita, fractis iam aut imminutis copijs, irrito labore repeterentur. Sed haud multò poſt Adda tranſmiſſa; pulſi Galli, Mediolanum, & magna ditionis pars, ad victores Gonzagam, Columnam, Peſcarã tranſijt. Quod interpretationes cenſorum rupit, qui ex euentis cauſas, occaſionesq; opinantur: licet difficile perſpectu abſenti ſit; quid opportunius

Parma capitur.

in

in tempore fuerit: Nec ex vero eſſe, quòd victoria ſecuta ſit, potius facto fuiſſe. In hæc ferè tempora mors Hyppolitæ Taurellæ, Balthaſſari Caſtilionis coniunx incidit. Quæ quantum Maritus rerum ſcientiâ ac eloquentiâ viguerat, tãtum illa Poëtices ſtudio excelluerat, incertũ apud poſteros relinquens, pulchrior, caſtior, an doctior fuerit. Leonis Decimi obitus Decembris initio, eiuſdem anni, formidinem attulit; Lutrecho aduerſus Regis ſui negligentiam, & rara auxilia, virtuti animoq; inſiſtenti. Sed maiori conatu, expenſaq; opus erat; quàm vt toti Prouinciæ Galli exoſi, ſine vi reciperentur, cognitâ gentis immanitate, & deditis Cæſari Ciuitatibus, ſacramẽti Gallici peruicaces, vltrò ad deditionem hortantibus. Tercentum Cataphracti, Quingẽti equites, duo peditum millia Federici Marchionis auſpicijs ductabantur; quos Mantuâ, & ſubiectis ſibi Oppidis deſcripſerat; quiq; non alio Duce bellare, quàm ſuo nouerant. Vbi ergò mortalitatem impleuiſſe Leonem allatum eſt, ſacramento ac officio ſolutus Federicus reditum in Patriam maturabat. Columna, quo duce, quibus neruis deſtitueretur agnoſcens; & inutiles copias ſuas, tanquàm ſelectioribus militibus auulſis introſpiciens; orabat ſubſiſteret; nec ſe Pontificis futuri gratiæ, aut imminẽti gloriæ ſubtraheret. Sed ille modeſtiâ, expletũ ſeruitiũ, inutiles nullo imperãte labores ſuos prætendens, Placentiam contendit; Pado in Patriam cum ſocijs reuerſurus. Amni quoq; continuam claſſem innatare curauerat, deuehendis, ſubuehendiſq; centurijs ac commeatui; cui apud maria & flumina bellanti, non minor, quàm equitatus vtilitas eſt. Ciues nouis rebus intenti, & in Gallos proniores, quòd ereptus Pontifex Romanus, perfidiæ licentiam, & diſcordiarum cauſam dediſſet, agnouêre. Maiorem occaſionem Marchio credidit, quàm vt ignauiâ negligeretur. Proinde ciuium metus ſcrutari, & nutantis animi cauſas incipit; ſimul paratum ſe tutelæ, & ſingulorum impunitati docet. Illi Gallorum metum, & ante alia pecuniæ inopiam cauſati, perfidiam texêre. Marchio vocatos primates, & ſacramenti fideiq; monitos; non eas Gallis vires, non exercitui Pontificio infirmitatem eſſe docuit, quæ metum haberet. atq; vbi confirmatos obſequio vidit, collatis quindecim aureorum millibus de ſuo, præſidio milites pridem impoſitos, Ciuitatemq; in officio retinuit. Quod ante alia famam exercitus, & opinionem conſtantiæ comparauit. Mixti tentorijs ac cubilibus Hiſpani Italique, tantâ animorum concordiâ agebant; vt id maximè ad victoriam profectũrũ crederetur. Et quia hoſtilia non tractabantur, ſed cum bellum præſumeretur, pax tamen eſſet; gregarius laxato diſciplinæ rigore, licentius audebat. Quâ occaſione Hiſpanus nobilis, præteritorum recordatione, & temeritate prouectus, medio procerum conſeſſu, Italicam militiam carpere auſus eſt; mollitiem, laſciuiam, impotentiamq; obiectando. Addidit plus apud ſuos virtutis ac animorum eſſe; quos penès obedientia erga Duces, & tollerantia laborum ſit; contrà Alexander Striggius, militiam ſub Franciſco Marchione, mox apud Federicum ſectatus, quamquàm verò proxima Hiſpanum iactaſſe cognoſceret; ne tamen taciturnitate, teſtis ignauiæ ſuis eſſet, reſpõdit;

Leonis X. mors.

Federicus retinet Placentiam in fide.

Alexander Striggius.

non

non obtrectari à ſe Hiſpanum robur; ſed ſingulos plurimùm poſſe, cum imperant; in ſeruitute ignauos vilesq; eſſe. Ambitione faſtuq; elatos, contemptu meliorum, locum potiorem quærere; & ne fruſtra crederet; manu capulo admotâ, paratum ſe approbandæ virtuti, cui fauerit profeſſus eſt. Eo magis perculſus Hiſpanus fertur, quò minus æmulũ crediderat; & quia niſi manifeſtâ ignominiâ auerſari repens occaſio potuit, in certamen proceſſit; dictis ante legibus; vt victus quæ victor imperaſſet fateretur. Vbi in pugnã deſcendêre, cum inculcatis, & nullo ordine collineatis ictibus Hiſpanus, tẽpus viresq; perderet, Striggius, opportunitatum obſeruator, arcere tantùm, & eludere vim nixus eſt; ſed vbi remittere vim illam, & tardiorem, rarioremq; depræhendit, vno eoque primo ictu, transfacto gutture Hiſpanum ſauciauit. Secutus Italorum clamor; & teſtimonio victoriæ, etiam hoſtes conceſsêre; cùm conglobati ac vindictam agitantes conterranei, erupturi, in fœdum ſpectaculum crederentur. Ductor Hiſpanus, cuius Manipularis Centurio ceciderat, vbi, paribus vtrinq; armis; & ex ſuis cauſam diſſenſioni datam accepit; minui ignominiam facti exiſtimauit; ſi ſtatim iugulatus efferretur. Mãtuani tamen Striggio in medios recepto, plauſum, & victoriæ lætitiam, vt Ciui ſuo præbuêre. Habitâ dies aliquot in fide Placẽtiâ, Federicus ad ſuos redijt; exiſtimatione virtutis & famâ gloriæ, ante annos commendatus. Qui cum Marchione ſtipendia pro Pontifice egerant; orabant, retineret ſub vexillo, quos in fidem accepiſſet; donec quò belli vis verteret, aut quid Pontifex imperaret, perſcriberetur. Nec enim metuendum, tantam virtutem deſpectui apud dominantes fore. Sed Marchio collectis vniuerſis copijs, ſuſpicionem arrogantiæ; & dimiſſis omnibus ſpeciem ſecordiæ præbuiſſet. Tercentum Cataphractos, Quingentos leuis armaturæ equites, nullo ab Vrbe miſſo ſubſidio, proprio ære retinuit; dum ſpes nouæ, finem belli, & iuſtis pretijs æſtimationem virtutis oſtenderent. Ambiguum an certaret, vel nouum Pontificis imperium opperiretur, Franciſcus Sfortia Mediolani Dux, à Carolo Quinto in priſtinam poſſeſſionem reſtitutus, depræhendit. Qui magnâ Germanorum manu validus, & præmiſſis maioribus copijs, quas Columnẽſi iungeret, finem bello ſperabat. Inchoatam gloriam ſpecioſo exitu fruſtrari, non niſi ſuâ, & ſuorum iniuriâ poſſe rebatur. Ergo Ducem comitatus Mediolanum contendit; ſi non alienis imperijs, proprijs adminus auſpicijs bellaturus. Indecorum enim crediderat, conſanguineum Federicum Gonzagam Bozolanum, indies apud hoſtes præualere; conſtantiâ obſequij, & rectè factorũ magnitudine. Simul propriæ famæ expedire nouerat, non titulo tenus, ſed gloriâ quoq; virtutis æmulum ſuperare. Paucos dies immoratus, fuſos Gallos, receptum Mediolanum, & Genuam ereptam vidit; vbiq; fortitudine ac munificentiâ conſpicuus; quibus artibus, cæterorum famæ ante erat. Galli quamquàm Italiâ exacti, metum tamen futuri incuſſerant; integris Regni viribus, receptis Ducibus ac copijs, quas paulò ante tranſmiſerant, ſucceſſus incerti, & Heluetijs ſeruitio paratis, prout olim ſpoponderãt. Hæc in Italiâ; ſed ne noſtris tantùm malis infauſtus annus laberetur, miſerrimè

Federicus Mediolanũ.

rimè

rimè apud Rhodum à Chriſtianis pugnatum eſt. Nam pauci, nullo ſubſidio ab Italis aut exteris dato, cædibus, ſanguine, ac inopiâ fatigati Hyeroſolimitani equites, deplorato euentu, & pacto ſalutis ac fortunarum, liberam inſulæ poſſeſſionem, Solimanno Turcarum Principi ceſsêre. Verrere in profanos vſus delubra; fœminæ petulantiâ proſtitutæ, bona arbitrio conceſſa; deniq; extincta omnis veræ religionis veſtigia; ne memoria reduceretur. Sequens annus, ſpem aliquam pacis Italiæ oſtẽdit. Nam & Malateſtæ Ariminum tot annos habitum Pontifici reddidêre; Vrbini Dux in gratiam receptus; & Ferrarienſi contentioni modus impoſitus, conditionibus vtrinq; honeſtis; non Sedi Apoſtolicæ, non Ducibus inhonoris. Eiuſdẽ anni Aprili, Galli à quibus Mediolanenſis Arx ſeruabatur, præſidio exceſsêre; ac iubente Cæſare, in Sfortiam translata poſſeſſio eſt. Has inter turbas Veneti; etſi ſine bello, non tamen ſine armis erant; ſed tribus equitum, octo peditum millibus inſtructi, quos pro dominij limitibus diſpoſuerant, iuuentutem omnem, promptam capeſcendo bello eſſe iuſſerant; ſi vis ingrueret, aut è Cæſare metus eſſet. Nam non vni magis, quàm cuicunq; victori diffidebant; & concordiæ fœderumq́; vanitates pridem docti, deteriora opperiebãtur. Carolus Imperator, quàm ardua per Longobardiam dimicatio, aduerſantibus aut diuiſis Venetis eſſet depræhenderat; proinde aſſiduis legationibus, eos in commilitium trahere, hauddubiè magnâ Italiæ vtilitate nitebatur. Neq; Veneti pacta abnuêre, Gallorum ſegnitiem, & expeditionum moras peroſi. Idq́; non ſemel queſti fuerant; quòd præcipitata gentis initia, exitus languidior ſequeretur. Conditionum honeſtati Pontifex, Florentini, Ferdinandus Archidux Auſtriæ acceſsêre. Idq́; Gallorum cauſam onerare, Cæſaris commendare videbatur: Quòd illi Neapolim ac Mediolanum ſibi requirerent; hic concordiam Italiæ Principum, & Gallorum Italiâ exactionem procuraret. Federici quoq; Marchionis ratio à potentioribus habita; ſiue priuatas vires Principis non aſpernarentur, ſiue vbi Pontificem ac Florentinos ſupremi Ducis nomine iuuenem accerſiſſe cognitum eſt, exiſtimationem addiderat. Quamquam enim vtriusque potentia, maior opinione eſſet, & exercituum copiæ, duo equitum, ſeptem peditum millia explerent; Marchioni Federico nihilominus, aderant equites octingenti, peditum duo millia octingenti; non temnendæ vires, cuicunq; ſummæ acceſſiſſent. Horum præcipuus vſus Papiæ fuit; cum Galli numero aucti, nõ longè Mediolano conſediſſent. Nam fidei Marchionis à confœderatis Ciuitas commiſſa, hoſtilem impetum, intrepidè ſuſtinuit; licet poſtremò Quadringẽti equites & tria peditum millia, à Cæſareis auxilio tranſmiſſa, ſecuritatem attulerint. Mox ſecuta Italorum victoria; & fugatis metu Gallis, id vnum gloriæ Federici requiri videbatur, vt abeuntes Papiâ, faterentur, erũpturi Marchionis formidine pulſos ſe; & auditum Principis conſilium conſternationem addidiſſe. Quæ potiſſimũm cauſa Clementem ſeptimum in Pontificem adſcitum, commendatione præteritorũ impulit, vt idem honoris iuueni eſſe vellet, quod prædeceſſores contulerãt. Oppoſiti nihilominus exercitus

Papiam aduerſus Gallos tutatur.

Federicus ſub Clemente VII. Capitaneus generalis exercitus Pontificij.

citus, indies augebantur; hinc Germanis Italiſq́;, illinc Gallis, & maiori numero Heluetijs confluentibus. Vnde mirum videbatur, inter ſummam pecuniæ inopiam, tantum militum conſcribi, & ſub vexillo haberi. Vix enim diurna alimenta pendebantur; & ea Tribunorum Centurionumq́ue auaritiâ, cum quæſtu diſtribuebantur. Apud Cæſareos, Peſcariæ ac Vaſti Marchiones, cæteroſq́; ductores, plus conſtantiæ; & promptior nullo pretio ars, militis retinendi. Quòd è ſuo liberè erogarent; & ditis militiæ ſpe ſuſtinerent; opulentiſſimas Vrbes oſtentantes, olim conceſſuri. Federicus Marchio, quidquid opum, rarâ & infidâ pace congeſſerat; in creditum ſibi exercitum effundebat. Cumq́; neceſſaria apud alios deficerent, apud Gonzagiacos cômeatus ſuperabant. Huic quippè ſtudio præcipuè intentus erat; quòd nouiſſet famem ac diſciplinam malè in Caſtris copulari; moxq́; belli finem; laſſatis, aut victis hoſtibus imminere. Multa Gallorum fortunam fregerant; reciperandi Regni Neapolitani ſpes inanis; & in eam curam imminutus exercitus, parsq́; tranſmiſſa, quæ bellum aliò traheret. Non minor calamitas è Ducum auaritiâ erat; quibus vberius ſumministrata ſtipendia, cauſam fraudi obijciebant. Nam cum Viginti ſe hominum millia, in exercitu habere, coram Rege; ſinguliſq́; pecuniam numeratam iactaſſent, vbi pugnæ tempus inceſſit, vix quatuordecim millia, ducumq́; perfidia depræhenſa. Nec tamen ſine excuſatione erant; priuatis enim vtilitatibus, & Regis ſui negligentiâ corrupti, parum in commune conſulebant, cui Princeps indormiret: velut fortuna, nulla virtus imperaret, resq́; flecteret. Hoc ſtatu rerum, non longè Papiâ, tentatis leuibus dimicationibus, & vtriſq́; diſcrimini paratis, pugnatum eſt. Fuſi Galli; Rex cum præcipuis ſuorum captiuus, Pizicatonem deductus, tantaq́; prædæ copiâ Cæſareus exercitus ditatus eſt, vt pecuniam quæ debebatur, requirere erubeſceret. Marchio Federicus, eo præſertim certamine; quid innata virtus, & erga Cæſarem obſequium poſſent, oſtendit; ne qua detractoribus, inuidiæ cauſa eſſet. Indoluiſſe tamen Federici Gonzagæ Bozolani captiuitate fertur; Adeò per virtutem æmulus, caritatẽ tamen erga ſuos non proiecerat. Fuêre nihilominus, qui tranſmiſſam ſecretè pecuniam: quâ corruptis pretio cuſtodibus, paucos poſt dies elapſus eſt, accuſarent. Et ille excuſatione abſtinuit, quam nemo requirebat. Ad Imperatorem literas dederat; quibus conſanguinei libertatem, ſeruitij meritum, orabat. Clemens Pontifex in ſuſpiciones facilis, multò ante fidei Cæſaris diffiſus; ne vbi contra Gallos præualuiſſet, fraudolentam concordiam, veris inditijs oſtentaret, iam in aduerſas partes tranſierat. Intutas amici vires, vbi nimiæ eſſent; & quandò cætera iniqua deſint, hoc ipſum iniurium, quod lædere poſſet, credebat. Niſi Pontifices quoq; didicerant, potentiores, eorum, quorum auxilio creuiſſent, perniciẽ accelerare. Siue vt nullo amplius impedimento, liber acceſſus in Vrbem foret; ſiue vt exoluerentur debito, & decremẽti inſtrumẽta perderent: Quòd ferè modicæ vires plus ad excidium, quâ magnæ ad incrementũ proficiant. Hinc conſcribi miles, arma expediri, pecunia conquiri cœpta; certo (vt crede-

Franciſcus Rex capitur

Clemens VII. ſuſpectũ habet Carolum V.

credebatur) vſui. Qui rerum varietates, & ſingulorum cauſas abs radice ſcrutabantur, culpam omnem in Venetos conferebant; quaſi ſuſpicacē Pontificem impuliſſent, datam fidem metuere; & arma tractare; quibus Imperatoris conatus frangerentur; ipſi tuti, ſuis fruerentur. Longobardiæ Ciuitates obuerſabantur, quas Imperio debitas, victorem Cæſarem repetiturū opinabantur. Fortè ideò accuſati quòd potuerint; & conſenſus ferè reſpondet. Iſabella Marchionis mater, vireſcente adhuc æuo; curis & adminiſtratione familiari, in filium tranſmiſſa Romam cogitauerat; vt populorum diuerſos mores exciperet (quæ ſumma otij voluptas eſt) & magni coniugis vxor, magni filij genitrix; magno fratre educta, cūctis innoteſceret. Nec enim quòd ſub marito hactenus tolerauerat, vita fuerat; ſed aſſiduitate negociorum, voluntati alienæ compoſita, mera ſeruitus. Rauennam primò diuerterat, quò Herculem filium viſura Pado decurrerat; ſimul vt itinerum difficultatibus euitatis, nauigio vteretur. Vnum in votis hactenus ipſam habuiſſe conſtat, vt liberorum hic, quem effuſā caritate proſequebatur; cuiq; virtus, ſpecies, & Mantuanus Epiſcopatus dignationem contulerant, Purpuratis adderetur. Quam enim in Patruo, eandem in nepote gloriam ideò ſectabatur; ne minus promereri videretur. Non intermiſſo itinere Iſabella, comitatu inſigni vſa Romam attigit; ædibus Vrbinatis Ducis generi excepta; cui præter neceſſitudinem, familiæ ſplendor, formam magni Principis circundederat. Hîc manifeſta profectionis occaſio, quam ſemper ſiluiſſet, emerſit. Quippe multa cum Pontifice tranſigenda erant; filij Herculis non honori ſolùm, ſed & vtilitati. Miratum Pontificem in Principe fœminā virilitatem ferunt. Nam finiendis quæ cum Sede Apoſtolicā verſauerat, vt prudentiā, ſic dexteritate vſa, pleraq; ſolā auctoritate confecit. Honor Federici Eccleſiæ Capitanei; redituum Epiſcopatus abſtractio, Herculis dignitas, fratris cum Sede Apoſtolica cōciliatio, præcipua erant; quæ Iſabellam longo ſecreto depulerant, & dederant in apertum. Equidem incertò auctore vulgatū fuerat, redituum Epiſcopatus Mantuani, non exilem portionem Clementem diſtrahere, & ab Epiſcopo poſſeſſore, ad alios flectere voluiſſe. Sed Iſabella cauſæ non ignara, fortiter obſtitit; primùm iure, mox minis vſa; quaſi inuitā dominā nemo foret exacturus. Fatebatur debere quidem vniuerſa Apoſtolicorum redituum, arbitrio Pontificis tractari; vt qui ſummus hominum eſſet, beneficij potentiam omnem contineret; delectum tamen loci, rei, & perſonæ requiri: ſimulq; in diſcuſſionem trahendum; quòd Mantuani Principes Epiſcopatum auxerint, prouentus annuos dederint; in præſentem vniuerſa Eccleſiæ honori ſeruauerint. Iiſdem armis, tutatam Epiſcopatus fortunam, quibus cætera fuiſſe; & eo ſaltem nomine gratiam reddendam. Quātò honeſtiorem largitionem fore; ſi merito, ac ferendo muneri valido Principi permitterentur, quæ longā ſæculorum ſerie tot alij tenuerint? Eccleſiaſticas immunitates conuelli plerumq;, & in præceps dari; nec ideò maiori firmitate fulciri quæ corruant, quàm ſi Princeps curator imponatur; propriæ potentiæ non egenus, & tanquàm de ſuo anxius. Hinc templa Vrbis magni-

Iſabella Romam.

magnifico ornatu ſurgere, cęrimonias apparatu regio exerceri, Pontificias ædes, tanquàm Principum ſpectari; & Villas ædificationibus, lacubus, ſiluis, adæquationibus, commoditati ſimul vtilitatiq; proficere. Iam pacem inter Præſulem ac Principem, vtriuſq; honori, publicæ vtilitati ſuccedere; maioremq; rei diuinæ reuerentiam. Non quidem augendam Eccleſiæ reditibus potentiam; neq; malo vſui, & priuatis tantùm vtilitatibus ſtudendum: Habendum experimentum cui fides ſit; & ex longo obſequio ſpem conſtantiæ. Id ſe maiorum recordatione firmare nolle; ne improperare aut extorquere videatur. Sufficere in vtroq; conſcientiam, & qui accepiſſet, & qui dediſſet. Pręſentia vel remotiſſimis gentibus integritate patere. Cæterùm etſi ſimilia Pontificiæ exiſtimationi vtcunq; detrahere quidam opinarentur, Clementē tamen impulêre; ne nullâ ſatis honeſtâ causâ, beneficium abnueret; aut gratiam auerſaretur. Vrbs interim Roma plena exercitu inſolito, armorum ſtrepitu horreſcere cœperat; cum Borbonium Cæſarei exercitus ductorem, in propinquo eſſe delatum eſt. Et Iſabella clauſo prius Adriani mole Pontifice, conſilij neſcia agebat. Quæ enim laceris, & vetuſtate nutātibus ædibus, modicæq; familiæ ſuæ vires aduerſus tot millia, & cędem, & rapinam ſpirantia? Huc illuc ambiguitate diſtractam, Borbonij Ducis literæ erexēre. Se volentibus amicum accedere; nec arma, niſi ſocium abnuentibus inferre; quantò minus hoſtilia, aduerſus viduam Principem? Sibi matrem è Gonzagâ familiâ fuiſſe, Federici Marchionis filiam. Proinde intra Palatiū, militari inſolentiæ minus peruium, cum ſuis ſe muniret. Vniuerſos reuerētiam ſeruaturos, quam erga ſingulos licentia vix admittat. Delectę Columnenſium ædes; quas dexterâ templum Diuorum Apoſtolorum, extremo mōs Quirinalis, læuâ obiectæ domus tuebantur. Anteriora obducto muro vallata ſunt; vt contra irrumpentes præſidio eſſent; id ſatis viſum; & in mandatis minores Duces, Ferrantes filius, Ioannes Germanus, Alexander Gonzaga Nuuolariæ Comes habuerant, Iſabellam vti tuerentur, nec prædam crederent. Beneficio vſus quoq; Senatus Veneti Orator Venierus, cōmunem calamitatem Iſabellæ pietate effugit. Sed recipi orauerāt, nobiles fœminæ; quæ licet eâ tutelâ expertæ iniuriam non forent, libertatem tamen pretio redemêre; cuius licet anxij Barbari, flagitio tamen niſi pretio abſtinebant. Inter Cæſareos Duces, non leue Aloyſij (quem vulgo Rodomontem dicunt) nomen erat. Hic non pietate aut animi viribus, fortitudine corporis minor, barbariem ac ſæuitiam deteſtatus; ambigentem, & fortuita quæq; paueſcentem Clementem conſilio firmauit, vt non alio fidiori duce Mole Adriani erēpens in ſecura elaberetur. Quin imo Ducem ſe præſtitiſſe comperio, & Oruietum comitatum, vbi ſitu Vrbis tutus, hoſtilem ignominiam longius proſpectaret. Neq; Cæſari aduerſum ſe credidit; quem facinoris immanitas, Catholicum Principem, Romanorum Regem excuſabat. Reddita certè à Pontifice beneficio gratia; paucos poſt menſes, aſſumpto in Purpuratorum ordinem Pirrho fratre; quem nobilitas, virtus, merita antetulerant. Vbi Cæſareus exercitus prædâ ditatus eſt (non enim ſacris, non pro-

Romana populatio ſub Clemēte vij.

Rodomontus Gonzaga.

Pirrhus Cardinalis.

Digitized by Google

profanis abſtinuerat) Vrbe exceſſit. Iſabella cum ſuis; vt Genuam claſſe adueheretur, Tiberina oſtia præteruecta eſt. Sed obortâ tẽpeſtate, & quia præcipua vtenſilium, maiori nauigio commiſſa, capta à Piratis fuerant, regredi; & terreſtri itinere Vrbinum primùm, mox Ferrariam petere coacta; filiæq; ac fratris aſpectu recreata. Demùm aduerſo amne Mantuam profecta, obuium Herculem filium Gouernoli habuit; nec læta, nec aduerſa prorſus opperientem. Nam & Pontificis comitas, & naufragium relata fuerãt; ſed metuebatur, ne perfidiam militarem experta, etiam iniurias tacuiſſet. Ergo caritate euicta, in filij complexum effuſa, Cardinalatus inſignia protulit, ac iuueni, donum Pontificis tradidit. Nec ille tamen expectauerat; quamuis nemini dubium incederet, nullo honeſtiori loco, conceſſum honorem collocari potuiſſe. Milleſimus quingenteſimus viceſimus ſextus Salutis annus erat; cum miſſæ ad Marchionem literæ, à Clemente ſeptimo iuſſerant; delato muneri aſſiduè inſiſteret; & communem Chriſtiani Orbis cauſam, proprio honori adderet. Federicus tamen, non Gallorum, non Venetûm amicitiâ ſecurus, reſpondiſſe dicitur; Mantuam Cæſaris feudum eſſe; nec niſi periurio, in legitimos Dominos poſſe arma tractare. Itaq; ſe pro Sede Apoſtolicâ, contra quemcunq;, non in Imperatorem pugnaturum. Placuit potius decus honoremq; omittere, quàm obſtrepente conſcientiâ, flagitium contrahere. Id quia Pontificis quoq; veniâ, qui rationum pondus, & debiti neceſſitatem peruiderat, trãſactum eſt, haudquaquàm obfuit; quò minus honorifica in Herculem fratrem decernerentur. Vrbis miſeria prægreſſa, plurimûm cuiuſq; boni animum lacerauit, violentiâ mali, & quia nefandum in modum, totus Chriſtianus Orbis læſus, obſeſſo Põtifice, ſacris delubris expilatis, populatâ Ciuitate, conceſſâ ſcelerum licentiâ, credebatur. Non enim modicas, & in vindictam quæſitas opes arguebant, ſed præſumptam Imperio vniuerſam Italiam, & procuratum in Prouincias Regium ius querebantur; ac ſi nullo fortiori vinculo, priuatis rebus ſuis aliter, quàm contaminatione ſacrorum conſuli potuiſſet. Ne barbaras quidem gentes tantum ſibi in Religionem libertatis voluiſſe, affirmabatur; ſed earum pleraſq; reuerentiâ ac exiſtimatione pietatis in officio retentas, Vrbiſq; excidio abſtinuiſſe: Nunc Cæſarem iuuenem, quiq; primis ſtudijs iudicari de futuro poſſit, Gallorum inimicitias prætextui ſumpſiſſe, vt ijs in tẽpla, ac ſacros viros, per ſæuitiam ac immanitatem vteretur. Fruſtra facti ignorationem cauſari, aut ſpreta Ducum mandata. Nec enim peruicaciâ vniuerſi, in Sedis Apoſtolicæ perniciem, Itali, Germani, Hiſpani, niſi iubente, aut conniuente Rege proceſſiſſent. Etiam tanto excidio imparem cauſam ferebant; quamuis incertus conſilij Pontifex, & nouis rebus inuigilaſſet: Neq; enim Chriſtianum Orbem, vnius culpâ lacerari debuiſſe: Nam & ſacratas virgines libidini belluarum expoſitas; reliquias tot ſęculis cultas ludibrio habitas; profanata templa, expilatas aras, ne tantùm in vulgum ſæuitum crederetur. Manſuram toti æternitati memoriam fœditatis; quam nullum in futuros Põtifices obſequium, ſit obliteraturum. Iam Franciſcus Rex inhumanè in vin-

Hercules Card.

culis habitus; & iniquiſſimis promiſſis redimere libertatem coactus, inter fidem, ac ius, medius fluctuabat; ſeruaretne conditiones pacis; & nullâ honeſti curâ, turpiſſimæ concordiæ acquieſceret. Hunc ambiguum (quamuis obſides filij duo caritatem Parentis vrgerent) ſic Ludouicus Gallius, ſupra plebem nobilis, ſupra nobilitatem eruditus, ſic fertur allocutus. Niſi per vim expreſſa voluntas, & conuentionum iniquitas, iuſq; alienæ rei conuulſum, pridem irrita pacta libertatis reddidiſſent; multa Rex ſunt quæ promiſſis deficere, vel Hiſpanis iudicibus honeſtum perſuadeant. Quidquid Regni huius imperio ſubditur, non Regum, ſed legum arbitrio moderandum eſt; conſilia primatum voto compellanda; nec in fraudem poſterorum, præſentia diſtrahēda. Ergò ne inuitis ordinibus, ſpecioſiſſimus Burgundiæ Ducatus in Hiſpanos abibit? & per flagitioſam pacem; quæ armis aduerſus æmulos ſeruata ſunt, perdentur? Pro capto rege, cuius nulla niſi ex fortunâ ratio habetur, Regnum Neapolitanum, ac Mediolanenſis Ducatus requirentur? Sed data fides nulla eſt; & per vim repetenda, quæ bello amiſimus; Regij filij, pugnâ capta, fraude habita. Nemo vnquam magno certamine victor, aduerſus hoſtē, tam inhoneſta quæſiuerit. Inimici ipſi multò ante, irritam concordiam, aſperitate conditionum iudicarunt. Pōtifex, Veneti, Sfortia; quiq; famam tantùm excipiunt, Britanni, Germani, Sarmatæ, auerſati modum pacis, & Hiſpanorum auaritiam dicuntur. Decuêre ſcilicet quâ impotentiâ, quâ cupidine languerent: Vt nemini dubium ſit, iniquas ſponſiones, culpâ eius qui iniquas dixerit; bene reſcindi. Cæterùm vt ab vniuerſis excuſabimur; ita immoderatæ cupiditatis vltores, habituri ſumus; quos Regis exemplum, ſua vtilitas, metus ſimilium deterruit. His alijſq; fruſtra inculcatis, Franciſcus Rex, cùm non aliam filiorum ſaluti, fideiq; viam, quàm cōceſſis quæ petebantur, crederet, ſtatuerat pecuniæ magnitudine, vtrumq; redimere; ne exiſtimatione decederet. Cæſar ſpe victoriæ, & prædictionibus fortunam adſtruentibus elatus, quæ offerebantur, aut aſpernabatur, aut concordię medios auerſabatur. Ad extremùm miſſus à Gallo Rege in Italiam Lutrechus, cum multis hominum millibus; capta Papia, Alexandria, Genua, & pars ditionis Mediolanenſis: adſcitoq; in partes Ferrarię Duce, vnus collegatis deeſſe Marchio Federicus videbatur. Sed irrita via omnis & vanum Principum ſtudium credebatur; niſi Federici Bozolani æmulatio peruiciſſet: Qui iam Cæſaris partes ſecutus, celebris inter Duces habebatur, probatus vtraq; fortunâ. Nemo tamē peruicaciam propoſiti flexiſſet, ſi Ferrariæ Dux medium ſe præbere abnuiſſet; vtilitate, ac gloriâ oſtentatâ, additoq; diſcrimini periculo ſuo. Indignationem id primùm in Principe conciuerat; quòd potentiores exercitus Germanis Ducibus, infirmiora Italis committerentur. Idque in ignominiā traxerat; quaſi virtus aut fides deſideraretur. Placentiam quoq; paulò ante conceſſam, vt ſeruaretur, ignauiæ referebat; quaſi bello, non pugnæ ſeponeretur. Quæ licèt offenderent, apertè tamen in Ferrarienſis ſententiam non deſcendit; ſed reſponſis ambiguis oratores Ducemq; detinuit. Ad extremum tantum illudentibus

Federicus Bozoli Dñs.

Federicus cōtra Cæſarem cauté.

dentibus

dentibus reſpónſis proceſſit; vt non Gallo, non Cæſari aduerſus putaretur; cum vtrumq; vt alienum metueret, eòq́; velut bono iure auerſaretur. Federicum quoq; Bozolanum, diem ſupremum obijſſe delatum fuerat; ideoq́; ſublato competitore, Marchio minori æmulatione ſperabatur diſcrimen aditurus. Et quidē magna viri exiſtimatio erat; non Cæſaris miniſterio potius, quàm viuidâ in Gallos collatâ operâ celebrati. Vnde, & ipſi & Federico ingens gloriæ occaſio. Quippe externā fidem ſecuto, Imperator Bozolum ac Riuarolum detraxerat, pęnam deſciſcioni. Sed vbi ſaniori conſilio prudentiam admiſit, depræhenditq́; in flagitio virtutem, præteritum dedecus, nouis meritis obliterauerat. Tum Carolus receperat in fidem; & Domini animū Federicus æmulatus, vtrunq; Oppidum quod à Cæſare dono acceperat inexpectanti contulerat; definito intra filiorum poſteritatem beneficio. Et haud dubiè Bozolum ac Riuarolum hodie apud Principes eſſent; niſi receptâ Riualtâ ac Rodigo Oppidis, aliter inter vtroſq; tranſactum foret. Chriſtiano Orbi, nouis tumultibus recentes cauſæ aduenerant; Recepta Rauenna, plena Roma Cæſareis copijs; quibus cęſo Borbonio, Aureliacenſis præſidebat; eædem in quoſcunq; iniuriæ, & impunitæ. Lutrechus coactis copijs, quas ſub vexillo habebat Neapolim proceſſerat, vt ſimul per omnem Italiam hoſtilia capeſcerentur. Reges ipſi, Gallus, Anglus, ac Imperator, ſimultatibus in prælium accendebantur; & inter eoſdem, priuata decertatio indicta, tenuem concordiæ ſpem promittebat. Vbi Lutrechus potiore Regni Neapolitani parte captâ, haud longè Neapoli conſedit; ne bellum inutiliter trahere, aut quæ cæteri Principes ſpopondiſſent, negligere videretur; iteratis nūcijs Venetos monuit, promiſſam claſſem Neapolim mitterēt; Ferrariæ Ducem, ac Mantuæ Marchionem addere vires exercitui, pro cuiuſq́; fortunâ. Veneti rerum ſuarum potius, quàm publicæ cauſæ ſtudio differre auxilia, & triremes occupandæ Italiæ litori retinere. Quò tamen manifeſtam defectionem occulerent, Ferrarienſem ac Mantuanum impulêre, ad promiſſa ſubſidia. Federicus ne electione, aut vi, cauſam Gallorum prætuliſſe diceretur, expeditionem abnuit; Centum quinquaginta equites leuis armaturæ tamen miſſi; ſed cum mandatis; ſpectatores, non præliatores aſſiſterent: Et ne iuuentutis ignauia accuſaretur, ſenſim procedere, præſidiumq́; ſi offerretur, capeſcere iuſſi. Modicum certè partium incrementum, quāquàm cum fide; nec eluendæ ſuſpicioni validum. Vbi Regnum attigêre, Vicaluium arduo Montis inacceſſum, & equeſtri certamini iniquum conceſſum eſt. Dux Caſtri aſperitatem; & poſſe Arcem alpeſtri ſitam, quinquaginta peditibus ſeruari, Lutrechum per literas docuit: Se præſidium quidem non abnuere; ſed quo equi pabulari, equites teſtari virtutem poſſent. Tacuit Lutrechus; ſiue maioribus illigatus, minima deſpexiſſet; ſiue gentis aſuetudine, quocunq; aduerſo, quod duraret, frangeretur. Nec ideò abſtinuit Aluitanam planitiem, & aſſidentes circum colles requirere; ne dum ſecordiâ torpeſcit, ab hoſtibus fęcundiſſima camporum abſumerentur. Quod fruſtra fuit; ſeruandis tantùm Arcibus intento Lutrecho; & deſpectu reli-

Equitatus Mātuanus i Regno Neapolitano.

quorum. Hic idem annus ingenti clade non Italiã ſolùm, ſed exteras quoque Prouincias malè habuit, peſſimè Mantuam; in quâ reſidente contagio, duodecim hominum millia deſiderata ſunt. Aëris inæqualitas, & annonæ penuria præceſſerat; cui ciborum exoletorum vſus, ac licentia ſucceſſit. *Peſtis Mantuæ.* Cauſa tamen exteris data: tanquàm inquinatos recepiſſent, ac contagionẽ Ciuitati importaſſent. Initio mali Febres lentæ ac moroſæ; quibus à remedijs ferè incrementum erat: Mox fuſa aluus perniciem accelerabat; anxijs Medicis, æquè ignorantiâ notatis, ſiue curaſſent, ſiue deſtituiſſent. Accedebat alimentorum inopia; & ex promiſcuo ciborum vſu, corruptela ſuccorum; quæ non inopes ſolùm, ſed diuites quoq; rapiebat. Federicus nou ſibi potius, quàm ſuis metuens, priuatas opes, & fomenta ægrotantibus de ſuo præbuit; veterem Principum munificentiam æmulatus, & ſolitam in egenos familiæ liberalitatem. Plurimûm morbos reſediſſe innotuit, inductis nouis frugibus; & exoletorum conſuetudine alimentorum, etiam infimo ordini prohibitâ. Prudentiores vtilius ſaluti conſuluerant, fame, quàm prauorum ciborum ſatietate laborantes. Vbi ſeges proximè ad maturitatem accedere viſa; non ſexui, non ordini data venia, ſed firmatà præſidio Ciuitate (quia vniuerſa bellorum incendijs flagrabant) educti in meſſem vniuerſi; credebaturq́; ſoli, cęliq́; mutatio, plurimûm valetudini profectura. Vbi aduectæ Mantuam fruges ſunt, & certior vtendi modus impoſitus; annonæ difficultati, & contagio prouiſum eſt. Quòd tenui prouentu Federicus Cæſareos iuuiſſet, quòd tranſpadanam annonam, vſui Germanorum conceſſiſſet, vtrinq; accuſabatur; collatis in exteros, quorum domi neceſſitas prætuidebatur. Sed plerumq; occaſio conſilia peruertit; cogimurq́; etiam irrequiſiti, potentiorum deſiderijs annuere; ne hoc ipſo minus debeant, quòd potierint. Mãtuani equites, quos in Regnum miſſos habuimus, eodem ferè quo venerant menſe, torpere Gallos, non Venetos, non Regem promiſſis ſtare, ſimul defectu pecuniæ ac commeatuum, prius luem, mox ignauiam ſubrepſiſſe depræhendentes, inter fidem, ac prudentiam medij, an ad ſuos regrederentur, agitarunt. Placuit arcendæ ſuſpicioni, apud Ducem queri, quòd nullo belli apparatu, non prouiſis ante alimentis, certo excidio exponerentur. Et quandò vniuerſi exercitus cura non tangeret, ſibi conſulturos profeſſi ſunt; quòd à Marchione ſuo, non ad cædem, ſed diſcrimen miſſi forét. Lutrechus tamen graui morbo implicitus, & ijſdem difficultatibus altius laceratus, ne ſuis quidem ſatis erat, vt ex officio, & neceſſitate haberentur. Gratum Mantuanis accidit, quâcunq; causâ diſſolui militiam; vt honeſto diſceſſui, culpam alienam prætenderent; pariterq́; Marchioni captatâ occaſione gratificarentur. Ergò nemine ſuorum deſiderato, prius Mantuam reuerſi ſunt, quàm Italiæ imminere Cæſarem, cum nouis copijs, certi nuncij detuliſſent. Additum quoq; conſilium; & vulgi auribus, ad quæq; obuia paratis inſtillatum, modicas eas vires, à priuatis militibus contractas, & Duce tumultuariè impoſito, in Hiſpanos verſas, non odio gentis, aut caritate Gallorum; ſed vt militiam cui plures annos inſueuerant, ſectarentur. Fe-

dericum

dericum tamen, quâcunq; ſuorum curâ, ſecretis nuncijs in Patriam reuocaſſe; vt honeſtiori ſtipendio, maiori gloriâ, Principi ſuo militaret. Id vniuerſi credidêre; aut ſciſcitari ſuperſedêre. Certè facilis in ſpeciem fides erat; quòd eæ vires Marchionis potentiâ minores crederentur, & ſimulandæ voluntati, ludibrium confœderatis. Aduentantis Caroli fama indies crebreſcebat; mox claſſe ingenti, oram Hiſpaniæ prætereuectum, tandemq; Genuã veniſſe delatum eſt. Hîc Gallorum vires, per Mediolanenſem Ducatum attritas excepit, vniuerſos famâ victoriæ formidare; quamquàm Franciſcus Sfortia, additis Venetorum auxilijs, Cremonam, ac Lodium ſeruare, nõ vili animo meditatus foret. Marchio Federicus occupandam Cæſaris gratiam, & conſtantiâ tollendas ſuſpiciones vſui credens, cum ſexcentis equitibus (quorum vna, eademq; armorum ſpecies, & indumenti color erat) Genuã properauit. Addiderant ſtimulos Fęlicis Germanicæ militiæ ductoris literæ; quibus paratum Cæſarem beneficio, & haud dubium fauorem pollicebatur. Nec in externo homine gratuita fides; ſed multò ante muneribus prçuentus, amicitiam (quæ genti incorrupta) profeſſus fuerat. Neq; tamen in alium finem collata auido pecunia fuerat, quàm vt hoſtilibus excurſibus, quod Mantuani agri obijciebatur, tutum eſſet. Pacem enim, & ſegetis pecudumq; ſecuritatem, vix eo ipſo, tranſeunte exercitu ſeruaueris. Ne tamẽ auaritiam crediddiſſe argueretur, orata donatiuo venia, tanquàm offenderetur. Magna apud ſuos Fœlicis exiſtimatio; ideoq; in obſequio continebat; permiſsâ in cæterorum iniurias licentiâ, cui Duces validi licet ægrè obſiſtũt. Ipſe mille equitibus, decem peditum millibus, non diſtractis, aut in diuerſa intentis, per Longobardiã incedebat; dubitãtibus accolis, in quos ſæuitiã flecteret; ſiue vſu belli; ſiue in deliberationum vindictam. Sua quoq; militi liberalitas è Federico fuit, Frumenti, Vini, ac Caſei certa menſura. Quæ cũ dono habuiſſet, cæteris abſtinebat. Iuſſi quoque villici, commeatus, ſarcinas, & belli grauiora impedimenta conducere; vt exoneratus miles, beneficium agnoſceret, expeditiorq; tranſiret, quàm minimum agro immoratus. *Federicus Genuam ad Carolum V.* Reperit Federicus Carolum conſilij ambiguum, quò potiſſimûm vires verteret. Et Clemens Pontifex, nullo è Gallis certo auxilio, pacis conditiones, preceſq; obijciebat. Fortè non vt Italiæ quies, ſed Mediceæ familiæ priſtinus honor; & ad maiora ſpes eſſet. Orto etiam ſermone, cui rerum ſummã tutò delegaret, queſtus Cæſar eſt, vanis timoribus, & externorum caritate, pleroſq; Italiæ Principes, parum tutos capeſcendis nouis amicitijs eſſe; & reliquorum perfidiâ, in flagitium faciles: vt non dubitaretur, eo quoq; colore, Federicum depingi: Qui ſi cepto cum Cæſare bello, Gallis ſolitã ſibi virtute ac ſtudio affuiſſet; haud dubiè multum diſcriminum victoribus addidiſſet. Tacuit tamen Marchio, publicum pudorem, ac obuerſos in ſe cunctorum oculos declinans. Vbi tamen Cæſaris ſecreto vti, & quæ concepiſſet, promere licuit, his vſus eſt: Vetus familiæ meæ, erga Germanos Imperatores obſequium, Cæſar; meâ virtute, illorum caritate mutuâ, perpetuum manſit; nec niſi extinctâ ſucceſſione obliterabitur. Vtile ac decorum erat,

non opibus, non incolumitati, in ſupremi Principis gratiam abſtinere: quia certi eramus, eandem voluntatem, in noſtra commoda potentiorum eſſe. Quidnî enim promptè diſcrimen adiretur, quod beneficijs ac gratiâ rependeretur? Maiores mei Gualterio priori, ſeruitutem nobilem, apud Imperatores experto, velut hæreditario, officium obſequiumque in Cæſares legauêre: Nec illi, miniſterio promptos, aliorum iniuriæ expoſuêre; ſed velut communi bono, auctoritatem, conſilium, opes, arma addidêre. Præmium nauatæ operæ, Mutina, Regium, & pleraq; in Venetos tranſlata, nec ideò recepta, cenſentur; quæ nullâ noſtrâ culpâ amiſſa, in præmiũ pacis inter potentiores abſtracta ſunt. Secuti Cæſares, iacturam neglexêre; licet moniti, ad Imperij hoſtes abijſſe. Decimum annum Imperator Regnũ obtines. Sed multò ante, & poſtquam conſenſus generis humani te rectorẽ voluit, quibus difficultatibus implicatus, quot hoſtibus laceſſitus; miſerrimam per arma & ſuſpiciones vitam traxerim; & Germani tui nôrũt; & quibus opptimendi ſtudium erat, ingenuè fatentur. Obſtiti quantum viribus & ingenio dabatur; miſſis legatis concuſſas res meas, atq; adeò iura Imperij, apud Cęſarei exercitus duces, apud te deprecatus ſum, nullo imminentiũ periculorum effugio. Ergo potentiorum iniurijs, vicinorum vexationibus ſemper expoſitus, cuicunq; occaſioni, fęderi, neceſſitati ſuccedere oportuit, vt me Patriæ, Cęſareo nomini Patriam ſeruarem. Et quidem intactam habes; non Gallicâ pecuniâ, non hoſtili militiâ, ſed tuorum fortunis defenſam. Hæc, ſi opportunitatibus abſtinuiſſem; vi & armis, ex inimico repetenda eſſet. Ijs porrò quibus hoſtilia tractaſſe dicor, parum prudentiæ, & documenti eſt; vt qui ignorent, poſſe exercitus etiam titulo ſubſidij tranſmitti, qui expenſis & ſecordiâ, oneri non auxilio accedant. Sic fctâ morâ, validioribus illuſimus; delecti equites, aut abire permiſſi, quamquam operam ſtrenuè impendiſſent, nîl tamen in ſummam profecturi erant. Quod ſolidarum virium, Mantuæ erat; quam nemini præter Cæſarem deberi, & nos publicè teſtati ſumus, & hoſtes inditio, deprehendêre. Quidquid oſtẽtatione & vanâ diligentiæ imagine deliquimus, errore Ducum Imperij, negligentiâ admiſſum. Pauebamus inopes & inermes, vniuerſas hoſtiles copias ſuſtinere; nec adeſſe qui accurreret; aut è longè conſilium offerret. An culpam habet, quòd prudentiâ & opportunitate vſi, tua ſeruauimus, nec partibus offuimus? Vnum oro Imperator, ne Federici Gonzagę Bozolani conatus aduerſos, principi familiæ imputes; aut eodem nomine, eadem ſtudia metiare; ſed Ferrãtis fratris ſtrenuam operam, artes meas, vero iudicio æſtimes; quaq; auctoritate aduerſus fortunas has, te decet eſſe; & an opes, dominationem, vitam ipſam libens miniſterio deuoueam, experiri. Nam fidem inuiolabilem, & integram animi promptitudinem exitus approbabit. Carolus duram neceſſitatem, & turbatas Italiæ res æquo animo proſpectans, vtraq; in excuſationem accepit. Et ne diffidentiâ ſeruare odia, aut auerſã volũtatem fateretur, conferre conſilia, & præliorum vias cum Federico examinare cępit; familiarius Marchione vſus, quàm præſentes exercituum

duces

duces voluiſſent. Creditur Marchio, Venetorum iniurias erga ſuos, potẽtiam, artes, ſimulationem proſecutus; vtq; per fœdera, non fas, non ius, ſed opportunitates, occaſionesq; proficiendi ſectaretur. Quibus Cęſar irritatus; & quia Appuliæ litora claſſe tenebant, pro hoſtibus habuit. Iuſſus Fœlix Marchioni adeſſe; qui Mille ducentos equites expeditioni promiſerat, & tria peditum millia (hũc enim ſupremum Ducem delegerat) & in Brixianos tẽdere. Nec enim ignorabatur, Veronam, Vicentiam, Patauium; (vt minora taceantur) pridem Imperatoribus adempta, iuſtiſſimi belli cauſas eſſe; & priores Venetos, nouis rebus, cuiuſcunq; iniuriæ ſtuduiſſe. Italicæ militię conſuetudo locorum, itinerum, fluuiorum, morum, ſermonis peritia, & populorum aduerſus ſuos caritas obiecta, Fœlicem peruicère, vt Marchioni concederet; Niſi gentis facilitas, & deuinctus ante beneficio animus, quamuis ſucceſſu rerum, & ſuorum numero elatum Ducem flexêre. Pontifex tamen Chriſtiani Orbis bono, nec minus familiæ ſuæ incremento, precibus ac legationibus aſſiduus erat, vt contracta cum Carolo pax, Venetis quoque ac Florentinis communis eſſet. Non enim niſi ſopitis belli cauſis, diuturnam quietem fore crediderat; quam haud dubiè voto conceperat; tot aduerſis Romanæ Vrbis, ac ſuorum delaſſatus. Et Imperator, ne cepta concordia acerbitatibus reſcinderetur, Marchionem Federicum iuſſerat tueri ſua; ſubfrigidè in hoſtes arma conuertere; & minitabundum quàm infenſum adſtare. Tandem victâ contumaciâ, Bononiam primò Pontifex, mox Imperator deuenêre; vt officio ac dignitate potior, prior à ciuibus exciperetur, inferior ad potentiorem accederet; Non deerant Cæſari miniſtri, qui proficere res ſuas turbatâ pace opinantes, diſcordias ſererent. Sed Solimãnus Turcarum Tyrannus, quamquàm ante Viennâ pulſus, magnis exercitibus comitatus, breui reuerſurus putabatur. Et Germani inſtantiſſimè orabant, reuerteretur; nec deſiderio exterorum, caritatem ſuorum exueret; quos iam Turcæ excidio deſtinabant. His motus Carolus; pacem Pontifici ac Venetis eſſe voluit; licet indignatione, & iniuriarum memoriâ intus obſtrepente, vindictam differret. Franciſcum quoq; Sfortiam (quòd is beneficij immemor, parum fidus, & miſcuiſſe hoſtibus belli conſilia peruinceretur) pecuniâ multatum, Mediolanenſibus volentibus Ducem conceſſit. Vbi beneficio quietis, Vrbinus, Ferrarienſis, Mantuanus, quiq; minoris ordinis; pars belli fuerant, vti cepêre; reſtituta Italia; & ſpes meliorum populis affulſit. Vrgebatur nihilominus Florentia Pontificijs ac Cæſareis exercitibus; quos rerum ſuarum auxilio Clemens acceperat; an pecuniâ ingenti cõceſsâ, & ignoratur, & creditur. Ciues ipſi pro libertate, nõ labori, nõ expenſæ parcebant, dum voto potirentur. Sed Ferdinandus Romanorum Rex dictus, indefeſsè Carolum in Germaniam vocabat; additis Electorum precibus; quos metus Turcici belli anxios reddiderat. Contra Carolus Imperij inſignibus Vrbe in ipsâ decorari ambiuerat. Sed vbi ex morâ diſpendium vidit; ſiue tacitis Pontificis conſilijs paruiſſet, die Diuo Matthiæ ſacro, quo natus, quo electus, quo ex Gallorum Rege capto victor fuerat, modico apparatu coronatur.

Carolus V. vtitur Marchione in Italia.

Pax Pontif. Imp. & Venetis.

1529.

tur. Clemente adhuc Bononiæ agente, cum improperantibus precibus, & queſtibus cunctorum, in Germaniam Cæſar vocaretur, Federicus Marchio, Cardinalis Hercules, ac Ferrantes, Bononiam venêre. Vt accinctum itineri Imperatorem, Mantuam comitarentur. Non auerſatus promptitudinē Carolus eſt. Sequebantur Principum Germanorum, ac Italorum plurimi; quiq́; per obſequium, aut ſtudium viſendi acceſſerant;& pars non leuis exercitus, quamquàm compoſitis cum Senatu Veneto difficultatibus, in maieſtatem adſcita. Viceſimâ quarta Martij Milleſimi quingenteſimi triceſimi, Gonzagæ vniuerſi affuêre. Die ſequenti Mantuam delati ſunt, obuio Clero, ac Quinquaginta adoleſcentibus Nobilibus albo indutis; & Regiam vmbellam, auro, gemmisq́; diſtinctam præferentibus. Imperator regijs inſignibus conſpicuus proceſſit. Et iam intra mœnia erat, cum oblatas Portarum Vrbis claues, dominationis permiſſæ inditio, per modeſtiam abnuit. Medium Cardinales duo excepêre. Principum alij primam aciem, poſtremam alij tenebant. Quod reliquum militiæ, nobilium, aut plebis erat, per Vrbis vias fuſum, feſtis acclamationibus procedentem ſequebatur. Vrbs plena ſtrepitu inſolito: tecta Ciuiū coronis inſtructa, teſtandæ lætitiæ. Quidquid bellici aut muſici inſtrumenti, in gaudium verſum eſt: Superpoſitis auleis, proceſſus viarum tegebantur. Perennes vini fontes, & biuijs itinerum ſtrata conuiuia exterorum ciuiumq́; lætitiam prouocabant. Nîl denique omiſſum, quod integri animi fidem teſtaretur. Octauâ Aprilis, vetera Gōzagorum merita, in Cæſares Germanos, ac Federici virtutes, Imperator velut vnum in compendium coactas conſpicatus, conſueto more, eundem purpurâ indutum, & Coronâ inſignitum pro Diui Petri foribus, populo ac clero adſtantibus è Marchione Ducem eſſe voluit; translato Viadanam Marchionatus cognomento: quæ tum territorio municipali, Viginti hominum millia complectebatur, cum ſex millia, mœnibus clauderentur. Quæ omnia diplomate ſancita, poſteritati ſacrata ſunt. Quod menſis reliquum ad decimam nonā vſq;, omni oſtentatione obſequij,& gratitudinis erga hoſpitem Cæſarem Federicus impendit: Equorum decurſibus, venationibus, ſcenicis, & ſæpius inculcatâ gratitudine animi, quâ ſe obſtrictum fatebatur. Comitē ſe abeunti in Germaniā, ad limites vſq; Tridentinos præſtitit; nec enim longius à Patriâ abeſſe tolerauit, ob motus Italos metūq; ſeditionum. Quidam abs Federico requiſitam mutui nomine pecuniam volunt; Sed ſiue deſiderium, ſeu preces fuerint, Francofurtum certè miſſa aureorum Viginti quinq; millia, vt imminentem expeditionem iuuarent. Fidem tamen donatiui nomine liberari placuit, quò maioris ſummæ excuſaretur; cuius ob præteritas turbas, & graues Mantuæ expenſas, imparem ſe, nec ſoluendo nouerat. Paucos ante menſes, Bonifacius Marchio Monferrati; dum iuuenili ardore, effrænem equum regere nititur, deiectus; ipſo caſu perierat. Suffectus itaq; Ioannes Georgius Bonifacij Patruus; quòd nepos ſine maſculis filijs deceſſiſſet. Duas habuerat filias; priori Maria, ſecundæ Margarita nomen erat. Illa multò ante deſponſata, improuiſâ morte deceſſerat; Ergò ſecun-

Carolus V. Mantuam. 1530.

Federicus Dux creatus

ſecunda prioris locum explere iuſſa; Patruo ac Cæſare annuentibus. Sed dum inter Federicum ac Ioannem Georgium, de conditionibus actitatur; apud Cæſarem multa voluebantur, quæ Matrimonium morarentur. Quippe defuncto Ioanne Georgio, ſine maſcula prole, ingentem Mediolanenſi Ducatui acceſſionem fore Prouinciam rebatur; aduerſus Ducem Sabaudiæ; Gallos, ac Venetos propugnaculum. Et nemini dubium, non alio nomine Cæſarem ſpem illam neglexiſſe, quàm quòd iam Mediolanum Sfortiæ permiſiſſet; expertusq́; hactenus parum fidum, maiorem contumaciam, auctâ potentiâ ſuſpectaret. Contra Marchio Monferratenſis in Federicum pronior; teſtari, etiam fœminas, maſculæ ſtirpis defectu, ſucceſſione in inueſtituram vocari: Nec niſi iniuriâ, poſſe in exterum transferri dominationem. Sabaudius intellecto conſilio, minitari iura contraria, etiam vim per ſecretum. Nam Theodorum primum hoc nomine, dotali pacto Monferratum Aimoni Comiti Sabaudiæ, cum Violantâ filiâ ceſſiſſe quandocunq; ipſe ſine liberis obijſſet. Biancam Carolum tertium Sabaudium hęredem inſtituiſſe; Et Ioannem Iacobum, nobiliſſimam Prouinciæ partem, ſi quando poſteritate caruiſſet, Amadeo legaſſe: idq́; iure tranſactum; ſiquidē alienabile feudū & iam multis ſui partibus diſtractum foret. Dos quoq; Octuaginta millium aureorum nummûm Blancæ Caroli Ducis vxori debita; nec non incrementa petebantur, quæ ingentem in ſummam, tot annorum decurſu proferebātur. Contra Ioannes Georgius, Monferratum feudum verum, nec alienabile dicere; pacta ac inſtrumēta falſi, & violentiæ accuſare; ſimul quandò vel Sabaudij voto conſtet, fœminas deficientibus maribus non excludi, eā maſculo hæredem conſtitui, quæ deficienti propinquior fuiſſet. Carolus Imperator penſitato ante negocio, & inter ſuos conſultato, non infenſus Paleologo, & Duci Mantuano facilis, ſecretò vtriusq; rationes admiſit; Et Federicum ac Margaritam coniuges, Mōferrati poſſeſſioni, Patruo id obnixè poſtulante ſubſtituit; quandocunque ipſe ſine filijs, naturæ conceſſiſſet. Hæc plures dies agitata, Septembri finem accepêre; indignantibus ſilentibusq́; Sabaudio ac Salutij Marchione, quòd non id oſtendorum iurium tempus ſcirent. Quâcunq; occaſione poſſe, vetera, nec conceſſa retractari; & ſecurâ pace cuiusq; merita facilius, quàm turbatâ vtcunque Prouinciâ diſtingui. Sub finem Septembris Federicus Dux, magno nobilium Mantuanorum cętu ſtipatus; vt Principatum potentiamq́; præferret, in Monferratum abijt; firmandis nuptiarum ſolemnibus. Quibus expletis; & Patrui voluptati menſes nonnullos immoratus, Mantuam cum Margaritâ coniuge redijt, eò pręcipuè lætus, quòd tot aduerſis conflictatus, vniuerſa ex voto proceſſiſſent.

Federicus accipit Margaritam Paleologam.

Inueſtitura vtriq; coniugi à Carolo cōceſſa Montis ferrati.

Dum Mantuæ effusâ lætitiâ ciues, recentes Ducis nuptias, miraq́; hilaritate proſequuntur, affuit à Cæſare Legatus, qui priuilegium inueſtituræ, quò cùm Margaritâ coniuge Patruo ſubſtituebantur, detulit; Milleſimi quingē- 1532.
teſimi triceſimi ſecundi, die vltimo. Id auxit hilaritatem, quòd Principum ſuorum gloriâ, ſublatâ decertantium moleſtiâ, ſucceſſor decretus foret. Tum Sabaudius miſſis ad Cæſarem Oratoribus, iniquitatem decreti; iura

ſua,

ſua, maiorum ſpes proſecutus, orauit, ne eo ſaltem nomine, prætextu veteri excluderetur. Carolus qui præ iuſtitiâ, cætera in vili habebat, erectũ Principem ne deſperatione procurreret, nihil vniuerſis iuribus detrahi, nec cum Gonzaga ac Margarita includantur, alios arceri monuit; integra ſingulorũ iura manere, donec in tempore merita diſtinxiſſet. Sed hoc erat excludere; & poſſeſſionem in æmulum tacitè transferre; viuẽte adhuc Ioanne Georgio, & oſtentato populis ſucceſſore; vt prætextu Imperij, aſuetudine, ſtudio Patrui imbiberent caritatem. Per hæc ferè tempora, in Mediceæ familiæ fortunam, deuoluta Florentia eſt; tot Regum, tot Imperatorum, tot Pontificũ arma, toties Vicecomitum conatus cum gloriâ experta: nec occidere facilis, niſi inteſtinæ diſcordiæ fregiſſent, & æmulatu meliorũ, ſuiſmet viribus corruiſſet. Id Clemens ſeptimus, non dignitatis curis, non bellorum moleſtijs, non Vrbis excidio diſtractus; quîn huic vni ſtudio aſſiduus, domui ſuæ potentiam ſtabiliret, procurauerat. Vſus haud dubiè Caroli quinti facilitate eſt; cui pluribus per Italiam, Germaniam, ac Pannoniam bellis illigato, fauorabilis Papa ex vſu erat. An datâ Imperatori pecuniâ, miſerrimorum libertas proſtituta fuerit affirmare non auſim; quamuis indigentia, occaſio,

Florentia in Mediceos.

Mediceæ opes, pleriſq; perſuaſiſſent. Meruiſſe propius vero cenſeo: Nec enim exteri ac inuiſi Domini, aliter decertanti Patriæ arceri poterant, quàm ſi vni ac meliori crederetur. Sfortiâ Mediolani Ducatum, præter Arcem ac Lodium obtinente; Henrico Anglorum Rege profanas nuptias auſo, Franciſcus Galliæ Rex apertè pacem, ſecretò bellum contra Cæſarem agitabat. Suppreſſo ob fortunam aduerſam odio; ſi commotis Germaniæ Principibus, Saxone ac Brandeburgo; Imperatoris vires Italiâ auerterentur; dareturque nouis motibus, & recuperãdi Mediolani occaſio. Sed magnâ Italorum fortunâ, aduerſa vis omnis in irritum ceſſit; vno velut ictu depreſſis hoſtibus; nec auſo Solimanno, qui Pannoniam ac vicina carpebat, vlteriora Regnorum Imperatoris laceſſere. Id tantùm gloriæ Caroli requiri, videbatur; vt cùm Italiæ tumultus, Germaniæ ſeditiones, fœlici exitu ſuſtuliſſet, hæreſum quoque in Eccleſiâ contagionem auelleret; vt intus, foriſq; pax eſſet, quæ ferè nectuntur. Et vellenda ab radice principia mali erant, operoſiorem curam morbo requirente, vbi inualuiſſet: apud populos maximè, cuiuſcunq; libertatis, & licentiæ morum propugnatores acerrimos. Nec tamẽ aliud repertum, quàm vt Concilium Chriſtianorum Principum indiceretur; neq; niſi iubente Pontifice cogi poterat, quem penès rerum religionis arbitrium ſciebatur. Sic dilata res, Caroluſq; Hiſpaniam cogitans, denuò in Italiam venit, Mantuæ à Duce Federico, eò feſtiuius exceptus, quò plura beneficia cumulauerat, præteritorum Cæſarum conceſſiones æquantia. Nam & in Gallum ſtudia diſſimulauerat; & communem ipſi pacem dixerat; Ducem eſſe voluerat; nobiliſſimoque coniugio, ſpem nouæ potentiæ obtulerat: eò

Franciſcus Federici filius.

maioris, quò validiori competitore peruiciſſet. Mox Bononiam profectus eſt, vt Pontifici adeſſet, & communicato conſilio, adminiſtrationum ardua diſponeret. Milleſimo quingenteſimo triceſimo tertio Martij decimâ, Margarita

garita primam prolem Franciſcum enixa eſt, tantâ Parentis ac ciuium lætitiâ; vt fato nîl reliquum crederetur. Sed vt toto æuo, expleta fœlicitas non eſt, in eadem tempora mors Ioannis Georgij Marchionis Monferrati incidit (qui ſpe inani liberorum vergens æui, & nepotum faſtidio, Iuliam Aragoniam ſibi coniugio illigauerat; natalibus quàm matrimonio parem) tantò Duci ac nepti grauior, quantò maiori caritate vtriq; iungebantur. Ne tamen vacua poſſeſſio, libidini cuiusquàm exponeretur; aut quieſcente Italiâ, hoc vno deſiderio hoſtilia reſumerentur; miſſus retinendis in officio ſubditis Hercules Cardinalis frater: Quem opinione iuſtitiæ, & virtutibus quibus circumferebatur, promptiſſimè incolæ recepêre. Inerat quoq; genti erga exteros odium; quibus cum æmulatione plures annos certauerant: Et nō minus exoſi Mediolanenſes aut Sabaudij; quàm Galli, & Hiſpani erant; quorum auaritiam experti in pace, ſæuitiam in bello fuerant. Non tamen decertantibus, populorum auerſus animus impedimento fuit, quò minus Sabaudius ad Cæſarem proficiſceretur; & orantibus facilem, lamentationibus adiret. Per ſummam iniuriam debitam ſibi Prouinciam, frequentibus conſanguinitatibus, ac prædeceſſorum pacto, cui ipſe annuerit, abire. Nouum hoſtem pro limitibus ſtatui, qui incertæ fidei Gallos aut Venetos, prout occaſio vel neceſſitas tuliſſent, ſequeretur. Se bellis extremis oſtendiſſe, quo animo in Cæſarem ac Mediolanenſem Ducatum fuerit, non receptis Gallis, non inimico exercitu, commeatu armisue inſtructo. Paratum ſe deniq; beneficij nomine, poſſeſſionem ab Imperatore accipere. Neq; pecuniam aut militem Cæſaris arbitrio negaturū. Et iam aduenerat Federicus, alienâ cupiditate, ſuâ causâ tractus. Simul Carolum obſequij, & totius familiæ admonuerat, quæq; alij promitterent, detulerat. Rerum Italicarum quieti expedire, ſi Mantuani in medio ſiti, beneficio & fide obligarentur. Sabaudium Gallo, quàm Hiſpano proniorem; & longitudine temporis Germanam caritatē oblitū. Satis viro potentiæ; & quæ metui poſſit; id grauia, & euētu vario bella cum vicinis, oſtendiſſe. Quid futurū, ſi acceſſione tot populorum, excutiat modeſtiam, & in vicina (quibus ſemper Principibus color eſt) efferatur? Denique ſemel decreta pro ratis habenda. Id Bonifacio ac Ioanni Georgio Patruo placitum; nec pretio, ſed caritate ſororis ac neptis illectos, vt non alio honeſtiori nomine peti potuerit. Aurelius quoq; Recordatus ab intimo conſilio; citis equis Genuam miſſus fuerat, vt rationes efferret. Sed cum pleraq; excludendo Sabaudio ſuppeterent, prudēti viro id ſolùm delectū eſt, quod non Federicum, non Monferratenſem Marchionatum, ſed Cæſarē præcipuè tangeret. Italiæ nempè poſſeſſio, Neapolitanis, Siculis, ac Mediolanenſibus continuata. Cum enim ſoli Galli claſſe inaſueti, talia prætextu ſectarentur; & Sabaudius ægrè in Hiſpanos, facilè in Gallos cederet; eius Italiam fore docuerat, qui Gallis aditum, patefacto itinere præbuiſſet; ſolosq; Sabaudios quorum arbitrio tam magna agitarentur oſtenderat; trāſmiſſumq; in poſteros octuageſimū poſt annum documentū, quod Mātuanus obtruſerat. Nec enim nobiliſſima Salutij poſſeſſione Gallus alio, quàm Hiſpano

1533.

Io. Georgij Marchionis Monferrati mors.

Sabaudius, & Salutius petūt ab Imperatore Mōferratum.

Aurelius Recordatus.

ſpano conſultore, imminutus eſt; quòd didicerit, Recordato monitore, ei qui Italiam in pace habere voluiſſet, præcludendum acceſſum. Hæc vna prudentia meretur, vt magni viri poſteritas recolatur; non ſolùm, quòd in hæc tempora tranſgreſſa ſit; ſed quòd conſulto, ſuo Principi apud Cæſarem ſecuritatem addiderit. Nec tamen Federicus iuribus id ſuis retraxit; ſed cum Patrui ſuprema, iura gentium, quod ſemel placuiſſet teſtatus foret; id à Recordato proferri voluit; quod moras diſijceret; & feſtinationem, ſecuritatemq́; conferret. Cæſar quantum è Republicâ à concurrentibus peteretur ſatis gnarus; & ne Imperij maxima velut negligentiâ tranſigerentur, trium decertantium medius, poſſeſſionem Prouinciarum ſibi aduocauit. Nè inter competitores ac validos orta diſſenſio, in arma traheret aduerſos. Iam enim non inueſtiturâ concedendum, ſed de iure, & ſentẽtiâ erat. Dati proinde Antonius de Leua, & Marinus Caracciolus tum Prothonotarius Apoſtolicus, mox Cardinalis, iudices; vt cui ſucceſſio iure feudi, hæreditate aut pacto deberetur, auditis hinc inde iuribus cognoſcerent ac referrent. Quidam ferendæ his ſententiæ ius negatum exiſtimant; idq́; ſequentia atteſtãtur. Certatum apud vtroſq; ſententijs, ac rationum vi; tractaq́; cognitio in Milleſimum quingenteſimum triceſimum ſextum. Nos exitum magnæ diſceptationis in tempore memorabimus. Menſe Septembri Milleſimi quingenteſimi triceſimi quarti, turbarum ſuſpicio, defuncto Clemente, totam Italiam aduertit; ſuffectusq́; Cardinalis Farneſius, cui Paulo tertio nomen impoſitum. Vir domeſticis ac ciuilibus virtutibus, in eam amplitudinem prouectus; quam illi deberi ſæpius cum in viuis Clemens ſeptimus ageret, prædixerat. Et tamen nullum apertè per Italiam bellum erat; ſed vis omnis cum Cæſare, in Africam tranſmiſſa fuerat. Neapolim tandem regreſſus, modicam quietem aſſiduis laboribus interpoſuerat; cum Franciſcum Sfortiã Mediolani Ducem exceſſiſſe delatum eſt. Neq; liberi ſupererant, qui paternam hæreditatem capeſcerent. Certum erat; non alio potentiori malo, res Longobardiæ turbari potuiſſe. Gallorum Rex Franciſcus, promiſsâ toties Italiæ quiete; & conceſſis Cæſari iuribus; ſiue penitus ſentiret, ſiue ſimularet; Ducem cum valido exercitu per Alpes oppoſitas Italiæ intulit; vt Mediolanum illicò aggrederetur: cætera in tempore præſcripturus. Impetu primo (qui Gallis validiſſimus) Taurinum, Pinarolum, Foſſanum, Cheriumq́; (quæ ſibi deberi iactabat) recepta ſunt. Sed potior cauſa erat; quòd Sabaudius obſiſtere auſus, & fidem erga Cæſarem vel cum diſcrimine profiteri, non tranſitum exercitui, non cõmeatus largiri voluiſſet. Neſcius aduerſus potentiſſimum, & qui recentes vires ferat, obſtrui Alpes non poſſe; & Sabaudiam cuiuſcunq; Regis fore, qui ſedulò voluiſſet. Sed non odium gentis, aut pronior Carolo animus Ducem armauerat, at ſpes Monferrati, cui obſequij ſpecie ad tempus adrepere, non incallidus meditabatur. Hæc vbi ceſsêre, Vercellas progreſſus exercitus, vlteriora cogitabat. Ceptis tamen Antonius de Leua obſtitit; & victoriâ ac ſucceſſibus elatum Gallum, munimẽtis attinuit. Sabaudio nõ aliud effugium, quàm in Cæſaris fortunâ

1534. (margin, beside "ſceptationis in tempore memorabimus")

fuit

fuit; miſſis oratoribus vim Gallorum, ſubtractas Imperio Ciuitates queſtus, & auxilium flagitans. Imperator altius animo, gentis iniurias, inquietudinem, rupta fœdera ingemuit; arma ac bellum vndecunq; minitatus, vbi cœlum tractabile affulſiſſet. Vere, & Aprilis initio, Milleſimi quingenteſimi triceſimi ſexti, Imperator ad bellum Mediolanenſe profecturus, Romam diuertit; frequentiq; Conſiſtorio exceptus, Cardinalium cętu, ac Principum Chriſtiani Orbis oratoribus præſentibus, prout recens dolore, ac irâ erat, ſic fertur proſecutus. Veterum calamitatum memoria, & miſerrimæ Vrbis huius conditio, vt accedere ſuperſederem; ne coram communes querelas exciperem, perſuaſerant; ſed ciuiles diſcordiæ, meæ gloriæ iniqui, toti Italiæ infidi, nolentem impulêre; quandò non conuentionibus, non ſacramento reuerentia eſt; non ſacra, non profana, hoſtiles conatus retinent. Cui enim mortalium dubium eſt, Gallorum Reges implacabili Auſtriacæ familiæ inuidiâ diſrumpi? Hinc diſcordiarum origo, & tot bellorum, quæ ſæpius cõtraria experti ſunt, proceſsêre. Et vt altius perfidia referatur; Margarita Auia quã cum ſacramento contractum fuerat, prorſus per iniuriam coniugij pacto detruſa eſt; Burgundia tot armis petita, capta per vim ac dolum poſſeſſio, erepta coniunx, immanitatem nulli Chriſtiano Principi probatam arguunt. Succedit Franciſcus, nouo nomine, veteri æmulatu. Hic fœderũ multitudine ac confuſione, Pontificem, Venetos, Anglum, Sforтiam, pro arbitrio & occaſione detinuit; promiſſis nimius, executione parcus, alieni auidus; vt qui fraudem ac dolum in quæſtu habuerit. Captus ad Papiam; & quamquàm in vinculis Regiam hoſpitalitatem expertus, ſponſionibus effuſus, & ad ſordidas preces vſq; deuolutus, Deos, Sedem Apoſtolicam, fidem victoris fruſtratus eſt, contempſit, eluſit. Datis obſidibus filijs, ijſdem artibus, eandem pietatem meam, & fœdera neglexit; ſuſcitatis per Italiam armis, non vt proficeret (nec enim audebat) ſed vt bellum ſacrilegâ prudentiâ per alios exerceret. Tanquàm ſatis non eſſet, apertum hoſtem decepiſſe; niſi quos amicitiæ nomine fidos habuerat; nouis ſeditionibus proſequeretur. Ad extremũ ſublato Sfortiâ; nec hæredibus reliquis, deuolutũ Imperio Mediolanum, armis aggreſſus eſt; deditq; virtutis ac honeſtatis ſpecimen, pulſo per ſummam iniquitatem Sabaudio, quem arctiſſimè fouerat. Sed vt mihi compeſcendæ inſolentiæ vires, & paratus certamini animus eſt; ita calamitatum Italiæ, atq; adeò Europæ periclitãtis memoria, animum perſtringunt. Ergóne tot illuſtres Duces perire; tot Vrbes excindi (capiantur enim, an diruantur parum differt) tot hominum millia; quorum virtute in barbarorum perniciem, vti paraueram, eripi patiar? Quin non potius contumax aduerſus honeſtum, & amicitiam Rex, priuatis armis, ſingulari diſcrimine, mecum concurrit; & mutuo noſtrum ſanguine, dirimere bellum immortale procurat? Ego me pro ſubditorum quiete deuoueo: Et ſi virtutem, nõ fraudem agitat, facili promptitudine; in ſuos caritatem, ipſe quoq; adito periculo teſtabitur. Regius Galliæ orator qui adſtabat; vbi Franciſci iura; & conuulſam fidem paucis teſtatus eſt; paratũ bello Regem ſuum profeſſus; diem, 1536.

Qqq locum-

locumq; poſcebat. Nec enim diffidere, quîn cauſam exitus, virtutemq; ſe-quererur. Sed Paulus vtroſq; precibus, & auctoritate, vlterius procedere inhibuit; Cæſaris indignationem, Paternâ humanitate demulcens. Nec tamen medio iniuriæ curſu, ſuſpendi arma, aut negligi cœpta potuêre; quòd Carolus ſtatim in Pedemontanam profectus; & tractis in partes Venetis, ingentes copias bello intuliſſet. Secutus fortunam Dux Mantuanus eſt, Cæſari per officium aſſiduus; auctiſq; copijs mille equitibus, & tribus peditū millibus, quos veteri diſciplinâ, cedentem iam Ductorem Gallum inſequi, & carpere poſtrema imperauit. Nullo vnquam maiori motu, aut potentiori exercitu Cæſar, res ſuas firmaturus credebatur; quòd ſexaginta hominum millia, Ferrante Gonzagâ Ducis fratre, Antonio Leua, Marchione Vaſti, alijſq; Ducibus ſub ſignis haberet. Sed rarò proſperis, ſæpius aduerſis certaminibus tentata fortuna. Et quia erumpente vi morbi plurimi peribant, regredi Genuam Imperator coactus eſt, & nouis conſilijs ſtudere. Sed non ſuis magis, quàm ſuorum curis turbabatur. Vix enim ſubſtiterat; & quâuis Dux Mantuanus modeſtiam retineret, iureq;, & meritis potior; Sabaudius tamen & Salutius vrgere iudicum vota; & Cæſarem in ſententiam trahere properabant: Nullo maiori metu; quàm ne tarditate conſilij, Prouincia peſſimè à Cæſareis habita, velut deuoluta, Fiſco addiceretur. Simul præſentiâ, & vicinio rerum ſuarum, quibus Cæſar egeret, vim quandam inferre videbantur. Contra Federicus Dux, per honeſtas artes, & debitum ſibi erga maieſtatem obſequium, Caroli decretum opperiebatur. Anna quoq; de Alenconio dotis cauſâ fœminili lamentatione quæ cuperet orabat; Nec minus Iulia de Aragonia, Ioannis Georgij coniunx, quindecim aureorum millia dotalia repoſcebat. Et Caſalenſes libertatem profeſſi, quod crediderant, ſeruari ſibi, conatu omni nitebantur. Genuenſes ac Vercellēſes pariter, neſcio quæ, in Marchionatum iura proferebant. Imperator volutatis de certātium rationibus, votoq; delegatorum excepto; & in deliberationem tracto, quidquid litigātes protulerant; partium procuratoribus præſentibus, ſic decreuit. Salutio Marchioni, non in Marchionatum Monferrati, non Albam Ciuitatem ius vllū eſſe. Sabaudio non iure Violantæ Theodori primi Marchionis; non hæreditate Bianchæ Gulielmi filiarum Monſerratum deberi. Sed octuaginta aureorum millia Blanchæ hæreditate dotali numerari; niſi Margarita, & Federicus de ſolutione docuiſſent. Reliqua (ſi præſumeret) Petitorio proſequeretur. Federicum ac Margaritam Duces Mantuanos cōiuges, bono iure Marchionatum poſcere, iiſq; deberi; & vbi expenſis Cæſaris qui ſeruauerat, & ſacramento ſatisfeciſſent, in poſſeſſionem admittēdos; permiſſo ſimul iure omni quod deuolutione in Cæſarem abijſſet, idq; tertiâ Nouembris Milleſimi quingenteſimi trigeſimi ſexti. Sabaudio certè, querendi, & poſcendi partes potiùs, quàm opinio nanciſcendi relicta: Quamuis hæreditatem, vt mas è fœminâ; & manifeſtis cum Monferrati Marchionibus Dominij pactis ſperauiſſet. Data ad extremum Ducibus, & miniſtris, qui præſidio inerant, mandata; cederent vniuerſæ poſſeſſioni, arceſq; ac propugnacola

Carolus in Pedemontanam contra Gallos.

Sententia Caroli V. ſuper Monferrato.

gnacula Mantuano Duci permitterent: Et paruêre. Vbi Sabaudius ac Salutius Cæſaris decreta excepêre, queſti apud Deos & homines de iniuriâ sũt quandò viribus locus non eſſet. Et ille inſolitam ſuſpicacemq; verborum ſententiæ formam incuſans, poſteris indignationem ob iniuriam, ac deſiderium reciperandi tradidit. Durat in præſentem altercatio,& magnis bellorum motibus reducta. Quæ cum nobiliſſimi ſcriptores,ingenij comparatione non minus, quàm veri ſtudio hactenus proſecuti; & poſtremò illinc Senatore Taurinenſi enixo, hinc Comite Annibale Chieppio, acrius quàm crediderant, eluente, vniuerſa in diſcuſſionem vocata ſint, ne maiora viribus agitare; aut iudicem inter potentiores litigantes agere videamur, ad feriem temporum reuertemus. Vbi Gallorum Ductor Buria qui Pedemontanam infeſto exercitu, Taurinumq; inſederat, Sabaudium ac Mantuanum diſcordes; nec populos huic aut illi paratiores,& faciles occupanti videt, ſecreto noctis profectus, incuſtoditam Caſalis Arcem occupat. Quidam à Raſcherio admiſſum crediderant; neſcijs ciuibus; quorum fidei, populatio, cædes, excidium Vrbis teſtimonium præbuêre. Marchio Vaſti,affinitate Federico, & cæteris Gonzagis illigatus, Aſtenſem Ciuitatem præſidio, pluribus armatorum millibus tenebat. Hic vbi conſanguinei poſſeſſionem, dolo, aut fortunâ in Gallos abijſſe accepit,raptim profectus, ab eodem Raſcherio, fortè pœnitentiâ mutato,per Arcis poſtrema admittitur. Et quidem accerſierat. Vix enim credibile erat, Vaſtum nullâ præſidij conſcientiâ, Ciuitatis expugnationem meditatum. Sed Pręfectus, ſiue obtemperauerat, ſiue metu futurorũ; quodq; nihil ex Gallis certi opperiretur, iamq; perfidiâ exuiſſet,opinioni reſpondit. Niſi affictum Raſcherio ſcelus ac proditio eſt; ſpecie, inuidiâ, obtentu. Verſæ hinc contra Gallos vires, & pulſi præſidijs vniuerſi, haud minori ciuium malo, quàm cum Gallos ante tolerauerant. Quippe eâdem fœlicitate, ad inſolentiam miles progreſſus,nobilium perfidiam,Ciuium paratum rebus nouis animum incuſãs, pœnam populatione præcepit. Infęlix Ciuitas, vnum intra menſem, plures dominos; bello & cuiusq; flagitij licentiâ experta. Captus tamen Buria; plures impetu cęſi, plerią; captiuitati reſeruati. Et iam Dux Federicus aduenerat, qui Cæſaris decreto admiſſus, quamuis turbatam Prouinciam, in melius legibus, conſilio, liberalitate, præſidijs opportunè diſpoſitis conuertit. Decennes autem inter Cęſarem ac Gallum induciæ,ſtabilem Monferrati poſſeſſionem Mantuano reddidêre. Quod temporis reliquum, nullâ belli formidine auctâ potentiâ,quę patrocinio non egeret, & ſecurâ liberorum ſucceſſione (iam enim præter Franciſcum, Iſabellam, Gulielmum, ac Ludouicum numerabat) conuulſa Patria; pace, annonâ connubijs, priſtino decori reſtituta eſt. Et Iſabella Mater, quòd bellis abſtractus filius; aut coram in pace imperaret eâdem ſapientiâ agebat; virilibus curis, fœminarum mores ſupergreſſa. Credebaturque ſi plus illi vitæ fuiſſet, antiquum Ciuitatis ſplendorem; & conuulſam incolarum fortunam redditura. Annonæ, iuſtitiæ, mercaturæ id in magnâ Principe ſtudium erat; quibus ſtatim ſarciri incolas, & nouos allici perſua-

ſum habebat. Milleſimo quingenteſimo triceſimo nono, filiorum ac nepo-
Iſabellæ mors. tum lachrymis commendata, exuit mortalitatem. Acrior Federici mœror
1539. fuit, quàm vt breui deponeret. Siquidem pacem, & fidem ciuium, rerum ſuarum incrementũ, exterorum concordiam, incolumitati parentis accepta referebat; nec crediderat vllum ab amiſsâ ſubſidium ſuperfuturum. Certè Herculis filij dignationem, Ferrantis (quem proprio opere proſequi ſtaruimus, ſi effectis in quæ tendo, plures vitæ annos addidero) bellicam gloriã, Iſabellæ filiæ coniugium, Federici exiſtimationem, illius ductu profeciſſe cõſtat, domi ac foris iuxta ſolicitæ; & regiâ munificentiâ, translatã ad ſummã fortunam familiã. Nec enim venuſtatem, omni quæcunq; alibi iactaretur decentiorẽ, liberalium artium peritiam, nobiliſſimas amicitias, tradiderim; vt maioribus virtutibus inferiora, ſexumq́; multò ante præuecta, in ijs è quibus infirmitati etiam claritudo venit. Subſecuta æſtatem hyems, nimbo atrox, frigore ac gelu horrida; ortoq́; primo ſequentis anni veris calore, qui æſtiuum ſuperaret; morborum ſemina totâ Italiâ emerſêre. Mantua vtriq; extremorum magis obnoxia, grauius labem experta eſt. Vitandis caloribus, & quia Medici iuſſerant, Federicus cum coniuge ac liberis, Marmirolum conceſſit: Quod non æſtate, non hyeme purâ aurâ; & aduerſus tempeſtates effugio ſalutare erat; ſitu depreſſum, & ſtagnantibus circum aquis, cuiuis aduerſo paratum. Sed vbi fatum inciderit, etiam purgatiſſima montium accuſantur. Neq; enim Principem interire ſine culpâ, vulgus patitur, profuſum ſermonibus, & vniuerſa interpretationibus confundens. Certum eſt tactam è cęlo turrim, quæ haud longè eminebat, commeatuum anguſtiam, portenta partu edita, præſagium Mathematicis dediſſe. Quibus certior cõiectura; nec ambiguis, aut fortuitis inſiſtunt; putredinis ac corruptelæ cauſas, in labores immodicos, nullo temporis, occaſionisq́; delectu ſuſceptos referebant. Simul ædium (quas grauis halitus pernicioſas reddebat) continuus vſus, quæq́; mediâ in palude ſitæ, (Teium dicitur) accuſabantur. Cõdiderat Federicus præcipitatâ feſtinatione; vt vacuus curis, extra Vrbem, & tamen quaſi domi ageret; vix Ciuitatis propugnaculis diuiſus. Alienum quoq; imperium ſecutus ferebatur; cui obtemperare, licentiâ voluptatum, & vſu temporum, cogebatur. Sed quæcunq; occaſio morbo cauſam dederit, Viceſimâ octauâ Iunij, Milleſimi quingenteſimi quadrageſimi; aluo ni-
Federici mors. mium fusâ, & ardentibus febribus confectus finem habuit. Antequàm ex-
cederet, cum imminere ſibi extrema vi mali deprehenderet, Herculem, Fer-
1540. rantem fratres, ac coniugem grauem vtero, filijs tutores prædixerat. Teſtamentum Vxoris gratiæ datum. Quando iam vſu Principum receptum foret, executionem, apud futurum Dominum manere. Id ipſe nouerat; cumque præciperet, preces fratribus obtulit, vt ratum vellent, & prius quàm liberi ætatem attigiſſent, exequerentur. Elatus regioq́; funere honeſtatus eſt. Raris mortalium, quique ſummum locum implent, maior à virtute ac fortunâ commendatio acceſſit; quòd bello ſtrenuus, pace facilis, fortunâ validus, indulgentiâ, largitionibus profuſus; nullâ vindictæ cura, ideoq́; minus irritatus.

tatus eſſet. Pecuniã manu tractauiſſe ſeruile rebatur. Tantâ inter liberalitatem animi magnitudine erat; vt niſi Regium ſplendorem æmularetur, inopem ſe crederet. Iuſtitiæ tenax adeo; vt eo ſolùm nomine grauis iniquis eſſet. Pietate in Deũ, caritate in ſuos, in exteros comitate effecerat; vt quidquid fortuna contuliſſet, minus merito putaretur. Nec tamen deerant qui vergentis æui iuueniles amores, & coniugij iniurias in Principe carpebant. Sed ille per breuia interualla menti reſtitutus, id ipſum deflere ſolitus, vim, conatus irritos, etiam deuotiones accuſabat. Quod erutæ ſolo cęreæ imagines, reliquiæ mortuorum; & in inexplicabiles nodos digeſti crines approbarunt. Haud dubiè Iſabella pellex machinatrix credita; quæ nobili furto, Alexandrum ac Aemiliam liberos ſuſtulerat, tecto ad tempus flagitio, & mox vulgi famâ diſiectis ambagibus. Paucis à patris obitu diebus, Federicus poſthumus natus eſt; nomine ac virtute Patrem; dignitate Patruum Herculem æmulatus. Statim vbi futuri norma propoſita, diſcordiæ, & inter fratres ac viduam Principem æmulationes patuêre. Illi ætate, rerum lõgo vſu, amore Cæſaris, ſubditorum caritate curam adminiſtrationemq; ambiebant; illa Dominam ſe; & niſi obtemperaretur abſceſſuram, dotemq; aliò traducturam minitabatur. Nec ſatis cauſæ odiorum erant; niſi quòd Hercules ſuperſtite Federico fratre, quò minus Rempublicam attigerat; eò iam defuncto acrior, deſiderium teſtaretur. Illicò diuiſa ſeruitia; & reditus inter tutores fratres, ac Margaritam diſtracti. Haud dubiè in exitium tendebatur; niſi Hercules condonandum Viduæ credidiſſet; & officio inuiſendi ſuſpicionum vana depuliſſet. Tum ab amore coniugis ac liberorum orſus; orare, obteſtari cępit, ne quod maritus, futuri ſollicitus legauerat, ipſa opinione alienationis irritum vellet. Pro ijſdem filijs, eandem curam ſibi, parem caritatem fore; non vt imperaret (cuius ſpem multò ante ſacris initiatus abieciſſet) ſed vt labores matris, infirmitatem nepotum ſubleuaret. Si conſilia communia voluiſſet, & res conſenſu tranſigi; pietatem ſuorum, integritatéq; excepturam. Non alieno arbitrio aut imperio vſurum; non rationes redituum, expenſarumve æſtimaturum; non iuſtitiam, non annonam, non leges iudicaturum. Vtq; edictis per vtramq; Prouinciam, Margaritæ Ducis nomen præfigendum, ſic vim imperij apud illam fore. Id tantùm diſtingueret; poſſitne miniſtro & adiutore nemine, clauſa & mętori inſepulta, omnibus prouidere; & an Matrem Patruoſq; diſcordare, filiorum vſui conducat. Poſtremùm conſtantiâ otationis peruicit; vt reditibus, largitionibuſq; per Monſerratum ac Mantuanum Ducatus, leges diceret; experireturq; an ipſe ac frater, dominationem, ſetuitiumve præſtarent. Vbi Vidua concordiæ annuit, ſtatim domeſtica & externâ nouam faciem induêre. Quippe vbi Dominam ſe mandatis præſcribi; nec niſi voluntate reditus, annonam, gratiam adminiſtrari vidit, ſatis ſibi actum putans; teijcere in Herculem Cardinalem curã cępit; quaſi non aliâ causâ initio ambiuiſſet, quàm quòd cõtemni crediſiſſet. Franciſcus Federici natu maior, quamquam ſeptennis, ſecuriorem tamen Patriæ ſuæ quietem oſtentare videbatur, quàm ſi prouectâ

Federici poſthumi natales.

Frãciſcus ſecundus Dux.

Qqq 3 ætate,

ætate, eam dignitatem capeſciſſet. Neq; enim per Italiam aliquid armorũ erat, turgidi Gallorum,& Hiſpanorum animi, in concordiam à Pontifice trahebantur; Matris, ac vtriuſq; Patrui prudentia perſpecta erat. Iam Carolus Imperator, ſuperſtite adhuc Parente, tutelam oratus acceperat; iuſſeratq; domum omnem bene ſperare; ſi ſtabilis datæ fidei inſtitiſſet. Non ignorabatur Gonzagos, vt multum Germanici ſanguinis præferentes, propius ad Gallos reſpicere; & Margaritam propinquis natalibus, inter Gallos, aut obnoxios enutritam, caritatem gentis hauſiſſe; ſed potior ipſi familiæ vtilitas credita, cui ſtuderet, præſumptâ maximè cauſæ honeſtate; & noui beneficij incremento, certiori fide. Franciſcus quoq; propoſitos ſibi à Matre ac Patruis mores induebat; aſſueſcebatq; contubernio nobilium Hiſpanorum; ludos ac ſeria, in eam formam effingere. Simul Ferrantis Patrui præcepto, monebatur certiora quærere; & Imperatorem in cultum preferre; cuius gratiâ ipſe, ac maiores ſui profeciſſent. Ingenij vis in puero ſupra ætatem erat; & apud peritos, ex præmaturâ prudentiâ metus; ne par eſſet ortus occaſui. Quippe cum Germanici, Hiſpanici, Gallici,& Italici idiomatis rudimenta excepiſſet, latinas quoq; literas attigerat: Vt inter æmulos virtutis,naturâ potior negligentiâ aut ignoratione poſterior non eſſet. Expletâ obitu parentis triſtitiâ; vbi pro maieſtate nominis parentatũ eſt, nouæ dominationi iacta exordia; & ſolemni apparatu vniuerſi ciues, puero Duci publicè ſacramentum dixêre. Erant quos ea ſpecies moueret; tãquàm fortiſſimo Duce imperium tenente, cuncta potentiorum arbitrio tractarentur; nunc puerum tanto oneri imparem, maiora viribus aggredi; & ab eo curandam inter potentiores pacem, quam vix adulti Principes, longo labore accepiſſent. Quinimò populi ac nobiliũ voto, Ferrantes proſpectabatur, quẽ in dominationem efferrent; virum eâdem quâ frater virtute fuerat; bello,& pace probatum; Cæſari, ac Pontifici carum, hoſtibusq; ipſis fortitudine formidatum: Adminus decennium imponendum; dum pueritiam egreſſus, acceſſione annorum, animo ac corpore firmaretur. Sed tutus Franciſcus, non minus vtriusq; Patrui, quàm ſuâ præſentiâ erat. Annitente vtroq;, cui in futurũ rectæ adminiſtrationis, & in nepotem caritatis gloria maximè imputaretur. Margarita quidem dotali ſuperbiâ erat; quâ ſe dominam Monferratenſis Marchionatus iactabat; nec niſi Mantuano quoq; præeſſet, vllam ſe partem filijs è ſuo facturam minabatur. Sed fœminiles æmulationes exercẽs interdum, vtrosq; ſpecie reputatæ inimicitiæ impulit, acrius vtilitati, honoriq; nepotis incumbere; vt deficiente maternâ curâ, puer domeſticâ vteretur. Neq; tamen amorem filiorum abiecerat; ſed eo ipſo Monferratum curam, dominationem perſtrepebat, quòd inconſideratè nimiumq; diligeret. Nil æquè per hæc tempora Ciuium Mantuanorum animos ſolatum eſt, ac vulgata raptorũ in carceres Sindici Delphini,& Caroli Bononienſis fama. *Syndicus Delfinus. Carolus Bononienſis.* His acre ingenium, & par deſiderijs audacia erat. Callidi, ſimulatores, inuicem exoſi, grauibus blanditijs; nec ſententijs in caſum iactis famoſi: Dum tamen viuente Federico potentiam retinerent, concordes; cum ſuas quisq;

vtilita-

vtilitates curaret, infenſi. Et Princeps negociorum multitudinem ſæpè queſtus; velut impedimentum virtuti forent, ne militaribus curis clareſceret; vtroſq; adminiſtrationi præpoſuerat. Hic forenſibus, ille domeſticis intendebat. Sed nulli iuſſa conſtantia apparuit, aut in ſcelere prudentia. Carolus litium, ac forenſis diſcordiæ copiam quæſtui dabat; fouebatq; diuerſos, in eum facilior, qui pluribus ſententiam emercaretur. Et vt longior expilatus auiditatem ſatiaret, protrahere cauſas, concordiam ſuadere, modò titulo honoris prouocare; ad extremum vanis promiſſis detinere; ſacra, profana, interna, aliena, Principis, Ciuium, Eccleſiarum, eâdem perfidiâ tranſigere. Sindicus cui Principis Fiſcus obtigerat; in miſeros crudelitate, Haſtaq; ſæuiebat: Innoxios aut errore lapſos, non vt reos; ſed vt hoſtes proſequebatur. Illis pretio redimenda vexatio; & pecuniâ dilatio quærenda erat; ne quæ in tempore debito Principis data ſuffeciſſent; illico abrepta, fuſa, diſtracta, cum iniuriâ non valerent. Iſti nullo ſcelerum delectu, in prædam ac exitiũ dabantur. Nec corpore, ſed fortunis tantùm ſæuum hoſtem experiebãtur; quòd non iuſtitia, ſed ex errore vtilitas quæreretur. Si quid mollius decreuiſſet, auaritia erat, & Principi dolus. Perditiſſimi, quos habet damnatq; Curia, vtrisq; obnoxij, delationes, ac ſecretas querelas agitabant. Vnde maior potentioribus caſus; nec niſi muneribus effugium erat. Plurium qui ambobus inuiſi, exciſi ſtatus; & populi pernicies comparandæ miniſtrorum gratiæ ſubſecuta; quæ non niſi ſcelere habebatur. Nec queri vtilitatem habebat, vel quòd abeſſet, & externis intentus Princeps foret; vel dicto fidem abnueret; quamuis iuſtitię curã, vtriq; arctè iniunxiſſet. Igitur opes ac domeſtica amborum pecunia, flagitio ac rapinis plus nimio aucta; & quia eandem potẽtiam mutato domino crediderant, nec alios oneri ſuffecturos, quam illi longo vſu didiciſſent, adhuc peruicaciam propoſiti retinebant. Octauum ætatis annum expleuerat Franciſcus; cum ingenij ſpecimen, Patruis ac matre præſentibus, indolemq; ingenuam teſtatus eſt. Siquidem velut per iocum, ad Cardinalem Herculem conuerſus, dixiſſe fertur; ſe Parentis obitum indolere; ſed habere quo ſubleuetur, prudentiam, caritatem, integritatem ſuã. Faceſſuras querelas populi, in Sindicum ac Bononienſem; quos ne ipſi quidem acceptos, plures annos miſeri ciues tolerauerint. Rectè nec ne iudicauerit euentu depræhenſurum. Meminerat puer, Herculem ac Ferrantem, coram matre ac patre, ſæuitiam, auaritiam, ſuperbiam plerumq; carpſiſſe; non obtemperante Federico; quem criminum euidentia fallebat; & fratrum quàm ciuium calumnias credente. Ergò admoti quæſtionibus Patruis iubentibus, facinora, peculatum, ſæuitiam, auaritiam, vendita ta munera Principis, oppreſſos inopes, dites bonis ſpoliatos faſſi ſunt. Suſpensâ Ciuitate omni, an cepta magna vi accuſatio, eundem finem nanciſceretur: An doli non incallidi, eluderent probationes; cum in defunctum reijci multa, ſpecie fidei ac ſecreti poſſent, quorum ratio non redderetur. Multa in Carolum ingerebantur; quibus teſtes, aut confeſſio finem impoſuerat: Sed Delphino præcipuè obijciebat accuſator, vnius cauſæ cognitione quatuor eluſos. Et

ne

ne cæterorum deſpectu res langueſceret; etiam Principem deceptum. Rem
compendio proſequor; vt ſæculorum vitia, ac virtutes, ſimilitudine, magni-
tudine, occaſione æſtimentur. Veteri nobilitate, nec tenui fortunâ Paulus
Alidoſius Mantuæ erat; cui Patrui Antonij hæreditario fidei cõmiſſo, mul-
ta agri iugera obtigerant; ceperatque aduerſante nullo, Patruo defuncto
poſſeſſionem; ſeu causâ potior, ſiue quòd crederet. Fabritius Fiera, Anto-
nij ex filiâ neptim vnicam matrimonio habebat. Quo nomine Alidoſio diẽ
dixit; & in ius vocauit. Sed obſcuriora vtriuſque iura videbantur, quàm vt
Iudices illico decernerent: Niſi Delphinus clara difficultatibus turbare ag-
greſſus, moram concluſioni afferebat. Placitum ambobus compromiſſo
tranſigere; delectusq; caritate Domini, communi errore, arbiter Delphinus.
Vbi litigantium ſinguli, prece, munere delaſſati, Iudicem in partes trahere
conati; inter ſpem ac metum dubij hæsêre; nec ſpes munerum exhauſtis
vtriusq; fortunis erat; Federicum Ducem monet, agri poſſeſſionem arripe-
re; Fiſco eâ familiâ extinctâ deuolutam. Non quòd crederet; ſed quaſi pa-
rens omnium populus, orbis ſucceſſione adueniret. Tum verſa in Principẽ
cauſa. Verùm paulò poſt querelis, ſuſpicione, fatigatum Federicum aggreſ-
ſus eſt, ſuaſitq; ſua iura venũdare; neq; longas cum ſubditis lites Principem
decere. Repertus calamitatis emptor Ionas de Portâ Hebręus; inhoneſtiſſi-
mo exercitio tolerare vitam; & publico odio ſolitus enutriri. Hic fauore
Principis, & præſumptâ vtilitate, aureorum quatuor millia pactus; aduerſus
Andreaſium ac Fieram litem aggreditur. Sperauerat miſerrimus, è flagitio
quęſtum, vtilitati quàm honeſtati cauſæ paratior. Reſumpsêre animos vtri-
que; & tantùm diligentiâ, aſſiduitate, ardore profecêre, vt finem cauſæ op-
perirentur. Ionas hinc acrior, ſedulitate, querelis, importunitate (quod gẽ-
ti proprium) trahere conceptas ab aduerſis ſpes, modò deprimi, modò effer-
ri; prout Delphinus facilem aut aduerſum ſeſe oſtendiſſet. Et quia annos
aliquot quæſtio agitata, ſui faſtidium apud Ducem mouerat; ne concluſio
ſine lucro foret; vocat Hebręum; & vt aduerſi præualuerint docet. Reper-
tas veteres tabulas, quibus etiam in fœminas poſſeſſio transferratur oſtendit,
(ſed has ille fraude condiderat) nec tamen id gnarũ litigantibus eſſe; ſed ex
tempore metum, ne ſecreta detegantur. Hortari ſi cęlatas velit, ſibi agrum
veno concedere, & ne in vniuerſum perderet; ſi actione in Ducem quoque
abſtinuiſſet, mille aureos offerre. Ionas æſtimato ante conſilio, litemne
proſequeretur incerto euentu; an cum quiete Domini, partem pecuniæ re-
ciperaret, aſſenſit. Chyrographo ſancita venditio; & coacti Iudices dictatã
ſecundûm Delphinum ſententiam proferre. Sic in Delphinum ager transla-
tus; & Fiera, Alidoſius, Princeps, Ionas ſupplãtati: Potiores in causâ veri-
tatem fatebantur; Ionâ præ cæteris obteſtante. Sed fruſtra nitebantur, niſi
veritate, metu, pudore, gloriam confeſſionis amplexus foret. Neq; tamen
eo olim torpore Federicus fuerat, vt fraudem non agnoſceret; ſed ad Del-
phinũ conuerſus dixiſſe, fertur, magnâ illum fortunâ vſum, qui tot iuribus ſu-
peratis, etiam Fiſci ſuperior euaſiſſet. Poſtremò ſumptum ex vtriſq; ſuppli-
cium,

cium, & bona Fiſco repetita. Permiſſa Alidoſio ac Fierę actio; ne auaritia quæ puniebatur, accuſaretur. Verſum dehinc in ciuiles curas ſtudium; & Annonæ cæteriſq; forenſibus, modus impoſitus. Quæ ferè in immenſum excreuerant, abſentiâ Ducis, & nequitiâ miniſtrantium. Facie Vrbis velut immutatâ; & quia ſuus iuſtitiæ locus, nîl venale in penatibus Principis erat, vetus indignatio abolita; & fœlicioris ſæculi ſpes affulſit. Simul Patrui credebãtur magnitudine animi, præteritorum memoriâ, deſiderio matris, acres in curam futuri; vt in Principe mala præſentia, ſolâ ſpe bonorum tolerarentur. Sic in ordinem redactis repentibus, ſola Franciſci ætas, ad perfectam patriæ incolumitatem deeſſe videbatur; vt propriâ virtute, ſuis ac ſuorum commodis æquè conſuleret. Innato mortalibus deſiderio, ſuetis Dominis, vel cum rerum ſuarum diſpendio; quàm cum vtilitate alienis obtemperare. Sed Carolus Imperator aſſiduis literis Ferrantem acceſſebat; partem bellorum commiſſurus. Et quãdo eo vno præſidio vtebatur, proficiſci coactus eſt; ægrè nepoti ob caritatem abſtractus. Pariter obſequio in Cæſarem, plus vtilitatis, quàm incertâ præſentiâ, allaturum ſe familiæ rebatur. Abeũtem Franciſcus, cunctis amoris demonſtrationibus obſtrinxit; onerauitque pecuniâ, cuius bellaturo neceſſitatem ingentem audiuerat: Datis quoq; epiſtolis & muneribus; quibus gratitudinem erga Carolum profiteretur, ac pluribus generoſis equis, quorum fœcunda Mantuana aula erat, Cæſari res ſuas commendauit. Indiuiduus nepotis curæ Cardinalis Hercules ſubſtitit. Et opportunius creditum, ſi præcipua negociorum, paucorum manibus tractarentur; nec in plures tranſgreſſa vileſcerent; aut executio protraheretur. Agentem in Hiſpaniâ Cæſarem, quamquàm nulli per Italiam tumultus, tutam Neapolis ac Mediolani poſſeſſionem pollicerentur, grauis nuncius è Germaniâ affecit: Ducem Saxoniæ ac Lantgrauium; quibus opes, & vis innouandi erant; olim deuictos, & nouo ſacramento obſtrictos, ſeditionem moliri; quibus multi Germanorum Principum conſcientiam, auxiliumq; ſecretò dediſſent. Quidam in abſentiam Cæſaris; prudentiores in veterem indignationem, ac hæreſes, cauſam referebant. Quidquid turbidum aut Imperio aduerſum erat, ad Saxonem flectebat, ſpecie Religionis, cui flagitia plerũq; imputantur, vt ſpecioſo titulo proficiant. Accedebant Franciſci Galliarum Regis odia; non fugato Carolo; aut protritis ad Marſiliam exercitibus expleta; ſed nouam in Italos eruptionem minitantia. Id vnum Caroli vires ac conatus retinere videbatur; ne contra ſeruos ſuos vltionem exequeretur, cui maximè inhiabat. Et metuebatur, ne Galli pecuniâ rebelles, acrius ſolito ob præteritam fortunam inſoleſcerent. Notum id Paulo Tertio Pontifici, qui niſi quieſcentibus Regibus, vanam Italiæ pacis ſpem nouerat; & exterorum diſſenſiones, Pontificis contemptu, Vrbiſq; excidio, ac direptione populorum terminari. Ergò Genuam conceſſit, vt aduentantem Cæſarem concordiâ vinciret. Buſſeti triduum integrum vtriq; colloquio impendêre: Et ſi non concluſa pax, forma tamen fœderi iacta, quod vix ſequeretur. Nîl interrupto itinere Carolus, Cremonam, mox Cannetum agri Mantuani deuenit;

Ferrãtem in Hiſpaniam.

uenit; quò ſe Franciſcus cum fratribus, matre ac patruo contulerat; magnũ hoſpitem excepturus; & pro beneficio officiũ redditurus, Viceſimâ ſeptimâ Iunij, Milleſimi quingenteſimi quadrageſimi tertij. Nilomiſſum, quo 1543. lætitia, & grati animi ſpecies redderetur. Et Cæſar decoris in tẽpore oblitus, comitate, & familiaritate, velut inter pares egit; eò commendatior, quò rarior apud Reges ciuilitas, & ſepoſitio maieſtatis. Actum poſteà apud Cæſarem, de Mantuani ac Monferratenſis Dominij in Franciſco confirmatione; quæ nouo quoq; Principe, veteri inſtituto quærebatur. Placuitq; ſtirpem nobilem, & maxima meritam, quæ miniſterio prompta, ipſo Italiæ limine conſideret, ſeruare. Ita vetera prædeceſſorum iura, in breuiarium arctata, nouis diplomatis inſerta ſunt. Specioſum munus; niſi opibus, pecuniâ, opportunitate, miniſterij vtilitatem quoq; pro Cæſare habuiſſet. Quippe ſeu pacem inter Italos, ſeu bellum mallet; non aliâ potentiori amicitiâ, cuiq; fideret, vtrumq; comparaſſet; ſtabili mediâ Italiâ voluntatis inſtrumento. Nam validiores arbitrio, infirmiores paupertate inutiles erant. Tum primùm Mantuanorum Ducum vires æſtimaſſe Imperatorem ferunt; acceſſione Monferrati; additiſq; Ducentũ quinquaginta hominũ millibus ſeruitio: Grande pondus ad victorias, aut iacturam Cæſarum; ſi fauorabiles, hoſteſve acceſſiſſent. Sed ſparſæ vires; hinc Mantuani, illinc Monferratenſes, exiſtimationem imminuebãt; & vt debiliores Duces, ſic Imperatores ſecuriores reddebant. Vſui tamen habiti; quaſi contra Gallos ac Venetos, vtrinque velut obicem poſuiſſet. Paucos dies Carolus Canneti immoratus, Medolum Mantuanæ ditionis Oppidum in Germanias abiturus, conceſſit. Hic concepta pridem priuilegia; ne longius quærenda forent, euulgata ſunt: Quòd Cæſari familiare eſſet, itineri, ac negocio pariter intendere; ne rebus agendis hinc impedimentum eſſet. Franciſcum quoq; accerſitum, & paternis blanditijs detentum, familiari colloquio, Patruorum virtutis admonuit; quæ ab ipſis ſtrenuè pro virtute ac merito patrata ſint; quàm decora virtus; quàm honora in Principe Chriſtiano fides recolens. Deniq; ſectari bonam famam iuſſus; cum vna conferat immortalitatem, retineat imperia, adimat. Vbi puer virili animo, & conſtantiâ obſequium promiſit, dimiſſus eſt; proſitente Cæſare, eius ſe non minus, quàm filij tutelam habiturum. Sed antequàm ad vlteriora tranſiret, accerſitum Cardinalem Herculem, Ferrantem quem habebat indiuiduum, ac Margaritam Ducis matrem; tanquàm officij accepti gratias acturus; eo ſe animo eſſe dixit, vt ſicut fortunâ cęteros Principes ſupergreſſus ſit, ſic magnitudine animi, ac erga fidos gratitudine, non ante ſubſiſtere, quàm potentiam dandi, & accipiendi in vtroque expleuiſſet. Exceſſiſſe pridem Marchionum ordinem Franciſcum, Gonzagamque familiam, etiam ſummorum Europæ Principum viam inſiſtere; quam ſplendidis natalibus, virtute ingenitâ, Romanorum Regum munificentiâ conſecuti ſint. Veterem enim & à Longobardis ductam nobilitatem, veluti ſenio elanguiſſe; & interituram fore, niſi nouo ſplendore, è vetuſtioribus tenebris emerſiſſet. Nil adeò excelſum, quod indoles Franciſci, ac ſuorum

Carolus V. Canneti.

Firmat Gonzagorum priuilegia.

erga

erga ſe merita non requirant. Veteri decori nouum ſuperinducendum. Nec enim abs re Gonzagæ familiæ Auſtriacam inſerere; cui ante Orientalis Imperij nobilitas acceſſiſſet. Margaritam, antiquiſſimam prorſus, eamq; regiam propaginem reduxiſſe. Nam perire maiores poſſe, nobilitatem virtute ſeruari. Eſſe ſibi Catherinam Ferdinandi Regis fratris filiam, quam Frãciſco deſpondere decreuiſſet, daturus exiſtimationem; pignus fidei neceſſitudine accepturus. Non alio certiori inditio, manifeſtum beneficij; & confirmatum gratiæ animum proferre; quàm quòd cùm miniſtrum habeat, nepotẽ mâlit. Pergerent Gonzagæ, meritis cùm Cæſareâ liberalitate contendere; nec enim ſe ceſſurum, niſi gratificandi munere. Vt primùm nubilis vterque pubertatem attigiſſet, promiſſas nuptias exequendas. Interim ſtudendum educationi, quæ teneros adoleſcentûm animos, ſplẽdidius efformet. Actæ ab omnibus grates, & promiſſa ea fides, quam vita, vireſque permiſiſſent. Mox Cæſar citatiſſimo itinere, in Germanias euolauit. Franciſcus Mantuam reuerſus, Ciuitatem omnem, inter ſumma lætitiæ imitamenta, plures dies detinuit; non ipſe, non amici gaudio temperantes; quòd certiſſimo vinculo firmata quies, & ſpes melior affulſiſſet. Hercules Cardinalis, cui præcipua nepotis cura; liberales artes, militiæ ſtudia aſſiduè obtrudebat; ne ingreſſus adoleſcentiam iuuenis; & lenocinijs ætatis abſtractus, ſordidiora voluptatum ſectaretur; honora ac laborioſa vitaret. Quintus Curtius, cuius operâ Alexander magnus, non minus quàm factis gloriam æternam, aſſecutus eſt, Virgilius, & Caius Iulius Cæſar, ſpecioſiſſimi auctorum delecti; quorum ſtudio liberales artes; & generoſos ſpiritus hauriret, in decus familiæ abituros. Incidit in manus noſtras, Caius Iulius Cæſar, ad cuius calcem, Franciſci Ducis, hæc eius manu inſcripta erãt: Hos commentarios ego Frãciſcus Gonzaga, Mantuę Dux ſecundus; & Marchio Montisferrati, in Quingentulano D. Herculis Cardinalis Patrui mei, prælegente Patre Andreâ Franco finiui, Vndecimo die Octobris, Milleſimi quingenteſimi quadrageſimi octaui. Margarita Patriæ amore; & quia ſic decebat, præcipuas Monferrati curas, vt proprias proſecuta; ne Mantuanis quidem abſtinebat: Sed mutuæ Prouinciarum voluntati ſociandæ aſſidua; modò Monferratenſes Mantuanis, modò hos illis per ſummam artem iungebat; antiquæ ſubditorum æmulationis haud ignara: & certantibus numero, potentiâ, diuitijs; ſed & in Dominos fide. Vnde honeſtis initijs, praui exitus; quandò ferè æmulatio in odium vertat. Regreſſo in Germaniam Cæſare; nîl Gonzagis euenit, quod curam Scriptoris exigat; niſi domeſticæ virtutes commendentur, aut Cardinalis Herculis vigilantia, reliquorum comparatione referatur. Nõ enim caritate in nepotes, in ſubditos ſtudio, in Deum pietate, negligendus eſt. Præcipua viro Cathedralis Templi in Vrbe cura fuit, quod Diuo Petro nuncupatum. Id malè ceptum; & tanto honori minus reſpondens crediderat. Ergò ornatu regio eductum, & laqueari aureo ſuperimpoſito; diſpoſitis marmoreis columnis, quæ internam molem omnem ſuſtinerent, recẽtem magnificentiam nactum eſt. Diuorum reliquiæ, laterali Sacello inditæ, vt

Catharina Auſtriaca deſpõdetur à Carolo Quinto Franciſco.

nullo

nullo intus impedimento Fanum aſſurgeret, aut ſacris cultus intercideret. Iuſſi cuſtodes æternas faces enutrire; veteri inſtituto reuocato, quod exploſerat præceſſorum auaritia. Sed longiori nocturnâ vigiliâ ſopito qui curabat, arentia primùm flammas concepêre; mox latè fuſum incendium, ſacellum omne, nullo remedio corripuit. Sic verſa in cinerem Diui Cęleſtini oſſa; & gemmæ, argentum, atq; aurum, ad informe æs liquefactum. Nec is malo finis; nam proxima quæq; vapore ignis ambuſta ſunt: Mox templum pernicies irrepſit, flammiſque vaſtatum, Sacramenti cuſtodiam abſumpſit, nullâ ſacratæ hoſtiæ iacturâ. Quod haud dubiè miraculo eueniſſe proditũ; quaſi ignis conditori ſuo pepercisset. Vbi periclitari arcana, & templum flammis correptum per Vrbem auditum, accurrêre, conditionis omnis, Ciues, nobiles; nec fœminæ ſubſtitêre, vt opem laborantibus ferrent. Alij incenſas lignorum moles detrudere, caſtigare alij humentibus linteaminibus, obruere cęmentis, vim aquæ affundere; conclamare auxilia, campanarum ſtrepitu excire Vrbem. Sed iam altius vagata peſtis, cohiberi non poterat, ſerpente ad faſtigium flammâ, & obuia quæq; lambente. Turrim lateri eductam protexiſſe ſatis viſum; nè nobiliſſimæ Campanæ, & raræ per Italiam magnitudinis liquarentur. Sub recentem cladem Herculis munificentiâ patuit. Nam in meliorem formam reſtitutis quæ ignis abſumpſerat, templum ad cacumen breui reduxit. Reſtitutus cultus, & in fortunæ vindictam adauctus ornatus. Nunquam tamen adeò Eccleſiaſticis curis intentus Hercules agebat, vt quamquàm minimis quibuſq; aduerteret, Nepotis tutelæ obliuiſceretur. Et ſpecioſa quidem adminiſtratio erat; cum domi Hercules vniuerſis intenderet; Ferrantes apud Cæſarem curaret; Mater aſſiduæ populorum caritati deſeruiret; ne prudentiâ, pietate, ſtudio vinceretur. Nimius tantùm futuri metu Hercules credebatur, quòd immẽſas opes Nepoti pararet; & pecuniam plus quàm Duci conueniret, cogeret. Scilicet ea eſſe potentiorum irritamẽta; & nunquam egeno, bellum inferri iactabant. Sed Hercules conſilijs non in caſum iactis, multò ante ſecuro experimento didicerat, pacem niſi futuro bello vtilem; quandò fato Italiæ probatum ſit; non diuturnam quietem Gallis, Germanis, aut Venetis eſſe; quoties inopiâ in rapinam agantur. Augebat auri deſiderium Carolus Imperator, in Franciſcum Regem inexpletus cupiditate vindictæ: Et Franciſcus acri æmulatione, extremoq; ad Marſiliam bello validior (ne improuiſi, imparati, quiq; ſe Cæſaris profeſſi fuerant infirmiores Principes, in prædam deſtinarentur) diſpoſitum auxilium oſtentabat. Acceſſit Marchionis Vaſti exitus, qui veteri militiâ, & diuturnâ Cæſarei exercitus curâ fractus, Mediolani diem extremum clauſerat. Creditus eſt vt bellum fortitudine, ſic pacem conſilio proſecutus. Validè id Cęſaris animum ſauciauit; quòd magno Ductore deſtitutus, expoſitam Gallorum violentiæ Italiam crederet, nunquam competitoribus exutam; & ſæpius quãquàm infauſto exitu repetitam. Vnica in Ferrante Gõzagâ ſpes erat; quem expeditionibus in Germanos, Gallos, & Afros, Siciliæq; adminiſtratione ad extremùm nouis Germaniæ bellis probaue-

Incendiũ Eccleſiæ Cathedralis.

bauerat. Hunc itaq; feſtinato itinere Mediolanum properare iubet; ne vacuam rectore Prouinciam, hoſtes opportunitatum obſeruatores, irrumperēt. Plus apud exteros fama viri, quàm cæterorum conatus ad quietem contulit; non auſo Gallo patrios lares exilire; aut præteritam iacturam nouâ vi tentare. Et quidem nondum Germani conquieuerant; ſed Lutheranorum conſultis elati, difficili bello Imperatorem detinebant. Qui vix cęptâ dimicatione, magno gloriæ diſpendio, & fugam inire, & obſidionem ſubire coactus eſt. Plus ſecuritatis mors Franciſci Gallorum Regis attuliſſe viſa; quem implacabile in Cæſarem odium, & militaris diſciplinæ æmulatio, tot annos exercuerat. Nec Henricus eius nominis ſecundus Franciſci filius, ſuffectus, quamquàm magnitudine animi corporiſque viribus commendatus, Regni exordio, & non ante compoſitis rebus, tam magna capeſſiturus credebatur. Quidam voluptatibus emollitum fingebant; educatione ac Patriâ. Cæterùm vt non bello tantùm Mantuæ Ducum gloria, ſed pace quoq; proficeret; ſors cauſam dedit, excepto per hos dies Mantuæ Tuneti Rege; quem â filio pulſum, & Imperatorem auxilio vocantem, non hoſpitio ſolùm, ſed pecuniâ quoq; Franciſcus annuente Matre ac Patruo iuuit: Exterum, & egenum, non armis, non opibus vices redditurum, pietate ac liberalitate ſubleuans; vt nulla auaritiæ ſuſpicio inſideret; quæ munificentiæ inter vicinos oſtentatæ plerumq; ſubrepit. Hic idem annus Maximilianum Boëmię Regem Mantuæ habuit; cui ſe comites officium rati addiderant; Cardinalis Tridentinus, Dux Brunſuicenſis, Comes Mansfeldenſis, alijq; Germani proceres. Hi omnes in puero Duce modeſtiam, comitatem, liberalitatem experti ſunt; eò acceptiora, quò ætati rariora. Quod Franciſci commendationi grande momentum tulit; nam in Patriam reuerſi, virtutes maiorum, & calcatam à Franciſco viam nobilitatis, teſtati ſunt: Læto Cæſare, ac fratre, quòd generum ac nepotem ex voto delegiſſent. Non minori gaudio & officij oſtentatione, ſequenti anno exceptus Philippus Caroli Imperatoris filius: Quippe Franciſcus Mediolanum vſq; profectus eſt; Cardinalis Hercules Cannetum, Margarita ne mœnibus quidem contineri potuit, quîn principum fœminarum grauitatem proijceret, ſeq; magno Regi obuiam daret. Quidquid honorum vnquam exteris Principibus, pace aut bello habitum, collatum eſt; & quod ſubſequens ætas adulatione profuſâ reperit, cumulatum. Feſtis ludis, ſpectaculis, ignibus, imitatione pugnarum, equorum decurſibus, Scenicis, Gymnaſticis, venatu. Vniuerſa villarum decora, in luxum collata; tanquàm Principi omnia merito, nîl ſatis eſſet, & cuncta deſeruire conueniret. Sed & quò Regem fateretur; gemmis, ſerico, equiſq; aucta munificentia; neq; enim ſatisfactum hoſpiti, Franciſcus crediderat, niſi cum multum deberet, plurima offerret; & ſubditorum Cæſari liberalitatem, prodigalitate confunderet. Suo quiſq; ordine recepti Principes qui Philippum comitabantur, Ferrarienſis, Vrbinas, Mirandulanus, quiq; ex Germanis erant; non enim Præſules Eccleſiaſticos inſero, quò numerum faciam. His omnibus certum fuit, poſſe Reges haud minus ſplendidè, ali-

Ferrātes Mediolani.

Rex Tuneti Mantuæ.

Maximilianus Boemiæ Rex.

& Philippus Rex Hiſpaniæ.

bi quàm apud ſuos,& cum gloriâ haberi: Et quæ ſemel Imperatores cum ratione contuliſſent, Gonzagos aſſeruare, vt in tempore vtantur. Nec enim ipſis minorem amicitiæ, quàm poſſeſſionis æſtimationem eſſe. Magno hoſpiti, Antonius Prothonobiliſſimus Faccipecorus Antonelli nepos, deſtinatus comes eſt; vt nobilitas decusque familiæ, pondus obſequio conferret. Hunc maternâ origine, Paueſium ferebant; quòd pupillus à matre eductus, parentem non nouiſſet. Secuta errorem poſteritas; nec adhuc cognominum ambages,ſatis liquent; ideoq; nos operæ pretium facturos credidimus; ſi quod vetuſtis ac indubitatis monumentis accepimus, traderemus. Rex diſcedens, fraternâ caritate amplexatus Ducem,& curam omnem pollicitus fertur; nec diſpari officio Parẽtem vſurum. Aliqua inter nepotem ac Herculem Cardinalem indignatio tum credita; quaſi licentius reditibus vteretur; aut in Ferrantem fratrem & Ludouicum liberalior, futurum vtriuſquè patrimonium inſtrueret. Attamen Philippi præſentia concordiam tulit; ſiue monitis obtemperauêre; ſeu ſpontè quieuêre; ne hoc ipſo memorarentur. Ferè diſcordia indigentiam, auaritiamque comitatur. Sed iam Milleſimus

1549. quingenteſimus quadrageſimus nonus annus vertebat; & maturare promiſſas nuptias, coacti Patrui ſunt, ſi incolumitatem nepoti voluiſſent. Aliquot iam menſes, diſciplina equeſtris, & liberalium artium ſtudium Franciſco interciderat. Ipſe rarus per Vrbem; non venatione, non luſu, & vix ſuotum colloquio vtebatur: Sed pudor inerat, ingenuitatis teſtimonium. Et licèt per honeſtatem cupita, non poſceret, intus tamen acri mœrore deſiderium nutriebat. Torporem animi corporiſq;, ſecuta valetudo aduerſa, vniuerſos metu perculit; licet rari languoris originem interpretarentur. Quòd à morbo difficili ſeruatus, menſes aliquot vitę addiderit, donum nutricis fuit; quâ puer maternâ dilectione, & familiari conuictu vtebatur. Nã vbi amotos cuſtodes vidit, blanditijs incautum circumuenit; cauſamque mœroris inter tot fœlicia ſciſcitata eſt. Et vt molles ſunt, in dolore virorum, eò magis puerorum animi; & minor eâ ætate prudentia, adoleſcens deſiderium faſſus eſt; quòd connubio maturus, procul à coniuge, quam ardentiſſimè cuperet, haberetur. Nutrix Cardinalem Patruum monuit, Nepotis incolumitati conſulere; nec aliam quàm per nuptias, ſaluti viam eſſe. Quod vbi cognitum; & quia manifeſta prodiderat, Cardinalis Franciſcum bono animo eſſe iuſſit; vt primùm conualuiſſet, miſſurum legatos qui vxorem accerſant. Nec aliud ſibi iam vergenti, quàm è ſucceſſione ſolatium eſſe. Sic ſpe oblatâ ſuſtentatus, intra paucos dies, aduerſam valetudinem diſcuſſit; eo præcipuè ſubleuatus, quòd reperiſſet, cui animi ſenſa detegerentur, verecundiæ haudquaquàm ſuffecturus. Vbi ſalus reddita; & collapſæ vires firmatæ ſunt; miſſus in Germaniam Franciſcus Gonzaga, Ducis, Patrui, Matriſque nomine, ſponſam petiturus; ſimul itineris neceſſaria, & comites paraturus.

Franciſci nuptiæ. Acceptiſſimũ id Ferdinando Patri, Carolo Patruo fuit. Itaq; Regio ornatu inſtructam, datiſq; comitibus Tridentino Cardinali, Ferdinando fratre, Marchione Brandeburgenſi, Comite Palatino, pluribuſq; minoris ordinis

pro-

proceribus, Aenoponto in Veronenſem agrum, mox Mantuam deducta eſt. Obuium Franciſcum coniugem Tridenti, Cardinalem ac Ferrantem Patruos Veronæ, reliquos Vrbis nobiles haud longè Ciuitate habuit. Nil omiſſum quod exultantem, geſtientemq; lætitiâ animum, & ciuium eadem vota teſtaretur: Quamuis infœlicibus auſpicijs, limine ipſo ſuburbij fractæ Quadrigæ, præſagium haud proſperi exitus dediſſent. Sed in præſentia, ſimilia negliguntur, tranſacta æſtimantur; & ex euentu ſumunt prodigia claritatem. Intentum nouitati Germanũ opportunè Hercules admonuit; ideò fractas Quadrigas, quòd equo vehi per Vrbem oporteret. Fine Octobris inchoata lætitia, duodecimâ Februarij Milleſimi quingenteſimi quinquageſimi, in Franciſco finem habuit. Nam aduerſâ valetudine correptus, *1550. Franciſci mors.* Viceſimo altero menſis finem vitæ poſuit, cum decimum diem decubuiſſet. Siue fortunâ morbus inciderit; ſiue profuſa thori licentia, tenellos artus, & ingenitũ ſpiritum deſſoluerit; ſiue caſus quo in profluenti eluctatus fuerat, occaſionem dediſſent. Nihil in iuuene deerat, quod magnos natales teſtaretur; ſed corporis animiq; dotes, vltra Principem fortunam viſebantur. Prudentiâ ſupra ætatem, ingenio iuuene validior erat; modeſtiâ, verecundiâ; obſequio in Matrem ac Patruos ſpectabilis. Formę venuſtate, vniuerſos Patriæ adoleſcẽtes ſupergreſſus fuerat: Et ſperabatur ſi plures vitę annos addidiſſet, maiorũ gloriam, quorum cum voluptate meminerat æquaturus. Mater ac coniux miſerrimæ, animo ſauciæ, intimè dolorem accepêre. Cæteri lachrymis ac męſtitiâ dolorem teſtati, ſepulchro Parentis, velut ſpes ſuas omnes conderent, intulêre. Paucis ante Franciſci obitum diebus, Paulus tertius Pontifex deceſſerat; & agentibus adhuc electionem Cardinalibus, Romam Ducis Franciſci obitus delatus eſt. Cum Iulius tertius ſuffectus, ſingulorum expectationem in ſecuritatem flexit; velut ſuorum curæ minus intentus, communi bono, plus operæ foret collaturus. Sed Ferdinandus amore generi, filiæ caritate implacabiliter triſtatus eſt. Hercules Cardinalis Patruus, vbi primùm Conclaui egredi licuit, raptim profectus, Mãtuam reuertit; reperitq; Ferrantem fratrem; qui improuiſo nuncio perculſus, Mediolano aduolauerat. Opportuni vtriq; Matri ac viduæ aduenêre; quas acri dolori implicatas, cætera proſequi non poſſe credebatur. Accedebat grauidæ Catherinæ ſuſpicio; quâ, in plures Hebdomadas Principis nominatio dilata eſt, donec fama tempore vaneſceret, & in Gulielmum ſucceſſioni proximum, poteſtas deferretur. Ex duobus fratribus qui Franciſco ſupererant, Gulielmus parum validus; nec militaribus laboribus par credebatur. Siue naturâ, ſiue educationis vitio langueſceret, & minimâ quâcunq; cauſâ conuelleretur. Ludouicus viribus corporis animique firmis, & tantæ moli ſuffecturus creditus, militiæ ac labori genitus; quique per infantiam non alio quàm armorum ſtudio oblectatus foret. Ergò cum matre de futuro diſceptatum; quæſitaq; ſucceſſoris voluntas; ſi in fratrem libens concederet, quod ſine vi præripere non licebat. Vocatum Gulielmum; ſic Hercules Patruus allocutus: Plus iuſto didicimus fili, quæ rebus humanis fiducia; quid ætati; *Hercules, & Margarita mater fruſtra hortantẽ Gulielmum, renũciare Ludouico fratri Ducatum.*

 quan-

quantum iuuentuti deferri liceat; erepto medio curſu gloriȩ Federico Patre, & mox intra adoleſcentiam, fratre. Nec in his valetudinem, aut infirmas vires cauſaueris: ſed cuicunq; fini ſua ratio, ſua è cœlo neceſſitas eſt. Tibi ætas proximè ad iudicium ineſt; nec ingenij pœnitendum foret, ſi robur corporis; & curis laboribusq; pares nerui contigiſſent. Non enim adminiſtrationi ſatis eſt, præſentia curare, ſed futuri ac ſucceſſionis æſtimatio habenda; quæ alias vires, aliud corpus requirunt. Quin reijcis Gulielme in fratrȩ onus imperij; & ſumptâ opulentiſſimâ bonorum parte, quæ neceſſitati, quæ luxui ſufficiat, Eccleſiaſtico inſtituto, te potius addicis? Accedent Monſerratenſes Abbatiæ, & Epiſcopatus Mantuani prouentus vberes; quibus ſumma fortuna æquari poſſit. A me vniuerſa quoq; habiturus es; à Pontificȩ dignitatem, quâ ſpecioſior non datur. Inter negociorum anguſtias eluctatus, laborioſam vitam non tranſiges; ſed quiete, rerum affluentiâ, lenȩ otiũ laceſſes. Cæterùm non niſi ex caritate propoſitum conſilium accipe; quandò parem beneficio animum; ſæculo aut ſacris applicitus, ſis apud me habiturus. Idem & Mater, blanditijs puerilibus aggreſſa, orabat; & oſtentatâ viciſſitudine rerum, ſeceſſum tumultuum ſuadebat. Decimum tertium ætatis annum Gulielmus ingreſſus fuerat: Itaq; vi ingenitâ; & quia potentia ferè prudentiam inſtillat, ſic fertur reſpondiſſe. Quod mihi conſilium à te Patruo, matriſq; conſenſu ſecretò datur, id per obſequiũ accipio; haudquaquàm toleraturus, ſi frater Ludouicus protuliſſet. Et quidem non diſpari ac Parentem reuerentiâ Patruos colo; matremque dominationis præcipuam cupio; ſed eâ ætate ſum, quæ ſimilia diſcernat. Quid autem abſurdius, quàm Numinis ac naturæ beneficium abnuere? Idque non titulo virtutis, ſed infirmitatis prætextu; quòd validi artus non ſubſint; aut equeſtibus ſtudijs non ſufficiam? An diuitiæ, potentia, imperia, hæreditario habita, niſi validis, & comparatis ad pugnam viribus debentur? Caſus vitæ & viciſſitudo rerum, per proſpera, per aduerſa; & fortes & debiles rapiunt, in omnes pari iure; nec magis robuſti, quàm languidi ſeruantur. Eadem in omnes fortunæ licentia. Ideoq; non mihi potius, quàm Ludouico metuendum. Fortiores caſibus magis obnoxios frater docuit; primam intra iuuẽtam, & in ſpe meliorum ſublatus. Sed nec dominatio firmos artus, aptos labori lacertos; at ingenium, prudentiam, fidem poſcit; ita me præceptis inſtruxiſtis; & non niſi iniuriâ prior ordine & potior abnui poteſt. Succeſſioni ætas prouidit: Nec in ſpem proximam, ſi deſtitutus ſucceſſione liberorum deceſſero, fratris filios adſcire reſpuo; vt nullum ſit poſteritati periculum. Habeat frater, quæ vos meliora probatis; nec mihi beneficio partem bonorum imputet, cum omnia ex me ſit habiturus. Si contulero, gratiam agnoſcat. Quòd ſi aliter inſedit, Chriſtianorum Principum opem, ſubditorum fidem, Imperatoris ac Pontificis auxilia, contra vim, iniuriamq; domeſticâ implorabo. Abſcedant praua conſilia; & in eum poſſeſſio tranſeat, quem proximum natura diſpoſuit. Obſtupuit Hercules validos pueri ſenſus; prȩſumpſitq; maiorem in ætate prudentiam; quandò maximis conſultis rudis

adhuc

adhuc, vteretur. Sed & offenſum nouit, pœnituitq́; quòd prior ſimilia agitaſſet. Equidem retinuiſſe memoriam viuente Patruo, pleraq; docuere; quibus facilè indignationem, alienationemq́; efferebat. Itaq́; cum fruſtra dominationem rogaretur, ne in ſuos iniurij eſſent, lætitię oſtentationi incubuêre. Sic Viceſimâ quartâ Aprilis eiuſdem anni, celebri pompâ; aſſiſtentibus Principum legatis, ac ciuitate omni, diademate pro Templi foribus inſignitus eſt. Mox Regio pallio, ac Sceptro conſpicuus, cum Cardinali Patruo Vrbem obequitauit; vt ſe viſendum deſiderijs ſuorum offerret. Tandem vbi grates Numini reddidit Palatio ſucceſſit. Ferunt Matris ac Patrui voluntatem Ludouico proniorem, ceſſionis conſilium agitaſſe; ſed in Patruum tranſlatam à matre inuidiam, vbi illa indignationem accepit. Retenti pleriq; magni ordinis viri feſtis epulis; iacta in plebem auri argentiq́; munera; ære alieno, aut leuioribus flagitijs obnoxij abſoluti; diuiſa in pauperes alimenta; dos puellis ob inopiam neglectis conceſſa; Viduæ inopesque omnes ſubleuati. Ea Gulielmo Principatus exordia fuêre; non magis à ſenioribus dictata, quàm impetu ſuo iuſſa. Nam pronus in pietatem, ac per honeſtas cauſas erogationem erat: Et quò maiori commendatione, Ciuium exterorumq́; fauorem quæreret; non aliâ demonſtratione opus erat. Pari in miſerrimos pietate fuit; & non inuito Patruo, etiam orante matre filios vti Bononienſis, ac Sindici, decennio ante Senatus decreto damnatorum, & ad ſummam ſordidiſſimamq́; inopiam deuolutos ſubleuaret, annuit. Ceſſerant in Fiſcum vniuerſa; & filij omnium egeni, virtutem tamen, quam vnam à Parentibus educatione acceperant, ſeruabant. Sed non Vrbe egredi, aut in publicum verecundiâ prodire, memoriâ admiſſorum à Patre ſcelerum audebant; donec vocatos & ſermone firmatos in ſpem erexit. Sindico tres liberi maſculæ ſtirpis; Bononienſi præter hos duæ femellæ erant; formâ ac paupertate, periculoſę. Nec matres tot aduerſis etiam inopiâ conflictatæ, conſtantiam in honore, aut pudicitiâ habituræ credebantur. Itaq́; numerata è Fiſco pecunia, quâ fœminæ dotis nomine vterentur; mares flagitiorum innoxij, pręteritum dedecus, nouis virtutibus obliterarent. Id quamquàm in ſontes, & parentum culpâ peiora meritos, Ciues pietate in Dominum accendit. Tantoq́; magis in puero laudata munificentia eſt; quantò rarior apud adoleſcentes, bonorum ac malorum delectus habetur. Cætera negociorum, vt magna, & viribus ſuperiora, puer in Matrem ac Patruum reiecit; quaſi non curatoribus ſed miniſtris vteretur; ſimul mater auctoritatem quam ſuperſtite Patre habuerat, retineret. Et quidem tota illi potentia debebatur, quæ dotis ſuæ acceſſione, familiam ſupra alias extuliſſet. Decimâ tertiâ Iunij anni eiuſdem, præcipui Germaniæ proceres, ſponſam Viduam ad ſuos reducturi aduenêre. Sed prius dos reddita; quæ leuis fuerat; & Viginti millium aureorum incrementum, pretium virginitatis. Vbi de gemmarum reſtitutione actum, modica & fœminilis æmulatio, inter Socrum Nurumque interceſſit. Cum enim quadraginta millium gemmæ poſcerentur, vt delatæ; Sponſa Adamantem ſibi à coniuge vt ornaretur, cōceſſum, omittere recuſabat.

Gulielmus Dux.

Catherina Franciſci uxor redit ad ſuos.

bat. Eo ſe ſolatio mariti deſiderium tolerare; & quod ipſe dediſſet, ſuum eſſe referens. Decem millium gemma erat; & quamquam Cardinalis abnueret, Mater obſiſteret; vniuerſi, veterem illam & fideicommiſſam hæreditatem dicerent; Gulielmus tamen, verſâ in iocum contentione reſpondit, tolerandam fratris voluntatem, qui datâ coniugi gemmâ, ſibi cætera cóceſſiſſet. Et cum ſolui pretium Cardinalis, retineri Adamantem ſuaderet, addidit puer; plus virginitatem meruiſſe; infœcunditatem notando, quâ ipſe Dominium habuiſſet. Sic expleta fœminilis cupiditas, & Parenti, inuictiſſimi animi exemplum oſtentatum. Reuerâ eo ſe pignore Gonzaga domus efferebat; quòd nullâ parſimoniâ, vim auri immenſam ſimilibus impendiſſet: Eaq; vetus, & Europæ gemmarum nobiliſſima erat; quâ Catherina, ſecundis nuptijs, Polonorum faſtum confudit. Vt proceſſit, ſuſpẽſa primûm Ciuitas acerbitate rei; mox in gemitus ac lachrymas effuſa; miſerabilem ſpeciem referebat: Fœminam Principem, intra florem iuuentæ, infœlicis connubij exemplum, limine ipſo lætitiæ depulſam; non aliud è marito habuiſſe, quàm quod memoriâ cum dolore ſeruaret: Eò ſcilicet res humanas procedere, vt vulgatæ miſeriæ exempla non afficiant; niſi noua & præualida. Illa tamen ſexum ac fortunam ſupergreſſa, ſolari nobiles fœminas quæ manerent; grates Matri ob caritatem, Patruo ob curas; Gulielmo ob munificentiam referre, tantâ animi vultuſque conſtantiâ, vt lætari crederes. Hinc maior miſeratio; quòd expreſſa fortitudo, quò maior erat, plus doloris ac violentiæ haberet. Gulielmus continuatâ liberalitate in abeuntem vſus eſt: Patruum Tridentum vſq; comitari; & itineri neceſſaria prouidere iuſſit; datis nobilibus, qui aſſidui miniſterio in Patriam vſq; adeſſent. Iam enim cum dominatione viriles ſpiritus induerat; vt apud exteros non minus quàm ſuos clareſcere glorioſum crederet. Id Carolum, ac Ferdinãdum Patrem acrius obſtrinxit, iactaq; nouæ amicitiæ fundamenta, & vetus exiſtimatio familiæ ſeruata. Quamquàm vulgatum nobili mendacio foret, iuuenem ſeuerè habitam; & eò manifeſtam Patris indignationem emerſiſſe; vt literis inurbanitatem teſtatus ſit; & redditurus merita diceretur. Secutæ cũ Gulielmo nuptiæ, fallaces auditus docuêre; pluſq; in Principe detractionibus, quàm ſolitis virtutibus interdum licere. Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, Maximilianus Rex in Hiſpaniam profecturus, Mantuam diuertit; antiqui hoſpitij, & obſequij ſecurus; promptâ in Principes munificentiâ, & famâ comitatis. Collata Regio apparatui, quæcunq; decus, ac honorem præferrent. Quaſi vno è Cæſarum domo magnificè habito, cæteri etiam abſentes colerentur. Addita ſpecies ac potentia hoſpitalitati; nam tranſuerſo Lacu, fabricatus Pontem Gulielmus eſt; iunctis nauibus, & validis trauium nexibus illigatum, quo è Veronenſi Portâ, rectâ in Regias ædes vſq; ſpectabatur. Deducti eodem itinere, eques, pedes, currus, impedimenta: Et orto die, ne veſtigium quidem molis ſuperfuit; reductis ad ſua nauibus; & eâdem nocte reuulſis tabulatis, quibus innitebatur. Breuior mora fuit, quàm vt pietas ſpatium exercendi haberet. Miratum tamen vaſtitatem

Maximilianus Mantuã 1551.

Digitized by Google

ſtitatem ædium, ambientem lacum, Procerum numerum, Ciuitatis ornatū, Pontium longitudinem ferunt, & Gulielmi indole præcipuè lætatum; quòd non ætati id iudicij ac modeſtiæ credidiſſet. Fœlici interim expeditione Carolus, rebelles Germanos Principes, continuatione fortitudinis in ordinē redegerat, quos fidei & miniſterij auerſos; contumacia, & ſeditioſa conſilia, in res nouas impulerant. Plurimùm pietate apud gentem profectum; quæ aſperitatem neſcia; nec in ſuos profert, nec in Principe tolerat. Pontifex Iulius tertius, expletis Iubilęi ſolemnibus; exceptisq́; Chriſtiani Orbis Oratoribus; mox admiſſo maioris Armeniæ Patriarchâ; qui Apoſtolicæ ac Romanæ Sedi illigatus; officium præſtiturus aduenerat; & iiſdem amoris inditijs dimiſſo, pacem ac concordiam polliceri viſus eſt; ſi fortunæ deſiderijs annuiſſet. Nam Carolo Auguſtæ, conuentum Germanorum procerum agente, Tridentinum Concilium pridem indictum, reſumendum propoſuerat; vt prauis dogmatibus deerrantes, pietate ac benignitate Romani Epiſcopi mouerentur. Sors obeſſe viſa; ortâ repente inter Italos diſcordiâ; & maioris belli motu; quàm vt de fide tranſigi inter diuerſos poſſet. Siquidē Octauio Farneſio Parmam obtinente; & aduerſus Cæſareas vires inualido; ideoq́ue Henrici Galliæ Regis opem implorante; velut læſus Pontifex, Ciuitatem obſidione; ac mox Mirandulam, quòd ſe Gallorum fidei credidiſſent, arctauit. Parmenſis obſidio Ferranti Gulielmi Patruo, qui Cæſareas copias ductabat, permiſſa eſt; Mirandulam Ioannes Baptiſta de Monte, Pontificis ex fratre nepos pluribus hominum millibus cingebat. Et ne bellum in ſpeciem; non acri etiam animo illatum putaretur, quidquid Parmenſis aut Mirandulani agri erat igni, ferroq́ue vaſtatum eſt. Non ſacris non profanis temperatum. Sed diutius tractis contationibus, modò Farneſij, modò Cęſarei præualuêre; donec translata in Gallos fortuna, Briſſaçi gentis in Subalpinis ductoris arte fuit. Qui auertendo ab obſeſſis bello, obuia quæq́ue trahebat; numero, famâ, virtute. Et quia magnis difficultatibus implicati Inſubres auxilium orabant; vix Ferrantis Gonzagæ regreſſu, repreſſus hoſtis; victoriâ, animiſq́ue elatus. Sed abduxerat Parmenſi obſidioni quatuor hominum millia; quæ vt Mediolanenſem ditionem firmauêre, ita ſpes Parmēſium infregêre. Cæterùm quamuis familiæ amore, Cæſar ac Pontifex, Herculis Cardinalis gratiâ monerent exercitus; ne per Mantuanum, rapinâ ac violentiâ vterentur; ſolutâ tamen belli diſciplinâ; & quia penès Duces parū auctoritatis erat; extrema (quâ Mirandulanus ager protenditur) nocturnis fermè latrocinijs carpebantur. Viſum Herculi ac Gulielmo, tutelæ & amicitiæ pariter conſulere; quandò per turbas, & maiora incendia, ruſticorum diſtractio, inter mala, minori loco haberetur. Quingenti equites haud lōgè Pogio, Octingenti pedites ſeruandis ad Viadanam finibus locati, ſecuras Ducis res, & cùm reuerentiâ exiſtimationem ſeruauêre. Iam verò ne innocui promiſcuo malo abriperentur, Hercules Cardinalis Gallos ac Turnoniēſem præcipuè monebat, modicis initijs, ingentes motus ſubſequi; nec eandē confirmato, quàm inchoanti malo medicinam, aut pari facilitate eſſe. Proinde

inde Pontificem paci paratum, ſoluendæ obſidioni peruincerent. Vniuerſos tumultus illicò conquieturos: Honeſtum eſſe communem parentem orare. Promptum fuit expenſis ac belli incommodis iniquum permouere; miſſique qui finem diſcordijs, iuſſu Sedis Apoſtolicę imponerent. Cępta dimicatio, nulli quàm Pontifici maiori ſtetit; occiſo Ioanne Baptiſta nepote; cuius ſortem Senex Patruus inſolabiliter queſtus eſt. Briſſacus occupato Chierio, ac Sancto Damiano (Monferratenſis id ditionis eſt,) forti milite ſeptus, auidusque certaminis, vlteriora parabat: Niſi Ferrãtes cum vniuerſis copijs obuius proceſſiſſet; elatumque ſucceſſibus repreſſiſſet. Magni interim Concilij exordia miſſi à Pontifice Patres iecerant. Id tamẽ paulò poſt diſſolutum; metu belli, quòd Mauritius Saxoniæ Dux in Cæſarem exarſerat; pridem infenſus ob Lantgrauium Socerum, diuturno carcere, dati ſacramẽti contemptu maceratum: Et ſuſpectabatur, maiora tentaturus, Lutheranorum contumaciâ; quòd parum tutos ſe Doctores, Oratoresque Tridenti opinarentur; & violatam ab alio Concilio Fidem, Ioanne Hus, & Hyeronimo Pragenſi damnatis, mendacio obſtreperent. Sed haud dubiè integra fides fuit: Promiſſa enim adeundi ac redeundi ad ſua hæreticis licentia fuit; illi tamen iam perfidiam eiurauerant; quam vbi denuò reſumpſere, extra ſecuritatem cenſebantur. Id ex iure fuit; licet exemplo, & alliciendis ad noua Concilia conſceleratis, vtilior clemẽtia à quibusdam crederetur. Optimum fuiſſe, quod tot Principes, ac Doctores ſtatuiſſent, conſenſu iudicatum. Briſſacus interim propinquis Galliæ Regni viribus, indies nouis copijs exercitum ſupplere; carptim cum Ferrante certare, capere, ſpoliare, omittere, per ſummam artem inſtare; vt ex eo victoriam ſine ſanguine, aſtu reciperet. Et quia prolixior decertatio, nec pro militum numero cenſebatur; non deerant, qui Gonzagam flagitij apud Cæſarem inſimularent; ideò bellum trahi, ne materies vtilitati deficiat; aut ceſſet iam patrato, retinendi Ducis occaſio. Eandem Ferranti vtilitatem; ſiue exercitum in pace haberet, ſiue contaretur. Potuiſſe vel ipſo acceſſus initio, temerariam manum, nullâ militiæ diſciplinâ imbutã, & fugæ quàm pugnæ paratiorem, totis Subalpinis diſijci; ſed tempore ac negligentiâ ſimulatam difficultatem. Vt corporum morbos medentibus, ſic bellum Ducibus quęſtum facere. Ideoque in votis haberi, & protrahi; vt aſſiduitate lucri Imperator legionesq; tenuarentur. Hæc in ore quorundam; nec ideò Carolum permouêre, vt probatæ ſæpius fidei, iniquus eſſet. Eò tamen temperamento vſus eſt, quò nec res ſuas negligere; nec monita amicorum ſpernere videretur; accerſito Ferrante, vnde ſuſpicio hoſtibus, opinio fauoris amicis offerretur. Ille ſtatim affuit; conceſſo enim minoribus onere (quamquàm res Hiſpanas infirmari ſciret) obtemperare maluit. Amoto Hiſpanorum Duce, Gallorum vis augeſcebat; qui per Subalpinam fuſi, coactisq; Vercellis partes ſequi, pleraque Monferrati Oppida in ſententiam neceſſitate traxêre. Nec tamen aperta ſolùm Municipia, ſed Prouinciæ ſedes petebatur. Nam Milleſimo quin-
1555. gentesimo quinquageſimo quinto, cum Biragus, leui præſidio, Caſale, præ-

cipuam

cipuam Monferrati Ciuitatem teneri conſpicaretur, validâ manu oppugnationem aggreſſus eſt. Arcem propugnaculorum robore, arcto licet ambitu, ſoli Centum præſidiarij; duce Figarolo ſeruabant: Seu plures Munimentum non admitteret; ſiue propinquam vim non ſuſpectarent. Et Galli feſtinatione properabant; ne exiſtimatio intercideret, aut fama virtutis apud alios langueſceret. Proinde Tormenta, & quidquid oppugnationum vſui ſeruatur applicuêre. Mox ſigno dato, & parte murorum dirutâ, patentem hiatũ irruptutis fecêre. Pugnatum ab obſeſſis magnâ conſtantiâ eſt: Sed obſtinatione, numero, viribus ſuperati ſunt; & pulſi Arce Cæſarei, liberam Gallis poſſeſſionem teliquêre. Briſſacus ad famam victoriæ; ne collecti hoſtes amiſſa repeterent, per noctem, ſecundo Pado, cum ſex hominum millibus deuectus eſt; adfuitq; Ciuitati inexpectatus; & poſtico Arcis admiſſus, diſpoſitis ad pugnam ſuis, Ciuibus pauidis ſuperfunditur. Sed illi leuem vim paſſi; vbi infeſtam Arcem vident; nec ſpes auxilij ſubuenit, deditionem fecêre. Pacti ante fuerant, vt honori, fortuniſq; ignoſceretur: Et celeri deditione meruerant. Neq; opportuna virtus credita; ne labore ac ſanguine Galli irritati, validiores in vindictam, implacabilioreſq; erumperent. Simul promptam reliquorum poſſeſſionem Dux rebatur; ſi famâ modeſtiæ, ac fidei, apud ambigentes nominaretur. Addebat inſuetam erga victos pietatem; quòd tarda licet, & coacta conceſſio, impunita omitteretur. Amiſſi Caſalis famâ Gulielmus ac Margarita grauiter affecti; præcipiti tamen fortunæ, animos haud quaquàm ſummiſêre. Fortè breuem iniuriam ſperauerant; ſubſidiumque à Cæſare opperiebantur; quem directum Prouinciæ Dominum nouerant. Miſſi qui iacturam oſtenderét; & quantum eâ vicinitate hoſtium, Mediolano formidandum eſſet. Eodem ſtudio Pontifex flexit; vt oratus pacem interijceret; nec ſe in prædam dedi pateretur. Sed repens exitus, quò minus intercederet, obſtitit. Cæſar difficilibus bellis illigatus; & iam non ſemel aduerſam fortunam expertus, velut conſilij dubius hærebat, quid tueretur, quid repeteret, quid inuaderet. Pariter veteres triumphos agitabat; vt facilè Gallos capto Rege fregiſſet, Italiam omnem victori exercitu peragraſſet, Germaniam Africamq; fauſtis expeditionibus ſubegiſſet. Nunc Tunetanam cladem, excidium ſuum Marſiliæ, fugam Germaniæ, turbatos ac inquietos Gallorum animos reputabat: Velut verſa fortuna, & tranſuecta, non amplius reuerteretur. Ferunt quin etiam iuuentæ initio, cum apertis Villæ porticibus Gandaui, ad auram æſtiuã obambularet, Græcam fœminam plures Imperij annos cum fœlicitate pollicitam, ſed non eandem extremo rerum ſortem fore. Ergò an partum tot annos decus, continuatione certaminum in caſum daret, voluens; tanquàm futuri metuens, raro fortis animi documento, finem agendorum præcipere, quàm poſtrema fędarentur, cogitauit. Eſſe ſibi Ferdinandum fratrem, Philippum filium, eiuſdem fortunæ potentes nouerat, in quos Regnorum & adminiſtrationis curas reclinaret; tantùm famâ proceſſiſſe; vt trium Orbis partium victoriâ celebris, maius incrementum non ambiat. Philippus tum in Angliâ

agebat,

agebat, recentibus Mariæ coniugis nuptijs occupatus, & velut in Regni ſucceſſionem vocatus. Accerſito inſulâ filio, fortè ſic conſulente Ferrante (nã vſum opinione reperio) ſic cœpit: Triceſimus octauus annus eſt fili, ex quo magnæ adminiſtrationi admotus, fortunâ vtraq; exercitus, tot Regnorum pondus ſuſtineo. Si quid in gloriam ceſſit, nil tamen in quietem; quòd victoria mihi non pacẽ, ſed inexplicabiles difficultates obtruſerit. Pontifices parum fidi, aduerſa Gallorum mens, Germani ſeditionibus elati, proles vnica, perpetuis curis anxium detinuêre. Nec adhuc reſpiramus Henrici Gallorum Regis vim dubio marte experti; & quid paret Turca hoſtis ambigui. Tibi robuſta ætas, ac adminiſtrationi par animus; & fortè potior ſors obueniet; Mihi otio opus eſt; quandò etiam valetudini eluctatus, neceſſitas vim ſit allatura. Nec tamen ſordidam inopiam, vt exoſus commoda, requiro; ſed traditis quorum multitudine diſtrahor, quod reliquum ſtudij æuique, quietis otio impendam. Tu interim primam in ſpem eductus, Belgium, quæq; per Italiam, Siciliam, Hiſpaniam, aut Indos poſſidentur, Imperio recipe; modeſtiâ in omnes vſus; quæ vna ſtabile Imperium ſeruat. Neque hic primus tibi Imperij dies, vt qui Angliam quoq; cum vxore tenueris. Id vnum Parenti adhuc ſuperſtiti leuamen erit, ſi fortunam rebus addideris, virtute primûm innixus. Ego in poſterûm non ætate, non conſilio firmus, & fallere, & neſcire pro quæſtu habebo. Præſentes ac futuri cognoſcent, quòd cum alij populis ac gentibus, Carolus etiam fortunæ imperitauerit. Nec plura elocutus, traditis Regnorum inſignibus, Hiſpano itineri ſeaccinxit; Et Philippus Parentis voluntatem, ſubditi Imperatorem cum lachrymis proſecuti, obſequiũ præſtitêre. Nos Gonzagorum res arctius ſectati, externâ memoriâ noſtra protraximus, raritate exempli, & virtutum pondere illecti. Comitati abeuntem Cæſarem Philippus filius, ac Ferrantes Gonzaga. Cumq; abiturus Imperator, iam ſe lectulo imponeret, quod regiâ Triremi ſtratum fuerat, Philippum manu apprehenſum, ſequẽtibus fertur admonuiſſe. Ab hoc fili (Ferrantem denotabat) per Germaniam & Italiam militante, quæ ſupereſt, noſtro nomini ſeruata poſſeſſio eſt; hoc te munere firmatum, nîl amplius donaturus poſco; quam vt per quem profecerimus memineris. Profecto Carolo vniuerſa Regnorum, (dempto Imperio, quod in fratrem abibat, potentiâ, onere, maieſtate) ad Philippum deuenêre. Et quia Biragus pro Rege Gallo, Subalpina, & Monferratum, clade, rapinis, incendijs vaſtabat, conuerſus ad Ferrantem Philippus, præſidium rogauit. Ille haud Carolo diſſimilia, ætatem morbos, languorem cauſatus; non ante queri deſijt, quàm in Ducem Albę, diſcrimina, inuidiamq; flecteret. Paucis enim ante obitum diebus Carolus, Prouinciam ſe recuſaſſe faſſus eſt; quàm tueri poſſe non crediderat; niſi fęderum facilitate Henrico Rege emollito. Dux Albæ raptim in Subalpinos profectus; non aliud, quàm ſpeciem belli attulit, validiori ſemper Gallo, & totâ Prouinciâ fuſus. Iamq; non oppugnationes Caſtrorum tantùm, ſed ſummæ quoq; rerum diſcrimen offerre audebat. Philippi miles non concordiâ, non in Ducem obſequio, qualis aduerſus Ferdinan-

Carolus V. filio Regnum cedit.

dinandum plures annos fuerat, ſatis docuit, plus caritate & exiſtimatione apud ſuos, quàm imperio ac violentiâ profici. Et quia Mediolanum ſine Gubernatore erat, fugam Ducis Albæ, Galli præſagium timoris ac fortunæ interpretati, acriores in nouas expeditiones ruebant: Nouarienſibus, Vercellenſibus, ac Monferratenſibus miſerè ſpoliatis, tanquàm rebellaturis, & fortunam cum fide mutaturis. Auſi quoq; Mediolanenſes velut regiâ tutelâ deſtituti, rebus ſuis, conſcripto vrbano milite prouidere; & Hieronymum Saccum Ducem, qui Nouariam quoque curabat, in hoſtes, vt pugnaturum immittere. Fortuna pro iudicio fuit. Quippe ingenti miſerorum clade docti Mediolanenſes ſunt; non eadem Doctoribus, & bellorum adiminiſtris competere. Verſa hinc Hiſpanorum ſecuritas in deterius; & vrgente Philippo quinquennales induciæ interpoſitæ; quæ infidis conſilijs rarò ſunt diuturnæ. Nec enim aliâ causâ, cupitam breuem pacem tradidêre; quàm, quòd inter Paulum quartum Pontificem, & Regem Hiſpaniarum, tacitæ ſimultates de Regno Neapolitano, ac ditione Columnēſium incidiſſent: Videbaturq; haudquaquàm duobus bellis ſuffecturus; hinc concordiam auidè arreptam. Certum eſt parum Gallos ijs inducijs acceptis, prudentiâ vſos. Non enim opportunior calcando hoſti occaſio, quàm vbi alijs quoq; eluctatur. Pro Pontifice Vrſini, pro Rege Veſpaſianus Gonzaga aderant. Illi Palianum, & quæ per dolum ac vim cepiſſent tutari; hic integris Regni viribus, in Pontificiam ditionem, belli incendia transferre cogitabat. Quo impetu; & quia Papæ voluntati, non conſilium, non miles, non Duces ſatis validi erant, Latium & Campania miſerè lacerata, & in Hiſpanos traducta ſunt. Nec tamen Pauli querelæ Principes exteros mouebant; quia innotuerat, quòd armis apud Vrbem certaretur, initium apud ipſum eſſe; & deſiderio nepotes ſupra reliquos efferendi, quæſitam diſcordiam; vt exuti poſſeſſione Columnenſes, Regis obſequio inconcuſſi, Caraffæ imponerentur. Dū hæc Romam prope aguntur, Hercules Ferrariæ Dux internuncio Guiſio genero, Ductor generalis exercituum pro Rege Gallo declaratur. Sed ille, vbi minores opinione vires intuitus, & parata in Mediolanenſes arma, Cardinalis Caraffæ imperio, per Aemiliam in Campaniam transferri, magno rerum ſuarum malo vidit, cauſas remanendi obtendens, vt exercitus comitaretur, nullis precibus euinci potuit. Nec Veſpaſianus Gonzaga in ſummam validus; nimiâ Caraffæ potentiâ, & reliquorum deſiderijs aduerſus erat. Hinc Pontificis conatus irriti, & ad Palianum pro Sede Apoſtolicâ infœliciter pugnatum eſt, capto Vrſino Duce, & reliquis turpi fugâ elapſis. Cæterùm ne iuſtis quidem cauſis Pontificia calamitas apud prudentiores benè interpretabatur: Tolerādos quippe minus probatos, tātę Dignitatis mores; & nimias ſpes, vel cum aliquâ iniuriâ ferendas. Honeſtatem cauſæ pro Sede Apoſtolicâ præſumi; & non rerum ſuarum tutelam, ſed auaritiam, & ampliandi regni deſiderium, potentioribus imputari. Quo rumore motus Philippus, mitiori conſilio acceſſit, vt pacem vellet; quam ne Galliæ quidem abnuêre; viſo Mediolani apparatu, qui Cardinali Tridentino auctore ſuccreuerat. Sic

Pontificis, & Hiſpanorum bellum.

con-

conditionibus vtriq; conſenſêre. Has interturbas Gulielmus, & Hercules, cum Gallos non irritarent, Hiſpanos tamen obſequio ac miniſterio colebãt; ſic apud illos modeſtiam, apud hos officium profuturum rati. Vtriq; interim per Monferratum quæ in Gallum non abierant, munimentis, cõmeatu, copijs firmauerant; additis apud debiliores, ex potentiori minis, & precibus querelæ mixtis. Nil æquè Gonzagorum rebus profuiſſe, quàm conſtãtiam in conſilijs apparuit; quòd in neminem, niſi ex iniuriâ ac beneficio proniores eſſent, & hoſtilia contra innocuos aſpernarentur. Equidem frequentes ſuſpicionum occaſiones occurrere nouerant; ſed Gulielmus nobili temperamento, cum omnia peruideret, non ſtatim exequebatur; leuiſſimis neglectis; nec oblata delatoribus fide. Apud nobilitatem præcipuè, opinione integritatis vtebatur; quòd certitudinem animi in ſubditis gratitudine validius, quàm pœnis obſtringeret. Laudato quidem ſtratagemate cum Camillo Boſio vſus eſt. Cum enim ad Gallos peruaſiſſe, & deditionem cuiuſdam municipij tractaſſe, irrito effectu didiciſſet; accerſitum orauit, denuò regrederetur; & quæ hoſtium mens, quæ vires, referret; quandò non aliâ cauſâ paulò ante profectum ſciret. Plus animorum viriumq; Boſio quàm integritatis erat; vbi tamen vſum clementiâ Ducem (cum ad manus vindicta eſſet) vidit; pœnitentiâ ſceleris, ac gratitudine, quantùm ante perfidiâ, tantûm inpoſterum ſedulitate Monferratenſibus rebus intẽdit. Adeò vt Gulielmus adagio vſus, fateretur; minus ſuperſtitem nec laceſſitum anguem, quàm enectum officere. Vt tamen apud nouos Dominos, parum ſolida caritas ſeruorum eſt, ſic ſi quos inſolens nouis ſubditis familia offenderat, Margarita caritate retinebat. Hercules certè cùm in proditorum inditia nimius, frequẽtiâ inquiſitionum, & ſeueritate quæſtionum eſſet; nemo tamen è Monferratenſi nobilitate depræhenſus eſt; qui ſeditionem contumaciamq; prætulerit; nam Caſalenſem conſternationem ab equeſtri ordine longè fuiſſe mox habebimus. Inter has turbas Belgium quoq; diſcordibus Regum animis in pugnas ibat; & pro Sanquintino acrius certabatur, quàm vt pacis ſpes crederetur. Rerum ſumma penès Ferrantem Gulielmi Patruum erat. Qui ingenio potens, rerum vſu notus, inconcuſſæ fidei, Prouinciam Philippi iuſſu acceperat; cum prius valetudinem, ętatem, impares laboribus vires queſtus, oraſſet, tandem in leneodium mitteretur. Et quandò fiducia, virtus, neceſſitas deſiderio obſtabant, fractus curis, quas nimias pro Rege ſuo ſumpſerat, diem extremum Bruxellis clauſit; bellicæ gloriæ famâ, nemini ſui ſæculi inferior; munificentiâ, comitate, conſtantiâ, regias virtutes æmulatus. Sed quoniã alij præcipua ſectati ſunt, nos compendio magnum Principem arctatum, velut fuſius olim redditurі componimus. Cadauer Mantuam delatum, D. Petri templo principi ornatu illatum, in præſentem viſitur. Quamuis Bruxellenſes immortalis gloriæ monumentum aliò aſportari, vix præcepto Regio tolerauerint. Defuncto, à Ciuibus, fratre, ac nepote, honos recordatione gloriæ, ac virtutum, quibus præcipuè celebris fuerat, habitus eſt: Mãſitq; Principis etiam apud poſteros deſiderium; quod longâ ſęculorum ſerie accedet

Ferrantis mors.

accedet æternitati. Hæc eadem tempora è ſexu inualido gloriam Patriæ contulêre. Quippe Olimpia Morata formæ elegantiâ, rerumq; cognitione celebris, cum ingenij ſingularia monimenta reliquiſſet, in coniugio Fuluij Morati æuum expleuit. Poſteritas æmulari virtutem, non imitari potuit; cũ niteretur in gloriã. Subſecuta inter Pontificem ac Philippum pax eſt; æquiſque conditionibus arma depoſita; quæ ſi diutius tractata forent, vniuerſam Europam perdidiſſent. Eâdem ferè valetudine quâ Ferrantes, Carolus ſecreto Hiſpaniæ vſus, & biennium curis ſegregatus, inter Monaſtici inſtituti, ac ſummæ pietatis viros, extremum diem cum pietate properauit. Quod vnum fœlicitati eius eueniſſe, vniuerſi fatentur. Nam ſuſcepta æmulatione bella, cuncta iure dominationis acta, populatio Vrbis, Eccleſiaſticorum virorum inimicitiæ, recenti memoriâ recolebantur: Quorum cauſæ in Principem reijciebantur, non niſi ſummâ auerſantium calamitate, ac ſummiſſione flexum; quiq; multò ante generis humani regimen animo conceпiſſet. Sed vel non deliquerat; vel erroris manifeſtus, ne denuò laberetur, excuſſerat dominationem, mali plerumque cauſam; & in alios ſalutaribus monitis tranſtulerat. Quamquàm de præteritis, quæq; Principes, & ſecutam familiam tangunt, periculoſum iudicium ſubſit; validum tamen eorum temporum rumorem omittere, turpe eſſet; quod ex ijs metus cenſuræ ſit, qui ad noſtra vſq; tempora durauêre. Ferunt Carolum altero ab abdicatione anno, ſecreto illi intonaſſe; quæſiſſeq; miniſtros ac partes, quibus vſus, omiſſam Dominationem repeteret. Id fratri ac filio, intimos à ſecretis detuliſſe; & acceptis ab vtroq; literis abſtinuiſſe. Comminatos non crediderim, ſed cõſilium dediſſe, nè quod ſemel placuiſſet, irritum vellet. Poteſtatis certè deſiderium, non ſenio, non laboribus exuitur; & qui inter nauſeãtes antiquiorum recenſentur; Silla pœnituit, dubitauit Auguſtus; Tiberius ſimulationem diu tenuit; Diocletianus etiam Cæſarem ſocium voluit; vt cum errorem depræhendiſſet, non ſolus pateretur. Erepto Carolo, Ferdinandus frater olim ſuffectus, Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octauo, apertius potentiâ vſus eſt; quem Imperij adminiſtrationi, Germaniç diſcedens impoſuerat. Et quia non alio quàm Feudi nomine, Gulielmus obſequium Cçſaribus debere nouerat, miſſis oratoribus ac muneribus, firmari quæ de Imperio poſſideret orauit. Magnitudine lætitiam teſtatus eſt. Nec enim alio certiori inditio, fides officiumq; approbatur. Longo ordine equi, ac Sericeus auleorum apparatus oſtentata, cumq; Ferdinandus reliquorum Principum munificẽtiam æſtimaſſet; hæſiſſe tam diu Gulielmum credidit, vt comparatione præemineret. Et vbi fidei ſacramentũ per oratores accepit, ſatis habuit, laudaſſe voluntatẽ; & quç maiores ſui ſpecioſa pro Imperio geſſiſſent, meminiſſe: Quaſi vtrumq; à ſucceſſore requireret. Inter hæc; non Italis, nõ Hiſpanis, non Gallis fida pax, agitatis inter æmulos conditionibus, finem toti Europç gratum accepit; vt quies vniuerſis eſſet: Amore otij haud dubiè, cuius obliuione bona pacis corrumpuntur. Sed veteri populorum odio; & irritis ſæpius fœderibus (quando decertantium, coacta non vera vnio eſt)

Caroli V. mors.

1558. *Federicus Imp.*

Cõfirmat inueſtituram Gulielmo.

iacta concordiæ fundamenta, in lubrico credebantur, niſi ſubſecutæ Regum nuptiæ, plus ſpei oſtendiſſent. Iſabella etenim Galliæ Regis filia, formæ elegantiâ, ornatu morum, ſuæ ætatis decorem ſupergreſſa, Philippo Hiſpaniarum Regi, in tertia vota locata eſt. Nec dilata lætitia; ne quid interijceretur, quod ſpem conceptam eluderet; iura omnia quibus Neapolitanum Regnum, & Mediolanenſis Ducatus poſcebātur, in Carolum translata; Sabaudia, & quidquid Subalpinæ regionis ad victorem ceſſerat, Filiberto Duci

Pax generalis. reddita. Deniq; quod per Monferratum victricibus armis acceptum fuerat, Margaritæ ac Gulielmo coniugibus redditum. Sic bello finis impoſitus, & præſenti nō minus, quàm futuro prouiſum eſt. Milleſimo quingēteſimo quinquageſimo nono, Pontificium locum Pius quartus obtinuit, vt quondam

1559. frater Marchio Marignani belli, ſic ipſe pacis artibus commendatus. Cæterùm quamquàm afflatu Numinis ſupremum rerum humanarum arbitriū tradi pro comperto ſit; vti medijs opportunis, & apud nos profectum ac impedimēta plerumq; ſubſiſtere, olim non vno exēplo, ſic tum manifeſtè deprę henſum eſt. Hercules quippe Cardinalis, ſpes non minima Conciſtorij; fœliciſſimo exitu in Pontificatum ferebatur; ſi aut ipſi animus regnandi, aut famulis experimentū agendorum fuiſſet. Satis conſtat, requiſitum ab amicis, monitis qui curabant; inconcuſſum, ſpem illam ſpreuiſſe; cumq; promoto Pio, Thadeus de Gaddis, Antonius Triuultius, Laurentius Strozius, ſummi nominis Cardinales, & ſacri Senatus motores præcipui, neglectum Herculis, ſeruorum ignauiam incuſaſſent; Id vnum reſpondiſſe: Saris ſuæ domus gloriæ eueniſſe, quòd à plurimis ſummo honore dignus haberetur; Cæterùm cā nobilitate familiam eſſe, vt ex Pontificatu leuem claritudinem opperiretur. Diuerſa morum via Pio quarto fuerat; nam modò valetudinem læſam, modò impares magnæ curæ vires excuſare, modò aſſentatione Caraffam Cardinalem detinere; etiam incredibilia ſpondere, vt voti potiretur; quæ Hercules dignitatis ante alia memor, cum forſan conceſſurus foret, promittere noluit. Miſerrimo exemplo Caraffa didicit, non promiſſis, ſed integritate ſimilia tractanda. Neq; tamen perfidiam Pio obijcimus; ſed tantùm monemus; fato interdum noſtro, Numine permittente, prauis cōſultis mortales in perniciem properare. Caraffórum caſu certè indoluiſſe Herculem, eò præcipuè ſcimus, quod facti certior, addiderit, Magnum Alcidem id nequaquam patraturum fuiſſe. Abſtinere recordatione noluimus; quod magnis documentis opportuna res; & fide Cardinalis Comenſis optimæ famæ viri ſit habita. Proficiebant interim Germaniâ, Angliâ, & adiacentibus Prouincijs, praua de Religione dogmata, quæ Henricus Angliæ Rex conſenſu promouerat, fictâ libertatis ſpecie, etiam prætextui ſumptâ. Neq; videbatur, aliud afflictis Romanæ Eccleſiæ rebus præſidium, quàm è generali Concilio ſupereſſe; quo ſubditæ gentes, ſi non Pontifici placita, vniuerſalis adminus conſenſus voto ſancita admitterent. Id Principes quoq; viri, & quibus ſubditorum cura erat, irritis deſiderijs, ſeu ſtrepitu armorum, ſeu Pontificū imperio obſtantibus, plures annos efflagitauerant. Delectum Tridentum

toti

toti Chriſtiano Orbi medius Vicus;& Germanis (quod maximè poſcebatur) ſimilitudine morum, ſermonis, vicinio non incommodum. Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo indicta comitia; & data fides publica; ne quis flagitio aut contumaciâ ſibi metuens, doceri abnueret. Sed præfecto opus erat, cui ſumma rerum delegaretur; cogeret, reciperetq́; aduentantes, ſimul officio ac pietate alliceret. Potior Hercules Cardinalis viſus, in quo ætas prudẽtiam, nobilitas exiſtimationem, longa optimè actorum ſeries, conſtantiam promittebant. Erat certè tantò reliquis maior, quantò vicinior Pontificatui iudicatus. Reddito Margaritæ Monferrato, paucos dies Gulielmus immoratus Mantuam redierat. Illa ſuorum caritate; & quia Patria erat, ſubſtitit; nec enim defuturum Herculem nepoti ferebat; & noui ſubditi, blanditijs & præſentiâ Dominæ, ſolidandi in obſequio Gonzagorum erant; quos ipſi non vt minores, ſed vt inſolitos faſtu quodam excipiebant. Niſi ſecreta ſimultatum inter Herculem ipſamq́; ſupererant; quæ Domum diuidi, & ſeparari æmulos conſulerent. Filij tamen intra viſcera erant; nec alio magis geſtiebat, quàm nouis nuptijs, poſteros quærere. Et quia facilitate in Catherinam Nurum commendabatur; miſſis ad Ferdinandum Imperatorẽ legatis, Eleonoram Catherinæ ſororem Gulielmo perijt. Adultum quippe ætate, eandem adeſſe potentiam, parem animum, & officia affectantem; fauſtiores tantũ nuptias à Superis poſcere. Addidit alios Hercules; non vt peruinceret (nec enim dubitatum apud Cæſarem) ſed vt maiori honore grauiſſima tranſigerentur. Delecti comites Principes viri, parata impedimenta; & miſſi vtraq́; prouinciâ Sexaginta nobiles, decoro famulitio, qui aduentantem proſequerentur. Vbi Ciuitatem attigit; quidquid veteribus in nouas nuptas, decorum aut honorificum repertum fuerat, vberrimè in Eleonoram inſumptum. Margarita pariterq́; Hercules, officijs erga puellam certabant; & ſummâ comitatis oſtentatione docebant; id ſolùm ſplendori ac caritati deeſſe, quod pretio aut auctoritate haberi non poſſet. Illa dato contentam ſe ferens, Regiam maieſtatem cui innutrita fuerat, Socrus ciuilitati ſummittete, Parruum parentis loco habere, nobiles ac ciues iuxta diligere, dites honore, largitionibus inopes ſolari. Nec alia Gulielmo morũ via, ſiue ſuo, ſiue Parrui ingenio vretur. Quò defuncto, manſere virtutes, ſumptumq́; ingenitæ, non imperatæ gloriæ documentum. Milleſimus quingenteſimus ſexageſimus ſecundus, Maximilianum Ferdinandi filium, Eleonorę fratrem, Romanorum Regem, ingenti Chriſtiani Orbis lætitiâ habuit. Quod Germani ſucceſſoris ſecuri, in quem flecterent haberent; quiq́; Parris Patruiq́; veſtigia, ſuorum beneficio calcaret. Proſecutus ſingulari oſtentatione gaudij nuncius Gulielmo eſt; quòd decus ac tutela accreſceret; & ne alijs profusè geſtientibus, ipſe pars lætitiæ præcipua negligere videretur. Cũ Franciſcus Rex immaturo exitu, Carolum nonum fratrem ſucceſſioni reliquiſſet; & Tridentino Concilio Patres requiſiti, de fidei dogmatibus conſultarent, dicto nouo Cæſare, ac Rege in potentiam aſſumpto, cum Prælatis, Doctoribus, Principibus, Oratotibus, vltrò citroq́; meantibus nuncijs vni-

Conciliũ Tridentinum. 1560.

Eleonora cõiunx Gulielmi.

Maximilianus Cæſar. 1562.

uerſa perſtreperent; nîl tamen firmatam ſemel pacem diuulſit, aut publicam populorum quietem euertit. Proinde Gulielmus præterita bellorum mala agitans, vnum in pecuniâ ſubſidium credens, cogere in ſummam, quod expenſis ſuperabat, & futuro vſui reſeruare cœpit. Vtili quidem cōſilio, quòd improuiſi tumultus, prompto, & ad manus remedio facilè opprimerentur. Sed altiora meditati, & ſecretam dominationis legem profeſſi, congeſtas opes officere plerumq; tradebant; quaſi potentiorum auaritia, & vicinorum raptus prouocarentur. Ille tamen ne momento quidem cogitationi immoratus, reſpondit, fragilem, & caſui facilem Monferrati poſſeſſionem eſſe. Id exemplo didiciſſe. Et plurimum res ſuas diuiſione infirmatas. Itaq; non aliâ causâ pecuniam comparare, quàm, vt ſi quis validiorum Prouinciam ademiſſet, haberet numeratum pretium, quo vexatio redimeretur. Exitus demûm oſtendit, benè Gulielmum conſilio, malè Vincentium filium pecuniâ vſum. Viceſimâ primâ Septembris, eiuſdem anni Eleonora filio maſculæ ſtirpis, cui Vincentio nomen impoſitum, ditata eſt: Tanta Patrui, Parētis ac ſubditorum lætitiâ; vt futuro proſpexiſſe fortuna crederetur. Haud abſimili lętitiâ Ferdinandus ac Maximilianus affecti ſunt: Quos conſanguinei caritas, & rerum ſuarum per Italiam præſidium, deſiderio illigabant. Qui facinorum, aut æris alieni rei carcere detinebantur (ne quæ pars ſubditorum expers lætitiæ foret) ſoluto etiam debito dimiſſi ſunt. Multa indigenos ſubleuandæ inopiæ erogata; nubiles ac honeſtâ paupertate notæ virgines, è Fiſco dotem accepêre; nobiles honoribus, plebs miſſilibus, iactaq; pecuniâ exhilarati: & Cardinalis fama nepotis acceptâ, nuncium gemmâ, ac torque aureo, quingentorum pretij dimiſit. Auebat animus pientiſſimo Patruo nepotes inuiſere, & coram lætitiâ frui; ſed curis grauiſſimis, quæq; aſſiduitatem poſcerent, implicatus, tolerare deſiderium coactus eſt; nec omittere Concilium, quod rerum caput cenſebatur. Metuebatur ne amoto cuſtode diſſolutum, auerſis à fide peruicaciam, noſtris puſillanimitatem incuteret. Et Pius Pontifex, veteribus corrigendis, moribus, ornatui, munimentis Vrbis aſſiduus, per literas monebat, proſequeretur munus commiſſum; nec ante Concilio excederet; quàm conſenſu docerentur hoſtes Romanę Sedis, errore aut contumaciâ deliquiſſe. Id Hercules aſſiduis laboribus ſectabatur: Noctem lectioni, diem diſputationi deſtinans; indefeſſus, infractus operis, curas pro ſolatijs, negocia pro recreatione accipiens. Sed opprimi vires, frangi naturam oportuit, aſſiduitate contentionis, longitudine laborum, conſtantiâ. Et quia ætatis impar erat, graui valetudine correptus, ſecundo ægritudinis menſe, diem ſupremum habuit. Tanta Patres cōſternatio compræhendit, vt niſi cæteri Concilio impoſiti Cardinales, onus intrepidi ſubijſſent, facilè comitia diſſoluerentur: fortunam in præſagium vertentes; & ex eo negligentiam metuentes. Nîl acerbius Mantuanis accidit, quàm Gulielmum Patruo deſtitui, ipſos Patrono; quem inopes munificentiâ, conſanguinei officio, ſtudio, caritate, parentem faſſi fuerant. Corpus aromatibus differtum, huic pietati delegati, in Patriam retulêre; effuſis

Vincentij natales.

Herculis Cardinalis mors

obuiam

obuiam Ciuitatum proceribus, ac clero, officium ac miniſterium auidè capeſcentibus. Eodem loco cum Ferrante fratre, honeſto, nec in pompam inuento ornatu ſitus eſt. Vulgus quiq; prudentiâ ambitioſi, arcana tamen Regię domus ignorant, vix tuliſſe deſiderium Gulielmum pro vero habebant. Sed intimi famulorum; non vſquequaque reſpondentem Patruo ac nepoti voluntatem, extremis vitæ annis fatebantur: Quòd vtriſq; dominādi deſiderium cum ætate creuiſſet; & Hercules ſenectâ, Gulielmus iuuentute, ac titulo ſupereminere vellent. Eadem inter aulicos æmulatio dicebatur. In quorum ſtudia etiam ciues trahebantur; affinitatibus, amicitijsq; proniores; velut diuerſi aut infenſi. Etiam Gulielmi pietas apud Patruum commendationē non repererat. Eductum quippe nobile Diuæ Barbaræ tēplum, & Principi ornatu cultum, Hercules vt ſuperfluum, æmulatione tractatum, nec duraturum carpebat. In Cathedralem eam magnificentiam, aut Diui Andreæ Baſilicam, conferri rectius exiſtimans. Iam inter vtriuſque Eccleſiæ clerum contentiones, æmulatusq;, tacitâ animi alienatione formidabat: Annitente fruſtra Gulielmo, vt ſuis primus; vel quod minimū, non ſecundus locus eſſet. Reditus quoque patrij, & è domo auulſi, à procuratoribus Fiſci retrahebantur, in Ducales cenſus; nec amplius quàm duodeuiginti aureorum millia Herculi erant; quibus ſolito ſplendori, & conſuetâ in omnes munificentiâ durare cogebatur. Defuncto Hercule, Pontifici placuit, Federicum fratrem Gulielmi, Cardinalem eidem Eccleſiæ præficere; non diuerſum à Patruo moribus, eaſdemq; virtutes ſectatum, quibus de ſuis, de exteris, benè maiores audiuiſſe nouerat; eâdem liberalitate in egenos, vigilantiâ in commiſſum gregem, comitate in ſingulos vſum; & præcipuâ erga matrem fratremq; caritate. Procedebat id temporis Tridentinum Cōcilium; cui Cardinalis Moronus impoſitus, vices Herculis obibat. Et Pontifex virtutum principum laudem ſectatus, ab expleto gloriam quęrebat. Nō alia tempora dulce otium, & pulſis belli ſuſpicionibus, clarius Italiæ affulsēre: Quæ fœcunditate ſoli, multitudine incolarum, prudentiâ principum, intra quinquennium veteri ſplendori eſt reſtituta. Mantua præcipuè, cui diuturnior pax obtigerat; nec potentiorum diſſenſionibus abſtracta fuerat, Gulielmi ſtudio, multò ante cæteras ſupergreſſa, ciuium Quadraginta tria millia continebat; pleno circum agro, & concurrentibus accolis. Niſi quòd nullo delectu, non acciperentur. Sacrilegi enim, & conſcelerati; quique Patriam ob flagitia amiſerant, arcebantur. Sed plebs negociationi, ac mercaturæ vtilitate perceptâ; velut Europæ celebre Emporium reddiderat: Ipſo ſitu, ac nauigij facilitate ſtudium prouocante. Quidquid lanei aut ſericei generis in vſu erat, Mantuâ ad exteros tranſmittebatur: Nec Germaniæ aut Galliæ ſpecioſè induebantur, niſi Ciuitas dediſſet. Vrbs Roma, & præcipuę per Aſiam Ciuitates confluebant. Quòd negociatio fide, & quæſtu reſponderet. Hinc augeri Patria colonis, inferri pecunia, creſcere vectigalia (quāuis minima Gulielmus petijſſet) & maioribus Europæ Vrbibus, famâ nominis æquari: Addiderat Gulielmus exercitio ſtrenuiſq; pecuniam;

Federicus Card.

Cēſus Mantuanus.

ne cura langueſceret; aut induſtrij inopiâ ſuperſederent. Frequentiam & pecuniæ multitudinem, ſecuta annona eſt; illatis alimentis ac frugibus; quibus extrudẽdis non alia certior, & facilior via credebatur. Sed & ad ornatum conuerſa Ciuitas, lucri portione in ædificationes translatâ, decus paulatim accepit. Erat Gulielmus impulſor non minus, quàm exemplum; vt qui nullo honeſtiori nómine; quodq; tacentibus linguis facilius æternitati Principis famã conſecraret, quàm ædificationibus crederet; perpetuò ante poſterorum oculos menſuris. Defuncto Ferdinando, Eleonorę Patre, vocatus in Imperium Maximilianus filius fuerat. Et quia publicis Comitijs diẽ Cæſar dixerat, Gulielmum quoq; per literas, cum coniuge accedere orauit. Frueretur coram fama ſui; ſeq; honorantibus ne ſubtraheret. Relictis ergo qui publicæ ac priuatæ adminiſtrationi fungerẽtur, breuem abſentiam profeſſus; & omnia ſe in ciuium ſuorum fœlicitate habere, cum coniuge Auguſtam profectus eſt. Miſſi à Cæſare ac Germanis Principibus, qui aduentantem exciperent; & quo Principes viri honore haberi ſoliti, adeſſent. Decimum quintum diem immoratus ad ſuos reuertit; relicto apud proceres Imperij, ſui deſiderio; & opinione prudentiæ, cui regijs virtutibus inhiabat. Ludouicus Gulielmi frater, ſegne otium, & quietem, ignauię ſpeciem execratus, apud reducem fratrem deteſtabatur. Non enim aut pace aut bello vtilis, clauſus intra męnia; nec exercendi licentiâ erat. Vbi labore itineris refectus eſt, affuit Ludouicus, & accepto ſecreto ſic orſus eſt: Alijs per Eccleſiaſticas curas, quibuſdam per bella, pluribus in pace, honeſtiſſimis ſtudijs otiũ eluditur; mihi cui iam robur ætatis, & indita gloriæ cupiditas ineſt, eò acerbior vita eſt, quò minori vſui, ſegnitiæ reſeruor. Sine frater, Patriæ lenocinijs eripi me; rerumq́; mearum fortunam apud alios experiri. Tu me tumultui ac laboribus proniorem, primâ ab pueritiâ expertus es; nec inſtituta domeſtica honori dare; quandò multò ante Patris Auiq́; monitis didicerim, virtutem in arduo conſiſtere. Id vnum oro; ne ſordidâ inopiâ conflictatum, exterorumq́; deriſui obiectum velis; quem cætera obſequentem, nec animi diuerſum multò ante nouiſti. Quippe gloria in paupertate rara eſt; exteris irriſui, qui ex fama ae præſenti vniuerſa metiuntur. Et malè nobilitas generis ſine fortunis circumfertur; ſæculi corruptelâ, quâ tantùm, qui pecuniâ præualuerint, æſtimantur. Gulielmus breui reſponſo fratrem ſolatus eſt: Quã certiſſimam gloriæ viã crederet, ingrederetur; ſe expenſas nullâ parſimoniâ ſuffecturum. Attamen monuit, quibus in Auſtriacos beneficijs, quâ in Cæſares gratitudine tenerentur; proinde ſi Galliam excepiſſet, reliqua vniuersè placere. Tenentibus Mediolanum Hiſpanis; non facto, non ſuſpicione lædendos; niſi inutiles Prouincias (inter quas medij conſidant) haberi velit. Placuit nihilominus iuueni Gallia, cui inſueuerat, ſimilitudine morum, veterum ſuorum ſtudio ſimilior. Nec obſtitit Gulielmus; quandò liberam Ludouico electionem permiſſam vellet: nec ſe niſi ſoluendæ pecuniæ onere illigare. Henricus Caroli Regis frater, in Poloniam profecturus (Regem enim ſuis dixerant) Ludouicum comitem adſciuit; abreptum aulę

Gulielmus in Germaniam

Ludouicus Gulielmi frater in Gallias

Regiæ,

Regiæ, in quâ iam Ducatum dote tenuerat. Sed acceptus, nobilitate, fortitudine, ac prudentiâ erat; neq; honeſtiori comite, vti poſſe crediderat. Tam longè ituro, aurum frater dederat; vt non minori ſplendore apud Polonos, quàm Gallos eſſet. Hic idem annus, ingenti luctu Mantuanos ac Monferratenſes affecit; ereptâ Margaritâ Paleologâ Ducis matre, ſuæ familiæ poſtremâ; & quæ dilectione, ſubditos ſibi ac filijs, plures annos firmauerat. Hæc diuturnitate temporis, & rerum viciſſitudine declinatum familiæ decus, regio ſplendore reſtituit, acceſſione Monferrati; quo vno cuiuis potentiori Italię Principi æquabatur. Non quidem vectigalium magnitudine, vt quæ exilia eſſent, genti fermè libertati natæ; ſed ſubditorum populorum numero, & bello & pace valido. Supra ſortem humanam grauiter Gulielmus tulit ac Eleonora; quòd ſupremis in matrem defuiſſent; longitudine itineris, & improuiſo caſu retenti. Defunctæ tamen reliquum Mantuam delatum eſt, vt coniugis tumulum iuxta ſiſteretur; quod ipſa cum in viuis ageret, præſcripſerat. Vbi magnæ parēti ſacra habita, honosq; regio more pręſtitus, Ludouici ius in maternas opes, pecuniâ æquatum creditur; datis inſuper agris, ne auaritia in fratrem notaretur. Gulielmi tamen liberalitatē pleriq; carpebant; non quòd in ſuum ſanguinem munificus, pietatem oſtēderet; ſed quòd ſe ceſſione fratris eguiſſe crediđiſſet. Quâ enim ratione Mantuanum Dominium in Primogenitos, ſic & Monferratum cedere; nullo reliquorum iure; niſi alimentorum, quæ nobili more à patre exſolui conueniat. At non Prouinciam Gulielmus; ſed diuidi permiſſa tantùm conceſſerat. Obitu Margaritæ Populi nemine aduerſante, ad Gulielmum deuoluti ſunt; miſſisq; oratoribus, Monferratenſes, paratos ſe iuſſis profeſſi. Gulielmus publicè excepit, audiuitq; magno procerum conſeſſu. Sermo fuit qualem ſummiſſio, & deſiderium expreſſêre: Recentes ſe famulos, qui tamen illicò voluntatem deuinxiſſent; nec quòd abſentes ſint, alienos externosué reputandos: Eâdem quâ Paleologos, Gonzagos quoq; ex illis genitos, fide proſecuturos. Non egere Principem ſuum præſidio, & aduerſus diffitos ſollicitudine. Plus ad tutelam caritatem, quàm metum prodeſſe. Id præcipuè orare, vt relictis opibus, præſens frueretur; eosq; qui non reditibus, non numero, non animis, non nobilitate, Mantuanis inferiores ſint, pari dilectione ſeruaret. Diuideret pręſentiam; ne ad ſatietatem alij fruantur, ipſi deſiderio langueſcant. Mox proſecuti, amęnitatem Prouinciæ, opportunitatem commeatuum, opulentiam ſoli, dites ſubditos; peruicêre, vt Gulielmus ipſe, vniuerſa præſens æſtimaret. Ad extremûm ſacramētum ſubiēre. Plura ſecreto: Recentis belli licentiâ, non dum petulantiam plebis exutam; Margaritam exercendæ iuſtitiæ multa iuueniſſe, quæ tamen, conſuetudine adhuc in ſolido non cōſiſtant; Marchionales reditus multorum auaritiâ diſtrahi; Annonam Principis ac populorum malo in exteros abire; Vetera Reipublicæ vulnera, non niſi præſentiâ ſolidari poſſe; Municipales Ciuitatū leges, aſperitate infringi; aut plus iuſto indulgentiam obrepere: Populum nec totam libertatē nec totū ſeruitium velle: Aequitati ac iudicio locum eſſe; ne

Margarita Paleologa mors. 1565.

ne indulgẽtiâ elati populi excutiant obſequiũ; aut præceptis quibus ferendo non ſint, arctati, negligant vniuerſa. Agnouit Gulielmus noui Imperij difficultates; nec ſingula facilè per nuncios doceri. Deniq; tractandam curam, & proprio ingenio ſumendam adminiſtrationem: Tum in miniſtros optimè vniuerſa transferri, cum Princeps iura, cauſas, animoſq; ſuorum didiciſſet. Nec enim eandem in omnes regulam eſſe; quòd metu alij, alij dilectione, quidam ſeueritate, nonnulli comitate retineantur. Ferunt Caſalenſium quoſdam iniquum animum docuiſſe; quòd Caroli quinti ſententiâ, ius ſibi creditum, Patriæ amiſiſſent; & olim liberi, ſeruitio obſtricti forent. Nam per conciliabula & cætus, apertè queri ſolitos, iniquum Imperatorem accuſare, ſuam miſeriam deteſtari; iactare iurium repoſcendorum tempora, & occaſiones adorare. Gulielmus tamen, obſequente nobilitate, irritam vulgi contumaciam, & inanem rumorem docente; ideò errauit; quòd non crediďiſſet. Neq; enim vt alibi plebs ignaua, ſermone tenus valida eſt; ſed prona in bellum & res nouas, nec diſcriminum pauida. Donec comitatus, & itineri neceſſaria pararentur, immoratus Gulielmus; & vbi vniuerſa affuêre, vnâ cum coniuge profectus eſt, ac iiſdem quos Monferratenſes oratores miſerant. Socij ſe abeunti domino, Proceres Mantuani addidêre, qui officium rati, decus Patriæ etiam exteris oſtentare geſtiebant; ſimul docere, auctam quidem Gonzagis magnâ dote potentiam, ſplendore tamen non eguiſſe. Caſalenſes profuſâ lætitiâ accepêre, ſueti Dominorum præſentiâ vti; & eò diutius præſentem futurum rati, quò acrius deſiderium gaudiumq́ue prætuliſſent. Neq; diuerſus effectis animus erat, ſed ſinceræ dilectionis argumenta, eo tantùm remiſſa; ne affectatione aut ambitu prorumpere viderentur. Id Gulielmum, Mantuanoſq; adeò deuinxit; vt niſi maieſtatis reuerentia diſuaſiſſet, ſine cuſtode eſſe vellet. Sed Auguſtus Triſſinus Vicentinæ nobilitatis pręcipuus, veteriq; miniſterio cautioribus quàm ſpecioſioribus conſultis propior, recentem fidem, connatos Gallis animos, ſuperbiam nobilium perſtrepebat; neglectam ſui curam, magno diſcrimine æſtimari; & ea in ſummam meliora, quæ tutiora. Inter Ciuitatis veteres incolas, qui non Paleologorum ſolum fidem, ſed libertatem quoq; cum lacte hauſerant, nec faciles in nouos Principes transferri; aut Mantuano nomine, pulcherrimam Italiæ partẽ contineri indignabantur, Oliuerius Cappellus erat. Neq; tamen eâ nobilitate agebat, quæ reliquorum præemineret; ſed magna animi vis, ingens rerum nouarum deſiderium, ſpes vaſtæ, turbidum ingenium extulerant, vt liberatorem Patriæ, reſtitutorem Germanæ libertatis iactaret. Cautè nihilominus potentioribus communicãda conſiliâ nouerat; ne auctoritate obſiſterent; & monitis cautiorem Ducem redderent. Hos inter Ludouicum de Turre veteris & honoratæ nobilitatis, Mediolano oriundum, Caſali cum familiâ degentem, præcipuè formidabat; quem ciuibus ac nobilibus iuxta carum, frangere conatus poſſe ſciebat. Conſuluerant amici, conſcientiæ virum illigari; tum in re tranſactum ſecuriſſimè, vbi Ludouicus perfidiæ annuiſſet. Sed Cappellus notam ſibi nobilis hominis integritatem reſpon-

Gulielmus in Monferratũ

reſpondit; nec niſi fraudi locum eſſe. Nam ſiue cōſilio acceſſiſſet, ſiue ante perderetur, eandē facti ſecuritatē. Aut quòd, præuiderit, vel quòd ſordidus animus dolum proximius ſpectaret, incautum Ludouicū confecit; credidítq; fallere inditia, & cauſas flagitio accommodare. Quod vbi euenit; & paternas opes, luxu & laſciuia profligatas; nîl ex pace commodi, ſpem vnam turbatis rebus; raptus ac prædas meditatur; cæteros ijſdem moribus, haud diſpari conſcientiâ, clandeſtinis ſermonibus, & cadente in noctem die, tanquàm virtutis arbiter corripiebat: Eò flexiſſe Caſalenſium res, vt magno populo imperare ſueti, aut libertate vti; ſpontè in ſeruitutem conſenſerint. Nec vim aut arma illata; ſed ignauiam fuiſſe. Si Cæſar, Regesve impuliſſent, mutatam fidem ſpecie timoris excuſari potuiſſe; nunc in minores abijſſe; quiq; recentem potentiam, ab alijs habitam, magnis nominibus inſerant, ac in perniciem & oppreſſionem eorum per quos profecerint, conuertant. An parum dedecoris eſſe diutius à fœminâ poſſeſſos; etiam eius ductu, vt viliſſima mancipiorum, teſtamento legari? Quid ſupereſſe, niſi vt libertatem, bona, virtutem, arbitrio noui Domini exuant; & honorem flagitio mutent? Vniuerſos Monferratenſes idem ſentire; & plures conſilio nō accedere; quòd ignorent, ignorentur; quamquàm communem ſecum miſeriam deteſtentur. Non inuito Numine obiectum læſis Mantuanum Ducem cum filio; vt iniectum iugum effringant; & vno velut ictu, Tyranno ac metu ſeſe abſoluant. Veterem tantùm virtutem; & afflictæ Patriæ querelas recolerent. Quid enim paucos intra hoſtium viſcera, contra tot millia fortiſſimorum auſuros? Fortitudini aut libertatem, aut (quòd proximè voto eſt) potentiorem Dominum ſecuturum. Minorem, ignominiam ſubditorum, iniurias augere; rapto vti, quòd indigeat. Mox fraudis ordinem ſeriemq; flagitij, & ſocios recenſet, tēpuſq; præſcribit. Gulielmus vt in tutiſſima delatus, neſcius fraudis perditiſſimorum agebat: Et Prouinciæ curis immerſus, firmādis legibus, quibus vterentur, intentus erat. Iulius Bozus inter conſcios fuerat, vanitatis manifeſtus; quiq; non in perniciem, niſi alieno ductu properauerat. Nec in proprijs aut alienis conſilijs conſtantiam habebat; inquies, garrulus, petulans; & cui ſilentium nullo metu impreſſiſſes; ſed Marco Antonio Cotto familiaris, conſuetudine luſus, & quia vtrique, iuuentæ licentiâ vtebantur. Etiam ſceleris comperto, non aliud quàm ſtultitiam, & iuueniles inanitates obieciſſes. Ergo quia plurimùm ſpei inceſſit, poſſe amici virtute, flagitio, exiſtimationem ac ſubſidium comparari; publico abſtracto, & ſilentium ſeruare iuſſo; ſuas ipſe ſordes, & ſociorum perfidiam exponit: hortaturq; fortiter cauſam capeſcere; & exactæ Monferrato Gonzagę familiæ gloriam, ſuam facere. Cottus vt indicem detineret, ingenium ac vires pollicetur; ſeque pridem eadem agitaſſe; ſed inopiâ ſuorum, & ambiguitate deliberationis, abſtinuiſſe. Cappello haudquaquam arriſit, communicatam Cotto audaciam; ſiue nobilitatem ſceleri alienam, ſiue famam patrandi alij, imputandam abnueret. Et quia iam arma, iam conſcios miſcuerant; & deliberatio proditio eſt; maluit feſtinatâ executione partem gloriæ concedere, quàm dilatâ, vniuerſam

Caſalēſis cōiuratio in Gulielmum.

uerſam periculo mergere. Itaq; maturare, cõcionibus ſociorum animos firmare, pecuniam & ſpem immenſam oſtendere, quærere arma, effugia rimari; & in ſequentem Dominicum res tranſlata. Coniurati interim mutuã cõſuetudine, conuictu, colloquijs, cum intentos ac ſecretos eſſe expediret, Veneris ac Sabbati diem triuêre. Et Cottus ne diuiſus ſuſpicionem ſui faceret, dies integros cum reliquis agitauit. Hinc tardius detecta fraus eſt; quòd Veſpaſiano Gonzagæ Sabionetæ Duci, quem Cottus, veteri obſequio in cultum delegerat, ſecretò colloqui non licuiſſet. Non enim quamquàm prohibere nefanda conſilia, quocunque modo agitaſſet, ſatis ſe Domini ſui officio egiſſe credebat, niſi parricidæ deprȩhenderētur. Vt dies præſcriptus affuit, Cottus in Arcem profectus, audiri à Veſpaſiano poſtulauit. Cumque aulȩ more, non eſſet qui admitteret, perrupit; inuenitq; cubantem, ac parum validum. Sed dum ſermone tempus teritur; nec Veſpaſianus fidem dicto habet, aut prolixius interrogatum detinet; Gulielmus cum coniuge ac filio, ſacris interfuturus in templum iuerat. Et Cottus ad ſocios profectus reperit vniuerſos Campanæ ſonitum (id ſigni dabatur) opperientes, inter miſſæ ſecreta; vt eo monitu adeſſent; & incautos, incuſtoditosq; Dominos confoderent. Tum Veſpaſianus iuuenem ſibi à ſecretis accerſitum, cum libello ad Gulielmum miſit; ordinem parricidij, auctores, locum, tempus docet; & vt ſibi conſulat, monet. Gulielmus repentinæ occaſionis formidine parum hȩſit, mox reuocatâ prudentiâ; cum Campanarum funes iuſſu Veſpaſiani prȩciſos; & miſſos pleroſq; militum, quaſi fortuitò, non iuſſi acceſſiſſent audijt, intrepidus ſubſtitit. Addidit (Triſſino deferente ad Veſpaſianum mandata) vt Ciuitas occluderetur; effugia quæ parauerant, ſeruarentur; plures è domo in templum accerſirentur. Et vbi ſecuritate ambitum ſe, nec fugæ locũ conſceleratis vidit, firmatis etiam manipulis cuſtodum, templi foribus, ſacris infinem interfuit; & demùm in Arcem ſe recepit. Tum immiſſi milites in coniuratos, & quidam capti, plures fugam arripuêre; quos inter Cappellus parato ante effugio, cum tribus ſocijs per Vrbis mȩnia dimiſſus eſt; & Chierium Subalpinæ ditionis profectus. Vbi capti quæſtionibus admoti ſunt, flagitium detectum eſt; pluraq; innotuêre, quàm Principes Mantuani ſciri voluerant. Quippe magnas familias, locumq; principem retinentes, tanto ſcelere maculari, non Gulielmo, non Cæſari, non Pontifici acceptum fuit. Et ſuberat coniectura, Cappellum, aut qui periculum accomodauerant, niſi potentioris ope aut promiſſis ſuſtentatos, tam magna actitaſſe; quaſi impunitatem, & præmia reſpexiſſent. Ea Gulielmi prudẽtia ac modeſtia fuit, vt ſcire ſatis habuerit; vulgari fautores abnuerit, ne quamquàm æmuli infamiâ notarentur. Sumptum de miſerrimis ſupplicium; plures è fugâ ac latebris retracti, Sicarijs pœnâ additi. Cappellus cum ſe Chierij tutum crederet; quòd requiſitus apud Sabaudium, conceſſus, magnâ Italiæ Principum inuidiâ non foret (cum parricidæ, ſacrilegi, Dominorum hoſtes, præſenti ſecuritati, præteritæ vltioni arceantur) à Cotto ipſo occiſus eſt. Qui, quo animo ſingulari in Principem fide vſus, exitium à ceruicibus

Gon-

Gonzagorum auerterat; eodem perfidum Cappellum confectatùs; intra Pedemontium viſcera, & plures ſcelus approbantes, vltus eſt. Qui illorum temporum memoriâ valuêre; perſpectum Gulielmo fuiſſe fatebantur; nullâ Monferratenſium nobilium, ſed nec præcipuorum Caſalis ciuium culpâ, facinus agitatum: Tantùm Cappellum innatâ vecordiâ, ſpe maiorum, malis moribus à Margaritâ Gulielmi matre cognitum, acceptosq́ue aut oblatos ſocios in crimen lapſos. Secuta quoq; tempora, fidei & obſequio teſtimoniũ præbuêre; ardentibus in vindictam nobilibus, ciuibusq́; & non alio quàm conterraneo pœnam profugi auſo. Hinc apud Principes cum ſupplicio nocentum, facti memoria abolita, vt alieni. Cottus quoq; cum incautũ Cappellum confeciſſet, literas & codicillos ſcrutatus, omnia ad Gulielmum detulit; quæ ille (ſummis Imperatoribus more ſolito) non viſa, non cognita, igni vſſit. Cumq́; Sicarijs affinitate, aut amicitia nexi, extra culpam tamen, Principem orare, ſeſeq́; ſuſpicionibus exſoluere niterentur, abnuit: vnum id profeſſus; excuſationem aut facto, aut ſuſpicioni deberi: ipſos nullo vrgeri, Etiam hoſtibus veniam conceſſurum fuiſſe; niſi ipſi abnuiſſent. Præcipuos nobilitatis tantùm hortatus fertur; vt certiſſimis præmijs pietatis, fidem ſeruatam hactenus retinerent; crederentq́; apud quoſcunq; ſeruitutem toleraturos; acriorem quò potentiores forent. Illi præterita, futurorum æſtimationi conferentes, in præſentem intaminati, datum Sacramentum retinuêre. Vbi nihil quòd pręſentiam Ducis requireret, Caſalis ſupereſſe viſum, Gulielmus cum vxore ac filio, ſecundo flumine deuectus Mantuam reuertit, deſiderio Ciuitatis ac ſuorum, vſq; ad querimonias requiſitus. Dux Sabionetæ Prouinciam ſeruare iuſſus; quòd nullâ certiori virtute ac fide haberi poſſet. Compoſitas Monferrati res, domeſtica mala excepêre, paucos intra dies defuncto Federico Gulielmi fratre, Cardinali Epiſcopo Mantuano. Poſt modica lætitia ſubſecuta, ſubſtituto in eum locum Franciſco Ferrantis filio, ac Gulielmi conſobrino. Hunc vix Mantuam delatum; vt delegato muneri præſideret, miſſæ Româ literæ docuerunt, Paulum quartum inter mortales eſſe deſijſſe. Ergò dum citis equis in Vrbem aduolat, vt Conciſtorio intereſſet; vbi concuti præcordia, & vibrari viſcera cępêre, ruptâ in pectore venâ (vt Medici ferebant) cruentum cum tuſſi ſputum incidit; quo etiam paucos poſt dies interijt. Quietam Italiam, excepit cum Turcâ Tyranno bellũ; idq́; ad excidium populorum exarſit. Siquidem Solimannus Muſtafâ Duce, validis excurſionibus, præſidio, virtute, animis Hieroſolymitanorum equitũ irritatus, inuiſam pridem Maltam inſulam, ingẽti claſſe adortus eſt: Et poſt multam ſuorum cædem, & obſidionis, pugnarumq́ue labores irritos, velut turpi fugâ excedere coactus. Et licet plerique nobilium (quorum virtute victoria ſteterat) cecidiſſent, partum tamen illi militiæ ſummũ decus; quòd languidius à Chriſtianis Principibus adiuti propriâ virtute præualuiſſent. Rem ab alijs non vno volumine traditam, delibaſſe ſatis fuit; ne Gonzagorum factis intenti, in alienas curas euagaremur. Hic idem annus Vincentij Principis ſalutem, aduersâ conſtitutione ambiguam habuit; ſed intra pau-

Federici Cardinalis mors

Turcæ ad Maltam.

cos

cos dies, quâ violentiâ morbus euenerat, depoſuit. Siue ea vis valetudinis,
ſiue curatio, ſiue Numinis auxilium fuit. Mantuæ tamen (vt vnâ in domo
plerumq; familia diuerſis ſtudijs agit) non deerant, qui Diuina deſtinata;
& Ludouico Gulielmi fratri factam iniuriam iactarent; quòd nulla ipſi pars
bonorum, quæ de patre ſupererant; non Allodialium è matre ſoluta foret;
cogereturq; nobiliſſimus Princeps vt honori ac loco ſatis ageret, apud Scy-
tas tolerare, & vt viueret Regi extero deſeruire. Rumori cauſam dederant,
per eos dies Ludouici apud fratrem querelæ; & quando non ſubueniebat, lis
orta. Hæc tamen (quamquàm in Gulielmum non valerent, mole ſuâ vſum)
vt indigna credita; & principem domum conuellentia, prudentiâ Ducis ſup-
preſſa ſunt; Pecunię vis, & agrorum in Mantuano portio cõceſſa; ne qui mu-
nificentiâ apud ſuos circumferebatur, auaritiâ in fratrem vti diceretur. Et
gratum Henrico Regi qui orauerat, Cæſariq; fuit; ne inter conſanguineos
iure vteretur, qui concordia tranſigere, integrâ exiſtimatione poſſent. De-
pulſi Maltâ Turcæ, ignominiam rati, non ante certaminibus finem poſuêre,
quàm gloriam reciperent. Et quia Pannonia præcipuè inuitabat, fœcundi-
tate agri, Vaiuodæ Tranſiluani conſcientiâ, & Maximiliani Cæſaris virtute
illuc verſâ, Solimannus cum Centum octuaginta hominum millibus inexpe-
ctatus irrupit. Veſperinum Vaiuodæ à Maximiliano ademptum; & Tata
præſidium non ignobile, præter inditam Barbaro aliena occupandi deſide-
rium cauſam malo dedêre. Maximilianus ſuis ac Chriſtianorum Principum
viribus adauctus, Octuaginta electorum militum millia ſub ſignis habebat;
quos violentiæ hoſtili ſuffecturos rebatur. Sed dum belli cogitatione, & quâ
curâ militem, pecuniamq; compararet, meditatur, Gulielmus raro, at cum
occaſione, ideoq; in tempore conferre ſuetus, octingentos miſit, cum pecu-
niâ quæ annuo bello ferendo ſufficeret. Addidit vrgentibus rebus nouam
ſpem; & ſi prima malè ceſſiſſent, etiam trium millium ſubſidium tranſmiſſu-
rum. Nec his diſſimilia, Hetruriæ, ac Ferrariæ Duces promiſerant. Qui-
bus fidens Imperator, iam inferre bellum, non tolerare properabat. Certè
Octingenti Mantuani animos non dederant, ſed Ducum munificentia, vali-
diorum potiora auxilia perſuaſit. Pugnatum ſæpius incerto euentu; & mo-
dò in Chriſtianos, modò in hoſtes verſâ fortunâ; ſeu diſciplinæ militaris ne-
gligentiâ, poſtremûm in Turcam tranſijt. Alba Iuliâ, & Zigettum oppu-
gnatione capta; qui inerãt vniuerſi ad internecionem deleti; Donec defun-
cto Solimanno, & Selimo filio ſubſtituto, parua quies obrepſit. Sed læſi Nu-
minis ira, diſciplinæ ſecordia, hoſtium conſtantia; & immenſis exercitibus,
velut vno inſtanti bella patrata, infęlicem Chriſtiano Orbi exitum præſagie-
bant; niſi barbaras virtutes noſtri induiſſent, & Chriſtiana vitia pepuliſ-
ſent. Perſtitit Gulielmus miſſum numerum & pecuniam, communi vtilita-
ti erogare; ſed faciles externæ iniuriæ tolerandæ Germani, ſuas res, & affe-
ctatum generoſis ſpiritibus vindictæ deſiderium, abiecêre: Cum non aliâ po-
Federici Gazoli Marchionis mors. tentiori causâ in nos Turcæ valuerint, quàm negligentiâ, & contemptu. Al-
tero à Monferratenſi reditu menſe, Federicus Conzaga, Gazoli ac Doſuli

Mar-

Marchio deceſſit, cui à Ioanne Franciſcọ Ludouici Marchionis filio origo erat. Hic cum in viuis ageret, Gulielmum comitate, munificentiâ, caritate cognitum, prorſus delegerat, cui officio deſeruiret; donec beneficijs ſuperatus ſucceſſorem ſibi vtriuſq; Oppidi appellauit. Pirrus, Scipio, Ferrantes, ac Iulius Cæſar fratres, Caroli filij ac Sancti Martini Principes, defuncti, conſobrini, in poſſeſſionem properauêre; vt ſaltem feſtinatione præuenirent. *Gazolum & Doſolum in Gulielmum.* Nec enim fidei commiſſo obſtricta Oppida (quòd & ipſi à Ioanne Franciſco Marchione originem ducerent) in externum familiæ transferri poſſe credebant. Gulielmus quamquàm potentiâ validior, cauſâ tamen quàm vi agere maluit; Aeſtimatione famæ, quæ magnis Principibus ingens momentum affert, ſeu bona; ſeu mala. Coram Cæſare rationibus certatum; ne alienis ſuo arbitrio ius diceret. Et præualuit, quamquàm pars bonorum aduerſis adiudicata, multis aureorum millibus redimenda foret. Sic addita Gulielmo exiſtimatio, ac Mantuanæ ditionis termini ampliati. Maior moles ſupererat Turcici motus. Nam Selimus Solimanni filius; & ſi non leui ſuorum damno in Pannoniâ notatus, victor tamen, & fortiſſimis præſidijs receptis, immenſam ſpem; & totum occidentale Imperium conceperat. Neq; tamen temnendas noſtrorum vires nouerat; ſed diſcordes Germanis Italos, Gallis Hiſpanos reputabat; credebatque mutuâ contentione, occaſionem proſperè agendorum, contra vniuerſos fore. Vnus è Venetis metus; quos ante alios, libertatis ſtudio intentos ſciebat. Fœderibus quidem parum deferebat, quòd minimâ ſtabilitate niti ſciret, cum decertantium quiſq; priuata commoda proſpectans, moram executioni faciat; nec in commune conſulat, ex dignitate. Nec minus Maximiliani contentionem, ſecordiam appellabat; vt qui pridem amiſſa recipere, non viribus, non conſilio niteretur. Itaq; magnis copijs Ciprum inuadit, Leucaniam primùm, mox Salaminam oppugnaturus. Affuit deſiderio fortuna; & illa quidem per ſummam vim habita; hæc diutius oppugnata, deditione in poteſtatem redacta eſt. Quæ victoria licet ingenti barbarorum ſanguine ſteterit; Orbi tamen Chriſtiano formidinem incuſſit; velut ad Patrios lares, ſæuos Turcas opperirentur; Et quia non Venetis tantùm; ſed Hiſpano ac Pontifici formidabilior imminebat, Vicesimâ Maij, Milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi primi, percuſſum fœdus; quo partitis viribus, ſinguli in idem bellum incumberent. *1571. Fœdus Chriſtianorũ in Turcam.* Claſſis interim barbara, medio victoriæ curſu per Aegęum, ac Ionium licenter vaga, obuia quæq; populationibus, ac cædibus implebat: Hinc expeditio maturata; annitentibus ſingulis, honoræ victoriæ partem capeſſere. Italiæ litora omnia, diuerſis belli apparatibus perſtrepebant. Commeatus, tormenta, arma, milites, in Siciliam (quam bello ſedem delegerant) properabantur. Secuta potentiorum exemplum, ſubditorum, ac minorum Principum alacritas; cum iuuentutem alij, alij pecuniam ſpontè conferrent. Et fuêre qui partes præſentiâ quoq; iuuare voluêre. Nos ſeriem numerumq; referre, ideo ſuperſedemus, quòd alij ex fide & dignitate ſint proſecuti. Ad Gulielmum redeo; qui vbi ne vulgus quidem expers gloriæ vidit, decorâ æmulatione, partem

laboris & expẽſarum ſibi ſumpſit. Plures nobilium quibus animi corporiſq; vires aderant, in communem cauſam impulit. Nec deerant qui ſe non oratos, ſed inſtantes, dimiſſos tamen approbarent. Pontifex Triremes duodecim ex conditionibus fœderis parare iubebatur; Et quia prædeceſſorum effusâ licentiâ, parum pecuniæ erat, miſit Gulielmus triginta aureorum millia; ſi nouo apparatu opus foret, maiorem ſummam trãſmiſſurus. Simul ne ſegni morâ munificentiam ſubterfugere videretur; aut è tempore beneficiũ quærere; nondum coactâ in vnum claſſe, viginti alia millia numerari iuſſit: Vt qui maritimâ potentiâ careret, gloriam non abnueret. Etiam queſtus de fortunâ, apud Pium Quintum (qui tum præerat) fertur, quòd valetudine improſperâ, & filio puero; præſentia partes iuuare non poſſet. Miſit tamen Sexaginta nobiles, ſuo ductu, & expenſis bellaturos, qui Ioanni Auſtriaco præſto eſſent. Annus hic famâ victoriæ naualis, cæde ingenti barbarorum, depulsâ Chriſtianorum ceruicibus formidine, celebris toti æternitati futurus eſt. Quippe ſi Turcæ præualuiſſent; vix aliud ſpei in noſtris erat, quos diſcordes & diſſitos, victor vnitus, & ſuo vſus, oppreſſiſſet. Habuiſſet poſt labores plus vtilitatis Chriſtiana reſpublica; ſi victores vti victoriâ voluiſſet. Nam ſiue Venetorum proſperis Hiſpani inuiderent; ſiue detritas hoſtis crederetur; ſiue quiſq; ſibi priuatim tenderet, omiſſa occaſio, & interiecta mora eſt; tempuſq; Turcis datum; lateribus Aegei, & ſparſis Pelago Inſulis imponere præſidia; vt non aliam quàm nauium & militum iacturam experirentur. Quæ ex noſtris acceperant, retinuêre: Si quid metus, noui belli, Barbari habuerant, Pij quinti Pontificis obitu ceſſit; quem aſſiduum, & cogendis ad bellum Principum armis indefeſſum nouerant. Decimâ tertiâ Maij,

Victoria naualis Christianorum.

1572. Milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi ſecundi, ſuffectus Gregorius decimus tertius, veteri amicitiâ Gulielmo familiaris, integritate morum, religione, comitate, pietate commendatus. Non tulit deſiderium viri Gulielmus, ſed fauſtæ rei nuncio accepto, Romam profectus eſt; minimo comitatu; ne multitudine grauis eſſet, aut oſtentatione maieſtatis vniuerſos officio inuitaret. Exceptus tamen à Pontifice Regiâ liberalitate, quam expertus in Duce fuerat, aliorumve relatu acceperat: Cura quoq; dignitatis videbatur, Principẽ virum hoſpitalitate detinere, & potentiam proferre. Nunc apud nonnullos auaritia maieſtas eſt, quaſi magnitudini dematur, ſi quid in minorem, aut parem conferatur. Sors viam gloriæ, hoc itinere quæſiuiſſe viſa eſt. Scipio Gonzaga Gazoli quondam dominus, & mutatione rerum Cardinalis à Sixto quinto dictus, tum diſcordiæ manifeſtus, Romæ erat: Cumque intra propriam potentiam reſidenti Gulielmo, nemo Curſorum diem litis dicere, metu offenſionis auderet, id palam in Vrbe exequi cogitauit. Repertus eſt abiectiſſimæ conditionis qui auderet; pecuniam pro periculo pactus. Aegrè id Dux tulit; & cum Pontifice ob acceptã iniuriam acriter quæſtus eſt, quòd cum obſequium præſtiturus adueniſſet, cõtemptu vileſceret. Et Gregorius facili indignatione, in pœnam ſceleris incubuit; iuſſo in carcerem rapi Scipione, & in perpetuas Triremes Curſore amandato. Peiora Scipioni ſupererant;

Gulielmus Romam.

erant;

erant; ſi Gulielmus vires exerere, & toto conatu vindictæ inſtare voluiſſet. Perſpectam habuerat Dux iuuenis indolem, quæ magnæ fortunæ par eſſet: Quamuis temeritate conſilij abſtractus, ætati congruentia cogitaſſet. Vicit in Gulielmo animi magnitudo; & quandò nullo interceſſore, nullius precibus Gregorij ira mitigari poſſet, quin acrius animaduertere pararet, nullis vnquam difficultatibus ceſſuram virtutem teſtatus eſt, Pontificemq́; peruicit, iuueni ignoſcere, vbi faſſus errorem, veniam oraſſet. Dies plures Romæ moratus, ſacratas Diuis ædes, & ſeruatas in cultum reliquias inuiſit. Eò præcipuè delectatus, quòd ruinas Vrbis, & veteres nominibus locos ſpectaſſet; ipsâ antiquitate & famâ, ad miraculum celebratos. Duo aureorũ millia abiturus Pontificiæ aulæ, dono dedit, quæ in ſeruos ac prætorianas excubias diuiderentur. Sacris quoq; largitionibus celebre plures annos nomen in Vrbe reliquit, ei præcipuè liberalitati, etiam in Patriâ intentus. Vbi Mantuam redijt, Cæſaris oratores affuêre, rarâ ſpecie gratiæ, nouos Gulielmo honores, ac titulos deferentes. Quippe paucos ante menſes, apud nobiles Germanos queſtus fuerat, Sereniſſimi titulo haudquaquàm validiores, aut veteri pariq́; nobilitate per Italiam ortos, vti; idq́; ſibi negari, ſtirpi Regiæ, & quæ ſæpius Cæſarum ſanguinem tetigiſſet. Iam neminem obſequio paratiorem, ſiue miles, ſiue pecunia poſcatur (vt qui gratis à Cæſaribus antè accepiſſet) præuẽtione officij, facilitate miniſterij. Se eandem fidem animumq́;, quæ apud maiores ſuos fuerint, ſeruaturum; & additurum ſeruitio diligentiam, vt etiam promptitudine acceptior foret. Qui audiuerant Viẽnam reuerſi, liberalitatem, comitatem, potentiam Ducis Mantuani teſtati ſunt; quibusq́ue ſummo iure adſpiraret, Maximiliano expoſuêre: Nec id Italis Principibus nouum; ſed in Gulielmum non eos honores, in eam diem collatos, nouum eſſe. Eſtenſem, ac Vrbinatem qui dominationem à Pontifice iactent, ſimilia meditari; Florentinum etiam maiora poſcere, vt Parmenſem nuper natũ taceant; quantò honeſtius eſſe magnâ nobilitate Principem; & qui ſplendore multos præemineat, efferre? Imperator non aliud prolocutus, quàm abditas ſuorum voluntates ſibi ignotas; & pleraq; maiori facilitate concedi, quàm petantur; voto Gulielmi annuit; & aucto beneficio, velut negligentiam excuſaturus ſatisfecit. Nam Prouinciam Monferrati Ducatus titulo inſigniuit, datoq́; diplomate, parem Sereniſſimis Europę Ducibus quantumuis ſummis eſſe voluit. Idq́; Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio. Satis liquet de Cæſare, Pontifice, Hiſpano, Gallo, Germanis proceribus, nominem melius audiuiſſe, dum alius vires, prudentiam alius; vniuerſi comitatem, officium, rectum animum laudibus ferrẽt. Equidem non in ciues quàm exteros, aliâ liberalitate, aut moribus erat; ſed gratiæ conferendę aſſiduus, iuſtitiæ ſeruantiſſimus, cunctorum laudem æquè promeruit. Et quaquã addita veteri poſſeſſioni Prouincia foret; non tamen aucta ex nouo titulo commendatio; quaſi potentiam hæreditate, virtutem ſtudio comparaſſet. Vbi Cæſaris indulto minorum Principum ordinem ſupergreſſus, & ſummis comparatus eſt; tum rerum ac formæ facies mutata;

Scipionis Gõzaga cũ Gulielmo Romę caſus.

1573.

Imp. Mõſerratũ Ducatũ dicit, & Gulielmum ſummis Imperij Ducib⁹ æqualem.

literæ non niſi iuſto honore inſignitæ receptæ ſunt; & cæteri qui potentiam æmulabantur, reddito cultu habiti. Sed viluêre honores, & in minimos ſummi abiêre; dum Reges Imperatoribus; Duces Regibus; Marchiones ac Comites, Ducibus comparari, dicto factoq; concupiſcunt; adulandiq; blanditijs, quæ Numini nomina erant, in promiſcuam nobilitatem tranſlata ſunt. Nec enim compellare ſuperos ſine iniuriâ poſſis; quandò vulgatos titulos cuiuis adaptatos, vt cęlitibus proprios non poſſimus affingere. Dominos dixiſſe magnum quid; & vix Imperatoribus, niſi temeritate conſuetum erat. Potentiſſimus, Inuictiſſimus, Summus, Maximus, Optimus, Sanctiſſimus, quæ tum appellando Deo vſitabantur, nunc etiam in mortales abiêre. Sed olim vſui modeſtia, rerum pretia, æſtimatio erant; & in minori nomine plus rei: Nunc augentur cognomina, quia intus imminuimur. Ad famam Sereniſſimi, ſtatim Dux Sabaudius expergefactus, conuelli iura ſua, rei controuerſæ formam mutari, ſpeciem adiudicatæ in æternum Prouinciæ id eſſe, apud Cæſarem literis, & legatis queſtus eſt; orauitq; ne Gonzagorum fauore, inperſpectis quibus cauſa nitebatur, ſpe omni detruderetur. Sed Cæſar, decus addidiſſe, iura vt erant ſeruauiſſe reſpondit; quod tamen ægrè agebat, coactus eſt Sabaudius, eodem honore quo ſe coli vellet, Gulielmum inpoſterûm nominare. *Joannes Baptiſta Poſſeuinus.* Hic ipſe annus Ioannem Baptiſtam Poſſeuinum rapuit, intra iuuentam; vix Viceſimum nonum ſupergreſſum; cum mixtus Cardinalis Sanctæ Floræ aulicis Romæ ageret; non minori ſuperſtes, quàm ereptus doctrinæ ac prudentiæ famâ. Quod mortalitatem excludat, totius Europæ manibus tractatum monimentum reliquit, nobiliſſimi tituli, de Honore, ac Duello. Id Latinè, Germanicè, Gallicè, Italicè, ac Polonicè redditum, ſatis generis humani conſenſum, & æſtimationem continet. Meruêre doctiſſimi Patrui mei Manes; vt hac breui memoriâ parentarem. Neq; alienum ab inſtituto eſt, nobili è Ciue, Patriæ gloriam, atq; adeò Principum promouere; in quos vniuerſa flectuntur.

Digitized by Google

DOCT.

ANTONII POSSEVINI IVNIORIS

PHIL. ET MEDICI MANTVANI

GONZAGÆ

LIBER OCTAVVS.

BREVIARIVM LIBRI.

HENRICVS Galliæ Rex Mantuam. Belgici belli initia. Gulielmi hoſpitalitas anno Iubilæi. Rodulphus Imperator extincto Maximiliano patre. Ioannes Vincentius Gonzaga Cardinalis. Filiarum Gulielmi cum Ferrarienſi & Auſtriaco nuptiæ. Ludouici Gulielmi fratris in Galliá virtus; & Octauij Gonzagæ in Belgio. Nuptiæ Vincentij Gulielmi filij, cum Margaritá Farneſiá reſcinduntur, ob naturæ impedimentum. Bellum Polono, Sueco Regibus, & Moſcouitæ. Antonius Poſſeuinus Soc. Ieſu patruus Auctoris. Nuncius Apoſtolicus ſanciendæ inter decertantes paci. Ouidij Maronis cineres reperti. Vincentij cum Eleonorá Medicęâ nuptiæ, Diſceptatio apud Gulielmum an Ieſuitæ Mantuæ reciperentur. Eius aſtus, & Antonij Poſſeuini prudentia. Camaldolenſes Monachi Mantuam. Iaponij Romam ad Gregorium xiij. Senatus Mantuæ inſtituitur. Goitum ornatur. Sixtus V. Pont. Franciſcanos Minores Mantuæ reſtitui apud Gulielmum non obtinet. Scipionem Gonzagam ſibi olim iniurium Cardinalem creari procurat. Poſt Franciſci Gulielmi nepotis natales, & Ferdinandi, in Goiti receſſu moritur. Vita eius examinatur. Vincentius Dux; opes à Parente relictæ. Eius coronatio, In adminiſtros munificentia. Annibal Chieppius. Illi à Pontifice honor. Reconciliatur Principi Caſtilionęo. Clades naualis Hiſpanorum ab Anglis. Vincentius accipit Vellus aureum, & Florentiam proficiſcitur, ibiq; inter nuptiarum ſolemnia plurima aureorum millia prodigit. Guiſiorum in Galliâ cædes. Sabaudij irritus in Genuenſes conatus: & eá causá Vincentij ob Mon-

ferratum ſuſpicio. Diſceptatio inter Comitem Sauorgnanum, & Tullium Petrozannum, de Arce ad Ciuitatem Caſalenſem erigendá. Extruitur. Incendium Theatri Mantuani. Sixti V. mors. Vincentius Romam ad Innocentium nonum. Io: Vincentij Cardinalis obitus. Annonæ penuria per Italiam. Clemens octauus Pont. Alphonſi Gonzagæ cædes: & mox Rodulphi nepotis. Incolæ Caſtri Giufredi Cæſarem orant, vt iuriſdictioni Ducis Mantuani ſubijciantur: & obtinent, conceſſo Dominis Caſtiliono & Medolo. Noua de Monferrato diſceptatio coram Pontifice; Annibale Chieppio legato. Eleonoræ Vincentij matris obitus; Regis Galli cum Pontifice reconciliatio. Franciſcus Gonzaga Epiſcopus Mantuæ, eiusq; opera. Turcarum in Pannoniá progreſſus. Carolus Rubeus à Vincentio cum milite eò mittitur: mox ſuccedit cum nobili comitatu Vincentius. Comitis Mansfeldij mors. Vincentius tumultuantes Germanos equites retinet; emiſsá Budá Vizegradum oppugnari obtinet. Diſſoluto exercitu Mantuam redit. Ludouici Vincentij patrui exitus. Viadanam Padus diruit. Vincentius iterum ad bellum Pannonium. Itali cuiuſdam Ducis cum eo ſimultates, & ſpreto Vincentij conſilio, periculum. Iauarinum non obſtante Marchione Burgau, commeatus, & arma inferuntur. Vincentius Iauarini ſitum explorat; & tumultuariè cum Turcis, ſed cum victoriá congreditur. Exercitus Cæſareus iterum diſsoluitur inuito Mantuano. Dux Mantuam reuerſus Templum D. Franciſco de Paulá extruit, Diui Andreę auget. Mors Ducis Ferrariæ, Margarita Duciſſa ſoror Vincentij Mantuam redit. Ferraria in Pontificem. Vincentius Ferrariam ad Clementem. Philippus tertius Hiſpaniarum Rex. Regina eius ſponſa Mantuam. Romæ monſtruoſus Tiberis auctus. Vincentius ad Aquas Spadanas. Reliquias comitatus D. Vrſulæ ſibi comparat, Hiſpanos ſuſpicionibus turbat. Galliæ Regis cum Mediceá nuptiæ. Vincentius in Pannoniam, Ducum diſcordia, exercitus diſſoluitur, acceptá clade; & Dux Mantuam redit. Moniales D. Vrſulæ. Bartholomęus à Solutio. Vincentius Neapolim. Catanei. Canoſſæ. Vincentius in Monferratum. In Petrozannum calumnia. Diſſenſio inter Ferrarienſes & Mantuanos, à Comite Fuentes componitur. Venditio Sabionetæ reſcinditur. De Nuru Vincentius deliberat, Sabaudio colloquitur, Hiſpanus aſſentitur. Paulus Quintus Venetis diſſentiens, Vincentio medio concordiæ vtitur. Illi Ducem ſuo exercitui fruſtra petunt. Ordinem Equitum Redemptoris inſtituit. Ferdinandus Cardinalis. Lotharingiæ Duci, Margaritam filiam Vincentius locat; Palatium extruit ad Benacum. Mittit Taurinum Annibalem Ibertum vt de limitibus cum Sabaudio tranſigat, vano conatu. Eodem adminiſtro cum in Hiſpanijs ſui Ducis negocia curaret, à Rege titulum Illuſtriſſimi obtinet. Franciſci Vincentij filij nuptiæ. Adæquatio Gouernoli à Gabriele Bertazolo ſuſtentando Lacui. Franciſcus in Monferratum pro Patre, mox Taurinum. Mors illius; laudatur à Iulio Cæſare Faccipecora Paueſio. Franciſcus Dux aſſumitur. Valerianum Cataneum Marchionem Morani dicit. Seruitia, & militem cuſtodem auget, non aſſentientibus omnibus. Claudium Gonzagam oratorem ad Pontificem mittit. Hippolitum, & Federicum Gonzagos Equeſtri ordini Redemptoris addit. Margaritæ valetudo. Fama vulgata, requiſitam à Sabaudio Nurum, Eleonoram Franciſci ſororem. Anxiè fidem Hiſpanorum requirit. Sabaudij Ducis conſilia ſuſpecta habet. Ludouici Franciſci

filij

Digitized by Google

filij mors. Populus obſtrepit ob clauſum Seruatoris in Ciuitate templum. Franciſcus deſcribit militem in Ducem Parmenſem; mox eripitur.

SEQVENS annus ſpeciem magis turbarum, quàm vim habuit; nam & agitatum varijs bellorum motibus Belgium, & mox Caroli Gallorum Regis obitus, nouas per Europam ſeditiones minitabantur. Sed animis Principum in quietem compoſitis, ſatis claruit; cauſas non ſemper bello ſufficere; niſi pronæ Regum voluntates in res nouas quietem auerſentur. Henricus Caroli frater, procul in Poloniâ agebat; quò habito per electionem Regno proceſſerat; aderatque indiuiduus Ludouicus Gulielmi frater; proſperorum aduerſorumq; ſocius. Sed euentuum neſcium, Regiæ matris literæ euocarunt; vt paratam potioris Regni poſſeſſionem capeſceret; & fratris obitu ambiguos populos, præſentiâ retineret. Non diu de diſceſſu cogitatum; quamquàm ſuſpecti Polonorum animi; & Regis profectionē tutelaturi vix crederentur. Simulatio deſiderij, fugæ difficultatem intulit: Poloni enim Caroli Regis obitu accepto, licet inuitum retinere, & cedi Gallias in Nauarræ Regem vellent, coram ſibi Dominum poſcebant; obſtrepebantq;, vt hoc aut illo pro arbitrio vteretur. Henricus habito inter ſuos conſilio, pręſens Gallias, abſens Poloniam retinere nitebatur. Quòd inſtituto gentis alienum, Ludouicus Gonzaga monuerat. Et niſi ſpem ac inſignia Regni omiſiſſet, arduam Prouinciam ſumi docuerat. Simulata venatio; & Viennam primûm, mox Venetias delatus Rex, cuncta recolentiū officia in ſe vertit. Neq; tamen in tuto ſe ante opinatus eſt, quàm Ciuitatem attigit, obuijs Italiæ Principibus, officio in magnum hoſpitem certaturis. Gulielmus non prior, ne affectaſſe gloriam; ſed poſterior, vt ſine metu putaretur, acceſſit; ingenti ac Regio nauigio vſus, cui Bucentoro nomen; & comitantibus pleriſq; proceribus vtriuſq; Prouinciæ oſtentando ſplendori. Dies aliquot Rex immoratus, vertit Ferrariam, mox Mantuam. Vbi quibus teſtandæ lætitiæ ſignis, quâ obſequij gloriâ; quibus liberalitatis exemplis exceptus ſit; niſi inuidiæ aut æmulationis metus eſſet, fuſius exequeremur. Rem in arctum ſtrinxiſſe ſufficiat; ne ſolitâ Gulielmum munificentiâ fraudemus. Propè Vrbis mœnia, primum Regis hoſpitium in Theo fuit; parentis id Federici monimentum, erat; quod in præſentem, ſpirat maieſtatem. Obuij aduentanti Centum leuis armaturæ equites, Quingenti Sclopetarij; Mille quingenti pedites fuêre. Non ordinem, non ornatū deſideraſſes; nitidis armis; diuerſicolore indumento, flammantibus vexillis; tu- *Hēricus Galliæ Rex, Mātuam.*

batum,

barum, tormentorumq́; bellicorum fragore addito. Suus quoque equeſtri ordini locus, ſuus Principibus viris fuit; Quippe Sexaginta nobiles, genus opesq́; apparatu teſtati, ſplendido equitatu affuêre, turbæ minorum haudquaquàm immixti. Vbi Palatio ſucceſſit, Boldrinus Epiſcopus toto clero ſeptus, dignitatis inſignibus indutus, ſe reuerentem exhibuit; ſed & cum paululum amotâ turbâ conquieuiſſet, Senatus præſidens Paulus Arrigonus patriæ ſuæ nomine, breui ſed ornato ſtilo, fauſtum reditum precatus, Principis ac Ducis effuſam lætitiam expreſſit. Flexo in veſperam die, rectâ in Vrbem contendit. Pro foribus Theodorus Sanctus Georgius, nobili Monferratenſi familiâ, multisq́; ſui Domini beneficijs ornatus; aureo puluino, claues Ciuitatis obtendit; tanquã ſui Principis vice, poſſeſſionem permitteret. Aſpernatus Henricus eſt, manumq́; ne contingeret inhibuit; & ad Gulielmum conuerſus, inquit: Modum erga me caritatis excedi, vt beneficij magnitudine confundar, onerare eſt. Dux ſe nihil habere, quod tanti Principis gratiâ non impenderet reſpondit. Simul argentea vmbella profertur, quam primâ è nobilitate octo iuuenes, argenteo pariq́; induti ſuſtulerant: Annibal Gõzaga, Nicolaus Maffeius, Hieronymus Boldrinus, Scipio Guerrerius, Valerius Cataneus, Philippus Nuuolonus, Hieronymus Amorottus de Andreaſijs, Gulielmus Suardus. Tota Vrbs quâ Ducales ædes petebãtur, ſericeis auleis ſtrata erat. Plures diuerſis Ciuitatis locis Arcus erecti, potentiam, Gallorum gloriam, nobilitatem præferebant. Campanarum aſſidua pulſatio, tubarum concentus, bellicorum inſtrumentorum ſonus, auditum ademerant. Et quamquàm diſpoſiti muſici, in ſummam lætitiæ conferrent, clamore prætereuntium, exultantium iubilo, fauſtis acclamationibus, frequentiâ equitatus vincebantur. Nil acerbius Duci accidit, quàm Scenicorum, decurſuum equeſtrium, venationũ apparatu (quæ inſolitâ apud alios munificentiâ inſtructa fuerant) non tempus, non occaſionem fuiſſe; citis equis in Gallias vocato Rege; & potiorem voluptatis partem omittere coacto. Teſtatus tamen gratitudinem eſt; & ſe non minus vnius diei officio Gulielmo, quàm hebdomadæ Venetis obligari: Læto pręceteris Ludouico fratre, quòd quamuis Duci ſupremo nomine conceſſiſſet, per immenſam tamen liberalitatem, familiæ decus approbatum apud Gallos foret; niſi propria laudantes. Et ne in Regem ſolùm oſtentatâ liberalitate, neglecti comites dicerentur, quinquaginta aurei torques inter nobiles diuiſi; eosq́; collo appẽſos in Gallia quoq́; oſtentauêre, addito dicterio; vniuerſos ſe catenâ Ducem Mantuanum obſtrinxiſſe. Sexaginta aureorum nummûm millia, huic liberalitati inſumpta, Ducum rationes ſubtrahunt; ſed ſpecioſiora defuêre, feſtinato diſceſſu ſepoſita. Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, ceptâ inter Belgas fortiſſimam nationem; nec non inter Genuenſes domeſtica diſcordia, ad arma, & plusquàm domeſticas inimicitias tranſgreſſa eſt. Belgæ libertati & nati & educti (niſi Religio ſpecie honeſti impoſuit) in Regem ſuum arma ſumpſêre. Genuenſes opibus vltra ciuilem modeſtiam adaucti, addidêre faſtum, contemptum reliquorum; de-

1575.

ſiderium

ſiderium ſupra reliquos præeminendi. Hinc indignatio, & nexis quibus eædem cauſæ, ac neceſſitudines ſuberant, in propriam perniciem properauêre. Frequens aduerſus nobiles hoſpitalitas apud Principem Mantuanum Iubilęi occaſione fuit; Inuitauerat, ſitus Vrbis, fama Ducis; nec minus literæ; quibus cupiditas proferebatur. Cęterùm multitudinem ciuium Mantuanorum, inuiſendæ Vrbis ſtudio, motam, Annalibus inſerere, procul grauitate Hiſtoriæ duximus; licet pietate Ciuitatem ex vero commendare, gloriam habeat. Belli per Liguriam metus, armorũ in Belgas apparatus, haud dubiè Gulielmum retinuêre, quò minus religione ac Pontificis amicitiâ illectus, Romam properaret. Et Gregorius cui caritas Principis perſpecta, nec exceſſu approbanda erat; nîl ipſi abſentia detractum, aut imminutos theſauros Eccleſię voluit, tranſmiſſo Breui, quo iiſdem ac Ciues Vrbis indultis vteretur. Sequens annus extincto Maximiliano Cæſare, Rodulphum filium Imperatorem habuit; proximè olim ſucceſſioni deſtinatum. Gulielmus & mœrori & lætitiæ mixtus; miſſis oratoribus ac muneribus, conſanguinitatem teſtatus eſt; licet exiſtimatione amoris, temperamenti non egeret. Sed nouo diplomate, firmandæ Prouinciæ; & ſubeundum ſacramentum fidei erat; vſu Regnantium. Specioſa ſingulorum ſeries erat, cum conſanguineũ alter, alter Conſobrinum appellaret; quaſi ideò cõcederetur, quod hęreditate meruiſſet. Nullâ interim obſequij ſignificatione Gulielmus abſtinebat; vt Gregorius Pontifex, pietate ac officio obſtrictum ſe fateretur. Et quia de Cardinalium Senatu ſupplendo cogitari audierat; miſſus à Duce, qui Pontificem oraret, vt Ioannem Vincentium Gonzagam, tum Barlettæ Priorem, ordini aggregaret. Is in Monferrato agebat, toti Prouinciæ Viceducis nomine impoſitus: Comitateq; ac liberalitate aduerſus ſingulos adeò profecerat; vt poſſeſſio præſidij egere non videretur. Et licet iuuenis doctrinæ ſtudio minus exercitus, potiores vitæ annos, bellicis artibus inſumpſiſſet; decus tamen collegio Patrum, opibus, nobilitate, prudentiâ allaturus ſciebatur. Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octauo, Gregorius etſi Chriſtianorum Principum importunis literis diſtraheretur, pluresq; à potẽtioribus poſcerentur; Gulielmi nihilominus vota cæteris ante habens, & familiæ & Ordini decus additurus, Ioannem Vincentium Cardinalem voluit. Addidit Gulielmus reditus annuos; vt officio domuiq; ſatisfieret; ſimul vt Vrbana exiſtimatio (quæ rarò in Principe, modico contenta eſt) expleretur. Non enim ſuperbiſſimi natales, aut per virtutes iter glorię properatum, populi gloriam, ſæculi corruptelâ nanciſcitur; niſi popularia accedant; liberalitas, comitas, faſtus; quibus Principes Cardinales à cæteris diſtinguũtur. Eâ cauſâ, argentea ſuppellex, & ſpecioſa domus ornamenta conceſſa; nihil apud Cardinalem honoris credens, quod ſibi commune non eſſet. Id erga familiam quidem; ſed non minora domi tranſigenda ſuberant; quæ curam Parentis vrgerent. Duę Gulielmo filiæ erant Anna, Margarita, vtræque nubiles; & famâ virtutum, à maximis Principibus requiſitæ. Cæterùm an nuptui tradi, aut Monaſtico inſtituto obligari, familiæ ac rerum Patriæ vtilitati

1576. *Rodulphus Imp.*

Io. Vincentius Card.

litati expediret, ambiguus Gulielmus ac Eleonora coniunx agebant. Aliqui, non acceptis in domum magnis fœminis, non alij conceſſis, plus decoris familiæ eſſe poſſe, quàm hactenus habuerit, ſuadebant. Eſtenſes iam, Bauaros, Brandeburgos, Auſtriacos, connubijs illigatos; neq; aliud ſplendoris ſupereſſe; quòd acciretur. Etiam Orientis Cæſaream nobilitatem per Paleologos inductam; vt certum ſit, non eſſe quod eâ causâ deſideretur. Pleriſq; connubio ſecuritatem & præſidium quæri; quibus minimè indiga Gonzaga Domus ſit; iam Imperatorum Germanorum affinitate, extra metum ſitam. Carolus Gonzaga è Domo Principe, & Gulielmo ante alios carus, contra diſſerebat; Nihil vnquàm nobilitati ac tutelæ ſatis; ſi nexis ſemel Auſtriacis ac Eſtenſibus(ij enim in ſponſos deſtinabantur)ſplendor adderetur; quantum illud incrementum fore; ſi denuò aſſumantur. Conſanguinates, vt reliqua mortalia, ætate lãgueſcere, extingui; opuſq; iteratis coniugijs, tranſeuntem caritatem attinere; vt fortius deuinciantur. Neq; eandem filijs ac nepotibus memoriam pietatemq; in affines. Quò recentiora vincula ſint, eò tenacius admonere. Proindè pellendam domo vtramque; & nobili Matrimonio hinc Archiduce, illinc Ferrarienſi Duce in generos aſſumptis proferendam reuerentiâ exiſtimationem. Placuit Caroli iudicium; eoque acceptius fuit, quòd Eleonora flagrantiſſimè cuperet, Gulielmus amore filiarum inclinaret, Principes ambirent. Gregorius quoq; Pontifex, miſſo Ioanne Antonio Facchinetto (quem Cardinalem ac Pontificem habuimus) obſtrepebat; ne maximis Principibus reiectis, eo decore familiam priuaret. *Nuptiæ filiarũ Gulielmi.* Niſi Eleonora coniunx, etiam contationes mariti metuens, vſa Pontifice fuit. Sic Anna Arciduci Auſtriaco Tyrolenſi conceſſa & tanto coniuge digno apparatu nuptiæ celebratæ. In Margaritâ plus difficultatis fuerat, quòd plures voluiſſent, cum tamen non eâdem vi niterentur. Ratio in Alphonſo Ferrariæ Duce maior depræhenſa; qui orbus ac cęlebs, puellam Mantuæ viderat, dum feſtis Bacchanalibus, diſſimilitudine ſui vſus, Vrbem incognitus pererraret. Aetas haud dubiè iam vergens accuſabatur; vires tamen, vicinium, ſpes videndæ quandocunq; libuiſſet filiæ, Eleonoræ matris caritas, præualuêre; vt Gulielmus deliberationum ſegnis, ſuperaretur, & ante alia Alphonſi ſtudium; Sed in virgine pudicitia, nobilitas, maieſtas, rara erant; pulchritudo etiam ſpem omnium ac vota ſupergreſſa fuerat; vt aliam formâ circumferre, flagitium crederetur. Ea tamen, vt inanis negligebatur; ne fugacia alienaq; in dotem traherentur, aut formâ tantùm commendaretur. Virtutum cura maior erat; hinc modeſtia, verecundia, pietas, honeſta comitas, propria decora viſebantur. Venêre è Germaniâ Archiduces Auſtriæ, Cardinales, Bauariæ ac Brunſuicij Duces, miſſi à Cæſare, nuptijs magnæ neptis, decus allaturi. Exteris præcipuè innoteſcere, vna Gulielmi gloria erat. Proindè regiæ hoſpitalitati collata liberalitas; vt victi potius Germani quàm ſatij, confuſi quàm admirati reuerterentur. Vulgata Brunſuicenſis ſententia, totam Europam peruaſit, Principis nomen apud Germanos frequens, vim apud Gulielmum eſſe. Et facilè creditum,

quòd

quòd nullus ferè Principum, eâdem hoſpitalitate vſus non foret. Diebus quibus hoſpites immorati; decurſibus, ludis, Scenâ, venationibus, nòti, perſonati oblectati ſunt; Vincentio Gulielmi filio, ſimilia ſtudia, licentius ob ætatem vſurpante. Deducta Ferrariam noua nupta eſt, Februarij vicesimâ quartâ, Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono. Mediâ exulrantis Vrbis lætitiâ, tantùm queſtus ac lachrymæ Ciuibus fuêre: Vt proprijs quàm alienis fortius ducimur. Quippe familiæ ornatum, decus, ac ſpes ſuas, aliò transferri lamentabantur. Et accepta parentibus populi caritas fuit; mixtâ gaudio mœſtitiâ. Miſſi è nobilioribus qui comitarentur; docerentq; Ferrarienſes, faſtu ſuæ aulæ turgidos, apud alios quoq; ſplendorem reperiri. Aemulatus magnificentiam haud dubiè Alphonſus eſt; habitosq; Mantuanos nobiles plures dies Ferrariæ, ſingulari amoris oſtentatione dimiſit. Dum interim Gulielmus curis domeſticis intentus, gloriam quiete ac vrbanis virtutibus ſectatur, Ludouicus frater, militaribus ſtudijs clareſcebat; Regi ſuo magnitudine animi; Rebellibus rerum fortitudine iuxtà notus. Tantumq; aſſiduitate officij profecerat; vt ſi quid arduum, eius induſtriæ crederetur. Summum contumacibus ad Rocellam robur erat: Illuc arma, commeatus, inſtrumenta bellica, ac fortiſſimam iuuentutem deduxerant; quòd Ciuitas ferendæ obſidioni valida; muro ac foſſâ eſſet; & ſecretis amicitijs vſa, vim hoſtilem rideret. Etiam munimentorum ſecuritate freta; excurſiones audebat; frequentiores quàm clauſis expediret. Sic properatum Ludouico periculum, ne prouocatus diſcrimen ſubterfuere diceretur. Ergò dum audentius, quàm Duci conſuetum, propugnaculis ſuccedit, ſuos pugnam hilariter capeſcere hortatus, bellici tormenti ictu ſaucius, decoram honoramq; claudicationem retulit; quâ totâ vitâ, teſtimonio virtutis vſus eſt. Minimâ pedis cura Regi erat; ſed audito vùlnere, de ſalute formidauit; ſtatimque peritiſſimo Chyrurgiæ adminiſtro per citatos equos tranſmiſſo, incolumitatem amici deſiderio teſtatus eſt. Iam Ludouicus è Medicis benè ſperare iuſſus, facilius tolerabat; cum affuit Chyrurgus, & acrem Regis dolorem referens, conſtantiam orauit. Tum ille, actis Domino gratijs reſpondit; regrederetur; nec aliam quàm vnius equi iacturam fore doceret; quòd hactenus pedes Regi ſuo depugnare deſiderans; equo inpoſterum indigeret. Sed virtus non in còrpore, magis animo erat. Itaq; ſecuto dolore ac febri, parum abfuit, quîn exanimaretur; niſi lacera intus pars computruiſſet; foraſque oſſa dediſſet, quorum aculeis nerui lancinabantur. Tum vulnus ſolidatum; & metus deſijt. Pari opinione fortitudinis, nō minori fortunâ vſus, Octauius Ferrantis filius, vniuerſi equitatus in Belgio Ductor ſtipendia faciebat. Non enim alia tempora, miſerrimam Prouinciam grauius afflixêre; Religionis ſpecie elatam; & præſumptâ libertate tumultuantem. Habuêre magni viri virtutes occaſiones erumpendi; & teſtandæ fortitudini, pares exitus. Quamquàm laus quæſita; ætatis, temporum, æmulorum causâ, plerumq; ſummum non pertingat. Merita, & congeniti ſummæ gloriæ animi, ortu ipſo emergunt; vt nil teſtimonio deeſſe credatur, niſi cum periculo expe-

1579.

Ludouici Gulielmi fratris virtus.

Octauius Gōzaga.

experimentum; Subſit ignauia; né cum certâ quidem ſpe gloriæ emergimus. Raram in Octauio Gonzagâ indolem, nexæ virtutes docuêre, auctoritati modeſtia, fortitudini conſilium, conſtantiæ tolerantia. Neq; Rex Hiſpanus neſcius agebat; cumq; nobili præmio proferre cæterorum conatus; & ornare multorum vno in Duce fortitudinem meditaretur, morte preuentus eſt; vt poſteris parenti debita exſoluerentur. Iam Vincentio Gulielmi filio ætas cum viribus acceſſerat; & vnico filio ſucceſſio innixa coniugium ſuadebat; Itaq; inter Alexandrum Parmenſem Ducem, & Gulielmum, de nuptijs tranſactum eſt. Vtriq; formæ decus, & matura connubio ætas; nec minus cætera reſpondebant; vicinium, Patria, mores, & ex conſanguinitate præſidium. Nuptiarum infauſta plerique in puellæ matrem referebant; tãquàm gnara difficultatum tacere tot calamitatum periculo potius voluerit, quàm nobili confeſſione, vtramq; familiam diſcrimine liberare. Margaritam filiam Parmenſis Dux vnâ cum matre è Belgio miſerat; vt vicinius, nuptialia tractarentur. Cæterùm menſes aliquot Mantuæ, nullâ ſpe prolis egit; naturali impedimento vxoris, contractas nuptias dirimente. Quod vbi innotuit, quamuis Gregorius Pontifex, Carolus Borromęus Mediolanenſis Archiepiſcopus Triceſimum poſt annum in Diuos relatus; quique conſilio aut curâ aderant, nullo ſtrepitu, puellam patrijs laribus reddi ſuaderent; non deërant tamen, qui pertuicaciam amplexati, contra niterentur: Ne coniuges egregiè concordes inuiti ſeiungerentur; & ætatem in puellâ non morbum cauſandum: Simul famæ ſtudendum, quæ in ſimilibus vſq; ad iniurias eſſet proceſſura. Gnari tamen veri; & quibus non alius quàm ex honeſto finis erat; ipſo iure irritas nuptias reſcindendas; mutuâ ſponſi & ſponſæ volũtaté annuere; nullam ætatis, ſed naturæ culpam eſſe docebãt: Nec parẽtibus ignominiæ dandum, ſi connubium omittatur, vbi deſit per quos exerceatur. Non enim minori moleſtiâ Gulielmum reijcere, quam præ cæteris ſemel delegiſſet, quàm aduerſos recipere. Sic prudentiorum conſultis, ſublata belli occaſio, & voluntas neceſſitati accomodata. Res omnis per Artis peritos, & Borromęum Cardinalem æſtimata; & cum vniuerſi Gregorio veritatem prædixiſſent, diſſolutum eſt; quod ligari iure non poterat; ſi quæ tardè claruêre, initio patuiſſent. Milleſimus quingenteſimus octuageſimus primus annus erat; qui Mantuanis vt parum ex voto fuit; ſic extra Italiam Principibus, per mutuas diſcordias obuenit. Galli contra Hæreſeos ſectatores, Belgæ pro libertate, contra Hiſpanos dubio ferè bello contendebant. Qui latè in Septentrionem diſiecti Reges, in mutuam perniciem nitebantur. Polonus, Suecus, Moſcus. Non cædium; non ſanguinis, nõ prædarum modus erat, quòd inter barbaros, non proferendi imperij, ſed excidij causâ certaretur. Nec tamen minores aut longius ſiti putabantur; ſed Germanias, Aſiamq; in bellum tracturi; & Turcum ſpectatorem Chriſtianæ diſcordiæ, in perniciem Europæ ſollicitaturi. Id Gregorij Pontificis animum altè perculit; qui miſſis in ea Regna Societatis IESV religioſis viris, Moſcos præcipuè ſalutaribus inſtitutis imbuere ſatagebat. Exuerant quippe cum Conſtanti-

Nuptiæ Vincentij cũ Farneſia reſcindunt.

1581.

ſtantinopolitano Patriarchâ, Sedis Apoſtolicæ obſequium; & à nobis diuiſi peruicaciam retinebant. Etiam vicinium Vrbis ſatis ad profitendam perfidiam videbatur; quod miſſi ab Boſphoro Thracio Monachi, prauos ritus inferrent; aut ſi conſona cupitis reperiſſent, approbarent. Iam ſtrepentibus bello Prouincijs, de fide decernere arduum ſciebatur, inter infeſtos, & neſcios mutuæ caritatis. Si quid ſpei, in pace erat. Miſſus à Gregorio Pontifice Nuncij nomine, Antonius Poſſeuinus Patruus meus; doctrinâ, ætate, & ingentium rerum factis, toto Orbi ſatis notus; vt diuerſos amicitiâ necteret, efferos animos molliret; ſimulque religionis dogmata inſtillaret. Hic Pragæ primùm Rudolphum Cæſarem conuenit; cui ſimilia cordi, & vt auctoritas apud Barbaros, conſcio rerum Imperatore eſſet. Bis illi Sueticus Sinus tranſnauigatus, bis adita Moſcouia, quater Poloniæ Regia, ſemel Saxonia, bis Pomerania, ter Liuonia; ſæpius Pruſſia eſt. Quibus in locis, vt Suecum, ac Moſcum recipere Sacerdotes Catholicos peruicerit; aduerſus obſtrepentes Ruthenos, & Dauidem Chytręum diſceptauerit; vt poſtremò iactis religionis in vtroq; Regno fundamentis, hinc Battoreum Polonorum, illinc Ioannem Baſilium Magnum Moſcouiæ Ducem; parte alia Ioannem Suecorum Regem, mutuæ amicitiæ illigauerit; & Oratores ab Moſcouitâ ad Pontificem expreſſerit, ipſe omni detractioni ſuperioribus commentarijs proſecutus eſt; & alij temporum ſeriem executire tulêre. Laudi ac commendationi nepotis, mendacij ſuſpicio nexa eſt. Sed res atteſtantur; & Romani Annales referunt; vt nos onere ac detractione leuent. Societas certè prouectam ſe in Septentrionem; & Collegijs Olomucenſi, Brunenſi, Pragẽſi, Poſnanienſi, Bransbergenſi, Vilnenſi auctam fatetur. Et Poſſeuinus quidẽ cum æuum viresq; Sedi Apoſtolicæ ac Religioni ſuæ impendiſſet, æmulatu minorum, fortè peiorum inuidiâ, neglectus, ac in Ferrarienſe ſecretum ſepoſitus; plures annos, innominatus tolerauit. Quâ causâ, & quia rerum exordia ab ijs maximè promouentur, qui cępere, hinc auulſo Poſſeuino paucos annos pax, & fidei conſtantia non in longum fuit: Niſi Græcam peruicaciã, & barbaros mores obedientiæ neſcios incuſemus. Polonorum excurſibus, gloria veteribus quoq; parta eſt. Nam ad Ponthi Euxiui confinia; inter vetuſtæ, & nobilis quondam Vrbis (cui nomẽ Gentilitium Tomitũ creditur) ruinas P. Ouidij Naſonis cineres pulchro cum titulo reperti. Qui licet ingenti marmore ſeruati; æſtimatione tamen nobiliſſimæ prædæ, in Poloniam aducti ſunt. Nos longo labori ſubleuando, carmen inſeruimus.

Antonius Poſſeuinus.

Ouidij Sepulchrum.

Hic ſitus eſt Vates, quem Diui Cæſaris ira
Auguſti, Patriâ cedere iuſſit humo.
Sæpe miſer voluit patrijs occumbere terris,
Sed fruſtra: Hunc illi fata dedere locum.

Gneſnæ in Poloniâ eram, cum Plauſtro ingenti, cui ſex iugales ſuberant, lapis deduceretur. Audio Cracouiam deuectum. Niſi ſecuta paucos poſt menſes Stephani Regis mors, qui delegati muneri fuerant, curam omisêre. His fermè temporibus grauis Annæ (quæ Ferdinando Archiduci denupſe-

rat) valetudò ſucceſſit; & diu coniugem, Parentes, ac Patriam in ambiguo
habuit. Sed quamquàm ingens morbi vis, ſuperata eſt; quòd in fatis eſſet;
eo è coniugio Imperatricem oriri, quæ Mathiæ Cæſari deſponderetur. Su-
pererat Vincentius, vnica ſpes ſucceſſionis vacuâ ſororibus domo; quamuis
æmulatio longè eſſet; & Parentum quàm propriâ cauſâ ſollicitus. Itaque
Eleonora, Franciſci Magni Hetruriæ Ducis filia, ſorore Eleonoræ matris ge-
nita, ſororiq; Mariæ, cui plures poſt annos, Galliæ Regis Henrici quarti nup-
tiæ, velut Numine ſeruabãtur, quęſita eſt. Nulla inter dantem & accipientẽ
auerſio; non fortuna, non exiſlimatio maior erat, quin illicò annueretur; niſi
vulgata languoris Venerei cauſa, ſuſpẽſum Franciſcum Eleonoræ parentem
attinuiſſet. Quippe recens adhuc rumor per Italiam erat; magnâ Parmen-
ſis iniuriâ diſſidium inductum; & nouis nuptijs idem diſcriminis imminere.
Hetruſcus Dux quoq; per iocum edixerat; non ſe Pepones libatos veno ex-
ponere; metuens ne prioris fortunam, ſecundæ nuptiæ ſequerentur. Quod
gnarum Principi Mantuano, auſusq; experimentum teſtari; & paratum ſe
eluendo mendacio. Angelica quoque Scęnæ ſtudijs, & tibijs canere docta,
ſuſpiciones Florentinorum irritauerat, tum primùm Florentiam delata. Nã
orto inter primates de Vincentio ſermone, inualidum faſſa eſt: Vt quæ plu-
res annos quæſtum corpore feciſſet; niſi eius petulãtiæ irrito conatu paucos
ante dies, Vincentius iuuenili licentiâ illuſerat; ipſa gratiam mendacio quę-
rebat. Eleonora Vincentij mater; vbi coniugij periculum flagitio ſumi; &
initium pietatis ſcelere inſigniri comperit, Religionis reuerentiâ, componit
ad Hetruſcum literas; quibus ſordes, & crimen deprecabatur: orabatque
ne ſtupro fides emercaretur. Sed id quoq; formidoloſiorem Socerum red-
didit; velut experimento mater diffidiſſet. Neq; enim ſimilia magni æſti-
mabat; dum metum irriſionis amoliretur. Et Gulielmus Pater, multò ante
veritatis manifeſtus, ridere periculum, nec abnuere, ſed filio concedere.
Venetiæ dilectæ, quò puella honeſto loco nata cum Medicis lenonibus tranſ-
miſſa eſt, haud dubię virginitatis. Neque illa congreſſum abnuit; ſpeditis
coniugij, quod licet per turpitudinem mereri properabat. Vincentio forti-
tudinis gloria, & pulſæ Farneſiæ rationi, veritas addita. Quo non aliud cer-
tius argumentum, vulgi nugas, queſtusq; irritos diſiecit. Oblatum quoq;
puellæ aliquot millium munus, accipere prohibita; & in Patriam reducta,
nobilis connubio iuncta eſt; cum Ducis ſui liberalitate, dotem accepiſſet.
Ergò felicioribus auſpicijs Eleonora noua coniunx, Mantuam deducta eſt;
Eleonora Medicęa vxor Principis Vincentij. Milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto; læto præ cæteris Gulielmo;
quòd præteritos motus ſapientiâ ſedauiſſet; puellamq; magni nominis, neceſ-
1585. ſitudine iunctam, penatibus ſuis induxiſſet. Quidquid approbandæ maie-
ſtati; & recreandis populorum animis, teſtandæ in Nurum caritati, inueni-
ri potuit, additum. Aureæ quadrigæ, Diadema Regium, arcus, trophęa,
ludi, comitatus procerum, feſtus templorum ornatus, iuuentutis ornamen-
ta, collata ſunt. Acceſsêre decurſus equorum, ſimulata imago belli, iacta
in vulgum pecunia, carcerum recluſio, pauperum ſubleuatio; Vt non ciui-
bus

bus, non ſponſæ, plus animo concipere, quàm accepiſſent, liceret; expletâ potentiâ, & deſiderio. Iam verò ne qua pars vitæ, Gulielmo per inertiam laberetur; quando domui, & filiorum vtilitati ſucceſſionique conſuluerat; annonam ac iuſtitiam ex æquo præſcripſerat; pietati, ac puerorum educationi animum intendit. Sumpto à maximis Imperatoribus exemplo; vt eo velut Seminario, vniuerſorum ordinum miniſtri ſupplerentur. Inter conſultores ſententijs decertatum, quò potiſſimùm Ciuitatis vtilitati proſpiceretur: Domeſticas filiorum educationes pleriq;, vt infructuoſas carpebant; vitioſâ patrum caritate diſciplinæ rigorem non admittente: & æmulatione deſideratâ, quæ inter pares, acres ad virtutem ſtimulos miniſtrat. Proindè vocandos in curam Societatis IESV religioſos, quorum ſanctimoniam, honeſtatem morum, adoleſcentùm totâ Italiâ eruditionem Europa omnis cum vtilitate cognouerit. Et licet pleraq; obſtreperentur, ea tamen vulgo recepta ſunt; ſed Societatem aliqui oderant, nulla iniuriâ perſpectam, nomine tãtùm faſtiditam. Aſueſcere gentem ſæculi curis referebant; vt nîl domeſtici aut forenſis negotij incidat, quod illi ad ſe non trahant. Intrudi ſecretis Principum, priuatorum rebus implicari: Pietatis ſpecie domos primùm; mox Ciuitatem ac Senatum ex arbitrio formare, tantò maiori facti inuidiâ, quantò magis à profeſſione alienâ. Muliercularum ſecretis ſenſim adrepere; hinc in maritos proficere; poſtremò vti in ſuam cauſam affinitatibus, amicitijsq;. Id ante alia inuiſos reddere, quòd auiditate opulentiſſimis patrimonijs inſidientur. Abſtractis à vulgo ſecretum competere; quamquàm operâ vtiles ſciantur; nam ſi quid ſiniſtrè aut ambiguè interpretetur, ſæpè innocentibus imputari. Deniq; etiam familias haurire; tractis in idem inſtitutum adoleſcentibus, ingenio potioribus, formâ elegantioribus, natalibus nobilioribus; vt vel ab ipſis quæſtum ſubtrahant; vel famam nominis non minus vtilem opperiantur. Ieſuitæ ipſi Sedem non orabant, non poſcebant. Quin imo legatam ſibi à Cardinali Hercule pecuniam repetere dicebantur, quam Gulielmus ſoluere nôlebat; quòd ſe hæredem abnueret. Eleonora Auſtriaca coniunx, calumnias in Societatem exceptas marito coram iugulauerat: Implicari ſæculi negocijs Religioſos, non nouum, ſed vetus, etiam Gentibus inſtitutum eſſe; quotieſcunq; communi bono conſulatur. Nec ſpontè curas ſubire, ſed aduocari, impelli, orari. Cæterarum Religionum exordia tenuia, piorum largitionibus adaucta. Sic agros Oppida, Vrbes, Prouincias teſtamento accepta cum commendatione, neque tamen his ſtudere; ſed exilem cenſum conuelli. Et quidem vitæ neceſſaria ijs concedenda, qui publicæ vtilitati æuum omne conſumant. Poſtremò Sacras declamationes, formationes animorum, eruditiones nobilium adoleſcentum, ingenio egêre: neq; torpidos ac ignauos tantæ moli pares. Gulielmo cenſum honeſtum, nobilem indolem commendante; id ſolùm diſplicuerat, quòd ſæculi negocijs miſcerentur; & ne peiorum opinione vteretur, coniugem cum ſpe dimiſit; ſumpturus haud dubiè animi quo acceſſiſſent, experimentum. Aderant iam qui Sedem, neceſſaria, Principiſq; voluntatẽ

An Ieſuitæ admittendi ſint deliberatur.

 exqui-

exquirerēt. Hos inter Antonius Poſſeuinus Patruus meus, Regū ac Principū moris peritus venerat; Quem ſic Gulielmus allocutus eſt: Vniuerſi Orbis vtilitati; ſiue doctrinâ, ſiue exemplo occurrendum ſit, Societatem veſtram inſiſtere; etiam qui non nôrunt, famâ didicêre. Et ipſe Pontificis literis certior, opinioni certitudinem addidi. Hic idem populi amor, qui vos, me quoq; impulit, vt optimis educatoribus pueritia Mantuana inſtrueretur, & Ciuitatis illecebris abſtraheretur. Vos operam, ego pecuniam conferam; ſed minus eſt quod priuato deſiderio impenditur; & me quem ſummo loco ortum, & plurimûm ſplendoris proferentem ſcitis, excuſabitis, ſi medi ocria dedero; quia nec opulentiora accedere renuo; & quò plus opum eſt, eò plura onera incumbunt. Vobis quoq; domorum Illuſtrium miniſterio, augere fortunam, & anguſtias excludere concedetur; teſtamentis, legatisq́; captandis intenti, vt noſtra exoneretur, vulgi caritas proferatur. Bono ciuium, propriæ res meæ quoq; magno onere leuabuntur; quòd certiſſimis conſultoribus & arbitris, negociorū maxima, ſpecie Religionis tranſigentur. Scio non abnuitis Vrbanas curas; vt qui veteri inſtituto, honori ac commodo populorum inſudatis. Poſſeuinus vel prolatatâ Religione celeberrimus; quiq́; ſuſpiciones aulæ, otioſorum conuicia non ſemel exceperat, reſpondit: Augere ſubditorum pietatem; & iuuentæ in corruptelam facili, opportunis remedijs occurrere, proprium Principis decus eſſe; certiſſimam ſecuritatem. Non enim ſeditiones, non coniurationes, non tumultus his legibus innutriri; neque alijs moribus populos, quàm quos in iuuentute imbiberint, ſpectari. Quòd ſi accedat pietas; nīl votis Dominorum ſupereſſe. Et quāquàm plenâ Ciuitate monaſtici inſtituti viris, non exemplum, non caritas deſideretur; Principis tamen gloriæ verti, accerſiri Societatem, quò pluribus munimentis morum populi cenſura innitatur. Nullam virtutem nimiam eſſe; & veteri ſanctimoniæ, recentium acceſſu, non leues ſtimulos addi. Interim Religionem beneficio obligari; non quòd opes, ædesué inuenerit (nempè his vt operę requiſitis indigere) ſed quòd fiduciam. Nec enim leue momentum famæ eſt; credantné Principes Ieſuitis, an auerſentur. Diuitias neq; cupere; vt abundantiâ diſtendantur; ſordidam tantùm inopiam deprecari; ne egeſtate & curâ rei familiaris; à ſtudio, & diſciplinâ iuuentutis abſtrahantur. Non Orbos, non teſtamenta, non legata ſectari (quòd pleraq; in auctores reijciantur) & ſi quid prioribus accedat, ſtatim augere doctorum, ſacerdotum numerum; vt Patriæ beneficio, pluribus adminiſtris ſeruiatur. Ita quidquid pijs erogationibus accepiſſent, id totum Patriæ impendere; dum in iuuentutis cultum religioſos enutriunt; & Mantuani pietate ducti, aditum locumq́; in Societate habent, vt in ſuo. Ingenuorū adoleſcentum curam, vt cum doctrinâ virtutes hauriant, Societatis inſtitutum eſſe; Animorum cultui apud cæteros operari: Nec diuersâ causâ ciuilibus negocijs immiſceri; & niſi vocatos, & rogatos. An iuſtitiam, honeſtas nuptias, legata cum pietate dictata, pacem ciuium, pupillorum apud præpotentes commendationem; alius maiori diligentiâ aut caritate proſequatur, quā

qui

qui Confeſſionibus aſſiduus, ſingulorum conditionem nouerit? Sic pauperes ſubleuari; inopes, & formâ periclitantes virgines honeſto loco iungi; ſic pupillis tutores; ſic oppreſſis ſubſidium comparari. Orare proinde Ducem prudentiſſimum; ne profeſſione morum ac eruditionis ſecretos Ieſuitas, ad negocia vertat, & auertat à ſcopo. Plus Societatem quiete, quàm inter ciuiles tumultus, tractatione negociorũ proficere. Imo debere ſimilia (quòd niſi inuidiâ ſumantur) ſponte vitari. Senſit non inſolens prudentiæ Gulielmus, præoccupatam opinionem; & cum ſpeciem veri præſeferret, eluſam: Neq; ſine iudicij vi Societatem eſſe, quòd vel abſtineat, vel tegat. Sed ſuũ decus, ſuorum commoda recolens; & non tentaturos ſecreta niſi coactos, habere Mantuę voluit, nobili Vrbis ſitu ædificationi permiſſo. Sunt qui Eleonoram Gulielmi coniugem, munificentiamq; circumferant. Et licet iuuiſſe pecuniâ; & ceptantes protuliſſe ad ſtudia vulgi certum ſit; Gulielmo tamen inductionis gloria affingitur. Et nos à Poſſeuino patruo non ſemel audiuimus, oratum à Gulielmo Pontificem, vt mitterentur. Eodem Religionis Chriſtianæ intuitu Camaldolenſes Monachi inducti; ne quid deeſſet Ciuitati, quod ſpeciem ac ornatum conferret. Idem annus, Indici Orbis Hiſpanorum peregrinatione; & Regum Iaponenſium ad Pontificem legatione celebris fuit. Qui immenſo pelagi ſpatio, duodecim paſſuum millia emenſi; Romam Viceſimâ ſecundâ Martij venêre; obſequium, & paratum Sedi Apoſtolicæ animum offerentes. Excepti toto itinere, Regum ac Principum liberalitate ſunt. Et ne degenerem ſe Gulielmus oſtenderet; proſecutus abeuntes officio eſt; in iuuenes comitesq; iuxta magnificus. Deduxerant Societatis Iesv Religioſi; vt quorum laboribus ad fidem acceſſerant, Duces experirentur. Nec parum ad maieſtatem, Sedisq; Apoſtolicæ gloriam contulit, ſpectari iuuenes, quorum Inſulas adhuc, an in naturâ eſſent ambigebatur: Vulgatâ conſuetudine, difficilibus, & quæ experientiâ neſciantur, fidem abrogare. Cæterùm cum Mantuanæ ac Monferratenſis Prouinciæ cauſis, pridem impoſiti Iudices, non ſufficerent; & longitudine ac labore litigantium, frequentes querelæ eſſent; inſtitutus à Gulielmo Senatus eſt; additâ rei ex nomine dignitate; ac Doctoribus, quorum prudentiæ iuriſdictio permitteretur. Nec enim hactenus Iuriſconſultorum cętus, qui lites dirimeret, ſcelera requireret, ad hanc formam erat. Et Gulielmus tum vacare; & leni otio ſe vti credebat, vbi iuſtitiæ ac annonæ cautum foret. Quæ per integerrimos obiri expediebat; abſente ferè Duce, & cęli Mantuani inſalubritate euitatâ, delectoque Goito; quod agro elatum, Mincio irriguum, & nobili Arce conſpicuum erat. Veteri ædificationi, nouâ expensâ Gulielmus decus addiderat; foſſam duxerat, picturâ ornauerat, Villã ad latus ſtatuerat; intuleratq; D. Benedicti Monachos; loco exiſtimationem. Secuta Gregorij Pontificis mors; ingenti Chriſtianorum damno; vt qui pietate in Deum, caritate in exteros, comitate in ſuos, ſummum gloriæ attigiſſet. Quidam ſuperſtite eo, in Vrbe nimiam licentiam carpebant: Vnde Sicariorum copia, & facinoroſorũ vis increuerat. Suffectus Sixtus quin-

Camaldolenſes Monachi.

Iaponij.

Senatus.

quintus eſt, prudentiâ conſtantiâ, rigore diſciplinæ, veterem ad morem efformatus. Huic quamquàm abiectis natalibus, ſummæ virtutes, regiam nobilitatem parauêre. Per ſingulos dignitatum ordines,ad ſummum faſtigium euectus eſt,quem certè meruerat. Cum in Cardinalatu eſſet, nihil intentatum omiſerat; vt D. Franciſci Monachos, quos Minores dicunt, Mãtuam reduceret. Reciperentq; Religionis ſuæ ædes, quas multos ante annos, in præſentem arctioris inſtituti obtinebant. Pulſine an ſponte exceſſerint, in incerto habeo: Nec enim ſpectatiſſimo ordini flagitium affingere, niſi cum temeritatis notâ auſim. Sed Gulielmus, quamquàm nullâ in Monachos inuidiâ, obſtiterat; & cum intentius repugnaret, etiam Sixtum offenderat. Nam cauſam diſceſſus protuliſſe dicebatur; cui ante alios Pontifex intonauerat. Adepto Pontificatu, veteres æmulationes exceſsêre; ſiue inanes, ſiue in præpotentem Principem fruſtra ſumerentur; & ſuis, & alienis viribus ſecurum. Sed Gulielmus nullo ſucceſſoris odio indignatus, aut iacturâ amicitiæ, plus debito in ſpeciem indoluit; licet tegeret mœſtitiam; & ſe nullius ſtudio ſollicitum oſtenderet. Amicum certè Gregorium cum inter viuos ageret, Gulielmus habuerat; ſed precibus, gratijs, indultis, nominatibus delaſſauerat; adeò, vt impatientiâ Pontifex ſemel proruperit; & quando tres Gulielmos Duces Chriſtianus Orbis habuiſſet, omiſſurum ſe Pontificatũ profiteretur. Crediderat Dux officio, obſequio, cõſtantiâ, apud Senem vniuerſa peruincenda. Et eâ causâ præcipuos Pontificiæ aulæ, muneribus deuinctos, ac ſtipendio illigatos habebat; qui votum deſiderijs cõferrent. Laſſauerant diremptæ Ferneſianæ nuptiæ, prouectus ad Cardinalatum Ioannes Vincentius Gonzaga, ſtatim ad Sacerdotium ab militiâ tranſlatus; Cultus Diuæ Barbaræ Pontificio æmulus; deniq; Eccleſiaſticorum redituum, frequens in hunc illumuè mutatio. Cuncta tamen Gulielmo reuerentiâ expreſſa fuerant: Nec quòd ſemel repulſam accepiſſet, abſtinebat. Cadit in Eccleſiaſticos quoq; nonnunquàm inanium æſtimatio: Nam Sixtus Mercurij diem fauſtum ſibi, prædictione in iuuentute nouerat; quo natus, quo Monaſticum inſtitutum ſumpſerat; quo Epiſcopatum, quo Cardinalatum, quo poſtremò Pontificatũ nactus fuerat. Sed vt cætera inania; hoc ipſum breuius deprehenſum, quinto anno ereptus; cum adhuc viribus, ſenectâ, plures vitæ annos meditaretur. Scipio interim Gonzaga, Vrbi, & in Pontifices obſequio aſſiduus, calcatâ virtutum ſemitâ, & Gulielmi ope (cuius indignationem, longâ humilitate fregerat) ſupremo ordini adſpirabat. Satis quod in ſe eſſet, nobilitatem, prudentiam, eruditionem, rerum experimentum opinatus, cætera acceſſura. Id etiam Symbolo oſtentare auſus eſt: Triremem valido remige inſtructam, vento tamen deſtitutam, flaceſcentibus velis, medio Pelago effinxerat, glorioſo cum titulo: Nitar proprijs: Id plures arrogantiam interpretabantur. Mollius Gulielmus: Non enim Scipionis nobilitatem, aliam quàm ſuam eſſe; & viro nîl ad decus accedere poſſe, quod totam familiam non adornet. Quîn veteris iniuriæ oblitus, aſſiduis precibus Sixtum orabat; promoueret Scipionem, & in ſe collatum bene-

beneficium crederet, cui vades gratitudinis ſpontè acceſſiſſet: Et Sixtus non deſiderio auerſus; ſed vt orari & obteſtari in gloriam traheret, paucos menſes deliberauit; quò merito Scipionis, commendationem externam neceret. Vbi ſe facilem oſtendit, paupertatem Scipionis cauſatus eſt: Nec enim decorum, egeſtate non Patrum ordini, non Mantuano nomini ſatisfacere. Id Gulielmus inane cenſuit; ſcilicet cui honorem ac decus quæſiuiſſet, etiam opes collaturus. Mittit, qui Scipioni annua aureorum tria millia, è ſuo Fiſco ſponderet; additq; literas, quibus pluribus paratum ſe, dummodò gratitudinem retinuiſſet, oſtēdit. Sed ante, quò maiori beneficio deuinciret, ſpei ac metus ambiguum; ſummiſſo qui fungeretur, memoriā veteris iniuriæ confudit, tanquam & meminiſſet, & vindictam expleturus foret. Scipio præterita reputans, certum rebus ſuis præſidium, è pœnitentiā credidit: Scripſit literas,quibus iuuenilis audaciæ ac temeritatis præruptæ errorē deteſtabatur: Simul orabat, vellet experientiā diſcere, an ætatis maturitate, obſequio; quàm iuuentæ incuriā iniuriæ paratior crederetur. Omnia ſe ex Gulielmo habere; & eò acrius miniſterio inuigilaturū; quòd obliterari vetera cupiat, in quæ ignoratione, ac ætatis leuitate procurrerat. Non ſuū quàm familiæ decus ſi aſſumeretur fore: Sed beneficium omne Duci imputandum, & laudem clementiæ. Triſtia quæq; recordatione erroris meditātem, miſſæ à Gulielmo literæ cum pecuniā, nec non ad Sixtum nouæ preces depræhendêre. Quò acceptior reconciliatio, & decus conceſſæ dignitatis euaſit. Sixtus quem hactenus Gulielmus retinuerat, vbi nullius iniuriā agere cognouit, Scipionem inter Cardinales adſciuit; quem laturum gloriam non minus, quàm honorem accepturum cognouerat. Non eadem in omnibus Gulielmo morum via; ſed primam vtcunq; grauem offenſam, promptè ignoſcebat; inſolentiā contumacibus, quibuſq; ſemel indulſiſſet, æternūm iraſcebatur. Eo ipſo Principum inſtituta ſupergreſſus; qui promptius iniuriæ, quàm beneficij meminêre. Sed Gulielmus, nullo potiori remedio, conſceleratos corrigi rebatur, & in reliquos exemplo profici. Profuſa quippe indulgentia, vt ſæpè ingenuitatem reuocat, ſic immodeſtiam ſolutiorem facit. Scipio ipſe recepiſſe beneficium ſatis non habuit, niſi fateretur. *Scipio Card.* Itaque frequenti Conſiſtorio, à Cardinali Comenſi rogatus,cur tantum à Gulielmo beneficij habuiſſet, cum tamen paucos ante annos acriter læſiſſet, reſpondit; ita Gulielmum primas iniurias punire. Sequens annus, ingenti lætitiā, domum eius affecit; nato ex Vincentio Principe filio, cui Franciſco *Franciſci natales.* nomen impoſitum, in decus ac ſubſidium. Idq; nimio gaudio Auus accepit; vt qui vno filio velut orbùs, inſtantius ſucceſſionem deſideraſſet. 1586. Quāuis enim tranſlatā in fratrem, aut ex eo filios dominatione; nihil familiæ detrahi videatur, læſam tamen naturam credidit; & curſu rerum ſpecioſior filij ſucceſſio iudicatur. Agebat tum Goiti Gulielmus, delicatiſſimo totius Italiæ amni, cœli ſalubritate ductus; & iuſtitiæ ac annonæ curā in Senatum ac Magiſtratum, præſidente ferè Coniuge tranſlatā. Aemulabaturq; ſolitudines ædificationibus, Caſtelli, Villæ, templorum; venatui, piſcationibus,

Rarò

Rarò ſub æſtiuos calores in Vrbem procedebat; ſed ambire & declinare Patriam ſatis opinabatur; velut ſeſe oſtentaret, & curis impoſitos, officij admoneret. Nato tamen nepote Mantuam profectus eſt; filium ac Nurum inuiſurus; & rumorem diſcuſſurus, quo tanquam ſeneſcens, & nebuloſo ſupercilio, odiſſe ſcelera differebatur; grata non recipere. Eleonora Soceri pietate potius recreata eſt; licet muneribus, quæ magna contulerat, expleuiſſet.

Ferdinandi natales. 1587. Maiori gaudio Milleſimus quingenteſimus octuageſimus ſeptimus incidit; velut firmatâ poſſeſſione; dato in lucem Ferdinando nepote altero. Et periti morum Gulielmi retulêre; ſolitum poſt feſtas epulas dicere; ſe tum plenius ac liberius reſpirare; quod filio iuuene, ac duobus inſuper nepotibus ſuperſtitibus; non ſibi amplius metu orbitatis ilia quaterentur. Hinc in leue otium acrius reſolutus; raroq; Ciuitatis acceſſu, Goitum prælegit: permiſſa Senatui, ac primatibus conſilij curâ; quibus diu aſueuerat, fidemq; nó vno exemplo didicerat. Et quò filium dominationis præceptis imbueret; ne rudis imperandi, paternam iuriſdictionem capeſceret, admouere Reipublicæ deliberauerat; potiſſimo conſiliorum auctore Tullio Petrozāno; quem honeſto loco natum, & per bonas artes capta exiſtimatione, prudentia, fides, ac ciuiles virtutes, in ſummam adminiſtrationis extulerant. Marcellus Donatus à Medicinâ ad aulam tranſgreſſus, non minori auctoritate erat; vt qui iam titulos mutauerat; & ingentem priuatis fortunis acceſſionem receperat. Petrozannus apponendum curæ Principem iam duorum filiorum parentem conſulebat; quòd vergens, & valetudine agitata Gulielmi ætas, adminiculo egeret. Donatus quia deſtrui per id fortunam ſuam; & infringi potentiam nouerat, publicè eadem; ſecretò, cum Patre, diuerſa differebat; ætatem, vitę licentiam, præceps conſilium ingerens; neq; dum vita ſuppeditet, omittendam dominationem. Tantumq; inculcatione profecit, vt Gulielmus abſtiterit: Sed ea conſilio ſecreti cuſtodia erat, vt Vincentium falleret. Tandem renum tabe diutius conflictatus, decimâ quartâ Auguſti, relicto ſui apud

Gulielmi mors. multos deſiderio, finem habuit. Princeps pietatis in Deum, caritatis in ſubditos, gloriæ, magnificentiæ incomparabilis: Primus qui Cæſarem, ob Sereniſſimi aliquibus per Italiam vſitatum titulum adgrederetur, dato cęteris imitationis exemplo. Hinc Regia coniunx delecta fuerat, vt etiam à matre, ſi quid noui ſplendoris eſſet, in filios abiret. Nec alio nomine ædificationibus intentus, magnam pecuniæ partem abſumpſerat; quàm vt æternā ſui apud poſteros memoriam relinqueret. Quamquàm auſterus, & expenſę parcus, erogandæ tamen per honeſta pecuniæ cupidus, nobiles adoleſcentes, liberalibus ſtudijs operatos, extra Patriam de ſuo iuuit. Mercaturæ ciuium, mutuo conceſſo ſubuenit; nullo ſcelere, ſed fortunâ egenos extulit, familiares inexpectatis largitionibus auxit. Iam Diuæ Barbaræ templum, intimis aulæ penetralibus, clero, apparatu, & inſueto ſeruitij more, ornatum à fundamētis erexit, Pontificio proximum, & Romanæ maieſtatis æmulum. Curua illi Senectus obtigerat, ante annos, ac parum valida; ſed quantum corpori natura ſubtraxerat, tantum in animum ac filium contulit; nam prudentiam,

dentiam, etiam qui vix famâ nouerant, fatentur. Secretum, ac ſimulationem, ſic abſcondere conſuetudine didicerat, vt nemini familiarium apertus eſſet. Delatum Mantuam cadauer, & Diuæ Barbaræ abdito ſacrario inditum, donec poſteri, magno Auo meritum tumulum erigant. Magnæ haud dubiè Gulielmi virtutes fuerant; ne tamen adulatione procurrere, recenti adhuc Principis memoriâ, & tacere quæ apud nonnullos carpebantur, ſtudio videamur; id quoq; perficimus; vt leuia ſi quæ fuêre vitia tradentes, in grauibus virtutibus fidem inueniamus. Iudicium penès prudentiores maneat. Primùm quidem grauiter in eo deliquiſſe traditur, quòd cum Iſabellam Veſpaſiani Sabionetæ Ducis filiam, tot Ciuitatum, Oppidorum, rerũq; à patre hæredem Vincentio filio coniugio locare poſſet, abſtinuerit; neque enim Materna Aragonum, aut Paterna de Gonzagis Nobilitas impar erat; & dos Decies Centena millia aureorum cenſebatur; præter nobiliſſimam Arcem, quæ in aliam familiam translata eſt; licet intra Mantuani agri viſcera conſiſtat. Nec minus Cremonæ causâ malè audiebat; quippe quatuor ante annos, cepta cum Hiſpanis negociatio, tranſactionis fuerat; vt Monferratum Mediolano, Cremona Mantuano accederet. Sed cum Pizicatonem retinere Regios velle audiuiſſet, quaſi imminueretur; conditiones neglexerat. Et tamen Hiſpanis hoſtibus nihil Pizicatonē apud Mantuanos profecturum erat; neq; ſecura Monferrati apud ſuos poſſeſſio credebatur; prævalido æmulo deſiderium iraſq; ſpirante. Populi quidem ac redituum iactura aliqua ſuberat; ſed vicinio poſſeſſionis, ſecuritateq; penſabatur. Finalem ad Liguſticum Mare leui quamuis pretio oblatum renuiſſe; ne Hiſpanis ſuſpicionem nouitatum, fęderumq; obijceret, aut eos ambientes luderet, iure omiſſum crediderim. Monitos tantùm lectores volo, conſilia ferè etiā prudentioribus ab effectis æſtimari: Et ferè meliora credi, quæ quis neglexerit. Sed Diuæ Barbaræ vaſtas ædes, poſtpoſito Diui Andreę templo, quod ſuâ è Domo Principes cęperant, auxerantq;; & erectâ ingenti turri, quæ cūcta circum campanarum importunâ pulſatione perſtringeret, ij ipſi quorum intereſt ſuperfluas fatentur. Inſumpta huic operi Centum quinquaginta aureorum millia; molem illam rari decoris, in faſtigium erexiſſent; quæ vaſtitate ac ornatu regio, præferret præſentium præteritorumque Principum maieſtatem. Sed facilè eſt tranſacta carpere; difficile omnium iudicio reſpondere. Milleſimus quingenteſimus octuageſimus ſeptimus; non vnâ clade inſignis, Franciſcum quoq; ac Blancam Hetruriæ Duces; nec non Aloyſium Eſtenſem Cardinalem, diuitijs, nobilitate, magnitudine animi, ſpectatiſſimum, rapuit. 1587. Gallia inteſtinis diſcordijs, in mutuam perniciem armata, ferro, igniq; graſſabatur, Britanni in ſuam Reginam feroces, coniurationē ac proditionem agitantes, & detecti; ad vnum omnes miſerrimè laniati. Maria Scotiæ Regina, Viceſimum ante annum, longâ carceris tabe macerata, Angliæ Reginæ Imperio, ſecuri percuſſa eſt. Belgium non aliàs grauiori motu concuſſum; Batauis, ac Parmenſi Duce pro Hiſpano decertantibus. Quâ Septentrio excurrit, inter Maximilianum Auſtriacum, Rodulphi Imperatoris

ratoris fratrem ac eiuſdem nominis Sueciæ Principem, validæ ob Poloniæ Regnum diſſenſiones, ad arma vſq; proceſſere. Captus Auſtriacus, & Suecus Regno potitus eſt. Leuibus quoq; motibus turbata Pannonia, Zerini Comite, vltra vires auſo; & Turcæ non vno nixu, proſpero prælio fuſi ſunt. Lisbone interim; noui contra Anglos prælij exordia ingenti claſſe parabantur; neſcijs pleriſq; quò tanta vis verteret. Nec tamen Britãni ignauiâ torpebant; ſed futuri metu, haud inferioribus armis inſtruebantur. Iam Italia exterarum Prouinciarum tumultus ſequi ſolita; non alio quàm quod contra Exules bello, tenebatur. Quorum tanta vis Pontificis Prouincias, & Neapolitanum Regnum obſederat; vt non itinera, non negociatio, non ruſtica exercitia tutò obirentur. Strepebat Vrbs nihilominus, operoſis Sixti Quinti edificationibus, illatione fontium, ſtructuris viarum, ponendis ædibus, Pontibus, Vaticano augendo. Nec alia ſecurior per hæc tempora pax erat. Tali rerum ſtatu Italia, & externa erant; cum Vincentius Gulielmi filius, ſucceſſione in paternum dominium miſſus, Vicesimâ ſecundâ Septembris, ſacramentum vtriuſq; populi accepit. Sed medio temporis, dum Mōferratenſes populi aduentant, Mantuani feſto cultui neceſſaria comparant; accolæ faſtum ſpectaturi conuocantur, Vincentius ærario aſſiduus, congeſtam à Parente pecuniam, calculumq; redituum, ac rationum quæ iam inaturauerant, ſubtrahebat. Quaſi an magnis deſiderijs, immoderatis expenſis ſuffectura forent, æſtimaret. Reperta aureorum Duodecim Centena millia traduntur. Quamquàm elapſi anni reditus, adhuc integri; & præſentis nondum recepti forent. Tantùm longâ parſimoniâ, & opibus non in caſum iactis Gulielmo quæſitum fuerat. Iam gemmarum, aulæorum, pretioſæ veſtis, magno Regi par multitudo erat; trium prouectæ ætatis Principum neceſſitatem expletura. Cæterùm quia rarus, per Europam apparatus, Regnum capeſſituris in præſentem incidit, decorum credidimus, ſi ornatum breui compendio poſteritati mandaremus. Vbi Monferratenſes, quique Mantuæ proceres, aduenêre; ſimul Principum Chriſtianorum legati affuêre (quorum commoditati, pro conditione è Principis munificentiâ abundè prouiſum eſt) dies Vicesimus ſecundus Septembris prædictus. Centum ſexaginta ſubditi ſummis honoribus perfuncti, & inter equeſtres pari dignitate, feſtu ornatu; gemmarum, aurique cultu inſignes, nondum domo egreſſum, comitaturi in equis proceſſêre. Cuius prout opes, aut genus erat, famuli paribus induti, & in pompam compoſiti viſebantur. Accolæ Mantuanos æmulati, eandem munificentiam, nec diſparem cultū prætulêre. Diſpoſiti circum cuſtodes velut præſidio Itali, ac Germani, longo ordine, & gentilirijs coloribus diſtincti ſtetêre. Quod turbæ reliquum ſequebatur, eo numero; vt exercitus crederetur. Succeſſêre Cathedrali Eccleſiæ vniuerſi; & Vincentius vmbellâ argenteâ, candido ac regio indumento, nec minus Diademate inſignis exceptus eſt. Sacris peractis, tribunal quod pro templi foribus paratum fuerat, conſcendit; medio inter Principes loco, ſede aureâ exceptus; Primates in ſuas quiſq; claſſes, diſtincti; hinc illinc-

Vincentius Dux.

illincq; adſtitêre. Prior Dux populum vniuerſum, ſaluere iuſſit; & vbi fauſtis acclamationibus ab omnibus reſponſum eſt, Aliprandus Fiſci curator ſupremus, Sceptrum obtendens, medius acceſſit: Quod tibi Sereniſs. Dux, inquit, optimi Parentis obitu, volente Numine, naturæ lege debetur imperiū Mantuani ac Monferratenſis populi, etiam nullo tuo iure dari vellent. Tanta virtutis, comitatis, ac benignitatis exiſtimatione ſuccedis. Nec inane cenſendum, quòd volentibus per caritatem imperitas. Non tu, non maiores tui quod excuſandum habeant laboratis, & populorum pietas in quæſtu eſt. Cuſtodię, præſidia, excubiæ, non maiorem ſecuritatem; ornatum tātùm & maieſtatem conferent. Fides tuorum, nullo pretio æterna erit. Hi tui ſubditi, dominationis recentem, non alijs precibus per importunitatem adeunt; quàm vt Auo, Patri, atq; adeò tibi, parem te geras. Mox genibus aduolutus, ſceptrum potentiæ ſignum obtulit. Quo accepto non aliud prolocutus fertur; niſi eatenus ſe vitam, incolumitatemq; cupere, quatenus Patriæ commodis aſſiduus, eandem ſuorum voluntatem ſeruet. Deditq; illicò ſpecimen liberalitatis, imminuto vini tributo. Quod licet, nō inuiti ſubditi tolerarent, onerare tamen ciues videbatur. Hinc maior ſpes futuri: quòd benignitati primâ ab adoleſcentiâ ſtuduiſſet; tum etiam lætitiâ ſtimulari videretur. Dicendum poſtremò ſacramentum erat; quod è Tribu quâq; bini, ordine præceſſoribus cōſueto, profeſſi ſunt. Non quaſi tûm in electionem concurrerent; ſed quòd ſucceſſionem legitimam, iuramento faterentur, fidemq; promitterent. Vincentius iterum populo ſalutato deſcendit; & Phalerato, auro gemmiſq; ſtrato equo vectus, magno proſequentium Principum comitatu, Vrbem luſtrauit. Incedentem vmbellâ argenteâ octo iuuenes, ſimiliter induti excepêre. Plures in claſſes diſpoſiti præcedebant, vices obituri; vt cuiq; ſuus locus eſſet. Reducta Patriæ lætitia videbatur; ac ſi Ludouicus Venetûm, Franciſcus Gallorum victor reuertiſſent. Et vulgus diuerſis incitamentis, conceptum gaudium, plauſu teſtabatur. Quidam ſpeciem ac decorem, liberalitatem alij, alij clementiam circumferebant; non inani coniecturâ; quaſi virtutum in viris commendatarū exordia, per iuuentam non obſcura ſemina protuliſſet. Enſem iuſtitiæ ſignum, equeſtris Ordinis ſpectatiſſimus præferebat. Sequebantur qui à conſilijs, Iuſtitiâ aut Fiſco erant. Extremum agmen, domeſtica familia claudebat. Mox Pręfectus ærario ſuccedebat; qui iactâ in vulgum pecuniâ, veterū Principum ſplendorem æquabat. Idq; tantâ prodigentiâ, vt iaciendis hinc indè nummis, non vnus ſufficeret. Cuſtodiæ ac decori ſequebantur, Cataphracti equites, ac leuis armaturæ legionarij, productis ad viarum latera peditibus, diuerſicolore indumento, & rutilantibus armis. Bellicorum inſtrumētorum fragorem, Campanarum pulſationes, tubarum, ac tympanorum ſtrepitum proſequi abſurdum eſt; annixis vniuerſis, quibus ſimilia curabantur, vt maximè celebris dies eſſet. Præter ciues, quorum Quadraginta tria millia, incolas Mantuani agri, quorum Viginti octo erant; exterorum Viginti millia numerata ſunt; lætitiâ, ac deſiderio Mantuam delati, vt pars gratâ-

tium eſſent. Caſtro inter ædes regias, turbæ vis recepta; & Centum quinquaginta menſis datum plebi vicatim epulum. Nobiliores & ſummis honoribus vſos, Vincentius etiam conuiuio excepit. Sed potiſſima erga exteros comitas viſa. Rari enim quibus nomen, aut familiæ decus celebre erat, aliâ quàm Principis liberalitate excepti ſunt. Iam verò, ne in ditiores tantùm, nullo vſui ſuperflua impenderentur, alieno ære, nullo ſcelere graues; quiq; egeſtatem honeſtam toleraſſent, viduæ, pupilli, & ſi qui Religionis ſectatores, anguſtijs rei familiaris conflictabantur, ſubleuati ſunt. Nullum deniq; genus hominum, in vtraq; Prouinciâ fuit, quod Vincentij beneficium aliquod non experiretur. Promptum liberalitati animum, auri copia ſtimulabat; vt honeſtè inſumeretur; eſſetq; diuturno vſui ſuffectura. His vt popularibus breui percurſis; forma adminiſtrationis ſupererat, cui iuuenis Parentis ſemitam inſiſtens, præcipuè vtebatur. Hinc diuorum cultum, iuſtitiam, æquitatem, decus, ac famam; etiam inter præſentes dictitabat; quandò fractâ imperij diſciplinâ, & neglectâ dominandi curâ, trahantur in præceps vniuerſa. Sed Principibus cara æternitatis memoria; nec pro tempore quidem auerſantur. Fidiſſima parentis conſilia credidit; non vt reliqui ſpe honorum deijcerentur; ſed vt Principatus exordia, per peritiſſimos iacerentur; quorum intemerata fides, & certa agendorum experientia, multò ante fuerat approbata. Tullium Petrozannum prudentiâ notũ, nec mutari facilem; Federicum Cataneum mores Principis apprimè doctum; Camillum Gaticum ingenij validum, Marcellum Donatum doctrinâ ſpectatiſſimum; necnon Aurelium Pomponatium, fidei tenacem, adulationi aduerſum, acciri iuſſit: Quippe hæ vires conſilij; hæc proximiora adminicula Gulielmo erãt. Nec metu terrere, vel ſpe efferre, ſeueritate aut blanditijs placuit; ſed decorâ comitate, rebus ſuis, vtilitati ciuium, Annonæ, ac iuſtitiæ caueri, collatâ operâ flagitauit. Non enim ſe tanto oneri parem, niſi negociorum parte, in ſtrenuos reclinatâ profeſſus eſt, fidemq; orauit: ſpe additâ præmiorum, prout merita ſingulorum valuiſſent. Satis ſibi prudentiæ imputandũ, quòd honeſtis amicitijs vti diceretur. Non minori operâ deligendis qui præponantur opus eſſe, quàm ſingulis exequendis. Hinc in familiam conuerſus, vetuſtiſſimos ſeruorum & quibus imminutæ æuo vires; alimentis in perpetuum datis, velut emeritos in quietem miſit. Suffecti meliorum commendatione alij ſunt; validi tolerandis officijs; & ſpe eâdem ſtrenuè nauaturi. Cæterùm proruperant ſubditi, auidis compoſiti ac parati; & dum voti potirentur, in munera effuſi, largitionibus ſecreti conſilij animos carpere. Id pręuiſum Duci. Nec vlla ſatis idonea via erat; reſcindendis occaſionibus corruptelæ; quę etiam integros plerumq; rapiunt. Eleonora mater, immodeſtiæ miniſtrorum occurrit; ſalutare præceptum filio inſtillans; cuius beneficium non in longum fuit. Vniuerſos mortalium, etiam vili loco natos, vt altiſſima honorum cupere; ſic raros eſſe, qui diuitias, vtilitatem auerſentur; niſi eâ pecuniâ ſint, quæ externæ opis non indigeat. Explendam ſemel voluntatem; vt vſu opulentiæ, vilia temnantur. Raros enim ſubditorum,

maio-

maiora aut paria cupitis afferre. Vbi dono Principis tantũ accepiſſent,quò extra ſordes ac vulgum ſe videant; tum prohibendam auaritiam; nec rapinas excuſandas. Benè maiores noſtros,vtilitatem dignitati addidiſſe. Siue vt turpitudo vitaretur; ſiue ferendo muneri ac maieſtati, ſic expediret. Et rectè quibus honores, ſumma bonorum pars conceſſi ſint; vtilitatem vt minorem conferendam. Non aliam occurrendi flagitijs viam eſſe; & qui liberalitate domini, iuſtitiam non imbibiſſent; vt nullo etiam metu profecturos, ſic amicitiâ extrudendos. Placuit Vincentio Matris animus, quòd optimè ſibi ac ſubditis cõſuluiſſet. Pomponatio Diuæ Barbaræ Abbatia collata eſt; vt ſeruitio aſſiduus,Principi vicinus eſſet. Donato Ponzanum, non ignobile Monferrati Oppidum Comitis titulo addito, permiſſum. Gaticum Senatus principem eſſe iuſſit. Cataneus Diuo Andreę Primicerius impoſitus,quo breui erepto,ſuffectus Petrozannus eſt. Et ne cui plurimûm fidebat,minus largiretur, D. Benedicti Præpoſituram addidit; mox duplici titulo Comitem eſſe voluit. Forenſes interim curas, populi opinione, (qui rarò fallit) par creditus Annibal Chieppius obibat, prudentiâ, doctrinâ, experimẽto, compoſitione animi notus. Quod initium gloriæ viro fuit; tracto in ſecretiſſima conſiliorum, & ſummæ adminiſtrationi admoto. Errat interdum fama; ſed ſi populi conſenſus accedat, interdum eligit, erumpente virtute; ſuâ vi, nullo exterius adminiculo nixæ. Id ſaluâ fide profiteri licet; Chieppium ex ſe natum; ſui ſtudio profeciſſe; virtute Principis neceſſitatem expreſſiſſe; idq; peruiciſſe, vt etiam apud inuidos dignus crederetur. Neq; dubitatur, Pontificum ac Principum teſtimonijs, eandem virtutem admirantium, cui nonnulli inuidebãt. Ipſe connatos mores, vſu rerũ addito ſectatus, ſummâ ſemper Ducum gratiâ valuit; Patri filijsq; iuxta carus. Sed quâ gloriâ ardua bellorum, & diſceptationes Subalpinorum, Monferratenſiumq;, dicto ſcriptoq; tractauerit, in loco reddemus; ſi longiori curæ ſuffecerimus. Iam Milleſimus quingenteſimus octuageſimus octauus affulſerat; & Romæ non ciuilia tantùm, annona cultusq; Vrbis curabantur; ſed aduerſus exulum peruicaciam, bellum per latrocinia minitãtium, arma tanquàm per acies inſtruebantur, delectis è nobilitate Ducibus, vt Centuriæ erumpentibus obijcerẽtur. Vniuerſus Romanus ager, plenus armato milite; & contra ſeditioſos inſtructus,motus exitũ,rerum ſuarum metuẽs opperiebatur. Sed hoſtis modò apertam vim oſtentare; modò notis ſibi itinerum diuortijs, & fugâ elabi, modò regredi, congredi, Caſtrorum oppugnationes tentare, etiam ferre. Si quandò vis Pontificis præualuiſſet, diſpoſitis ad hanc curam equis Tiberim vado perſpecto ſuperare; & vbi minus metuerẽtur, maiori impetu reuertere. Et quò pluribus in locis Romanę copiæ eluctarẽtur; Cãpaniâ, Sabinâ, Vmbriâ, Patrimonio pariter Sicarij inſtabant; vt quos inſequi, quibus obſiſtere, opemué ferre expediret, ignoraretur. Donec id quoq; Põtifex pręuidit; & corruptos pretio facinoroſos, in mutuam perniciem armauit. Nec enim apud flagitioſos integram fidem nouerat. Patres à filijs, fratres à fratribus, amici ab amicis aut proditi, aut iugulati. Sic pax aliqua Vrbi reddita.

Annibal Chieppius.

1588.

Gliſcebat interim Mantuani Ducis fama, per virtutes ac vitia iuxta creſcere faciles. Ea vt cæteros, ſic Pontificem permouit, nouo amoris inditio, Principem iuuenem, ſibi ac Sedi Apoſtolicæ illigare. Nec enim promiſcua munera, in quoſcunq; potentiorum euulgantur; & non pretio, ſed raritate æſtimantur. Delectus intimus à cubiculo, & præcipuâ nobilitate, qui ſacratum Enſem deſerret ſummis Regibus ſuetum munus,cupitumque. Vincentius quò gratitudinem teſtaretur; non ædium ſecreto; at Diui Petri templo, inter Sacrificij ſolemnia oblatum, honoratiſſimè accepit: Sed nec vilitas muneri, ex materiâ erat; verùm auro, gemmiſq; diſtinctus,& mirâ arte cælatus placuit; vt vtroq; carior eſſet. Non inſolens ſimilium conceſſio; ſed rara: nec niſi erga potentiores. Ideoq; etiam apud Reges dignitatem habet. Nullam æquè ex virtutibus ſuis Vincentius, ac liberalitatem gratitudinemq; ſectabatur; tanquàm Principi propria; præſentia ac futura connecterent; & fidos meritoſq; famulos,necnon inpoſterum acceſſuros, certâ ſpe retineret. Memoria adhuc habetur, Pediſſequum, quod per nocturnas tenebras, pluuium, rigenſq; frigore cœlum, imperium alacriter executus foret; & alterum, quòd paucis horis Veronam properaſſet, torque aureo donatos: Sed profuſior, in domeſticos cubiculi adminiſtros munificentiâ erat; quos per interualla, nec præſumentes; pietatem, aſſiduitatem, indigentiãq; ſingulorũ intuitus, datâ pecuniâ iuuabat. Certè in Ioannem Baptiſtã Guerrerium, ac Iulium Caſſinum, quò maior liberalitas, eò acceptior cęteris fuit. Vtrumq;, vetus erga Principem obſequium, & indeſeſſa ſeruitus, deuinxerant. Ergo Comitatu donatos, reditibus ac honoribus auxit; daturus reliquis exemplum, quomodò fides in quæſtu eſſet: Illico ſe dare profeſſus, ne ſi tardè conceſſiſſet, diu noluiſſe videretur. Sed quandò munificentiam ſplendoremq; Vincentij, proſequi animus eſt; nec pluribus immorari, profeſſa breuitas patitur; vnum inſeremus cuius magnitudine cætera penderẽtur. Cum adhuc in viuis ageret Gulielmus; ob Solpharini Oppidi iuriſdictionem, graues inter Marchionem Caſtilioneum Patremq; contentiones, vſq; ad litem proceſſerant. Et vt faciles in primos impetus mortalium animi ſunt; ſiue æquo, ſiue iniquo læſos ſe credant; multa Marchio aſſiduitate litis admiſerat; quæ ad Gulielmum primò, mox ad Vincentium otioſorum operâ; & captandæ etiã per flagitia gratiæ cupiditate delata, acriter vtriuſque animum ſoderant. Vincentius iniuriæ inſolens; indiuiduis accuſatoribus; & nemine abſentem excuſante, indignatione exarſit. Quippe non ſe vim, fraudem, aut arma intuliſſe (quæ tamen parata habuiſſet) ſed causâ agere voluiſſe, prorupit; nec eâ viâ, captam olim ſemitam omiſſurũ. Quod iniuriæ reliquum ingenitâ nobilitate propulſaturum. Marchio iracundię ignarus; non cauere; & quia mitiora referebantur, abſtinere colloquio, excuſatione, precibus decreuerat. Vtrinque falſa, perditiſſimorum relatu in maius aucta, Ducis clementiam, Marchionis modeſtiam carpebant. Erat iuueni frater Aloyſius è Societate IESV, opinione ſanctimoniæ notus; qui raro Principibus viris more; paternam hæreditatem, Principatumq; fratri

con-

conceſſerat; ſeq; tumultibus, ac ſæculi curis ſuperſtite parente, ſubtraxerat. Hic fratris ac Ducis caritate impulſus; ardentem Vincentium, & minas ſpirantem aggreſſus eſt; & tempore orationi habito, multis coram adſtantibus, inquit: Si Vincenti Sereniſſime, certo ac probato iure meo; euacuatis ſuſpicionum in fratrem cauſis, vtrique in tuam gratiam reciperemur; nec nobis beneficium, nec tibi gloria accederet, quorum vtrumque nemo noſtrum abnuerit. Veniam itaq; oraturus; & per Seruatoris viſcera obteſtaturus, genibusq; aduolutus adſum. Vbi indulſeris, & ſupplices acceperis; tum demum diſcerni præterita, & in quæſtionem vetera iura vocari cupio. Non te benignitatis ac clementiæ gloria deſtituet; nos ignominiæ ac perfidiæ opinionem vitabimus. Certè tenuibus rebus meis; vt Solpharini (quæcunque poſſeſſio eſt) dominium haberemus; quod iure deberi credebamus, in litem deſcendimus: Sic Imperator, conſanguinei, amici perſuaſerant. Nec potentiorem irritare cui impares eſſemus, animus erat; iure deberi putabamus; quod iure repoſcebas. Nunc ſors in contrarium vertit, ciuiles actiones, exoſos nos conſanguineo reddidêre: Et indoleo. Vtinam Solpharinum hâc ſaltem causâ, noſtris iuribus coniecturâ non acceſſiſſet. Cæterùm quamquàm modicis agris, nulla ſummæ fortunæ tuæ acceſſio addatur; nobis in tenui re ſitis, neglectus momentum afferat; potior tamen gratia vtili eſt. Et paupertati noſtræ, odio carere cum Solpharino expedit, quàm tibi inuiſos, poſſidere. Iube per procuratores tuos adminiſtrari; tuo cenſui ſupputari. Sanguini tuo illigatos; & obſequio paratos; aut turpiter auerſaberis; aut quæſitâ honeſti ac liberalitatis gloriâ, è tuo ſubleuabis. Liceat fratri coram preces afferre; & quò tibi certior poſſeſſio reddatur, ſpectare ſpōtè ſuccumbentem. Vincentius iræ facilis, quique erupturus in immanitatem credebatur, illicò conquieuit, doloriq; & amori medius, Aloyſium oſculo exceptum, cum molli reſponſo dimiſit: Viueret frater, ſe irâ vacuum, & veniæ paratum. Vix tertium diem diſtulit Marchio; incomptum, incomitatumque ac inermem, nullo faſtu, niſi quantum familiæ, ac decori expediret, ſe Vincentio exhibuit. Nec tamen oblitus generis; aut præſumptæ cōtumaciæ retinens, ad ſordidas preces (tanquàm culpam admitteret) deuolutus eſt, ſed ſereno obtutu, qui proprius innocentum; non parum honori tuo Dux Sereniſſ. inquit, decoris adſciſcitur; quòd Caſtilioneum Marchionem, iiſdem progenitoribus ortum, ſupplicem experiris. Prout voles conſanguineo; & ſiue debito, ſiue ſucceſſione, Solpharino pro arbitrio vtere. Mihi certum eſt nec peccaſſe; nec mei ſanguinis Principem, quamuis magnâ potentiâ in fortunam verſâ, irritare. Quidquid frater veritatis aſſertor, hoſtilia deprecatus ſpopondit, firmaturus præſentiâ, accedo. Vnum oro, quæ tuorum erga te fides, quæ conſanguineorum caritas, nè certius aliunde, quàm è te æſtimes. Nobiles inuidiâ, plebes adulatione ſordidâ, medij ſpe corrumpuntur. In regios animos iſta non cadunt. Num tibi vnico Europæ Principi, quòd ſummis Regibus vſu venit, inexpertum eſt; vt ſubditorū querelas; requirentium petitiones, apud ſua, ac aliena tribunalia experian-

 tur?

tur? Prohiberi iſta niſi iniuſtitiæ notâ non poſſunt; quam à te alienam tātò verius eſt; quantò plura poſcentibus, quàm requirantur elargiris. Nec quidem nunc primùm fidere, & orare audeo; dubius agebam paratiorné cōceſſioni an admiſſioni fores; & ne magnos hos animos prece præuerterer formidabam. Vincentius tanquàm ſuccisis artubus, & humilitate ſuperatus; non veteres iniurias quas crediderat, non præſentia iura reputabat; ſed vetuſtiſſimæ nobilitatis, etiam inter irarum cauſas memor; & gloriam magnis operibus ſectarus, fertur reſpondiſſe. Non ſe alieni auidum; ſed hæreditate; & quo quiſque ſuo iure vtitur, indignum tantis conatibus Solpharinum petijſſe. Et quâ nunc voluntate ſit pridem vſurum fuiſſe, ſi Marchioni aut gratitudini inſiſtere, aut recipere beneficiū animus inceſſiſſet. Cæſaré, quiq́ue ſummam facti acceperint, ſumpturos generoſi animi experimentum. Non enim celebrem donationem niſi in tempore; & gratam vbi minus ſperatur largitionem eſſe. Ergò quia libens, & veritatem doctus, ſaniora, conſilia induerit; ceſſeritq́ue Solpharini poſſeſſionem, vi, & cauſæ validiori; remittere obſequium, & liberam dominationem loci, ſibi inexpectanti permittere. Simul Federico Capilluto (is pro Duce procurator in cauſâ erat) imperat, validiſſimo, & quod dubitationem omnem excluderet Diplomate, certam ſuam voluntatem teſtaretur. Tantò acceptior indulgentia fuit, quantò rarior. Non enim apud Principes iuriſdictio vbi obueniſſet, pro vno agri pede, nouum erat, lites & ingentia bella procedere. Sic apud exteros, vt ſupra vulgarem opinionem Vincentius differebatur; quaſi facilius ſummiſſione, quàm æmulatione vinceretur. Vix iſta ſucceſſerant; cum miſerabile Hiſpanicæ claſſis excidium percrebuit; non Anglorum virtute potius, quàm Oceani illius tempeſtate, procurata; aut non præuiſa; aut à Duce Hiſpano ſibi præſumente, non credita. Et quamquàm ſolius Hiſpani iactura foret, indoluêre tamen etiam Itali, Britannicæ Religionis cauſâ, pridem anxij. Sixtus Pontifex, languore animi, dies aliquot ſanitati ac morbo medius egit. Id præcipuè Romanæ Vrbis dolorem intendit; quod additum ludibrium calamitati foret. Gallus nobilis, origine ac ſtudio Hiſpanis auerſus, Antuerpiæ agebat; quò primùm fama excidij delata eſt. Itaq; nobili, mendacio ſauciare Vrbem meditatus, ſcriptis ad Cardinales aliquot literis victoriam Hiſpanicam, & excidium Anglicanæ claſſis per citatos equos docuit; peritiſſimo itinerum curſore delegato. Romani, & pars Vrbis præcipua Hiſpani, fuſi in lætitiam, per vicos ac templa, facti feriem (vt credebant) quiſq; ex ingenio proferebat. Aperta quoque Delubra; & D. Iacobi templum quod infernæ Plateę Agonis aſſidet; publiceq́; ob victoriam Diuis gratiæ redditæ. Sed medio curſu lætitiæ, miſſus Romam nuncius veritatem tulit; tardè progreſſus fuerat, quò ferè modò ingrata tranſmittuntur. Et quia prioris nuncij, atq; incerti (nam Hiſpanus ferebatur) falſitas multos aduerterat; addidere hoſtes atrociora; naues omnes aut profundo hauſtas, aut captiuitate abductas; quibus mitior fortuna fuerit, aperto ac incognito pelago diſiectas, omnium indigas. Credita vniuerſa; & rari fefellêre,

Clades Hiſpanorum ab Anglis.

iam

Iam in Hiſpaniam aſſumpti Vincentij fama, quibusq́; virtutibus, totâ Italiâ commendaretur, allatum fuerat. Et Rex Philippus tali amicitiâ, ſatis tutas res ſuas in Italiâ ratus; quo maximè officio Ducem detineret, animi dubius reputabat. Mox quoniam ſolâ ſpecie honoris haberi Principis animus poſſe credebatur; miſſus qui Vellus aureum, Principis Ordinis equeſtris inſigne offerrent. Duci Terrænouæ, tum Mediolani præſidentis,onus iniunctum. Non deerant qui Vincentio diſuaderent; velut Gallus læderetur, Anglia negligeretur, Veneti ſuſpicionibus irritarentur. Contra prudentiores diſſerebant, occupandam Regis Hiſpani gratiam, longè Angliam; nec ſimili præſidio opus eſſe. Gallos inteſtinis bellis occupatos, non ante finem diſcordiarum habituros, quàm mutuâ vexatione detriti, non ſuis, non exterorum difficultatibus pares reddantur. Iam Hiſpanum, Cæſarem, Duces Germanos, quiq́ue per Italiam ſummo nomine Principes degerent, eundem Ordinem profiteri. Accedere Monferrati poſſeſſionem, quæ parum Mantuano vtilis, aduerſantibus Hiſpanis eſſe poſſit: Quando iniuſſu Mediolanẽſis Gubernatoris, non arma, non pecunia; non commeatus vnius Prouinciæ, alteri communicari poſſint. Venetos minores eſſe, quàm vt Regi contendant; aut importunam æmulationem induant; inter Auſtriacos, ac Turcam ſitos. Vincentius Germano ſanguini caritate propior; ſiue nulla apertè neceſſitas, ſiue procliuior nobilitati, miſſum honorem recipit: Tantâ gratitudinis oſtentatione, vt ſic ſentire, nemo diffideret. Terrænouæ Duci, & nobili à ſecretis Hiſpano, plura aureorum millia; & gemmæ rari decoris dono data. Adeò vt argutus Scurra, velut per iocum obiecerit; nunquam Vellus aureum carius ab Hiſpano diſtractum. Sed vetus conſuetudo obtinuit, eos qui minus habent, potentiorum cenſus augere. Vanum illum apparatum, & fuſas opes in rem promiſcuam Romæ carpebant. Quippe inferioris ordinis pleroſque Principes referebant, eo honore abs Rege cultos; nec tantâ demonſtratione lætitiæ vſos. Sed Vincentius, nullam virtutem, non gloriam, non famam integram rebatur, cui munificentia non iungeretur. Equidem Viceſimum quintum poſt annum Virginius Vrſinus Brachiani Dux, Pali (id Villæ ad Tyrrhenum nomen eſt) ſui iuris, Vellus aureum delatum, nullâ pompâ recepit; vt ambigerent plerique, cupiditasné illa, an deſpectus fuerit. Defuncto Franciſco Hetruriæ Duce cum coniuge; quæ ſua ipſa fata acceleraſſe traditur, Ferdinandus Cardinalis ſucceſſerat. Et exuto ante Purpuratorum ordine, ſe coniugio Lotharingiæ Ducis filiæ iunxerat. Simul ſplendido apparatu, aduentantem opperiebatur; coacto Florẽtiam virorum Principum ingenti numero; quos amicitia, viſendi ſtudium, aut neceſſitudo illigabant. Et iam Brachiani Dux, ſumptâ in coniugem paucos ante dies Sixti Pontificis nepti, nuptijsq́ue in Vrbe celebratis, aduenerat. Itaque Vincentius, quingentis comitatus; nullâ ſplendoris oſtentatione neglectâ, Florentiam properauit. Si quis gemmis, pretioſæ veſti, auroq́ue ornatus ineſt; is inter Mantuanos fuit. Quos Principis ſui amor & ingenitum familiarum decus accenderat. Hîc Vincentius, nullo effuſionis genere omiſſo;

plus vno menſe hauſiſſe dicitur; quàm apud ſuos, etiam luxu vſus, vertente anno. Et tamẽ Ferdinãdus Regiâ liberalitate, erga omnes notus, hoſpitum munificentiã exploſerat. Qui comites fuerant, ludo abſumpta Quinquaginta aureorum millia retulerunt: famam magni Principis ſectante iuuene; & ſpontè perdente pecuniam, ne amore auri fœdari crederetur. Sic eodem ſtudio dies integros vſus, cum vnus ceſſiſſet, alter ſubſtituebatur; quaſi ad donandum veniſſet. Quod vbi notum Ferdinando, orare primùm Vincentium, vt abſtineret; & vbi irritas preces vidit, alios monere, vt deſiſterent. Certè eo præcipuè deliquiſſe Princeps creditur; niſi otium accuſandum eſt, & Patriæ mores appellandi. Breui Florentinorum lætitiæ, non leuis Gallis clades inceſſit, Cardinalis Ducisque Guiſiorum cæde. Hos Rex Henricus ſibi metuens, intra domeſticos lares opprimi iuſſerat: Tanquàm innito Domino, externorum inimicorumque amicitias quæſiuiſſent; priuatique exercitus deſcripſiſſent. Id Sixtum maximè offendit; quòd Religionis fundamenta auulſa; & Hæreſes toto Regno profecturæ viderentur: Longior quoque Galliæ dimicatio, etiam Italiam in partes tractura videbatur. Augebat ſuſpicantem Sabaudiæ Dux, inter arma & bellorum meditamenta aſſiduus, & Geneuæ repetendæ deſiderio illectus (ſed fortuna contra fuit) ne Heluetij ſocietati nexi; per diuerſa prorumperent, & ceptum iugis Alpinis bellum, Italiæ viſcetibus inferrent. At quamquàm domeſticis occupatus Rex, Geneuenſibus tamen non defuêre præſidia; miſſæq; auxilio conterminæ nationes, irritos Sabaudij conatus reddidêre. Plures quoque monuerãt omittendam curam, niſi tutela ante amoueretur; & fœderibus, Gallus, Heluetius, ac Germani abſtraherentur. Sed Dux præpoſiti contumax; & ſatis virium ſibi, aduerſus vnam Ciuitatem dimicaturo putans, proceſſit. Pulſus notabili ſuorum ſtrage eſt; & minori in poſterum ſpe recuperandi. Neq; tamen potentiorum inuidiam cauſauerim (quamuis id quoq; crederetur) ſed pro comperto habeo, vbi plurimùm virtutis ſit, obniti fortunam; nec augeri Ducis illius potentiam,, notabili incremento poſſe; quin non ſtatim Mediolanum, & Subalpina Regio omnis ſequatur. Reuerſo Mantuam Vincentio, trepidi Monferratenſes attulêre, Sabaudium licet re ad Geneuam infectâ, miſſionem tamen exercitibus negaſſe. Velut in tempore reuerſurus, aut aliò coactas vires immiſſurus. Nec fruſtra de Monferrato metuebatur. Non enim Sabaudium Caroli quinti ſententiæ ſtetiſſe; ſed palam, vt acceptâ iniuriâ lamentatum ferebant. Eandem in Carolo filio voluntatem, nec minores vires, acceſſione Saluzij; tractoque ad ſua ingenti tormentorum bellicorum apparatu. Plerique minorem eo augmento potentiam Duci credebant; quaſi conceſſa Breſsâ omni Gallis, quæ commeatus militemque tranſmitteret; parum in belli inſtrumentis præſidij eſſet. Etiam ſecretiora rimati, Hiſpanos doli (prudentiam dicebant) accuſabant; quòd conſanguineum Principem, ſummæ nobilitatis; & qui Regis ſorore in coniugium adſcitâ plures liberos ſuſcepiſſet, fraude aggreſſi forent, cõſilio ceſſionis Breſſę, & habendi Saluzij; quaſi Galli intra viſcera ſiti, longius alieno diſpendio

aman-

amandarentur. Addebant, ſtudium pro Hiſpano quàm Sabaudio fuiſſe; quòd illi vicinus Gallus, Mediolanum ſolo licet deſiderio delibaret: Et quaſi quandocunq; bellicoſo Regi viſum foret; Italiam per Sabaudios arbitrio nõ eſſet habiturus: Sed ſi vis Gallorum in Italos vertat, & de Saluzio, & Pedemontanâ omni actum eſt. Breſſam nullis conditionibus; non connubio, non pretio ad veteres dominos in poſterum reuerſuram. Interim apud Vincentium de præſidio diſputabatur; ſciſcis conſilij proceribus in partes. Et Germanico Comite Sauorgnano, nouam Arcem ad Caſale cõſulente, Petrozanno obſtrepente. Qui minori auctoritate erant, in hunc aut illum flectebantur. Et facilè Germanico vincere erat, prono in eam expenſam Vincẽtio; vt qui impoſſibilium cupitor eſſet. Simul plura neceſſitatem inducere videbantur: Nam Mantuanæ Prouinciæ vires longius abeſſe, quàm vt Mõferrati commodis preſtò forent: Populum recenti Imperio inaſuetum, non adhuc in fidum obſequium coaluiſſe: Prouinciam Hiſpano, Sabaudio, Genuenſibus mediam, nudamq́ue libidini cuiuſcunq; exponi; nec niſi firmiori præſidio vallatam; aduerſus tot auidos teneri poſſe. Ciuitatem Caſalenſem, ac Caſtellum, minus valida, quàm vt primam vtcunq; oppugnationem perferre poſſint. Cætera in aperto eſſe; & occupanti parata; ſi nouandi deſiderium incurrat. Non aliter ſecuram poſſeſſionem haberi poſſe; quàm ſi munimento inſuperabili, circumpoſiti hoſtes arceantur. Struendam proindè Arcem inferebat, quæ præſidio immunita, & ſuos, & exteros in officio teneat. Non enim maiorem ſubditorum, quàm exterorum fidem, dato experimento depræhenſam. His à Sauorgnano allatis; additus inſuper ædificationi modus; & quanto agri ſpatio proferretur. Vincentius Petrozannum ſententiã rogat; non vt obtemperaturus, ſed quòd concordem crediidiſſet: Qui in hũc modum reſpondit. Frequens conſilijs in hoc ordine, Sereniſſime Dux, iuſtitiæ, vtilitatiq; tuæ congruentia differui: nec minor nunc proferendi conſilij occaſio affertur, cum de Imperio, ac ſeruandis tibi Prouincijs conſultatur. Quâ hactenus fide ac conſtantiâ, proſecutus iniunctum munus fuerim, & tu noſti, & (quod plerumq; ſecus euenit) exitus conſilia approbauit. Eandem nunc viam tero, vt beneficijs cumulatus, minori quod ſupereſt fide non agam. Fortiſſimam Arcem, & quæ ſeruandæ vniuerſæ Prouinciæ ſit ſatis, hac rerum conditione ponere; nec decus, nec prudentiam, nec vtilitatem habet. Quæ ab inſtituto Comitis retrahunt ordine proſequor. Vbi amori ac officio ſatis fecero, vt ignoſces ſcio, ſic pro arbitrio decernes. Munitiones validas tenui potentiæ non conuenire, ſatis ſuperq; Mediolani ac Vrbini Duces, & experimento & ratione didicêre. Seu quòd ſeruari proprijs viribus nequeant; ſeu quòd maiorem pecuniam exigant, quàm à Principe minori impendi conducat. Sed hæc miſſa facio; & quod in genere dicitur, in noſtram cauſam contraho. Sabaudius ſcilicet timetur; hunc tamen Gallo graui iniuriâ recens cognitum; & Hiſpano prætextu Mediolani inuiſum, alieno metu facilè deſpexeris. Id tantum obſtinatè procurandum, vt amorẽ Regum habeas; poſſiſq́ue vel opinione ſolâ tutelæ, ſecurus degere. Quod

Diſceptatur an Arx Caſalis ſtatuenda.

an

an publicè vel occultè procurandum; Regesné ipſi tacita an veluti muta officia æſtiment, profeſſionem an ſecretum ament; liceatq́; eâdem impunitate, vtrumq; ſpe irretire; & quâ viâ ſingulis ſatisfiat, non ſemel aperui. Neque artes Regum hoc loco detegere tibi cum fructu expedit; quem ipſi miniſtrū ignauum potius, quàm eruditum ac ſuſpectum volunt. Quod Cæſaris decreto habes, Cæſares quoq; ratum volent. Et quandò nemo potentiorum ſuccurrat, tuæ te vires, & congeſta à Parente pecunia, ſecurum; & retinendæ poſſeſſioni validum reddent. Non enim ea Monferrati tenuitas eſt, vt ſuos fines tueri nequeat, infenſi Sabaudio non vna cauſâ, ſed præcipuè quia vicinum. Populi fidem carpere iniquum cenſeo, ſiquidem tot annos experta conſtantia, certum animum oſtendit. Si pauci inſanire; auſi ſunt, nil toti Prouinciæ imputandum; quam officij certam, magis, magisq́; experimur. Et impoſitum Ciuitati præſidium cōcutere fidem poteſt, eo ipſo quòd diffidatur. Sed eſto Arx munitiſſima educatur; quæ tuis, quæ exteris iuxta terrori ſit; quid hoc inſaniæ; aut multis hominum millibus aſſiduè ſeruandam, pauciſſimis tradere; aut ſi iuſto præſidio firmanda ſit, ingentem redditruum ſummam, vano timori inſumere? Deſcripto munimento non quingenti, ſed duo millia in pace vix ſuffecerint; in bello, ne ſex quidem præcipuis Prouinciæ reditibus hauriendis validi. Et his quidem incommodis ſeruanda eſt: Nec minoribus ſtatuenda; exhauriendum ærarium, tributis onerandæ Prouinciæ, ciues ac ruſtici aſſiduo opere fatigandi. Hinc alienatio; & cum tutelâ è muris quæratur, ab incolis periculum properatur. Quantò ſecuriori præſidio, pecunias ac labores tuorū, in ſecuritatem quàm ædificationes impendis? Vbi ad ſummum deductum munimentum fuerit, commeatu, tormentis bellicis, armisq́; inſtruendum. Sed quâ vi auri, quibus opibus vniuerſa parabuntur? Et metuo, ne vbi perfectionem decusque acceperit, tutoribus Regibus, plus deſiderio tuo placeat; alter ſpe protectionis, ſimulatâ formidine alter repetat; ſeſeq́; vtriq; curatores irrequiſitos offerant, etiam obtrudant. Cui enim prudenti, ſæculi mores, vimq́; imperij apud potentiores proſpectanti, dubium eſt; orandos Hiſpanos, vt profeſſione beneficij arcem nolint? Metuo ne quæ pace ſeruari vix poteſt, bello concedenda ſit: Etiam inter æmulos pro hoſte illum cenſendum, cui ſtatim non tradatur. Iam verò non iſtorum temporum conditio magis quàm futurorū angit. Quamquam enim ſuſcepti conſilij vanitas, poſteris quàm tibi ipſi manifeſtior futura; nullus erit tamen remedio locus; quòd Regum alteri cōcedi; non ſine metu Prouinciæ; nec dirui niſi cum debilitatis creditæ notâ poſſit. Seruanda proindè quamuis ingenti diſpendio eſt, vbi ſemel fuerit inchoata. Si amitti contigerit, aut Reges habebunt, aut Sabaudius; illi tuâ cum gratiarum actione poſſidebunt; hic maiores vicinio vires habet, quàm vt tuo nixu redimatur. Monferratum niſi Regis prævalidi arbitrio, tuum eſſe poteſt; nec ille laborem irritum diu feret; ſed Arcem pretium amicitiæ requiret. Scio (quod mihi vnum obijcitur) hæc Eccleſiaſtico inſtituto aliena; quamquàm iudicium vtrinq; valeat; ſed non aliud Caroli quinti gloriā

maiori

maiori cum pernicie merſit, quàm quod belli conſilia apud Gueuaram inualida crediderit; nec minus exhauſtas Hiſpanias, Mediolanum, Regna Neapolis, ac Siciliæ Belgicis tumultibus, quàm quòd reiecto Freſnedâ à Philippo Rege, Aluę Ducem antetulerit. Cæterùm hæc ego pro veteri merito protuli; ſi iuſſeris, auctor, adiuctorq; ero. Nam deliberatione integrâ, candidè promenda cõſilia; vbi præter ſententiam, Princeps executus eſt, etiam conſilij laudandus. Obſtupuit Germanicus vim Petrozanni; & licet opinioni fermè acceſſiſſet, Vincentij tamen imperio coactus eſt, Regiâ potentiâ ad Caſale Arcem inchoare; cuius æſtimatione, antiquorum Imperatorum potentia deliberaſſet. Quæ auri vis; quantum ſubditorum, & miſeræ plebis laborum ac ſudorum hauſerit, addere ſuperſedeo; quandò in præſentem adhuc ſint, qui querantur. Arci ſex propugnaculorum ſpecies deſcripta, eâdem mole educta latera, cauata foſſa, ſublatus internus agger, puteus perennis aquæ effoſſus; præſidium ingreſſui, ac egreſſui ſuperadditum; horrea recipiendis frugibus fabricata, domusque militibus. Sed num præſidiariorum numerus, tormentorum, ac bellici apparatus, is cumulus, ea vis; & cætera ad diſciplinæ formam reſponderint, quorum id iudicium eſt, facilius æſtimabunt. Recepta nihilominus Vincentio gloria facti eſt; quòd multò maiora viribus auſus, nec perfecturus crederetur. Ille tamen vt ſummum dedecus auerteret, nullâ pecuniæ curâ; & vt voto potiretur, omnia præ vanitate hac viliora habuit. Redituum quoque Mõferrati Triginta ſex aureorum millia, ſeruando munimento deſcripta ſunt; & Germanico Sauorgnano, nobile Oppidum Marchionatus titulo, in præmium operæ conceſſum. Sed vt maior neceſſitati Arx, ſic inferior expectationi Germanici largitio fuit. Auctus per ea tempora Vincentius filiâ eſt; quam maſculæ proli interijci deſiderauerat. Huic Margaritæ nomen impoſitum; quæ annorum decurſu, formæ venuſtate, & dulcedine morum conſpicua, Lotharingiæ Duci denupſit. Sequitur clades toti familiæ æternûm deplorãda; ſiue caſus, ſiue iuſſum facinus, malo occaſionem dederit: Nam variè traditum, pro comperto aſſerere non audemus. Magnos Mantuani Ducis hoſtes, infamem vindictæ modum ſectatos (quandò explendæ iræ, honeſti miniſtri non ſuppeterent) ad flammas flexiſſe, & Rugierus Pantara tormentis admotus, & pleriq; opinionem ſectati, prodidêre. Iuſtam iniuriæ reſtitutionem opinantes, ſi qui offenderat, quocunq; modo læderetur. Alij cuſtodis negligentiâ admiſſum incendium aſſerunt; eoq; flagitium renuunt, quòd ne Mantuani quidem aſſingant. Parte extremâ Palatij, vetus Scena erat; publicis ſpectaculis, feſtisq; ludicris, in Theatri formam, multos ante annos extructa; graduum inferna, magnâ lignorum ſtrue, bellicis tormentis, & vario armorum apparatu referta erant. Laquearia, & quæ muri pars proſpectui obuia; erepta Veronenſibus, Venetis, Mediolanenſibus, Gallo inſignia, teſtimonio virtutis præferebant. Si quid armorum veteri commendatione celebre, in familiam virtute tranſierat, auro picturaq; conſpicuum, id loci, vt inter Theſauros habebatur. Iam tot Principum inſignia; & quamquàm antiquitate neglecta,

Extruitur.

Incendium Scenæ.

glecta,

glecta, decoræ tamen Capitaneorum, Marchionum ac Ducum reliquiæ ſpectabantur. Receptæ quoque è Turcâ, naualis pugnæ victoriâ prædæ pars inerat, Arcus, lanceæ, enſes, vexilla, ferrea corporum tegumenta. Hæc cariſſima: Pro vili habebantur pictæ lanceæ, veſtes Scenicæ, ornamenta ludicra decertationis equeſtris, armaq; in eũdem finem. His omnibus iniectus ignis, & ſenſim auctus, quia fomite exuberãte, & celeritate mali reſtingui non potuit, vniuerſa aut abſumpſit, aut ad æs informe redegit. Habitę de ſuſpectis quæſtiones, præter Pantaram nihil detexêre, quîn fortuitum incendium crederetur. Et Vincentius ſatis habuit, vicinum ignem arcere; ne propinqua noui veteriſq; Palatij raperentur. Profuit ſilens aër, & nullis vẽtis concitatus. Quæ tamen perniciem non arcuiſſent; niſi nobiles Principũ ædes longius ſitæ; & gemmarum, auri, veſtiſq; Theſauri alibi ſeruata forent. Nîl æquè populi mętorem auxit, ac nullo auro facilis reſtitutio. Aedificium tamen in eandem ſpeciem; æsq; inter ruinas, cineresq; repertum, denuò efformatũ eſt. Verùm antiquitatis ornamenta, nullo remedio periêre. Idem annus Sixti Quinti Pontificis mortem habuit; quem grauiores de Galliæ Regno curæ, Henrici quarti progreſſus, & confęderatorum querelæ, haud dubiè confecerunt. Minitatos enim generale Concilium Hiſpanos, auerſũ illi Chriſtianorum Principum animum, & veneficium, nec crediderim, nec depromſerim. Sed atrocior ferè fama Principum exitus claudit; quos niſi cum miraculo decedere, vulgus exiſtimat; licet pari ac reliqui mortales neceſſitate vrgeantur: Niſi curæ, dolores, lętitia, delitię, indiſtinctè finem accelerant. Crediderant profeſſione fidei, bello finem imponi; & contumacẽ olim Regem in ordinem reduci, & Sixtus ſperauerat; ſed aduerſi, toties relapſum, certiori pœnitentiæ ſigno egêre perſtrepebant: Nec tum pietate, ſed Regni deſiderio, potentiæq; ſanioribus accedere: Vbi Regno potitus foret, ſimulatam voluntatem in manifeſtum ſacrilegium erupturam. His fractus Sixtus; & quia non minoribus Pontificiæ Prouinciæ turbabantur; gliſcente exulum numero; & additis pluribus, quibus niſi per turbas ſpes erat, finem habuit. Pontifex magnitudine animi, ſeueritate, fortitudine, munificentiâ ſupra natales, Principum virtutes, & opinionem euectus. Perditi, quiq; carpendis, quàm corrigendis moribus faciliores, virtutes negligunt, vitia ſectantur, tempus mortis nimbo atrox, & cęlum atrâ nube obuolutum, in Sanctiſſimi Principis ignominiam trahebant; ignari magnâ iacturâ indoluiſſe naturam. Quâ probitate ac prudentiâ vſus in Pontificatu Sixtus fuerit, quæ ſecuta ſunt tempora, comparatione docuêre. Ea tamen carpere nemo niſi qui ſine ſcelere ſit, debuerit. Succeſſit Vrbanus ſeptimus; & hoc paucos intra dies erepto, Innocentius nonus. Ille breui imperio, quæ ſanctè cogitauerat non protulit: Hic iiſdem quibus Sixtus difficultatibus implicatus, virtutem haud dubiè eminentem, facto non approbauit. Ad Innocentij famam Vincẽtius Romam cogitauit; vt qui Cardinali apprimè carus, eundem poſt Pontificatum animum crederet. Vbi itineri neceſſaria comparata, Romam proceſſit; exceptusq; Innocentij fauore, in filij modũ

Sixti V. mors.

&

& regio cultu habitus. In hæc eadem tempora Ioannis Vincentij Cardinalis mors incidit; eiusq; Eccleſiaſtici reditus, in familiam denuò tranſlati; ne opulentiſſima Lucedij apud Monferratenſes Abbatia, quæque Mantuæ poſſederat, in exterum abirent. Dies aliquot immoratus, poſtquam aulam omnem muneribus ac liberalitate deuinxit, Mantuam regreſſus eſt. Gallia interim Henrici Regis armis ac collegatorum diſtracta, vniuerſa in præceps ibat: Et Belgæ Hiſpani Imperij impatientiâ; variâ cum Parmenſi fortunâ agebant; in hos aut illos euagante victoriâ; prout ſors, & fortitudo valuiſſent. Sabaudius quoquè inter has turbas, velut ſpectator; benè agendæ rei occaſionem offerri ratus, intercepto per aſtum Marchionatu Saluziarum, extrema Galliæ carpebat. Sic mediâ confuſione rerum, proferri imperij limites poſſe opinabatur. Et primi quidem conatus, vtcunq; fœlices, exitum contra habuêre; Aldigerio Duce pro Regni finibus acriter decertante. Sed inter validos & militaris diſciplinæ peritos, res erat. Innocentio fato functo, Gregorius Decimusquartus Pontifex dictus eſt: non manſuetudine Gallo aduerſus, aut caliditate Hiſpano ſimilis. Morum tamen integritas ſuberat, & magnis rebus par ingenium; ſi vires corporis tenui ſpiritu attritæ, pondus curarum ſuſtinuiſſent. Hunc Pontificatus initio Hiſpani, alieni non auidi, & Galli contra Regem iurati, precibus adiêre: Subueniret diuturno bello fractis & pro Religione dimicantibus opem ferret. Quæ primo intuitu rationem habere viſa ſunt; & occultioris cauſæ parum gnatum luſêre. Sed non alia pecuniâ erat, niſi quam Sixtus proprio vſui ſubtractam, nec in nepotum commoda verſam, Aerario Romanæ Arcis condiderat; Munimentum turbatis rebus, & ſecuritatem præſentibus. Ergo prior Romano Theſauro manus intulit; extraxitq; quantum militi, quem in Regem Gallum deſcripſerat, ſuffecturum putauerat. Ius tardè corrumpitur; rationem neceſſitas indiuidua comitatur. Nam Henricus cui hæreditate Regnum debebatur, nouis indies viribus auctus, & Parmenſem ab Hiſpano miſſum, & Sfondratum Pontificij exercitus Ducem, & fęderatos; nec non Sabaudium pari virtute ſuſtinuit; niſi etiam vindictam expleuit. Et hæc quidem in Galliâ. Itali fame ac diſcordiâ agitabantur; raris frugibus, & nemine ab exteris importante. Cum Appuliam, Calabriam, Aegyptum, Siciliam, ac Septentrionē eadem penuria exerceret. Qui altius interpretati ſunt, cauſam in Deum retulêre. Faciliora ſectati, etiam in naturâ culpam inuenêre: Aſſiduis imbribus dilutam Italiam, Riuos cum terræ pinguedine, ac ſemente decurriſſe; præmaturos calores, nebuloſam æſtatem, raram agri culturam, propter ſeditioſorum incurſus. Gregorius quantum ingenio conceſſum, obuiam ijt neceſſitati: Sed tatos commeatus maris caſus reddebant, & ſuæ quoſq; neceſſitates, aduerſus exteros ſolutiores. Sexcentæ frumenti libræ, mediâ Vrbe, triginta aureis diſtractæ ſunt, nunquam hactenus audito pretio. Secuta Annonæ penuriam aducrſa valetudo, multos è plebe totâ Italiâ rapuit; ſiue obſoletis & corruptis in fame vſi; ſiue probatis in tempore auidius explerentur; vt ferè inſatiabilis indigētia eſt. Nec Mantua expers calamitatis fuit; ideoq;

Io. Vincentij Card. mors

Fames per Italiam.

ideoq; diligentiâ procuratum, vt quocunq; leguminis genere, calamitati ſubueniretur. Vincentius tantum Orizæ Ciuitati ſuæ inuehi, præuiſâ ege-
1592. ſtate iuſſit, vt ea præcipuè cura profuerit. Milleſimus quingenteſimus no-
Clemens Octauus. nageſimus ſecundus, Clementem octauum Pontificatui addidit, integritate vitæ, ſcientiâ ac prudentiâ ſpectatum: non vno velut ictu in ſummum faſtigium euectum; ſed per gradus oſtentatâ virtute, & dato futurorum præſagio. Neq; alio opus erat, qui turbatis Eccleſiæ rebus, tumultuãtibus Gallijs quietem imponeret. Infauſtus hic quoq; annus Italis, plurium Principũ exitu fuit. Sermonetæ primùm, atq; adeo Alexandro Duce Parmenſi; Canano, Mondeuî, Scipione Gonzagâ, Spinolâ Cardinalibus; & Alphonſo Gõ-
Alphonſus Gonzaga occiditur. zagâ Caſtelli Giufredi Marchione, paucos intra dies ereptis. Sed plus in Alphonſo miſeriæ fuit. Hunc nullâ ſtirpe maſculâ, otium & rurales curas agitantem, ſicarij medio diei confecêre. Ad famam ſceleris variè differebatur. Quidam Rodulphum Caſtilioni Marchionem, è fratre nepotem, rumoribus non in caſum iactis differebant; quòd Patruus, filiam vnicam hæredem, excluſo nepote quæſiuiſſet; & moribus Rodulphi auerſus, modò petulantiam, modò laſciuiam, modò prodigentiam quereretur. Quæ dubio procul nepoti cognita; & flagitium ſine pœnâ creditum, libero imperio apud Gonzagos, qui iuriſdictione vtuntur. Et Rodulphus accepto ſceleris nuncio, armatus Caſtellum Giufredi ingreſſus fuerat; non velut in pacificam poſſeſſionem hæreditate miſſus, ſed tanquàm infeſtus, hoſtiliterque illatus. Addebatur, mærentem iugulati Alphonſi coniugem, innoxiam filiam, & ſeruorum aliquot, velut carcere detinuiſſe: Nec aliam cauſam commentabantur; quàm vt conſobrina arbitrio nuberet, pactâ cum marito dote; quæ paternam hæreditatem non oneraret; vel ne hûc illûcq; delata, potentiorum indignationem, precibus importunitate, cauſæ honeſtate conciret. Nec illa tamen deſtitit, ſed ad Pontificem ac Cæſarem clam miſſis literis, miſeriã ſuam teſtata eſt, & obnixè ſubſidium orauit. Imperator Vincentium Mantuæ Ducem quæſtionem facti habere iuſſit, ac referre: Vt ſi quæ fraus ſubeſſet, cæterorum exemplo proderetur. A certiſſimis (vt ferebant) accepi, ſuſpicionem quidem & ſpeciem veri habitã; ſed nihil erutum, quò flagitium pro manifeſto crederetur. Matris ac filiæ literæ, acrius Pontificem permouêre; vt Septimium Borſierum, Aleſſani primùm, mox Caſalis Epiſcopum, cum mandatis legaret; imperaretq; Rodulpho, clauſas fœminas libertati reſtituere; nec coniugium virginis ſuo arbitrio præſumere, quod liberum leges diuinæ ſanxiſſent. Rodulphus ſiue conſcientiâ, ſiue vtriusq; potentiæ metu; ſiue quod nullum in Mediolanenſibus, nullum apud Venetos, aut Sabaudiũ præſidium opperiretur; & ne vniuerſis exoſus, inauditus indefenſus dederetur, Borſiero obtemperauit: Qui abductas fœminas Mantuam ad Vincentium deduxit. Nec ideò tamen Clementis iram leniuit; pridẽ inuiſus, quòd Pontificio ſigno, pecuniam ferire; & Sedis Apoſtolicæ fraude exponere auſus foret. Neq; erat facto excuſatio; deprehenſis qui percuſſerant, quique Marchionis imperium prodiderant. Hinc tactus Anathemate, calamitatis

(quæ

(quæ mox excepit) initium accelerauit. Habitam per Scelus potentiam Rodulphus, ſcelere proſequebatur; ſæuus in Oppidanos, tanquàm flagitium exprobrarent; aut veteris domini iniurias obijcerent: Pariter auctâ ſuſpicione indignationis; & velut depræhenſi aſperè habebantur. Catherina filia, metu Conſobrini libera, nîl intactum omiſerat, quò auctorem paternæ cædis aſſequeretur; neſcia ignoſcendi, & merſo in vindictam animo. Seu verû, ſiue gratiam quæſituri, non defuêre, qui crimen Rodulpho affingerent, oppidi præſertim incolæ, amore in veteres dominos, odio iniuriæ. Ergò Rodulphus paucos poſt menſes, vbi inſidiarum oblitus, & ſecurus velut in ſuo degit, occiditur. Quidam ſubditos, alij neptim in cædis conſenſum trahunt. Sed vt tectum flagitium Patrui nece, ſic vindicta in occulto fuit. Miſerant interim Caſtelli Giufredi ciues ad Cæſarem literas; quibus ſe Vincentio cõcedi, & miſeræ ſeruituti eripi poſtulabant. Non ignarus morum viri Imperator, Diplomate Vincentium monuit, occurreret oppreſſis; nec in exteros abire permitteret. Quippe metuebantur Hiſpanos, aut Venetos adſciturí; omiſſisué agris aliò abituri. Inſolens Duci erat proprijs neceſſitudinibus hoſtiliter inſultare, aut oblatam perſequendi occaſionem ſumere. Ergo vbi hortatus legatos ad concordiam, & in veteres Dominos fidem; nec perſuadere, aut priori deliberationi amoueri videt; miſſæque ab Imperatore literæ præceptum detulêre, legato præſidio, Caſtellum in tutelam accepit: Iuſſis Rodulphi fratribus abſtinere poſſeſſione, & ad vetera referri, ſic Cęſarem imperare; nec aliam recipiendi viam, quàm ab eo eſſe. Illi vt ſcelere intaminati, non flagitio, non inſolentiâ noti contra querebantur, alienum reatû, ſi quis fuiſſet, ſuâ pęnâ dilui. Non imputari facinus, ſed piare; adimi deniq; quod natura ac leges dediſſent. His alijsq; ſuperatus Vincentius, & quia nulla Alphonſi filiæ in reliquos conſobrinos indignatio erat, ſolari fratres voluit. Sed Oppidani ſententiæ certi (quamquàm innoxios crederent) vindices tamen in tempore metuebant, ideoq; patronos aſpernabantur. Dominio Medoli tandem acquieuêre, quamuis hoc quoq;, ægrè dominum mutauiſſet. Puella intra Ducis penates, ſummo cum matre honore habita, haud diu immorata eſt; ſed Theodoro Triuultio, Imperatoris placito, nuptui tradita. Fomes interim diſcordiarum Monferratenſium, inter Sabaudium ac Mantuanum; indies efferebatur, in apertum vtriusq; Principis bellum. Cui licet Vincentius pro virili incumberet; maiori tamen opus erat qui componeret, & auctoritate pacem iuberet. Non aliud Clementi Pontifici certius ſtudiû; & cum tumultuari populos, facilem reliquorum iram, hinc Gallos, illinc Hiſpanos, motus exitum opperiri videret, ſcriptis ad vtrosq; Duces literis imperauit; mitterent, qui iura facti callerent, cauſasque diſcordiæ aperirent. Legatus Vincentij nomine Annibal Chieppius in Vrbem eſt. Cumq; vniuerſa ab radice euoluiſſet, id perfecit adminus, vt Clemens iuris peritiſſimus animaduerteret, cuius culpâ pax, & ſeditio oriretur. Vſus Sabaudius Doctore, qui Menochium ſectaretur. Chieppius (quamquam innumeri iuſtiſtiam cauſæ apud Gonzagos tutati forent) Feudi tamen naturam inaliena-

bilem, irrita pacta, coactas conditiones, vim Cæſareę ſententiæ, ſic de ſuo
proſecutus eſt, vt certirudine facti iuriſq; ambiguum agendorum Clemen-
tem reddiderit. Ferunt reuerſo ad ſuos Chieppio addidiſſe Pontificem; aut
penès Vincentium iuſtitiam eſſe; aut potiorem qui profiteatur. Milleſimo
Eleonora Vincentij mater moritur. quingenteſimo nonageſimo quarto, Eleonora Vincentij mater, ætate, ac ad-
uerſâ valetudine conflictata, extremum diem Mantuæ obijt. Fœmina cui
in ſummâ fortunâ nihil præter Regales nuptias; nec in virtute, niſi hæredi-
1594. tatem poſſis obijcere, munificentiæ, clementiæ, pietatis incomparabilis. Id
maximè Vincentium perculit; tanquàm dilectiſſimâ genitrice ereptâ, nullo
leuamento memoriam ſolaturus eſſet. Extremo tamen in matrem officio
aſſiduus, celebre funus inſtituit. Laudata publicè ab Antonio Poſſeuino pa-
truo meo; eoq; præcipuè aſſecutus oratoris gloriam eſt, quòd perſuaſiſſet. Nõ
enim veritas dicto, non auctoritas, non exiſtimatio deſiderabantur. Hone-
ſtatem morum, nobilitatem, pietatem in Deum attentè omnes accepêre; ſed
vbi ad filij caritatem, ſubditorum amorem; vtq; eâ mediâ, à Patre ac Fratre
Cæſaribus, nîl triſte Patriæ euenerit, deflexit; communi gemitu exceptus eſt.
Dictu mirum quantâ ſanctimoniâ Auſtriacæ Principes efferantur. Secuta
Henrici quarti Regis Galliæ, cum Sede Apoſtolicâ reconciliatio; fruſtra per
Ludouicum Gonzagam Niuernienſem Ducem plures menſes procurata.
Quamquàm non deeſſent, qui metu Schiſmatis, inductum Clementem vo-
luerint; recepto ante inter fideles Rege, à Clero Gallicano, & dato fidei ſa-
cramento. Varius eâ de re, non Romæ ſolùm, ſed & per Galliam, ac Lon-
gobardiam ſermo erat; poſſet deberetq; Clemens confeſſum, & humilem
audire; an documento præteritæ peruicaciæ, pœnitentem reijcere. Et li-
cet valida probitatis inditia deſiderarentur; quæ contumaciam, totq; lapſus
purgarent; ea tamen an ſufficerent, dubitabatur. Vrbe in ipsâ tracto in
partes populo, diſputationes audiebantur, tanto conatu, vt etiam affectu
perrupti, blaſphęmijs non ignoſcerent. Nam ardore dictionis, quidam eò
vſq; proceſſerat; vt toties ab Eccleſia ſegregatum, quamuis verè pœniten-
tem, recipi à Pontifice non poſſe, iactauerit. Dux Niuernienſis ab Vincen-
tio nepote, non ſemel per literas orauerat; vt medius pacis apud Pontificẽ
eſſet; idq; miſſo etiam Poſſeuino Patruo feſtinauerat. Sed nec aliud quàm
preces poſcebantur; neq; Gallo & Hiſpano decertantibus, minor ipſe, arbi-
ter credebatur. Poſt factum nouimus, quamquàm malè habito Niuerniẽſi,
& vltro citroq; miſſo Poſſeuino, cum nihil in ſummam concluderetur; nun-
quam tamen Papam noluiſſe. Sed ſceleri ac æmulis, oratione, & conſtan-
tiâ ſatisfieri voluiſſe; vt cum ipſe benè ageret; etiam crederetur. Defuncto
Antiſtite Andreaſio, Franciſcus Gonzaga Papiæ Epiſcopus, quiq; Ceſale-
Franciſcus Epiſcopus Mantuæ. niam primò accepiſſet, Caroli filius, & Religionis cuſtos acerrimus, in Man-
tuanum Epiſcopatum aſſumptus eſt. Præter nobilitatem natalium, & di-
gnas Chriſtiano Præſule virtutes, etiam ex fratribus decus erat; Pirrhus ac
Ferrantes exercituum pro Cæſare ac Hiſpano, apud Germanos ac Belgas
ductores, duram antiquamq; militiam reduxerant: Prior rarâ in Caſtris in-
tegritate,

tegritate, poſterior ciuilibus quoq; virtutibus elati fuerant ad ſtudia vulgi. Scipio Cardinalatu functus, deſideriū ſui apud optimos, vniuerſorum dolore teſtatus eſt. Præcipua Franciſco cura, Clericalis diſciplinæ efformandæ; ne ſordido exemplo, ignari, ac imprudentes docerentur; aut ex minoris ordinis fœditate, ſimilia de rectoribus præſumerentur. Mox in ſacras ac promiſcuas largitiones effuſus, inopes alimentis, ſacratas virgines ſubſidio, puellas ob egeſtatem corrumpi faciles, collatâ dote ſubleuauit. Ingenuorum parētum liberis delectis, ne educatione ipſi, aut Eccleſia eruditione carerent, Seminarium Clericorum erexit, vſus Ioannis Baptiſtæ Bernardini fratris mei operâ. Quem hac cauſâ Vrbe euocatum, vix iteratis precibus à Cardinali Aragonio, in id ſtudium paucos menſes obtinuit; ne Portuenſis Epiſcopatus, & Archipresbiteratus Caſtronouenſis deſtituerentur. Infęlix coniugium, maritorum peruerſitate expertis vxoribus, proprias, vbi in tuto agerent, minuſq; famâ carperentur, ædes inſtituit. Puellas egeſtate vagas; cuiuſuis petulantiæ expoſitas, ne prauis moribus cum ætate imbuerentur; haberentq; vnde pudicitiam illæſam profiterentur, domo ac templo, nec minus alimentis detinuit. Vtriuſq; ſexus pueritiam, ſalutaribus Chriſtianę fidei documentis imbui, feſtis diebus inſtituit; ne diſſoluta & per vias fuſa, adultorum, intemperantiumq; ſermonibus peruerteretur: Siue decere exiſtimaret, quæ credenda fidelibus proponuntur non ignorari; ſiue tenellam ætatem, honeſtioribus monitis imbui, in totam vitam ſalutare cognoſceret. Quibus non paternæ opes; non alia tutorum cura aderat, dati qui præeſſent. Et virginū pleræq;, vitæ morumq; neceſſitatibus, aduerſus ſæculi labem firmatæ. Ipſe exemplo præire; Choro, viſendis languentibus, exhortationibus, orationi, ieiunio aſſiduus inſiſtere; vt maior conſilij vis eſſet. Ornandi templi Cathedralis eadem cura fuit, magnâ expenſâ diuturnior; quòd ædificatione, pompâ, internis externiſq; ſubſidijs egeret. Nihil ſatis Epiſcopo, quod in maieſtatem Baſilicæ impenderetur viſum. Hinc redditus, pulcherrima vtēſilium, quæq; paternâ hæreditate acceperat, promiſcuo vſui pietatis impendit; indefeſſus muneribus, niſi effundens liberalitas, anguſtias retuliſſet. Sic ſuperſtes, etiam apud poſteros famam protulit, quæ ſit comparatione validior. Hæc Franciſco adhuc morum via eſt; his inſtitutis, vt merito propior, ſic populari auræ remotior. Sed nos pietatem in Deum, in Clerum ac populum caritatem compendio ſectamur. Non deerunt qui Principis gloriam per ſingula proſequātur. Inter tot Gonzagæ familiæ proſpera; & externorum aduerſa, Eleonora Ducis coniunx, quartam prolem Vincentium enixa eſt. Acceptuſq; non minori lætitiâ quàm cæteri; quod in ſpem tertiam Parentum ſucceſſionem firmaret; eſſetq; Duci Patri licitum, magnis extra Patriam auſis inſiſtere; quòd multo ante conceperat. Milleſimus quingenteſimus nonageſimus quintus occeperat; cum Chriſtiani nominis hoſtis, variâ primûm fortunâ vſus; ad extremûm Iauarinum non ignobile Munimentum Pannoniæ ſubegit: Credebaturq; in adiacentia erupturus, vetuſtâ gentis miſeriâ; & conſuetudine victoriæ in faſtum elatus. Imperator Pragæ in-

diuiſus, ſecretus, ſolitudine & abdito clauſus; aſſiduisq; ſuorum queſtibus
delaſſatus; non tamen aliter ingruenti malo præuidit; quàm quòd miſſis ad
cæteros Europæ Principes literis, ſubſidium obnixè petijt; non ſuam potius,
quàm aliorum iacturam teſtatus. Et Clemens Pontifex, precibus, minis,
promiſſis, quidquid vnquam validũ adortus, Hiſpanum, Venctos, cæterosq;
nulli bello illigatos, ad conferendam operam inuitauerat. Venєti non ſe-
mel fœderum inſtabilitatem experti, ne fortiſſimum hoſtem prouocarent, cui
ægrè reſiſterent; aperto ſecretoq; iuxta abſtinuêre. Hiſpanus quamquàm
Galliæ ac Belgij labore illigatus, militem tamen ac pecuniam miſit; non
leue afflictis rebus momentum; ſi reliqui non abſimili conatu affuiſſent. Ma-
gnus Hetruriæ Dux, & Virginius Vrſinus Brachianenſis, vniuerſis per Italiã
exemplum dederant; quomodo turpe otium, & in malas curas reſolutus ani-
mus, gloriâ cohoneſtaretur. Mantuæ tum Vincentius agebat, Prouincia-
rum adminiſtrationi intentus, velut alienis non afficeretur: Sed tacitè iuuẽ-
tutem, pecuniamq; comparabat, vt inexpectatum auxilium Cęſari tranſmit-
teret. Delectus eſt Carolus de Rubeis, vetuſtiſſimâ nobilitate; & belli arti-
bus ſupra ætatem eruditus; cum tercentum electis equitibus Sclopetarijs
in Pannoniam præmiſſus; ſumpturusq; experimentum, & ſpem noui auxilij
laturus. Obſtupuiſſe Cæſareos Duces ferunt, ordine, numero, armaturâ.
Nec illi publico abſtinebant, vt Principis ſui liberalitatem oſtentarent; inui-
diam aliorum concirent; quæ intus grata eſt, vbi non officit. Iam menſis
Auguſtus ſucceſſerat; neq; tamen deſiderio ſuo Vincentius ſatisfecerat, quã-
quàm Germanorum Principum expectationi paruiſſet: Et frequentes à Ca-
rolo de Rubeis equitatus Mantuani Duce, literę aderant, decus exercitus,
formam belli, faſtum Principum referentes, tanquàm obijceret, & repræ-
henderet negligentiam. Hi Vincentio acres ſtimuli, & incitamentum glo-
riæ fuêre. Vocat proceres Mantuanos, mittitur qui Monferratenſes conuo-
cet, doceatq; cauſam. Frequentes aduenêre. Sed inter paratos, & adijciẽ-
tes conſilio diſcrimen ſuum, delectus habitus; adeò pronâ nobilium auda-
ciâ, vt niſi Princeps retineret, vniuerſi raperentur. Multa Vincentio obuer-
ſabantur, quæ moras omnes perrumperent; vt erat magni animi, & deſide-
rij gloriæ ardentiſſimus; Barbari Thracis pro Pannoniâ validi progreſſus,
qui Auſtriam mox Germaniam, ad extremũm Italiam quoq; ſubijcerent,
Cæſaris conſanguinitas, & prædeceſſorum in familiam merita; quæ voto ob-
ſequij ac ſeruitutis, proſequi merebantur. Et licet turbari vicinas Monfer-
rato Prouincias audiret; ingentemq; auri vim, pręſidio delegare cogeretur;
non tamen generoſos ſpiritus retinuêre; quòd facilis pecuniæ comparatio,
prudentiſſima coniunx conſilij non egeret; & multitudine liberorum ſucceſ-
ſioni prouidiſſet. Dictus Auguſti menſis dies ſextus, quo leuis armaturæ
centum equites conuenirent; ſimul è nobilioribus cenſus habitus, vt ſpes
certior virtutis eſſet. Cura in Chriſtophorum Caſtilioneum translata; ad-
diti Centum Sclopetarij, totidemq; Germani Prætorio cuſtodes; vt veterum
nobilium more, etiam gentes in familiâ habere diceretur. Cæterũm qui

nobiles

nobiles aderant, Ducis ſplendorem decore æmulati ſunt; ſcriptiſq; à ſingulis, nouis comitibus, Millequingenti equites bello apti cenſi ſunt. Sed & ante Carolum de Rubeis (vt memorauimus) præmiſerat cum trecẽtis equitibus, vt pugnæ modum prægustaret. Huius auſpicio Hercules Roſa, & Petrus Bobocca militabant, Centuriarum præfecti, & Belgicis expeditionibus probati. E primatibus, armis & miniſtris inſtructi aderant, Carolus, Fuluius, Federicus, Hippolytus, Alexander, Guido, Claudius Gonzagi; ſummis honoribus & titulis inſignes, Germanicus Sauorgnanus, Ioãnes Baptiſta Guerrerius, Iulius Stroza, Vbertus nepos, Marſilius Gambara, Galeatius Canoſſa, Iulius Caſſinus, Antonius Biandratus; decorus & cuicunq; Regi honorus comitatus. In his non opes, non animum, non rei militaris peritiam, nõ nobilitatem deſideraueris. Deſcripto numero, & lætis qui proficiſcebãtur; mœrentibus qui manebant, commendatâ vxori Patriâ, & in Monferrati curas miſſo Tullio Petrozanno, in Pannoniam conceſſit. Sequebantur famuli, dominorum ſuorum fortunam obituri; maiori tamen quàm nobiles numero. Placuit Aenoponti ſororem; & Pragæ Cæſarem viſere; ne plus cauſę, quàm auctori deferret. Vtriq; comitate ac hoſpitio in conſanguineum certauêre; faciliori Cæſare, cuius vtilitati adeò nobile auxilium ductauerat. Ad famam aduentus miſerat Imperator, Ronſium à cõſilijs, vt vices obiret. Qui triginta Quadrigis obuius, tribus ab Vrbe paſſuum millibus, Vincentium exceptum Cæſaris Palatio induxit. Et Imperator non ſubditum & externũ, ſed ſui ſanguinis Principem reputans, regio more habuit. Paucos ante dies Magni Moſcouiæ Ducis orator, Pragam venerat, de rebus Imperij acturus; nec tamen adhuc admiſſus fuerat; idq; in varia referebant, torporem prolixitatemq; Cæſaris, ſuperbiam, ambitionem: quòd indiuiduus Mantuano Duci, in conſpectum ſe non daret. Auri, gemmarum, pretioſæ veſtis, is apparatus in Duce Vincentio, ac comitatu ſpectabatur; qui inuideri, non imitari facilè poſſet. Et tum primùm Germani Italorum potentiam credidêre, faciles in externorum cõtemptum, vt inferiores. Sed quia bellaturus, non oſtentaturus arma aduenerat, ſequenti die ſalutato Cæſare; multis regijsque muneribus datis, & acceptis, Viennâ in Pannoniam profectus eſt. Primum humanæ miſeriæ, militariſq; gloriæ exemplum Vincentio oblatum, funere Comitis Mansfeldij, nobilitate, fortitudine, belli peritiâ, ad ſummã gloriam euecti; quiq; licet naturali morbo abſumptus, tamen honorificè deceſſiſſe credebatur; vt quem ſi non pugna, bellum certè confeciſſet. Nullum officij genus à Duce omiſſum, quo virtutem etiam in defuncto æſtimaret. Fertur abſcedens à corpore ingemuiſſe; eumq; fęlicitati ſuæ finem deſideraſſe. Paucos dies Viennæ immoratus, implorando cęlituum auxilio impendit; quandò mortalium conatus irritos ſciret, quos Numina non proſperaſſent. Iuſſi comites & vtilitati propriæ & exemplo Sacrificio intereſſe; & ſacro ſe cibo munire. Mirũ Germanis viſum eſt Seruatoris SANGVINEM inter pericula armorum, itinerumq; diſcrimina deferri: Sed & Clemens Põtifex Vincentio indulſerat; & nullo certiori præſidio, vitam, decus, victoriã

Vincentij Comitatus nobiliũ in Pãnoniam.

Comitis Mãsfeldij mors.

credebat. Die ſequenti, impoſitis Dannubio militibus, rectâ in Caſtra contendit; habuitq́; Carolum Rubeum, Ioannem Franciſcum Aldobrandinum, Ioannem Mediceum, Marchionem de Burganio, Paulum Sfortiam, Doriam, cæteroſq́; copiarum ductores obuios. Secutus Matthias quos præmiſerat; tum vniuerſi exercitus Imperator, Rodulphi Cæſaris frater, & proxima ſpe Regnorum, ſi quid Imperatori fato eueniſſet. Nil æquè nobilium ac plebis animos permouit, ac Italorum Principum neminem, eò virtutis proceſſiſſe, vt incolumitatem propriam, Germanici Regni ſtudio in diſcrimen daret. Vnum Mantuanum Ducem, certâ, & quæ inanibus interpretationibus carpi non poſſit, caritate, etiam præſentiam attuliſſe; & parum credidiſſe, quòd appellatum auxilium miſiſſet. Nec Sexcentos ſolùm equites, ſed addidiſſe numerum; qui aſſiduus operâ, pro Cæſare eſſet; nec partem vllam curarum oneraret. Germanæ legiones, affinitate ſanguinis, & morum ſimilitudine cognitũ, militari acclamatione excepère, vt ex ſuis, & Imperij partem. Miſerat Cæſar ad Matthiam fratrem, cæteroſq́; Duces literas, quibus commẽdatâ Vincentij aduerſus Imperium dilectione, monebat; vt idem Principi, qui reliquis Sereniſſimis locus eſſet; ſimul conſilio ac curis admoueretur, quando fidei certus, etiam diligentiam approbaſſet. Expleto per officia triduo, geſtiebat hoſti congredi. Aldobrandinus aciem ducere, Vincentius extrema ſeruare iuſſi. Medium agminis Matthias, cum lectiſſimis ſeruabat. Sed credebantur hoſtes poſtrema carpturi; ſi incuſtoditi per negligentiam proceſſiſſent. At vbi nihil confuſum, nuſquam interruptum agmen; & itineri ac prælio paratos Chriſtianos ſpeculati ſunt, abſtinuère. Niſi minor hoſtium numerus in inſidijs erat; quàm vt prorumpere auderet. Plus curę Vincentio ex ſuis, & amicis, quàm hoſtibus fuit; malebatq́; vnum ſeruaſſe, quam centum hoſtes perdidiſſe. Simul inualidi, fame & egeſtate abſumpti, quibus equi, quibus pecunia deerat, mediâ viâ relicti; qui tamen in Mantuanos incidêre. Neceſſitatem alij, plures fraudem accuſabant; Vincentius tamen amplexatus eſt; quòd vtrumq; in gloriam flecti poſſe crederet; ſi alimenta, currus, arma, ſuppeditarentur; ne qua ignauiæ excuſatio eſſet: ex his qui bello inutiles, nec itineri valetudine ſuffecturi occurrerant, in tuta miſſi, additis qui prouiderent. Hinc celebrari Vincentius, & militum animos allicere, opinione virtutis cepit, etiam ante bellum munificentiâ cõmendatus. Diuiſis interdum miniſterijs, priorem aciem ducere iuſſus, haud minori conſtantiâ, & prudentiâ egit: præmiſſis qui lubrico paludum pontes imponerent; fallacium ſiluarum inſidias ſcrutarentur; & longius curantes, hoſtium numerum, vires, ordinem, conſilia deferrent. Sic non Turcarum ingenio, non Chriſtianorum negligentiâ, data periculi occaſio. Id fermè exercituum Ducibus familiare eſt; quoties non quæſtui, ſed gloriæ bellatur. Et ſic quidem ipſo belli aditu procedebat. Maior laus Duci Mantuano, vbi vniuerſi Caſtris conſedère, parta eſt; ſiue fortuna obtuliſſet; ſiue per virtutem, ipſe ſibi exiſtimationem parauiſſet. Tria millia quingenti Alemani, leuis armaturæ quidam, nonnulli Cataphracti equites; Comitis Manſ-

feldij

feldij veterani, ſub vexillis habebantur; diſciplinâ, concordiâ, fortitudine, haud dubiè neruus belli; & exemplo reliquorum oſtentati. Nec numerus ſpernendus erat. Hi defuncto Duce ſuo, alieni Imperij (quod per ſuperbiam haberentur) intolerantes, & feſſi longo militiæ labore, quòdq; ſtipendijs fruſtrarētur (quæ pręcipua Europęę militię corruptela) ſeorſim agere, Matthię Archiducis præcepta ignorare, vocati non reſpondere, contumaces cęperāt. Vbi qui neglectus cauſam ſciſcitarentur, miſſi ſunt; retulêre vniuerſos miſſionem velle; quòd amiſſo Duce, cui ſacramento cauiſſent, militiam expleuiſſent. Nec infructuoſam aut indecoram licentiam velle; ſed ſtipendijs exſolutis, donaria inſuper flagitare; ne tumultuaria diſceſſio videretur. Ioānes Mediceus ab Archiduce miſſus, modò decus militiæ, modò ductoris gloriam, famam virtutis obiecit, orauitq; cauerent turpi fine, honorum miniſterium fędare. Reſponſum ab vniuerſis, ſibi ſatis ſuperq; laborum fuiſſe, nec Legionum Romanarum ritu militiam ingredi; liberum ſacramentum, & voluntaria ſtipendiâ explere; ita in mediā libertate natis, & arbitrio gentis ſuæ innutritos, agere. Sed cum tota vis effringi, & hoſtibus reliquis irriſui exponi, fortiſſimo equite diuiſo viderentur; miſſi alij qui pollicitationibus retinerent. Nîl aliud tamen retulêre; quàm ſoluto ante ſtipendio, doniſq; acceptis, integrum Semeſtre adhuc militaturos. Hinc grauior difficultas; quòd fateri indigentia deberet; nec quæ requirebatur pecunia ſuppeteret. Has inter turbas Vincentius, quandò cæteri ſilebant; & famâ paupertatis diſſolui exercitus parabat, medius prorupit; orato Archiduce, ſibi ſummam rei delegari. Quibus ire Vincētium diſplicebat, id metuebant; ne auctoritate, quâ ipſi decidiſſent, præualeret. Inuidi tamen, & prudentiæ indigi, vt procederet hortati ſunt; ſpe irriti conatus, nullâ publici beneficij curâ. Sed Vincentius duce prudentiâ, comite fortunâ, duobus proceribus quos Italiâ deduxerat, comitatus; Alemannos tumultuantes conuenit. Qui licet peruicaciæ propiores, Ducis tamen reuerentiâ perculſi, medium cum honore accepêre. Hos ille Germano idiomate (quod ab incunabulis hauſerat) ſic allocutus eſt: Specioſiſſima ac fortiſſima exercituum Pannonię robora Germani equites; quorum ego ſolo nomine caritatem accepi; quique fortiter geſtis pro veſtrâ gloriâ ac Imperij decore, in præſentem militaſtis, ſummi Ductoris electiſſimus numerus, hodie veſtrum decus, Imperij fortunam, Germaniæ ſplendorem, Regni huius ſalutem perditum itis. Nec ſatis cauſæ; nam etiam atrocibus, interdum ſua ratio nexa eſt. Quas per vim & minas pecunias poſcitis, ſpontè habituri eſtis, vbi commeatus ad nos diuerterint. Interim vos alimentis, equos pabulo, dum certiora afferuntur, ſubleuate. Nec in alios abundantius etiam ſelectiora diuidimus. An exile gratiæ pretium creditis, quod ab Archiduce orati, à tot Principibus, titulo fortitudinis deſideramini? Meas curas, ac communis cauſæ vtilitatē omitto; qui & exercitus vniuerſi, & veſtri honoris cauſâ laceror. Si quid tamē intēpeſtiua hæc flagitatio, pietatis ac māſuetudinis inſtillat, obteſtor exuite ſeditionem; & ſi pecuniæ quæruntur, meas fortunas in vos conuertite. Illi au-

Vincentius tumultuātes equites Germanos retinet.

ctoritate

ctoritate moti, duo tantùm ſtipēdia ſibi exſolui petiêre; quæ Vincentius animi magnitudine, ne fruſtra acceſſiſſe crederetur; aut reſpublica viribus imminueretur, de ſuo conferri iuſſit. Sic amotâ præſenti diſcordiâ; non minor ex futuro moles ſupererat; incertis Principibus quam belli ſedem deligerent; quò vis omnis primùm flecteretur; ne ad vlteriora progreſſi, hoſtem à tergo relinquerent; aut innanibus immorati, ſummam rerum negligerent. Hæc non alio conſtabat, quàm vt illato Turcarum Prouincijs bello inimicorum viribus vterentur; eosq; è ſuo auellerent. Vbi Principes exercituum proceſsêre; prior Matthias non ſolùm victoriam ſe in votis habere profeſſus eſt, ſed & compendium; ne amica regna diuturnitate patientiæ, & expenſarũ frangerentur; deſcriptique bello milites, duram hyemem, exercitas æſtates auerſarentur, proprijs ſoliciti, publicis incurioſi. Et quando fortuna ceptis affutura ſit, celeritate & feſtinatione opus eſſe, quò facilius oppugnatio & fructuoſior militia haberetur. Addidit nemini ignotum eſſe, quæ inimico vires, quę munimenta recipienda, quibus exercitibus ambiantur. Proindè conſulerent; & ſemel placita, vniuerſi eâdem conſtantiâ ſequerentur. Ioannes Mediceus bellicorum inſtrumentorum præfectus; quiq; Itali militis tria millia ſub ſignis habebat, Budam oppugnationi deſtinabat: Arduam ſanè prouinciam, ſed toti negocio vtilem ſumi ratus. Non enim Ciuitatem quęri; ſed eâ receptâ, quâ Auſtria ſpectatur cuncta ad Chriſtianos acceſſura. Fruſtra vires & conatus inſumi, vbi ſola exiſtimatio ſuffectura ſit; reliquorũ victoriam, prioris exemplum ſecuturam. Non enim etiam leuiſſimis præſidijs, animos propugnationi defuturos, ſi regni viſcera laborantibus parata ſint: Et frequentibus inſultibus, aut eruptionibus hoſtium, non modicam iuuẽtutis manum hauriri. Pauciorum iacturam, vnius Ciuitatis oppugnatione fore; & deploratis hoſtium auxilijs, ſine diſcrimine ingentem acceſſionem. Matthias ad Vincentium conuerſus opinionem orauit; nec ille abſtinuit; quòd vel infimo loco dicere, & primo agere meditaretur; neque pars mercenarij aut deſcripti militis eſſet; ſed ſuo ductu, ſuâ expensâ adueniſſet; nullius imperio obnoxius; & libero ſtatim regreſſu, vbi placuiſſet. Si Principes viri (inquit) præceptis militiæ inſiſtamus, eligenda nobis belli ſedes eſt; vbi commeatus, pecunia, ægri, aut vulneribus debiles, amicorum ciuiũ pietate ſeruentur. Nec enim in Caſtris tutò iſta, aut commodè habentur. Quia mutari ſæpius tentoria, & transferri oportet. Non graui, aut difficili bello comparanda; ſed vel poſſeſſa, vel minimo negocio quærenda eſt. Buda alieni imperij ſedes, magno præſidio retinetur; nec niſi diuturnâ oppugnatione ceſſura. Dum interim exarmantur caſtra, in hoſtem pugnatur; latera, ac dorſum vagi Turcæ infeſtaturi ſunt, audaciâ, numero, & tanquam in ſuo ſuperiores. Ita intra inimici Regni viſcera inferenda arma ſunt; vt nihil hoſtile à tergo omittatur, quod conatus remoretur. Quamquam vt accipio, non eæ nobis vires ſunt, quæ diuidendo bello ſufficiant; & pars ſeditionem agitantes, niſi integris nexi, facilè in perfidiam erumpent. Non longè hinc Vizegradum, ſitu, opulentiâ, commeatu refertum, ad Danubij

ripam

ripam conſedit. Quid nî facilem loci oppugnationem aggredimur;& erepto hoſti Amnis vſu, potiti munimento,terrâ ac flumine Budam inuadimus? Secundo commeatus militesq́; neceſſitati decurrent: & ſi fortuna ſecus verterit, ſecuro effugio in tuta remeabimus: Et hæc quidem vſu militiæ exercitatioribus obtemperaturus, iuſſusq́; retuli. Cæterùm voluntatis ac iudicij executorem, comitemq́; me ante alios eſtis habituri. Propenſio reliquorum, incitamentum Vincentio fuit, vt acrius nauaret. Et quidem non alio iudicio placuit, ſitum, ac oppugnationis vias quam eius induſtriâ æſtimari. Ergò paucis equitum comitibus; hinc, illinc, quæ mœnium altitudo, quæ foſſarum profunditas, quo numero, hoſtes intus eſſent, comperit; & glandibus bellicis non ſemel petitus, nec offenſus, incolumis reuerſus eſt. Comes Palfius, Pannoniorum Dux externam Danubij ripam, cum ſuis obtinuit. Aldobrandinus Oriẽtem,Meridiem Vincentius inſedêre; acceptis auxilijs quibus erumpentes coërceret. Partitâ interim operâ modò in turres oppoſitas, modò pro mœnibus certabatur; annitente quouis, ne alter prior ſuccederet, aut acrior hoſtem vrgeret. Inter medios dum Commendator Sangeorgius, renitentibus inſtat,proſequentes ad virtutem hortatur, plumbeâ pilâ medio genu ſauciatur; quo etiam vulnere paulò poſt confectus eſt. Iuſſitq́; Vincẽtius, dolore amici euictus, cadauer in Monferratum conuehi, quâ de gente erat. Nihilo ſegnius vniuerſi incumbebant, gloriæ ſtimulis exciti, deſiderio vindictæ; ne quamquàm capto propugnaculo,quòd vna Ciuitas tam diu, tot oppugnantium millia retinuiſſet, fama imminueretur. Ne nox quidem requiem habebat; ſed quos diurnus labor fregerat, nocte feriabantur; recẽtes in pugnam ſubibant. Ea apud vulgum caritas: nihil ſibi quietis Vincẽtius delegauit, ſed ſtimulis, exhortationibus, conſilio indiuiduus, dies noctesq́; in eâdem operâ trahebat. Proindè nullâ intermiſſione,tormentorum bellicorum ictibus, obiecta mœnium quatiebantur. Et vbi hiare munimenta, & acceſſui patere aditus viſus eſt; globi militum, murorum ruderibus ſucceſsêre. Obſeſſi longitudine faſtidij; ſeu quia pauciores, tot millium impetum ſuſtinere non poterant; ſimul deſperatione auxilij, deditioni animos applicuêre. Cumq́; ab Aldobrandino miſſi de conditionibus agerent; non ſe Archiduci, aut Italo recentis fortunæ,animos ſummiſſuros reſpondêre Barbari; quamuis inter aduerſa, ad vnum omnes obtruncandi forent;ſoli Mantuano Ciuitatem permiſſuros; quasq́; abeuntibus leges dediſſet, pro validis habituros; ſi tamen incolumitati ac pactis, publicâ fide boni Principis caueret. Proceſſit Vincentius,& cũ nõ ſe Ducem exercituũ;ſed nec deſcriptæ militiæ partem eſſe diceret, ſuoq́; ductu pugnare, vniuerſam gloriam in Imperatoris fratrem flecti debere; non tamen peruicit, quin refectis quæ corruerant murorum nexibus, extrema potius opperirentur. Delata res ad Archiducem; qui conſobrini gloriæ facilis, orauit Vincentium; ne victoriã ſingulorum, ſuum decus moraretur. Nihil in illum conferri poſſe, quod ſibi commune non eſſet. Sic impulſus Vincentius, ad obſeſſos reuerſus,eos datâ fide ſine armis recepit; & miſeri leui vexillo præmiſſo deditionem fecêre.

Omiſſa Budâ Vizegradũ oppugnari obtinet.

Vincentius Vizegradũ deditione coactã recipit.

Vtq́;

Vtq; diuortijs anguſtijſq; itinerū non circumuenirentur, Quingentis equiti-
bus in præſidium datis, dimiſſi ſunt. Quadringenti inerant; ex quibus Du-
centi Ianizeri. Centuriones, Arciſq; præfectus, nobili conuiuio à Vincen-
tio excepti, & ad ſua ire permiſſi. Parte aliâ lecti ab Archiduce Ciuitatem
ingreſſi ſunt; firmataq; denuò propugnacula; & valida manus præſidio im-
poſita: Poteratq; infeſtum Turcæ bellum continuari; ſi Pannonij ac Ponti-
ficij in concordiam agendorum coijſſent. Sed ferox Palſius, tenax conſilij
Aldobrandinus; vt contumaciâ nobilitatem præferret, æmulatione potētiæ
diſcordes; non expeditionibus, non animis ſatis competebant. Id ad Vac-
ciam innotuit, iuſſo Palſio, cum Pannoniorum robore, properantem aliâ
parte Vincentium præuenire; & Aldobrandini copijs iungi, quas Franciſcus
Itali, & Pānonij parum concordes.
de Monte ductauerat. Quippe cum Aldobrandinei pugnam abnuerent, Pal-
ſius Caſtra repetijt, tumidus animi; & (vt ferunt) Italo nomini parum fidus.
Sic intacta Vacciâ, vniuerſi regredi coacti; & Barbari contentionum non-
ignari, quamq; in oppugnatione ſecordiam, eandem in acie præſumentes,
abeuntibus Chriſtianis ſuperfuſi ſunt. Sed extrema Vincentius, cum mille
quingentis equitibus ſeruabat; vt ſuperaturis oppoſitum Amnem Germanis,
tuta à tergo omnia redderet; raptimq; inſequentibus congreſſus, audaciam
repreſſit. Tanta genti conſternatio, non viſo Palſio inceſſit; vt ſexdecim-
hominum millia, quinque Turcarum millibus inſtantibus, tumultuariè fu-
gerent; & in certam perniciem properarent; niſi Mille quingenti cum Man-
tuano oppoſiti, vanum timorem reddidiſſent. Coram Archiduce, nîl ac-
cuſatum, nîl excuſatum; quæ vna ſeruandi in longum odij via eſt; dum-
iniuria prætextu ignorationis celata, reſponſis non aboletur; & eò ſpontè il-
lata creditur, quia non purgatur. Gnarum exercitui erat; vt Vincentius ſe-
ſe manifeſto diſcrimini, reliquorum cauſâ expoſuerat, ſic inter æmulos com-
muni bono concordiam voluiſſe. Sed vterq; rigidus; nec ſatis auctoritatis
Matthiæ erat, quòd Aldobrandinus exoratus, Clementis Octaui liberalitate
acceſſiſſet. Porrò irritam Italici militis eo tractu moram, aduerſa valetudo,
& populorum alienatio teſtabantur. Siquidem fuſâ aluo languidi, & lentis
febribus detriti, inter tentoria ac vias proiecti, nullâ cuiuſquam pietate ſub-
leuati eripiebantur. Contagies inhumanitati cauſam dederat, cui ad nau-
ſeam comeſti fructus horarij, & hortorum diuitiæ in luxum verſæ, quamuis
diurnis alimentis non egerent, occaſionem præbuêre. Id Vincentium am-
biguum habuit, impulitq; oſtentatam ſæpius munificentiam exerere, ac fa-
mæ æternitatē præripere. Pecuniâ ac medicamentis quotquot ad manus ve-
nerant ſubleuari iuſſit; rariq; ex ijs deſiderati, qui Vincentij liberalitatem-
experti ſunt. Huic beneficio multa aureorum millia inſumpta; laudaturq;
eo nomine adhuc barbaras apud gentes. Inter has turbas, & infectum lue
cœlum aduerſa Vincentio valetudo obuenit. Aſſiduæ curæ, & dies integros
noctesq; arma geſtata accuſabantur. Matthias certâ in conſanguineum ca-
ritate, vt Caſtris excederet, orabat; ſeq; tumultibus, & difficultatibus belli
ſubtraheret. Quod ægrè obtinuit. Et præmatura hyems, frigore ac nebula
intra-

intractabilis imminebat; vt nulla proferendæ expeditionis ſpes eſſet. Tolerabantur tamen aſperrima temporum; ſi correctâ valetudine; quod laborũ ſupererat, Reipublicæ vtilitati impendi poſſet. Primi Pontificij Caſtris exceſſêre, datumq́; in reliquos exemplum. Et Vincentius ne vicinitate, officio defuiſſe videretur; miſit qui Tranſiluaniæ Principem ſuo nomine inuiſeret; & nobiliſſimis equis donaret. Collectis demum ſuis; & exercitu omni ſalutato; per Norici extrema Venetias, mox Mantuam reuertit; præmiſſo ante Marchione Carolo Gonzagâ, qui Cæſarem reditus certiorem faceret; præteritorum moneret, & futuri ſpem offerret. Haud longè Mantuâ aberat, cum effuſi nobiles ac ciues, portus ambitum, quâ appulſurus erat, compleuêre; vt diſceſſu paucos ante menſes in lachrymas; ſic reditu in lætitiam effuſi. Extrema exultantis Patriæ, grauis erepti Patrui Ludouici nuncius excepit; quem per omnes honorum, ac miniſterij in ſuum Regem gradus prouectum, nobilitas generis, maſculæ virtutes, prudentia ad ſummum faſtigiũ prouexerant. Sed & Regis ſui dolore aucta mæſtitia, quem miſſis ad Vincentium literis abundè profeſſus fuerat. Plures ante annos nobiliſſimam virginem, procurante Rege, in coniugium acceperat, Henriettam de Cleues; quæ Ducatum de Niuers, & ingentes opes intulit, Gonzago nomini non inferiores. Colluſiſſe fortunæ neceſſitas videbatur, opportuno Vincentij ad ſuos reditu, cum maximè Prouinciæ egerent. Nam cepto inter Galliæ Regem, ac Sabaudium bello, Monferrati metus erat; ne fraude aut electione petitum; in exteros abiret. Et quidem auditâ Principis præſentiâ, ſummâ in pace habitum. Nullus è Gallo metus erat; nec Sabaudius potentiori cõgreſſus, pluribus intendere poterat. Neq; tamen Vincentio ſuſpiciones pro iniurijs proſequendæ erant; & ſatis ad prudentiam rebatur; ſi vicinis intactis, ſua ſeruauiſſet. Hiſpanus quoq; pro Sabaudio, Italiæ turbas irritas oſtẽdebat. Succeſſit Viadanæ Mantuani Oppidi nobiliſſimi ad Padum ruina. Nam Fluuius, aſſiduitate imbrium, Auſtriſq́; obnitentibus, adeò intumuerat, vt plana quæq; ſuperſtagnaret. Secuta ædificiorum ruina tractiq; in profluentem incolæ, iumenta, ſegetes; eo maiori malo, quòd ſubſidium non occurreret. Pluſquam quinquaginta ædes laceræ hauſtæq; ſunt. Et haud minus quinquaginta millium aureorum res corrupta. Miſit Vincentius qui viſeret; & damni profeſſione, pari pecuniæ ſummâ ſubueniret. Maiorem ex futuro metum, Padus in priſtinum alueum regreſſus ſuſtulit; non enim vallo, non diuortijs ſuperabilis iactura erat, niſi ſpontè receſſiſſet. Vt ferè oranda fortuna eſt, quàm irritis remedijs obſiſtendum. Quod temporis reliquum Monferrati quieti, & Patriæ commodis inſumptum eſt: Ne qua per otium ac ſecordiam noua iactura ſuccederet. Sed aduerſus fortuita, fatis ab Eleonorâ coniuge cautum fuerat. Non intermiſſâ æmulatione nihilominus, inter Cæſarem ac Turcam pro Pannoniâ certabatur; & modò in Chriſtianos, modò in Barbaros variante fortunâ dimicabatur. Imperator veteris operæ memor; & ijſdem quibus ante conſilijs vſus, nec minus repoſcente Matthiâ Vincentium honorâ præteritorum commẽdatione haud dubiè

Ludouici Gõzaga mors.

Viadanã Padus dirnit.

biè reuocabat. Non diſſimilia Principes amici præſcribebant; parũ decora ea Caſtra referentes, quæ Vincentij ſplendorem experiri ſueta, nil ſoliti decoris haberent. Et quia ſatis ad gloriam viro erat, profeſſio beneficij; cauſam gloriæ nouam reijcere flagitium credidit. Nec minus infauſta prioris expeditionis ſtimulabant; ſi nouos conatus mutata ſors, honeſtiori exitu decoraſſet. Delectus à Vincentio equitatus, & nobiles; qui neceſſitati, exiſtimationiq́ue reſponderent; Et delegatâ cõiugi Prouinciarum adminiſtratione, denuò in Pannoniam profectus eſt. Fertur expenſas ac diſcrimina, nec non quibus hactenus apud militiam læſus foret, amicum obijcientem, monuiſſe: Ideò regredi vt corrigerentur; & quamuis irriti conatus inanem operam fore prædiceret; Germanis ſuis tamen, & Cæſaris expectationi, id omne impendendum. Pannonicæ Legiones aduentantem feſto cultu, acclamationibusq́ue excepêre. Et viuebat adhuc memoria beneficij; ſperabaturq́ue vt non ſui diſſimilis, ijſdem occaſionibus, eaſdem virtutes relaturus. Opportunè adueniſſe cognitus; nam paratum Iauarini expeditioni exercitum deprætendit. Proceſſuræ militiæ exordia Aldobrandino, media Archiduci, poſtrema Vincentio obtigêre. Et licet non irruptionibus hoſtium, non fortuitis congreſſibus laceſſitus; plus tamen negocij habuit; quòd manipularium inuiti, ſuæ cẽturiæ reſtitui, ægri deportari, ſingulorum neceſſitati ſubueniri oporteret. Eò commendatior pietas fuit, quò inter bellorum turbas rarior. Conſtat ingentem vim pecuniæ; ac medicamentorum copiã in egenos effuſam. Quòd nemo reijceretur; & in vniuerſos pari abundantiâ ſubueniretur. Si quos imminutum dilatumq; ſtipendium, fugæ ſeceſſioniq́ue diſpoſuerat; quoſq; aggregatos itineri, alienum Germano nomini animum præferre nouerat, promiſſis, inculcatione gloriæ, ac donarijs retinebat. Ioãnem quoque Thetaur contumaciâ & acceptâ (vt ferebat) iniuriâ proripiẽtem ſeſe, cum famulis ac nobilium comitatu, manu appræhenſum, perq; Germanæ gentis honorem obteſtatum; vt maneret, perpulit. Inclinante iam die; nec ſatis vlterioribus per exploratores tentatis, ad Rabiniſum Amnem conſedêre. Aldobrandinei viſâ Fluuij exilitate ſtatim trãſire parabant; Retinuit tamen Vincentius, ambiguo vado, & profunditate obiecta; nec minus inſidiarum metu; quibus barbari non minus quàm virtuti intendunt. Cũq; aduecti pleriq; Pannoniorum proni in temeritatem eſſent, breuem moram precatus eſt; donec ſciſcitaturi diſtantia regrederentur. Itinerum quippe ignaros, dolo ac caſibus obiectare indecorum nouerat; & hinc certam gloriæ iacturam; nemine acrius conſilia quæ ſiniſter exitus excepiſſet, carpente, quàm qui prior conſuluiſſet. Paulò poſt tres gregarij Germani affuêre; & vicino nemori, quod dextero viæ lateri aſſidebat, duo Turcarum equitum millia deliteſcere docuerunt; auſuroſq; nocturnam Caſtrorum inuaſionem; non vt vincant (nec enim hos animos, ea præcepta habere) ſed vt carpant, conuellant, terreant, quietem primò, mox ordines turbent; & orto die recẽtibus validiſq; ſuis, ipſi ſomno ac labore feſſi obijciantur. Præcipuis prudentiâ, viſum aggregare in medium impedimenta; iubere peditum, equitũq;

Vincentius iterũ ad bellum Pannonium.

partem

partem per vices vigilias obire; tenere arma, firmare acceſſum, longius exploratores diſponere; ne quid impræmeditati occurreret. Dux ipſe Vincentius viſitaturum tentoria, & ſomnos ac vigiliam curaturum ſe recepit. Non defuit, viliſſimis natalibus; ſed fortunâ in multam claritudinem elatus Dux copiarum; qui ſe proprijs auctoribus diuerſa cognoſcere, remittere beneficium,& prout ſeſe occaſio ingeſſiſſet, remedium capeſſiturum fateretur. Satis cuique Duci fore, ſi res ſuas ex vſu præſentium curauiſſet. Vincentius quamquàm negligi ſe à ſordidiſſimo; & in alienum militem, nil ſe iuris habere cognoſceret; vbi acriter virum increpuit; ignauum, ignobilem, ſordidum, mercatorem,cunctis obmuteſcẽtibus increpando, claſſico ſuos in eminentem collem ſeduxit; oppoſitis lateri curribus; & diſpoſitis excubijs, ne quid improuiſum erumperet. Quod exercitus reliquum, negligentiâ ſolutum, tanquàm ſecurâ pace, Italorum æmulatione conquieuit. Tertiâ iam vigiliâ, feroces barbaros inuehi, & turbare ſopitos auditum eſt; quod Vincentium non fefellit; iuſſis ſuis paulò ante arma reſumere; & curatis equis, conferto gradu, ſeruatis ordinibus contra niti. Patuit negligentia; & quæ flagitia Vincentius obiecerat,non ambiguis inditijs innotuêre. Quod tamẽ in metu fit, vniuerſi tumultuariè arma ſumpsêre; & irrumpentes barbaros excepêre. Apud Italos omnia confuſa; nec enim præuiderant, non auribus, non animis, inter certantium, irrumpentium, clamantium rumorem, ſatis vigebant; receptâ mortalium conſuetudine, pro ſemiuictis eos haberi, qui imparati inuaderentur. Vt lux, diesque affulſit, cęſis nonnullis; & mille quingentis in ſeruitutem abductis,barbari abſceſsêre. Quod Vincentio notum; & quia mille quingentos equites in armis habuerat, quadringẽtos ſeruandis impedimentis reliquit, cæteros vix lateri hærere, quà Turcæ redituri credebantur, iuſſit. Prudentiam ſors ſecuta: Nam prædâ exultantes; & incuſſo vniuerſo exercitui terrore læti, imparati & ipſi à Mantuano equitatu circumuenti ſunt. Pugnauêre tamen fortium virorum animo: Sed ſiue virtus, ſiue metus reliquarum copiarum ſuberat, omiſsâ prædâ, fugæ ſe credidêre. Reuerſus in Caſtra Vincentius, ſatis facti conſcientiam habuit; nam recepti vnanimiter fatebantur, vitam illius beneficio accepiſſe. Miſit qui Archiducem facinoris certiorem faceret. Et vili illo, qui conſilium abnuerat, auſusque contrarium iactare, præſente; quantum diſcriminis copiæ adiiſſent, Matthias proſecutus eſt; hortatus meliori ac prudentiori concederet; & pari ſtudio,in eandem vtilitatem inclinaret. Quò magis virtus ſupprimitur, fortius emergit, aduerſus ſilentij præceptum nitente veritate, & impatientiâ. Qui opem ferente Vincentio, partem ſe prædę nouerant; faſſi ſunt, gnarum barbarorum inſultum temerario illi Duci fuiſſe; ſed abnuiſſe conſilium, ne egere videretur. Sequenti die arctatis cornibus, & compoſitis ordinibus Germanæ legiones ad Rabam flumen, qui Iauarini męnia adlabitur, Caſtra metatæ ſunt: Seiuncto ferè Mantuano Duce; ſiue locus nõ placuerat; & moniti Caſtrorum præfecti non obtemperauerant; ſiue ne frequenti imperitorum turpitudine fędaretur. Eorum quoq; quæ ſtrenuè egiſſet, mani-

feſtiorem apud inuidos fidem quærebat. Id ignauis, ac bonis pariter diſplicuerat; illis quòd intra virtutem agens, nîl alijs gloriæ largiretur, aut dedecoris alieni admitteret; his quòd magno Duce deſtituti, rebus ſuis minus fiderent. Georgius Baſta, ac Ferrantes de Rubeis, iubente Matthiâ, Vincentium conuenêre; vt pars conſilij eſſet; præſensque moneret; quę omnibus vtilia depræhendiſſet. Ille non ſemel luſus, ſe ſeruitio non imperio veniſſe profeſſus eſt; & paratum cuicunque miniſterio deputaretur, conſtãtiam approbare. Regreſſi ad Matthiam (quamquàm acceptum Principis obſequium fuerit) minus tamen vtilitatis credidêre, ſi validus ille equitatus cum Duce ſuo, vires tantûm, non etiam conſilium afferret. Quod in tempore licuit, imperatum; vt Marchio de Borgau, cum tribus equitum millibus præmitteretur; nam diuortijs viarum inferri obſeſſis commeatum, certi nuncij detulerant. Fortuna an ignauia fuerit ambigo (quorũ vtrumq; traditur) Nam quadraginta currus Iauarinũ proſpectante Marchione inducti ſunt; commeatu, ac bellicis inſtrumentis onuſti. Et quando priora ceſſerãt, ſecuti alij; & mox Centuriæ militum, tantâ ſecuritate, procul hoſtis quaſi agẽs temneretur. Vincentius ſatis habuit, numerum, ſeriemque proſequi; & monere, niſi certiori diſciplinę inſiſteretur, irritos tot millium conatus, inhonoram militiam fore. Ne tamen ſuam ignauiam hoſtiumque accuſaret, orto die, cum Georgio Baſtâ, & Ferrante de Rubeis, Iauarini ſitum, munimenta, foſſas exploraturus proceſſit; vt quo faciliori loco obſideri; & inſtantia ſubſidia intercipi poſſent; non compoſitâ mendatio relatione, deſpiceret. Curam Pannonij, Alemanniq; equites primi orauerant; ſed vbi ſumma mœnium, denſis propugnatoribus, & continuâ Sclopetorum coronâ ſeruari delatum eſt; impetus ille depoſuit; & hoc illoué diuerſa excuſantibus, Vincentio occaſio oblata, vt magnum animum fateretur. Iuſſerat nobiles qui nondum parati in armis erant ſubſequi; ſed raro nec continuo agmine; ne ab Arcis funditoribus, certo ictui deſtinarentur. Præmiſſus in læuam Hercules Roſa, cum ſexaginta equitibus, camporum incerta, & ſecretas inſidias detecturus. Nõ longè Federicus Gonzaga Proſperi filius; Franciſcus, Guido, Cæſar, & ipſi Gonzagi; Comes Marſilius Torellus, Eques Bentiuolius, Comes Riuara, Marcus Antonius Andreaſius, Albertus Gaſtaldus, Roſæ ſubſidio additi ſequebantur; niſi cupidine gloriæ, otium ac ignauiam abrupêre. Vincentium Georgius Baſta, Marchio Carolus Gonzaga, & Comes Chriſtophorus Caſtilioneus comitati ſunt. Non tamen pugnaturi; ſed locũ modumq; proſpecturi aduenerant. Hercules ſupra vires ac numerum auſus, vallo propius ſucceſsit; quòd denſâ caligine ſeptus, certiora diſquireret. Suſpectanti, & cuicunque fortunæ diſpoſito, obuios ſe ducẽti barbari, quos caſus aut deſtinatio obtulerat, præbuêre. Et dato pugnæ ſigno, plures aggregabantur, maiores vires audaciâ præſumentes. Mantuani in globum contra ingruentes arctati, alacres pugnam capeſsiuêre. Sed dum ſummis viribus certatur; & barbari numero, noſtri virtute contendunt, exile ſubſidium aduenit Comes Henricus Sangeorgius, Franciſcus ab Armis, Alexander

der Fontanus, Carolus Caſſinus; quos rari inferioris ordinis ſequebantur. Raritatem Turcæ diſpexerant; & miſſo ab Arce nuncio iuſſi ſunt tolerare impetum, breui duraturum; longè ſubſidia, pleroſque ſine iuſtis armis congreſſos. Quâ causâ, & quia monitis reliqua reſpondebant, magnâ audaciâ decertabant. Ijs tamen pauculis additis, renouata pugna; & nonnulli Turcarum cæſi ſunt; quamuis victoriam indubitatò præſumerent. Circuiuerat interim munimenta Vincentius; cum ſtrepitu bellantium, & viſis longè armis, ſuorum diſcrimine accepto; Baſtâ, Carolo Gonzagâ, ac Caſtilioneo comitibus prorupit, manifeſtâ Turcarum formidine. Illi tamen Marcum Antonium Andreaſium iam non vno vulnere ſaucium, ac Comitem Riuaræ captiuos abducere maturabant. Quibus inuectus Vincentius, & eorum vno confecto, diſtricto enſe reliquos, paratam iam prædam omittere, & terga vertere coëgit. Nemo è Mantuanis deſideratus; quidam vulnerati, decem ac ſeptem Turcæ trucidati ſunt. Ergo vitato diſcrimine, ne ad certum tormentorum bellicorum ictum darentur, ſeparati ac ſparſi in Caſtra rediêre; nobili & inuidendo exemplo, virtute approbatâ. Marchio de Borgau, haud leuem inuidiæ notam incidit; quòd Septingentis equitibus, vicino collis iugo inſidens, viſo congreſſu, laborantibus opem ferre noluiſſet. Onerabant infamiam nondum ſopitæ coniecturæ, quibus inuiſos Mantuanos habuiſſe conuincebatur. Et plerique non amore gentis potius, quàm flagitij odio, perfidiam, & deſiderium excidij obijciebant. Reuerſo tamen Duci per nũcium gratulatus eſt; & viſâ vniuerſorum lætitiâ, auerſum virtuti ac ſucceſſui Mantuanorum animum malè texit. Reſponſum à Duce; nullius auxilio paratum decus, ſibi ſuiſq; retuliſſe. Et eò præcipuè nomine gratias agere; quòd nemini debeat. Pridem Marchionem indignatum quidam volunt; quòd cum primum ab Archiduce locum ſperauiſſet, præſentiâ Mantuani ſpe depelleretur. Cæterùm tantâ Chriſtianorum militum ignauiâ, iam ferè in manibus habita victoria neglecta eſt; vt non laceſſiti, non prouocati Turcæ, cincto licet multis hominum millibus Iauarino, medio diei, quingentos equites immiſerint, & magnam vim commeatuum. Non deerant, qui magis infenſos Chriſtiano nomini obſeſſores, quàm barbaros crederent; aut inter Duces tacitas conditiones interceſſiſſe. Non enim per ſummam pacem, tantum ſecuritatis inimico fuiſſet, vt alam equitum, Centum & ſexaginta currus, multis hominum millibus, non in pugnam, ſed in prædam obijceret. Id Vincentius querelâ proſecutus eſt, quòd dedecus omnes tangeret; ſed pleraque ſecordiâ; nonnulla quod à Mantuano recordarentur, neglecta ſunt. Apud ignauos ac perfidos, plus lamentationum, quàm conſtantiæ erat. Baro Ioannes à Perneſtanius, Boëmo, Morauo, Auſtriacoq; agro opulentus; & nobiliſſimo loco natus, ſequenti cum tribus peditum millibus, & ſexcentis equitibus, Diui Martini Oppidum Iauarino contiguum, cui rara, nec ſecura munimenta erant, fugato hoſte recepit. Id maximè reliquorum ignauiã onerauit; ſiue quòd conſilium Vincentij prætuliſſet; ſiue manifeſtum eſſet, eandem Iauarino ſortem fuiſſe; ſi quid virtutis ſubdito exercitui manſiſſet;

Proficiebat interim recepti ab obſeſſis noui auxilij, & aduētantis totius Turcici exercitus, cui octuaginta bellatorum millia ineſſe ferebant, fama. Nec oppugnationem Arcium, Ciuitatumq; , ſed Caſtrorum quoq; auſuri dicebātur. Dictu mirum quā formidine contremuerint Pannoniæ, quantum conſternationis acceſſerit; quaſi ideò ad bellum proceſſiſſent, quòd aduerſos nō opperirentur. Et licet diſcendus numerus, ac vires aduentantium à Mantuaño ſuaderentur; vniuerſiné an partiti, equites peditesué, & quo Duce, quibus conſilijs, incertum tamen pro comperto maluêre; tædio diuturnæ militiæ; ſiue quòd pacem, quācunq; iacturā præferrent. Impoſitus ſtatim fluuio pons, tabulato ratibus ſtrato, & vniuerſus exercitus tranſmiſſus; fugam, non receptum crederes. Capizucca ac Borgau Marchiones, extremū agmen aduerſus erumpentes clauſêre. Et laceſſitus quidem; non tamen fractus præcedentium ordo eſt; ſtrenuè iniuncto muneri inſiſtenti Capizuccā; & ſocio comparationis dedecore, eadem proſequente. Miſerat Vincentius vniuerſos, quos ſub ſignis habuerat, in Arcem Comar; ſitu ac propugnaculis validam, cum mandatis, vt interim Aldobrandino obtemperarent; ipſe diei iter quatuor quadrigis emenſus, Eteſtarſium proceſſit, vt Archiducem Matthiam inuiſeret. Habitus hoſpiti honor ſummus eſt; & aduentu Fabij Gonzagæ aucta lætitia; qui tum Belgio redierat, miſſus ad Albertum Archiducem à Vincentio, per ſpeciem officij. Premebatur interim Tata, obſidione Turcarum validā; & non intermiſſis inſultibus quatiebatur, ante Chriſtiani exercitus ora, tanquàm in manifeſtam contumeliam. Et iam Vincentius redierat; Sed non vires, non conſilium legionibus, moribus ac linguā diuerſis inerant, vt ſolui obſidionem vellēt. Ad extremūm, aut neſcijs, aut non audentibus Germanis, Turcæ munimenta ſupergreſſi ſunt, propugnatores ad vnum cecidêre; & impoſito præſidio, Iauarini ſucceſſus cluſi. Capti quoq; exploratores Tartari, cum literis; tormentis admoti, inducta Iauarino noua auxilia retulêre; & currus quingentos promiſcuæ annonæ. Simul viceſimum ab illinc diem Viginti qninq; Tartarorū millia affore; quibus additis, auſuros Turcas totius militiæ periculum; & quod minimū, Strigoniam proceſſuros. Germani veris ac falſis iuxta formidantes; miſêre qui non longè Strigoniā, aduerſum collem inſiderent, præſidio Vrbis; & ſecuritati, ne prior hoſtis potiretur. Conſilij vanitas patuit; illudentibus noſtro exercitui barbaris; & modò Iauarino, modò Strigoniæ minitantibus. Vtrumq; impunè: quia tueri ſua tantùm Pannonij; non item amiſſa repetere ſtudebant. Dies Dominicus erat, cùm pomeridianis colloquijs permixti proceres, de rerum ſummā præſente Vincentio agere cępere. Et cum Marchio de Borgau, quiq; otium deſtinauerant, Turcorum vim, numerum, Tartarorum auxilia, peruicaciam obſeſſorum proſecuti forēt, ſoluēdam militiā; omittendamq; Prouinciam ſuaſêre. Mox ad Vincentium conuerſi, quaſi, teſtem accirent, an idem ſentiret, interrogarunt: Tum ille; magnum Chriſtianorum apparatum, ſpem Chriſtiani Orbis eluſam, inſolentiam hoſtis, ſecuram dimiſſis exercitibus Turcæ poſſeſsionem conteſtatus, conſtantiam

Germa-

Germanoq; nomini dignam fortitudinem orauit. Sed fruſtra erant; apud laborem auerſantes,& deſtinationis manifeſtos. Quibus motus Vincentius, quandò hiemps præ limine; & nullo bellandi inditio, operam, tempus, expẽſaſq; inutiliter abſumi videret, viſo ante Cæſare, & reliquis Italis ſaluere iuſſis, in Italiam redijt. Multa ſuorum vſui, ab ijs qui curabant comparata fuerant; medicamenta, commeatus, puluis bellicus, quæq; aduerſus Caſtrorum indigentiã prudens ſagacitas inuenit; ea in remanentes Archiducis arbitrio diuiſa ſunt; ſingulari munificentiâ; cuius rara exempla, inter diuerſos, & æmulos occurrunt. Sed non ira, non indignatio tanta erat; quæ liberalitatem excluderet; primâ ab adoleſcentiâ connatam Principi,& cuius gloriã æmulabatur. Qui inter pugnarum diſcrimina Duci indiuidui fuerant, retulêre; viſum Vincentio D. Franciſcum de Paulâ, prælio aſſiſtentem, & inermem, tutari ipſum, & iacta ab hoſtibus tela, in contraria flectere. Ergò reuerſus, nobili quod extrui curauerat templo, grates acturus ſucceſſit; comitantibus qui periculo ſuperfuerãt; & ciuium ingenti numero, lætitiâ in Principem, & in Deum pietate. Certè quamquàm potentia, opes, ætas plerumque blanditijs voluptatum adreperent, ſolidæ tamen pietatis exempla proferebat; quibus diuerſum à primo Principe iudicaſſes. Non ſemper erant inania; ſed pietas ac religio, quamquàm inter imparia, frequentabantur. Acceptam quoque Sacroſancti Sanguinis portionem; quam ſuæ ac ſuorum tutelæ, per arma, per itinerum aduerſa detulerat, loco reſtituit; & tutelæ beneficij gratus, Diui Andreę templum, plures iam annos neglectum (quòd expenſa deterreret) collatis pluribus aureorum millibus, nouo incremento auxit, etiam extremam manum pollicitus; ſi per vitam licuiſſet. Additi quoque Sacerdotes duodecim, ijſque annui redditus præſcripti; vt cultui Religionis aſſidui, ſacrificijs maximè deſeruirent. Eò præcipuè egêre locum crediderat; quòd frequentatiſſimo Vrbis ſitu, paucitate miniſtrantiũ, minus expectationi ac decori reſponderet. Vaſtitas illa templi adhuc inclamat auxilia; conditores è domo poſcunt, Vrbs requirit. Sed fruſtra neceſſitas inculcatur, niſi Princeps impellat: Neque toleranda aliunde pietas eſt; ne facti memoria, breui incremento obliteretur. Paucos ante annos Alphonſus Ferrariæ Dux, legitimâ ſtirpe, votoq; ob ætatem deſtitutus, oblatâ ab Vrbe ſpe transferendæ in Cæſarem nepotem inueſtituræ, nobili comitatu, & vi ingenti pecuniæ Romam proceſſerat. Familiæ in Sedem Apoſtolicam merita, longa auorum ſeriem qui promeruerant; Europæ Principum fauorem prætulit, & ferè iuſtitiam; quòd non ſemel in illegitimos eadem potẽtia, permittente Pontifice, abijſſet. Addebat beneficio pecuniam, & feudi nomine, annua multa aureorum millia. Cardinales fauori ac iuſtitiæ medij, modò Sixti quinti ſacroſancta inſtituta, modò vicinam Flaminiam, modò vetera Ciuitatis iura proſpectantes, vniuerſi ferè votum abnuêre. Satis eriam domus ſuæ decori actum referebant, quòd Mutinâ ac Regio ab Cæſare, in Ducatum acceptis, ſpes omnes nepotis ſupergreſſæ forent. Contra Alphonſus inania promiſſa, ſe fruſtra accerſitum, vt cum irriſu preces afferret; etiam

Mantuam redit.

D. Franciſci de Paulæ tẽplũ extruit.

D. Andreæ tẽplũ auget.

Digitized by Google

pleraque Ferrarienſis, meliori formæ vſuique reſtituta obijcere; ſenectam ſuam, decus familiæ, Cardinalis fratris amicitias obtendere, miſcere preces, quæ validiori nixu minæ crederentur. Sed Camerinus ante alios, nō publico, non ſecreto abſtinens, vrgere verecundiam fratrum, premere Gregoriū Decimumquartum, tum regnantem, refricare Bullas, ac toties iuratas conſtitutiones. Sic ſuperatus fauor, & irrito labore coactus Alphonſus ad ſuos regredi. Neq; tamen ſpe exciderat: quamquàm enim, non pecuniâ, nec amicitijs valeret; vulgari tamen aureas ſtatuas, Theſauros, gemmas voluit, vt inſtrumenta retinendi quæ negarentur, oſtentaret. Alphonſo (vt præ-
Ducis Ferrariæ mors. diximus) coniunx, Vincentij ſoror fuerat. Et quamquàm Ciuibus Ferrarienſibus, amiſi poſt Domini iactura ægrè toleraretur, plus tamen abituræ Dominæ mœrore cruciabantur; experti pietatem, & rectum animum; quæ in Principe populorum ſalutem continent. Hinc aucta Vincentio præſentię neceſſitas, vt ſorori Patriam meditanti præſto eſſet. Miſſus Marchio Carolus Gonzaga, magno nobiliū comitatu, vt Cæſarem Eſtenſem Mutinæ Ducem Patruo, ſororem coniuge amiſſo ſolaretur; & vbi ſatis luctui, & oſtentationibus pietatis inſumpſiſſet, redeuntem comitaretur. Quibus ex officio expletis, plus ſtudij metuſq; ſupererat, ob imminens bellum. Nam cū Clemens octauus, miſſo Legato, Ferrariæ poſſeſſionem, vt nullo amplius ſucceſſore repoſceret, Mutinenſis varia cauſatus, in longum deditionem trahebat; ſi Pontifex expectatione laſſatus, inueſtiturā quam Gregorius decimus quartus abnuerat, conceſſiſſet. Sed cum prudentiori res erat, quàm vt circumueniretur. Vbi enim dilationem quæri, & hanc petendis auxilijs, ſcribendi militis, comparandæ pecuniæ cognouit, feſtinatione rei ſummam proſecutus eſt. Dicta in Vrbe Mutinenſi dies; & vbi contumaciæ propiorem, quàm pœnitentiæ vidit, Anathemate percuſſum, diris deuouit. Ergò paulatim dilabi amici, Ferrarienſes recuſare imperium, minitari apertam deſciſcienem cepêre, niſi iuſtitiæ obtemperaſſet. Quibus fractus; & quia conſilij neſcius agebat, honeſtiſſimis conditionibus Ciuitatem conceſſit. Sic pulcherrima Ferraria, tot ſæcula apud Eſtenſes, approbātibus, etiam inuitis Pontificibus, in priorem dominum deuoluta. Nihil adeò formidaſſe Cæſarem ferunt, quā deſcriptum miſſumq; à Pontifice exercitum, intra paucos dies Mutinę ac Regij minitari. Proindè coactus, qui ſuorum incertus eſſet, alienis abſtinere. Receptæ Ferrariæ nuncio, per Romanas Prouincias ingens exultatio ſecuta.
Ferraria in Pontificem. Siue parum miſſo exercitui credidiſſent: ſiue quietis deſiderio; quòd commeantibus vltrò citroq; Centurijs, obuia quæq;, tanquàm populatione vaſtarentur. Augebat Prouincialium curas, longa pacis conſuetudo. Nec bellum etſi quæſtuoſum, vtile exiſtimabant. Et Clemens tantæ acceſſionis lætitiâ; quodq; Hiſpaniæ Reginam eò venturam opperiretur, Ferrariam proceſſit, nobili Cardinalium, ac Principum virorum comitatu. Strepebat vniuerſa Flaminia, impedimentorum ſubuectione, & frequentiâ hoſpitum; quos viſendi ſtudium, aut officij mouerat. Quod inſolens cæteris Italiæ Principibus, id Vincentius Clementi præſtitit, miſſo Romam Franciſco ab Armis,

qui

qui Pontifici profecturo, toto itinere deſeruiret. Nec enim ſatis crediderat, ſi Ferrariæ præſentem coleret; niſi præciperet gratiam; & etiam abſens, obſequium fateretur. Miſſi interim Ferrariam, qui venturo Duci ædes, quæq; vſui neceſſaria, pararent. Multis ſuperflua potentiæ, ac faſtus oſtentatio viſa; vt qui ante æmulationem parium, ſpes inferiorum, ſplendore nominis obruiſſet. Attamen honorificentius viſum, vbi reliqui pompam præſumerent conſuetam ſibi magnificentiam teſtari; & ſi quid ſplẽdidius incidiſſet, Clementis, ac nobiliſſimæ Vrbis honori dare. Quinta Iunij, Milleſimi quingẽteſimi nonageſimi octaui, Ferrariam attigit; obuio ante Ferrante Gonzagâ, qui eodem officio præceſſerat. Aderant comitatui nobilium præcipui, natalibus, opibus, titulo inſignes; & cuiq; ſui famuli, feſto cultu, paribus induti. Nec alius ſplendidior apparatus per Italiam, bello aut pace viſus eſt. Auri, gemmarum, ac pretioſæ veſtis copia, cunctos detinebat; erantque qui Longobardiæ diuitias omnes eò deductas crederent. Montaltus, de Monte, Iuſtinianus, Parauicinus, SS. Quatuor, Gallus, Matthęius, S. Clemẽtis, Arrigonus, Aquauiua, Bianchettus, ac Cæſius Cardinales, iubente Põtifice, obuij proceſſêre. Sic quibus Eccleſiaſtici honores, aut priuatus familiæ ſplendor inerat, maiorum obſequia imitati, affuêre. Deniq; quidquid nobilium Pontificiæ aulæ, aut Vrbis erat; vniuerſa militia, ſiue Ciuitatis cuſtodiæ, ſiue prætorio haberetur, Ciueſq;, portis effuſi ſunt. Receptus à Clemẽte, magnâ pietatis demõſtratione. Nec ille accepto fauore prauè vſus eſt; ſed muneribus, comitate, in vulgum liberalitate, gratum animum teſtatus eſt. Aliquot ante menſes Philippus Hiſpaniarum Rex, magno Patre, & rebus proſperè per Italiam, Belgium, Indias geſtis clarus, inter viuos deſierat. Et Clemens, quòd ea Principis merita eſſent; nec certiori ſubſidio Romana Sedes inniteretur, magno affectu proruperat. Simul publico Conſiſtorio, fuſâ oratione, pietatem Regis, animi integritatem, prona in Pontifices ac Italiæ quietem ſtudia proſecutus fuerat. Acceptus ab omnibus ſermo, aut infeſtis aut obnoxijs; facilius tamen apud amicos toleratum, quòd bono ſenio defeciſſet; nec Hiſpana potentia ſubſtituto iuuene filio imminueretur; vt quæ conſilio procerum, quam Regis cura ſuſtentaretur. Philippus eodẽ nomine filius Regnum habuerat. Nec enim Prouinciæ dubitauerant; quãquàm ſparſa per Europam contentionum ſemina, turbas minitarentur. Hic ſibi in matrimonium adſciuerat, Margaritam Caroli Archiducis Auſtriæ filiam; quæ Regiâ pompâ per Italiam deducta, ad ſponſum properabat. Placuit Clementi opperiri fęminam Illuſtrem; & miſſo ab Hiſpaniarum Rege procuratore, vtroſq; coniugio illigare. Quo decore, in Albertum Archiducem tranſlata cura. His ex voto actis, Regina à Vincentio orata vt Mãtuam concederet, annuit. Conſanguinitatem haud dubiè, nobilitatem, famam hoſpitalitatis ſectata fuerat; quandò rectâ Mediolanum tenderet. Comitabantur Archiduciſſa mater, Archidux Albertus, Conteſtabilis Caſtiliæ, ac Cardinalis Aldobrandinus. Ferunt ſecretis cum Clemente ſermonibus, Ranucij Parmæ Ducis, cum Margaritâ Clementis nepti, matrimonij conditiones

1598. Vincentius Ferraria ad Pontificem.

Philippi Regis Hiſpaniarum mors.

Regina Hiſpaniæ Mantuam.

ditiones tranſactas. Pro limitibus agri Mantuani, Mille ſexcenti equites, quinq; peditum millia, habitu, veſtituq;, & armis inſtructa obuiam proceſſêre. Minor, ſed intuitu magnificentior, comitatus nobilium erat. Cenſebantur ſexaginta præcipuo loco nati; quibus ſui cuiq; famuli, quingẽtorum numerum explebant. Delecta ad pompam nox eſt, quâ mœnibus Sponſa ſuccederet; Tota Vrbs ſtrata auleis, plures frontibus inſularum Arcus erecti, lucentes toto itinere faces, tenebras depellebant: & obſcuriſſima contigerat, maiori ignium proſpectui. Ipſa curru aurato, inter gratulantes ciues, obſtrepentes muſicos choros, & fragorem bellicorum inſtrumentorum, in Palatium ſex candidiſſimis equis vecta eſt. Per Vrbem minor incolarum, quàm externorum numerus cenſebatur. Bononienſes, Veronenſes, Patauini, Brixiani, quiq; haud longè ſiti, vniuerſa compleuerant. Iam Cardinalium ac Principum, pleriq;, mentito indumento clam acceſſerant, apparatũ & regium cultum, qui familiæ conſuetus erga hoſpites eſt, ſpectaturi. Sequenti quidquid ad pietatem religionemq; credebatur, Reginæ oſtenſum: Sacroſanctus Chriſti SANGVIS, Diuorum Longini, Gregorij Nazianzeni, Silueſtri Magni, Anſelmi, Zaniboni, Oſannæ, cæterorumq; reliquiæ. Et commendatum Diuæ Barbaræ templum eſt; cui expoſitum fuerat, quidquid Gulielmi liberalitas ad ornatum contulerat. Regia mater quoq;, cultum templorum alibi viderat; & cum honore Ciuitatis comparare auſa eſt. Quod reliquum temporis oblectamentis datum. Celebrati equorum decurſus; in belli ſpeciem certatum; & nocturnæ voluptati, Scenici ludi inſtituti: Quorum formam, ornatum, & quam non credidiſſent artem, Principes omnes ſummè admirati ſunt. Poſtremò abeuntem ad agri Mantuani finem, eâdẽ militum, ac nobilium multitudine comitatus eſt. Obſtupeſcentibus Hiſpanis, tantum decoris vni Duci acceſſiſſe; cum apud potentiores, interdum munificentia deſideretur. Vincentius Reginâ nobiliſſimo Adamante, quem duodecim aureorum millibus comparauerat, donauit. Archiduci gemmatus enſis; Regię matri ac Conteſtabili, ſua cuiq; dona collata; ne quid liberalitatis, pulchræ occaſioni deeſſet. Vbi ludicra Ferrariæ ceſsêre, Clemens vertit ad ſeria; & quidem comitate, clementiâ, iuſtitiâ, Ciuium fauorem latè quæſiuiſſe credebatur, niſi fidei popularium diffiſus, præſidium Vrbi, arcemq; imponere decreuiſſet. Gens Eſtenſibus, longo annorum decurſu famulata, quamquàm ægrè caritatem dominorum abijceret, eo tamen maximè deuinciebatur, ſi pro ſuſpectâ non haberetur. Sed vbi ſeruitus ebrepſit; ſecuritatem intulit. Impoſuerat Aldobrandinum nepotem, ac S. Georgij Cardinales collegatos; vt hic præſens, ille apud Vrbem cum Patruo regreſſus, curaret. Quippe fama detulerat, Aragonio Cardinali legato, minus potentiores obtemperare. Et diuturnâ abſentiâ, negociorum cumulus accreuerat; qui in infinitum proceſſurus putabatur; niſi aliquid digereretur.

Auctus Tiberis in Vrbe Ad finem anni gratus Vrbi, ſed infauſtus Pontificis reditus fuit; aucto per immenſum Tiberi; qui plano Ciuitatis primùm effuſus; ad extremum in editiora enixus, multis mortalium perniciem tulit. Secuta frugum inopia

eſt; difficili commeatus importatione, & corrupto madore frumentò, cuius vis, inferno ſitu ſeruabatur: Biduo pleriq; ſine pane,leguminibus carnibusué famē tolerauēre. Irrumpens per domos Fluuius, quod mercimonij aquis inimicum eſt, fędauit; quæ leuitate attolli poterāt, abſtraxit. Vbi profluens depoſuit, ſecuta ædificiorum ruina eſt. Multæ ſolo æquatæ; plures ruinam, diductâ murorum compage minitatæ ſunt. Et quidam improuiſá calamitate oppreſſi, aut laceri. Iam ſuſa per vias ac domos palus, quæ lentore omnia compleuerat, magna pecuniâ aſportanda erat. Non minor paganos calamitas deprǣhendit. Iumenta aut vndis circumuenta, & hauſta ſunt;aut aliò, nullâ ſpe recuperandi aſportata. Seges quæ plano inerat, alto cęno obruta, nullo vſui in ſequentem annum fuit. Sic præſentis corrupta annona, eſt, & futuri indigentia procurata. Id vnum Dei beneficio euenîſſe cōſtat, quòd prauis alimentis vulgus nutritum,& vdo paludum plures menſes vſum incolume tamen, nullâ ſequentis anni contagione ſuperſuit. Docuerat Marſilius Cagnatus, magnę eruditionis Medicus, ſalutarem eum humorem eſſe, & ſeruandæ ſalubritati non aduerſum; quòd Sulſure imbutus Tiberis, minus putredini obuias aquas tranſmittat. Cæterùm ſtatim inundationi arcendæ quæſita remedia; miſſi qui Clanem Amnem ſcrutarentur,Velini lacus aquas æſtimarent, Anienem examinarent; ſi flecti aliò, aut arceri impetus poſſet. Quidam reijciendum Clanem in Florētinos docebant; ſed cum magno Duce res erat; alij Velinas aquas obſtructis oſtijs, retro vertendas; Reatini contra quidquid fęcundi agri ad planitiem ſit,obrui recuſabant. Parte aliâ, quidam diſijciendos Pontes Vrbis, vt præceps decurſus eſſet, alij latius alueum cauandum; quod rudere ac cęno, tot annorum importatio repleuiſſet, monebant. Auſi quidam nouos Tiberi per Valles diſſitas riuos cōmendare; quos prudens antiquitas, vt improficuos aſpernata eſt; niſi expenſa deterruit. Sed quod inter maxima diſcrimina vſu venit; cum neceſſitas vrgeret, quæſita remedia; vbi ad ſua aquæ rediêre, præterita ſtatim cōdonata. Dum interim Vincentius, ciuium ſuorum curæ aſſiduus, iuſtitiæ ac annonæ proſpiceret, aduerſa & frequentior valetudo (Eriſipelam Medici dicebant) compoſitum Patriæ otio, nouo itineri induxit. Siquidem Spadenſes aquæ correcturæ viſcera;& cauſam morbi demoliturę proponebātur. Annuêre diſpendio Mantuani,vt Dux ſeruaretur: Quamquàm fortunam ſuam lamentarentur, quòd vix decimâ anni parte domino vterentur; & redditus annui in gentes exteras aueherentur; pecuniæ nihil importaretur. Cætera incurioſi agebant; nam Eleonora coniunx, iuſtitiam ac annonam indefeſſa tractabat; vigilantiâ ac pietate non inferior marito; Et Guido Nerlus rei Principis impoſitus pulchro temperamento populo ac Duci prouidebat; peritiâ legum, & antiquæ nobilitatis Florentiâ Tercentum fermè ante annos deductæ honore prælatus. Profuêre ad tempus remedia, quæ valetudini parata fuerant; & quandò tempeſtas annuebat Prouinciam omnem euagatus eſt, amęnitate ſoli, decore Vrbium, populorum caritate allectus. Sed pleriq; à Religione alieni, Romanos ritus omiſerant. Ergò inceſſit męſtos locos,

Vincentius in Belgium.

Nerli.

&

& abolitæ pietatis memoriâ deformes. Equidem obedientiam Sedis Apoſtolicæ; non tamen modeſtiam, pietatem, hoſpitalitatemq; ciuiles virtutes, exuerant. Quò maior calamitas eſt, dedi in perniciem, quibus pulcherrimæ virtutum ſuperant. Hic à quodam Sacrificulo,eiuſdem ſuperſtitionis alumno Vincentius docetur, pleraſq; Diuorum reliquias, ſemidirutis templis, & in opprobrium celari. Et vt optimorum corruptela ſumma eſt, ſpes Duci inceſſit, ne auaritiam quidem in perfido defuturam. Impoſſibile fuit ſupprimere deſiderium, quò minus concupiſcere depræhēderetur: Orat locum, & an veno traditurus foret, interrogat. Ille nîl contatus (fortè conſilio acceſſerat) cuſtodiri à ſe plurimas retulit;quæ longâ ſcriptorum, & traditâ per manus fide ſeruauiſſet. Itaq; oratus vt proferre, & teſtes antiquitati producere vellet. Vbi manifeſta veritas, de pretio actum. Tredecim Virginũ capita cenſebantur,quæ ex D. Vrſulæ comitatu, pro Chriſtiani nominis gloriâ, barbarorum ſæuitiam in mortem vſq; expertæ fuerant. Duobus aureorum millibus tranſacta negociatio, vendenti infamis,ementi ſpecioſa; quòd à conuicio, ſanctiſſimarum virginum memoriam reuocaſſet; & formoſo titulo in cultum erexiſſet. Inſerta auro, argentoq; capita, Dux Mantuam deferri iuſſit; & reliquo D. Barbaræ theſauro aggregari. Et hæc quidem Vincentio per infernam Germaniam ſtudia erant, hæ affectatæ peregrinationis cauſæ;ſed non apud omnes Europæ Princeps,eadē interpretatio. Nam Dux Niuernienſis conſobrinus,natione Gallus, è domo Ducis; Comes Mauritius Belgicarum copiarũ fortiſſimus Ductor, amicitiæ illigatus; Galliæ Rex vtrique acceptus, Venetorum familiaritas plus ſolito frequentata, acrem magni motus ſuſpicionem præbuêre. Et quidem Comes de Fuentes apud Mediolanenſes pro Hiſpano Gubernator, Sabaudium quoq; ſuſpectabat; ſiue læſũ, ſiue promptum magnæ fortunæ credidiſſet. Inania rumorum conterminæ nationes auxerant; quas Arce è ſuo nomine impoſitâ irritaſſe nouerat. Itaque, tot dubijs, intra ſua tamen latitantibus; & Vincentio toto Belgio diſcurrente creditum quibuſdam, arcta inter Gallum Regem, Sabaudium, ac Flandros bellorum fœdera agitari. Ea inter nonnullos acta conſtat. Vincentius vel abſtinuit; vel ſecreto vſus, fefellit. Et quamquàm Fuentes inculcatis literis caueri Gallum, Sabaudiumq; moneret; non tamen admiſſa inditia ſunt; vt extrema ipſius dehoneſtarentur (ſic ferebant) & præteritum decus, ingruente ſeditione deperiret. Certè paucis ante obitum diebus Vincentium memini, acriter queſtum de Fuente, quaſi caritatem Hiſpanorum neglexiſſet; & ſeditioni Gallicæ acceſſiſſet. Secutæ Henrici Galliæ Regis nuptiæ, nō modicum Mantuano Duci ſplendorem addidêre: ne qua Orbis Chriſtiani pars, potentiæ, ac liberalitatis illius familiæ expers eſſet. Dimiſerat ante Rex coniugem, legitimis cauſis à Clemente Pontifice æſtimatis, popoſceratq; ſibi Mariam, Magni Hetruriæ Ducis è fratre neptim; in quâ corporis animique decora, pari æmulatione laudis nitebantur. Simul Eleonoram Vincentij vxorem Mariæ ſororem Patruus orauerat, Florentiam properare; ſeq; ituræ Reginæ ſociam iungere: Nec enim honeſtiori comite

Reliquias comitatus D. Vrſulæ ſibi comparat.

deduci

deduci poterat. Deſiderium Vincentius pro quæſtu habuit, in Regem ac Reginam obſequio, in conſanguineum officio; delatusq; Florentiam, magno primatum numero ſeptus; & pari maieſtatis demonſtratione; pronus in pompam, & ſuetus honeſtas cupiditates, ſtudio præuenire. Ipſe perfectis nuptiarum ſolemnibus, in Monferratum ſeceſſit; coniunx Marſiliam vſq; cū Reginâ progreſſa eſt: & demum vtriq; Mātuam rediêre. Tot domi forisq; negocijs obitis, quies aliqua videbatur ſupereſſe; niſi Turcarum vis increſcens, & Auſtriacorum per Pannoniam infauſta, Vincentij pietatem ſtimulaſſent. Nam ſiue miſerabili noſtrorum ignauiâ, ſiue impari conatu, vniuerſa in deterius vergerent; totum id tamen Italiæ reſeruari credebatur; quā rerum metam, & cupidinis finem barbari circumferebant. Molliuêre Vincentium Imperatoris literæ, non quidem ſubſidium orantes; ſed diſcriminis ac iacturæ rationem oſtendentes. Reſponſum à Mantuano eſt, quòd licet confuſione certiſſimâ; & nemine pro officio certante, apud hoſtes incrementum fuerit; non tamen veterem amicitiam, & ſanguine firmatam neceſſitudinem, obliuioni mandare poſſe; ſed eoſdem animos, pari robore in periculum relaturum. Orare concordiam, quâ vnâ certiora ſperari poſſint. Nec minus conſulere, Imperatorem medium accedere; ne tot ſuorum labores; & expenſæ amicorum, in beneficium hoſtibus vertant. Non ſe ſemel didiciſſe, quam inſida Germanorum Italorumq; amicitia, malè prętextu communis cauſæ continuetur; & vt mutui conatus, non æmulationem, ſed inuidiam habeant. Hæc per literas. Cæterùm itineri ſucceſſurus, quæſiuit comites, arma, pecuniamq; comparari iuſſit; & ſpecioſo equitatu in Stiriam primùm, mox Pannoniam trāſijt. Grata Principibus qualiſcunq; auxilij acceſſio fuit; ſed Mantuani præcipuè; in quo virtutem ac conſilium, præcedentibus expeditionibus deprænenderant: Nec minus vtriuſque in bello vim, comparatio oſtenderat. Vbi centurionatus actus eſt, & ad cenſum milites vocati; Præfectus vniuerſi exercitus Orſeus, itineris diem deſcripſit; apud quem ſumma Imperij; ſiue collata, ſiue vſurpata, Ferdinandi Archiducis facilitate erat. Inter exteros Ioannes Mediceus, Hetruſcæ iuuentutis ductor numerabatur. Qui Mantuanis iunctus, inuidendum reliquis militię apparatum præferebat. Nec ex vtroq; modica auxilij ſpes præſumebatur; ſi operam vnanimiter cōtuliſſent. Porrò quæ pugnaturis inuadenda, quæ iterum bello ſedes deligeretur, quo itinere promptiſſimè copiæ deducerentur, apud Orſei ſecreta erat; qui non conſilia, non cauſas, non ordinem, Mantuano, aut Mediceo communicauerat. Metu haud dubiè conſilij, quod apud Italos validius expertus fuerat. Eâ durus peruicaciâ erat; vt vniuerſa perdere potius, quàm cum Mantuano ſapere, mallet. Prior tamen Vincentius, communis cauſæ procurator acceſſit; ne futurorum malè cauti, diſcrimini ac dedecori ſimul incurrerent. Sed Orſeus in ſecretum reconditus; & intempeſtiuâ prudentiâ cōſilia tegens, vniuerſos offenderat; eo præcipuè; quod licet ſecreto opus foret; non tamen ingenium illi prudentiâ caneſceret, ſed iuuenili petulantiâ efferretur. Proindè cæteris adſtantibus Vincentius prȩuenit: Non ego, inquit,

Vincētius in Pannoniam

inquit, aut qui mecum eandem viam, promouendo decori Auſtriaco terunt huc imperaturi acceſſimus; vt quibus non anguſta dominatio, & certior ſuorum fides domi habeatur. Inconſultos tamen Principes Italos, velut ſecordiâ eius qui iuſſerit, & qui obtemperauerit, excidio offerri, dedecus, & ignauia fuerit. Et quamuis ſecreta conſiliorum, quæq; Archidux cogitauerit, perrumpere animus non ſit, communi tamen vtilitati oramus, vbi & quandò vires noſtræ, beneficio populi impendendæ ſint, pugnandum cenſeas. Etiam viliſſimis mancipiorum dantur imperia; vt an grauia onere armorum, an expedita ſeſe periculo exponere debeant, doceantur. Nos non ſerui, ſed ſocij; qui neglecta domi ſecuritate, in hæc diſcrimina animas fortunasq; deduximus; quâ pugnâ, quibus armis, quâ nece perituri ſimus, ignorabimus? Fruſtra è nobis illam fidem, operamq; requiras, quam ſciri abnuis. Senſit non incallidus illatam iniuriam; primoresq; exercituum, quiq; proprias vires haberent, partem conſilij cupere. Et ne continuatione ſilentij læderentur; aut communicato conſilio, pars imperij imminueretur; velut omnia executus, reſpōdit: Certum Archiducem eſſe Caniſſæ vim omnem inferre; ne vicino forti præſidio, barbarus hoſtis vlteriora meditetur. Subdidit Vincentius, an tormenta, bellicum puluerem, machinas, operariosq; haberet, aut vnde hæc ſtatim adueherentur? Illoq; annuente, velut ſub ſigillo contineret; & poſcere, & orare deſtitit. Manifeſtum tamen vanitatis, exitus docuit. Nam magnâ ſingulorum neceſſitate, indigentia detecta eſt; & in exercituum cladem vertit arrogantia. Sed cūctatione quoq; ab Orfeo peccatum; quòd lento itineri potiori diei parte inſumptâ luxui, & ſcurrilibus nugis, benè agendæ rei tempus elabi paſſus foret. Vbi cepta obſidio, vnius tantùm tormenti ictibus, obiecti propugnaculi extrema carpta ſunt. Neq; tamen id à Vincentio improperatum; ſed Orfeus fateri inſcitiã coactus eſt; & aduerſus Archiducem ſtollidè obſtrepere; quòd promiſſis in ſex ictuum millia globis ferreis ac puluere, vix quingenti conceſſi forent; & mille quingenti operarij in quadringentos arctati; quodque mille equis trahendis curribus deſtinatis, vix ducenti aduenissent. Quæ licet maxima, riſum tamen apud prudentiores expreſsêre; quòd plura optimorum militum millia, Orfei conſilio parerent; cui non ratio, non præſentiũ, non futurorum peritia vlla eſſet; penès quemq; non principium, non finis bello ſtatueretur; fortè ac temeritate omnia confunderentur; neq; virtuti locus eſſet. Flaminius Delphinus, Franciſcus de Monte, Ioannes Mediceus proprio ductu bellabant; non cōſilijs, non viribus in vnum mixtis. Ducum diſcordias ſecuta militaris licentia videbatur; nemine imperium accipiente, pluribus ad ſua regreſſis; quòd adeſſe aut vitare, ſine flagitio aut præmio crederentur. Sed nec inter Herbeſtainum, aut Madrucium ſolida concordia erat; nemine primum locum concedente; & Madrucio in Mantuanum proniori. Si quid virium, auctoritatisq; apud exercitus erat, Vincentij tantùm nomine ſeruabatur; quod exoſum reliquis, vt alienum; & Germanis iniurium ferebatur. Miſſi qui Italorum fidem pretio corrumperent, celeremq; ad ſua reditum ſuade-

Ducis Germani ineptia

ſuaderent. Id notum Vincentio: Nec tamen iræ facilis, ſtatim in conuicia prorupit; ſed certus fidei ſuorum, orare, conſulere, ſpondere, & donare non deſtitit, quamquàm ſurdis præcineret. Neq; hic Pannoniorum flagitij finis: Cum enim non officio non ſacramento ſatisfacere ſtatuiſſent, & reliquos in conſcientiam ſeditionis impellerent; Turcis præterea tacitis conuentionibus componebantur; bellum diſcordiâ trahere, Italos hoſtili odio proſequi, & ignauiâ cum ſtudio vti. Idq; non ante innotuit, quàm arte Vincentij, obſeſſorum ſecreta penetrata ſunt, per aſtutiſſimos exploratorum. Iidem retulêre, vltra ſextum diem alimenta non ſupereſſe; & grauem inediam, mactarorum equorum carne tolerare. Sed cùm ſceleris miniſtri, Ferdinando Archiduci contraria proferrent, vocatos Duces ſententiam orauit. Germani, ac Pannonij firmi voluntatis, & quia Orſeus ſuadebat, celerem miſſionem exercituum laudabant; validiores intus hoſtes, quàm vt feſtinatâ oppugnatione vincerentur; inſtare hyemem aperto bello aduerſam; & varietatem populorum; qui non linguâ, non inſtitutis conuenirent, non præcepto non animis competerent. Vbi ad Vincentium ventum eſt; extra dimicatione, intus inopiâ; & ex eo diſcordiâ barbaros conflictari retulit. Non bellicum puluerem, non cibos, non vires eſſe; & quod fortiſſimos quoſq; deterat, longè ſpem auxilij. Quin potius ad extremum deductos, paucorum dierum morâ vinci poſſe: & ſi nîl aliud expeditione illâ peragatur, honeſto ſaltem fine, conceptam de Chriſtiano nomine expectationem, nobili aliquo facinore, inſigniri poſſe. Eadem Mediceus, Madrutius, Delfinus, & è Mõte differebant. Hinc aucta Germanorum in Italos indignatio; & quandò conſilio ſuccubuiſſent, diſceſſuri per vim videbantur: Initio à reliquis ſeiuncti, mox conuectandis impedimentis ſoliciti, ſignum exemplumq; profectionis præbuêre. Vbi firmos in ſententiâ Mantuanus videt, nullâ Pannoniorum fiduciâ, ad Auſtriacos conuerſus, vt biduum abducendis tormentis, & vulneratis, ægrotiſque auehendis impenderetur, orauit. Modico aſſenſu auditus. Nam inclinante die, nemine vrgente, & relictis impedimentis, tantâ conſternatione abſceſsêre, vt fugam præferrent. Medij agminis miles, tot fortiſſimis millibus nudatus, nullâ ordinis, facultatum, aut honoris curâ elabi cepit. Quod maximè terrorem incuſſit; tanquàm iam iam affore Barbarus, qui ceruicibus immineret, crederetur. Hinc falſa pietas in crimen verſa. Nam puluis bellicus, inter ægrotantium tabulata ſparſus, iniecto igne conflagrauit; ne hoſtis potiretur. Qui inerant, miſerè ambuſti ſunt, nullo patenti effugio; aut qui inter flammas auxilium afferret. Tormentorum bellicorum grauiora violata, ne inſequentibus vſui forent: Quæ aſportari non potuêre, miſerando ſpectaculo, igni ferroq; corrupta. Prætexerant cauſam, ne integra beneficio hoſtium manerẽt. Vincentius tot infœlicium miſeriam, lachrymis proſecutus, vltorem Deum precatus, ad ſuos in tuta deducendos conuerſus eſt. Hanc è nobis cladem, non minor ab hoſte ſecuta: Qui fugæ Chriſtianorum pauoriſq; gnarus, extremo properantium effuſus, cędibus omnia compleuit. Aduerſa præcipuè Italis fortuna fuit; quòd extremi claudere agmen, & com-

Diſſoluitur exercitus.

poſitis ordinibus procedere ſtatuiſſent. Sed vis barbarorum, numeruſque præualuit: Et à præcedentibus diſſoluti pontes, in certum exitium vniuerſos dederant; niſi Vincentius labore geminato, bello ſimul itineriq; inſtitiſſet. Eo ſe ingenio imminentes hoſtes fallere voluiſſe Germani iactabant. Prudentiores id voti ſuſceptũ à gente dicebant; vt Itali ſemper inuiſi, ad vnũ perderentur. Quodcunq; iudicium fuerit, per labores ac diſcrimina, plurium dierum; ſæuitiâ hoſtium, Germanorum perfidiâ vexatus, tandem Vincentius Mantuam ad ſuos peruaſit. Victus haud dubiè; certæ tamen glorię manifeſtus; vel Germanis ipſis fatentibus; quibus odium gentis, amor virtutis ex æquo ſuberat. Menſes aliquot Margarita Ferrariæ Dux abſente fratre Monferratum rexerat; multoq; ante viciſſitudinis humanæ miſeriam deteſtata, ſecretum & abſentiam cogitauerat. Vbi reducem accepit, velut nullo amplius vſui; & præſentiam domini ſatis eſſe rata, Mantuam reuerſa eſt. Nec tamen Monaſtico ſe inſtituto illigauit; ſed de Marchionis Fuluij Gonzagæ ædibus tranſigens, Monialium ordinem inſtituit, ſub D. Claræ vocabulo, & templo Viſulæ ſacro. Multa aureorũ millia huic operi à Principe fęminâ collata ſunt. Extatq; inſtituto vitæ, ordine, religione, celebris locus, & experimendæ pietati efficaciſſimus. Milleſimus ſexcenteſimus ſecundus periculo graui Mantuanis notus, Monachi cuiuſdam prædicatione fuit. Nomen viro Bartholomęus à Solutio, profeſſio Fraciſcana, forma morum haud diſpar erat. Hic exiſtimatione pietatis ac ſanctimoniæ, Longobardiam peruagatus; poſtremò Mantuam deflexit; ſiue accerſitus; ſiue famâ Vrbis illectus; nam diuerſimodè traditur. Conſuetudo illi publicis declamationibus flagitijs inuehi, lapſos à virtute reducere, & corruptos populorũ mores corrigere. Ad viri nomen, non Monaſteria, non ingentia templa ſufficiebant; ſed aperto, & latiſſimis plateis vti, recipiendæ multitudini opus erat. Cenſebantur interdum duodecim auditorum millia; creſcebatq; frequentia, vulgi rumoribus differentibus; & rei magnitudine, in maius commentantibus. Iactabantur manifeſta viri miracula, non in pompam efficta, ſed vim omnem naturę ſupergreſſa; ſubleuati morbis ægri, retecta animorum ſecreta; & futurorum pleraq; præſentium fide præuiſa; quibus publicè teſtes erant, quamquàm ſinguli ignorarent. His plebs inducta; & quia exemplo promptiſſimè ducitur, eò conſtantiæ proceſſit; vt Ducem fermè deligeret. Et quamquàm nulli flagitio æquus; in Iudęorum tamen perfidiam acerrimè inuectus, tantùm conſternationis ignaris incuſſit; vt niſi ſors affuiſſet (quæ ferè ſimilia moderatur) ſeditionem ac tumultum populus indueret. Sequenti acrior audacia præſente Monacho; & diſpoſitis iam Ciuium animis, in cunctorum perniciem erumpebat. Accedebat odium veteri æmulatione auctum; & quibus nominibus miſerrimi accuſabantur: Potiſſima negociorum per illos tranſigi; plus fauoris à Principe, quàm Chriſtianos habere; non tributa, non noua populis onera indici, quæ ipſi non excogitauiſſent: Etiam alimẽtis præfici; & ex arbitrio cauſas terminari. Iam Annonã dolo obnoxiam per ipſos exerceri; & ſalutiferæ Crucis Imagines venundari;

1602. *Bartholomęus a Solutio.*

tan-

tanquàm in contumeliam. Ad extremùm hauriri nobilium ac Ciuium cenſus, auaritiâ & verſuris; quibus intra paucos menſes quæſtus in ſortem aſſurgant. Proindè eijciendos Vrbe; & tanquàm odio Chriſtiani nominis, vltioni perfidiæq; mactandos. Vincentius quoq; contumelijs notabatur; veluti indulgentiâ ac comitate, flagitioſiſſimos ſubleuaſſet; conuictibus, iocis, cõſilijsq; adhibuiſſet; pecuniam arte repertisq; nouis prædandi artibus expreſſiſſet. Accendebat hæc, onerabatq; concionibus Monachus; vt etiam palã maledicere Principi, cum ratione crederent. Quibus motus Vincentius; quòd cunctatione periculum ingruebat; firmare præſidio domum; & Iudęos cuſtodiâ ambire coactus eſt. Nec enim cædem ex iure eſſe cognouerat; negocia niſi commiſſa per ipſos obiri; vſuram quando agris careant, in ſuſtentationem concedi; nec alio nomine mercaturam: nihil in Principem, nihil in populum palàm hoſtile auſos. Cruces ac Chriſtiano ritui ſactas imagines, materiæ atq; operæ æſtimatione vendere; non vt illudant (nec enim accuſabantur) ſed vt lucrentur. Imo quòd domi habeant; non attrectare, non formare auerſentur, commendandos. Ambiguum facti Vincentium noui delatores ſtimulauêre, ſæuitiæ prope accedere. Quippe formatã Monachi imaginem, à quibuſdam Iudęis, in ludibrium iactabant; cõuicijs vſos; conciones hominis aſſimilatos; nullâ Religionis reuerentiâ, non Principis metu, non populi. Nec aliud ad rebellionem deſiderari, quàm arma, vires, & Ducem; cætera in gente inimicâ, infeſta & infida. Miſſi qui depræhenderent. Et vbi manifeſtum flagitium innotuiſſe relatum eſt, vindictam ſumi ex modo placuit. Seditioſorum more intercmpti, & ſuffocati ſunt. Sic lenitis vulgi animis, futuro conſulendum ſupererat; non enim correctio hæc ſcelerum, ſed ſeditioſa turbatio erat. Haud deerant qui in Religioſo modum requirerent; Clemensq; Pontifex inſtituti Bartholomęi non ignarus; euocatum in Vrbem publicis concionibus arcuit; dato Monaſterio, quo velut carcere vteretur. Aſſidua interim ægritudo, Vincentium remedij admonebat; genuum infirmitate ante annos ingraueſcente. Conſuluêre valetudini Principis impoſiti, Neapolitanas aquas; quibus ſiſtendæ fluxioni; & neruorum robori reſtituendo innata vis eſſet. Ergo Neapolim conceſſit: Niſi ea pars Europæ viſenda ſupererat, quæ velut è vicinio, contemptum impteperaret. Proregis ac cæterorum Principum, comitatem obſequiumq; expertus, nec inutili prorſus aquarum vſu, Triremibus vſus Genuam, demùm per Monferratum Mantuam proceſſit. In Vrbe alij diuerſa interpretabantur: Nam poſt illigatos Gallico fœderi Belgas, Venetos, & fortè Sabaudium; etiam Neapolitanos onera militiæ auerſantes, ac Genuenſes tentaſſe; vt pluribus ſimul locis, infauſtum nomini Hiſpano bellum erumperet. Otioſorum certè commenta. Propius vero, Mantuanum cęlum Principi inſalubre vitatum; & cũ coniugem, ac miniſtros domi curantes ex voto nactus foret, eo oblectamento vſum. Vix Patriam tetigerat, ne quæ pars vitæ ſine Beneficio eſſet, Vincentium Guerrerium è Comite Marchionem; & Valerianum Cataneum, cum Gulielmo ac Alexandro nepotibus, Comites Ponzani dixit. Singulorum

meritũ, & aſſiduam plures annos ſeruitutem æſtimans. Cataneos Mediolano aductos, vbi nobili loco egerint; & Ludouici Marchionis æuo Mantuam
Catanei. delatos accipio. Mox aſuetudine ſeruitij, opibuſq; prouectos viguiſſe. Donec maioribus à Principe curis admoti, in Valerianum, Franciſci Principis Vincentij filij educatio, cunctorum commendatione deflexit. Sed nouę virtutes, noua merita; maiora genti ornamenta accelerauêre; vt in tempore referemus. Hic idem annus graui Patriam vulnere affecit; quamuis extra Principis domum, inter mala tamen, & acerbitates numeratum; Federi-
Pendaſij. cus Pendaſius, cum triceſimum annum Bononię Philoſophiam rarâ commẽdatione profeſſus eſſet, & cognitâ prudentiâ ac doctrinâ albo doctorum Tridentinæ Synodi inſertus, eaq; cauſâ ab Hercule Cardinali Romam ad Pontificem legatus eſſet, ſenio, laboribus, communi Patriæ fato, diem extremũ clauſit. Dignus qui nobiles poſteros, & Comitatu in domum illato, virtu-
1604. tibus ſuorum, gratiâ Principum haberet. Milleſimus ſexcenteſimus quartus, quinque Seruatoris Chriſti vulnerum honori, publico inſtitutam ſupplicationem habuit. Auctor inſtituti Vincentius; nunquam ita ſecularibus curis diſtractus, vt pietatem omitteret; Cepta res magno feruore eſt, ingenti ciuium numero accurrente; quibus ingenita Sacroſanctæ Reliquiæ obſeruantia fuit. Et quidem, hi motus Religionis, hi pietatis impetus Duci frequẽtes erant. Proficiebatq; non minus exemplo; ſolitis populis Dominorũ mo-
Canoſſæ. res ſectari. Promotum Marchionatui Guerrerium, vniuerſi comparatione æſtimabant; non ignari quibus obſequijs Caneſſæ, plures annos Principem familiam coluiſſent. Hi nobili loco Veronæ orti, quiq; non abhorrentibus vero coniecturis, è Gonzagis crederentur, innato decori, per bonas artes, ſplendorem addiderant; aſſuerantq; comitatu Vincentio aſſidui; à ſubditis vix miniſterio diſcreti. Et reddenda demerita videbantur. Itaq; Galeatiũ, Marchionum ordini adiunxit; quem à ſecreto cubiculo pridem habuerat, expertuſq; non inferiori ac ſuos caritate fuerat. Monferratenſes interim, diuturnæ ſui Domini abſentiæ infenſi, iteratis epiſtolis ac nuncijs orabant; inuiſeret ſuos; nec longius ſitos negligeret. Intolerabilem ſibi itineris laborem, quoties minimâ quâuis de cauſâ Mantuam properandum eſſet; nec leuem expenſam, cum inter diuerſoria fatigati; aulicorum faſtum, admiſſorum deſpectum ferant. Se magnam Dominij partem; nec numero, aut vtili negligendam. Mantuanis omnia ex voto ſuccedere, quòd non iniuriæ maiorum, non calumniæ inferiorum, præſente Principe ac iudicante, locum habeant; eos tantùm lacerari, qui tardè querantur; aut diſtantiâ cõceſſuri credantur. Et quia mereri Vincentius cognouerat; ad Mantuæ curas relictâ coniuge; cum Tullio Petrozanno profectus eſt; apud quem fidei ac prudentiæ, eundem locum depræhenderat. Prouincias inuiſenti, occurrêre ſubditi profuſâ lætitiâ: Et quamuis muneribus, caritatem pro virili faterentur; plus tamen fidei præmio accepêre; pecuniâ, immunitatibus indultis; ne corraſurus æmolumenta, ſed donaturus acceſſiſſe diceretur; Diues Populus, & officio in Dominum incomparabili, ſpeciem exteris auaritiæ Principis obtulerat;

rat; ac ſi facili peccati occaſione,ſtatim arriperetur; nec rationes gentis ſubtraherentur, niſi vt increſcerent. Mantuæ apud inuidos,ſecreti de Petrozãno ſermones erant; velut donarijs intentus; vim auri ingentem compararer, quę Principis ſui diuitias ſupergrederetur. Iterata in Monferratum viri itinera, magnâ pecuniâ gentibus ſtetiſſe; neccum iuuentam auaritiâ traxiſſet, decrepitum malas artes exuere. Attamen eo aliquot poſt annos defuncto, vanitas interprętationum patuit; minori inuentâ re familiari, quàm vt collegiſſe crederetur. Sed cum iudicij prauitatem nemo fateatur; quamquàm tenuem hæreditatem, & plurimûm alieni æris reperiſſent; auſi commentatores ſunt, Vincentij deſideria accuſare; quaſi ideò Petrozannus non reliquiſſet; quòd vniuerſa in Principem contuliſſet; vt pretio potẽtiam Ducisq́; fauorem retineret. Id apertius, quàm vt Vincentius ignoraret: Cui cum acrius intonaret; auſus eſt ſacramento firmare; nec inconſulto ſe Petrozannum munera recepiſſe, nec ſibi partem vllam obueniſſe. Idem annus, graues Ferrarienſium ac Mantuanorum diſcordias habuit; illinc Pontificijs, hinc Vincentij ſubditis, pro iuriſdictione nitentibus; & ad arma vſq; tranſcurſis. Pado medio Peninſula erat, vetus Papinorum fundus; & Mantuano iuri plures ætates obnoxius, nullâ amplius originis memoriâ. Huic Ferrariæ Epiſcopus, cenſus annui quod ſibi penderetur onus incumbere crediderat. Nec dilata executio; ſed militem auxiliarium, & delectam iuuentutis manum tranſmiſit, cum mandaro, ex arbitrio fruges abriperent, quas Decimarum nomine deberi ſibi exiſtimabat. Factum eſt quod imperauerat; & nullo iuris ordine aſportatum frumentum; velut non Duci, non Pontifici, ſi iuſſiſſent, Mantuani obtemperarent. Et licet ſatisfactum opinioni rapinâ eſſet; milites tamen Padi ripam obſidebant; vagi hûc illûc;& cuncta terrore cõpleuerant;quamuis ad Mantuanos vtraq; ripa ſpectaret. Marchio Fabius Gonzaga,qui res ſuas, militiamq́ue curabat; accepto irruptionis nuncio, cũ lectiſſimis equitum aduolauit; paratus (niſi Eleonora retinuiſſet) vicem Ferrarienſibus reddere. Sed magni conſilij fœmina,ſtatim Pontificem per literas docuit, turbatam poſſeſſionem, quam Duces Ferrarienſes tot annos non tentaſſent; illata vicinis arma; & cauſam bello datam, nullâ ſuorum culpâ. Potuiſſe Ferrarienſem Legatum & Epiſcopum cauſâ potius, quàm abruptâ vi agere. Et quamquàm militem ad manus, & vindictæ paratam iuuentutẽ habeat, prorumpentium tamen impetum attinuiſſe; dum Sedes Apoſtolica, Coniunxq́ue longius agens, certiores facti redderentur. Miſſus illico S.Clementis Cardinalis è domo Sangeorgiâ,& præcipuę apud Monferratenſes nobilitatis (ſed qui non integram fidem afferret) vt per delegatos alienam culpam, erroremq́ue Epiſcopi, Leonoræ fateretur: Simul oraret, auferret limitibus equitatum;ſuſpicionesq́; irarum ſublato fomite amoliretur. Nec enim vllo metu Prouinciam amplius turbari. Et licet plerique non crederent,honeſtum tamen viſum Cardinali fidere. Sic retractus à Fabio miles; tanquàm nullo in poſterum vſui. Vix reuerterat; cum peditum equitumq́ue vis maior irrupit; auſiq́ue manifeſtam turris oppugnationem, quæ loco inerat, tractis

Seditio inter Mantuanos, & Ferrarienſes.

aduerſo flumine Machinis bellicis. Mantuani euidentem iniuriam conſpicati, dicto citius rediêre; etiam prolatandis finibus validi, ſi imperium habuiſſent; quingenti equites,quinque peditum millia. Et plures deſtinabantur; quòd expeditionem læti ſuſciperent, vt aduerſus turbatores finium, ac Pontificios; qui pulſo Cæſare Eſtenſi vim prætulerant. Vbi limitem tenuêre, plus negocij fuit; ardente in vindictam iuuentute, & modeſtiæ præcepta abnuente. Marchio tamen ſummâ auctoritate, quâ apud omnes erat, excuſare Pontificem; apud Epiſcopum errorem vocare, Cardinalem neſcit m fateri, & quandò bellandum cenſerent; ſuadere, opperirentur totâ è ditione plures copias; & maiori præſidio aduentantem Vincentium. Poſtrema valuêre; vt quamquàm prouocati; ſeruare ſua, non aliena carpere meditarentur. Poterat certè bellum anceps inter æmulos in mutuam perniciem inchoari; niſi Comes Fuentes Mediolani Gubernator, cui iam vis perſpecta, & ſecreta apud Cardinalem odia erant, monuiſſet ab armis minitantes diſcedere; bellum & vires Mediolani in contumaces comminatus. Sic impoſitus rumori finis; & cauſa populorum ſapientibus delegata. Non alio certiori inditio, Monferratenſium animi Duci ſuo innotuêre; quàm vbi vniuerſas copias, ſecundo in bellum procurrere, omiſsâ rerum ſuarum curâ perſpexit. Paucos fortè delegerat; cæteri quaſi inutiles aut infidi ſeponerentur, parum abfuit, quin ſpreto imperio elaberentur; & ſumptis ſibi Ducibus, pro nolente Domino concurrerent. Epiſcopi temeritas patuit Iudicibus ab Pontifice delegatis, poſſeſſionem Mantuanam approbantibus. Sed in Cardinalem inuidia omnis, & cunctorum ordinum querelæ exarſerant; quaſi Duci ſuo parum fidus, etiam iuris ac datæ fidei violator; cum dimitti præſidia iuſſiſſet, vacuos agros armatâ manu populatus foret. Ille modò ignorantiam, modò Delfinum exercituum eo tractu ductorem accuſans, quò magis nitebatur vt ſeſe ſuſpicioni eximeret, plura aggerebat, quibus carperetur: Nec enim ignorari abs Legato ſimilia; aut ſine arbitrio, publicè hoſtilia inferri nouerant qui lamentabantur. Vtcunque ea ſe res habuit; certum eſt ceptum auctūq; viro huic apud bonos odium, & redditum in tempore, cum maximè vindictam deprecaretur. Et Vincêtius vt beneficio apud meritos nimius, ſic oblatâ ſpecie ingratitudinis, indeficienter Parentis in familiam merita, toties donatam pecuniam, agros, oppida, & vice omnium redditam iniuriam per literas apud Hiſpanum Regem, Pontificem, ac Imperatorem proſecutus eſt. Nec querelæ fruſtrâ fuêre; ſed ſecutis temporibus plus Cardinali ademêre, quàm pridem vniuerſa familia, beneficijs acceperat. Vix iſta conquieuerât; & noua conſternatio ſucceſſit, haudquaquam inferior priori. Princeps Stiliani, è Carraffis Iſabellam Veſpaſiani Sabionetæ Ducis filiam matrimonio habebat, & cum puella Parentis vniuerſa in dotem detuliſſet, Sabionetam non minus partem iurium retinuerat; quam Gonzagi non aliâ conditione tranſire in coniugem pacto mutuo permiſerant; quàm vt quandocunque externus emptor quæreretur, ipſi præferrentur. Pacta ſacramento ac publica Principum contrahenſium fide ſancita fuerant, requiſito Hiſpano rege;

aut

aũt,quòd minimùm, non ignaro. Id ſatis ad ſecuritatem videbatur, quãdò potentiorum nemo Arcem ambiret; & Cæſare arbitro, concordia tranſacta foret. Stilianenſis plures poſt annos; ſiue id ſibi iuris, ſiue oblitum Vincentium, nec curantem crederet; inſuper Mediolani Gubernatore negociationẽ promouente, tacitè cum Hiſpano Rege venditionem actitabat. Quod Vincentio notum: Itaq; vbi geminatis literis Principem conſanguineum pacti ac ſacramenti; necnon iurium vtriuſque Gubernatorem monuit; ne ſibi opportuniſſimè deeſſe videretur, Antonium Conſtantinum à ſecretis ad Clementem Pontificem miſit; obteſtatus pacta, ac iuramenta; quibus ſeſe Stilianenſis illigauerat; vtque apud Regem iuſtitiæ medius accederet, orauit. Vbi manifeſtam iniuriam, & Sabionetam non alij Domino permitti didicit, Catholicum Oratorem primûm, mox Hiſpaniæ Nuncium æquitatis gnaros reddidit; vt certiori fide quantum Gonzagis decoris adimeretur, Rex acciperet. Vtrique paruêre, & negociatio reiecta, abnuente Rege profectum, qui iuſtitiam non haberet. Vbi ius faſque cognitum, minæ Stilianenſis neglectæ; vt quæ fauente Hiſpano fruſtra eſſent. Compoſitis præſentibus, nouæ curæ ſuperuenêre, & ante alias, quænam puellarum Principum, Franciſco Vincentij filio deligeretur, diuiſâ in partes aulâ, & nemine eandem præferente. Pars Caroli Emanuelis filiam (nam plures erant) ex vſu eſſe docebant: Pulcherrimo enim temperamento, Monferratenſes ſuſpiciones ſedari, quietem ſubditis oſtentari, & inanem ſeruandorum finium curam pelli. Quamquàm enim Prouinciam ex ſeſe vtcunque validam, & plura armatorũ millia numerantem, non ijs tamen viribus eſſe, vt indignantem Sabaudium retineat; aut iniuriam inferentem, repellat; vndequaque populis ſuſpectis ambitam; non commercio Mediolanenſium, non Genuenſium vti poſſe; niſi vltrò citròq; commeantibus, permittatur. Caroli quidem Quinti ſententiâ auulſam; ſed quam Sabaudij iniquam iactent, & integro adhuc repetendi iure. Nec tamen iuſtitiam ſemper ſufficere; imò ſi deſiderium Prouinciæ, odium præſentium, indignatio futurorum ſubſint; conuelli, carpi, vexari, concuti poſſe; nemine qui cauſas aut pœnas requirat. Auerſaturos quidem Hiſpanos, nouam Sabaudij potentiam, vt Mediolano etiam minitantem; nõ tamen effractos fluuiorum decurſus, diſiectas Molatrinas, abactos greges, armatis exercitibus aduerſus inermem, quique latrones, auctus aquarum, infenſos Mantuano ſubditos accuſet, proſecuturos. Non glutinatam adhuc fidem caritatis, nec coniurationum ac fœderum Hiſpanos oblitos, quæ Vincentio medio actitata crediderint. Etiam quamuis modeſtè Sabaudius agat; metum tamen potentioris, æterna præſidia, immenſas expenſas requirere; quorũ potiora, bonä pace, ac coniugio ſancitâ, ſint ceſſura. Vno ac eodem vinculo retineri Sabaudium, Hiſpanum patrocinio acciri: Et quandò implicati confuſiq; ditionis limites componantur, certum ab vtroque præſidium. Iam Franciſcus Princeps primâ ab infantiâ, id vnum coniugium in votis habuerat, orabatque patrem, ne ſe alteri vxori illigaret. Siue præſaga futurorũ mens eſſet, ſiue vulgata per Italiam fama, non aliud vtriuſq; Principis quieti

Venditio Sabionetæ impeditur.

com-

competere circumferret. Et Margarita quæ poſcebatur, venuſtate, pudicitiâ, prudentiâ, nobilitate, eo in ordine cenſebatur, cui per Europam, nil addi poſſet. Sabaudius paria reputans, maiora æſtimabat. Non quòd pararet; ſed ſpes exciperet, cauſaſque. Nam Rodulphus Imperator in ſenium cælebs, & tardè negligentiæ admonitus, ſucceſſores filios Imperio quærere ferebatur: Nec aliam quàm Margaritam, ſi nubere decreuiſſet, requirere. Etiam Hiſpanus conſanguinitate propior, idem decus nepti concupiuerat. Sed ſenilis cunctatio, timiditas, interiectæ excuſationes, in longius procedebant, quàm Virgini, & Mantuano Principi expediret. Quod vbi Sabaudius aduertit, & conſtantem propoſiti Vincentium depræhẽdit, colloquium mutuum requiſiuit. Quippe plura immediatè tranſigi; quàm vt per Oratores vertente anno proferantur; mutuæ comitati pleraque à Principibus condonari, quibus Legati ægrè conſentiant; non dolo, non fraudi locum, ſed vniuerſa liberè decerni. Decretus colloquio dies; & vtrique conuenêre. Quãuis apud Mantuanos non deeſſent; qui acriori cuſtodiâ Monferratum poſt nuptias egere dicerent; quòd ficta caritas promptè imponat; credita inimicitia, facilius vitetur. Apparatum belli, comitatũ illum facilè crediddiſſes; tot vnum in locum Proceribus; & vtroque Duce cum familiâ tranſlatis. Hîc certi agrorum fines, Prouinciarum limites, camporum confinia ſancita ſunt; & perplexa illa ſeries Oppidorum certiori ac rectiori lineâ diuiſa. Plura quidem ac potiora Vincentius offerebat; ſed quies gentis, filij caritas, amicorũ ac Pontificis præcipuè deſideria, vniuerſa expreſsêre. Sabaudius, quòd credita iura negligeret; debitam ſibi Blancę Monferratenſis dotem reijceret, etiam filiam natu maiorem concederet, licet minus iuribus accipere crederetur, viſus eſt tamen acquieuiſſe. Sed ante alia Franciſci ſpecie emollitus, reiteratis amplexibus iuuenem excepit, vix abeuntis deſiderium ferens: Quo maximè creditum duraturam apud Principes caritatem. Fertur diſcedentẽ Vincentium interrogaſſe; an vniuerſos liberos, eâ ſpecie haberet; ad quod Mantuanum reſpondiſſe; ſe potiorem obtuliſſe; apud reliquos eundem animum in conſanguineum fore. Dici vnius colloquio ſancita negociatio eſt; tantùm Hiſpani Regis patrui, eâ ſuper re placita opperiri placuit; quãquàm habita dicerentur. Mox concordes, & amicitię ſecuri, ad ſua quiſque rediêre. Quantum humano ingenio credi potuit; non aliâ certiori ſpe, ſubditorũ animi ſubleuati; ſecuritaſque populis redditâ quiete affulſit. Sed inexpectata ac noua, quæque præterita obliterent, fortuna nonnunquam reducit, temporum decurſu infęlici. Vbi Vincentius Sabaudio conuenire, & vnam Hiſpani voluntatem requiri vidit, Annibalem Ibertum, pridem vt conſiliorum adminiſtrum, ſic prudentiæ ac fidei probatum, in Hiſpaniam miſit; vt tractis in vota proceribus, Regem quoque ſpecie obſequij aggrederetur, votumque exprimeret. Neque opportunior adminiſter ſuppetebat; vt qui Regiæ aulæ Principibus, Regiique notus, multò ante exiſtimatione ſui valuerat. Cumq; non honore, non vtili Patri, Patruoque nuptiæ auerſarentur; externę tamen amicitiæ, & conſoni Vincentio mores, qui minus Hiſpanis arriderent, obiecti.

obiecti. Neque ea in caſum; ſed per ſecuros exploratores didicerant. Ibertus, non magis vt Duci ſuo ſatiſageret, quàm deſiderio populorum, & quieti Prouinciarum intentus; obſtrepente aulâ, Hiſpanorum monitis, precibus auerſantium obnitentibus, auctoritate, ac vi dicendi peruicit; vt Vincentius affectu Hiſpanus, neque filius aliâ caritate crederetur, aduerſus inueteratam Gentis opinionem nixus. Sic negociatio approbata. Conceptam inter Duces amicitiam, Venetorum à Summo Pontifice alienatio corrupit; non quòd reſciderit; ſed metu per Longobardiam belli, ob potentes litigantes. Senatus Venetus nõ vno officio in Sedem Apoſtolicam obſequij certus, Eccleſiaſticam libertatem imminuere dicebatur; quòd vniuerſa agrorum, & ſpecioſiſſima Villarum in Beneficia Cleri abirent; hinc Portoria, Tributa, ſubſidia bello & paci Aerarium deficerent, & quòd in atrocium criminum adminiſtros, inconſulto Pontifice ac Patriarcha animaduertere cogitaret. Vtrinque honeſti ſpecies, & ſi modeſtiâ, non vi actum foret; creditus bono iure vti, ſiquidẽ in modo deliquiſſet. Paulus V. qui tum defuncto Leone Vndecimo aſſumptus fuerat, prauitatem ſententiæ auerſatus; cum Eccleſiaſticas cenſuras minitaretur; non tamen extrema ſtatim aggreſſus eſt; ſed Vincentio Duce medio vti mâluit: Si cõtumaces, & fidei erga ſe manifeſti, ſaniora capeſſiſſent. Vocatum Ioannem Magnum (is tum Oratoris vices coram gerebat) datis literis hortatur; ſuadere Vincentio, magnæ gloriæ accedere, & quâ Reipublicæ amicitiâ nexus ſit tentare; an re adhuc integrâ, honoram pacem, vel peruicaces bellũ præferrent. Id Vincentius decus credidit; proindè in arduo; nam ſemel placita apud Patres, æterna nouerat. Quod tamen Chriſtianum Principem, & vtique potentiori obnoxium decuit, impigrè proſecutus; Hiſpanorum aſtum, Italorum odia, vires, exiſtimationem, Religionem obiecit, preces addidit; & niſi comi obſequio affuiſſent, extrema Pontificis iuſſu, comminatus eſt. Illi ſententiæ ſecuri, cum cauſas, & iura altius, quàm apud medium expedire, exequerentur, ſatis decuêre, non comminationibus, non armis ceſſuros. Quod vbi Vincentio perſpectum; Pontifici reuerentiâ, Venetis ſacramento non ſemel obſtrictus, cauſam ſeparauit; non amicum, non hoſtem ſe profeſſus; ſed vtriſque ſi pax placuiſſet, miniſterio paratum. Veneti dum Paulus Interdicto ac Cenſuris, excuſſam obedientiam inſectatur, tacitè deſcripto milite, lectis ducibus, etiam amicitias quærebant. Et Vincentius ante alios vſu rerum, ac prudentiâ notus, copiarum Venetarum Ductor deſignabatur; ſi profiteri voluiſſet. Ille quamuis illæſo Pontifice, inferius maieſtate ſuâ munus aſpernaretur; eoque liberè reijcere permitteretur; ita tamen internos animi ſenſus moderatus eſt; & cum amicus Pontificis eſſet, Venetorum hoſtis non crederetur. Et quia pertinaces ſententiam exprimebant; Reſpondit: Inuictiſſimæ Reipublicæ, cui ſe filium credidiſſet, eam ſibi perpetuò curam fuiſſe, quam ius faſque dictaſſent. Non in iniuriam nobiliſſimi Senatus conſenſurum; etiam inferentes pro virili propulſaturum. Orare interim, ne ſpretâ Sedis Apoſtolicæ reuerentiâ; quæ ferat exiſtimationem, perdere præſentes amicitias, aperire inuido-

Paulus V. Vincẽtio mediouetur cũ Senatu Veneto.

Vincẽtius renuit curam exercitus Veneti.

inuidorum aduerſa conſilia, prouocare ambigentes vellent. Sed labor irritus indignatione Pontificis, Venetorum præſumptâ cauſæ iuſtitiâ erat. Paulum tamen Quintum, nec minus Romanos proceres admiratione conſtantiæ, & auctoritatis plurimûm affecit; turbatâ licet negociatione; & excluſis conditionibus pacis; quòd Fulgentium Ordinis Franciſcani, temerè Pontificum auctoritatem publicis declamationibus carpentem, arcen ſimilibus, & excludi publico peruiciſſet. Nempè, quem aſſeclam Senatus non nouerat, fide ac conſtantiâ æſtimabat; crediderat que præſentibus ſatis eſſe; ſi quem fautorem non haberet; hoſtem non experiretur. Haud diſpar magnitudinis animi ſpecimen paulò ante Vincentius dederat; cum Clemente Octauo, ac Leone Vndecimo ſublatis, arctiſſimo Conclaui, & paratis iam in S. Clementis vota Cardinalibus, eodem Magno internűcio, ſpes viri diſiecit, amicitijs ac ratione vſus; quæ rari boni neglexiſſent. Tum primûm Sangeorgius Ferrarienſem iniuriam, modi fęditatem, vires Mantuani Ducis introſpexit; & liberè elocutus fertur: Nec poſcere Pontificatum, quem non meruerit; nec ſperare, quòd Vincentius indignetur. Fęlicior, cum domo ſua; ſi reductis Gulielmi beneficijs, & comitate ſui Principis vſus, amorem ſuorum, non odia potentiori legaſſet. Vtinam vindicta longius poſteros non ſequatur. Ad domeſtica reuerſus Vincentius, ingenitâ gloriæ curâ, quam maiores ſui comitem toto æuo habuêre, veteri Ducum, ac Regum inſtituto, Equeſtrem Ordinem, ſpecioſo titulo REDEMPTORIS, qui domi maneret, ſuorum exterorumq; ſplendori inſtituere cogitauit. Nec inanis labor erat; ſed à Ioanne Magno apud Pontificem diu diſputatum, quâ formâ, quibus legibus ſanciretur; quibus Duci honorus, alijs non inuiſus eſſet. Non abrepta belluis tergora, aut fœminiles nugæ, amores, cupiditates, in argumentum tracta ſunt; ſed Redemptoris nomine, pretioſi SANGVINIS inſigni, magnæ rei pondus quæſitum. Nil omiſſum quo ſplendor, decuſq; adderetur. D. Andreæ templum, quo non aliud totâ Vrbe, propius ad Regiam maieſtatem accedit; & ſpecioſiſſima pars anni, aduentantibus commoda, cęliq; tepore toleratu facilis delecta; Signo à Proauo Marchione deſumpto, probatæ fidei teſtimonio. Sunt qui Reliquiæ Sacroſanctæ veritatem, eo ſymbolo denotari credant. Nomen geniti Dei impoſitum; vt Redemptoris Equites dicerentur. Ita nihil occurrebat, quod non pietatem inſtillaret. Et quò maior facti reuerentia eſſet; non alij inter equites adſciti; quàm quibus ſplendidi natales, ſummi tituli, pareſq; oſtentando decori opes eſſent, Marchiones, Comiteſq;. Accedebant externa, quibus non leue momentum inerat; templi apparatus, nulli Regum ſuperbior, veſtitus ad pompam ac reuerentiam inuentus, Inſignium forma è ſolido auro, & ſpecioſo torque fabricata. Sed quoniam inſtituti rationem, equitum numerum, & quibus legibus haberentur alij prodidêre, ſatis credidimus executi, ſi meminiſſemus. Multa interim proſpera & aduerſa Vincentium agitauerant, plures ante annos. Et quia quæ cum dolore ſunt, plus afficiunt, lætitia ſtatim excidit; præcipua reputatio fuit, aſſumpti in Pontificatum Leonis XI. fama, & ſtatim mors. Quem neceſſi-

Equites Redemptoris inſtitut.

neceſſitudine coniugi illigatum, ſupra mortale gaudium Vincentius acceperat. Secuta totius Europæ exultatio, quòd munificentiâ ac ſplendore regio vniuerſos ſubleuaturus crederetur. E Paulo V. nihilominus vario nomine gauiſus eſt; ſiue quod inculpatæ vitæ, & ſummæ caritatis electus foret; ſiue quòd S. Clementis Cardinalem ſpe depuliſſet. Hic inter cætera Ferdinandi Vincentij filij indolem, quibusq; virtutibus annos ſupergrederetur admiratus, cum ſola ætas pueritiæ imputaretur, cætera ſenectutem propius aſpicerent; ornando Purpuratorum conſeſſui puerum Cardinalem adſciuit. *Ferdinandus Card.* Nec ille Eccleſiaſticas curas auerſatus fuerat; ſed Scientiarum ſtudiorũq; tenax, vnum id poſcere videbatur. Iam verò quâ viciſſitudine rerum, dignatione paucos poſt annos vſus ſit, ſuo loco reddemus. Additum quoq; Mantuanæ lætitiæ, nuptijs Margaritæ Vincentij filiæ; quæ Lotharingiæ Duci denupta, Eleonoræ inſuper matris comitatu deducta eſt. *Lotharingiæ Ducißa.* Imminens interim Principis filij matrimonium Pater ædificationibus præueniebat; vt cohoneſtaturis gaudium exteris, ſpecies digna maieſtate obijceretur. Veteris Palatij penetralibus, educta moles regiâ vaſtitate eſt, quæ propria Domini cenſeretur; nec minus aduentâtium commodo deſeruiret. Addita Porticus deambulationibus ornata; in quâ non perindè aurum, quàm antiquarum artium decora ſpectarentur. Extremo, veteres horti diſpoſiti, & cultu nobili reſtituti. Non inferior honoris cura fuit. Cum enim plures ante annos, potentiâ, natalibus, ortu; par maximis Europæ Ducibus, Imperatorum iudicio habitus; in eamq; formam priuilegijs ornatus foret; Illuſtriſſimi tamen titulo ab Hiſpano non cenſeri ægerrimè ferebat. Quod Iberto adminiſtro gnarum. Itaq; vbi ille, fidem aduerſus maieſtatem; quâ Ferrarienſes Duces eodem nomine à Gallorum Rege decorati fuerant; vetuſtam à Lógobardis Regibus originem; Auſtriaca coniugia, nuptias neptis, potentiam, Prouincias opesque proſecutus eſt; communi Procerum aſſenſu, deſiderio Regẽ accedere coëgit. Nobis eâ causâ plus coniecturæ eſt, quòd Hiſpani conferẽdis honoribus auari, rationes examinârint admiſerintq;. Manifeſto id ſcripto Ibertus vulgauerat apud Conſilium, ne vanitatibus inniti, aut inania requirere diceretur. Certum eſt, contemnente Rege, auerſantibus Proceribus, abnuente Italicorum Principum famâ, obſtrepentibus qui eadem irritè procurauerant, iuris modiq; non incallidum, Ibertum expreſſiſſe honeſtiſſimam nominationẽ. Gratiſſimum inſuper Vincentio obſequium fuit; quòd plura ſimul Aureorũ millia tranſmiſiſſet; quæ nobilis Hiſpanus Mantuæ acceperat, mentito titulo, & honoribus vſus, quæ non habuiſſet. Neque Ibertus lamẽtationibus auaritiam teſtatus eſt; ſed velut per iocum fraudem retulit; gnarus vrgeri famâ miniſtros regios, & ſordes manifeſtas execrari. Porrò Vincentius licet natali, longâ adoleſcentiâ, & Patriæ ſtudio, primâ à pueritiâ Mantuano cęlo aſſueuiſſet; vix tamen niſi certâ iactura, diutius tolerabat, Ventris, genuum, capitis morbis obnoxius. Et tamen iucundus aquarum proſpectus erat. Ergò quæſito ſitu, nil conducibilius credidit; quàm ad Benacum aprico Maderni loco, hortos domumque conſtruere, vt gratus *Palatium ad Benacum.*

æſtiuis

æſtiuis caloribus ſeceſſus eſſet. Venetæ id ditionis erat. Illi ſpeciem ipſam quæſtui retrahentes, miſêre qui ſitum quem ipſe delegiſſet concedi, cæmentem, operarios adeſſe imperarent; cunctiſque ad id neceſſarijs vt in ſuo vti; ſimul formam Palatij deferrent. Nam prauè curioſi retulerant, ea Arcis ac propugnaculorum exordia eſſe; & vel Hiſpano vel Cæſare iubente, ſimilia in futurum bellum comparari. Intolerans deſideriorum Vincentius erat; cumque indecere Mantuanorum Principum maieſtatē, alibi quàm in ſuo eſſe, & contrahi tali pignore ſeruitiū; haud minus eſſe Mātuano opportuna ac ſalubria Villarum, ſidi monerent; non tamen obtemperauit, ſed fuſis Centum aureorum millibus id aſſecutus eſt, vt acrius perfecto opere pœnituerit. Taurini per ea tempora Annibal Ibertus agebat, quò Hiſpaniā regreſſum Vincentius legauerat, vt incertitudines finium, ambageſq; negociatione expediret. Sed Ibertus, rei difficultate, Sabaudij artibus fatigatus (quamquàm Vincentius in pecuniam promptior, pleraque auro tranſigi imperaſſet) id præcipuè teſtimonio prudentiæ contulit; vt cum indelibata Duci ſuo Prouinciæ iura ſeruaſſet, auido tamen pretij ſatis egerit. Eâ quidem moderatione erat; & Eleonora Vincentij coniunx, monuerat, ne iuriſdictionē auro largiretur; ſed vitaret, & falleret. Quod viro inter Aulas Regum educto non arduum fuit. Secutæ ſunt Franciſci Principis nuptiæ, Cæſareæ cogitationis vanitate perſpectâ: Vt qui tot annos, paratos coniugio iuuenes, inutili morâ detinuiſſet. Sed quibus honoribus Mantuanus Dux Taurini, Sabaudij Principes Mantuæ excepti ſint plures meminêre, & inutilis recordatione labor. Deducta quidem Mantuam virgo, eâ ſplendoris ac lætitiæ oſtentatione; vt maiorem Europa non viderit. Exterorum Mantuæ quinquaginta millia cenſebantur. Regiam Cardinales, Sabaudij, ac Mutinæ Principes tenebant. Procerum nuſquàm maior numerus. Vniuerſis è Vincentij domo prouiſum; pecunia in populum iacta; naualia certamina, decurſus equeſtres, ſcenica, bellica imitamenta ad miraculum celebrata. Certum eſt præter ſolitas aulæ expenſas, inſumpta in hoſpites, ac cultum nuptiarum Tercētum aureorum millia. His fermè temporibus animaduerſum, certis anniſpatijs, defluente Mincio, Ciuitatem velut in arido conſiſtere. Nam Fluuius inuectas ſordes, ac rudera; nec minus ambiens aqua, imam paludem proferebant. Quod ferè vſui venit, quoties Lacus arte, non naturâ creuêre. Et vbi inter peritos de remedio agitatum; non aliud certius occurrit, quàm vt Gouernoli, cadentis in ſubiectum Amnem aquæ vis, adæquatione ſuſtentaretur; vt repulſa, tumidior ſuæ origini aſſurgeret; creſceretq; moles, medio ac profundo Vrbem habitura. Gabriel Bertazolus acerrimi vir ingenij, vulgato etiam ſcripto, conſilium tulit; & veritate manifeſtâ, proſecutus eſt. In hunc vſum nullâ parſimoniâ collata pecunia; quòd deficientibus aquis irrita negociatio, & parum tuta Vrbs, permeabili alueo redderetur. Iam aëris perpetua corruptela metuebatur; quæ viuentibus, & inſuetis præcipuè, pernicioſa erat. Subſecuta Franciſci Principis valetudo ingens; neceſſitatem Duci ac matri tulit, feſtinati Gazolum reditus; eaque menſem vnum pro-

Nuptiæ Frā ciſci.

Gabriel Bertazolus adæquatione lacum tollit.

protracta, ægrè ſuperata eſt. Et quidem ſine diſcrimine ſalus non credebatur, in iuuene pinguitudine nimiâ graui, & effusâ victus licentiâ: præſūptâ maximè immortalitate; quod pleroſque adoleſcentum in preceps traxit. Per eos dies Margarita coniunx, ingenti mæſtitiâ egit; vt quæ ſpem vnicam in marito, & grauem vterum haberet. Primus puellæ partus, mixtam dolori lætitiam tulit; ſiquidem vbi cognitum fœmellam enixam; vt vniuerſi expectatione decidiſſent, mȩrore tacti ſunt. Subleuati tamen fœcunditate, quæ in Principe Sponsâ magnam, & pudicitiæ proximam commendationē habet. Adhuc Franciſcus lentâ valetudine fractus decumbebat; cum prȩſente Medico ingreſſus Pater (nam dies aliquot in ſilentio hæſerat) vt filio ſolatium ingereret, prorupit: Sibi vergentem iam ætatem, & conſuetis laboribus imparem eſſe; ideoq; ſubſidij egere. Adoleuiſſe Principem, vt priuatas res ſuas, & Parentis vicem obire queat. Magnam Prouinciam, longius ſitam, Domini aſpectu refouendam. Nec difficilem curam eſſe, pronis ſubditorum animis in obſequium, & abolitâ parricidarum memoriâ: quorū vt nemo ſuperſit, ſic nullum eſſe, qui conſilium, operamué adiecerit. Non defore ſubleuando curis animo, nobilium cætus, venationes, amȩnos toto tractu ſeceſſus, propè Genuam delitijs affluentem, præ limine Taurinum, & ſocios populos, tutelæ, nec minus ſponſæ deſiderio opportuna. Iam ingens honori ſpatium eſſe; latè imperium patere; & vnâ vitæ poteſtate vt ſupremo reſeruatâ, vniuerſa ſibi commiſſa; quem tamen prudētiâ, & obſequio ſuffecturum crederet. Filium quem vnicè diligeret, non ablegare, aut eius conuictum abnuere; ſed in magnam dominationem mittere; vt maturè per ætatem populos regere, Paternoſq; labores ſubleuare aſueſcat. Provt iuſtitiæ, & pietati inſtitiſſet, de ſuo actum iri. Suos eſſe populos, ſua tributa, ſuas Vrbes; & ſiue proprijs intentus fuiſſet, ſiue ſubditorum negocia diſpoſuiſſet, propria tractaturum. Vtriq; Prouinciæ ſatisfacturos Dominos, adminiſtratione iuſtitiæ; quæ abſentibus vtcunq; langueſcat. Proinde hilari animo iniunctum munus capeſceret; interim pecuniam ac neceſſaria paraturum. Franciſcus Parentum abſentiam, fratribus, ac amicis abſtrahi, licet ægrè perferret; plus tamen obedientiam valere ratus, & acceptâ potentiâ delinitus, quæſitâ familiâ ac impedimentis, cum coniuge profectus eſt; exceptusq; in itinere Regis Patrui iuſſu per Mediolanenſis ditionis Vrbes, ingenti apparatu. Ea tamen hoſpitis deſiderium non explenêre; non enim idem qui Margaritæ honos habitus; nec pari titulorum decore exceptus eſt; tanquàm qui multò ante par iudicatus foret, tum miniſtri Regij arbitrio minor crederetur. Idq; prudentiores crediderant; diſuaſerantq; Mediolanū, ne imminutâ expectatione vileſceret. Sed fluminum auctus, & inuia itinerum accuſabantur, quandò non eques, non pedes aliò poſſet penetrare. Vix poſſibile exequi fuerit, quâ lætitiâ Monferratenſes obuios ſe præbuerint, Principes, equites, plebes: ne clerus quidem prompto licet officio, ſibi ipſi ſatisfaciebat. Initio ſequentis anni, continuis Soceri literis Taurinum vtriq; ſponſi à Duce euocati; vt filia veterum ſedium recordatione recrearetur; li-

Frāciſcus in Monſerratū

Mox Taurinum.

ceretq; in Generum caritatis inditijs ad deſiderium indulgere. Et annuente Vincentio obtemperatum. Nil omiſſum quo lætitia teſtaretur; aut exultantis animi ſigna filijs ſuis daret. Ne tamen diuturnitate abſentiæ parentes ſuos læderet, morę auidum Socerum Franciſcus deſeruit, & in Monſerratū reuerſus eſt. Interim commiſſam Prouinciam, paternæ æmulationis gloriâ curabat. Imperata inter familiam modeſtia, vt cæteris exemplo eſſet; Mox Annona,& Iuſtitia, ſuetæ pridem conſuetudini reſtituta. Nil vſui populorū Macello exponebatur, quod certis pretijs non definiuiſſet: Quia vendentiū auaritiæ gnarus, fęcundiſſimam alimentis Vrbem, ſummos ditioresq; haurire nouerat. Datum quoq; iuſtitię auctoribus adminiſtrationis documētum, vt ſcirent,ſe incōcuſſum ius velle. Nō quòd peccaretur; ſed ne facili populo corruptelæ, & ſubrepentibus peccati occaſionibus, à recto deflecterent. Conſiliorum adminiſtro Alexandro Striggio vſus eſt. Quem incertum delegeritné, anà Patre acceperit: quòd vtriuſq; iudicium cum prudentiâ & populorum commendatione fuerit. Hunc iuuenem Vincentius Pater, cubiculo cui inter nobiles ſeruiebat, abſtractum, tranſtulerat ad Rempublicam; & ſecretis imperij mixtum,maiora, ſed viribus paria agitare iuſſerat. Quippe nobilibus natalibus ortum; inter bonas artes,& ſapientiæ decora enutritum, cunctorum expectationi ſuffecturum crediderat. Aderat elegantia morum, prudentia, comitas, & pronus obſequio animus; magnæ,raræque virtutes, ac in iuuene commendatiores. Sed præ cæteris obfirmatum, contumaxq; aduerſus munera corrumpentia ingenium: Quæ Principis gloriam, ſubditorum commoda ex æquo prouehunt. Optimè in partem curarum adſcitum exitus docuit, ſuperatâ æmulantium inuidiâ, & dato integritatis documento; vt paucis ab eo menſibus, Comitum albo inſertus, bonorum omnium acclamationibus exceptus ſit. Quod ſupererat temporis, Ciuitatis decori,ornamento Villæ (cui Margaritæ nomen indiderat) expediendis itinerum difficultatibus, ægris & egenis ſubleuandis, vallandæ Ciuitati impēdebatur. Neq; minor erga exteros obſequio, aut hoſpitalitate erat, Principum ſummis, quos fors obiecerat, regio cultu exceptis. Et quia veteris Caſtri Principum ædes, anguſtiâ loci & ædificantium ignoratione, non potentiam, non magnificentiam olebant; addita ſpecies & ornatus; quantum per ſitum licuerat. Habitus quoq; Sabaudio Duci, ac Principibus honos; qui per officium acceſſerant; vt in minori Ciuitate, etiam magnis Principibus locum eſſe diſcerent. Cæterùm votis populorum, & vniuerſæ domus Margarita coniunx reſpondit, grauidâ vtero, ſpem maſculæ prolis oſtendēs. Et Vincentius pater; ne qui ſucceſſorum, alibi quàm Mantuæ ederentur, feſto Iunij in Patriam accerſitos filios euocauit. Potior familiæ pars Dominū ſecuta, amore Principis, deſiderio ſuorum, quos Mantuæ reliquerat. Paucos poſt dies communi deſiderio ſatisfactum; nam Margarita maſculæ ſtirpis prolem enixa eſt, cui Ludouico nomen impoſitum. Nec ægritudo aut matris infirmitas ſecuta, quò lætitia, nullo extrinſecus amaro imminueretur. Ideoq; flagrantioribus ſuorum gaudijs exceptus eſt, quòd minùs ſperaretur.

Alexander Striggius.

Franciſci filius Ludouicus.

raretur.

raretur: Vt ferè deſiderio ac deſperatione nimij ſumus. Communem lætitiā ſecuta Franciſci valetudo, metu vniuerſos perſtrinxit. Cenſebantur ęgritudinis cauſæ; ſolita iuuentæ licentia, intempeſtiuæ epulæ; liberalior, frequentior, ac prægelida potio; per æſtiuos ardores, clauſumq́; puluere cęlum curſitatio; & nimium nandi ſtudium, cui plures diei horas inſumpſerat. Obſtrepebat populus, Principem proiecti ventris, haudquaquàm validum aduerſus tot errata eſſe; ſed correctioni locus non erat, forti iuuene, ſalutis pręcepta, cum valeret contemnente, aut irridente; & in ſimilia, conſuetudine Patriæ, educatione profuſo. Febris ad menſem protracta, vix Octobri deſijt; nunquàm intermiſsâ curatione. Et Princeps vt errori, ſic remedio promptus erat; cum per integram valetudinem, Medico ad faſtum ſolummodò vteretur. Quieſcente à partu Margaritâ & Franciſco fermè incolumitati reſtituto, Vincentius in Monſerratum conceſſerat; ſiue priuatis rebus conſulturus, quæ filij arbitrio non permiſerat; ſiue ſumpturus experimentum, an famæ adminiſtratio reſponderet. Nam maiora aut minora vero nonnulli vulgauerant: Niſi pecunia quærebatur, quam licet deſpectiſſimam, plus opinione ſectabatur. Milleſimus ſexcenteſimus vndecimus, ingēti clade domum Vincentij notauit; ereptâ Eleonorâ coniuge, cui Viginti quinque annos conuixerat; quamq́; prudentiâ, ſanctimoniâ, fęcunditate mirè dilexerat. Munificentiæ fides apud minoris ordinis vulgum erat; non religioſorum inſtitutis, non proiectis infantibus, non pupillis, non viduis liberalitate ignota. Sed ſumma è prudentiâ commendatio; toties coniugis ſui, quem vnicè dilexerat, abſentiam paſſa; & iuueniles errores ſtudio nec quærens, aut diſſimulans. Implacabiliter doluit Franciſcus; & illa merebatur; vt quæ filios exceſſu caritatis foret proſecuta. Tolerata tamen calamitas; & mitior iacturæ dolor habitus; quòd plures ante menſes, neruorum diſſolutione correpta, miſerrimam, ſibiq́; exoſam vitam traheret; nullo inpoſterum ſenſu valido; & confuſo adeò linguæ vſu, vt vix familiares aduerterent. Funus in coniugis reditum dilatum; ne quid honori detraheretur. Carolus de Rubeis, & Annibal Chieppius, mihi ſupra nominati; ille exercituum ductor, curatorq́; militiæ; ſimulq́; periculorum, quæ vſquàm obierat ſocius; hic conſilio ac ſecreto aſſiduus, abeuntem Vincentium ſecuti fuerant. Et quamquàm gratitudinem obſequij, cui aſſiduè ſtuduerat, in plures teſtatus eſſet, vtroſq; tamen vt maiora meritos diſtulerat; & tum Rubeum Marchionatu, Chieppium Comitatu donauit; pollicitus maiora, ſi vita ſuppetijſſet. Gregorio quoq; Carbonello, D. Franciſci de Paulâ inſtituti Monacho, plurimum debere credens; quòd doctrinâ, prudentiâ, integritate, plures annos aſſuiſſet; quòdq́; Religionis ſuæ ſummis honoribus percurſis, altiora opperiretur; ſcriptis ad Paulum Pontificem literis, vt Epiſcopatu Diocęſarçæ inſigniretur, obtinuit. Et ne ſpecioſum nomen ſine vtilitate eſſet, D. Barbarę Abbatiam contulit; adſciuitq́; inter ſecreta conſiliorum, addito titulo; cùm veteri inſtituto, in eandem operam, viro vteretur. Sequenti anno, menſe Februario, finis Vincentij Ducis incidit: Quem dira valetudo, mox leuior viſa

1611. Eleonoræ vxoris Vincētij mors.

1612. Vincentij mors.

viſa, ſed recrudeſcens, decimo ſeptimo ægritudinis die oppreſſit. Aderat filius Franciſcus, Mõferrato citis literis accitus; vbi ingraueſcere valetudinẽ; & metum ſiniſtri exitus famuli percepêre. Vir haud dubiè, ætate, viribus, & affluentiâ ad nauſeam vſus, quæ valida contigerant; ſed qui pietatem in Deum, comitatem in exteros, caritatem in ſuos protulerit: Munificentiâ, ſplendore Regio, hilaritate (quæ corrupto conſilio raro incidit) gratâ morũ dulcedine, fortitudine animi, non ſuis magis, quàm alienis commendatus. Prorſus fixum viro erat, etiam rerum ſuarum diſpendio, apud diſſitas gentes clareſcere, quantum effuſis largitionibus, & officijs valuiſſet. Hinc ſparsâ per Italiam pecuniâ, immortale decus ſectatus eſt. Habuêre Germani, Galli, Veneti, Neapolitani, Hetruſci, Genuenſes, Mediolanenſes, Romani, Inſubres vnde recordarentur. Hiſpani liberalius culti; vt qui minus ſordes, & alienam potentiam requirunt, copiâ perrumperentur. Ciuitas Mantua, arctatis Hebręis, tracto ad culmen D. Andreę templo, extructâ nobili domo, impoſitâ agro vicino Villâ, cui Montata nomen eſt, inductis Theatinis, Frãciſcanis, Crucigeris, innumeris in coniugium locatis virginibus, ſubleuatâ paupertate, vt gratitudine meminit, ſic maximè deſiderat. Prodigentiam, luxum, & per iocos non minus quàm ſeria eandem liberalitatem ſpecie virtutis grata habebat. Vulgus etiam vtilem libertatem, & cum quæſtu blandientem commendabat. Quidam vindictæ nimium, ideoq; in abrupta tractum interdum opinantur: cupiebantq; munificentiæ modum, tempus, locum eſſe. Iuuentæ licentiam, niſi qui eâdem auctoritate eſt, & abſtinuit, iniquè culpauerit. Iocis enim ſeria, & inanibus magnæ virtutes miſcebantur. Integritatem animi, & ſuorum amorem inde conijciunt, quòd de ſuperſtite nemo, omnes ereptum queruntur. Qui caritatẽ Domini, familiæq; honorẽ æſtimabant, Patri liberiſq; atq; adeò generi, opportunum exitum credidere; ne plura haurirentur (Iam enim Viginti ferè milliones aureorum effudiſſe dicebatur) & ne magnâ impotentiâ, extrema dominationis fędarentur. Quippe paucos ante menſes Diocęſareę Epiſcopum, in Monferratum ad filium, ideò miſiſſe dicebatur, vt turpiſſimo aſſenſu, quæ ille impotentiâ cupiuiſſet, approbaret. Nam agrorum ad Guaſtallam, Ferranti Oppidi Principi, ius ſupremum pecuniâ concedere parauerat. Id auerſatus Franciſcus vt indecorum eſt; & nullam ſibi facti auctoritatem aſſerere, ſatis habuit. Abſurdiora quidam interpretantur; nos ignoramus. Laudatus publicè à Iulio Cæſare Faccipecora, inter Sacra eſt; tantò audientium maiori aſſenſu, quantò plus virtutis erumpente iam indole in iuuene præſagiebatur. Inſelicis imperij, & humanæ viciſſitudinis exemplar Franciſcus Vincentij filius ſubſecutus eſt; breui dominatione, & improſperâ; ſummamq; potentiam, curis, ac profuſis expenſis (quæ regnorum initia fatigant) expertus; cumq; prę limine quies eſſet, communi neceſſitate abſtractus. Corpus illi laborum tolerans, validæ vires, vis ſumma iudicij, memoria non ſpernenda erat: Dederatque puer vix infantiam egreſſus, virtutum naturalium inditia; quæ Pater in documentum trahens, naturali inclinationi, exercitium addidit. Literarum quippe

Franciſcus Dux.

quippe ſtudio, ac Mathematicæ in primis operam, Laurentio Guaccio, & Antonio Magino præceptoribus impendit; plus expectatione ac tempore proficiens. Suetum enim adoleſcenti per compendium literarum ſtudium; & bellicis artibus ardens animus, longiorem curam, inertiam rebatur. Vxorem habuit Margaritam Sabaudiam, vt diximus, Caroli Emanuelis filiam, Hiſpaniæ Regis ſorore genitam; in quâ formam commendaſſes; niſi pudicitia, prudentia, benignitas, regiæ virtutes, fuiſſent potiores. Fertur deſiderio motus, puellam in coniugium quæſiuiſſe; ſiue mens futurarum virtutum præſaga; ſiue id, Numina Principum ac populorum bono indidiſſent. Nec Vincentius Pater, aut Eleonora mater abhorruerat; quamquàm famâ pro comperto accepiſſent, vt elatior, & Hiſpano faſtu turgida diceretur. Recepta ab omnibus eâ lætitiâ ac potentiâ, quæ vtriq; debebatur. Neq; apparatui feſto quidquam omiſſum; quò cæterorum Europæ Principum nuptiæ, viliores haberentur. Exiguum ſpatium Margaritæ virtutes habuêre, quo ſe detegerent; & ſuſpiciones fallacibus inſtitiſſe docerent. Quippe Eleonora officio, ac obſequio Nurus euicta, eò magis obſtupuit, quò minus crediderat. Et Vincentius ideò præcipuè gauiſus fuerat, quòd optimè præter quorundã ſententiam delegiſſet. Qui noluerant, ſuperbiam, nimias ſpes, reliquorum contemptum, faſtumq;, ignota Mantuanis Principibus vitia perſtrepebant: nec ſcire ſe, ſed metuere; nec audiuiſſe, ſed ſuſpicari referebãt. Contra quibus certa rerum cognitio; nec in lubrico conſilium erat, nitebantur. Non alios totâ Europâ ſplendidiores natales eſſe; Hiſpanum Regem Patruum, vtriq; ſponſo Parentis vice fore; turgentes incitamentis bellorum Subalpinas regiones, eo fędere tutò illigari; contentionum, æmulationumq; finem fore. Iam puellam formæ elegantiâ, faſtum inter, & decoram ambitionem, virtutes expectatione maiores addidiſſe: Importaturam quoq; fęcunditatē, cuius parentes ſpecimen dediſſent. Regiam magnificentiam, honori exiſtimationique competere: Et quamuis leuia & inania, augendæ tamen famæ plerumq; valeſcere. Vbi Mantuam deducta eſt, acceptũ modeſtiæ experimẽtum; honeſta ſeruitia, rarus comitatus, quaſi perenne ſecretum, procul veſtimentorum varietas, longè ſuperbia: Vt confeſſione ſingulorum manifeſtum eſſet, coniecturam vitiorum in malis, plerumq; veritatem excedere; opinionem virtutum, in magnã fœminâ rarò ad pondus accedere. Rodulpho quidem Cæſari certum eſt, exiſtimatione virtutum perſpectam fuiſſe; nec aliam ſi nubendum decreuiſſet, potiorem crediſſe. Sed Imperatoris dubitatio, Franciſci vota, ſuperum (quibus vniuerſa curæ ſunt) ordinatio, Virginem Mantuanis dedit; quâ per paternas, propriasq; virtutes incedente, in longum vteretur. Id ex vſu erat; niſi quòd plerumq; minus cætera reſpondent. Prima è conceptu lætitiâ: Et Vincentius veluti ſucceſſionis ſecurus, Gazolum non ignobile ad Olium amnem Oppidum, donum filio dedit; quò dominationi aſſueſceret; ſimul Nurui gratificaretur; quam ſecreto, & rure gaudere acceperat. Minus tamen gaudij ſeceſſus ob repentinam Franciſci ægritudinem reddidit; quæ ſalutem Principis, multos dies in dubio habuit,

æſtiuis ardoribus febrilem æſtum trahentibus; & metu Margaritæ, quam citra morbum, par dolor, ac moleſtia cruciabat. Accedebat ab vtero metus; ne mœrore; & ex eo plerisq; aucta incommodis, conceptam prolem abijceret; quam vniuerſi voto futuræ ſpei proſequebantur. Non defuit fortitudo, quamquàm arduis conſtantiâ præualere; & internis externiſq; motibus durare, Et ne coniunx hoc quoq; langueſceret, excludere, fingere, ſupprimere dolorem, & aduerſus affectus animi, qui viſcera quatiunt firmari. Iam licet Medici ambiguè prædictiones, & euentum præferrent (qui mos arti) ſiue venditandæ operæ, ſiue euentuum fallacijs eludendis (non tamen aut ſpem incolumitatis proieciſſe, aut triſte quidpiam animo incidiſſe faſſa eſt; vt ferè præſaga futurorum mens; & Principes iudicia imminētium, pro arbitrio habent. Fortè ea nobilis animi vis; aut (vt pleriq; ſapientum tradidêre) cauſarum nexus, & ſydera obſequuntur. Nondum conualuerat, & Margarita coniunx, filiam enixa eſt: Idq; velut flagitium acceptum; nimio cupientium deſiderio, & tanquàm in fœminâ deplorata ſucceſſionis ſpes eſſet. Et licet non aliâ fœcunditate mares, quàm ſemellas haberi, prudentiores circumferrent, corruptum tamen præſenti iudicium eſt; & leni oſtentatione lætitiæ, à Vincenrio Auo nata infans eſt ſalutata. Exitus poſtmodum docuit; fauſto infauſtoq; omine puellam natam; quòd ſalibus, formâ, duratione, parentum deſideria expletura; & cauſa ſeditionum futura eſſet. Languebat adhuc tamen Franciſcus, & contumax cauſæ febris Authumno fixa, certis diei ſpatijs reuertebat; metuebaturq; ne impatientiâ obtemperantiæ, habitudine corporis, conſtitutionis more, in proximum ver protraheretur. Sed Parentis comitas plus medicinâ valuit, qui decumbentem filium, ſolatium allaturus paucis comitatus inuiſit. Nec interpretatio in promptu erat; neſcio Vincentio ante conſilium proloqui; aut ſpem deſiderijs, niſi certâ volūtate dare. Vbi paulùm immoratus, ex aſſiſtenti Medico, vim mali, occaſionem, & futura accepit; deſtinatam Monferrati Prouinciam retulit; deditq; præcepta, quibus turgidos populos in pace ac fide contineret. Franciſcus quātum nixu corporis (quod ægritudine ac mole proiectum erat) attolli potuit, in Patrem flexus, dexteram oſculatus eſt; deditq; fidem, non ſe niſi Parenti placita ſectaturum, & dominationem eo ſolo conſilio exercitaturum. Addidit grates ſingulorum, quæ à primâ infantiâ in præſentem diem, honora ac vtilia accepiſſet, executus vniuerſa; orauitq; ne ſi in Monferratum mittendus foret, velut proiectum haberet; ſe patris præſentiâ refoueri. Sermo Patris oſculo finitus, & vtriq; collachrymauêre. Hæc nos oculati teſtes tradidimus; & Vincētij pronior in filios animus, caritate emolliebatur. Strepebat interim aula, magni ſecreti impatiens; non minus quibus Principis diſceſſus acceptus, quàm quibus inuiſus erat, anxijs. Et erant qui opinarētur adultum iuuenem, ſpeſq; ſuas in propinquo æſtimantem; etiam irrequiſitum ſingula ſcrutaturum; vnde metus apud nonnullos offenſionis, aut paternæ indignationis erat. Alij eouſq; curâ progreſſi ſunt; vt niſi ſeponeretur Franciſcus, minus Parenti libertate, & voluptatibus vti licitum, prudētis

Maria natales.

tis

tis filij obſeruatione fore crederent. Sed plures intelligebant; quandò ægrè dimittentem ac proficiſcẽtem ſeiungi, quibus arcana domus in aperto erant depræhenderint. Abeuntem alij voto; plures prædictione comitati. Illis caritas, his ſuſpicio cauſa. Sed poſteriora validiora erant: Haud longam administrationem filio duraturam; quòd auctoritate licentius vſus; & ignoratione, ſuſpiciones Patris eſſet aucturus: Niſi etiam qui potentiâ præcellebant, ſecretas artes prompturi credebantur, ne Princeps præſentiâ vniuerſa componeret; detraheretq; curiæ frequentes populi concurſus; quibus vt ſubditorum tube, fora, iudiciaq; enutriuntur. Sed prudentia iuuenis, intra abrupta viam inuenit, detraxitq; auiditati materiam, & ſeruatâ Patris reuerẽtiâ prouidit. Monferratenſes auidè accepêre; longi itineris, deferendarum Mantuam vſq; querelarum, inuiſendi domini onere leuati. Iam Caſale veterum Principum munificentiam, traditione tantûm acceptam coram intueri magnificum rebatur; coactâ incolarum ac procerum multitudine; vt non inferius exteris videretur. Accedebat ipſe aſpectu, comitate, liberalitate, quæ regiæ ac raræ virtutes ſunt, eoq; acceptiores. Nec Margarita coniunx, ſe intra ſecretum maieſtatis, per faſtum continebat; ſed nobilium matronarum frequentiâ vſa, deſiderium ſui accreuerat, quò elatior credita, eò ciuilitate commendatior; modò feſtis epulis intereſſe, modò ſpectandam ſe populo offerre, modò domi ad veterum Principum morem comis. Neque illa vim inditæ voluntati per virtutem, ſed facilem animum, & obſequio gratiæque paratum intulit; eò magis affectatam gloriam auerſata, quò certius merebatur. Non tulit Generi ac filiæ deſiderium Sabaudius; ſed Taurinũ accitos, pietatis ac munificentiæ magnâ oſtentatione, plures dies attinuit. Vbi rediêre, acriores in Prouinciæ curam, populorum gratiam, Vincẽtij Ducis obſequium inſtitêre. Nec fallere erat; Quippe domeſticis exploratoribus ambiuerat filium; qui verba, voces, deſideria, iuſſi ſeriatim perſcriberẽt. Et gnarum id ſibi Franciſcus faſſus eſt; tolerabatq; effrontem audaciam; nè aut cuſtodiam metuere, aut quidquam in abdito trãſigere videretur. Quamquàm illudere nonnunquàm, & exemplo docere ſatis haberet, falli poſſe obſeruatores; & plus Parentem conſtantiæ filij credere; quàm curæ alienæ debuiſſe. Hinc iactis in caſum ſermonibus, & inani murmure in plebem fuſo; modò delatis ſibi, aut aliò miſſis epiſtolis, fidem fallere, moribus ſuis perpetuum ſtatuerat; ne qua virtutis, aut veritatis coniectura, aliâ quàm propriâ confeſſione haberetur. Id tamen poſtmodum omiſit; ne quo exploratores ridebantur, Pater offenderetur: Datumq; experimentum, potuiſſe Vincentium conceptam animo opinionem depellere, filij inſtituta certiori iuditio, quàm perſcribente ipſo haberi potuiſſe. Cæterùm quamuis legibus ſuus honos; ius faſque ex æquo haberetur, Annona curæ eſſet; & exquiſitis virtutum exemplis, vniuerſos deuinxiſſet; ſimul coniunx indefeſſa pietate ac clementiâ, tutricem ſe populo præbuiſſet; haudquaquàm tamen expletis lætitiâ animis, parentes, miniſtri, ſubditi degebant, maſculæ prolis deſiderio ad languorem detenti. Et erant qui deſperarent. Nam proiecto Principis

ventri

ventri; & onuſtis pinguedine artubus, impotentiam præſumebant. Certio-
ra Medicus circumferebat, cui vires vtriuſq;, & mores aſſiduitate ſeruitij
innotuerant: Non deploratam in vtroq; febrem; difficultatibus tamen il-
ligatam; & vbi naturæ ſatis actum foret, ſollicitandum votis Numen, vt ſpem
in certo ſtatueret. Hæc ſecreto magis, quàm publico. Nam verecundiam
& iuuenilem pudorē, inculcatione periculi, remedijq́; irritari depręhenderat;
& quò minus ſpei, plus languoris intelligebatur. Placuit tamen conſilium;
& profuſis largitionibus, ac ſupplicationibus frequentati Cęlites, fœlicem
exitum attulere; ac in vtero Margaritam habere, incertis primùm rumori-
bus per aulam, mox Mantuæ ac Taurini delatum eſt; vniuerſorum gaudio,
fœcundâ in proſperis famâ, & eò celerius admiſsâ, quò carior. Monferra-
tenſes præter communem lætitiā, ideo præcipuè gaudebant; quòd conceptū,
dandumq́; eo cęlo Dominum ſibi crederent: Qui memoriâ natalis, Parentū
caritati, exquiſitā in eos gratiam conferret, vt conterraneos. Cæteris amo-
rem vtilitate, ipſi naturâ in ſubditos fore: Nec enim fortunâ tantum bene-
ficij à Deo conceſſum. Spes tamen vniuerſos fefellit. Quippe ambiguos
Principes, Vincentij valida mandata perculêre; expedito remige ac familiâ
comite Mantuam regrederetur; præſentem Nurum, & vt coram eniteretur,
cupere. Ergò erupêre cōcluſæ Monferratenſium querelæ; eripi ſibi per ſum-
mam iniuriam, quod fortuna conceſſerit. Nec tamen Prouinciæ opes, ma-
gnitudinem, fidem, minus Mantuanis mereri. Nec indecorum generi, ſi tot
votis expetitus infans, in prædeceſſorum Principum ſinu naſceretur. Ibi
Gulielmos, Bonifacios, Georgios, nobilitate & potentiâ celebres eductos:
Sic Atauos exigere; & niſi obſequantur, vim naturæ inferri; ſibi etiam per
iniurias eandem fidem manſuram. Sed Vincentius acrius, Filij, Nurus, po-
pulorumq́; modeſtiam aggreditur; id ſenectæ ſuæ leuamen, id coniugi Eleo-
noræ ſolatium poſcens. Promiſcuam Mantuanis ac Monferratenſibus pie-
tatem colere; nullo diſcrimine gratiæ teſtatus. Ergò Mantuam profecti
ſunt. Et Margarita maſculam prolem enixa, cunctos lætitiâ perſudit; nam
famellæ ſuſpicio erat. Vincentius tamen, quosq́; neceſſitudine aut vtili cō-
ſanguinitas tangebat, gaudiū oculis teſtati ſunt; etiā vanis, & quorum me-
moria obliuiſci facilis. Longius agentes Principes legatos miſêre; ne ſolùm
Mantuanis ea lætitia crederetur. Sed breuis ſolatij omen, ſecuta Franciſci
valetudo teſtata eſt, priore grauior, & Authumno prolixitatem comminata.
Nec eluſit; quamuis pertinacia curationis obniteretur. Nam iuuenis lon-
gioris curationis impatiens, excuſſerat obtemperantiam Medicorum; & ra-
rò ac tardè datis medicamentis acquieſcebat. Secutus Eleonoræ matris fi-
nis, cuius deſiderio metuebatur, ne lacero męſtitiâ animo morbus in longū
protraheretur. Res contra vertit; ſiue dolore ac lachrymis, ſiue tempore
mutatâ corporis conſtitutione, & pulſo morbo, cauſæ defectu. Minori ſin-
gulorum queſtu funus exceptum; quòd diuturna plurium menſium ægritu-
do, męrore ac gemitu vniuerſos delaſſaſſet. Manſit tamen apud omnes acre
fęminæ Principis deſiderium, regiæq́; virtutis cui ſemper inſtiterat; quamq́;

iuuentute per modeſtiam, fœcunditatem, liberalitatem, comitatem, & tractam in extremum rectè factorum gloriam approbauerat. Vincentius tũ Monferratum tenebat, grauioribus intentus; cum auditâ coniugis morte aduolauit. Et ne Prouincia ſine rectore eſſet; aut cuiuſquàm licentiâ agitaretur, vix firmatum robore iuuenem, cum vxore ac filiâ, veteri adminiſtrationi reſtituit. Maior præterito comitatus, ac ſeruitia delecta ſunt, quòd lõgior mora; & plures annos duratura abſentia crederetur. Quamuis enim oculatiſſimus Pater, etiam obſeruantium, ac indicum curâ nixus, ſuper præteritis filij moribus diſquiſiſſet; non tamen ignoratione aut negligentiâ peccatum; tantùm benignitate comperit: Et laudauit; quòd eodem flecteret; & pietas, caritaſque acribus ſubditis ac nobilibus expedirent. Deſiderium & præcipitem finem, dimiſſo cum gemitu filio teſtatus eſt; rarus in lachrymas, & ſuperior animi affectibus, eoq; imperruptus. Vbi Caſale Franciſcus attigit, nullâ Mantuæ curâ, præſentia pro diuturnis habens, Villas, cubicula, venationes, piſcationesq; inſtruere; veteres Pontis Sturiæ ædes decori reddere; diuidere prouincias ad anni modum, vt ſingulas præſentiâ luſtraturus, augere domeſticorum numerum, deniq; curas præſentium in longum iacere. Eum futuro prouidentem, familiaris Medicus per otium ſecretumq; interpellauit, multò ante quæſitâ occaſione, & anxius dicendorum. Obſtupuit Franciſcus matutinam famuli vigiliam; nec niſi cauſæ neceſſitate impulſum, credidit inſolitas ſeruitij horas intercurrere. Amotiſq; cubiculi miniſtris, cur intempeſtiuus acceſſiſſet interrogauit; Itaq; firmato ante aduerſus reuerentiam ac metum animo, ſic reſpondit: Et ſecretum & non interruptum ſermonem à me quæſitum Princeps exiſtima; vt qui præualida narraturus; non præſentiam, ſed ſilentium ex vſu crediderim: Moles ædium, & lata terrarum in hortos fuſa (ſi futuro conſulis) non tempori, non loco reſpondent. Aliò immigrandum; & referta delitijs quæ maiores tui ſtatuêre, repetenda: Ergò vel vtiliter erogandas pecunias retine; vel ſi potentia largitione teſtanda, Mantuam conuerte; niſi expenſas, non vſum meditaris. Saturnalia præ foribus; ſed vt memoriâ matris luſibus abſtines, ſic nouo luctu inuiſum veres habiturus, qui paucos intra dies Parentem quoq; abripiat. Nugas, & ſi quæ aſtrorum obſeruatione iactantur, vt irrita, miſſa facio (quamquam ſint, qui ſumma Martio minitentur) ſed validis rationibus innixus, præcipitem exitum, & pulmonis inſuperabiles morbos præuideo, qui citius Principẽ rapiant, quàm remedia conferantur. Franciſcus ludicra ſerijs miſcere ſolitus, in riſus prorupit; & vbi conquieuit, coniecturalem Medicinam, aſtrorum peritiam, mendacio non ſemel ſibi perſpectã; deniq; multa prædicenti occurrere, quæ ſpem ludant, ignorationẽ veri, ſpem, adulationẽ retulit. Plus apud ſe merito profecturum fuiſſe, ſi Parenti fauſtiora prædixiſſet. Perſtitit Medicus, coniuge quæ tum aduenerat præſente, potioribusq; aulicorum, tueri ſententiam: Sed verſa in riſum diſceptatio; ne prædictio euulgata auctorem in præceps raperet; aut Principem oſtentatione leui efferret. Creditus tamen ſi fefelliſſet, ſine causâ non erraſſe. Itaq; tantiſper diſſimulato deſiderio, dũ

frequens

frequens cætus amoueretur, clâm vocatum Medicum, Prognoſtici cauſam ſciſcitatur, quoq; inditio præſagium ſumpſerit, fateri iubet. Ille coniecturã Artis,& fallacem etiam in manifeſtis prædictionem teſtatus, quæ in Parente dum Maderni ageret, depræhendiſſet, ordine proſequitur; addiditq; tantùm vitalis ſpiritus egeſtum; vt ad paucos menſes vita ſuppetat: ſiue ille manifeſtis inſtiterit, ſiue tactu venarum labentem animam cognouiſſet. Nec tamen vltra proſecutus Franciſcus; ſed abrupto ſermone, diffidentiæ dolorisq; medius, ſine reſponſo Medicum reliquit. Februarius occeperat, tepente Cœlo,eoq; defluxionibus Pituitæ compoſito. Et iam clandeſtinæ literæ, Vincẽtij valetudinem teſtabantur. Mox auctus rumor (vt ferè ſecreti magnitudo, ſilentium etiam imperatum effringit) certiorique auctore, aduerſam Vincentio valetudinem obueniſſe relatum eſt. Tum Princeps Patri, ac prædictioni metuens (nam ſimilia quamquam ſine auctore conturbant) agitare ſecum ipſe, num exitum mali opperiretur, an inaccerſitus Patrem inuiſeret; modeſtiamné, an caritatem proſequeretur. Vicit pietas, & aſſidua Medici conteſtatio; ne vana vulgi metuerentur: Quem enim adeò iniquum, vt cupiditati aſſignet, quod pietas amorq; peruiciſſent? Ambiguum delatæ nouæ literæ triduum attinuêre; quibus ſubleuatus Vincentius, & formido ſecuritate concluſa continebatur. Sic dimiſſi comites;& parata itineri impedimẽta, neglecta ſunt. Quod vbi Medicus accepit (neq; enim vniuerſa vulgabãtur) epulantem cum coniuge acrius adgreditur; nullum profectionis in Patriam beneficium in defunctum iam Genitorem fore; non obſequium, non pietatem, non ſtudium. Nihil Parenti filiorum amore iucundius: & ſi quid contra vertat, nusquàm maiori ſolatio, quàm in liberorum amplexibus extremum ſpiritum committi; ſuprema mandata coram accipi, futuro ac præſentibus prouideri; nec vacuam rectore potentiam expedire. Tridui iacturã (ſi non egeat Pater)& citis equis vnius diei fore. Etiam apud praué commentantes, ſolicitudinem prudentiæ imputandam. Nec minus vulgi rumorem negligendum, imparem Principi poteſtati: Neq; tamen peruicerat; niſi præceps nuncius, verſam in peius Vincentij valetudinem tuliſſet. Paucos Mantuæ dies Princeps ſubſtiterat, & Pater inter viuos eſſe deſijt, relictis filio præceptis, quæ datâ fide executurum ſe ſpopondit. Ad famam exitus Monferratum omne; & proxima quæq;, fide, odioué ambigentia indoluêre. Margarita decenti comitatu, iuſſa Mantuam properare. Quippe curarum multitudinem Franciſcus cauſatus, in Monferratum regredi ſuperſederat. Nec errauerat, quandò diuturno Patris imperio,& plenâ fratribus domo, incolis accolisq; prouidendum erat: Etiã dominationis initia, quæ differri nõ expediat, iacienda erant. Nec minor domus ſuæ cura; vt ſeruorum meritiſſimi ſeruarentur; tenuem verò fortunam ſecuti, opulentiorẽ experirentur. Aderantq; qui diſpendioſam plurium annorum ſeruitutem exprobrarent; & non obſcurè præmium tam exercitę ſeruitutis flagitarent. Inter has turbas, quibuſdam munificentiâ prouiſum; conceſſa quæ illico tradi poterant; quidã ob meritorum magnitudinem, potioribus reſeruati. Nec enim diuturnâ,

aui,

aui, patriſq; ſeruitute, ad ſenium deuolutos facilè explere erat; & miniſterio ſueti, ne premijs quidem, quî eodem officio conſeneſcerent; depelli poterant. Pauci pecuniâ, plures ſpe ſuſtentati ſunt. Inter optimè meritos, & nil poſcentes Valerianus Cataneus occurrebat; equeſtris primùm ordinis; mox à Patre inter Marchiones aſſumptus; quiq; vigilantiâ ac pietate, Franciſci adoleſcentiæ præfuerat; Hic Morano Oppido, pulcherrimo ſitu, & Regiæ propinquo, titulo ac fortunis auctus eſt. Non enim Princeps, merito alium parem dixerat. Datum tamen in reliquos exemplum quomodo per ingenitas virtutes, & aſſiduam operam vnicuiq; facilis acceſſus ad maiora eſſet. Cæterùm cùm dominationis exordia, futuri ſpecimen præbere; & prout prima ceſſiſſent, fore ſequentia cognoſceret; pronaq; iuuenis mens in faſtum ac pompam eſſet, viſum etiam ſpecie inanium famæ ſubrepere, & potentiæ oſtentatione, apud exteros circumferri. Nouerat enim, eas vires vanas eſſe, quarum nemo conſcius, nemo teſtis eſſet; quæq; ſecreto abditæ nullo extrinſecus ſigno proferrentur. Hinc ſatellitio firmari domus, milite ambiri, equitum nobiliumq; cętu ſtipari, ex decore præſenti ratus, formam, modumq; perſcripſit. Varius hinc inter ciues ſermo exceptus, ſuperbiam alijs, alijs ſuorum formidinem interpretantibus. Cui enim mortalium potentiam, fortunam Mantuani Ducis ignorari? aut quo vnquam documēto ſuis diffidere didiciſſet? Pluribus ſæculis approbatam totâ Europâ maieſtatem, & ſubditorum in Dominos fidem; quam Auus Proauuſq; ciuilitate teſtari ſint. Quoties Patrem vno alteroué comite, vniuerſam Vrbem prorſus incuſtoditum peragraſſe? Nec tamen perfidiam ac metum excepiſſe. Solitū Auum frequentiſſimo foro, pedeſtrem, inermemq; obambulare; & vbi laſſitudo admonuiſſet, indiſtinctè Mercatorū Officinas ſubire, ſummaq; ſecuritate ſomnum capere. Niſi inductum timorem ex conſcientiâ credat, quamq; ſeueritate fidem irritauerit, armis tueri velit. Iam Germanos ſemel à Patre abactos, temulentiâ ac laſciuiâ intolerandos, reuocatos; vt nemo dubitet, plus Principem exteris, quàm ſuis fidere; & libidini gentis barbaræ, plus quàm ſuorum modeſtiæ deferre. Franciſcus tamen inſtituti certus, quamquàm detrahi ſibi per occultum acciperet, vana rumorum, familiares inter ſermones cohibebat. Decorum id generi, ſolitum Principibus, acceptum Cæſari, qui genti imperaret. Nec ſecuritati, ſed ſplendori conſuluiſſe; ne quæ cæteri Principes honeſtè proſequerentur, ſolus negligeret; aut ſe expenſis imparem fateretur. Satis ſibi notum, nullis armis incolumitatem ſuam, inter Mantuanos egêre; daturumq; operam, vt pietate & officio, fidem, caritatemq; ſuorum promoueret. Multum præteritorum ſplēdori additum, nec aliud quàm conſuetudinem & mores accuſanda. Sic pleriſq; ſatisfactum, niſi quibus optima conſiliorum neſciebantur; eò præcipuè quòd Ducis ornatum, & vſitatam conditionem excedere videretur. Sed Franciſco prorſus fixum erat, non iuri imperij, non demonſtrationi parcere, dum ſumma exiſtimatio, familiæ accederet: Siue errore, ſiue ex vero, vniuerſa opinioni inniti reputans. Ideò ad externa verſus Pontifici, Cæſari, Gallo, & Hiſpano Regi,

Valerianus Cataneus Marchio Morani.

In faſtum Franciſcus pronus.

Regi, Venetis, Sabaudio, ac Florentino Ducibus, cæteriſq; minoris notæ per Italiam Principibus oratores legauit: Vt ſi amici forent, lætitiæ; ſin hoſtes męroris partem ferrent. Delectus ante alios in Vrbem legatus Claudius Gonzaga, genere ac fortunis nemini inferior; ſed grata ſuauitate morum, dexteritate, prudentiâ oſtentatus. Functusq; ita munere eſt; vt apud æmulos gloriam, maiores commendationem, inuidos exiſtimationem retulerit. Quâ cauſa, & quia multò ante in iuuenem Franciſcus oculos coniecerat, maioribus deſtinauerat; niſi fatum optimis conſultis obſtitiſſet. Pari officio miſſo ad Matthiam Cæſarem (qui Annam ſibi ex Auiâ conſobrinam coniugio delegerat) Vincentio fratre, congenitum obſequio animum, & paratam deſiderio voluntatem teſtatus fuerat, vt Rodulphi exitu męſtitiam, ſucceſſoris gaudio molliret. Vix Iulius menſis finem habuerat, refertâ accolis externiſq; domo; & familiâ omni hoſpitum miniſterio mancipatâ, primûm reſpirare viſus eſt, & futuro per qualecunq; otium prouidere. Retracti in diſcuſſionem proceres viri; quos natales, ac merita antetulerant, & in eum diem dilati. Itaq; Hippolytum Marchionem è Feltrini genere; quiq; aſſiduus Parenti miniſterio fuerat, nec temnendis opibus, equeſtri Redemptoris ordini adſciuit. Mox progreſſus, idem honoris in Federicum Gonzagam, è Corradi poſteris, qui Patri, mox Margaritæ comes, continuum in extremum ſenium miniſterium præſtiterat, contulit. Priori domeſticos intra parietes dignatio cōceſſa; poſteriori publico; quod id moris apud omnes eſſet. Ceptantem quietem, & ſpem maiorum; aduerſa plurium dierum Margaritæ valetudo turbauit; quæ æſtiuis caloribus inſueta, vreroq; gerens, ſalutis ambigua, ſpem & metum inter, diutius vniuerſos attinuit. Non minor de fętu reputatio; ne vi morbi, immaturus adhuc proijceretur. Et Sabaudius Dux, filiæ ac generi caritate euictus, modò per literas, mox oratore miſſo; ad extremum & Medico formidinem ſolicitudinemque teſtatus eſt. Quantum Artis ope eniti licuit, in partum vtriq; ſeruati. Potiſſima Pomei Sabaudij Medici cura ac gloria fuit; qui nobili loco natus; & in extremam ſenectam præceptis Medicinę aſſiduus, perſpectoq; puellę temperamēto, cuius valetudines, olim domi curauerat, ſolidum experientiæ documentū prębuit. Ipſe cuicunq; diligentiæ, vires ægrotantis opinione validiores, tolerantiâ morbi, & remediorum prætexerat. Credebatur tamen diuturno malo implicatus infans, parum firmitatis habiturus. Et teſtatus euentus eſt, vix editâ vitali; quamuis nîl triſte Ducis penatibus eueniſſe putaretur; fœmellæ iactutâ, & incolumi matre, paucis à partu diebus redditâ. Cæterùm, ſeu vero, ſeu falſo habitâ fide, petitam Franciſci ſororem Eleonoram à Sabaudio, Principi Victorio filio coniugem, incertus ſed validus rumor differebat. Neq; impoſſibilis tranſactio videbatur; quòd puellæ, præter hæredes in familia virtutes, & magnos Reges conſanguinitate illigatos, is morum ornatus, ea pulchritudo eſſet, vt nulla per Europâ Princeps præferretur. Id lętum in vulgus, petita dos in męſtitiam vertit. Alij enim Mōferrati partem; plures promiſſam à Vincētio, dominiorum mutationē requiri perſtrepebant.

Claudius Gōzaga legat' ad Pontif.

Hippolytum & Federicū Gonzagos equeſtri ordini Redemptoris addit.

Fran-

Franciſcus haudquaquàm conſtantiæ indigus, licet Sororis honori vnicè ſtuderet; non repulſam, non fidem rumori dediſſe ferebatur, ſed poſſe Socerum Galliæ aut Hiſpaniæ Regum filias requirere; quæ ſi negarentur; tum locum apud ſe fore; qui minoris vices expleret, & imminenti vere affuturum ſe profeſſus. Quippe conſiliorum Sabaudij non incallidi; & fortè plura affingentes, perſuadebant, cauerentur Soceri inſidiæ; qui Filiam, Generũ, Nepotes; deniq; quidquid vnquàm iucundi eſſet, in dominatione haberet, crederetq́; conſanguinitate ac amicitiâ, ius dominandi potius. Sed ille quâ famâ apud Generum conuelleretur non ignarus, finem contentionum, & nuptias ſempiternæ paci prætendebat; quam viuis iuribus, nec vllâ ſatisfactione obliteratis, facilè turbari poſſe metueret. Seu perſuaſerat, ſiue ſic crederet Frãciſcus rebus ſuis expedire, ſuperflua gemmarum, quæq́; maiores ornamenta reliquerant, vetuſtate & copiâ inutilia diſtrahere, pecunias vndiq; colligere, ſeſe amicitijs potentiorum, Cæſarisq́ue; Monferratum præſidio ac miniſtris, prudentiâ, animiq́; fortitudine conſpicuis firmare. Adeò ſecretus & properus; vt Sabaudius prouiſum ante, quàm dubitatum agnouerit. Præcipua Hiſpanorum cura erat; quos officijs ac muneribus euictos in caritate retinere, miſſo Marchione Ioanne Octauio Gonzagâ procurauerat. Nec enim ſatis tuta, aut vſui commoda Monferrati poſſeſſio exiſtimabatur; niſi qui Mediolano potiretur, amicitiâ obſequioq́; pro tempore obſtringeretur: Quòd nullâ ſui parte, nexi Monferrato Mantuani; non accipere, nõ conferre operã, ſi occaſio inceſſiſſet, poſſent; eſſetq́ue per medios infeſtos tranſeundum; niſi aperta vis, quæ non ſuppetebat, placuiſſet. Nec dum etiam Paternæ ſuſpiciones Hiſpanis exciderant; aut Cardinalis Fratris pro æmulo Regno conatus acres in Vrbe; & licet deprecaretur inuidiam Franciſcus, fauorem Gallicum reijceret, vix tamen perſuaſerat, Fratrem magnâ pietate deuinctum, ad externam fidem, totâ domo neſciâ tranſijſſe. Certè pleraq; vera, maiori quã mendacia difficultate creduntur; ſi præſumpta ſuſpicio vigeat; aut priuata cuiusq́ue ſtudia reſpondeant. Hâc potiſſimûm cauſâ Fuentem Mediolani Gubernatorem, continuâ comitate detinuerat Franciſcus, cum adhuc Princeps eſſet; vt laborem approbandæ fidei, præoccupatâ operâ minueret. Etiã hoc nomine Monferrati poſſeſſio anceps, & in lubrico, à Gulielmo ac Vincẽtio Patre, atq; Auo, habita fuerat, illumq́; cumulare pecuniam, hunc regiâ expensâ Arcem Caſalis ſiſtere compulerat; aduerſus quoſcunq;, licet per ſilentium minitantes. Cæteri æmulationes Regum, Galliæ Reginæ fauorem, vires proprias æſtimantes, periculum etiam è Sabaudio ridebant; ſed non Franciſcus, cui perſpecta potentia, deſideria, colores erant; quiq́; fœderum fluxam fidem, præteritorum recordatione didicerat. Vergente iam anno, qui pro Franciſco Soceri animos perrumpere conabantur, metum diſcordiarum; & acriora Sabaudij conſilia (ſiue percepiſſent, ſiue opinarentur) perſcripsêre. Non alio certè maiori inditio vſos accipio; quàm quòd familiari colloquio, frequentior Generi, Filiæ, ac Monferrati memoria oriretur. Exceſſerant, & fortè verba, ſenſa animi ſignificantia; quaſi ſic viſum Mantuanis,

tuanis, aut ſtudio detegendę voluntati proferrentur, quibus oſtenderat opportunum Vincentij exitum; & poſſe ceptam Dominij ac limitum negociationem, cum Genero familiarius componi. Quæ licet rara & ciuilia (fortè nec vera) vt magnis tamen ſenſibus prægnantia excipiebantur; Principēq; futuri metuētem reddebant. Pariter (quia ſemel cōcepta, vbi validius animo impreſſa ſunt, ægrè continentur) profundus aliàs, & animi ſecretus Frāciſcus, inter epulas erupit cum Medico, quo rarâ benignitate, ſæpè ſecretò vtebatur; his verbis vſus: Nemini vnquàm Italiæ Principum, promptiorē, & magis in dubio ſitam potentiam, quàm ſibi contigiſſe. Manifeſtam indignationem cuiuſcunq; facilè vitari; ſed ingenio ſibi cum ſecreto ac familiari hoſte opus; in quo perfidiam ſuſpicari ſcelus ſit; amicitiam, ſecordiam. Sed vtcunq; ſors vertat, vtili ac honori victurum. Satis liquere temporum malitiâ, conſanguinitatem inter amicitiæ cauſas non cenſeri; ſimul cubiculo exceſſit; & quæ inchoauerat proſecutus, vaſtas Soceri ſpes retexit. Addidit literas, quibus, ſecuris documentis monebatur; velle Sabaudium, ſancitos cum Vincentio Patre fines ſtatui; & huic vni curæ inuigilare, quò Breſſæ iactura, tali ſaltem incremento ſarciretur. Nullo grauiori nuncio Margarita coniunx ſauciari poterat; quæ pietati paternæ, amori mariti media, pridem compererat, facilem huius illiusué indignationem; & caritatem quā natura indidiſſet, flagitio ſuperandam. Miſſis tamen literis hortata Parentem dicebatur; ne compoſita per vim turbari, & amantiſſimos filios, tanquàm ſtricto mucrone impetere vellet. Reſpondiſſe ſenſu permodeſto ferunt; nullo frequentiori quàm parentis, filij, amoris, conſanguinitatis nomine obaudito; & ad extremum benè credere iuſſa. Sed cætera non reſpondebant. Nō enim velut per iocum, iura pridem abolita, Vincentij placita, ſuam facilitatem referre ſuperſedebat; vt ſi ipſe non peteret, anxium tamen Franciſcum per exploratores detineret. Dum hæc varijs vtriuſq; artibus, inter ſuſpectos geruntur; repens occaſio moram cupitis attulit; vel vt locus dolori eſſet, vel ne Socer filiorum mæſtitiam oneraret. Nam graui, & populariter euagatâ lue; quâ innumeri ſublati ſunt; non ætatis, non ſexus delectu, Ludouicus Princeps, Franciſci, ac Margaritæ filius, forma Parenti ſimillimus, populorum vota, ſpes domus, ereptus eſt. Morbillos affectum dixêre; quibus intra menſes ſex, aliquot hominū millia perierant. Et paulò ante Siluius, Ducis frater, ignotâ parente genitus, magnis eâ ætate virtutibus, extremum diem obierat. Quò acrior dolor; velut plenâ funeribus domo; ad extremum ſpem ipſam ſobolis, natura ademiſſet. Cunctis aduerſę valetudinis diebus, anxij Parentes, infantis caſum oppericbantur, cui multò ante, opinione, ac ſuſpicione metuebant. Et Medici egregiè concordes, parum ſpei, plus timoris oſtenderant; habitudine pueri, conditione morbi, conſtitutione peſtilenti trepidantes. Indictę Vrbi ſupplicationes, auri argentiq; ſtipes ſacris largitionibus effuſa; quòd vna à ſuperis ſpes crederetur. Cæterùm peruagatum nec metu aut reuerentiâ ſuppreſſum Vrbis Mantuanæ rumorem libet inſerere; vt ſi calamitatū quæ Numina effudêre, cauſam nō aſſequimur,

Franciſcus Sabaudiū ſuſpectū habet.

Ludouici Principis mors.

referan-

referantur adminus, quæ poſteris, cum fide tranſmitti deceat. Vetus in Vrbe templum Saluatori factum, recipiendis Hebręis, & proprio loco arctandis, infami ſitu claudi contigerat. Id antiquiſſimum publicæ ac priuatæ memoriæ monuerant, pulsâ Gentili ſuperſtitione, & vero Numinis cultu inducto, fabricatum. Seu vera, ſeu falſa promerent (vt ferè vulgo credita, pro ſacroſanctis habentur) nobiles, ciues, ruſtici, clandeſtinis conſilijs conqueri, męrere, improperare; nîl aduerſi Principibus ac ſubditis quod hac causâ non eueniat, acceſſurum. Satis Iudęorum amori datum; quòd iiſdē legibus, & pari ferè cum Chriſtianis impunitate vtantur; quòd Principum cubiculo, nobilium domibus non arceantur. Nihil in Ciuitate, quod ipſi non tranſigant, non nouerint, non iubeant; niſi contemni quoq; ac negligi Superum honorem, eorumq; commodis ſacras ædes, vota patrum, cedere velint. Gentem inuiſam Deo odijq; generis humani conuictam, in ſeruitute, quam flagitio meruerint, habendam. Deniq; nullum malorum finem, niſi ſacris honos reddatur fore; vt anguſtiâ rerū preſſi domeſtici hoſtes, quos beneficia non mutauerint, vexatione ſaltem in ſaniora vertantur. Hæc adeò apertè publiceq; per domos, fora, templa ſeditioſis vulgi querelis efferebantur, vt Principis ſecretum perrumperent, nutantemq; impellerent; niſi viciniora conſilia, quæ Iudęorum muneribus corrupta, communis opinio præferebat, obſtitiſſent: Quamquàm Præſuli Vrbis Dux, vt id vniuerſi populi gratiæ daretur oranti, certam ſpem oſtendiſſet. Quæ Principem Ludouicū lues abſtulerat, Mariam quoque ſororem infantem, malè habebat; licet ſæuitia remiſiſſet. Aderant frequentes amici, Ducemq; monebant, caueret perniciem latè fuſam, ſeque peruaganti contagioni ſurriperet; eſſe illi amęnos Caprianæ ac Volræ colles; & quandò vicina diſpliceant, Monſerratum ſalubritate cęli occurrere. Poſſeq; ſpecie honoris & componendę Prouinciæ, tamdiu abeſſe, dum morbi impetus deſæuiat. Sed Monſerratū auerſatum didicimus, non Prouinciæ odio, aut profectionis fugâ; verū ne præſentiâ & vicinitate, cum Socero cogeretur, de mutatione Oppidorum, inchoatam à Parente negociationem, mox omiſſam, reſumere. Et familiare Franciſco erat, imminentia plerumq; ſupremi Numinis arbitrio, non pietate, ſed velut per negligentiam reijcere. Quò ſenſu vſus, reſpondiſſe fertur, nihil abſq; Dei nutu euenire; & vbi decreuiſſet, exitum fugâ accelerari; fugiendoque hominem in media fata ruere. Simul infantiæ morbos recenſebat; creditam Morbillorum cauſam abſumptam rebatur; fauos, ſcabiem, & id genus puerilia; annitentibus opinioni, quibus quantacunq; Ducis abſentia moleſta erat. Accedebant futuri caſus præſagia; portentoſa inquietudo; inſolens liberalitas, frequentata Religionis exempla; etiam per agros erectæ Aræ, & vota ſolitudinis, Principi viro rarò ad ſerium: nec minus rerum omnium prodigentia; velut breui æuo quò pluribus ac laxius vteretur, plus vitæ haberet. Turbata quoque Patria, & noui belli ſemina emerſere; cui viuente adhuc genitore ſors, ſuſpicio, indignatio, cauſam dederant. Præcipui nobilitate, & ſummo vulgi fauore Principes viri, Parmenſis Ducis impe-

rio ſubditi, in caput Domini, nullâ certâ cauſâ conſpirauerant; vt ſublato etiam Cardinali fratre, ac filio, vniuerſam familiam, vno velut ictu perderent. Coniurauerant, prouecti ætate; etiam iuuenes temeritati quam prudentiæ proniores; ſecutæ quoq; conſilia fęminæ, ne ſecuritas aut ſecretum eſſet. Euulgato facinore, miſerandum in morem abrepti qui accuſabantur; expreſſa tormentis veritas, & publicè cæterorum exemplo pœnas dedêre. Opes in Fiſcum verſæ, notatiq; infamiâ, cum reliqua amiſiſſent. Sed quia ſæuitiam, auaritiam, libidinem proſecuti dicebantur; & quia ſine cauſâ magna facinora non creduntur (niſi ſua quemque petulantia extimulauit) Parmenſis Scripto famoſo in vulgum dato, perfidiam, odium, parricidium ſuorum, probationesq; executus eſt: Addidit tres alios fautores conſultoresque, quorum auctoritati, reliqui innitерentur. Nec tamen in promptu iudicium erat, quos accuſaret; ſed manifeſtis coniecturis in Vincentium Franciſci Ducis Patrem, vniuerſa flectebantur. Quâ re; & quia inſolens Franciſco calumnia; nec toleranda genitoris iniuria videbatur; modeſtia ac comitate, ſimul amicorum operâ vſus eſt, vt Parmenſis confeſſione, Pater imputationi eximeretur. Hac cauſâ miſſæ literæ, datæ ad Pontificem querelæ, legati qui improperarent. Quæ vbi fruſtra eſſe, & vel credi flagitium, vel non excuſari comperit, acri odio agitatus ad arma vertit. Nec enim paucos ante annos cępta in Belgio inter Parmenſem ac Vaſti Marchionem contentio; ob incendium Theatri (vt retulimus) & mox aggregato iræ Vincentio, quamquam Cardinali Tauruſio legato, conquieuerat; ſed manebãt etiamnum odiorum reliquiæ; quas Annibal Ibertus apud Regem Hiſpanum pro Vincentio aſſiduus, nixu omni obliterari procurauerat; vt erat viro illi ſolers prudẽtia, & ingentium rerum familiaris ac proſpera negociatio; quàm in præſentem Pater, ac filij iuſtis pretijs æſtimarunt, poſtremùm Ferdinandus Dux, Montilij ac Corſioni Comitatibus proſecutus eſt. Itaque iuſſus Carolus de Rubeis delectus militares toto Mantuano agere; vocati tanquã ad bellum Monferratenſes; & iam pro limitibus diſpoſiti, prædationes, incendia minitabantur. Statim Mediolani, Taurini, & Romæ conſternatio populorum accepta. Nec dubitatum de odijs, præteritorum refricatione; & quia rarò Principes creditas iniurias condonant. Ante alios Paulus V. vocato Aurelio Recordato (is tum Mantuani Ducis negocijs apud Vrbem præerat) quo dolore turbas audiuiſſet expoſuit; monuitq; ſuo nomine Franciſcum orare; ne ad aſperiora conuerſus; placidiora mali remedia abnueret. Suberat Aurelio auctoritas, ac prudentia, vt iuuenem ſtatim conuerteret; ſuaderetque, Mediolanenſis Gubernatoris, ac Ducis Sabaudij ſtudium opperiri. Quippe magno vtrique conatu incubuerant; Et iam tranſacta negociatio credebatur; niſi immaturus Franciſci exitus obſtitiſſet. Fine enim anni, cum Bacchanalibus feſtiſque ludicris, & exuendo luctu paternæ mortis, pararentur vniuerſi, decumbere Franciſcum totâ Vrbe vulgatum eſt. Alij intempeſtiuam venationem, plures intemperantiam, quidam conceptam indignationem cauſabantur, & rari fefellêre: Quòd iuueni

Franciſcus militẽ deſcribit in Parmẽſem Ducem.

nulla

nulla ſalutis cura eſſet. Tertio à decubitu die, variolæ quas lætales Medicus intimus prædixerat, ſummâ cute apparuêre. Quintâ acutiſſimâ febri ſubſecutâ ereptus eſt; non coniugis, non filiæ, non familiæ memor; motâ mente, & raro breuique reſtitutâ. Tantum conſilij fuit, quantum æternitati prouideri potuit; Quod ipſe ante alios, futuro metuens accelerauerat. Nec facilis per ægritudines alienatio mentis illi erat, creditumq; petitâ à Superis reatuum veniâ, & ſolitis extremo Sacris præmunito Spiritu, munus id cœlitùs conceſſum: Ne confectam dolore coniugem, effuſos in lachrymas familiares, ſuasq; ipſe anguſtias, neſcius aliàs tolerandi depræhenderet. Cum multâ incolumitate Goiti æſtiuos calores vitaret; id ſe præcipuè orare; & huic vno muneri, feruentiſſimas ad Virginem matrem preces offerre dixerat. Aderat abeunti Margarita coniunx, ſexus firmitudinem, propriam caritatem conſtantiâ ſupergreſſa. Simul aulici, ac munium publicorum adminiſtri, ingentis expectationis intolerantes; & velut id iuris eſſet, irruperant; adeò dolore victi; & in lachrymas faciles; vt ſi Princeps mente conſtaſſet; hoc vno maximè læderetur. Vbi tamen vis illa animi, impetu doloris ſuperata eſt, coniunx ſexum, pietatemque reſtata, iuſſa recedere; ne ſibi ac percunti iuxta officeret. Labente enim animâ, modicum cognitionis regredi tradunt: Siue inter extrema luctanti menti, id è cœlo ſit; ſiue conatu terminantis, & irritè reſurgentis naturæ. Vix cubiculo exceſſerat Margarita, & Dux lapſo ſpiritu finem habuit: Tanquàm iacturâ ac præſentiâ, quam vnicè viuens dilexerat, ſauciare noluiſſet. Ergò in contrarium omnia flexêre. Intimi quique ſecretum curauerant, præſentium liberi, futurorum ignari, in incerto agere: Viliores quibus non niſi ex ſeruitute quæſtus in lachrymas fuſi, potentiorum opem implorare: Inter ſpem ac timorem medij, præterita futuris, metu, adulatione; parandis nouis amicitijs componere; alij recentem Principem, precibus, aut officio adire; quidam præſumptam auctoritatem, pollicitationibus exercere; retegere antiqua odia, iniurias referre, etiam comminari: Denique mutata omnis aulæ ſpecies, & quæ in abdito erant, amor, odium, deſideria, impetu erupêre. Quis enim pronam voluntatem, & diu cupidinibus coërcitam, vbi ſpem voti acceperit, non efferat? Ea tamen apud quoſdam nimia fuêre, auſos neſcio ac poſtmodum indignante Ferdinando, arctare ſeruitia, & vim omnem coniugi Viduæ adimere; Sed Ferdinandus intempeſtiuam prouidentiam accuſans; cum audaciam miniſtrorum, ſordesque repuliſſet, comitate, officio, liberalitate, magni Principis documentum, vix dum Princeps oſtendit. Margarita quamquàm animi infracta, luctui tamen ac mœrori inſepulta, ſecreto, paucisq; familiarium vſa (quòd præcipitem terrent omnia, & prauis conſultoribus etiam validiſſimi turbantur) aſperiora crediderat; metuebatque ne quod Franciſcus iuſtitiâ aut placito; breui, nec adhuc prudentiæ compoſito imperio iuſſerat, odio ſingulorum, ſibi innocenti imputaretur. Donec aduentantis Principis morum callidi; & vulgi ſenſuum perſpicaces, ſolutam formidine iuuenem, metu exemêre.

Fräciſci Ducis mors.

exemêre. Et incerta quidem iuuenis agendorum erat, puellæ vnius mater; impregnationis incerta, procul à genitore ac fratribus, quamquàm fidis miniſtrorum vallata; hoc ipſo paueſcens, quòd ægrè diſtingueret; ſolita ſemper apud aulicos adulatione, tum & fraude. Hinc Ferdinandi reditus in ſolatium votis quæſitus; ſed adeundus Cardinali Pontifex, ſalutandi per Vrbem primatum quidam; & properare feſtinato itinere, haud quaquàm decorum erat: Ne præcipitatâ anxietate, deſiderium eius noteſceret, quod mçrori ſociandum erat, licet peteretur: Et ægrè credideris ſpectandum ab inuito, quod ſumma celeritate peteretur. Magni Hetruriæ Ducis hoſpitalitas, & nobilium potiſſimi officium præcepturi, ſpem Patriæ, vulgi deſideria, domus lætitiam dies aliquot diſtulêre. Spei metusq́; iuxta vacui, id præcipuè efflagitauerant; vt an facto iudicio pondus, an experimentum cum famâ eſſet, deprçhenderent. Sed pietas, comitas, liberalitas, & ſelectiſſimæ virtutum, vbi longo vſu totum æuum durauêre, ſimulationem excludunt, approbant in poſſeſſore Principe naturam. Equidem ſubditos omnes demeruiſſe, omnia cum ratione tractata, neminem inter reos habitum, præmia omnibus, nulli pœnas deſcriptas (quandò lubrica Aulæ negociatio, & prona peccantibus auctoritas eſt) ſatis docent optimum Principem, vix de vllo credere, vix alicui male facere; neque tetro obtutu conſcientiam, confeſſionemq́; ſcelerum fateri, aut exprimere; ſed ſereno oculo confundere benignitate flagitia, innocentiam laudare. Quæ gloriæ trophæa, vt continuatione temporum diù produxerit, Patriæ, atq; adeò Chriſtiani Orbis ornatui, ſi labori vires, ætasq́; ſuppetent, exequemur.


Digitized by Google


GENEALOGIA TOTIVS FAMILIÆ GONZAGÆ.

VVALTHERIVS GONZACH


Non vnâ coniecturâ è GONZINGIS, qui primi Longobardis imperarunt, OTHONIS IMP. conceſſione Marchio Mant: primus Anno Salutis 962. Vxor Saxona.


- *OTBERTVS* Mareb. Mant. II.
  - *ADELBERTVS* March: Mant. III.
    - *THEDALDVS* March: Mant: IIII. ex Iulia Eſtenſi.
      - *BONIFACIVS* March: Mant: V. ex Beatrice filia Hẽrici Imperatoris.
        - *MATHILDA* Orba Eccleſiam hæredem ducit.
      - *Corradus.*
- *Protherius.*
  - *Corradus.*
    - *Bolonguerius.*
      - *Corradus.*
        - N. N. N.
          - *Abraminus.*
            - *Bolongherius.*
              - *Corradus.*
                - *Guido.*
                  - *Bartholomeus.*
                  - *Antonius. ex Richilda Gõzaga.*
                    - *Corradus.*
                      - *Guido. Ex N. de Extrambinis.* pag. 2.
                    - *Federicus Vic. Epiſcopatus Mãt.*
                  - *Bonauentura.*
              - *Gerardus.*
            - *Albertus Eps Iporedię.*
      - *Gerardus.*
  - *Gerardus.*



Guido, ex
N. de Extrambinis.
Petrus prothonotharius Apoſt.
Diomedes abnepos
Gentilis.
Ruthbertus.
Suſanna.
Franciſcus.
Tarquinius.
Franciſcus.
Rafael.
ALOYSIVS.
Mant: primus Capitaneus à Senatu electus, & addito Vicariatu Imperij cõfirmatus à CAROLO Quarto. Vxores habuit tres. Primam de Rambertis. Secundam de Malateſtis. Tertiam de Malaſpinis. Filios è Ramberta, vide pag. 3. Tota quæ ſequitur Gonzagorum ſeries directa poſitione gradum Conſanguinitatis oſtendit.
Gualterius.
N. N.
N. N.
Io. Bartholomæus pronepos.
Abrahamus.
N. N.
N. N.
Io. Michael pronepos.
Alexander abnepos.
Iſabella.
Federicus.
Io. Franciſcus.
Iudith.
Anna.
Aloyſius.
Cæſar.
Ludouicus.
Ludouicus.
Iulius.
Lucretia.
Franciſcus.
Beatrix.
Camilla.
Io. Franciſcus.
Paula.
Theodora.
Iulia.
Cæſar.
Hippolyta.
Aloyſius.
Hortẽſij tres.
Laura.
Florida.
Vigilãs.
Oliuerius.
Lucretia.
Virginius.
Gentilis.
Cõſtãtius Frãciſcus.
Agamẽnon.
Biãca Lucretia.
Biãca.
Rafael duo.
Iulius.
Cynthia.
Rafael.
Terẽtia.
Marcellus.
Horatius.
Io. Frãciſcus.
Laura.
Ludouicus.


ALOYSIVS
Ex primâ Vxore de
Rambertis.
Philippinus.
GVIDO
Capitaneus Mantuæ ſecundus
ex Verda Baccaria.
Feltrinus
Pag. 4.
Egidiola.
Vgolinus ex
N. Vicecomite.
LUDOVICVS
Capitaneus Mant. tertius ex
Alda Eſtenſi.
Franciſcus.
Beatrix vx.
Nic. Eſtēſis
Thora Vx.
C. Urbini.
Bernabos.
Iſabella Vx.
Caroli Ma-
lateſtæ.
FRANCISCVS
Capit. Mant. quartus
ex Margarita Malateſta
Phœbus N.
Suſanna Vx.
Leonelli Eſtenſis.
IO. FRANCISCVS
Marchio Mant. primus
ex Paula Malateſta.
Suſanna N.
Jo: Lucidus.
Carolus vx.
Rengarda Corte.
LVDOVICVS
March. Mant. ſecundus ex
Barbara Brandeburga.
Pag. 9.
Alexander.
Margarita vx.
March. Ferrariæ.
Ugolottus
N.
Euangeliſta.
Cecilia Vx.
Odoardi de
Arco.
Rudolph⁹ vx.
Catherina
Pica.
Pag. 9.
FEDERICVS
March. Mant. III.
ex Margarita
Bauara. Pag. 11.
Io. Franciſcus
vx. Antonia
de Balzo.
Pag. 10.
FRANCISCVS
CARD.
Reliquos filios
habes in Pag. 9
Patris.
Franciſcus N.
FRANCISCVS
March. Mant. quartus ex
Iſabella Eſtenſi. Pag. 13.
FEDERICVS
Dux Mant. primus, &
Marchio Monſerrati.
ex Margarita Paleologa.
habes totam ſeriem
Pag. 12.


FELTRINVS.



Petrus.
Odoardus.
Guido Comes Nuuolariæ.
Gulielmus. Pag. 5.
Iacobus.
Feltrinus.
Io. Petrus.
Franciſcus.
Georgius.
Guido.
Milanus.
Cremolus.
Io. Petrus.
M. Antonius.
Iacobus.
Chriſtophorus.
Guido.
Dominicus.
Alexāder.
Annibal.
Iulius Cæſar.
Io. Frāciſcus.
Pirrus.
Ludouicus.
Georgius.
Amorotus.
Aluyſius.
Iacobus.
Princiualius.
Io. Franciſcus.
Iacobus.
Annibal.
Iulius Cæſar.
Hercules.
Aſcanius.
Octauius.
Camillus.
Petrus Antoni?
Io. Georgius.
Io. Maria.
Fraciſcus.
Alphonſus vx Victoria de Capua.
Scipio.
Camillus vx. Barbara Borromea.
Chriſtophorus.
Carolus.
Calcatius Maria.
Franciſcus.
Federicus.
Sertorius.
Alexāder.
Claudius. N.
Iulius Cæſar.
Camillus vx. Catherina Aualos.
Alphonſus.
Conſtantia vx. Marchionis Matthæi.
Iſabella vx. Ferrantis Conzegæ.
Barbara vx. Marchionis Calcagnini.
Victoria vx. Marchionis Palauicini.
Alphonſina vx. Gaudentij Madrutij.
Petronilla.
Io. Petrus.
Alexander.



GVLIELMVS.
Antonius.
Philippinus ex N. Pia.
Franciſcus.
Io. Franciſcus. ex Virginia Sanbonifacij.
Io. Ludouicus.
Iulius.
Io. Ludouicus ex Ioanna Tiene.
Philippinus.
Alexander.
Caſar.
Caſar ex Victoria Martinenga.
Hippolytus.
Alexander.
Io. Franciſcus ex Bianca Vbertà.
Annibal.
Franciſcus N.
Alexāder. N.
P. Aemilius
Fabritius.
Mutius.
Marius.
Aeneas.
Riciarda.
Ipgenia.
Berenice.
Iulia.
Iulius.
Iulius.
Annibal.
Vbertus.
Hippolytus ex Octauia de Turre.
Annibal.
Alexander ex Veronica Auſtriaca.
Franciſca ux. Silui Gonzagæ.
Laura ux. C Amorotti.
Lucretia ux. C. Io. Agnelli.
Iſabella.
Anna.
Virginia.
Scipio. N.
Victoria.
Hippolita.
Cæſar.
Io. Baptiſta.
Hieronym⁹.
Alexāder N.
P. Aemilius.
Laura.
Anna Maria.
Catherina.
Magdalena.
Alexāder N.
Io. Frāciſcus ex Aloyſia Tie.
Camillus.
Blāca, dux.
Tarſia.
Fauſtinus.
Alphōſus.
Iulia.
Annibal N.
Philippinus N.
Aeneas N.
Iulius. ex Camilla Lomellina.
Blāca.
Ferdinādus.
Leonora.
Octauia.
Hippolyta.
Hippolytus.
Io. Aloyſius.
Annibal.


ALOYSII
Filij
Ex ſecunda Vxore
de Malateſtis.
Albertus.
Corradus ex Tania Beccaria.
Federicus.
Philippinus ex Vrſina Capriana.
Corradus.
Bartholomeus.
Ludouicus ex N. Conzaga.
Guido.
Franciſcus. Huius poſteri apud Aegyptios ſuperſunt, vt Vincentio Duci retulit Monachus Auguſtinianus.
Fràciſcus.
Galeatius qui Bucicaldi Genua vicit.
Malateſta.
Ludouicus
Antonius ex Franciſca Vberta.
Federicus.
Io. Franciſcus.
Io. Franciſcus Maria.
Franciſcus.
Bartholomeus.
Nicolaus
Ludouicus.
Io. Petrus ex Auguſtina Martinenga.
Federicus.
Franciſcus.
Guido.
Nicolaus Maria.
Ludouicus.
Io. Franciſcus.
Conſtātinus.
Orlandus.
Ramerius.
Bartholomeus.
Auguſtinus Archiep. Regii Calabriæ.
Cæſar.
Ludouicus ex Iſabella Lampugnana.
Franciſcus.
Alexander.
Paulus Camillus.
Coſtātinus.
Hercules.
Fràciſcus.
Aſcanius.
Malateſta.
Iulius.
Camillus.
Io. Petrus.
Cæſar.
Siluius.
Curtius.
Claudius Albas Feloniæ.
Corradus. N.
Horatius.
Iulia.
Federicus ex N. Guaſco.
Guido ex Torquina Gonzaga
Octauius.
Federicus.
Ex Franciſca Gonzaga Ludouicus ex Felicita Guerreria.
Ex Claudia Gonzaga Claudius ex Elena Alipranda
Siluius. N.
Alexander ex Camilla Strozia.
Vincentius.
Octauius.
Franciſcus ex Bianca Maria Centuriona.
Franciſca vx. Petri Maria Gonzaga.
Cæſar.
Ludouicus ex Victoria Pepoli.
Claudia.
Victoria.
Siluius.
Octauius.
Ludouicus Fràciſcus.
Iulius Cæſar.
Iſabella.
Iulius.
Ferdinādus.
Pompeius.
Guido Maria.

ALOYSII
Filij
Ex tertia Vxore
de Maleſpinis.





GVIDO
Aloyſij filius Capitaneus
Mantuæ ſecundus ex
Verda Beccaria.
Catherina vx.
Vicecomitis.
Vgolinus.
LVDOVICVS
Capitaneus Mant. III.
ex Alda Eſtenſi.
Franciſcus. vx.
Læta Polenta.
Beatrix vx.
Nic. Eſten.
Thora vx.
Com. Vrbini.
Bernabos.
FRANCISCVS
Capit. Mant. IIII. ex
Margarita Malateſta.
Iſabella vxor
Caroli Malateſtæ.
Phœbus. N.
Suſanna. N.
IO. FRANCISCVS
primus March. Mantuæ.
Vide ſup. pag. 3.
Suſanna vxor
Leonelli Eſten.
Carolus vxor
Rengarda de
Corte.
LVDOVICVS
Pag. 9.
Io. Lucidus.
Alexander.
Vgolottus.
N.
Euangeliſta.
Cecilia vxor
Odoardi de
Arco.
Gentilis.
Anſelmus.
Thadæus.
Guido.
Bartholomæus.
Albertus.
Io. Maria.
Gaſpar.
Ludouicus.
Iacobus.
Benedictus.
Galeatius.
Frāciſcus.
Alexāder.
Guido.
Io. Maria.
Franciſcus.
Franciſcus.
Io. Maria.
Ludouicus.


LVDOVICVS
Marchio Mantua II.
ex
Barbara Brandeburga.
Cacilia N. Monial.
Susanna Monial.
Dorothea vx. D. Mediolani.
Rodulphus vx. Catherina Pien.
FRANCISCVS CARD.
FEDERICVS Pag. 11.
Io. Franciscus uxor Antonia de Bulzo. Pag. 10.
Ludouicus Archieps, & Prothonotarius.
Paula vxor C. Tiroli.
Barbara vxor C. Virtembergen.
Domicella.
Angelica Monial.
Hector.
Barbara.
Angela.
Ludouicus vx Catherina Anguſſola.
Paula vxor C. Muſoty.
Io. Franciſcus ex Laura Palauicina.
Barbara.
Caſſandra.
Rodulphus.
Ferrantes.
Horatius.
Alphonſus.
Hippolyta.
Gulielmus.
Galeatius.
Rodulphus ex Iſabella Gonzaga.
Maximilianus ex Catherina Columna.
Iſabella Monial.
Angela Monial.
B. Ludouicus Ieſuita.
Rodulphus ex Elena Aliprāda.
Carolus.
Iſabella.
Franciſcus ex Bibiana Pernestain
Ferrantes.
Chriſtiernus ex Marcella Malaſpina.
Didacus.
Catharina vx. C. Triultij.
Antonius.
Iulius.
Rodolphus.
Caſar.
Vittoria.
Septimius.
Leonora.
Fabritius.
Horatius.
Ludouicus ex Diana Puerona
M. Antonius Eps Caſulen.
Proſper ex Iſabella Gonzaga.
Iſabella vxor C. Tiene.
Leonora vx. P. Emilij Martinengi.
Polixena.
Marin.
Ludouicus Antonius.
Ludouicus
Ferdinandus.
Aloyſia.
Marta.
Ioāna.
Carolus.
...
Iſabella.
Barbara
Camillus.
Margarita.
Lucretia.
Rodolphus.
Sextilia.
Federicus ex Siluia Colalta.
Anna.
Franciſcus.
Barbara
Maria.
Iulia vx. Rob. Auogadri.
Maximilianus.
Galeatius.
Federicus ex Iſabella Gonzaga.
Vincentius.
Ludouicus.
Io. Franciſc.⁹ hoc nomine tres filij
Leonora
Catherina.
Io. Baptiſta Albertus.
Federicus.
Iſabella vx. Federici Gōzaga.
Leonora.
Iulia.
Ludouicus.
Franciſcus Maria.
Ferdinandus.
Siluia.

IO. FRANCISCVS
Filius ſecundogenitus Ludouici ſecundi March: Mantuæ ex Antonia de Balzeo, quæ fuit ſoror Reginæ Neapolis.


- Ludouicus ex Fräciſca Fliſca.
  - Ludouicus Dux Traiecti ex Iſabella Coluna.
    - Veſpaſianus Dux Sabionetę. Prima ux. Diana Cardines. Secūda ux. Anna Aragonia. Tertia ux. Margarita Gōzaga. ex hac
      - Ludouicus.
      - Iſabella ux. Principis Stiliani.
    - Nicolaus. N.
  - Iſabella Monial.
  - Paula ux. C. Fötanellę.
  - PIRRVS CAR.
  - Io Franciſcus ex Iuſia Palauicina.
    - Tiberius.
    - Lucretia.
    - Elena.
  - Hippolyta ux. Galeatij Tuc.
  - Iulia uxor Veſpaſiani Columna.
  - Leonora ux. Hieronymi Martinergi.
  - Caterina.
  - Alphōſus.
  - Carolus.
  - Cagninus.
- Barbara uxor C. Caiaty.
- Federicus uxor Io. Urſina.
- Dorothea ux. March. Bitonti.
- Ioanna.
- Suſanna uxor C. Clinasij.
- Camilla ux. C. Tripalda.
- Leonora ux. C. Vimbergi.
- Pirrhus ux. Camilla Bentiuolia.
  - Cornelia.
  - Iſabella ux. Rodolphi Gōzaga.
  - Carolus ux. Emilia Gonzaga.
    - Camilla uxor C. Piombini.
    - Iulia Ceſares duo.
    - SCIPIO CAR.
    - Pirrhus.
    - Annibal mox Franciſcus Eps Mant.
    - Ferrantes ux. Iſabella Conzaga.
      - Alphonſus.
      - Carolus.
      - Aluyſius.
      - Scipio.
      - Camillus.
      - Annibal.
      - Angela Iſabella Monial.
    - Polixena ux. Ferrantis de Rubeis.
    - Alphōſus.
    - Emilia Monial.
  - Lucretia ux. Pauli Mōſtori.
  - Federic° ux. Lucretia Inciſa.
    - Carolus.
    - Camilla.
  - Camilla.
  - Hippolyta.
- Franciſcus.
- Antonia ux. Equit. Vicecomitis.
- Phœbus. N.
  - Horatius.
  - Hippolytus.
  - Hercules.


FEDERICVS
Marchio Mant. III.
ex Margarita Bauara.
Ioannes vx. Laura Bentiuolia.
SIGISMVNDVS CAR.
FRANCISCVS. Vide Pag. 12.
Clara vxor D. Borbonij.
Iſabella vxor D. Vrbini.
Magdalena vxor Io. Sfortia Piſauri Domini.
Geneura.
Galeatius.
Camilla vxor Co. S. Secundi.
Sigiſmundus vxor Antonia Talauticina.
Franciſcus.
Alexander vx. Hippolyta Sfortia.
Federicus Abbas.
Laura Vxor Io. Iacobi Triuultij.
Sigiſmundus ex Lauinia Ragona.
Maximilianus vx. Portia Gonzaga.
Fuluius.
Franciſcus.
Argentina.
Martius.
Iorcarus ex Camilla Tonzona.
Guido Sfortia vx. Elena Campilia.
Carolus vx. Olimpia Ferreria.
Margarita.
Ferdinandus.
Guido.
Marcus.
Anna.
Laura.
Hippolytus.
Hercules.
Hippolyta.
Alexander.
Fœlix Catherina Monial.
Nicolaus.
Ferdinandus
....
Petrus Maria ex Franciſca Gonzaga.
Sigiſmunda Monial.
Camilla vx. Com. Fabij Scotti.
Anna Catherina.
Barbara.
Maria.
Franciſcus.
Io. Sigiſmundus.
Elena.
Tullius.
Guido.
Sfortia.
.....

C 2

- **FRANCISCVS** Marchio Mantuæ IIII. ex Iſabellà Eſtenſi.
  - **HERCVLES** CAR.
    - Iſabella vx. C. Maſſei.
    - Camillus.
    - Anna Monial.
  - Hippolita Monial.
  - Paula Monial.
  - Eleonora vx. Ducis Vrbini
  - **FEDERICVS** Dux Mantuæ I. & March. Monferrati ex Margarita Palæologa
    - **GVLIELMVS** Dux Mantuæ III. & Dux primus Monferrati, ex Eleonora Auſtriaca
      - Margarita vx. D. Ferrariæ.
      - **VINCENTIVS** Dux Mant. IIII. & Monferrati ſecundus, ex Eleonora Medicea.
        - Vincentius.
        - **FERDINANDVS** Primùm CARD. mox Dux Mant. VI. & Monferrati IIII. Ex ....
        - **FRANCISCVS** Dux Mantuæ V. & Monferrati III. ex Margarità Sabaudiâ.
          - Maria.
          - **LVDOVICVS** Moritur biennis.
          - Eleonora orta occidit.
        - Margarita vx. Ducis Lorenæ.
        - Gulielmus.
        - Eleonora.
      - Anna Catherina vx. Archiducis Tiroli. ex qua Anna Imperatrix.
    - **FRANCISCVS.** Dux Mant. II. & Monferrati March. ex Catherina Auſtriaca liberos non ſuſcipit. Decedit. eiq; ſuccedit Gulielmus frater.
    - **LVDOVICVS** Dux Niuers, ex Henrietta de Cleues.
      - Catherina vx. Ducis Lōgauillę.
      - Henrietta vx. Ducis Vmenæ.
      - Carolus vx. Catherina de Lorena.
        - Maria.
        - Franciſcus.
        - Ludouicus.
        - Margarita.
    - **FEDERICVS** CARD.
      - Iſabella. N.
    - Alexander N.
      - Fabius. N.
      - Alexander. N.
    - Emilia N. plerisq;.
  - Margarita.
  - Ferrantes. Pag. 13.
  - Theodora.

Pag. 13.


FRANCISCVS
Marchio Mantuæ IIII.
ex Iſabellà Eſtenſi.
Eleonora uxor Duc. Vrbini.
HERCVLES CARD.
FEDERICVS Vide Pag. 12.
Ferrantes Dux Molfettę Ariani, & Guaſtallę Princeps. ex Iſabella de Capua
Hippolyta Monial.
Paula Monial.
Margarita.
Theodora.
Antonia.
Hippolyta uxor Duc. Mōdragoni
Cæſar ex Camilla Borromęa.
FRANCISCVS CARD.
Andreas.
IO. VINCENTIVS CARD.
Hercules ux. Catherina Cardines
Octaui° uxores.
Philippus.
Hieronyma.
Maria.
Liuia N.
Iſabella Corregia.
Cæcilia Medicea.
Ferrantes ex Victoria Doria.
Margarita uxor Veſpaſiani Ducis Sabionetę.
Hercules ex Franciſca Guerreria.
Ferrantes.
Io. Octauius.
Victoria.
Artemiſia.
Carolus.
Philippus.
Andreas.
Frāciſcus.
Zenobia.
Cæſar uxor Iſabella Vrſina.
Camilla hoc nomine quatuor.
Cæſar hoc nomine duo.
Io. Andreas.
Ioannes.
Iſabella.
Vincētius.
Octauius.

Errata præcipua ſic corrige.

Pagina 12.linea 21. conſonant, *lege*, conſonat.
Ibidem pag. & lin. nobis, nos.
Pag.46. lin.31. extruxit, extructum.
109. 24. viſcere, viſere.
203. 21. neſci, neſcij.
309. 22. Aui, Patris.
358. 37. pauenti, pauentis.
375. 20. Guidone, Guidoni.
394. 2. Fabij, Federici.
401. 25. vſui, vſu.
433. 10. Eſtenſi, Ariminenſi.
415. 8. Ludouici, Sigiſmundi.
437. 23. Io. Franciſci, Franciſci.
502. 7. Venceslaus, Ladislaus.
512. 4. ſocijs, ſocij.
559. 24. facilem, facilè.
594. 18. fuerat, fuerant.
598. 25. Ioanni Antonio, Ioannis Antonij.
600. 2. Alterum, Octauum.
614. 12. Bianca, Bona.
637. 35. Iſabella, Iſabetta. Similiter in Genealogia.
641. 13. hoſtâ, haſtâ.
659. 31. nummûm, *adde*, millia.
680. 6. Oſtentatà, oſtentatam.
683. 24. Ioanio, Ionio.
701. 7. mitantem, nutantem.
703. 30. audebat, audiebat.
713. 20. ignoſcimur, ignoſcimus.
715. 3. coniunx, coniugis.
757. 26. Silla, Sillam.
767. 29. Paulum, Pium.
773. 9. Maronis, Naſonis.
775. 16. tutelaturi, toleraturi.
779. 22. ſubterfuere, ſubterfugere.
806. 38. Ceſaleniam, Ceſaludium.
826. 20. Princeps, Principes.
830. 18. experimendæ, exprimendæ.
In Genealogia pag.2. inter filios Federici Ducis, adde, Iſabellam vxorem Marchionis Peſcariæ.
In eâdem Genealogia pag.9. lin.4. Leonora, Laura.
Item pag. 12. inter filios Vincentij Ducis, adde, Siluium N.

Quod incuriæ reliquum benignus Lector Typographo condonabit.

INDEX
IN VNIVERSVM
OPVS.

A

ADHELBERTVS Gonzaga Marchio Mantuæ tertius. Gerardo, & Corrado patruelibus partem bonorum concedit. 42. Eius piæ actiones. 46.

Adriani Papę cum Federico Imperatore ſimultates, & pax. 121. 122.

Aegidius Cardinalis Papę legatus in Italia. 316. Gonzagos, Eſtenſes, & Carrarios fœdere in Vicecomites ſecum ligat. 345. Eius mors 355.

Agimundus Gonzingus Scandianorum Rex, Polonię reſidet. Eiuſdem exordia laudabilia, poſtrema incurioſa. A Bulgaris inuaſus, occumbit. 11.

Agionus, & Iborus Gonzingi. Vide, Gonzingi fratres.

Agnellorum claritudo. 156. In cæde Paſſerini. 248. Claudij Agnelli oratio in Senatu, conſulentis, Aloyſio Gonzagæ principatū deferti. 256. Camillus Philippinum admonet de inſidijs Bonacolſorum. 242. Paulinus. 244. Secundotti Agnelli clarū facinus. 363. Paulus Agnellus legatus ad Bernaboum Vicecomitem. 409. Lepidus, & Alphonſus. 410. Ioannes Agnellus ad Imperatorem miſſus. 450. Clarus Agnellus. 455. Iulius Gallos ad Nouariam ſundit. 673. Inter Agnellos, & Caprianos, tumultus. 626.

Albricij. Claudius. 506.

Albericus Comes, Vicecomitis dux, Florētiam obſidet. 472.

Albertus Gonzaga Corradi conſanguineus, Hiporediæ Eps, inter Gulielmum Monſerrati Marchionem, & adiacentes ciuitates iuſſu Gregorij X. pacem interponit. Conſtantinopolim mittitur. 189. Cardinalis creditur. 190.

Albertus Sauiola Paſſerinum enſe tranſuerberat. 248.

Alberti Imperatoris priuilegia Gonzagis conceſſa. 562.

Alda Eſtenſis, Ludouici coniux. 359. Eius mors, & laudes. 412.

Alexandriæ extructio, ab Alexandro tertio Pontifice ſic dicta. 129. Ab Imperatore Federico oppugnata. ibidem.

Alexander ſecundus Pontifex. 74. A Cæſare & Candolo Antipapa metuens, à Mathilda ſtrenuè propugnatur. 75. Coacto Mantuę Concilio, eidem Pontificatus adiudicatur. 76.

Alexander tertius Federicum Ænobarbum excommunicat, & in Gallias ſe confert. 123. Romam redit. 127. Fugit in Calabriam. 128. A Venetis adiutus. Federico concordat, & in Vrbem redit. 131.

Alexander ſextus. 653.

Alexander Parmenſis Dux moritur. 804.

Aliprandi. Claudij aſtus, & ingens animus pro

Gonzagis. 304. Ioannes cauſam Guidonis Gonzagæ promouet in Senatu. 332. Antonius. 413. Bonamontus ad Gregorium XI. legatur à Franciſco Gonzaga. Laudatur. 416. Camilli ducis fortitudo, & prudentia. 488. 495.

Aloyſij Gonzagæ ad Henricum ſeptimum oratio. 216. A Carolo Andreaſio hortatur, vt curam rei vrbanę ſuſcipiat. 227. Poteſtas. 228. Cæſaris gratiam ſibi parat. 229. Eius filiorum virtus. 230. Vtroſq; ad Pontificem, & ad Imperatorem mittit, recipitq; Oppidum Gonzagam. 231. A Monaſterio D. Benedicti de quibuſdam agris inueſtitur. Inueſtituræ forma. 232. Conſpitat in Paſſarinum. 235. Qui tandem occiditur. 245. Eius oratio in Senatu. 249. Pro Aloyſio Mantuanorum decreta. 251. Capitaneus Mantuæ ſenatusconſulto creatur. Decreti forma. 258. Aloyſij modeſtia. Orat iterum in Senatu. 259. Mantuæ imperium integrum à Senatu recipit. 260. A Laurentio Doneſmonto quid Scaliger aduerſus Mantuam machinaretur, admonitus. 261. Ludouicum Cæſarem inuiſit, & ius Mantuæ petit. Ad eum Imperatoris literæ. 263. Ab eodem Capitaneus, & Imperij Vicarius dicitur. Diplomatis forma. 264. Cum eo pacem ſtabilire cupit Scaliger. 266. Eidem ſuppetias fert, & comes iungitur contra Vicentinos. Filijs munera vrbana partitur. Eorum diuerſi mores, & propenſiones. Ab Apoſtolica Sede Aloyſius Mantuæ, ac Regij dominium retinet. 267. Ludouico Imperatori auxilium fert. 272. Confirmationem feudi agrorum ad Gonzagam accipit. 275. Eius pietas, & munificentia. Eius filij, & nepotes. 278. In eum conſpirant Vicecomes, Scaliger, & Eſtenſis. 281. Eius oratio in Senatu. 282. Nubit ſecundò Malateſtæ, & ex ea qui filij ſuſcepti. Vtriuſque vxoris filiorum mutuæ æmulationes. 294. Eorum nuptiæ. 295. Cogitat bellum in Scaligeros. 296. Cæditur, ſed mox vlciſcitur. 297. Pepolis Bononienſibus auxilium mittit, aduerſus Romandiolæ Comitem. 298. Contra Scaligerum. 300. Fœdus init cum alijs in Vicecomitem. 301. Ex tertio eius coniugio filij. 307. Bernaboo conciliatur. Eius poſteros perpetuos, ac generales Imperij Vicarios dicit Carolus quartus, & multa alia concedit. Priuilegij forma. 322. Cultui ciuitatis intendit Aloyſius. 327. Venetis amicitia illigatur. Eius deficientis ad filios oratio. 328. Teſtamentum, & mors. 329.

Aloyſius Cardinalis Eſtenſis moritur. 789.

Aloyſius Gonzaga è Societate Ieſu, Vincentium Ducem fratri Marchioni conciliat. 796. Poſt mortem in Diuos relatus.

Alphonſus primus Neapolitanus Rex fato concedit. 598.

Alphonſus Gonzaga Caſtri Giuffredi Marchio à ſicarijs occiſus. 804.

Alphonſus Eſtenſis Ferrariæ Ducatum fruſtra in poſteros tranſmittere nititur. 821. Vita excedit. 822.

Andreæ Apoſtolo templũ erigitur, in quo Chriſti Sanguis ſeruatur, ſub Diui Benedicti Monachorum cura. 67. A Mathilda priuilegijs, apparatibus, & redditibus augetur. 77. Demolitum, & magnificentius à Ludouico Marchione inchoatum. 610. Monachis exactis clero addicitur. 611. A Duce Vincentio auctum choro, ſacrario, & Sacerdotum numero. 821.

Andreaſij. 357. Albertus paratas Bonifacio inſidias detegit. 57. Ripaltæ Comites. 120. Eorum poſſeſſio, & priuilegia ab Othone, & Federio ſecundis confirmata. 120. Familià numeroſi. 120. Ianibonus. 206. Ioannes à Paſſerino iugulatus. 228. Clarus. 244. Carolus Aloyſio Gonzagæ neceſſitudine coniunctus. 227. Eũ hortatur vt principatus dominationem capiat. 257. Andreaſij publicorum munium adminiſtri. 357. Iulius. 384. Camillus, Petrus, Nanus, Oleſinus, Fuluius comites Franciſci Gõzagę ſponſi Mediolanum. 410. Camillus curæ Franciſci deſtinatus. 413. Frãciſcus Andreaſius ad Concilium Conſtantienſe. 506. Paulus legatus ad Vicecomitem. 483. B. Oſanna ſanctitate inſignis, ſpiritum Chriſto reddit. 690.

Anna Gulielmi Ducis filia, Ferdinando Archiduci Auſtriaco Tyrolenſi copulata. 778. Grauiter ægrotat. 782.

Annibal Chieppius laudatus. 793. Cauſam Monferrati Romæ coram Pontifice tuetur. 805. Ducum Mantuæ à conſilijs, Comesq;. 843.

Annibal Ibertus Vincẽtij Ducis legatus in Hiſpania. 836. 839. Taurini. 840.

Annonæ pretia ſub Ludouico Marchione. 605.

Anſelmus Eps Lucenſis, & Cardinalis, in labo-

rum

rum partem à Mathilda vocatus. 76. Epiſcopatu ſe vult abdicare, & monaſtico inſtituto obſtringere, ſed non permittitur. 80. Mathildę conſulit, vt ſecundò nubat. 81.
Antianorum, & ſapiētum nomina anno 1370. 387.
Antonij Delphini Mantuæ ſindici fraus. 729.
Antonius Gonzaga à Scaligero perfidiæ inſimulatus, calumniam purgat. 360.
Antonij Grimani oratio in Senatu Veneto. 686.
Antonius Poſſeuinus è Societate Ieſu, à Gregorio tertiodecimo Pontifice in Septentrionem nuncius legatur, pacis medius inter Poloniæ, Sueciæq; Reges, ac Moſcouitam, & fidei causâ. 781.
Antonius Scaliger cogitat bellum in Mantuanos. 420. Eius fraus in Franciſcum Gonzagam detecta. 423.
Aquarum ſuſtentatio ad Gouernolum, quam Chiuſam vocant. 840.
Aragonenſium Regum Neapolitanorū ſeries. 690.
Arlotti. Federicus equeſtris militiæ dux in Cremonenſes. 210.
Arrigonum familia. 645.
Arces per Mantuanum. 156.
Arx Diui Georgij à Franciſco Gonzaga extructa. 451.
Arx Monferrati Vincentij Ducis opus. 799.
Arriuabeni. Claudius militia, & eloquentia clarus. 429. Ijs Medulphas Oppidum dono concedit Io: Franciſcus Gonzaga. 497.
Aſula à Vicecomite Franciſco Gonzagæ vendita, & alia oppida eidem pignori data, ab eodem Vicecomite occupantur. 447. A Caualcaboue ad Io: Franciſcum deficit. 507. Eandem Federicus Marchio recipit. 633. Amittit. 637.
Auctoris operis inſtitutum, & occaſio. 3.
Auocatorum, & Agnellorum ſimultates. 176.
Auocati Guidottum Mantuæ Epiſcopum occidunt. 177.
Aurelius Pomponatius ſummæ integritatis vir. 792. D. Barbaræ Abbas. 793.
Azo Eſtenſis belli dux in Ezellinum, Patauium capit: Mantuam obſidione liberat. 180. Ezellinum ſuperat. 181. Pacis inter Mantuanos, ac Veronenſes arbiter. 182.

B

BAiazetti Turcarum Imperatoris literæ ad Franciſcum ſecundū Marchionem. 660.
Barbara Brandeburga Ludouico Io. Franciſci filio nupta. 541.
Bartholomæus Coleonus ad Ludouicum Mantuæ Marchionem confugit. 591.
Bartholomæi de Solutio Franciſcani Mantuam aduentus, & exitus. 831.
Bartholus Saxoferratenſis. 343.
Beccaguti. Camillus Guidonem admonet conſpirationis Franciſci, & Ludouici in Vgolinum. 349. Aloyſius in oblidione Nouariæ. 673.
Beatricis Mathildæ matris prudentia, & res geſtæ. 70. Lucæ moritur. 71.
Bello cur olim potentiores Principes. 634.
Bellum inter Neapolitanum Regem Ferdinandum, ac Innocentium Pontificem. 646.
Bellum Pannonium malè ob ducū diſcordiam tractatur. 814.
Bernabous Vicecomes Gouernolo proditione potitur. 303. Venationis ſtudio nimis ſæuus, ferarum infectatores immanè caſtigat. 405. Eius ſæuitiæ exempla atrocia. 406. Ludouicum Gonzagam ad venationis ſtudium hortatur. 406.
Bombardæ inuentio. 451.
Bonacolſi. Eorum cum Gonzagis ſimultates. 121. In Pontificem contumaces. 132. Gonzagos accuſant. 183. Pinamontus, & Ottonellus de Zanacallis primi Mantuæ Capitanei. 192. Pinamontus collegam occidit. 201. Eius aſtus ad tegendum flagitium. Dominationi aſpirat, & vigilantem ſe pro republica præſtat. 202. In eum coniuratio ab Agnellis, Groſſolanis, & Arlottis, à Ioanne Leonello detecta. 203. In conſcios ſæuit. 204. Gonzagis ſibi ſuſpectis Gonzagam fraude adimit. 205. Tyrannum agit. Moritur. 206. Bardellonus Bonacolſus ſuccedit, iners & ſæuus. 207. A Botticella Bonacollò ciuitate exigitur. 207. Botticella ad Capitaneatum aſſumptus. Aedificijs patriam, beneficijsq; ornat. 208. Eius aſtus in Gonzagos. 209. Cum Eſtenſi ſimultates. 209. Franciſcum Azij fratrem adiuuat aduerſus Azium. 209. Paſſerinum fratrem ſuſpectum habet. 211. Gonzagos timet. 211. 212. Eius mors. 214. Paſſerinus eligitur. 215. Gonzagos odit, & metuit, Gonzagamq; ipſis ereptam milite, & filio munit. 215. Eius artes. 218. Contra Ferrarienſes machinatur, obſtrepente Senatu, & exitu inhonoro. 218. Eius cum Aloyſio Gonzaga

zaga ſermo. 219. Vitellianam Cremonenſe oppidum occupat. Gilbertum Parmá exigit. 220. In Cremonenſes. 221. Fœdus icit cum alijs tyrannis. 222. Mutinam à Mirandulano emit. 223. Ludouico ob partum Imperium gratulatur. 224. Ab eodem quæ poſſidet ei conceduntur. 228 Nobiles Mantuanos Cæſarem pro libertate appellantes iugulat. 225. Eius filius cum duabus equitum alis apud Imperatorem Ludouicum. 226. Proferendo imperio intẽtus, rem vrbanam negligit. 227. Aloyſij Gonzagæ filiorum virtuti inuidet, & à Cane Scaligero metuit. 230. Europæ Principes in eum ſtimulat. 235. Aſtu Philippinum Gonzagam rebus arduis exponit. 236. Franceſchini eius filij temeritate, Mantuani à Bononienſibus cęduntur. 237. Philippini Gonzagæ, & Franceſchini diſcordiarum occaſio. 237. Eorum contentio. 241. Franceſchinus Gõzagos proditione excindere nititur, ſed detegitur. 242. Paſſerinus excommunicatus. 242. Pertinax. 243. Ab Imperatore fiſci iura obtinet. 243. Concitatæ in eum ſeditionis narratio. 246. Cædes. Eius filij captiui. Eius geſta. 248. Filij quomodo habiti. 250. Eius coniux ab Aloyſio Gonzaga Ferrariam remittitur. 253. Bonacolſi omnes Comiti Mirandulano traditi. Eorum mors. 255. Bonacolſi à Senatu hoſtes Patriæ proclamati. 258.

Bonifacius Marchio quintus Mantuæ, in quem grauis ſeditio. 56. Detegitur. 57. Rebellium alij fugiunt, alij pœnas dant. 58. Veronẽſibus bellum infert, eoſq; cædit, quòd Philippum Auogadrum rebellium ducem dedere abnuerint. 59. Beatricem Henrici Imperatoris filiam vxorem ducit, quibuſdam ciuitatibus in dotem aſſignatis. 60. Cum Auſtriaco Duce in Veronenſes rebelles ſæuit. 64. Eius mors. 69.

Bonifacius nonus Pontifex. 444.

Bonifacius Mõferrati Marchio decedit. 728.

Borbonius Dux Claræ Gonzagæ filius. 627. Romam. 720.

Bononienſes Mantuanas villas incendunt. 236 Mutinam capiunt. 237. A Franciſco Gõzaga Vicecomitis exercitus duce cæſi. 467. Eidem ſe dedunt. 468.

Bozolum ſe Io. Franciſco Gonzagæ tradit. 494.

Brixiani, Veronenſibus contra Mantuanos auxilium ferre renuunt. 63. Mantuanorum ſocij contra Cremonenſes. 111. Qui eorũ præcipuè auxilio vincuntur. 113. Inſolito terræmotu concuſſi anno 1224. Mantuani opem offerunt. 163. Eorum ars, ne ab Ezellino malè habeantur. 181. Ciuitas à Iacobo Caualcaboue capta. 221. A Scaligero. 421. Brixiani exules auxilio Mantuanis. 287. Sub Luchino Vicecomite. 293. Sub Malateſta. 497.

Buccamaiores. In cæde Paſſerini. 248. Iulius militiæ dux. 447. 506. Pauli oratio. 491.

Burgofortum à Mediolanẽſibus obſeſſum. 455.

C

CÆSAR Aucutus mantuanus Mediolani Poteſtas, Mediolanenſium factiones ſopit. 165.

Cæſar Eſtenſis Mutinæ, ac Regij Dux, Ferrariã Pontifici cædit. 822.

Caffini. Iulius Comes factus à Vincentio Duce. 794.

Callixtus ſecundus Henrico quinto Imperatori ad pœnitentiam reducto veniam dat. 105. Burdinum Antipapam intra monaſterium degere cogit. 105.

Candidatorum exercitus diſſolutus. 472.

Candoli Parmenſis ſchiſma aduerſus Alexandrum ſecundum. 73.

Canoſſæ oppidum Henrici Imperatoris erga Pontificem ſubmiſſione nobilitatum. 80.

Canoſſi. Galeatius Marchio. 832.

Capilupi. Guido. 413. Iulij legatio ad Carolum Quintum pro Federico Duce. 720.

Cappi. Albertus. 465.

Capriani. 357. Fabius Vgolinam Gõzagam admonet, ne Eſtenſi fidat opem ferenti. 313. Guido Ludouicum Gonzagam Mantuæ Capitaneum à Senatu dici curat. 383. Octauius Romam legatus Frãciſci mittitur. 452. Iulius legatus ad Venceslaum. 475. Carolus. 506. Inter Caprianos, & Agnellos tumultus. 626.

Cariſſimus Gonzaga à Cæſare diſſidijs Mediolanenſium tollendis iudex delegatur. 165. Annales Parmenſes magnum pacis virum, & legum peritia celebrem teſtantur. 165.

Carolus quartus Imperator. 271. A Philippo Galliarum Rege adiutus. 271. Eius cum Odoardo Angliæ Rege certamen. 272. In Italiam. 320. Gonzagos inter & Bernaboũ pacem firmat. 322. Mediolani coronæ cauſa. Romæ coronatur. 327. Mantuæ

Digitized by Google

tuæ Chriſti Sanguinem viſitat, brachium quoq; D. Longini ſecum in Boëmiam aſportat: & ſua Inſignia Gonzagis concedit. 327. Pragæ celebre Gymnaſium inſtituit. 355. In Cremonenſes ſæuit, item Vicentinum agrum excindit. 366. Vicecomiti, & Scaligero ignoſcit. 368. Sanguinis Chriſti partem Mantuâ Pragam defert. 369. Etruria diſcordijs agitatâ. Romæ, mox in Boemia. 371. Pecuniam poſcit à Guidone Gonzaga. 376. Venceslaum filium Regem Romanorum dici procurat, plurium Imperij ciuitatum largitione Electoribus in votum tractis. 377. Eius bulla de modo dicendorum Cæſarum. 401. Mors. 412. Funebres eius pompæ Mantuæ celebrantur. 412.

Carolus Quintus Imperator. 706. Federico Duci fauet. 710. In Italiam. 725. Bononiæ coronatur. 727. Mantuam venit. Federicum Ducem dicit. 728. Romæ coràm Pontifice grauiter de Gallis expoſtulat. 733. In Pedemontanam aduerſus eoſdem. Eius ſententia ſuper Monferrato. 734. Canneti Gonzagorum priuilegia firmat. 742. Catherinam neptim Franciſco Duci deſpondet. 743. Regna filio cedit. 754. Moritur. 757.

Carolus octauus Galliarum Rex Annam Ducis Britanniæ filiam rapit. 652. Eius in regno Neapolitano ius. 655. Venetos ſibi fœdere iungi tentat. 657. In Italiam deſcendit. Io. Galeatium Papiæ inuiſit. 658. Neapolitano Regno potitur. 660. Rodulphum Gonzagam conſulit. In agro Parmenſi. 663. Pugnat ad Tarum, & tandem licèt ægrè euadit. 665. Moritur. 685.

Carolus Malateſta militiæ Mantuanæ ductor. 454. Periculum euadit. 455. Egregius pugnator. 457. Io. Franciſci Gonzagæ tutor. 483. Virgilij ſtatuam Pado mergit. 486. Mediolani gubernator. 492. Redit ad ſuos. 494.

Carolus Sabaudiæ Dux Geneuam fruſtra tentat. 798. Extrema Galliæ inuadit. 803. Monſerrati cauſam coram Clemente octauo inaniter agit. 805. Margaritam filiam Franciſco Ducis Vincentij filio nuptui tradit 840. Ambos Taurinum acceſſit. 841.

Carolus Bononienſis ſupplicio affectus. 738.

Carolus Gonzaga Ludouici Marchionis frater, à patre Venetis copijs præponitur. 542. Ab ijſdem deſertus capitur. 557. Pro Mediolanenſibus. 576. A fratre rebellis declaratur. 577. Ignauus. 580. Mediolanenſe imperium ambit. 585. A Sfortia Dertonâ donatur. 586. Eandem amittit. 588. Mantuanum infeſtat. 593. Captus effugere nititur. 594.

Caſale Monferrati à Gallis occupatur. 751. Arx an ſtatuenda diſceptatur. 799.

Caſalenſium quorundam in Gulielmum Ducē coniuratio detecta. 765.

Caſtelbarci. Ioannes quadringentorum equitum, & peditum trium millium dux, contra Candolum Antipapam, & Gibertum, à Mathilda mittitur. 74. Iulij prudentia. 121. Gonzagorum conſanguinei. 142. 225. Ezellini quoq;. 163. Gonzagos tuentur. 184. 350. Caſtelbarcus Aloyſij Gonzagę gener, Philippinum in Bonacolſos ſtimulat. 242. In cæde Paſſerini. 248. Ciues à Scaligero metuentes animat. 261. Ludouicus Burgoforto obſeſſo erumpit, ac Mediolanenſes cædit. 364. Iulius. 410. Franciſchinus, & Caſtelbarcus. 459. Claudius militum ductor. 490.

Caſtilionum familia. 617.

Caſtrum Giuffredi Vincentio Duci ſe dat. 805.

Caſtellum D. Georgij à Io. Franciſco Marchione extructum. 510.

Cathedrale templum Mantuę ab Hercule Cardinali refectum. 743. Eius incendiū. 744. A Franciſco Gonzaga Epiſcopo auctum, & exornatum. 807.

Catanei. Federicus Primicerius. 792. Valerianus, Gulielmus, & Alexander Comites Ponzani. 831. Valerianus item Marchio Morani. 851.

Cenſus Mantuanus ſub Ludouico. 322. ſub Marchione Franciſco. 641.

Claudij Calotoſi facinus. 157.

Claudius Gonzaga legatus ad Pontificem. 852.

Clemens ſecundus. 68.

Clemens tertius. 134. Principes Chriſtianos hortatur ad ferendum auxilium cladi Hieroſolymitanæ. 135.

Clemens ſextus Ludouico Imperatori diſcors. 267. Cōditiones pacis inter vtrumque. 268. Moguntini Archiepī pro Imperatore, & Pragenſis pro Papa altercationes. 269. Annū Iubilęum ad quinquageſimum redigit. 283. Bononiam Io. Vicecomiti confirmat, tributo impoſito. 299.

Clemens ſeptimus. 717. Carolum V. ſuſpectum habet. 718. Bononiæ eum coronat.

nat. 727. Carolum ad pacem trahere conatur. 741.
Clemens octauus. 804. Receptâ Ferrariâ, eò contendit. Vincentium Ducem recipit. Et Reginam Hiſpaniæ. 823.
Concilium Conſtantienſe. 503.
Concilium Florentinum. 549.
Concilium Tridentinum, cui Hercules Gonzaga præſidet. 759.
Conſtantinopolitanus Imperator auxilium à Chriſtianis contra Turcas implurat. 462.
Corbellinus Gonzaga. 136.
Corradus Imperator Mantuæ. 49.
Corradus contra Turcas in Aſia. 114. Re infecta redit, ob Græci Imperatoris perfidiam. 115.
Corradus, & Gerardus Protherij Gonzagæ filij, ab Adhelberto eorum patruele ſeponuntur. 42.
Chryſoloras Bizãtius græcarum litterarum nouator. 477.
Cremona Caualcabouis. 507.
Cremi patritio genere. 407. Anſelmus. 410 Flauius. 452.
Cremonenſium cum Mantuanis pugna causâ fluminis Olij. 110. Lodienſes auxilio ſibi aduocant. 111. Item Romanos, ſed fruſtra. 112. Mantuanos inuadunt, at citò vltionem ſentiunt. 210. Inter vtroſq; tumultus. 411.
Crucis ſacellum à Franciſco Gonzaga extructũ. 450.
Cynocephali qui. 9.
Cypri Rex Mantuæ. 372.

D

DACIÆ Rex, Mantuam. 611.
Danneſij. 357. Ioannini oratio. 492. Paulus. 453. Simon, & Innocentius. 410.
Dantes Aldigerius poeta celebris. 214.
Dorothea Gonzaga Galeatio Sfortiæ deſpondetur. 590. Mediolanum deducitur. 606. Marito inuiſa, qui eam veneno necat. 609.
Doſolũ, & Gazolũ Gulielmus Dux recipit. 769.
Doneſmonti. Andreas. 410.

E

ECCLESIA biennio Pontifice vacat. 224.
Edoardi Anglorum Regis victoria de Gallis, & magnitudo animi. 342.
Eleonora Auſtriaca Gulielmi Ducis coniux. 759. Moritur ſanctimoniâ laudata. 806.
Eleonora Medices Vincentio Duci nupta. 782. Iuſtitiam, & annonam curat. 825. Sororem Mariam in Gallias comitatur. 826. Moritur. 843.
Eleonora Vincentij Ducis filia. 852.
Europæ ſtatus anno 1275. 195. Anno 1370. 330.
Exules in Romano agro profligantur. 793.
Ezellini potentia. 178. Mantuam ambit. 176. Eius epiſtola ad Mantuanos. 179. Numiſmatis eius forma. 179. Agros Mãtuanos vaſtat. 179. 181. Eius finis. 181.

F

FACCIPECORI Prothonobiliſſimi Paueſij. Antonellus quadringentis equitibus imperat aduerſus Carolum Ludouici Marchionis fratrem, ac rebellem. 593. Antonius Mantuæ Philippi Caroli V. filij, comes. 746. Iulius Cæſar Vincentium Ducem in funere publicè laudat. 844.
Facinus Canis. 488. Pugnat cum Mantuanis, & vincitur. 491. Moritur. 500.
Fames per Italiam. 803.
Familiæ antiquæ Nobilium Mantuanorum. 182. 256.
Familiæ principes, quibus è Gonzaga coniuges petitæ ſunt. 608.
Federicus Ænobarbus Imperator. 116. Mediolanum, Dertonam, Aſtium vaſtat. 118. Romæ coronatur ab Adriano, vbi multæ clades ſequutæ. 118. Mantuam delatus. 118. Ciues Mantuanos priuilegijs ornat. 118. Eius cum Papa ſimultates. 121. Pax ſequuta. 122. Mediolanenſes ſubigit. 122. Ab Alexãdro tertio excommunicatur. 123. A Mediolanenſibus cæditur. 123. Mediolanum excindit. 124. Eidem Itali rebellãt. Italiam irrumpit. 127. Romam inuadit. 128. Alexandriam oppugnat. 130. Henricum Saxoniæ Ducem debellat. Iterum in Italiam. Ad Mediolanum cæditur. 130. Concordat cum Alexandro Papa, Venetijs pace inita. 131. Reuertitur in Germaniam, & in filios Imperium partitur. Paci, rebusq; componendis, ac præcipuè Italiæ inſiſtit. 132. It Conſtãtinopolim, rebus Hieroſolymæ opem laturus. In Paleſtinam. Eius mors. 135.
Federicus II. Imperator. 155. Aquiſgrani coro-

coronatur. Comitatum Fundanum Pontifici gratitudinis ergò donat. 158. Mantuã venit. Romæ coronatur. In Papam ingratus, & peruicax. 159. Henricum filium Romanorum Regem dici iubet. Hieroſolymorum Regis filiam ducit, pacto eundi in Barbaros. 160. Voto ſe obſtringit orientali expeditioni. 158. A Gregorio primo voti admonitus, excommunicatur. 166. Cremonæ conuẽtum habet. 167. In oriẽtem proficiſcitur, at ſegnius, & ficte ſe habet. 168. Eccleſiæ ciuitates inuadit. Reſipiſcit. 169. Mantuanos indulto ornat. 170. Henricus filius ei inſidiatur. Regis Angliæ ſororem ducit vxorem. In Italiam. 171. 173. Mantuanum vaſtat. Et in vrbes pleraſq; Italiæ ſæuit. 171. Eius filij mors. Ducem Auſtriacum profligat. 173. Multas Italię Ciuitates vaſtat. 174. 177. Mediolanenſes aggreditur, & ſuperat. 174. Excommunicatur. 175. Parmenſes vexat, ſed ab iiſdem funditur: moriturq; anno 1250. 178.

Federici III. Imperatoris erga familiam Gonzagam ſtudia. 562. Priuilegia ab eodem conceſſa. 569. Italiam petit. 590. Ludouico Marchioni oppida Cremonenſia, & Brixiana concedit. 616. Franciſco Marchioni iura confirmat. 643. Eundem in Germaniam euocat. 646.

Federicus Miſnię dux Imperator ſalutatus à Germanis, renuit. 277. Aliud Imperij ſciſma, ſed ſuppreſſum. 284.

Federicus Ludouici Marchionis filius, Bauarã vxorem recuſat accipere. 601. Patriâ exulat. 602. Neapoli depræhenſus, Mãtuam reuocatur. 603. Eius dominationis initia. 618. Matrem de patris obitu ſolatur. 619. Io. Galeatij Ducis Mediolani tutor. 622. In Etruriam pro Florentinis. 623. Rixa eum inter & Eſtenſem. 623. Peruſinum agrum deuaſtat. 626. Claſſem Otruntum ſubſidio mittit. 628. Pro Eſtenſi aduerſus Venetos. 629. Dux exercitus Mediolanẽſis. 631. Agrum Veronenſem deuaſtat. 632. Aſolam recipit. Bergomum armis adoritur. 633. Fato concedit. 637.

Federicus primus Dux naſcitur. 688. Patri ſuccedit. Virtutes eius, ac vitia. 706. Ferrariam Eſtenſibus ſeruat, 707. Militaribus ludis delectatur. 708. Cauſæ diſceſſionis eius à Rege Gallo. 710. Capitaneus pro Leone X. 711. Parmam Pontifici capit. In Mediolanum. 714. Mantuã reuerſutus, Placentiam Eccleſiæ ſeruat. 715. Mediolanum pro Sfortia. 716. Papiã aduerſus Gallos tutatur. Generalis Capitaneus ſub Clemente VII. 717. Cõtra Cæſarem ſpecietenus, Gallis in regno Neapolitano fert auxilium. 723. It Genuam ad Carolum quintum. 725. Apud eundem ſeſe excuſat. 726. Carolus eo vtitur in Italia. 727. Dux creatur. Carolum pecunia iuuat. 728. Margaritam Paleologam vxorem ducit. 729. Mõferratum ex Caroli Quinti ſententia obtinet. 734. Moritur. 736.

Federicus Federici Ducis filius poſthumus. 737 Cardinalis. 765. Moritur. 767.

Federicus Gonzaga Bozoli dñs. 716.

Federicus Marchio Proſperi filius Redemptoris Eques. 852.

Federici Gazoli Marchionis mors. 768.

Feltrinus Gonzaga captiuus Veronę. 300. Liberatur. 301. Alienatur à fratribus. 307. Veronam ſecedit. Ciuium ea de re iudiciũ diuerſum. 309. Vgolino nepoti infenſus vindictæ ſtudet. 310. Mantuam redit, ſed à Patre negligi videtur. 310. Regium occupat, Rigo proditore. 311. Eius mors. 314. Eius filij Nuuolariæ tantùm domini. 358.

Ferdinandus Imperator. Gulielmo inueſtituram confirmat. 757.

Ferdinandi, Vincentij Ducis filij, natales. 788. Cardinalis. 839.

Ferraria Thedaldi Marchionis Mantuæ. 55. Sub Pontifice. 822.

Ferrantes Federici Ducis frater in Hiſpaniam. 741. Mediolani gubernator. 745. Parmam obſidet. 751. Monſerratum tuetur. Vocatur à Cæſare. 752. Carolo V. commendatus. 754. Bruxellis moritur. 756.

Ferrantes S. Martini dñs exercituum dux pro Imperatore apud Germanos. 806.

Flauius Gaffarus ab Obizo Eſtenſi corruptus Mantuæ rebellis. 186. Gonzagis aduerſus. 187. Eius coniuratio depræhenditur. ibidem.

Florentia Mediceę familiæ. 730.

Florentini Vicecomiti hoſtes. 445. Franciſcum Gonzagam à Vicecomite auertere conantur. 445. Piſanos debellant. 483.

Fœdus Chriſtianorum in Turcas. 769.

Fœdus Italorum Principum aduerſus Venetos. 631. Aſtu Venetorum diſiectum. 636.

Frãciſcus Ludouici filius Agnetem Bernabouis

Vice-

Vicecomitis filiã ducit vxorem. 410. Capitaneus Mantuæ quartus. 414. Venceſlai Imperatoris amicitiam quærit. 415. Ad Gregorium XI. legatum mittit Bonamõtem Aliprandum. 416. Cæſaris, ac Pontificis diſcordantium medius. Mittit ad Venetos, eorumq; amicitiam, ac fœdus acquirit. 417. Ad eum legati diuerſorum Principum. Regium ſibi reſtitui fruſtra procurat. A Vẽceſlao Vicarius Imperij Mantuæ, Regij, Mirandulæ dicitur. Alijs, atq; alijs priuilegijs ab eo ornatur. 418. Vicecomiti, & Carrario iũgitur in Scaligerum. 420. Caſtilionum, Canedolum, & Caſtellarum capit. 425. Iterum in Veronenſes, & ciuitatem capit. Eam Ioanni Vicecomiti ſeruat. 426. It Papiam ad eundem. Suis Inſignibus Draconem Vicecomitis addit. 428. Mantuam redit. 429. Vicecomitis filiam Gallorum Regis fratri nuptui traditam ducit in Galliã. 436. Forma electionis eius in Mantuæ Capitaneum. 437. Mantuæ Dominum ſe dicit. A Venetis D. Marci filius diplomate miſſo appellatur. 439. Eius coniux Agnes impudica. 440. Eam punit. 443. Aſolam à Vicecomite emit, & Hoſtiliam pignore accipit. 444. Cum alijs in Vicecomitem fœdus init. 446. Margaritam Malateſtam vxorem ducit, & Aldam filiã Carrario locat. 449. Eius, & fœderatorum induciæ cum Vicecomite. Domeſticis, & ciuilibus curis ſemper intentus. Viginti aureorum millia ad Cæſarem mittit. 450. Io. Galeatio Mediolani Duci nuper dicto cõgratulatur. 453. Pontifici charus. Vicecomitis feudatariũ fuiſſe, falſum. 459. Induciarum cum eodem, forma. 460. Diuo Auguſtino votum ſoluit. Triumphi. 461. Conſtantinopolitano Regi auxilium mittit in Turcas. 462. It Hieroſolymas ex voto. 463. A Venetis regia munificentia exceptus. 464. Exercituum Vicecomitis Capitaneus, pugnat cum Bononienſibus, & Florentinis, & vincit. 467. Bononiam recipit pro Vicecomite. It Papiam ad eundem. 468. Eſtenſi irarum conciliat. 470. Tutor filiorum Ioannis Galeatij. Marchio Mantuæ à Venceslao creatur. 475. Diploma eiuſdẽ. 476. Bonifacius Pontifex approbat. Gonzagorum aquilę olim flammãtibus alis. 477. A Roberto Imperatore priuilegijs Franciſcus ornatur. 478. Capitaneus Venetorum Veronam capit, Patauium, & Carrarios. 479. Eius laus. 480. Patritius Venetus. 481. Io. Mariæ Vicecomiti Pontificis legatum cõciliat. Caprianam reficit. Moritur. Laudatur. 484.

Franciſcus Federici Marchionis filius naſcitur. 604. Patri ſuccedit. Qualis. 638. Eius præclara initia. 639. ſubditi recenſiti. 641. Oratores ad Cæſarem mittit. 643. Peregrè proficiſcitur. 643. Equeſtri certamine cum Leone Sfortia Venetijs pugnat. 644. In Germaniam à Federico Cæſare vocatur. 646. Eius literæ ad Ludouicũ Sfortiam. 647. Veneti eius amicitiam optant. Imperatori auxilium mittit. 648. Iſabellã Eſtenſem coniugem ducit. Exercitus Venetorum Dux. 649. Eius dictum de Ludouico Sfortia. 654. Arces in agro Mantuano firmat. A Turca fratri Geme cum pecunia miſſos, ac ſpoliatos fouet, & ad ſua donatos remittit. 659. Baiazetti literæ ad eum. 660. Gubernator primum, dein Capitaneus generalis exercitus Veneti aduerſus Carolũ octauum. 662. 672. Cum eo ad Tarum pugnat. 665. Borbonium capit. 666. Nouariam obſidet. 672. Et recipit pro Sfortia. 674. A Venetis donatus. 675. Mantuam redit, deinde Venetias. 675. Venetis conſulit, Regi Neapolitano opem ferant. 676. & ferunt, ipſo Duce. 677. Eius cum Paulo Vitellio pugna, & victoria. Neapoli, Romam regreditur, vbi à Pontifice galea, & enſe donatur. 678. Venetis iniuſte ſuſpectus, ſe excuſat. 680. Florentini cum copijs ſuis Ducem poſtulant, ſed abnuit. 680. Imperatoris, ac Sfortiæ Capitaneus. 681. Huius militiam relinquit, & Mantuam redit. Ducis Veneti literæ ad eũ. 683. Diploma eiuſdem de benè ab eo nauata Reipub. opera. 684. Ludouicũ XII. Regem Galliæ Mediolani viſitat. Ab eodẽ equeſtri ordine inſignitus. 687. Ac ſtipẽdio donatus. 690. Mediolanẽſes profugos tuetur. In Gallia apud Regem ſe excuſat. 688. Pro Gallis Caietam obſidione liberat 691. Diſciplina eius militaris. 692. Annonam curat. 693. Eleonoram filiam Vrbino deſpondet. 694. Dux Pontificij exercitus. 695. Bononiam pro Eccleſia recipit. Pro Gallo in Genuenſes. 696. Caſalemaius pro eodem expugnat. 697. Aduerſus Venetos. 699. A Ludouico Maluezo capitur. 701. Liberatur. Generalis Dux Eccleſiaſtici exercitus. Et Veneti. 703.

Ægrotat. Poſtrema ad ſuos verba. 704. Moritur. Eius mores. 705. Ruſticus qui cum Venetis olim prodiderat, Mantuæ quomodo deprehenſus. 712.

Franciſcus Federici Ducis filius naſcitur. 730. Patri ſuccedit. 737. Eius ſtudia. 743. Ægrotat deſiderio ſponſæ Ferdinandi filiæ. 746. Eam ducit. Moritur. 747.

Franciſci Vincentij Ducis filij natiuitas. 787. Duci Sabaudio mirè in ſpeciem acceptus. 836. Nuptiæ inter ipſum, & Margaritam ipſius Ducis filiam. Gazoli infirmatur. 840. In Monſerratum, & Taorinum ad ſocerum. 841. Filium Ludouicum habet. 848. Patri ſuccedit, eiusq; ſtudia, ac dotes deſcribuntur. 844. 850. Eius in Monſerrato, viuente patre, regiminis modus. 847. A Medico de patris inſtãte obitu monetur. 849. Mantuæ morienti patri adeſt. 850. Dominationis eius initia, in faſtum prona. 851. Legatos ad varios Principes mittit. Redemptoris equeſtrum ordinem auget. 852. Deſcribit militem in Ducem Parmenſem. 856. Sabaudium ſuſpectum habet. Eius filij Ludouici mors. 854. Moritur extremo opetis.

Franciſcus Sfortia Venetorum dux delectus. 551. Veronam recuperat. In Mantuanos. 560. Philippo ſocero infenſus. 569. Piceno ſpoliatur. 570. Eius dubia conſilia. 572. Cremonam à Venetis repetit. 574. Socerum adiuuat. 575. Poſt eius mortẽ à Mediolanenſibus adſciſcitur. 576. Venetos apud Carauagium ſuperat. 578. Mantoanam ditionem populari tentat. 580. Cum Venetis pacem init. 582. Mediolano potitur. 587. Auerſus Venetis. 589. Moritur. 605.

Franciſcus II. Sfortia Dux Mediolani. 716. Moritur. 732.

Franciſcus Ludouici Marchionis filius Cardinalis. 602. Mantoæ Epiſcopus. 605. Moritur laudatus. 635.

Franciſcus Carmaniola Venetorum dux capite plectitur. 534.

Franciſcus Gallorum Rex propè Papiam capitur. 718. vita functus. 745.

Franciſci Etruriæ Ducis mors. 789.

Franciſcus Gonzaga Mãtuæ Eps religionis ſanctimonia celebris. 806. Seminarium clericorum erigit. 807. Permulta eius alia excellẽtis pietatis opera enumerantur. 807.

Furgæ. Iulius. 545.

G

GABRIEL Bertazzolus adæquatione Lacum Mantuæ tollit. 840.

Galeatius Sfortia Dux Mediolani, perditis moribus. 607. Dorotheam vxorem veneno necat. 609. Borgoforti exceptus. 612. Mediolani confoditur. 613.

Galeatius Gonzaga Franciſci conſanguineus cũ Bocicalo Gallorum duce pugnat, & vincit. 481. Io. Mariæ Vicecomitis dux. Eiuſdem geſta, & mors. 482.

Galli in Mediolanam ditionem irruunt. Pro Pontifice Paulo IV. 755. Eorum ius in Ducatum Mediolanenſem. In Regnum Neapolitanum. 685. Pedemontem inuadunt. 732. Caſalis arcem obtinent, & amittunt. 735. Iterum aggrediuntur. 753.

Gambara Gonzingorum mater, Scandiana. 6. moritur, & Iborus filius. 10.

Gattici. Camillus Senatus Præſes. 753.

Gattamellata Senatui Veneto perſuadet, vt Io. Franciſco Gonzagæ diffidat. 546. Eius imprudens conſiliũ. Exercitui Veneto præficitur. 548.

Gazij. Fabricius. 384.

Gazolum, ac Doſolum Gulielmo Duci acceſſerunt. 769.

Gazoli. Franciſchinus à Franciſco Gonzaga ad Venetos miſſus. 417.

Gelaſius ſecundus. 103.

Gerardus Gonzaga Procherij filius ad Imperatorem. 44. Pro Cæſare in Campaniæ prælio, vnde Barbari pulſi. 45. Romæ tumultuantes coercet. Cum Imperatore Pannonios debellat. Sueuum quoque ducem. 49.

Germanicus Sauorgnanus Caſalenſis Arcis inuentor. 799.

Gilbertus Rauennæ Eps Pontifex intruſus contra Gregorium VII. 84.

GONZAGÆ familiæ exordia è primis Longobardorum Ducibus. 3. 29. Scandianorum reliquiæ. 3.

Gonzingi fratres Agionus, & Iborus, Scandianis excedere patrijs ſedibus ſuadent. 6. Eorundem duces delecti. Pugnant cum Vandalis. Mauringiam inuadunt. 8. Aſſipetes ſibi obſtantes vincunt. 9. Nouas ſedes petunt populantur. 10. Agioni morituri ad ſuos exhortatio. 11.

Gonzagi apud Imperatorem Ottonem. 31. Vvalterius Gonzach primus Marchio Mantuæ. 32. Otbertus ſecundus. 36. Adhelber-

helbertus tertius. 42. Thedaldus quartus 50. Bonifacius quintus. 56. Beatrix, & poſtea Mathilda. 71.
Gonzagi hæreditate ſibi debita arcentur à Mathilda. 89. Supplices adeunt Mathildam, & repelluntur. 91. Rocham Teuinberti à Mathilda emerant. 92. Eorum cauſâ Mantuani Mathildæ rebellant, at comprimuntur. 93. Cotradus Henricum quītū Pontifici aduerſum non ſine ſuo damno corrigit. 101.
Gonzagi conſilio,& opibus Lotharium Imperatorem iuuant contra Corradum, & Federicū Imperium affectantes. 109. Apud Mantuanos, & Cæſarem accuſati, ſe purgant. Eorum æmulus Carlottus Bonacolſus. 116. Gonzagorum, & Bonacolſorum ſimultates. 121. Mantuanis vtiliter conſulunt. Marmiroli Federicum Ænobarbum excipiunt. 122. Apud Cæſarem accuſati negligentię. 132. Eorum progreſſus. Mantuam vocātur. Marmirolum emunt. 136. Iacomini Bonacolſi, & Corradini Gonzagæ diſcordiæ. 136. Gonzagi Marmirolum muniūt. 142. Sordellus, & Corradus Gonzaga Patauinos, & Mantuanos diſſidentes componunt. 144.
Gonzagi prudentes. 150. Proni in Saxones Imperatores. 155. Negligentię inſimulati, quòd Pontifice, & Imperatore diſſidentibus, neutrum iuuerint. 169. Senatus eis infenſus. 170. Eorum agri à Federico vaſtati. 175. Factionibus Mantuæ ſe ſubtrahunt. 176. Apud Mantuanos ſuſpecti, quòd turbarum, & vexationum tempore, ſecuri, & immunes agerent. 181. Turbas vitant, & domeſticis rebus intendunt. In Senatu accuſantur à Bonacolſis. 182. A Caſtelbarco defenſi. 184. Eorum bona ſubhaſtantur. 185. Tenibetti degunt, Mantuanosq; proditores nonnullos reijciunt. 188. In Vrbem redeunt, bonis augentur, & Marmirolum recuperant. 190.
Gonzagi Corradus, ac Federicus Antonij filij, agros ad Gonzagam in feudum à Monachis D. Benedicti recipiunt, anno 1287. 197. Alij item Gonzagi ab ijſdem Monachis, de Gonzaga, & alijs locis inueſtiti. 199.
Gōzagi ab Auſtriacis Principibus maieſtatē, & beneficia continuè trahere ſoliti. 200. Mātuam redeunt. 201. Ottonellum Zanacallū Bonacolſi collegam inſidias cauere monēt. 200. Bonacolſus eis Gonzagā adimit. 205. Eorundem cum Paſſerino diffidia. 218. Coniurant cum Scaligero in Paſſerinum. 235. Inter ipſos, & Bonacolſos Cæſius diſcordias ſerit. 239. Inſidias Franceſchini cauent. 242. Cum Scaligero conſultant de modo perdendi Bonacolſos. 245. Eorū inſignia. 246. Paſſerinum cædunt. 248. Apud Imperatorem ſeſe excuſant. 251.
Gonzagis Mantuam honorifici feudi nomine à Vicecomitibus conceſſam, falſum. 306. Inter eos, & Scaligerum de agri ad Hoſtiliam portione contentio. 310. Bonacolſorum bona eis donantur ab Imperatore. 325. Eis ſe Aſola tradit. 326. Sua eis inſignia concedit Carolus quartus. 327. Ludouico & Franciſco Guidonis filijs Vrbanus quartus admiſſi fratricidij veniam indulget. 354. Cęſar quoque: & dominationem confirmat. Patriæ ſtatui componendo incumbunt. 356. Clades mutuæ inter Gonzagos, Vicecomitem, & Scaligerum. 363. Ab Imperatore, Eſtenſi, & Pontificijs adiuti, Vicecomitem fugant. 366. Agrum Vicentinum excindunt. 367. Imperator pacem inter eos firmat. 368. Gonzagi à Carolo quarto priuilegijs ornati. 369. In eos odium Papæ concitare Vicecomes irritè conatur. Fędere iunguntur cum legato pōtificio. 378.
Gonzagi è Feltrini ſtirpe Nuuolariæ domini. 358. Ludouico reconciliari querunt, & obtinent. 402.
Gorni. Franciſcus dux belli in Scaligerum. 421 Eius conſtantia, & laus. 425. Paulus. 506.
Granatæ regnum ab infidelibus vindicatur. 652.
Græcorum errores aduerſus Catholicam fidem. 549.
Gregorius Septimus, Henricum quartum monet vt ſe emendet. 77. Illum excommunicat. A Cincio Romano nocte media natalis Seruatoris in carcerem rapitur. 78. A Mathilda liberatur. 79. Henrico reſipiſcenti obuius procedit, & indulget. 80. Relapſum iterum excōmunicat, & Imperij coronam Rodulpho Saxoniæ duci mittit. 82. Eius antipapa Gilbertus Rauennas. 84. Tertio Vrbis ab Henrico obſeſſę anno, Salernum ſe recipit, ibiq; moritur. 85.
Gregorius Pontifex, Federico Imperatori voti orientalis expeditionem, & rerum Eccleſiaſticarum redditionem præcipit. 165. Contumacem excommunicat. 166. Plura oppida Regni Neapolitani Eccleſiæ debita, recuperat. 169. Federico concordat. 170.

Mittit ad eundem legatos; ne quaſdam Italię ciuitates vaſtet. 173. Eundem iterum excommunicat. 175. Moritur. 176.

Gregorius vndecimus. 414.

Gregorius duodecimus. 487.

Gregorius tertiusdecimus. Gulielmo Duci amiciſſimus. 770. Moritur. 785.

Gregorius quartusdecimus auxilium in Gallias confœderatis Principibus mittit. 803.

Gregorius Carbonellus Dioceſatreę Epiſcopus, & S.Barbaræ Abbas, Ducum Mantuæ à conſilijs. 843.

Guelfi, & Gibellini; factionum exordia, & deſcriptio. 175. Italiæ exitioſa. 178.

Guerreria familia illuſtris. 692. Io. Baptiſta Comes. 794. Vincentius Montisbelli Marchio. 831.

Guido Gonzaga Sordello contrarius in Imperatorum diſceptatione. 149. Legatos mittit ad Imperatorem Othonem. Eiuſdem ad eundem oratio. 151. Eundem Marmirolli excipit. 152. Guidonis epiſtola ad Ciues de bonorum amiſſione conquerentis. 185.

Guidonis Feltrini filij grati mores. 312. Ægrè ferente patre, Regium Vicecomiti vẽdit, nec habet pretium. 314. Nuuolariam ſibi conceſſam ſecedit. 315.

Guido pater, & Vgolinus frater in Feltrini reliquias ſæuiunt: ſed hi à Vicecomite, & Eſtenſi defenduntur. 331.

Guidonis cauſam promouet Io. Aliprandus in Senatu, qui decreto reſpondet. 333. A Marino Venetorũ Duce, monarchiæ aſpirante, in partes vocatus, abnuit. 343. Auerſus Vicecomiti. 344. Ludouicum, & Franciſcum coram Senatu emancipat. 357. In eum Vicecomes, & Scaliger. Cæſaris auxilium orat. 358. Eius pietas, & miſeratio, etiam in hoſtes. 367. Noua conceſſione inueſtiri cum filijs petit ab Ep̃o Mantuæ, & à Monaſterio D.Benedicti. 372. Eius teſtamẽtum. 375. Pecuniam ingentem petenti Carolo quarto mittit. 376. Moritur anno 1369. 379. Eius coniux Verda Beccaria. Filia Beatrix Nicolao Eſtenſi locata. 380. Literis, ac poeſi deditus. 380.

Gulielmus Siciliæ Rex Pontifici contrarius, eidem reconciliatur. 121.

Gulielmus Federici Ducis filius, fratri in Ducatu ſuccedit. Adhortationem Patrui, vt dominationem in fratrem Ludouicum transferat, non admittit. 748. Eius in cognatam liberalitas, & lepidum dictum. 750. Caſale à Gallis ſpoliatur. 753. Eius prudentia inter Monſerrati turbas. 756. In integrũ reſtituitur. 758. Eleonoram Auſtriacam vxorem ducit. 759. Pecuniam vtili conſilio congerit. 760. Templum D.Barbarę extruit. 761. In Germaniam. 762. In Monſerratum. 764. Coniuratio in eum detecta. 765. Imperatorem milite, & pecunia iuuat. 768. Gazolum, & Doſolum recipit. 769. Fœderatis aduerſus Turcas auxilium mittit. Romæ Gregorij tertijdecimi inuiſendi cauſa. 770. Eius cum Scipione Gonzaga caſus. Sereniſſimi titulum obtinet. Dux Monſerrati. 771. Ieſuitas Mãtuam inducit. Et Camaldolenſes. Iaponios recipit. Senatum inſtituit. 785. Dominationẽ filio relinquere cogitat. Moritur. 788. Mores ac virtutes. 789.

H

HÆRESVM irruptiones ſub Innocentio tertio. 158.

Hæreſum nouator Martinus Lutherus. 708.

Hæreſes Græcorum. 549.

Henricus ſecundus Imperator, & eius geſta. 37.

Henricus tertius Imperator Beatricem filiam Bonifacio Mantuę Marchioni vxorem tradit 60. Romę coronatur à Clemente ſecundo. Mantuæ bis. 68. Iterum Mantuæ cum Leone nono, Chriſti Sanguinem adorat. 59. Moritur. 72.

Henricus quartus. 72. Gilberti malo conſilio perſuaſus, Alexandrum Pontificem ſede exturbat. 74. Eius inſolentia. Bertam vxorem cogitat repudiare, ſed metu retrahitur. 76. A Gregorio ſeptimo excommunicatur. 78. Synodum Vormatiæ habere conatur, ſed Mathildæ precibus, & hortatu reſipiſcit, & à Pontifice veniam petit. 79. Ad vomitum reuoluitur. Auctoritatem Põtificiam vſurpat. Ab impenitente, in Rodulphum Saxonię ducem Imperium transfertur. 82. Henricum filium in Italiam mittit. 83. Cum Rodulpho concurrit, & eo caſo vincit. 84. Conuentu in Germania acto, Gregoriũ Pontificatu amoueri, & Gilbertum ſubſtitui voluit. 84. Armatus Italiam irrumpit, Vrbem excindit, & omnia vaſtat. 85. Corradum filium maiorem, Pontifici amicum, ſuſpectum habet: & ea de cauſa Henricum natu minorem Regem Romanorum dici iubet. 86. Cæſarej iuris ciuitates in

Italia præſtito ſacramento Corrado accedũt, qui poſt nouennium mærore affectus moritur 87. Henricus etiam perdita patris conſilia deteſtans, eidem diſcordat, ſibiq; Imperij inſignia tradi cogit. 88. Henricus pater moritur, & ludibrijs afficitur. 89.

Henricus quintus in Italiam. Nouariam delet. 89. Sęuit in Vrbe. 90. Germani contra eum, cœtum Coloniæ indicunt. 101. Simulator. 102. In Italiam ſecundò. 92. Vrbem irrumpit, diripit, vicinaq; ſubigit. 102. Mauritium antipapam facit: ſuaq; ſcelera fictis mendacijs tegit. 103. Tandē reſipiſcit, & Pontifici conciliatur. Gallos ſuperat. Vitâ excedit anno 1225. 105.

Henricus ſextus, Federici Ænobarbi filius, Imperator, pronus vindictæ, & venatui nimium deditus. In Italiam, Tuſculanos Pontifici ſubijcit. Romæ coronatur, & Siciliæ regnum accipit à Celeſtino Papa. 138. In eum coniurario detecta, & compreſſa. Moritur anno 1198. 145.

Henricus ſeptimus Comes Lucemburgēſis, Imperator. 213. In Italiam. Vicarios Imperij conſtituit. Mantuam venit, & Paſſerinũ Mantuæ Vicarium Imperij dicit. 216. In Cremonenſes. 217. In Brixianos. 218. Eius mors anno 1313. 221.

Henricus tertius Gallorum Rex, Mantuæ regio apparatu exceptus. 775. Cardinalem, Ducemq; Guiſios cædit. 798.

Henricus quartus bellum à confęderatis Principibus inuictè ſuſtinet. 803. Sedi Apoſtolicæ conciliatur. 806. Mariæ Mediceæ iungitur. 826.

Hieroſolymitani regni ius, ad quos ſpectat. 160.

Hieroſolymorum Rex Ioannes Bregno, Romā venit, contra Turcas opem imploraturus. 160.

Hippolyti. Camillus. 456. 461. Eiuſdem familiæ ſplendor. 461.

Hippolytus Gonzaga Ordinis Redemptoris Eques. 852.

Hiſpanæ claſſis clades in mari Britannico. 796.

Honorius ſecundus. 105.

Honorius tertius Federicum Imperatorem ad expeditionem contra Turcas vrget. 159.

Honorius quartus mittit, qui Mathildæ hæreditatem adeant. 195. Concedit in feudum Gonzagam cum alijs locis, Monachis D. Benedicti. 196.

Hoſpitale maius Ludouicus Marchio inchoat. 610.

Hercules Gonzaga Eps Mantuæ 711. Cardinalis. 721. Mantuanas res poſt mortem fratris curat. 737. Eccleſiam Cathedralē reficit. 744. Pontificatui vicinus. 758. Concilio Tridentino præſidet. 759. Fato cedit. 760.

I

IAponti Mantuā tranſeunt. 785.

Iauarinum Chriſtiani obſident. 817.

Ieſuitę an admittendi Mantuæ ſint, deliberatur. 783. Et admittuntur. 785.

Imperij ſtatus ſub Iuſtiniano. 16. De imperio variæ diſceptationes. 147. Imperium viginti annis poſſeſſore vacuum. 185.

Imperatores Germani cur Italiam amiſerint. 591.

Incendium Scenæ Mantuanæ Ducis Vincentij. 802.

Innocentius tertius ciuitates ab Henrico Sedi Apoſtolicæ auulſas, recuperat. 147. Othonem Imperatorem excommunicat. 154. Romæ cogit concilium. 158. Peruſij moritur. 159.

Innocentius quartus. 178.

Innocentius ſextus. 316.

Innocentius ſeptimus. 482. Eius cum Romanis contentiones. 483.

Ioannis xxij. literę ad Italiæ proceres. 221.

Ioannes xxiij. 224. In eius iniuriam Ludouicus Imperator Nicolaum antipapam fauoribus proſequitur. 262.

Ioannes Auchut Anglus Europę turbator. 344.

Ioannes Baptiſta Poſſeuinus, áuctor dialogorum de Honore, moritur. 7-2.

Io. Baptiſta Bernardinus Poſſeuinus Archipreſbiter Caſtronouenſis, Seminario Clericorum Mantuæ extruendo, vtilem nauat operam. 807.

Ioanninus Fontanula dux ſtrenuus. 422.

Ioannis Vicecomitis principatus, & regimen. 293. Bononiam à Populo accipit. 298. Fœdus in eum, Italiam omnem ambientem, 301. In Mantuanos à Germanis adiutus irrumpit. Alibi cæditur. 302.

Io. Franciſcus primus Mantuæ Marchio. 485. Capitaneus. 489. Eius adoleſcentis exercitia. Paulæ Malateſtæ copulatur. 493. Eius luxus. 498. Corrigitur ab vxore. 500. Exercitus Pontificij dux. 502. Animaduertit in venales iuſtitiæ. 504. Deligit nouos miniſtros. 506. Eius curæ ciuiles.

Oſtianũ, Inſula, Aſola ei ſe deduntur. 507. Pontem Molendinorum extruit. Caſtellum quoq;. 510. Suppetias fert Malateſtis. 511. Braccium cædit ad Roceam contradam. 512. Induciarum Braccio, & Malateſtis arbiter. Martinum Pontificem Mantuæ recipit. 513. It Venetias. 518. Dux Venetorum. 520. Brixiam capit. 522. Eius victoria de Vicecomitibus. 525. Aſolam denuo recipit. Et triumphus erectus. 526. Ducis Venetorum literæ ad eum. 527. A Senatu Veneto nobili Palatio donatur. 530 Dux exercitus Veneti poſt Carmaniolã. 534. Et iterum. 536. Marchio Mantuæ à Sigiſmundo Imperatore creatur. 538. Sigiſmundum Mantuæ magnificè recipit. 539. A quo & coronatur. 540. Filij equites ab eodem creantur. 541. Carolo filio in Venetas copias vices ſuas committit. 542. Venetis immeritò ſuſpectus. 547. Miſſionem à Senatu petit. 548. Vicecomiti adhæret. 550. Veronenſem agrum populatur. 551. Venetos Mantuanum irrumpentes ſuperat. Plurima eorum oppida recipit. 556. Veronam capit. 557. Amittit. 558. Mediolanum contendit. 559. Ludouicum filium in gratiam recipit. 560. Veronam denuo meditatur, ſed caſſo labore. Aſolam, Lonatum, Peſcheriamq; amittit. 561. Carmelitanas ſedes erigit. D. Georgij arcem. Sacellum S. Crucis. 562. Eius emblema. Teſtamentum, & mors. 563.

Ioannes Galeatius Vicecomes Bernaboum patruum peruertit. 426. Captiuum habet cũ filijs. Mediolano potitur. Bernaboi caſus præſagia. 427. Vicecomitis cum Carrario bellum. Patauium obtinet. Franciſcum Gonzagam dolo perdere cogitat. 431. Filiam Valentinam nuptui tradit Gallorum Regis fratri. 435. Eam Franciſcus Gonzaga comitatur. Eiuſdem dos. 436. Vicecomitis ingratitudo in Franciſcum. 437. Ab eo Patauiũ, & Verona deficiunt, ſed Frãciſcus eas illi iterum ſubijcit. Aſolam Franciſco vendit, & Hoſtiliam pignori cedit. 444. Iterum inſoluto pretio capit. 447. Inducias à ſederatis cum Franciſco Gonzaga petit. 450. A Venceslao Imperatore Dux Mediolani dicitur, & coronatur. Multorum Principum in eum conſpiratio. 452. Eius expeditio in Mantuanos. 454. Amborum mutuæ cædes. 455. Induciæ ad decennium 459. Roberto Imperatori congreditur, & vincit. 466. Florentiam obſidet. 473. Eius mors, & filij. 474. Eorum tutor Franciſcus Gonzaga. 475.

Ioannes Galeatius Sfortia Mediolani Dux moritur. 569.

Io. Georgius Monſerrati Marchio poſtremus. 728. Neptem Margaritam Federico Mantuæ Duci deſpondet. 729. Moritur. 731.

Io. Vincentius Gonzaga Cardinalis, 777. Moritur. 803.

Iſabella Eſtenſis Franciſci Marchionis coniux. 649. Romam proficiſcitur. 719. In Romana populatione ſaluti multis nobilibus eſt 720. Moritur. 736.

Italiæ ciuitatum decurſi Domini. 267. 482.

Itali Federico Imperatori rebellant. Prouinciam Imperator erumpit. 127. Eius præcipuæ ciuitates libertate vſæ, anno 1230. 161. Guelfi, ac Gibellini factis laceratæ. 178. Eius varij potentatus. 267. Peſte infecta. 277. Caſus in ea atrox. 373.

Iudęorum perfidia. 278. Artes, Mantuæ. 830.

Iulij Varani à ſecretis Ludouici Marchionis, politica præcepta. 566.

L

LEO nonus, & Henricus Imperator Mantuæ Chriſti Sanguinis veritatem exploraturi. 59.

Leo decimus moritur. 715.

Leonis vndecimi aſſumptio, & mors. 838.

Longobardi cur ita appellati. 12. Pugnant cum Herculis, & eorum Rege interfecto victores euadunt. 13. Sueuos deterunt. 14. Pannonios vincunt. Gepidos quoq;. 15. Vocati à Narſete in Italiam veniunt. 16. In forum Iulij irrumpunt. 21. Regium nomen, & auctoritatem peroſi, eorum vice Duces eligunt. Eorum feritas. Reges denuò ſibi creant. 25. Tendelindæ Agilulphi coniugis pietate, Chriſtianam fidem amplectuntur. A Bauaris cæduntur. 26. Ab Exarcho laceſſiti, eundem fundunt. Liguriam quoq; ſibi ſubigunt. Leges ſanciunt. 27. Ab Alboini in Italiam irruptione regnũ tenuere annis 208. Eorum regum abolitio. Eorundem reliquiæ familia Gonzaga. 29.

Longobardię Ciuitatum libertas cœpit anno 1126. 107.

Lotharius Saxoniæ Dux Imperator. 108. Inter eum, & Corradum, ac Federicum fratres, Hen-

Henrici vltimi nepotum diſcordiæ. Eos debellant, auxilio præcipuè Gonzagorum. Legum immenſitatem, & confuſionem arctat. 109.

Ludouicus Imperator, Paſſerino, & alijs in Italia, quæ poſſident, confirmat. 225. Contra eum Vicecomes, & Caſtrucius bellant, ſed ipſe vincit. 256. Mantuam Scaligero concedit. 260. Nicolao Antipapæ fauet. 261. Mediolanum Azio Vicecomiti tradit 262. Eius literę ad Aloyſium Gonzagam. 263. Capitaneum,& Imperij Vicarium dicit. 264. Italiá excedit. 265. Hæreticus. Eius diſcordia cum Clemente ſexto. 267. Pro eo Dantes poeta librum compoſuit. 268. Moguntinus pro eo, & Pragenſis pro Papa altercantur. 269. Eius mors. 276.

Luduuici, & Franciſci fratrum, Guidonis Gonzagæ filiorum, æmulationes,& diſcordiarum cauſæ in Vgolinum pariter fratrem. 345. Eorum in hunc coniuratio. 347. Eum cædunt anno 1362. Facinoris diuerſę tationes. 349. In Senatu ſe excuſant. 350. Patri reconciliantur. 353. A Pontifice, ac Imperatore veniam obtinent. 354. 356. Perpetui Imperij Vicarij à Cæſare dicti. 369. Eorum cum Vicecomite pacta reſcindit Cæſar. Chitographi tranſumpti forma. 370. Ludouicus de pluribus terris ab Epiſcopo inueſtitur. 379. 383. Eius prudentia. Pontificis, & Imperatoris patrocinio ſe committit. 381. Ad eum oratores Vicecomitis, & Scaligeri. 382. Bonorum quorundam inueſtituram accipit à S. Benedicti Abbate. 383 Ciuium queſtus negligit. 384. Capitaneus dicitur à Senatu, adiecta creationis forma. 386. Licentiam vrbis reprimit. 390. Pecuniam comparat. In eum coniuratio. 391. A Guidone Capriano detegitur. 392. In coniuratos quomodo animaduertendum, diſputatur. 394. Eorum punitio. Ludouicus excuſat ſe in Senatu. 397. Eius pietas in ciues. 399. Mantuam munit. 400. Ioannem Auchut Anglum, Mantuanum agrum vaſtantem fugat. 401. Gonzagi è Feltrini ſtirpe Ludouico reconciliari quęrunt medio Carlutto Cremo. 402. Ille ignoſcit 403. Ad eum Bernabouis literæ hortantis ad venationem: eius item reſponſio. 406. Eius rerum ciuilium, & domeſticarum cura indefeſſa. Liberalium artium amans, Franciſcum Petrarcam Mantuam acceſſit. 407. A Venetis Senatus filius dicitur. Eius amicitiam, & conſanguinitatem clam procurat Vicecomes. 409. Moritur. 414.

Ludouici Io. Franciſci Marchionis filij natiuitas. 501. In fratrem Carolum indignatur. 542. A Patre ea de cauſa ad Vicecomitem deficit. 544. Exhęredatur. 545. Patri, Vicecomite intercedente, reconciliatur. 559 Eidem in Imperio ſuccedit. Eius in iuuentute ſtudia. 564. Cur Turca dictus. 565. Eius liberi. 566. Prudentia. 567. Fratres domo dimittit. 568. Pro Venetis aduerſus Vicecomitem. 572. Mediolanenſem ditionem populatur. 573. Picininum fugat. 574. Comum recipit. 576. Fratrem rebellem declarat. 577. Pro Venetis aduerſus Sfortiam. 579. Prudentia cõmendatus. 580. Sfortiæ contra Venetos adiungitur. 592. Fratrem Carolum ſibi infeſtum capit. 594. Ghedium pro Sfortia defendit. 595. Veneti eum ſibi adiungere conantur. 596. Pium ſecundum Mãtuam pro Concilio aduenientem excipit. 599 Status Mediolanenſis Gubernator. 607. Venationi intentus ſauciatur. 610. Mediolani res publicas poſt mortem Galeatij cõponit. Ne eidem bellũ inferat Imperatorem dehortatur. 614. A Federico Imperatore oppida Cremonenſia, & Brixiana impetrat. 616. Moritur teſtatus. Eius virtutes, ac ſtudia. 617.

Ludouicus Gulielmi Ducis frater in Galliam. 762, Cum fratre componitur. 768. Eius virtus aduerſus hæreticos. 779. Dux Niuernienſis. 815. Pro Henrico quarto Rege Galliæ Romam. 805. Moritur. 815.

Ludouicus duodecimus Gallorum Rex. 685. Mediolano potitur. 687.

Ludouicus Sfortia Mediolanenſe imperium regit. 628. Rubeos Parmenſi ditione exuere conatur, 629. Nutantis fidei, ſua tantum curat. 636. Ius dominandi, ſpreto nepote, ſibi ſoli vindicat. Franciſcum Marchionem ſibi conciliat. 647. Beatrici Eſtẽſi copulatur. 651. Aſtu eundem Franciſcum in ſuas partes trahere conatur. 653. 657. Carolum Gallorum Regem in Italiam vocat. 654. Eidem ſe opponit. 664. Nouariam repetit. 672. Mediolano eiectus in Germaniam ſecedit. 687. Mediolanum recuperat, ac paulò poſt amittit.

Ludouicus Franciſci II. Ducis filius naſcitur, 848. Morte immatura tollitur.

Luchi-

Luchinus Vicecomes cum Scaligero, & Eſtenſi Mantuanum inuadunt. 284. In eos Mantuani erumpunt, & fundunt. 288. Luchini mores, & finis. 293.

Luttechus in Italiam aduerſus Carolum V. 722.

M

MAFFEIORVM familia Mantuæ propagatur. 558.

Magni. Ioannes orator Ducis Vincentij apud Pontificem. 837.

Mahometicæ impietatis initium. 26.

Malaſpinæ Vicecomiti reconciliantur. 464.

Malateſtæ Ariminum Pontifici reddunt. 717.

Mansfeltij Comitis mors. 809.

Mantuæ ſeditio. 56. In ea Leo tertius, & Carolus Magnus. 29. Bis Henricus tertius. 68. Concilium, quo Pontificatus Alexandro adiudicatur, Candolo antipapa ſuccumbente. 76. Lotharius in ea exiſtens, eius indulta, & immunitates firmat, & auget. 109. Familiæ eius nobiliſſimæ. 141. 157. Federicum Ænobarbum recipit. 118. Idem Mantuam inuiſit. 133. Eius ager à Germanis copijs vaſtatus. 140. 171. 175. Eius lacus. 142. Peſtilentia. 163. In ea plures ciuitates conueniunt pro Pontifice cõtra Federicum. 167. Mantuæ Guelfi, & Gibellini partes. 176. Eam ambit Ezellinus. 78. Et Obizo Eſtenſis. 186. Eius infelix ſtatus. 188. Eius primi Capitanei Pinamontes Bonacolſus, & Ottonellus Zanacallus. 192. Hæreditate Mathildæ compræhenſa. 195. Occiſo Ottonello, à Pinamonte ſolo regitur. 201. A Bardellono. A Botticella. 207. A Paſſerino. 215. Quem Henricus ſeptimus Mãtuæ Vicarium Imperij dicit. 216. Aloyſius Gonzaga Mãtuæ Poteſtas, iuſtitiam in ea, & annonam curat. 229. Eundem Capitaneum eligit. 250. Mantuæ feſtus Aſcenſionis pluribus lætitiæ modis celebratus. 256. Mantua Scaligero à Ludouico Imperatore fruſtra cõceditur. 260. Peſtis. 278. Terræmotus 283. In ea Carolus quartus Imperator. 320. 327. Puerorum factionibus fœdatur. 328. Eius ſtatus poſt Aloyſij Gonzagæ mortem. 330. Clades in ea, terręmotu, fame, & peſte. 398. Seditio ob auaritiam mercatorum, prudentiá, & clementia à Ludouico repreſſa. 403. Cenſus Mantuanus. 408. 641. 761. Peſtis contagio vaſtatur. 429. 724. Opibus abundans. 761. In ea Sigiſmundus Imperator cum Pontifice Ioanne. 501. Pontifex Martinus. 514.

Mantuani, Gerardi, & Corradi Gonzagorum causã, à Mathilda exactorum, ipſi Mathildæ rebellant, at comprimuntur. 93. Incanti. 105. Arlotto conſultore, libertatem tuentur. Eorum diſcordiæ cum Mutinenſibus ac Regienſibus, ob Padi ripas. 106. Brixiani auxiliantur. 107. 111. Cæſaribus fidi. 109. Cremonenſes inuadunt. 112. De ijs triumphant. Pax inter vtroſq; , medijs Mediolanenſibus. 113. Contra Turcas anno 1147. Federico Ænobarbo primùm inuiſi, ob ipſius Imperatoris legatorum inſolentiam, poſtea dediti. 117. Imperator eos priuilegijs ornat 119. 125. Mediolanenſes eidem reſiſtentes adiuuare renuunt. Stabili in Cæſarem fide. 122. 127. 136. Eundem iuuant. 128. 139. Eorum aliqui Alexandriam recenter ædificatam incolunt. 129. Viginti millia aureorum ſoluunt. 139. A Ferranẽſibus iniurijs prouocati, vltionem ſumunt. Celeſtino Pontifice arbitro rixam deponunt. A Veronenſibus inuaſi, victoriã ferunt. Eorum nobiliſſimi qui. 141. Patauini cum Mantuanis conciliantur. 144. Othonem Imperatorem copijs augent. 153. Item Federicum. 159. Specie libertatis vſi anno 1230. 161. Brixianis terræmotu concuſſis, quem offerunt. 163. Federico Imperatori auerſi. 167. Oratorem ad eum mittunt Bonamontem Iudicem. 167. Pro Pontifice Gregorio contra eundem. 169. Indulto ornantur ab eodem Federico. 170. Epiſtola Ezellini ad eos. Diſcordijs agitantur. Libertatis tenaces. Ab Ezellino vaſtantur. 179. Pontifici, Venetis, ac Eſtenſi fœderati, Ezellini obſidione liberantur. 179. Eorum erga Brixianos caritas. Mantuanorum, & legati pontificij cædes ab Ezellino. 180. Eidem reſiſtunt, ſed eorum ager ab eo vaſtatur. Ciuitatem ornant. Eorum numerus. 181. 641. Pacem Veronenſibus iunguntur. 182. Indignantur aduerſus Eſtenſem, Mantuam ambientem. 187. Gonzagos iampridem patriá exactos, reuocant, & bonis augent. 190. Milites Mantuani Cremonenſem agrum deprędantur. 210. Plures eorum nobiles Cæſarem appellantes, à Paſſerino iugulantur. 229. Mantuanorum clades à Ferrarienſibus. 219.

Aloy-

Digitized by Google

Aloyſium Gonzagam Mantuæ Poteſtatem eligunt. 228. In eius liberos propenſi ciues. 229. Nonnullas Mantuanorum villas inuadunt Bononienſes. 236. Eorum strages temeritate Franciſchini Bonacolſi. 237. Eorum ſtudia in Gonzagos manifeſta aduerſus Bonacolſos. 241. Decernunt pro Aloyſio Gonzaga. 258. Loca aliquot eorum requiruntur à Scaligero. 283. A Vicecomite, Scaligero, & Eſtenſi inuaſi. Obſtrepunt Gonzagis. 284. Bellici apparatus diſpoſitio contra hoſtes ciuitatis. 285. In Mediolanenſes erumpunt, & fugant. 288. In Veronenſes, & Eſtenſes. 289. Pugna naualis cum Eſtenſi; & Mantuanorum triũphi. 291. A Mediolanenſibus vaſtantur, & alibi eos cædunt. 302. Damnum paſſi à Pado exundante. 322. Antianorum olim, & Sapientum Mantuæ nomina: decreta item in fauorem Guidonis Gonzagæ. 333. Centum Sapientes. 336. In Mantuanos Vicecomes, & Scaliger. 358. 363. Veronenſium, & Mantuanorum clades mutuę. 363. Mediolanenſes cædunt. 364. 366. Germanorum copijs iuncti, Vicentinum agrum excindunt. 367. Vicecomiti, & Scaligero pacificantur. 368. Solfarinum, Caſtilionum, Capriana, Volta, Medolum, & Carceſarium, Mantuanis per Carolum quartum adiudicantur. 369. Iis potiri Scaliger fruſtra rurſus tentat. 373. Mantuanos Mediolanenſibus vnquam paruiſſe, falſum. 420. Eos inter, & Ferrarienſes ſeditio, ob Papiniani fundum. 833.

Marcaria à Verme pro Mediolanenſibus capta. 457.

Marcellus Donatus ingenio validus. 792. Ponzani Comes. 793.

D. Mariæ Gratiarum templum erigitur. 468.

Maria Scotiæ Regina ſecuri percutitur. 789.

Mariæ Franciſci Ducis filiæ natales. 846.

Margarita Malateſta Franciſci Gonzagæ vxor moritur. Eius laudes. 464.

Margarita Bauara Federici Gonzagæ vxor. 604 Moritur. 627.

Margarita Palæologa Federico Duci copulata. 729. Monſerratum gubernat. 759. Vitá excedit. 763.

Margarita Gulielmi Ducis filia, Alphonſo Ferrariæ Duci nupta. 778. Mantuam redit poſt mortem mariti. 822. Monſerratum regit. Cœnobium D. Vrſulæ magnis ſumptibus extruit. 830.

Margarita Vincentij Ducis filia naſcitur. 801. Lotaringiæ Duciſſa. 839.

Margarita Sabaudia Franciſco Vincentij Ducis filio nubit. 840. Filiam parit. 841. Et filium Ludouicum. 842. Eius decori mores, & laus. 845. 847. Alteram filiam emittit, quæ paulò poſt moritur. 852.

Margarita Hiſpaniarum Regina Ferrariam, deinde Mantuam. 823.

Martinus, & Albertus Gonzagi, à Pontifice Innocentio quarundam cauſarum arbitri delecti: reliquijs etiam Cæſarianæ factionis conciliandis, à Pontifice in Appuliam miſſi. 158.

Martinus Pontifex Mantuæ. 514.

Martini Lutheri hæreſeos initia. 708.

Mathildæ ortus. 61. Parentibus orbata. 71. Eius primæ nuptiæ. 72. Pro Imperatore cum coniuge creationi Pontificis intereſt. Exorto ſchiſmate in electione Pontificis, ea fauente, ipſa electio Cardinalibus perpetuò deſtinatur. 73. Alexandrum ſecundum contra Cæſarem, & Candolum antipapam propugnat. 74. Candolum retundit. 75. Marito Gotifredo viduatur, nullo libero ſuſcepto. In laborum partem D. Anſelmum Epm Lucenſem, & Cardinalem adſciſcit. Cæſarem increpat. 76. D. Andreæ templũ opibus, & priuilegijs auget. 77. Pontificem Gregorium ſeptimum, in carcerem à Cincio coniectum, liberat. 79. Eius conſilio, ac viribus Pontifex, & Imperator reconciliantur, & res componuntur. 80. Eius ſecundæ nuptiæ, ſed à Gregorio irritæ factæ. 81. Contra Henricum Henrici quarti filium pro Papa, ſed ſine victoria. 83. Inter Corradum Henrici Imperatoris filium, & Mathildam præcipua charitas. 85. Tertiò nubit. 86. Titulo tutricis Eccleſiæ decorata. Henrico eidem auxilium pollicetur aduerſus iniquum Patrem. 87. Gerardo, ac Corrado Gonzagis infenſa. 90. Supplices reijcit. 91. Iam morientis oratio. 94. Moritur anno 1115. ætatis ſeptuageſimo, tumulaturq; apud D. Benedictum. 95. Anno 1613. eius corpus ibidem ſumma diligentia recognitum. Eiuſdem encomia. 96. Bona ſua teſtamento Romanæ Eccleſiæ relinquit. 101. Comitiſſæ titulo contenta. 120.

Mauritius Archieps antipapa. 103.

Maximilianus Federici Imperatoris filius, Rex Romanorum creatus. 647. A Belgis in carcerem indignè truditur. 648. Eius ſpon-

ſalia Rex Gallorum exturbat. 652.
Maximilianus Boemiæ Rex, Mantuæ. 745. Idem Romanorum Rex. 750. Imperator. 759. Contra Turcas. 768.
Mediceos Paziorum coniuratio perſtringit. 620. Florentiæ præpoſiti. 730. Franciſci Magni Ducis mors. 289.
Mediolanenſes medij pacis inter Mantuanos, & Cremonenſes. 113. Federico Ænobarbo Imperatori pro libertate tuenda iteratis vicibus reſiſtunt, totiesq; ſe dedunt. 117. 121. 122. Ad Coracium Imperatorem cædunt. 123. Mediolani excidium. 125. Iterum Imperatorem cædunt. 130. Poſtremò reconciliantur. 133. Imperatori Federico congrediuntur, & ſuperantur. 174. Azio Vicecomiti ab Imperatore ſubijciuntur 262. Mediolanenſis iuriſdictionis ciuitates. 293. Mediolanenſem ditionem quo iure Galli repoſcebant. 685.
Mincium conatur Vicecomes Mantua diuertere, ſed fruſtra. 448. Pontem molendinorum rumpit. 449.
Mirādulani Comitis in Mātuanū irruptio. 572.
Molendinorum pons ad perfectum ductus à Io. Franciſco Marchione. 510.
Monferrati poſſeſſionem Mantuanus, ac Sabaudius Duces, & Salutij Marchio ambiunt. 731. Duci Federico adiudicatur. 734. In Ducatum erigitur. 771. In eo arx conſtituitur. 799.
Monferratenſium queſtus, præſentiam Vincẽtij Ducis requirentium. 832.
Morbi Gallici initia. 480.

N

NARSETES Iuſtiniani Imperatoris dux cum exercitu in Italiam mittitur. 16. Totilam Gothorum Regem ſuperat, Vrbem liberat, ac barbaros fugat, Teiam proſternit, Gothorum memoriam extinguit, Inſubres domat. 17. Imperatori Iuſtino falsò ſuſpectus. 18. Italia euocatur, cui ſufficitur Longinus: Vocat Longobardos in Italiam: mox facti pœnitet fruſtra. 20. Eiuſdem mors. 22.
Neapolitanum regnum qua ratione ad Reges Francos pertinuiſſe dicatur. 655.
Neapolitanorum Regū Aragonēſiū ſeries. 690.
Nerli. Guido Præſes Magiſtratus. 825.
Nicolaus ſecundus. 73.
Nicolaus Renzus Romæ tumultuans. 272.
Nix tota Longobardia. 461.
Nobilium Mantuanorum familiæ antiquæ. 182.
Nobiles Mantuani à Sigiſmundo Imperatore equeſtri honore inſigniti. 541.
Nuptiæ inter Sabaudiæ, & Mantuæ Principes firmantur. 836.

O

OBIZO Eſtenſis Mantuam ambit. 186. cum Vicecomite, & Scaligero in Gonzagos conſpirat. 281. Mantuanum irrumpit. 284. Pro Gonzagis in Vicecomitē. 304.
Octauius Gonzaga Ferrantis filius inſignis heros. 779.
Odoardus Angliæ Rex, Imperium renuit. 277.
Olij Fluminis vtraque ripa, poſt cruentas inter Mantuanos, & Cremonenſes dimicationes, Mantuanis tandem ceſſit. 113.
Orbis Chriſtianus varijs vbiq; diſcordijs agitatur. 62.
Orſeus germanarum copiarum ad Caniſſam dux ineptus. 828.
Oſannæ Andreaſij, virginis ſanctitate inſignis, mors. 690.
Otbertus Marchio Mantuæ ſecundus. 36. Henrico ſecundo ſuppetias fert. 37. Pugnat pro Imperatore in Germania, & hoſtes fundit. 38. Item aduerſus Robertum Gallorum Regem. Et contra Boemum. 39. Mantuæ moritur. 41.
Othonis primi Imperatoris præclara geſta. 51. Valterium Gonzach Vicarium Imperij per Italiam, & Mantuæ Marchionem creat. 52. Mantuam venit. 44. Donat agros. 45.
Otho Imperator in Italiam. A Gonzagis Matmiroli exceptus. 152. Romæ coronatur. Papiā oppugnat. Etruriam, & regnum Neapolitanum inuadit. 153. Ab Innocentio excommunicatur. 154. Imperium amittit, & moritur. 155.
Ottuntum Turcæ capiunt. 627.
Ouidij ſepulchrum. 781.

P

PALATIORVM familia vnde Mantuam aducta. 570.
Paleſtinæ infelix conditio, ob Gallorum, & Britannorum diſcordias. 108. Deſeritur à Principibus Chriſtianis. 146. Eius defenſionem

...Opiniones. 315.
...gina Cypri Mantuæ. 601.
...x Tuneti Mantuæ. 745.
...odum Turcæ capiunt. 717.
...enses. 357. Hilarius. 410. Petrus ad Scaligeros. 421. Carolus Venetias legatus à Francisco Marchione missus. 452. ...ertus Imperator. 465. Eius cum Vicecomite congressus, huiusq; victoria. 466. ...oritur. 497.
R...onius Gonzaga. 720.
Rom...æ seditio, auctore Francisco Baroncello. ...29. In eum Nicolaus Renzius, ac vtriusque mors. 320.
Romana populatio sub Clemente septimo. 770.
Romana inundatio à Tiberi, sub Clemente octauo. 824.
Romanoro ager contra Burgoforte, cur sic dictus. 112.
Rodulphus primus Austriacus Imperator. 18...
Rodulphus secundus. 777.
Rodulphus Gonzaga Genuæ equitum dux pro Sfortia. 658. Neapoli Carolo Gallorum Regi consulit. 662. Ad Nepotem Franciscum redit. 663. In prælio ad Tarum occiditur. 666.
Rodulphus Castilioni Marchio Castrum Giuffredum occupat. Parricidij, ac pecuniæ adulterinæ percussionis insimulatus. 804. Sæuus, ab oppidanis occiditur. 805.
Rubei. Carolus Marchio. 843.

S

SABAVDIÆ Ducum iura in Monferratum 730.
Sabionetæ venditio impeditur. 835.
Sacci. Camillus. 466.
Saladinus Hierosolymis potitur. anno 1187. 134.
Sangeorgius Cardinalis S. Clementis Duci Vincentio quas ob causas infensus. 833. Ab eodem Pontificatus spe depulsus. 838.
SANGVINIS Christi prima detectio. 804. A Leone tertio adoratur. Eius veritatis argumenta. 30. Secunda detectio anno 1048. ...64. Leo nonus, & Henricus tertius eiusdem Sanguinis veritatem canonicè inquirunt, & approbant. Ambo particulam... in Vrbem, Imperator in Germaniam asportant. Hanc Monasterium

Vit-

Virganthēſe ſeruat. Eius honori Templum Diui Andreę ſtatuitur: in quo arcanum huic aſſeruando deſtinatum, à Vincentio Duce immutatur, & luminaribus augetur. 69. In propatulo ad peſtem arcendam poſitus. 164. A Carolo quarto Imperatore viſitatus. 327. Qui eius partem Pragam aſportat. 369. Et Dux Vincentius ſecum in Pannoniam. 803. Eius inſigni Equites Redemptoris vtuntur. 838.

Scaligeri. Canis Scaliger Philippini Gonzagæ amicus. 230. Cum eo conſultant Gonzagi de modo perdendi Bonacolſos. Mantuam ambit. 245. Eius aſtus. 246. Ludouicus Imperator ei Mantuam concedit. 260. Moritur. Maſtinus Gonzagorum æmulus. 262. Scaliger filius Gonzagorum amicitiam cupit. 266. Cum Vicecomite, & Eſtenſi in Gonzagos conſpirat. 281. Mantuanum aggreditur. 283. Eius calumniæ in Vgolinum Gonzagam. 295. Mantuanorum, cum Scaligeris mutuæ cædes. 296. Feltrinum Gonzagam Veronæ captiuum dimittit, & fœdus init cum Gonzagis aduerſus Vicecomitem. 301. Iungitur Vicecomiti in Gonzagos. 358. Inter Gonzagas diſcordias iacit. 359. Eius mors. Filij ex incertis nuptijs ſuperſtites. 413. Gulielmus à Carrario ſuperatur, & eius familiæ reliquiæ abolentur. 479.

Scandiæ ſitus, & deſcriptio. 3.

Scandianorum eruptio anno 400. 4.

Scandiani regium titulum ducibus imponunt. 11. Bulgaros ſuperant. Cur poſtea dicti Longobardi. 12.

Scandianorum coloniæ Rex primus Agimundus Gonzingus. Lamiſſus ſecundus Rex, ſub quo Longobardi nuncupati. 11. Lechus tertius. Gildeocus quartus. 12. Gedeocus quintus. Claffus ſextus. Tadus ſeptimus. 13. Vuacus octauus. Varharicus nonus. 14. Andoinus decimus. 15. Alboinus vndecimus. 16. In Italiam. 21. Eiuſdem progreſſus. Papiam regni ſedem deligit. 22. Roſimundæ coniugis inſidijs iugulatur. 23. Cleſus duodecimus Rex. 24. Atharix tertiuſdecimus Rex. 25. Agilulphus quartuſdecimus. Adoaldus quintuſdecimus. 26. Arioaldus decimus ſextus. Rotharis decimus ſeptimus. Rodoaldus decimus octauus. Aripertus decimus nonus. Gunipertus vigeſimus. Grimualdus vigeſimus primus. 27. Partharis vigeſimus ſecundus. Iunipertus vigeſimus tertius. Luitpertus vigeſimus quartus. Aritpertus vigeſimus quintus. Aſprandus vigeſimus ſextus. Luitprandus vigeſimus ſeptimus. Rachiſius vigeſimus octauus. Aiſtulphus vigeſimus nonus. 28. Deſiderius trigeſimus, & vltimus, à Carolo Magno regno, ac vita priuatur. 29.

Schiſma Candoli Parmenſis aduerſus Alexandrum II. quem Mathilda tuetur. 74.

Schiſma Gregorij xij. Benedicti xiij. & Alexandri V. 487.

Scipionis Gonzagæ caſus cum Gulielmo Duce Romæ. 771. Cardinalis eiuſdem fauore. 787. Moritur. 804.

Selimus bellum Chriſtianis mouet. 769.

Senatus Mantuę à Gulielmo reſtituitur. 785.

Sfortia familia. 497.

Sigiſmundus Venceſlai frater, Imperator. 497. Mantuæ. 501. 539. Io. Franciſcum Marchionem Mantuæ creat, & coronat. 540.

Sigiſmundus Gonzaga Cardinalis. 694. Epiſcopatum Mantuæ in Herculem nepotem transferri curat. 711.

Sixtus quintus. 785. Romam ædificijs auget: exules profligat. 790. Moritur. 802.

Sordellus Viſcontus poteſtatem affectat. 142. Mediolano oriundus, Goiti natus, & eductus. 142. Strenuiſſimus armorum, & liberalium artium ſtudijs eruditus. 145. Leonello Italorum fortiſſimo congreditur, & vincit. 140. Item Germano. 161. Gonzagis diuerſus in Imperatorum varietate. 149. Mantuæ arbiter. Ezellini ſoror eum deperit. 161. Vtriuſque nuptiæ. 163.

Strigij. Alexander Hiſpanum ſingulari certamine confodit. 716. Alexander nepos Duci Vincentio à ſecretis, & Franciſco, ac Ferdinando à conſilijs. Comes. 842.

Strozij Florentini Mantuam delati quomodo. 432.

Suardi. 496.

T

THEDALDVS Marchio Mantuæ quartus. 50. Eius largitiones. 51. Diui Benedicti celebre Monaſterium extruit. 52. Falsò à quibuſdam alienæ quam Gonzagæ familiæ addicitur. Tantum à Deo diuitijs auctus, quantum in egenos largus. 53.

Ferraria ob ſoceri mortem, ei obuenit. Eſtenſes contra eum tumultuantur, ſed illeſ occurrit. Ferrariam Pontifex Tedaldo decernit. 54. Ferrarienſium ſeditionem opprimit. Moritur. 55.

Tiberis inundatio Romæ. 824.

Titulorum hodiernus abuſus. 772.

Torelli. Petrus Guidonem Gonzagam Patrem, Senatus nomine orat pro filijs. 351.

Tullius Pettozan[illegible]us Ducum Mantuæ Conſiliarius. 792. Primicerius, & Comes. 793. Caſalis arcem non extruendam fruſtra Vincentio ſuadet. 799. Eundem in Monſeratu princeps adminiſter comitatur. 832. Auaritia mundis ſuſpectum, Dux ipſe innoxium fatetur. 833.

Turcæ Calabriam inuadunt. 628. Ad Maltam expulſi. 767.

V

VALTERIVS Gonzach ab Othone Imperatore primus Marchio Mantuę, & Imperij in Italia Vicarius creatur. 32. Pontifici auxilio. 35. Moritur. 36.

Venceslaus Caroli quarti filius, iners. 414. Franciſcum Gonzagam, & poſteros, Imperij Vicarios dicit, Mantuæ, Regij, Mirandulæ. 418. Alijs priuilegijs eos ornat. 419. Iurium Imperij prodigus. 454. 460. Imperio ob ſecordiam exuitur. 465.

Veneti pro Pontifice Alexandro pugnant aduerſus Henricum Federici filium, & vincūt. Venetijs inter Alexandrum, & Federicum pax ſancitur. 131. Venetorum periculum. A Genuenſibus, & Vicecomite cladem accipiunt. 300. Eorum cum Genuenſibus mutuæ cædes. 316. Aloyſio Gonzagæ amici. 328. Dux eorum Marinus monarchię adſpirat, qui Gonzagos in ſuas partes trahere fruſtra conatur. 342. Cauti. 365. Ludouicum Gonzagam Senatus filium nominant. 409. Et Franciſcum. 446. Vicentia potiuntur. 431. Auxilio Mantuanis. 456. Franciſcus Gonzaga eorum dux Veronam, Patauium, Carrarios capit. 479. Eorum claſſis aduerſus Io. Franciſcum Marchionem. 555. Superantur. 556. Pro Sfortia aduerſus Vicecomitem. 571. Ab eodem Sfortia apud Carauagium fugati. 579. Eidem colliganturt. 583. Defenſionem Rubei ſuſcipiunt contra Ludouicum [illegible] micos diſſ[illegible] douico. [illegible] rolum [illegible] chionem [illegible] 682. Aucti [illegible] Eorum [illegible] Terum [illegible] & Gall[illegible] Prælio [illegible] niam [illegible] ſtaſtic[illegible] 837.

Verona [illegible] 426 557

Vgolin[illegible] chi[illegible] no[illegible] tus. [illegible] ria. [illegible]

[illegible] s, icto [illegible] victi. 6[illegible] orant, & [illegible] in immun[illegible]

Mantuanis [illegible] A Ioanne E[illegible]

Aloyſij nepos a[illegible] Vxore adamatur [illegible] Ligero. 299. A[illegible] 300. Fuga ſibi con[illegible] 302. Monſerrati [illegible] Vicecomitem. 30[illegible] Vercelleuſem agru[illegible] Mantuanæ ditionis, militiæ [illegible] Poſſidet. Eius vxor Vicecom[illegible] Regium capit à Feltrino occu[illegible] Regio amiſſo Eſtenſis aſtu, M[illegible] ſtam defuncti Feltrini memori[illegible] liam ſæuit. 315. Eius coniug[illegible] 353. Ad Bernaboum patrem [illegible] Eius filia Vrbini Comiti nupta [illegible] Placiana à Paſſerino occupata. 2[illegible] chionatus titulo à Carolo quinto [illegible] 728. Eius ruina à Pado. 815.

Vicecomitum, Eſtenſium, & Gonzag[illegible] 294. 306. Matthæus Mediolani [illegible] 221.

Vicentia Venetis. 431.

Victor antipapa. 122. Moritur, & Pa[illegible] ſubrogatur. 122. Huic Calixtus. [illegible] Qui ſubſidio deſtitutus reſipiſcit. 132.

Victoria naualis Chriſtianorum contra Tur[illegible] 770.

Vincentius Gulielmi Ducis filius naſcitur. 760. Ægrotat grauiter. 768. Margaritæ Farneſię nubit. Separantur ob mulieris impotentiam. 780. Eleonoram Medicęam ducit. 782. Patri ſuccedit. Coronationis eius pompa. 790. Vini tributum imminuit. 791. Præclara regiminis initia. 792. Sacrato enſe à Sixto quinto donatur. Eius grata liberalitas. 794. Marchioni Ca-

Caſtilioneo facilè ignoſcit, & inſuper Solfarinum donat. 796. Rex Hiſpaniæ Vellus aureum ei mittit. Florentiæ, Magni Ducis Ferdinandi nuptijs intereſt. 797. Arcem Caſalis magno diſpendio conſtruit. 799. Romam ad Innocentium nonum. 802. Caſtrum Giuffredum ab incolis accipit. 805. Auxilium Cæſari aduerſus Turcas in Pannoniam mittit. 808. Quò etiam ipſe magno nobilium comitatu ſuccedit. Seruatoris Sanguinem ſecum defert. 809. Tumultuantes equites Germanos, ſtipendio illis ſoluto, retinet. 811. Vizegradum oppugnari conſulit, & deditione coactum recipit. 813. Mantuam ob reliquorum ducum diſſenſionem reuertitur. 814. Iterum ad bellum Pannonium. In egenos milites liberalis. 816. Eius ſolicitudo, & vigilantia in Caſtris Iauarinum obſidentibus. Inertem ducem arguit. Magnam prædam inimicis aufert. 817. Iauarinum luſtrat. 818. Andreaſium Turcis eripit. 819. Archiducem Matthiam inuiſit. 820. Bellum proſequi fruſtra ſuadet. A D. Franciſco de Paula viſibiliter inter hoſtes defenſus. Eidem templum erigit. Diui Andreæ templum choro, ſacrario, & Sacerdotum numero auget. 821. Ferrariam ad Clementem octauum accedit. 823. Hiſpaniarum Reginam Mantuæ regio apparatu excipit. 824. In Belgio ad Spadenſes balneas. 825. Tredecim Sanctarum Virginum capita ſibi comparat. Comitem de Fuentes mouet cauere Gallum, Sabaudumq́; . 826. Florentiæ conſanguineā Franciæ Reginam inuiſit. Tertiò in Pannoniā contra Turcas. 827. Ad Caniſiam. 828. Infectâ operâ, Officii cuiuſdam Germanorum Ducis culpâ, Mantuam redit. 829. Populi ſeditionem in Iudæos comprimit. Neapoli ad aquas ſibi ſalubres. 831. Publicam ſupplicationem ad quinque Seruatoris vulnera quotannis inſtituit. 832. Monſerratum inuiſit. Sangiorgio Cardinali ob cauſam iraſcitur. 834. Sabionetæ venditionem impedit. 835. De nuptijs Franciſci filij cum Sabaudio tranſigit. 836. Pacem Venetis cum Pontifice fruſtra ingerere tentat. 837. Exercitus Veneti curam renuit. Redemptoris Equites inſtituit. 838. Ædificijs intentus ædes ducales auget. Illuſtriſſimi titulo ab Hiſpaniarum Rege decoratur. 839. Palatium Maderni ad Benacum extruit. 840. Franciſco filio Monſerrati gubernationem defert, & ea de re varia iudicia. 841. 846. In Monſerratum. 843. Eius obitus à medico longè ante præuiſus. 849. Mantuæ moritur. 844.

Vincentius Vincentij Ducis filius naſcitur. 807.

Virgilij ſtatuę cultus. A Carolo Malateſta Pado mergitur. 486.

Vizegradum à noſtris captum. 813.

Vrbanus quintus Pontifex. 343.



MANTVÆ,

Aurelius, & Ludouicus Oſanna fratres, Ducales Typographi, excudebant.

M DC XVII. Superiorum aſſenſu.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

